
UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
3 1761 01904322 3


ST. BASIL'S SEM
LIBRARY
TRANSFERRED


UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

THEOLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS,

ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM

EUROPÆ CATHOLICÆ,

UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS,

UNICÈ CONFLATUS,

Plurimis annotantibus presbyteris
ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ANNOTARUNT VERO SIMUL ET EDIDERUNT

FR. J.-P. ET V.-S. M**.**

TOMUS DECIMUS.

De Gratiâ.

EXPLICIT DOGMA.

PARISIIS

APUD EDITORES,

IN VIA GALLICÈ DICTA

RUE DES MAÇONS-SORBONNE, N° 7.

1837.

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM
QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

MONTAGNUS.

De Gratiâ, pars historica.

CLERICUS A BELLIBERONE.

De Gratiâ, pars dogmatica.

HABERTUS.

Ad partem dogmaticam de Gratiâ appendix prima : de Gratiâ sanctificante.

THEOLOGIA NANCEIENSIS.

Ad partem dogmaticam de Gratiâ appendix secunda : de Congruismo.

INDEX RERUM.

EXCUDEBAT E.-J. BAILLY, IN FORE SORBONICO, 2.

MONTAGNI VITA.

Montagnus, gallicè Montagne (Claudius-Ludovicus), Gratianopoli natus anno 1687, primisque imbutus theologiæ rudimentis, parisiense S. Sulpicii seminarium, quo tempore Rev. Couturier rectore gaudebat, ingressus est. Quantàcumque modestiâ adolescens præditus esset, sinceràque delitescendi cupiditate, tantam sagacitatis ac perspicaciæ suæ admirationem superiorum animis injecit, ut dignus habitus sit, qui baccalaureis sorbonicis licentiæ gradum affectantibus publicas theologiæ lectiones daret. Quod stadium ipsemet decurrens, primisque exornatus laureis, demùm doctoralem clarissimè consecutus est.

Sulpitianæ familiæ sodalitio mox adscriptus, perpetuum confratribus extitit exemplar. Vir miræ simplicitatis, conscientiæ regularumque seminarii servus usquè observantissimus, modestis secessûs ac studii deliciis adeò suaviter indulgebat, ut seminarii latebris, quandiu vixit, ne semel quidem excesserit, nisi, pius viator, carnutense B. Mariæ sacellum invisurus. Eo vivendi instituto, nec non eximiâ rerum ecclesiasticarum cognitione, discipulorum reverentiam et affectum sibi conciliavit. Quin imò, cùm episcopi, Lutetiæ congressi, quid agendum ergà Jansenii sectatores deliberarent, in consilium accersitus est.

Montagnus, mense aprili, 1767, obiit.

Quæ elucubraverat opera theologica, Turnelii nomine inscripta evulgavit: 1°, Turnelii compendium, 1731, 2 vol. in-8°; 2°, lectiones theologicas de opere sex dierum, 1732, in-12; 3°, de Gratiâ, 1735 et 1737, 2 vol. in-12; 4°, de Sacramentis, 1738, 2 vol. in-12; 5°, de Trinitate et de Angelis, 1750, in-12. Prætereà tractatum scripsit de notis theologicis, quem in primo cursûs hujusce volumine imprimendum curavimus, quique libro de opere sex dierum, modo appendicis, ab auctore suffixus est. Tractatus de Gratiâ, typis primùm 1735 mandatus, multotiès posteà recusus est. Magnum discrimen extat primam inter et anni 1748 editionem. Alterâ enim undecim continentur dissertationes historicæ de variis circa gratiam erroribus et controversiis ab Ecclesiâ conditâ; altera aliam insuper complectitur dissertationem de libro et systemate P. Quesnelii; prioris verò dissertationes in hâcce compendiariò dantur, ità ut lector, qui documenta ampliora desiderat, ad antecedentes recurrat necesse sit. Quamvis hæ quæstiones historicæ minoris hodiè sint momenti, quàm cùm in Galliâ ferverent de Jansenismo disputationes tot et tantis tempestatibus fœtæ, Montagni opus, quantùm licet, in extenso imprimendum nobis visum est, collatisque annorum 1748, 1755 editionibus cum editione anni 1735, omnium longè completissimam, nempè 332 paginis quàm cæteras locupletiorem contexímus. Ita nostra hæc editio undecies centum et quinquaginta consuetis Montagni paginis constat, et cunctas auctoris elucubrationes, varias per editiones diffusas, ne verbo quidem excepto, comprehendit.

TRACTATUS DE GRATIA.

Tantæ celebritatis est quod hîc aggredimur de gratiâ Christi argumentum, tot splendidis ac diuturnis theologorum disceptationibus, necnon multorum naufragio famosum ut longiori opus non sit præfatione, quâ ejus dignitas, utilitas ac necessitas commendentur, quapropter ad rem ipsam statìm accedemus.

Gratia variis modis spectari potest.

1° Ex parte Dei qui est præcipuus ac principalis gratiæ auctor et principium, quique eam singulis pro suo beneplacito largitur.

2° Ex parte Christi, quatenus est via ac veluti canalis ex quo in nos omne gratiæ donum derivatur, utpotè qui eam nobis pretioso suo sanguine promeruerit.

3° Ex parte hominis, qui est gratiæ subjec-

tum, quique eâ ad justitiam disponitur, atque Deo acceptus efficitur.

Appositè ad triplicem hanc gratiæ considerationem tractatus de gratiâ in tres partes distribui posset; verùm cùm de gratiâ tùm ex parte Dei, tùm ex parte Christi, jam alibi dictum fuerit, nimirùm in tractatu de Attributis, ubi de divinâ scientiâ, voluntate, providentiâ, prædestinatione, morte Christi pro salute omnium (1), etc., restat nunc ut de gratiâ ex parte hominis agamus.

Intrà hosce limites conclusum præsentem tractatum in duas generatìm partes dividemus, historicam nempè et dogmaticam.

In parte historicâ de variis circà gratiam erroribus disseremus.

In parte verò dogmaticâ, naturam, proprietates, affectus, aliaque id genus ad gratiam spectantia expendemus.

Utrique autem parti quæstionem prooemialem de nomine, definitione, et multiplici gratiæ divisione præmittere non abs re erit; subjiciemus posteà per modum appendicis, celeberrimam perindè ac intricatissimam de libertate et concordiâ ipsius cum divinâ gratiâ controversiam; sicque nihil erit prætermissum eorum quæ ad plenam ac perfectam tractatûs de gratiâ notitiam spectant.

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

DE NOMINE, NOTIONE AC DIVISIONE GRATIÆ.

Tres erunt hujusce præviæ quæstionis articuli.

Primus, de variâ nominis gratiæ acceptione.

Secundus, accuratam gratiæ notionem proponet.

Tertius, multiplicem gratiæ divisionem, et varias ejusdem species explicabit.

ARTICULUS PRIMUS.

De variâ nominis gratiæ acceptione.

Non una est nominis gratiæ significatio: tribus præsertìm modis usurpatur, ut observat S. Thomas 1 part., quæst. 110, art. 1.

1° Pro dilectione et benevolentiâ quâ quis alterum prosequitur; sic miles ergà quem rex benè affectus est, dicitur regis gratiam habere; sic etiam de hominibus justis frequenter legitur in Scripturis, quòd gratiam invenerint coram Domino, Genes. 6, v. 8. *Noë verò invenit gratiam coram Domino;* et Lucæ 1, v. 20. Angelus beatissimam Virginem alloquens ait: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Patet hîc *gratiam* sumi pro amore et benevolentiâ.

2° Sumitur pro dono seu beneficio gratis alteri concesso; quo sensu is loquitur qui alteri quidpiam indebitum tribuens ait: Hanc tibi gratiam concedo. Ita dictum legimus, Psalm. 83: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

3° Pro gratitudine seu recognitione, et ut loquitur S. Thomas pro recompensatione beneficii gratis dati et accepti. Juxtà hunc sensum gratias agere dicitur is qui beneficium acceptum agnoscit, ipsiusque memorem animum retinet; quo sensu dicitur 2 Regum 2: *Et ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud.*

Inter hæc tria is ordo est, quemadmodùm observat S. Thomas loco mox laudato, ut secundum fluat ex primo, et tertium ex secundo. Ex amore enim et benevolentiâ, quâ aliquis ergà alterum benè afficitur, procedit quòd ei aliquid gratuitò largiatur; ex beneficio autem gratis accepto consurgit gratiarum actio. Primum non tam est gratia, quàm gratiæ præparatio. Secundum est donum ipsum quod gratis tribuitur, et absque meritis est in suscipiente. Tertium verò in eodem suscipiente ex beneficiis collatis spontè nascitur.

Est autem, ut ibidem annotat doctor Angelicus, istud discriminis amorem Dei inter et amorem hominis, quòd homo amore suo, meritum supponat in objecto quod amat; Deus verò amando, meritum illud operetur; undè dona sua ipse coronat, cùm meritis nostris mercedem rependit, « Ex dilectione Dei, in« quit S. doctor, citato art. in corp. profluit « aliquod bonum in creaturâ: voluntas autem « hominis movetur ex bono præexistente in « rebus.... Patet igitur quòd quamlibet Dei « dilectionem sequitur aliquod bonum in crea« turâ causatum. »

Tribus prædictis gratiæ acceptionibus quarta posset adjungi quæ interdùm in Scripturis occurrit, in quibus gratiæ vocabulum quandoque usurpatur pro elegantiâ seu venustate tùm oris, tùm sermonis; hoc sensu Psalmo 44 dicitur: *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis;* et Prov. ultimo: *Fallax gratia et vana est pulchritudo.* Verùm hæcce nominis gratiæ acceptio à S. doctore hîc consultè prætermissa est, utpotè cùm prorsùs aliena ab instituto theologorum, qui de gratiâ juxtà secundam significationem disputare solent; quatenùs nempe nomine gratiæ designatur donum aliquod gratis concessum.

(1) Vide tractatus de *Deo* et de *Incarnatione* in hocce *theologiæ cursu completo.*

Porrò gratiæ vocabulum hoc modo intellectum, iterùm dupliciter sumi potest.

1° Generatìm et minùs propriè, pro quolibet dono seu beneficio gratis concesso, cujuscumque sit ordinis, sive supernaturalis, sive duntaxat naturalis; sub illâ generaliori gratiæ significatione, creatio, conservatio, omnes corporis et animæ dotes, cæteraque naturalis ordinis Dei beneficia comprehenduntur, gratis quippe ac liberaliter nobis à Deo conceduntur. Juxtà hanc acceptionem S. August. Epist. 177, aliàs 95, ad Innoc. S. pont. numero 7, sic habet: « Quâdam non improbandâ ratione dici« tur gratia Dei quâ creati sumus, ut non« nihil essemus, nec ita essemus aliquid ut ca« daver quod non vivit, aut arbor quæ non « sentit, aut pecus quod non intelligit, sed ho« mines, qui et essemus, et viveremus, et sen« tiremus, et intelligeremus; et de hoc tanto « beneficio Creatori nostro gratias agere va« leamus. » Cur autem hæc et alia hujusmodi gratiæ vocabulo insigniri possint, statim aperit sanctus doctor his verbis: « Quia non præce« dentium aliquorum bonorum operum meri« tis, sed gratuitâ Dei bonitate donata sunt. »

Eodem planè sensu synodus VI generalis actione 11, Angelos et animas rationales immortales esse asserit *per gratiam*.

Ejusmodi gratiæ genus, nimirùm creationis, conservationis, aliorumque donorum naturalium, ultrò admittebat Pelagius, atque ita hujusce vocis *gratiæ* ambiguitate Patribus Palestinis turpiter illusit. Interrogatus enim an gratiæ necessitatem admitteret, respondit se admittere; at per gratiam, subdolè intelligebat naturam et liberum arbitrium.

2° Strictè et propriè usurpatur gratiæ vocabulum pro donis supernaturalibus quæ ad salutem æternam per se pertinent atque conducunt. Hoc sensu Joan. 1, v. 17, dicitur: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Rom. 3, v. 24: *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Ibidem cap. 5, v. 17: *Abundantiam gratiæ..... accipientes in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum.* Et ad Ephes. 2, v. 5: *Convivificavit nos in Christo, cujus gratiâ estis salvati.* Ita etiam passim usurpatur gratiæ vox apud S. Augustinum, libris præsertìm contrà Pelagianos.

Posterior hæc gratiæ acceptio adeò familiaris est et pervulgata in Scripturis, SS. Patribus, aliisque auctoribus ecclesiasticis, ut ea solùm intelligatur in Ecclesiâ Dei, dùm gratiæ nomen simpliciter et absolutè pronuntiatur. Quapropter S. Augustinus laudatâ jam Epistolâ 177 observat, Pelagium cùm in synodo Palæstinâ seu Diospolitanâ dixisset se gratiam confiteri, absolutum fuisse à catholicis episcopis, « quia, « inquit, his auditis, catholici antistites, nul« lam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, « nisi quam in libris Dei legere, et populis Dei « prædicare consueverunt: eam utique...... « quâ justificamur ab iniquitate, et quâ salva« mur ab infirmitate, non quâ creati sumus « cum propriâ voluntate. Quapropter, pergit « ibidem S. doctor, non culpandi sunt judices « (Palæstini Antistites) quia ecclesiasticâ con« suetudine nomen gratiæ audierunt, nescientes « quid hujusmodi homines (Pelagiani) vel in « suæ doctrinæ libris, vel in suorum solent « auribus spargere. »

Appositè et accommodatè ad posteriorem hanc gratiæ acceptionem, quæ certè propria est, stricta et accurata, toto decursu præsentis tractatûs nobis agendum est de gratiâ; prætermissâ aliâ acceptione generaliori et minùs propriâ, quæ gratiæ nomen extendit ad significanda etiam ea dona quæ sunt naturalis duntaxat ordinis.

ARTICULUS II.

De definitione gratiæ.

Gratia propriè et strictè sumpta, prout nempe significat donum supernaturale gratuitum et indebitum, rectè definiri potest, donum supernaturale creaturæ intellectuali gratis à Deo concessum in ordine ad vitam æternam.

Ista definitio generalis est, omnemque veram Dei gratiam complectitur; tùm scilicet eam quæ à Deo gratis concessa fuit sine nullo prorsùs respectu ad Christum, et intuitu meritorum ejus; qualis fuit, juxtà S. Th. aliorumque vulgò theologorum sententiam, hæc gratia quam Deus contulit Angelis in suâ creatione, et primo parenti in statu innocentiæ; tùm etiam illam quæ hominibus à Deo nunc confertur intuitu passionis ac meritorum Christi Domini.

Posterior hæc gratia solet appellari gratia Christi, seu gratia medicinalis; prior verò singulariter dicitur gratia Dei, seu gratia sanitatis.

Sin autem propriam ac specialem gratiæ Salvatoris, id est, ex meritis Christi concessæ definitionem requiras, sic paucis adjectis definiri debet, donum supernaturale creaturæ intellectuali gratis à Deo concessum intuitu meritorum Christi Domini, in ordine ad vitam æternam.

Posterior ista gratiæ Christi definitio eò solùm differt à præcedente quæ generalis est, omnique veræ Dei gratiæ competit, quòd superaddat intuitum Passionis ac meritorum Christi.

Jam utriusque definitionis partes paucis sunt sigillatìm explicandæ. Dicitur 1° *donum;* quæ vox tenet locum generis; convenit quippe omnibus donis tùm naturalis, tùm supernaturalis ordinis. Eâdem particulâ *donum* significatur gratiam esse quidpiam positivum, animam hominis cui tribuitur afficiens, seu, ut loquitur S. Th. 1-2, q. 110, art. 1, specialem dilectionis Dei ergà hominem effectum. Dicitur 2°, *supernaturale;* ut gratia propriè dicta distinguatur à donis naturalibus, qualia sunt creatio, conservatio, aliaque corporis et animæ bona. In quo autem præcisè posita sit *supernaturalitatis* ratio, statìm aperiemus. Dicitur 3°, *creaturæ intellectuali;* ut significetur subjectum gratiæ capax, Angelus scilicet et homo. Dicitur 4°, *gratis concessum;* particula *gratis* ad quam potissimùm attendendum est in præsenti definitione, significat gratiam secundùm quod gratis datur, omnem excludere debiti rationem, tùm ex parte dantis (Deus enim nullâ lege absolutè tenetur et obligatur ad gratiam conferendam), tùm etiam ex parte recipientis.

Potest autem, quemadmodùm observat S. Th. 1 2, q. 111, art. 1 ad 2, duplex debitum intelligi ex parte recipientis, creaturæ intellectualis videlicet; unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad personam cujus est exercere opera meritoria, juxtà illud Rom. 4: *Ei qui operatur, merces imputatur secundùm debitum, non secundùm gratiam;* tale deditum solet appellari debitum seu jus ac meritum *personæ;* aliud verò est debitum secundùm conditionem naturæ; ut si dicamus debitum esse homini quòd habeat rationem, quòd libero præditus sit arbitrio, quòd habeat facultatem visivam, et alia hujusmodi quæ ad nativam hominis conditionem pertinent; tale debitum nihil aliud est quàm exigentia naturalis, et dicitur debitum *naturæ.*

Porrò particula *gratis* in allatâ gratiæ definitione excludit utrumque debitum, *personæ* videlicet et naturæ. 1° Excludit debitum personæ ex merito proveniens, juxtà illud Apost. ad Rom. 11: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia;* quod idem docet S. Aug. in Psalm. 43, his verbis: *Meritò gratia nominatur, quia gratis datur.* Nec obstat quòd justi bonis suis operibus augmentum gratiæ de condigno mereantur. Cùm enim bona hæc justorum opera ex ipsâ gratiâ gratis concessâ profluant; augmentum gratiæ in homine justificato, et merces et gratia dici potest et debet; merces, quia meritis rependitur; gratia, quia merita hæc ex gratiâ quæ in fonte, radice et origine prorsùs est gratuita, procedunt; undè ut sæpiùs docet S. Aug. ac præsertìm Epist. 194, aliàs 105, n. 19: « Cùm « omne bonum meritum nostrum non in nobis « faciat nisi gratia; cùm Deus coronat merita « nostra, nihil aliud coronat quàm munera « sua. » 2° Gratia excludit etiam debitum *naturæ,* quod ex naturali conditione et exigentiâ ita consequitur, ut habitâ ratione divinæ justitiæ, bonitatis, etc., denegari non possit; tùm quia meritum *naturæ* majus est merito *personæ;* Deus enim seipsum negare nequit, et prorsùs repugnat ipsum agere quidpiam quod bonitati, æquitati, cæterisque ejus attributis repugnet; atqui ex mox dictis gratia excludit debitum ex merito *personæ* proveniens: *Si gratia, jam non ex operibus,* inquit Apost.; *alioquin gratia jam non est gratia;* ergo à fortiori excludit debitum *naturæ,* tùm quia à donis naturalibus in eo præsertìm differt gratia propriè dicta, quod hæc, non illa, prædictum *naturæ* debitum excludant; tùm denique quia, ut ratiocinatur S. Thomas loco mox citato, dona supernaturalia rationem gratiæ specialiùs sibi vindicari debent, quàm dona merè naturalia; sed eam non sibi specialiùs vindicarent, nisi utrumque excluderent debitum; siquidem dona naturalia sunt indebita ratione meriti, nec enim ille cui dantur, est ea promeritus. Ergò dona supernaturalia ut specialiori ratione sibi vindicent gratiæ nomen, necessariò debent esse indebita, tùm debito *personæ,* tùm debito *naturæ.*

Totum istud disertè tradit doctor Angelicus loco mox laudato, his verbis: « Dicendum, in« quit, quòd gratia secundùm quòd gratis da« tur, excludit rationem debiti. Potest autem « intelligi duplex debitum; unum quidem ex « merito proveniens, quod refertur ad perso« nam cujus est agere meritoria opera, secun« dùm illud ad Rom. 4: *Ei qui operatur, merces* « *imputatur secundùm debitum, et non secundùm* « *gratiam*; aliud est *debitum* secundùm condi« tionem naturæ, puta si dicamus debitum esse « homini quòd habeat rationem, et alia quæ « ad humanam pertinent naturam.... dona igi« tur naturalia carent primo *debito*, non au« tem carent secundo *debito*: sed dona super« naturalia utroque *debito* carent; et ideò

« *specialiùs sibi nomen gratiæ vindicant.* » Hæc S. Thomas ex quibus manifestè patet in mente sancti doctoris gratuitam gratiæ conditionem omninò exigere ut detur, tùm citrà jus ac meritum *personæ*, tùm etiam citrà debitum ac exigentiam *naturæ*.

Hanc planè gratuitam gratiæ conditionem, velint nolint, prorsùs evertunt, qui cum Baio et Jansenio asserunt, saltem habità ratione divinæ bonitatis, justitiæ ac providentiæ, impossibilem esse puræ aut etiam integræ nostræ statum, in quo homo sine peccato et gratià sive habituali, sive actuali conderetur; ex hàc etenim sententià necessariò consequitur, gratiam ad exigentiam naturæ esse debitam, et secundùm connaturalem creaturæ rationalis statum concedi; adeòque integritatem primæ creationis, non fuisse indebitam naturæ humanæ exaltationem, sed naturalem ejus conditionem; quæ ipsissima est 27 propositio inter Baianas, et coincidit cum 21, 23, 24, 26, 78, 79, ejusdem Baii propositionibus proscriptis à summis pontificibus Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII.

Dicitur 3°, *donum à Deo concessum intuitu Passionis ac meritorum Christi Domini in ordine ad vitam æternam*; quibus verbis declaratur, 1° causa efficiens gratiæ, videlicet Deus; Psalmo 83: *Gratiam et gloriam dabit Dominus;* 2° causa ejusdem meritoria in præsenti statu naturæ lapsæ, nimirùm mediator Dei et hominum Jesus Christus; juxtà illud Joan. 1: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.... quia lex per Moisen data est, gratia et veritas per Jesum Christum Dominum nostrum.* 3° Finalis gratiæ causa denotatur, nempe vita æterna: *Gratia Dei,* inquit Apostolus Rom. 6, *vita æterna;* et S. Aug, Epistolâ jam citatâ 177: *Gratia enim est,* ait S. doctor, *quâ prædestinati vocamur, justificamur, glorificamur.*

Obiter hìc observa, gratiam Christi potiori jure dici supernaturalem, gratuitam et indebitam. Illud enim magis gratuitum est, indebitum ac supernaturale, quòd indulgetur inimico, quàm quòd tribuitur non inimico; porrò medicinalis gratia Christi, donum est supernaturale gratis concessum inimico, videlicet homini et perdito per peccatum, juxtà illud Apost. Rom. 5: *Cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.*

Cum eximius gratiæ character, et una ex præcipuis ipsius conditionibus, sit *supernaturalitas*, de quâ commodior alibi non occurrit dicendi locus, non abs re erit, nec fortè injucundum, plenam et accuratam entis supernaturalis notionem hìc investigare; maximè cùm sæpiùs in decursu præsentis tractatûs, et aliis in locis de donis et actibus supernaturalibus simus acturi; aliundè verò ejusmodi notio alibi prætermissa, admodùm utilis sit, imò et necessaria ad varias quæstiones theologicas faciliùs intelligendas; id quâ poterimus brevitate ac perspicuitate distinctis quæsitis exequi conabimur.

Quæres itaque 1°, in quo præcisè posita sit *supernaturalitatis* ratio. Respondeo mirum in modum intricatam esse præsentem quæstionem, circà quam varias in sententias abeunt theologi. Discrepantes hanc in rem opiniones paucis saltem hìc expendere juvat. Prima opinio eorum est qui asserunt minimè definiri posse in quo præcisè reponenda sit *supernaturalitatis* ratio. Sententiam hanc refert ac confutat Ripalda lib. 2. de ente supernat. disput. 4, sec. 2. Refellitur prædicta opinio; 1° immeritò asseritur id exponi non posse, quòd omnes graviores theologi exponere conati sunt: porrò graviores theologi præeunte doctore Angelico variis in locis, maximè verò, 1-2, q. 110, art. 2 ad 2, et quæst. 112, art. 1, in corp., quæstionem hanc resolvere tentàrunt; ergo 2° exploditur eadem sententia iis omnibus momentis quibus communem ac tritam circà præsentem controversiam theologorum opinionem postmodùm stabiliemus.

Secunda opinio docet, illud esse supernaturale, quod activas naturæ vires excedit. Tribuitur Scoto in 4, dist. 10, quæst. 8, parag. *contrà rationem.* Refellitur, quia creatio animæ aut Angeli, activas totius naturæ vires excedit; nec tamen supernaturalis dici potest.

Tertia opinio asserit, ut aliquid sit supernaturale requiri et sufficere quòd excedat tùm activas, tùm passivas naturæ vires. Tribuitur à nonnullis, Cajetano, Bannesio, Cano, Vasques., etc. Refellitur: 1° non satis constat quid ipsi velint per vires illas *passivas;* 2° quidquid intelligatur per vires *passivas*, certè Angeli productio ejus est perfectionis, quæ superet vires tùm *activas*, tùm *passivas* totius naturæ; attamen hæc Angeli productio non est entitativè supernaturalis; 3° ad esse supernaturale, præter vires naturales, tùm activas, tùm passivas naturæ, superanda est adhuc, ut mox dicemus, ejusdem naturæ exigentia. Tandem sententia quam hìc impugnamus, auctoribus mox citatis immeritò adscribitur; etenim aliud est, activæ et passivæ virtutis naturalis excessum re-

quiri, ut aliud sit supernaturale; aliud verò cum excessum sufficere; prius disertè docent laudati auctores, at posterius neutiquàm tradunt.

Quarta opinio quorumdam recentiorum est, qui rerum naturalium et supernaturalium essentiam à libero Dei arbitrio ita pendere volunt, ut quæ in hoc rerum statu naturalia sunt, eadem in alio rerum ordine (Deo ita decernente) supernaturalia esse possint; et vicissìm, quæ nunc supernaturalia sunt, eadem in alio rerum statu vi divinæ voluntatis naturalia esse queant. Refellitur: 1° sententiam hanc, tùm Scripturæ, tùm SS. Patrum doctrinæ contrariam esse, theologi, post S. Thomam, 1, 2, q. 104, art. 5, vulgò docent. 2° Supponit prædicta opinio rerum essentias à libero Dei arbitrio pendere; quod falsum esse communiter tradunt philosophi, et demonstrat S.Thomas, 1 p., q. 25, art. 3, in corp. 3° *Omnis creatura*, ut optimè arguit Estius in 2, dist. 25, parag. 3, *Dei serva est*, juxtà illud Psalm. 11: *Omnia serviunt tibi*. Ergò, inquit ibidem Estius, quòd aliqua creatura assumatur in adoptionem filiorum Dei, et in amicitiam ejus, et in consortium divinæ naturæ (quod quidem fit per gratiam) conditionem creatæ naturæ superat, estque prorsùs supernaturale. Nullo ergò in casu, gratia (idem dicendum de quolibet alio dono supernaturali) creaturæ strictè ac propriè fieri potest naturalis. Utitur hoc argumento S. Cyrill., lib. 12 in Joann. cap. 24.

Quinta sententia docet supernaturalia à naturalibus eò differre, quòd supernaturalia Deum ut trinum, naturalia verò Deum ut unum respiciant. Ita Zumel. 1, 2. q. 110, art 4, disput. 5, et alii. Refellitur, quia actus fidei quo Deum credimus esse unum, summè bonum eumque sic apprehensum diligimus, nullo habito respectu explicito ad Trinitatem, supernaturalis est; naturalia ergo à supernaturalibus non differunt penès respectum ad Trinitatem.

Et verò nec respectus ad Trinitatem ut objectum, nec respectus ad Trinitatem ut principium supernaturalitatem constituit. Non respectus ad Trinitatem ut objectum, quia virtutes morales infusæ, aliaque complura accidentia supernaturalia, Trinitatem ut objectum minimè spectant. Nec etiam respectus ad Trinitatem ut principium, quia supernaturalia perindè ac naturalia à Deo ut uno procedunt; scilicet procedunt à Deo ratione omnipotentiæ, quæ tribus divinis Personis communis est; ergo respectus ad Trinitatem non est proprius supernaturalium conceptus.

Sexta sententia supernaturalitatem repetit à relatione ad Deum ut auctorem gratiæ et gloriæ. Ita Curiel. 1, 2, q. 110, dub. 1; Albelda 1 p. disput. 26, n. 9. Joan. Vincent. Relect. de grat. Christi fol. 34, etc. Refellitur ista sententia: 1° quia dùm sic merè traditur, obscura est, et ignotum per ignotius, aut saltem æquè abstrusum definit. 2° Opera moraliter bona intra naturæ ordinem, elicita ab homine justo, absque influxu actuali, vel virtuali charitatis, aut alterius supernaturalis virtutis, non sunt intrinsecè supernaturalia; atqui opera hujusmodi in Deum ut auctorem gratiæ et gloriæ referri docent plurimi theologi quos recenset Card. d'Aguirre, tom. 3, disput. 131, sect. 1. Ergo intrinseca et entitativa supernaturalitas à relatione in Deum ut auctorem gratiæ et gloriæ non est repetenda. 3° Semper quærendum restat, undenam prædicta relatio habeat ut sit supernaturalis. Fatemur equidem id omne esse supernaturale, quod propriè et directè refertur in Deum ut auctorem gloriæ; at negamus hunc præcisè respectum causam formalem esse supernaturalitatis, de quâ hic unicè aut potissimùm quæstio; sed tantùm ut efficientem, aut finalem, aut meritoriam causam admittimus.

Septima sententia eorum est qui supernaturalitatem in intimâ quâdam divinitatis *sicut in se est* communicatione et participatione constituunt; atque supernaturalia definiunt ea esse quæ participant divinam essentiam aut attributa prout sunt in se; naturalia verò quæ illa participant, prout sunt in alio. Ita plerique S. Thomæ interpretes.

Alii supernaturalia definiunt, quæ ad Deum *ut est in se*, seu ad ordinem visionis beatificæ spectant; naturalia verò quæ ab hoc ordine remota sunt. Ita Herrera, 1 p., q. 1, d. 2; Sossa q. 1, Prolo. diff. 4; Gonetus disput. 2, de essentiâ grat.. art. 3, etc. Alii asserunt entia supernaturalia esse illa quæ simpliciter sunt *ordinis divini;* naturalia autem quæ ad hunc ordinem non spectant. Ita Cajetanus, 1 p., q. 12, art. 5, et 1, 2, q. 61, art. 3, et alibi passim; Antonius Perez in Laureâ Salmant; certamine 4, scholastico, à n. 48, etc. Aliis placet supernaturalitatem in ordine ad Deum *ut est actus purissimus* consistere. Ita Pater Albertinus, tom. 1 principio 1, quæst. 2, theol. n. 4, et 2 principio quæst. 5, n. 2. Nonnulli censent supernaturalitatem rectè explicari per aliquam connexionem cum unione immediatâ Dei ut est in se; sive unio physica sit, qualis hypostatica; sive intentionalis, qualis visio beatifica, fruitio

et amor. Ita Valent. de Herice, 1 p., tract. 4, disp. 48, cap. 3; Fasolus, 1 p., q. 12, art. 4, n. 22.

Has quinque varias exponendæ supernaturalitatis sententias in unum retuli, quòd vix aut parùm à sese invicem discrepent.

Refelluntur supradictæ sententiæ, iisdem omninò momentis quibus sexta opinio mox confutata fuit. Et verò semper quærendum superest, 1° quid sit rem ad ordinem visionis beatificæ, ad ordinem divinum, ad Deum *ut est actus purissimus*, etc., pertinere. 2° Quà perfectione creatura in eum ordinem elevetur. 3° Quæ et qualis esse debeat communicatio et participatio per quam creatura ad ordinem divinum, ad Deum ut est in se formaliter pertineat. Dùm hæc non exponuntur, semper res sub tenebris remanet, semper sub desiderio relinquitur.

Octava sententia eorum est qui supernaturalitatem explicant per excellentiam supra vires et exigentiam naturæ, atque volunt ens supernaturale illud esse quod omnium substantiarum *nunc existentium*, et accidentium ipsis connaturalium vires et exigentiam superat. Ita Ægidius Coninch, disp. 4 de actibus supernat., n. 9, et alii recentiores. Refellitur illa sententia, tùm quia plurium Angelorum merè possibilium productio omnium substantiarum nunc existentium, necnon accidentium ipsis connaturalium, vires et exigentiam longè superat; atqui tamen hæc productio non esset supernaturalis; ergo, etc.; tum quia ens supernaturale, ut mox diximus, omnis substantiæ tam creatæ, quàm creabilis vires et existentiam excedere debet.

Nona sententia perindè ac præcedens supernaturalitatem explicat per excellentiam supra vires et existentiam naturæ; verùm addit, in quo distat à priori, naturam supra quam ens supernaturale elevatur, complecti non solùm quamlibet substantiam nunc existentem, sed insuper et possibilem quæ Deum suis viribus videre non possit. Scilicet duplicis generis substantias possibiles admittunt hujus sententiæ patroni; aliæ quæ propriis viribus absque elevatione Deum intuitivè videre possint; aliæ quæ citra elevationem hujusce visionis eliciendæ impotentes sunt; supra has, non illas substantias possibiles elevatur ens supernaturale. Ita Major, in 4, dist. 89, q. 4; Durandus ibid., quæst. 2; Hurtado de Mendozza, tract. de visione Dei, disput 6, et alii. Refellitur etiam ista sententia, quia supponit creari posse substantiam supernaturalem, seu substantiam cui connaturalia sint accidentia supernaturalia; ac talem substantiam repugnare posteà quæsito 4, demonstrabimus; ergò, etc.

Est et alia specialis eâ de re Ripaldæ sententia quæ præcedenti coincidit. Censet auctor ille tom. 1 *de ente supernat.* lib. 1. disput. 3. sect. 2. ens supernaturale, illud esse, quod excedit vires tùm physicas, tùm intentionales omnium et singularum substantiarum nunc existentium; id est, quemadmodùm seipsum ibid. exponit, illud est supernaturale, quod à substantiis in præsenti hypothesi existentibus, nec fieri, nec quidditativè cognosci potest. Refellitur ista sententia, quia etiam supponit, ens supernaturale non esse supra omnem generatim substantiam tàm creatam, quàm creabilem; quod omninò falsum esse ex dicendis postmodùm manifestè patebit.

Ultima tandem sententia quam amplectimur, quæque apud theologos longè plures et auctoritate majores pervulgata est,

Docet 1°, in quo certè consentiunt omnes ferè theologi, naturam supra quam ens supernaturale elevatur, omnem substantiam tàm creatam quàm creabilem amplecti; seu, quod idem est, naturam quam res supernaturalis antecellit, complecti res omnes, quæ ex propriâ conditione et ex principiis naturæ intrinsecis possibiles sunt, seu per se non repugnant, independenter tùm à libero Dei beneplacito, tùm ab omni gratuito et naturæ indebito Dei beneficio, quo possibiles reddantur. Docet 2°, quod ex priori sequitur, ens supernaturale superare exigentiam totius naturæ creatæ et creabilis, nec in ejus viribus activis contineri, sive phycis, sive intentionalibus. Illud in activis ac physicis alterius viribus censetur contineri, inquiunt Card. d'Aguirre, tom. 1, disput. 8, sect. 3, et Ripalda lib. 1 *de ente supern.* disp. 3, sect. 2, quod ab ipso produci potest. Illud verò continetur in viribus intentionalibus seu intelligibilibus, quod ab ipso intuitivè et quidditativè attingi potest. Docet 3°, supernaturalitatem præcipuè ac primario consistere, tùm in supradicto exigentiæ, ac virium totius naturæ excessu; tum in eximiâ quâdam divinitatis, ut in se est, participatione; quæ quidem eximia divinitatis participatio posita est in speciali quâdam, cum ipso Deo, qualis in se est, spectato, conjunctione et unione; aut *reali et physicâ*, qualis est hypostatica unio; aut *intentionali* proximâ et immediatâ, qualis est visio beatifica; aut tandem *intentionali* minùs proximâ

mediatâ, qualis est gratia sanctificans, virtutes theologicæ, cæteraque hujusmodi dona quæ sunt ejusdem ordinis cum visione beatificâ, quæque ad illam per se disponunt, et ex naturâ suâ ordinantur. Ita S. Thomas variis in locis, præsertim verò 1-2, q. 110, art. 2 ad 1; Cajetanus 1-2, q. 61, art. 3; Salmaticenses tract. de grat. disput. procemiali cap. 1, parag. 1; d'Aguirre loco mox citato, et tom. 3, disput. 131, sect. 3; Suarez de grat. prolegom. 3, cap 2, Estius, Sylvius, Bellarminus et alii passim.

Tribus constat partibus ista sententia; antequàm autem probetur, ad pleniorem ipsius inligentiam opere pretium erit nonnulla advertere. Itaque observandum I cum Bellarmino L. de grat. primi hominis, caput. 5, naturale variis modis dici posse. 1° Naturale dicitur quod habetur à nativitate. Hoc sensu justitia sicut et sanctitas originalis, licet intrinsecè supernaturalis, fuit Adamo naturalis; et originale peccatum nunc infantibus naturale est, justà illud Ephes. 2: *Naturâ filii iræ*. 2° Naturale dici potest quod est naturæ consentaneum, quodque eam non destruit, sed ornat et perficit. Et hoc sensu, quemadmodùm observat S. Aug. lib. de spirit. et litt. cap. 27, gratia ornans et perficiens naturam, naturalis meritò dici potest, peccatum verò contra naturam. 3° Dicitur naturale, quod tametsi donum sit gratuitum, tamen naturam non elevat ad opera supernaturalia, sed eam duntaxat juvat ac perficit in operibus merè naturalibus; quâ ratione, inquit Bellarminus loco mox citato, integritas naturæ distincta à gratiâ sanctificante, donum naturale dici potest. 4° Naturale etiam dicitur, quod in conditâ rerum universitate assuetum est, quod secundùm communes providentiæ leges frequenter et ordinariè contingit. Sic S. Aug. L. 26 contra Faustum cap. 3, omnia Dei opera in naturalia et contra-naturalia distinguit; ad primum genus, ordinaria et solita; ad secundum verò, extraordinaria et insolita revocat. Juxtà hanc acceptionem, opera totius naturæ facultatem excedentia, ut sacramentorum operatio, et virtutum infusarum actus, aliaque supernaturalia opera, quæ miraculosa et insolita non sunt, naturalibus accenseri possunt. 5° Rursùs naturale dici potest quidquid creatura per potentiam obedientialem efficere aut recipere potest; cùm enim potentia obedientialis, quâ creatura quælibet Deo obedit ad nutum, ipsique perfectè subjicitur, realiter et entitativè naturalis sit; naturale quoque quâdam ratione dici potest, id omne ad quod sese extendit prædicta obedientialis potentia. Ita naturæ vocabulum usurpat S. Aug. loco mox citato his verbis: Deus creator et conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit. Id enim erit cuique rei naturale, quod ipse fecerit, à quo est omnis modus, numerus et ordo naturæ. » Et L. 21 de Civit. Dei cap. 8: « Quomodo, inquit, contra naturam, quod Dei fit voluntate, cùm voluntas tanti conditoris, conditæ rei cujusque natura sit? » Eâ ratione asserit S. D. L. de Præd. SS. caput 5, « posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ esse hominum. » Juxtà eumdem sensum loquitnr S. Thomas, 3 p., quæst. 44, art. 2 ad 1: « Naturale est, inquit, cuilibet creaturæ, ut transmutetur à Deo secundùm ejus voluntatem. »

His quinque modis naturale directè non opponitur supernaturali, ut facilè patebit attendenti, et constat exemplis modò adductis, neque his sensibus naturale hîc usurpamus.

6° Naturale sumi potest pro collectione substantiarum creatarum, sed non creabilium, et accidentium ipsis connaturalium, seu pro eo quod non superat vires et exigentiam naturæ actu existentis. Opposito sensu, illud impropriè et secundùm quid supernaturale dici potest quod omnis naturæ creatæ, sed non creabilis, seu, omnis substantiæ actu existentis, sed non merè possibilis vires et exigentiam excedit.

7° Tandem strictè et propriè naturale prout opponitur supernaturali illud dicitur, quod est vel natura, vel pars naturæ, vel fluit ex principiis et primordiis naturæ creatæ, aut creabilis, quod ipsi debitum est et secundùm ipsius exigentiam, sine quo manca illa foret et imperfecta; vel quod est rationi et æquitati consentaneum, quodque Deus habitâ ratione justitiæ, bonitatis, sapientiæ et providentiæ naturæ denegare nequit. Hanc esse strictam et propriam naturalis acceptionem declarant Suarez, d'Aguirre, Bellarm. et aliis locis antea laudatis. Eâ significatione corpus et anima, facultates quoque tùm sentiendi, tùm intelligendi, et operationes quæ ab eisdem facultatibus exercentur, concursus etiam generalis ad easdem operationes eliciendas necessarius, et alia hujusmodi naturalia esse dicuntur.

Pressiùs, propriè et strictè naturale illud dicitur, quod est pars naturæ creatæ aut creabilis; vel ex ipsâ fluit, vel ipsi quoquomodò debetur; et hoc modo naturale spectatum propriè supernaturali opponitur. Hinc observan-

dum II, ex dictis supernaturale quod naturali directè opponitur illud est, quod nec est pars naturæ creatæ aut creabilis, nec ex ipsâ fluit, nec ipsi quoquomodò debetur, ac proinde omne meritum, tum naturæ, tum personæ excludit. Ita S. Thomas 1-2, q. 10, art. 1, et ibid, quæst. 110, art. 1 ad 2; ita etiam d'Aguirre locis citatis; Bellarmin. L. 1 de grat. et libero arb. cap. 1; Sylvius, Estius, Suarez et alii.

Observandum III, sicut ens naturale dicitur non solùm substantia naturalis, sed etiam quæ ad illam quoquomodò pertinent, quales sunt ejus affectiones, aliaque ipsi quâdam ratione debita; ita pariter supernaturale dicitur, non solùm substantia supernaturalis nimirùm Deus; sed et ea quæ per modum qualitatum et affectionum ad illum pertinent; aut ab illo, ut supernaturalis est, dependent; aut ad assequendam ipsius, sicut in se est, possessionem, per se et ex naturâ suâ ordinantur, atque proximè aut saltem mediatè disponunt; talia sunt gratia, virtutes theologicæ, lumen gloriæ, visio beatifica, etc.; hæc autem *participativè;* ille verò, nempe Deus, *essentialiter* supernaturalia dici possunt et debent.

Observandum IV, cum Card. d'Aguirre tom. 1 theolog. S. Anselmi, disp. 8. et 10, et Grandino tract. de Attribut. quæst. 12, art. 3, sect. 3, Deum bifariàm spectari posse. 1° Ut in se est, et in se immediatè attingitur; seu ut est auctor gloriæ. 2° Quatenus relucet in creaturis et per eas abstractivè cognoscitur, seu, ut est auctor naturæ; priori, non autem posteriori modo, Deus est primum ens supernaturale, et tale *essentialiter.* Est autem ens supernaturale per participationem, omne illud creatum, per quod ut in se est Deus attingitur, sive immediatè, sive mediatè; id est, quidquid ad illum attingendum per se et ex naturâ suâ refertur. Hinc unio hypostatica, visio beatifica, *participativè* supernaturales sunt, quoniam Deum ut in se est immediatè attingunt; gratia verò sanctificans, virtutes theologicæ, aliaque hujusmodi dona supernaturalia sunt, quoniam per se disponunt, et ex naturâ suâ ordinantur ad visionem beatificam.

Observandum V, cum iisdem auctoribus mox citatis, Deum, ut in se est, iterùm duobus modis spectari posse. 1° *Entitativè* seu *objectivè.* 2° Communicativè, quatenùs scilicet sese immediatè attingendum communicat, ut fit unione hypostaticâ et visione beatificâ, vel quatenùs ad id disponit, ut fit virtutibus theologicis. Deus hoc secundo modo spectatus propriè dicitur auctor gloriæ; priori verò sensu dicitur objectum gloriæ.

Observandum VI, ens illud dici *participativè* supernaturale, quod ad Deum præsertim ut auctorem gloriæ refertur; ideò autem dicitur *participativè* supernaturale, quòd sit participatio quædam virtutis aut rationis, quâ se Deus immediatè attingit ex naturâ suâ; quod quidem ut clariùs percipiatur,

Observandum VII, virtutem et rationem quâ se Deus immediatè attingit, non esse aliquid naturæ divinæ superadditum; omnia enim quæ in Deo, utpote ante simplicissimo, reperiuntur, sunt quid unum et idem cum naturâ divinâ, ac proinde virtus divini intellectûs, quâ se Deus immediatè cognoscit, nihil omninò superaddit intellectui divino, sed est ipsemet Dei intellectus, ut infinitæ perfectionis, et per se sufficiens sine ullo superaddito ad divinam essentiam immediatè attingendam; attamen virtus communicata creaturæ, per quam illa immediatè attingit Deum, propriè est virtus Dei, non quidem per quam Deus sese attingit sed per quam creatura ad esse divinum elevatur ut ipsum attingat.

Itaque virtus communicata creaturæ, per quam Deus sese immediatè attingendum communicat, v. g., lumen gloriæ, strictè et propriè dicitur et est virtus Dei elevans et ordinans creaturam ad Deum, ut in se est, illamque constituens in esse divino, juxta illud 2 Petri 1, v. 4, *divinæ consortes naturæ.* Idem dicendum de aliis entibus supernaturalibus quæ ad immediatam cum Deo unionem intentionalem, seu visionem beatificam disponunt, vel ad eam ex naturâ suâ referuntur.

Ex dictis sequitur 1° Deum, ut est auctor gloriæ, seu, quatenùs sese unione hypostaticâ, vel visione beatificâ, immediatè attingendum communicat, vel ad id disponit, esse ens *essentialiter* supernaturale, primum et præcipuum entium supernaturalium, à quo alia et supernaturalia sunt et dicuntur. 2° Omne illud ens creatum *participativè* supernaturale dicitur, quod ad Deum præsertim ut auctorem gloriæ, hoc est, in se immediatè attingendum, ex naturâ suâ refertur, vel ad illud per se proximè aut saltem remotè disponit. 3° Supernaturale *participativè* generatim definiri aut describi posse, quod universæ naturæ creatæ aut creabilis ordinem, vires et exigentiam omninò excedit. 4° Supernaturale *quoad modum* duntaxat est donum naturale collatum modo propriè supernaturali, id est, excedente cujuscumque

naturæ vires et exigentiam; tales sunt, vita mortuo restituta, aut visus cæco. 5° Supernaturale *quoad entitatem*, quod propriè supernaturale dicitur, peculiare Dei donum est, quod quidem donum, 1° totius naturæ creatæ et creabilis ordinem, vires et exigentiam transcendit; 2° creaturam elevat et ordinat ad Deum, ut est auctor gloriæ, id est, ut in se spectatus, et per visionem intuitivam possidendus; in quo supernaturalia dona à naturalibus differunt, quæ spectant Deum ut auctorem naturæ, hoc est quatenùs relucet in operibus suis, creaturis nimirùm, et per eas abstractivè duntaxat est cognoscendus; 3° mirâ quâdam et eximiâ unione (aut *reali et physicâ*, qualis *hypostatica* unio, aut *intentionali* proximâ et immediatâ, qualis est visio beatifica; aut *intentionali* mediatâ et minùs proximâ, quales sunt gratia sanctificans, virtutes theologicæ, etc.), hominem Angelumque cum ipso Deo, qualis in se est, spectato, ita intimè conjungit, ut ipsos in Deum veluti transformet, atque *Deiformes* efficiat. Hinc per gratiam, quæ donum supernaturale est, 2 Petri 1, dicimur fieri *divinæ consortes naturæ;* et ut loquitur S. Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. 1, *Deificati.*

His præsuppositis, jam facile est triplicem ultimæ sententiæ mox propositæ partem demonstrare. Et quidem prima pars, scilicet, naturam supra quam elevatur ens supernaturale, omnem substantiam tam creatam, quàm creabilem complecti, constat 1°, quia hæc est, ut observat d'Aguirre tom. 1, disput. 10, sect. 1, communis ac constans sententia omnium ferè theologorum tam veterum, quàm recentiorum. Constat 2° quia donum supernaturale creaturam cum Deo intimè conjungit, eamque in esse divino constituit, ut mox dicemus. Constat 3° quia ex dicendis quæsito quarto repugnat substantia supernaturalis; ens ergo supernaturale elevat supra omnem substantiam tam creatam quàm creabilem. Secunda pars, scilicet ens supernaturale ordinem, vires et exigentiam cujuslibet naturæ excedere, iisdem omninò momentis mox adductis evincitur. Tertia pars nimirùm donum supernaturale, eximiâ quâdam unione ita intimè creaturam cum Deo conjungere ut ipsam in ordine divino constituat, eamque in Deum veluti transformet, colligitur 1° ex jam dictis; 2° ex mox dicendis; 3° ex citato textu 2 Petri 1, ubi de supernaturali vocationis et gratiæ sanctificantis dono sic habetur: *Vocavit nos propriâ gloriâ et virtute, per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Hinc de lumine gloriæ loquens doctor Angelicus 1 p., q. 12, art. 5, ad 3, ait: *Per hoc lumen fit creatura Deiformis;* porrò quod de gratiâ et lumine gloriæ asseritur, idem quoque de aliis donis quoad entitatem supernaturalibus, pari ratione dicendum est. Quarta tandem pars, nempè, supernaturalitatem essentialiter consistere, tum in excellentiâ supra ordinem, vires et exigentiam cujuslibet naturæ creabilis, tum in prædictâ eximiâ unione et conjunctione cum ipso Deo, qualis in se est, spectato, probatur 1° ex Scripturis. De gratiâ quæ donum est supernaturale, dicitur 2 Petri 1: *Per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ;* et 2 Cor.: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Ergo, etc. Probatur 2° ex SS. Patribus, qui donorum supernaturalium ac præsertim gratiæ sanctificantis excellentiam ac dignitatem commendantes, perpetuò asserunt, eam in hoc præcipuè ac primariò consistere, quòd per hæc Deo intimè unimur ac Dei participes efficimur. Instar omnium satis sit hîc retulisse S. Leonem: *Agnosce*, inquit serm. 1 de Nativit. lect. 6, *ô christiane! dignitatem tuam et divinæ consors factus naturæ, noli in pristinam vilitatem degeneri conversatione redire.*

Prob. 3° speciatìm ex S. Thomâ, qui supernaturalitatem in quâdam divinitatis, ut in se est, participatione positam esse passìm docet, præsertìm verò 1-2, q. 112, art. 1, his verbis: « Donum gratiæ excedit omnem facultatem naturæ, cùm nihil aliud sit, quàm quædam participatio divinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam, et ideò impossibile est, quòd aliqua creatura gratiam causet. Sic enim necesse est quòd solus Deus deificet communicando consortium divinæ naturæ, per quamdam similitudinis participationem, sicut impossibile est quòd aliquid igniat, nisi solus ignis. » Et 3 part. quæst. 2, art. 10 ad 1: « Gratia, inquit, quæ est accidens, est quædam similitudo divinitatis participata in homine. » Ibidem quæst. 3, art. 4 ad 3: « Assumptio quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quamdam participationem divinæ naturæ secundùm assimilationem ad bonitatem illius; secundùm illud 2 Petri 1: *Divinæ consortes naturæ,* » etc. Idem sæpiùs repetit S. doctor.

Prob. 4° ex constanti omnium ferè theologorum doctrinâ, qui contra Major, Molinam, et paucos alios, statuunt, dari non posse substantiam supernaturalem. Porrò si ita sit, mani-

festè sequitur supernaturalitatem positam esse in elevatione supra ordinem, vires et exigentiam cujuslibet naturæ creabilis; adeòque donum supernaturale creaturam in ordine divino constituere. Ita expressè tradunt Cajetanus, Salmaticenses, Suarez, d'Aguirre, Bellarminus, Sylvius, Estius, etc., locis anteà citatis.

Prob. 3° nonnullis momentis theologicis. 1° Nulla alia occurrit circa præsentem controversiam probabilior opinio, uti constat ex cæteris modò confutatis hanc in rem sententiis. 2° Nullum agnoscitur ens *quoad entitatem* supernaturale, quod non superet naturam creatam et creabilem, quodque creaturam in ordine divino non constituat; sic gratia, gloria, aliaque accidentia, quæ theologi supernaturalia agnoscunt, ordinem cujuslibet creaturæ possibilis excedunt, eamque in ordine divino collocant; et vice versâ nullum admittitur ens naturale quod supra ordinem, vires et exigentiam naturæ creabilis positum sit; ergò supernaturalitas in prædictâ elevatione et ordinatione meritò reponitur. 3° Quemadmodùm post S. Thomam ratiocinatur Sylvius 1 p. q. 12, art. 5, ens supernaturale illud est quod ordinatur ad Deum ut in se est, et ut in se immediatè attingitur; Deus enim sic spectatus præcipuum est entium supernaturalium, est ens *essentialiter* supernaturale, à quo cætera omnia *participativè* supernaturalia sunt et dicuntur; atqui Deus ut in se est, et per visionem intuitivam possidendus, ordinem, exigentiam et vires tùm physicas, tùm etiam intentionales cujuslibet possibilis creaturæ longè superat; ut enim loco mox citato discurrit doctor Angelicus. « Ubi modus « essendi alicujus rei cognitæ excedit modum « naturæ cognoscentis, oportet quòd cognitio « (clara et intuitiva) illius rei sit supra naturam « illius cognoscentis; » porrò modus essendi Dei est supra conditionem et vires cujuscumque intellectûs creati; Dei ergò, ut in se est, clara et intuitiva visio, cujuslibet intellectûs creati vires excedat, necessum est.

Dices 1° : Vix concipi ac explicari potest quâ ratione Deus, ut in se est, sese creaturæ communicare et participandum præbere possit, atque ipsam ad ordinem divinum elevare; ergò entis supernaturalitas in illâ elevatione et communicatione reponi nequit. Resp. rem de quâ firmis argumentis constat, non idcircò in dubium revocandam esse, quia *modus rei* vix à nobis explicari potest : *Numquid negandum est quod est apertum*, inquit S. Aug. L. de dono perseverant, c. 14, *quia comprehendi non potest quod occultum est?* Porrò exemplo Incarnationis, visionis beatificæ, gratiæ sanctificantis manifestè patet, quoddam esse divinæ communicationis genus, quo Deus, ut in se est, sese communicat, atque naturam creatam in ordine divino constituit; ergò, etc. Quòd autem *modus*, quo fit ejusmodi communicatio et elevatio, vix à nobis concipiatur, communis est omnium mysteriorum difficultas.

Dices 2° : Res naturales aliquatenùs consortes sunt divinæ naturæ, et habent aliquam divinitatis participationem; ergò, etc. Resp. duplicem esse modum quo fieri possumus divinæ consortes naturæ : unum quidem, quo Deus aliter ac in se est, communicatur; alterum verò quo sicut in se est, sese communicat; aut qui per se disponit ad assequendam communicationem Dei, ut in se est; prior modus *naturalis* est, posterior *supernaturalis*, in eoque rationem supernaturalitatis positam esse contendimus.

Dices 3° : Quidquid in naturâ creatâ finito modo recipi potest, illud ad naturam rei creatæ propriè pertinere meritò dici potest; atqui aliqua Dei, ut in se est, communicatio, v. g., visio beatifica, finito modo in naturâ creatâ recipi potest; ergò aliqua Dei communicatio, ut in se est, ad naturam rei creatæ propriè pertinere potest; ac proinde in eâ communicatione immeritò reponitur entis supernaturalitas. Resp. duobus modis aliquid posse finito modo in naturâ creatâ recipi. 1° Tanquam aliquid naturæ proprium ac debitum. 2° Sicuti aliquid ipsi adveniens et indebitum, gratuitoque beneficio concessum. Equidem illud naturale dici potest, quod in naturâ creatâ finito modo recipitur priori sensu, non autem posteriori; porrò quælibet Dei, ut in se est, communicatio in naturâ creatâ recipitur non ut propria et debita, sed duntaxat tanquàm aliquid ipsi indebitum, gratuitoque beneficio concessum; nulla ergò Dei, ut in se est, communicatio, naturalis dici potest, et ad naturam rei creatæ propriè pertinere; nihil proindè obstat ex hâc parte, quin in prædictâ communicatione supernaturalitatis ratio constituatur. Etverò uti posteà dicemus quæsito 4, ex hypothesi quòd communicatio Dei, ut in se est, ad propriam rei alicujus conditionem et naturam pertineret, tum ista natura, in quâ hujusmodi communicatio reciperetur, ejusdem esset ordinis cum Deo, nec jam esset creata, sed divina.

Ex dictis huc usque colliges ex S. Thomâ aliisque post ipsum communiter theologis, su-

pernaturalitatem primariò et essentialiter consistere tum in excellentiâ supra ordinem, exigentiam et vires activas, tum physicas, tùm intentionales cujuslibet naturæ tàm creatæ quàm creabilis; id est, quod supernaturale dicitur, à nullâ naturâ creatâ produci, aut intuitivè cognosci potest; tùm in mirâ Dei, ut in se est, communicatione, id est, in eximiâ quâdam cum ipso Deo, qualis in se est, spectato, conjunctione et unione; *aut reali et physicâ,* qualis est, *hypostatica unio;* aut *intentionali* proximâ, qualis est visio beatifica; aut *intentionali* mediatâ et minùs proximâ, qualia sunt gratia sanctificans, virtutes theologicæ, aliaque hujusmodi dona, quæ ad assequendam ipsius Dei, sicut in se est, possessionem ex naturâ suâ ordinantur, ac per se disponunt.

An dentur entia quoad substantiam supernaturalia. Respondeo affirmativè. Namque existunt reipsâ unio hypostatica naturæ humanæ cum divinâ, visio beatifica, lumen gloriæ, gratia tum actualis, tum justificans, habitus et actus fidei, spei et charitatis, aliarumque virtutum moralium : porrò ista omnia sunt quoad substantiam supernaturalia; ergò existunt entia quoad substantiam, seu quoad entitatem, supernaturalia. Major fide certa est; minor verò tum ex sese constat, tum ex modò dictis de ideâ et notione entis supernaturalis.

Quotuplex sit supernaturale. Respondeo aliquid variis modis dici posse supernaturale. 1° Supernaturale aliud est propriè, simpliciter et absolutè; aliud verò impropriè, secundùm quid et relativè. Supernaturale propriè, simpliciter et absolutè, illud est quod cujuslibet naturæ creatæ et creabilis vires omnes et exigentiam excedit; ita visio beatifica, gratia justificans, cæteraque hujusmodi dona in vulgatissimâ theologorum sententiâ, quam mox paucis stabiliemus, quæ asserit repugnare substantiam supernaturalem. Supernaturale impropriè, secundùm quid et relativè, illud est, quod alicujus duntaxat, non totius naturæ vires et exigentiam superat : sic intuitivè videre substantiam spiritalem, est supra conditionem hominis mortalis, non Angeli aut animæ à corpore separatæ. Hujus divisionis frequens est apud recentiores mentio. 2° Supernaturale propriè simpliciter et absolutè rursùs duplicis est generis : aliud *quoad entitatem;* aliud *quoad modum* duntaxat.

Supernaturale *quoad entitatem*, donum est, ut anteà diximus, 1° totius naturæ ordinem, vires et exigentiam superans; 2° elevans et ordinans creaturam ad Deum ut auctorem gratiæ et gloriæ, id est, ad Deum ut in se spectatum et per visionem intuitivam possidendum; 3° creaturam in esse divino constituens, illam reddendo divinæ naturæ consortem.

Supernaturale *quoad modum* duntaxat, illud est, inquit Ripalda, L. 1 de ente supernat. disput. 1, sect. 3 et 4, quod secundùm entitatem continetur intra vires aut exigentiam naturæ; secundùm modum verò quo producitur, seu acquiritur, universam naturam excedit; seu pressiùs, supernaturale *quoad modum* tantùm, est donum naturale collatum modo supernaturali, hoc est excedente vires cujuscumque naturæ creatæ, ut resurrectio Lazari, restitutio visûs amissi, instantanea ac perfecta sanitatis admodùm debilitatæ recuperatio, etc. Hujus divisionis meminit S. Damascen. L. 3 de Fide, cap. 2.

Porrò, quemadmodùm annotat Ripalda loco mox citato, ad supernaturalitatem *quoad modum* non sufficit, ut modus quo res acquiritur aut producitur, sit supra vires unius aut alterius subjecti; sed requiritur insuper ut universæ naturæ creatæ vires et exigentiam superet. Scilicet, supernaturalia *quoad modum* eum supra naturam, ratione modi supernaturalis excessum postulant, quem exigunt ratione suæ entitatis et substantiæ, supernaturalia quoad entitatem, seu quoad substantiam; atqui supernaturalia quoad substantiam, seu quoad entitatem, exigunt substantiam, seu entitatem quæ superet vires et exigentiam totius naturæ; ergò, etc.

Juvat hìc observare, id omne quod est supernaturale *quoad entitatem,* simul esse supernaturale *quoad modum;* at non vice versâ; cujus quidem discriminis ratio hæc est, quòd res in se naturalis, modo supernaturali, id est, supra vires et exigentiam naturæ conferri possit; è contrà verò res in se, seu entitativè supernaturalis, utpotè omninò excedens vires et exigentiam cujuslibet naturæ creatæ ad superiorem ordinem, gratuito et indebito Dei beneficio non elevatæ, modo naturali conferri nullatenùs potest.

3° Supernaturale *quoad entitatem;* aliud dicitur supernaturale excellentiâ dignitatis, aliud supernaturale excellentiâ causalitatis, seu virtutis. Ita Cajetanus 1-2, q. 12, art. 6, et cum eo plures præsertìm è Thomistis. Supernaturale simpliciter excellentiâ dignitatis et perfectionis, illud est, inquit prædictus auctor loco citato, quod omnem substantiam tàm creatam quàm creabilem dignitate ac perfectione superat. Hoc sensu solus Deus supernaturalis est.

Eò spectat attributum Dei apud auctorem libri de divinis nominibus et alibi passim frequentissimum, quo Deus Deitasque *super-substantialis* appellatur. Supernaturale excellentiâ causalitatis, seu virtutis illud est, inquit ibid. Cajetanus, *quod est supra posse cujuslibet creaturæ.* Ita gratia, virtutes infusæ, lumen gloriæ et alia hujusmodi; quippè hæc, licet mera sint accidentia, ejus tamen, inquit, sunt excellentiæ « ut superent facultatem omnis naturæ « creatæ et creabilis, tam activè quàm passivè; « activè quidem, quia possunt in effectus quos « non potest natura aliqua (sic gratia justifi« cans hominem divinæ naturæ consortem red« dit); passivè verò, quia non possunt fieri aut « pullulare à quâcumque naturâ; » seu non possunt in causalitate aut virtute naturali contineri.

4° Supernaturale, aliud dicitur supernaturale *essentialiter;* aliud supernaturale *participativè.* Ita Salmaticenses, d'Aguirre et alii. Supernaturale *essentialiter* illud dicitur, quod primum est ac præcipuum inter entia supernaturalia, à quo cætera omnia supernaturalia sunt et dicuntur; sic Deus, quatenùs est objectum aut auctor gloriæ, solus est ac dicitur *essentialiter* supernaturalis. Supernaturale *participativè* dicitur illud omne quod ad Deum ut objectum vel auctorem gloriæ, ex naturâ suâ refertur; sic visio beatifica, gratia sanctificans, virtutes infusæ, etc.

5° Rursùs tribus modis, inquit Bellarminus lib. 1, de grat. et lib. arb. cap. 2, aliquid potest esse supernaturale; 1° simpliciter et absolutè; ut si ex genere suo et secundùm substantiam sit ordinis altioris, quales sunt actus virtutum infusarum, fidei, spei, charitatis, etc.; 2° non simpliciter et absolutè, sed ratione statûs; sic homo per peccatum debilitatus, multa non potest sine auxilio speciali efficere, quæ in statu innocentiæ et integritatis absque hujusmodi auxilio facilè effecisset. 3° ratione modi, temporis, personæ, aut cujusvis alterius circumstantiæ; sæpè enim accidit, ut id, quod neque ex genere suo, neque ratione statûs, vires naturæ superat, easdem tamen superet ratione alicujus circumstantiæ: v. g., poterit homo sanus per se molem aliquam loco dimovere; non poterit tamen sine alterius auxilio, si alteram manum duntaxat adhibeat, aut si loco parùm idoneo, vel moles ipsa, vel ipse fuerit constitutus. Verùm ultima hæc supernaturalis divisio ex parte coincidit cum iis quas 1 et 2 loco adduximus.

Denique alii addunt rursùs aliud esse supernaturale in genere activi, et in genere passivi. Supernaturale in genere activi, illud est, inquiunt, quod est supra vires agentis naturalis, etiam posito concursu ordinario et ipsi debito; tales sunt actus fidei, spei et charitatis. Supernaturale in genere passivi, est id quo naturalem creaturæ exigentiam superat; sic gratia ad actum supernaturalem eliciendum, est supra exigentiam naturæ nondùm elevatæ. Non arridet ultima hæc *supernaturalis* divisio: nam, ut anteà probavimus, quod agentis naturalis vires superat, non tamen continuò dicitur supernaturale, nisi ipsius itidem exigentiam superet.

De substantiâ creatâ supernaturali. — Observa 1°, nomine *substantiæ creatæ supernaturalis,* hìc intelligi, substantiam cui connaturalis esset intuitiva Dei visio; ac proindè aut ipsi connaturale esset et debitum lumen gloriæ; aut illa per se, et sine auxilio elevante Dei essentiam videre posset. Observa 2°, alio etiam sensu dici posse substantiam creatam supernaturalem, eam scilicet, cui connaturales essent actus supernaturales et meritorii vitæ æternæ; ac proindè aut cui connaturalis esset et debita gratia ad hosce actus exercendos necessaria; aut quæ sine gratiâ ex sese et per sola principia naturalia hâc in vitâ bonos actus virtutis meritorios vitæ æternæ exerceret. Observa 3°, certum esse ac constans apud omnes catholicos, nullam de facto dari substantiam creatam priori sensu supernaturalem; is enim fuit unus è præcipuis Beguardorum et Beguinarum error, *quòd quælibet intellectualis natura in seipsâ naturaliter est beata, quòdque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beatè fruendum;* qui quidem error disertè proscriptus fuit in concilio Viennensi Clementinâ *Ad nostrum,* de hæreticis. Observa 4°, Pelagianos nedùm possibilem, sed et actu existentem agnovisse substantiam posteriori sensu supernaturalem; siquidem contendebant hominem absque ullo supernaturali et indebito gratiæ auxilio per solas naturæ vires posse hâc in vitâ bonos et supernaturales actus virtutis vitæ æternæ meritorios elicere; is fuit Pelagianorum error à S. Augustino potissimùm impugnatus et variis in concilis damnatus. Observa 5°: Qui cum Baio et Jansenio asserunt, *integritatem primæ creationis non fuisse indebitam naturæ humanæ exaltationem, sed naturalem ejus conditionem,* illi, velint nolint, fateantur necessum est, eodem posteriori sensu dari substantiam creatam supernaturalem, ut vel ex solo terminorum intuitu patet; nullum

quippe majus debitum, debito naturæ; si ergò gratia naturæ integræ debita sit, profectò et ipsi connaturalis dicenda est. Observa 6°, has duas posteriores sententias æqualiter agnoscere actus vitæ æternæ meritorios substantiæ creatæ connaturales esse; in eo autem easdem inter se differre, quòd Pelagiani illos tribuant naturæ absque gratiâ; è contra verò Baii discipuli gratiam ad eosdem actus necessariam velint naturalem esse hominis conditionem; undè manifestè patet ipsos omnem funditùs evertere donorum gratiæ gratuitatem et supernaturalitatem. Visio siquidem intuitiva necessariò et essentialiter debetur gratiæ; hoc certum; gratia autem in eo systemate non est *indebita naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio*, ipsissima sunt Baii verba: porrò debita naturæ humanæ exaltatio, naturalis ejus conditio, abusivè prorsùs et illusoriè gratuita et supernaturalis diceretur. Verùm de his uberiùs in decursu tractatûs.

His præsuppositis, quæritur hìc an possibilis sit substantia cui connaturalis sit visio beatifica. Circa quam quæstionem duplex potissimùm est sententia. Prima omnium est ferè theologorum, tàm veterum, quàm recentiorum, qui duce S. Thomâ 1 p., q. 12, art. 5, negant ejusmodi substantiam possibilem. Ita Cajetanus, 1 p., q. 12, art. 5; Alvares de Auxiliis, disp. 79; Curiel, 1 - 2, q. 112, art. 1, dub. 1; Zumel, ibid. disp. 4; d'Aguirre, tom. 1, tract. 1, disput. 10; Antonius Perez in Laureâ Salmant. Suarez, Vasquez, Bellarmin. Sylvius, etc., quorum alii contrariam sententiam temerariam, alii periculosam, alii falsam et omninò rejiciendam pronuntiant.

Secunda sententia paucorum aliorum est, qui possibilem esse talem substantiam supernaturalem sentiunt. In eam ex antiquis inclinavit Major in quartum dist. 49. quæst. 4, ubi asserit, *non esse omninò certam repugnantiam substantiæ exigentis connaturaliter visionem beatificam*. E recentioribus verò Molina, 1 p., q. 12, art. 5, disput. 2, ibi opinionem hanc veluti dubiam proponit. *Primus omnium quos legerim*, inquit Card. d'Aguirre, loco mox indicato, *Ripalda, lib.* 1, *de ente supernaturali disp.* 24, *sect.* 4, *affirmativam partem, ut omninò probabilem amplexus est.*

His præmissis, ad questionem mox propositam respondeo nullatenùs possibilem esse substantiam creatam supernaturalem, seu substantiam, cui connaturalis sit visio beatifica, sive ipsi connaturale sit et debitum lumen gloriæ, sive illa per sola principia naturalia et sine auxilio elevante Dei essentiam intuitivè videre possit. Non est hujus loci quæstionem hanc fusiùs pertractare; è multis quibus ista sententia adstrui potest argumentis, pauca et quidem efficaciora seligemus. Itaque

Prob. 1° ex Scripturis. 1 Ad Timoth. 6, de Deo dicitur: *Qui lucem inhabitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, scilicet, naturæ viribus. Ast lux illa quam inhabitat Deus, naturæ viribus non esset inaccessibilis, nimirùm absolutè, ut sonant apostoli verba, si possibilis esset substantia creata supernaturalis; huic enim connaturale esset et debitum lumen gloriæ, connaturalis visio beatifica. Ergò, etc. Et verò suprema illa Dei inaccessibilitas oritur ex infinito ipsius excessu, qui certè locum habet, tàm in ordine ad omnes substantias intellectuales possibiles, quàm existentes; ergò, etc.; atque ita præoccupatum manet palmare adversariorum effugium, prædicta Apostoli verba interpretantium, non de quibuscumque substantiis creatis etiam possibilibus, sed de iis duntaxat quæ de facto existunt.

Prob. 2° ex SS. Patribus qui nostræ sententiæ apertè favent. Satis sit hìc instar omnium retulisse S. Aug. qui Epist. 147, aliàs 112, expendens mox exscripta Apostoli verba, sic loquitur: *Si quæris quomodò Deus dictus sit invisibilis, si videri potest? Respondeo invisibilem esse naturâ; videri autem cùm vult, sicut vult.* Quibus verbis, non obscurè innuit S. doctor, divinam majestatem transcendere naturalem quarumcumque substantiarum intellectualium notitiam, illamque longè supergredi, solùmque manifestari pro suæ voluntatis arbitrio et speciali auxilio; et lib. 12 de Civitate Dei, cap. 10: *Creatura*, inquit idem S. doctor, *non ex seipsâ potest esse beata, quia ex nihilo creata est; sed ex illo à quo creata est;* cùm ergò omnis creatura, non solùm existens, sed et possibilis, ex nihilo essentialiter creata sit, nulla proindè potest esse ex seipsâ beata; porrò, si dari potest creatura cui connaturale esset lumen gloriæ, cui connaturalis esset visio beatifica, dari quoque posset creatura quæ ex sese foret beata; siquidem in illâ intuitivâ et beatificâ visione, formalis creaturæ intellectualis beatitudo essentialiter consistit. Ergò, etc.

Prob. 3° ex constanti omnium fermè theologorum doctrinâ; circa quod vide Card. d'Aguirre, tom. 1, disput. 10, sect. 1, et ipsummet Ripalda, tom. 1 de ente supernaturali, disput. 23, sect. 1.

Probatur 4° momentis theologicis. Primum: Si dari posset substantia creata intellectualis quæ per se et sine auxilio elevante sibi indebito videret Deum, dari quoque posset substantia creata sancta per se et impeccabilis; siquidem sanctitas et impeccabilitas ex visione beatificâ necessariò consequuntur; atqui repugnat dari substantiam creatam sanctam per se et impeccabilem. « Bonum quod vitiari non po« test, inquit S. Aug. lib. de verâ religione « cap. 19, Deus est, cætera autem omnia bona « ex ipso sunt, quæ per seipsa possunt vitiari, « quia per seipsa nihil sunt. » Consentiunt alii SS. Patres. Etverò, quemadmodum docet S. Thomas, 1 p., q. 63, art. 1, « cuicumque « creaturæ hoc convenit ut peccare non pos« sit; hoc habet ex dono gratiæ, non ex con« ditione naturæ. Siquidem (inquit ibidem « S. doctor) divina voluntas sola est regula « sui actûs; quia non ordinatur ad superiorem « finem; omnis autem voluntas cujuslibet crea« turæ rectitudinem in suo actu non habet, « nisi secundùm quòd regulatur à voluntate « divinâ... igitur in solâ voluntate divinâ pec« catum esse non potest: in quâlibet autem « voluntate creatâ (quamdiù sibi ipsi relicta « est) potest esse peccatum secundùm ordi« nem suæ naturæ. « Ergò, etc.


Secundum: Fide certum est, uti anteà demonstravimus ex concilio Viennensi, nullam actu dari substantiam creatam intellectualem quæ Deum ex sese, et absque auxilio elevante intuitivè videre possit; porrò et quæ ratio probat creaturam intellectualem, quæ nunc datur, non posse per se et sine auxilio indebito et supernaturali Deum intuitivè videre, eadem probat et de omni naturâ creabili. Enimverò, sicuti ratiocinatur S. Thomas, 1 p., q. 12, art. 4, creatura intellectualis quæ nunc datur, non potest Deum intuitivè videre absque auxilio indebito et supernaturali, quoniam est in diverso genere immaterialitatis et proindè postulat per aliquod auxilium superius ad participationem quamdam ipsius esse divini, quod est in summâ immaterialitate elevari; atqui quælibet natura creabilis, quantùmcumque supponatur perfecta, foret in diverso genere immaterialitatis; neque enim foret suum esse subsistens, sicut est Deus; ergò, etc. Et certè uti ibidem discurrit Angelicus doctor, facultatem cognoscitivam inter et objectum connaturale debet esse proportio saltem habitudinis, ita quòd objectum non debeat esse superioris ordinis quoad immaterialitatem; atqui Deus, utpotè purissimus, illimitatus et infinitus, superioris est ordinis et generis quoad immaterialitatem; ergò, etc.

Tertium: Repugnat naturam creatam Deum esse; porrò substantia creata supernaturalis, cui connaturale esset et debitum lumen gloriæ, connaturalis visio beatifica, Deus foret. Namque substantia cui connaturalis est et debita virtus alteri propria, ejusdem est naturæ cum ipsâ; porrò lumen gloriæ, sicut et gratia, virtus est Deo propria; unde per eam efficimur *divinæ consortes naturæ*, 2 Petri 1; *filii Dei nominamur et sumus* 1 Joan. 3. Ergò lumen gloriæ, sicut et gratia, non potest esse alicui substantiæ connaturale et debitum, quin ejusdem naturæ sit cum ipso Deo, ac proindè quin habeat esse divinum. Hinc S. Thomas, loco mox laudato: « *Lumen gloriæ*, inquit, *non potest es« se naturale creaturæ, nisi creatura esset natu« ræ divinæ, quod est impossibile; per hoc enim « lumen fit creatura rationalis Dei formis.* »

Quartum: Repugnat creatura intellectualis quæ intrinsecè et connaturaliter exigat unionem realem, substantialem et hypostaticam cum personâ divinâ; ergò pariter repugnat creatura connaturaliter exigens unionem realem et intentionalem cum essentiâ divinâ. Porrò creatura supernaturalis cui debita esset et connaturalis Dei visio, ex sese exigeret unionem realem et intentionalem cum essentiâ divinâ sub ratione speciei intelligibilis, seu impressæ; visio enim beatifica, ut observat S. Thomas 1 p., q. 12, art. 5, non aliter oritur ab intellectu creato, quàm fœcundato ab ipsâ essentiâ divinâ realiter ipsi unitâ sub munere speciei impressæ; ergò, etc.

Quintum: Cognoscibilitas quidditativa sequitur entitatem, sicut et proprietas essentiam; ergò, quemadmodùm entitas, ita et cognoscibilitas divina longè transcendit ac supergreditur omnium creaturarum possibilium vires et exigentiam, ac proindè nulli creaturæ etiam possibili, connaturalis et debita esse potest intuitiva Dei visio; idque pertinet ad sublimitatem majestatis divinæ. Quamobrem adversarii, dùm videntur partes agere omnipotentiæ divinæ, asserendo Deum posse producere creaturam naturaliter capacem ipsum videndi, deprimunt sanè non minimùm summam ejus excellentiam ac majestatem, assignatâ creaturâ possibili, cui secundùm se spectatæ, suæ divinitatis fulgorem abscondere nequeat.

Probatur 5°, evertendo præcipua adversæ sententiæ fundamenta.



Opponunt 1° adversarii : Deus potest producere substantiam ex naturâ suâ æquè perfectam, ac perfectus est intellectus simul cum lumine gloriæ ; siquidem intellectus cum lumine gloriæ est quid merè finitum ; atqui intellectui lumine gloriæ fœcundato connaturalis est et debita intuitiva Dei visio ; ergò, etc. Respondeo, simili argumento probaretur possibilem esse creaturam quæ ex propriâ naturâ præsciat futura contingentia, oculta cordium, libera Dei decreta ; quæ etiam miracula propriè dicta connaturaliter operetur : quandoquidem conflatum ex intellectu et lumine, seu illustratione elevante, cui debetur notitia futurorum contingentium, occultorum cordis, secretorum Dei, finitum est, ut patet ; idem dicendum de creaturâ quæ ex speciali Dei motione et qualitate supernaturali transitoriâ operaretur miracula : attamen hæc omnia impossibilia esse, tùm ex sese, tùm ex unanimi theologorum consensu constat ; de quo videri possunt d'Aguirre tom. 1; theolog. S. Anselm. disp. 10, sect. 3 et 5, Valentia. 1, p. q. 8, puncto 3; Vasquez, disp. 208, cap. 1, etc. Itaque nego maj. et ad ejus probationem dico, etsi compositum ex intellectu creato et lumine gloriæ, sit quid merè finitum; attamen substantia creata quæ ex naturâ suâ huic composito æquivaleret, foret, ut anteà probavimus, ex se sancta, impeccabilis, imò Deus ; quod omninò repugnat.

Opponunt 2° : Dari potest substantia creata perfectior et perfectior in infinitum, ac proindè ejus perfectio eò usque ascendere potest, ut intellectûs lumine gloriæ imbuti perfectionem adæquet. Respondeo posse quidem in ordine naturæ produci substantiam creatam perfectiorem et perfectiorem in infinitum, non tamen eò usque ut intellectûs lumine gloriæ imbuti, perfectionem æquet ; talis enim substantia foret supernaturalis ; porrò ex dictis repugnat substantia creata supernaturalis, quoniam Deus esset.

Opponunt 3° : Substantia creata supernaturalis non repugnat, nec quatenùs substantia est, Deus enim substantia est supernaturalis ; nec quatenùs creata, dantur enim accidentia supernaturalia ; ergò nullâ ex parte implicat. Respondeo, substantiæ creatæ repugnare supernaturalitatem, nec quâ præcisè substantia, nec quâ precisè creata, sed quatenùs utrumque simul complectitur, scilicet quâ substantia creata et supernaturalis.

Opponunt 4° : Dari potest et reipsà datur accidens supernaturale, v. g., fides, spes, charitas ; quidni ergò et substantia supernaturalis ? Respondeo, nego conseq. ; argumentum istud si valeret, probaret non tantùm possibilem esse, sed etiam actu existere substantiam supernaturalem ; quemadmodùm actu dantur accidentia supernaturalia. Disparitatis ratio in eo est, ut indicat S. Thomas, 1-2, q. 110, art. 1 ad 2, quòd accidens supernaturale sit id, quo natura supra seipsam extollitur ; at licet naturalis substantia supra seipsam elevari possit, repugnat tamen, eam per se exigere, ut supra naturalem suam conditionem elevetur : « Quia gratia, inquit S. D. loco mox citato, « est supra naturam humanam, non potest esse quòd sit substantia, aut forma substantialis, sed est forma accidentalis ipsius animæ. »

Opponunt 5° : Cæteræ Dei perfectiones creaturis communicari possunt, v. g., quòd sit intelligens, volens, bonus, sanctus, etc ; ergò et ista, quòd Deus sit substantia supernaturalis. Respondeo 1°, aliquas esse Dei perfectiones quæ creaturis communicari non possunt ; v. g., independentia, omnimoda puritas, simplicitas perfecta, etc. Resp. 2°, duplicis generis esse perfectiones divinas : aliæ præscindunt ab esse divino, ut intelligentem esse ; aliæ non præscindunt, sed earum conceptus includit aut saltem connotat esse divinum, ut esse ens independens, purissimum, simplicissimum, etc. Priores perfectiones participari possunt, non verò posteriores : porrò esse substantiam supernaturalem, pertinet ad posterius genus. Resp. 3°, inter illas Dei perfectiones quæ creaturis communicari possunt, et ejus substantiam supernaturalem, istud discriminis esse, quòd perfectiones illæ, quantumlibet sint in creaturis, non tamen sunt ipsis propriæ, essentiales et connaturales, sed extrinsecæ et accidentales ; è contra verò, ratio substantiæ supernaturalis, si creaturæ competeret, ipsi foret intrinseca, propria et essentialis ; omnis enim substantia est ad se non est aliud.

An dona supernaturalia producantur per creationem. — Sunt qui arbitrantur gratiam justificantem, et quodlibet aliud donum supernaturale è subjecto non educi, sed per veram creationem produci. Ita Alensis parte 2, quæst. 9, n. 4 et 8 ; Scotus, in 4, dist. 1, art. 4, q. 5 ; Ferrariensis, 4 contrà gentes cap. 57; Ledesma, Vega, etc. ; at alii longè plures docent dona supernaturalia actione eductivâ, non creativâ produci. Ita S. Thomas, variis in locis, præsertìm verò 1-2, q. 110, art. 2 ad 3; Cajetanus ibidem, et parte 3, quæst. 62, arte 1; Curiel,



Zumei, Medina 1-2, q. 112, art. 1 et 2; Suarez lib. 2 de grat. cap. 2; Sylvius p. 1. q. 45, art. 4, etc. Juxta ultimam hanc sententiam.

Respondeo 1°, gratiam aliaque dona supernaturalia verè et propriè non creari. Ita S. Thomas, loco mox citato, et quæst. 3 de potent. art. 8 ad 3. « Gratia, *inquit*, cùm non « sit forma subsistens... propriè non creatur. » Et quæst. 27 de Verit. art. 3 ad 9 : « Creari pro- « priè est rei subsistentis... formæ autem non « subsistentes, sive substantiales, sive acciden- « tales, non propriè creantur. » — Prob. 1° Id quod creatur ita pendet à Deo, ut à nullo alio pendeat in quovis genere causæ; eò enim differt creatio à quolibet alio productionis modo; atqui gratia in aliquo genere causæ pendet ab alio quàm à Deo, nimirùm in genere causæ materialis, à subjecto, sine quo citra miraculum non potest existere; ergo gratia verè et propriè non creatur. Major certa est, minor verò constat; cùm enim gratia sit forma accidentalis, habet eumdem existendi modum, quem habent omnia accidentia; hic autem modus necessariam importat dependentiam à subjecto, sine quo ut non potest inesse, ita nec esse, si secludatur miraculum. Eo ratiocinio utitur Sylvius loco mox laudato. — 2° Gratia non annihilatur quando corrumpitur; ergò nec creatur quando producitur. Consequentia patet, quia contrariorum eadem est ratio. Antecedens autem docet S. Thomas, p. 1, q. 104, art. 4, ubi universaliter asserit, tam in operibus gratiæ quàm naturæ non intervenire annihilationem. Etverò, sicuti creatio est productio ex nihilo, tum suî, tum subjecti, hoc est, productio entis independenter à præsupposito subjecto; ita annihilatio est destructio entis nullo ipsius remanente subjecto; porrò, dùm in homine destruitur gratia, remanet anima quæ proprium est gratiæ subjectum; ergò, etc... Ita ratiocinatur Cajetanus parte 3, quæst. 62, art. 1. — 3° Productio actuum gratiæ, etiam visionis beatificæ, non est creatio; ergo neque productio habituum gratiæ, aliorumque donorum supernaturalium. Antecedens constat, quia actus illi efficiuntur à nobis cum auxilio gratiæ; at, uti fatentur omnes, anima, etiam cum gratiæ auxilio, nihil efficit per creationem. Consequentia verò probatur, quia actus illi, perinde ac habitus gratiæ, sunt supernaturales. Etsi autem gratia, aliique habitus supernaturales, in nobis verè et propriè non creentur; attamen moraliter et latiori quodam sensu dici possunt in nobis creari; quatenus nempe, uti observat S. Thomas, 1-2, q. 110, art. 2 ad 3, dona supernaturalia nobis infunduntur nullis præcedentibus meritis viribus naturæ elicitis, atque ita quodammodo fiunt ex nihilo moraliter, id est, ex nullo merito, ut interpretatur doctor Angelicus : *Secundùm hoc gratia dicitur creari*, inquit S. D. loco mox citato, *ex eo quòd homines secundùm ipsam creantur, id est, in novo esse constituuntur ex nihilo, id est non ex meritis.* Hinc illud Apostoli ad Ephes. 2 : *Creati in Christo Jesu in operibus bonis*, et cap. 4 : *Induite novum hominem qui secundùm Deum creatus est.* Hinc etiam illud Psalm. 50 : *Cor mundum crea in me, Deus.*

Respondeo 2°, gratiam (idem dicendum de aliis donis supernaturalibus) non educi è naturali potentiâ subjecti. Ratio est, quia forma intrinsecè supernaturalis è naturali virtute subjecti educi nequit; atqui gratia est forma intrinsecè supernaturalis; ergò, etc... De hâc assertione nemini dubium esse potest, inquit Sylvius loco antea laudato, cùm omnibus Orthodoxis constet, gratiam non esse quippiam nobis naturale, aut quod naturæ viribus acquiri possit, cujusmodi sunt ea quæ ex naturali potentiâ subjecti educuntur. Hinc S. Thomas, in 1, dist. 17, quæst. 2, art. 2, in corp. : « Dona gratuita, *inquit*, non educun- « tur quasi de potentiâ naturæ; quia nihil est « in potentiâ naturali quod per agens naturale « educi non possit, et ideò origo gratiæ est « per novam infusionem. » Idem repetit quæst. 3 de potent. art. 8 ad 15.

Respondeo 3°, gratiam educi de potentiâ animæ obedientiali. Ita auctores supra citati, quibus adde Bannes. 2-2, q. 24, art. 7, dub. 2; Salmaticenses; Joannem à S. Th. Gamachæum Puteanum ad præsentem quæst. et alios non paucos. Ratio est, quia ut aliqua forma dicatur educi de potentiâ subjecti, satis est quòd eâ ratione in ipsius potentiâ contineatur, ut neque fieri, neque conservari possit, nisi in subjecto in quo recipitur; atqui gratia eo modo se habet respectu substantiæ spiritualis, animæ v. g.; ergò meritò dicitur de potentiâ illius educi. Et verò, cùm inter creationem et eductionem nullum detur medium; aliundè verò ex dictis præcedenti responsione constet gratiam aliaque dona supernaturalia non educi è naturali animæ potentiâ, restat ut ex ipsius obedientiali potentiâ educi dicantur.

An potentia obedientialis passiva dicenda sit supernaturalis? — Respondeo hâc in parte dis-

sentire theologos. Alii existimant potentiam hanc passivam, formaliter et intrinsecè supernaturalem esse. Sententiam hanc refert ac refellit Ripalda lib. 1 de Ente supernat. disput. 8, sect. 1, et meritò quidem. Namque perfectio debita naturæ, non est formaliter et intrinsecè supernaturalis; dona enim supernaturalia, omne debitum, præsertim naturæ, excludunt; atqui potentia obedientialis passiva, naturæ debita est, siquidem fluit ex supremo et essentiali dominio Dei in creaturas; ergo, etc.

Alii cum Scoto in 4, dist. 10, quæst. 8, et dist. 49, quæst. 9, censent potentiam passivam ex quâ dona supernaturalia educuntur, omninò naturalem esse, non solùm prout naturale opponitur supernaturali, verùm etiam ut opponitur violento et ad utrumque indifferenti; undè facultatem recipiendi dona supernaturalia arbitrantur inesse naturæ cum positivâ inclinatione et innatâ propensione ad illa; atque ut istud probent utuntur S. Augustini testimonio lib. de Prædest. SS. cap. 5: « Posse « habere fidem, sicut posse habere charitatem, « naturæ est hominum; habere autem fidem, « quemadmodùm habere charitatem gratiæ est « fidelium. »

Refellitur ista sententia efficaci hocce ratiocinio: Innatus et positivus appetitus, innata ac positiva inclinatio et propensio non fertur nisi in bonum quod viribus naturæ cognoscere et assequi homo potest; aliàs, natura frustra indidisset hujusmodi appetitum; atqui nullus homo dona supernaturalia propriis naturæ viribus consequi, imò nec cognoscere potest. Primum fides docet; alterum verò, longè communior est Theologorum opinio, præeunte doctore Angelico, p. 1, q. 17, art. 5, et in 4, dist. 10, art. 4, quæst. 4, idque manifestè colligitur ex allatâ superiùs supernaturalitatis notione, juxta quam diximus supernaturale illud esse quod totius naturæ vires, tum physicas, tum intentionales, id est vim intelligendi excedit; ergo, etc. Locus autem S. Aug., lib. de Præd. SS., c. 5, perperàm adducitur ab adversariis; loquitur enim S. doctor de merâ hominis capacitate recipiendæ fidei et charitatis, in quo natura rationalis ab irrationali secernitur. Ita textum S. Aug. interpretantur S. Fulgentius, lib. de Incarnat., cap. 24: « Naturam habemus, inquit, credulitatis fidei « capacem, quod animalibus irrationalibus da- « tum divinitùs non est. » S. Prosper, aut qui auctor est librorum de vocat. gent. lib. 2, cap. 8, ubi de homine lapso loquens, ait: *reparabilem et sanabilem esse, de naturâ; reparatum autem et sanatum, de gratiâ.* Et S. Thomas, 1-2, q. 113, art. 10, ex objectis S. Augustini verbis probat quòd *naturaliter anima est gratiæ capax.*

Ast non loquitur S. Augustinus citato loco de potentiâ activâ aut passivâ merè naturali quæ positivam inclinationem et innatam propensionem ad dona supernaturalia importet; nihil enim antiquius SS. Patribus ac præsertim S. Augustino quàm dona hujusmodi supra omnem mentis creatæ sibi relictæ cognitionem, adeòque etiam supra omnem naturam ac positivam propensionem constituere. Ita docet S. doctor, lib. 15 de Trinit., cap. 16, et lib. de Symbolo ad Catechumenos.

Etverò loquendo de potentiâ activâ, etiam ab actu sejunctâ, posse credere, posse Deum sicut oportet diligere, ac generaliter posse benè in ordine supernaturali operari, non naturæ esse hominum, sed Dei gratiæ, passim manifestè tradit S. Augustinus, lib. 1 ad Bonifac., cap. 2: « Quid est quòd iste (Julianus) libero « arbitrio vult benè vivendi tribuere potesta- « tem, cùm hæc potestas non detur nisi gratiâ « Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. » Lib. de grat. Chr., cap. 25: « Non solùm Deus « posse nostrum donat atque adjuvat, sed « etiam velle et operari; » et infra: « Non quia « idonei sumus aliquid cogitare à nobis, quasi « ex nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex « Deo est. » Denique, ut cætera prætermittam, lib. de Corrept. et grat., cap. 11, loquens de gratiæ adjutorio Angelo et primo homini ante lapsum concesso, sic habet: « Si autem hoc « adjutorium vel Angelo, vel homini, cùm « primùm facti sunt defuisset, quoniam non « talis natura facta erat, ut sine adjutorio « posset manere si vellet, non utique suâ culpâ « cecidissent; adjutorium quippè defuisset, « sine quo manere non possent. » Audis S. Augustinum asserentem excusabiles fuisse, et absque suâ culpâ cecidisse Angelum et hominem, si, cùm primùm facti sunt, gratiæ auxilium ipsis defuisset; supponit ergo gratiam esse necessariam vel ipsi naturæ innocenti, tum ut agat, tum ut possit bonum supernaturale operari potentiâ etiam ab actu sejunctâ; excusatio enim ut sit legitima, cujuslibet veræ ad oppositum potentiæ exclusionem necessariò importat. Adde quòd juxta eumdem S. doctorem primus homo absque adjutorio *sine quo,* non potuisset bonum operari et in bono perseverare, eodem modo quo utrumque poterat præsente tali adjutorio; atqui homo primus beneficio adjutorii *sine quo,*

potuit bonum operari et in bono perseverare potentiâ duntaxat ab actu sejunctâ; ergo nequidem tali potentiâ, absque eo adjutorio potuit homo primus bonum operari et in bono permanere; porro, si homo innocens non potuit bonum supernaturale operari absque gratiâ, etiam potentiâ ab actu sejunctâ; quantò magis idem dicendum de homine lapso? Verùm de citato textu alibi erit disputandi occasio.

Alii tandem, quorum sententia longè est vulgatissima, docent 1°, potentiam passivam obedientialem realiter et entitativè non distingui à potentiâ naturali; aliàs, inquiunt, daretur processus in infinitum. Docent 2°, potentiam hanc obedientialem virtualiter et connotativè ab eâdem potentiâ naturali distingui; scilicet, eadem actualiter entitas prout respicit effectus naturales, dicitur potentia naturalis; quatenùs verò respicit effectus supernaturales, dicitur potentia obedientialis. Docent 3°, potentiam hanc passivam ex quâ dona supernaturalia educuntur, simpliciter et absolutè nec naturalem, nec supernaturalem dicendam esse, sed obedientialem. Ita doctor Angelicus locis antea citatis; Cajetanus, p. 1, q. 12, art. 1; Ferrariensis 3 contra gentes, cap. 102; Medina 1, 2, q. 3, art. 8; Bannes, Victoria, Cajetanus, Suarez, Ripalda et alii; huic sententiæ tanquàm multò probabiliori adhærendum censemus.

Etsi autem (quod observa) nonnulli cum Scoto dixerint potentiam obedientialem passivam omninò naturalem esse, nullus tamen ex orthodoxis theologis reperire est, qui idem pronuntiaverit de potentiâ obedientiali activâ. Quin vel ipsemet Scotus supra laudatus, disertè fatetur et probat, nullam esse activam potentiam naturalem ad eliciendos actus supernaturales, aut alia dona supernaturalia efficienda. Verùm de his alibi pleniùs, ubi de parte dogmaticâ hujusce tract. de gratiâ.

An omne donum gratuitum sit donum supernaturale, et vice versâ?—Antequàm respondeam, observa cum S. Thomâ antea laudato 1, 2, q. 111, art. 1 ad 3, duplex esse debitum, unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad personam, et dicitur debitum *personæ;* aliud verò est debitum naturale, sive secundùm conditionem naturæ, et dicitur debitum *naturæ;* gratuitum ergo quod opponitur debito, dici potest, vel quatenùs opponitur debito *personæ* duntaxat; vel quatenùs opponitur debito tantùm *naturæ;* vel prout utrique opponitur. Rursùs gratuitum dici potest, vel relativè et secundùm quid, id est, alicui determinatè naturæ; vel, simpliciter et absolutè, id est, cuilibet naturæ creatæ et creabili. His præmissis, respondeo 1°, donum ut gratuitum, quatenùs excludit debitum *personæ* duntaxat, non esse supernaturale; namque creatio hocce sensu gratuita est, neque tamen simpliciter et absolutè dici potest beneficium supernaturale. Respondeo 2°, donum ut gratuitum, quatenùs excludit debitum non omni, sed alicui duntaxat naturæ propriè et simpliciter dici non posse supernaturale. Ratio est quia concursus ad universam legem naturalem adimplendam necessarius, homini lapso indebitus est et gratuitus; atqui concursus ille non est propriè et simpliciter supernaturalis; siquidem homini in statu naturæ puræ constituto à Deo concessus fuisset; ergo, etc.

Respondeo 3°, donum ut gratuitum, quatenùs opponitur debito tum personæ, tum naturæ creatæ et creabilis, verè et propriè esse supernaturale; et vice versâ. Istud apertè sequitur ex adductâ supernaturalis notione; scilicet, supernaturale illud est, quod totius naturæ vires et exigentiam superat; porrò quod omne tum *personæ*, tum *naturæ* etiam creabilis debitum excludit, cujuslibet profectò naturæ vires et exigentiam superat; et vicissim quod totius naturæ etiam creabilis vires et exigentiam excedit, omne prorsùs tum personæ, tum naturæ debitum excludit: ergò, etc.

An et quodnam discriminis sit miraculosum inter et supernaturale? — Respondeo nonnihil discriminis esse: omne quidem miraculosum est supernaturale, at non vicissim. Scilicet ad veri proprièque dicti miraculi rationem tria requiruntur. Primum, ut ejus causa sit occulta, non solùm respectivè et in ordine ad aliquos sicut rustico occulta est causa eclipseos, non astronomo; sed etiam absolutè et respectu omnium, quatenùs nempe nulla causa in naturâ reperiri potest hujusce effectûs productrix. *Miraculum dicitur*, inquit S. Th. p. 1, q. 105, art. 7, *quod habet causam simpliciter et omninò occultam;* et lib. 3 contra gentes, cap. 101: *Illud simpliciter mirum est, quod habet causam simpliciter occultam, et hoc sonat nomen miraculi.* Secundum, ut fiat præter communem ordinem, seu solitum cursum naturæ, non unius vel alterius, sed totius. *Illa*, ait doctor Angelicus citato cap. 101, lib. 3, contra gentes, *simpliciter miracula dicenda sunt, quæ divinitùs fiunt præter ordinem communem servatum in rebus.* Duobus autem modis aliquid fieri potest præter communem rerum naturalium ordinem, 1° *positivè* cui natura quodammodò re-

sistit, sicut resistit penetrationi corporum; aut quod natum est quidem fieri per naturam, sit tamen contra modum, aut dispositiones quas natura postulat, ut gravissimi morbi repentina ac perfecta curatio. 2° *Negativè*, cui natura non resistit, et quod natum non est à naturâ produci, ut creatio et justificatio. Miraculum debet esse præter ordinem priori modo, ita scilicet ut in rebus aut in rerum ordine sit aliquid propter quod non debeat sic fieri; sive ut in rebus appareat aliqua dispositio, quæ juxta ordinem earum naturalem requirat aliter fieri. Hinc S. Th. quæst. 6 de potent. art. 2, in corp.: « Secundùm se aliquid est mirum, « cujus causa simpliciter est occulta, et quan- « do in re est contraria dispositio, secundùm « naturam, effectui qui apparet; et ista non « solùm possunt dici mira.... sed etiam mira- « cula, quasi habentia in se admirationis cau- « sam. » Et infra: « Illa quæ solâ virtute di- « vinâ fiunt in rebus illis in quibus est naturalis « ordo ad contrarium effectum vel ad contra- « rium modum faciendi, dicuntur propriè « miracula. » Hujus conditionis defectu creatio et justificatio, prout communiter fit, non sunt propriè loquendo veri nominis miracula.

Dixi, *prout communiter fit*, quia, ut advertit Sylvius, 1-2, q. 114, art. 1, conclus. 3, justificatio est aliquando verè et propriè miraculosa, quando scilicet Deus modo insolito, subitò scilicet et perfectè, quosdam convertit, præsertim si etiam exterius aliquid insolitum conjungatur. Tales fuêre conversiones S. Pauli Act. 9, S. Aug., Genesii et plurium aliorum. Atque hinc patet in ordine supernaturali perinde ac in ordine naturali dari veri nominis miracula, cùm nempe nonnulla præter aut contra consuetum gratiæ cursum contingunt. Ubi observa cum eodem Sylvio, 1 p., q. 105, art. 7, miraculum dici *insolitum*, non ex eo præcisè quòd frequenter non fiat, sed quia præ- [illegible] aut contra consuetum ac solitum gratiæ aut naturæ cursum contingit; undè licet quotidiè fiat transubstantiatio panis et vini in corpus et sanguinem Christi, non tamen desinit esse miraculum.

Tertium, quod ex præcedenti sequitur, vera miracula sunt supra omnem causarum naturalium virtutem, ac proinde solâ virtute divinâ fieri possunt. Hinc Scriptura uni Deo tribuit miracula; Psalm. 71: *Benedictus Deus Israel qui facit mirabilia solus;* et Psalm. 135: *Qui facit mirabilia magna solus.* Christus propterea suam divinitatem contra Judæos per miracula ostendens, ait Joann. 5: *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me;* et cap. 15: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, scilicet, infidelitatis. Idem testantur SS. PP. et præsertim S. Aug. lib. 22 de civit. Dei, cap. 3 et sequentibus, et S. Th. lib. 3 contra gentes, cap. 102. Et verò sicut solus Deus est totius naturæ et gratiæ, ordinisque naturalis et supernaturalis institutor; ita solus præter aut contra totius naturæ et gratiæ solitum cursum operari potest.

Ex tribus supra dictis ad veri nominis miraculum necessariò requisitis, primum et tertium sufficiunt ut aliquid dicatur supernaturale, nec requiritur secundum; scilicet necessum non est ut sit præter communem rerum ordinem *positivè*, ita ut natura ipsi resistat; undè impii justificatio, prout communiter fit, est supernaturalis, nec tamen miraculosa. Itaque omne miraculum est supernaturale; at non è contra, omne supernaturale dici potest miraculosum.

An, et quid sit discriminis supernaturale inter et præternaturale? — Antequàm respondeam, observa ex dictis quæsito præcedenti, variis modis aliquid dici posse præternaturale, 1° latissimè, quod nempe rarò fit, juxta tamen communes ac cognitas quibusdam saltem, naturæ leges; hoc sensu insoliti quidam cœlorum et astrorum motus qui rarissimè contingunt, et quorum causa solis peritioribus cognita est, improprio quodam sensu præternaturales dici possunt. 2° Latiori etiam et improprio sensu præternaturale dici potest, quod novum est, inauditum, inusitatum, omnibusque prorsùs incognitum, licet reipsà ex statutis naturæ legibus necessariò sequatur; hoc improprio sensu præternaturalis nomen usurpavit auctor recentior. Supponit ille Deum res universas, non speciali, sed generali duntaxat voluntate moderari, certasque ac generales leges statuisse, certam motûs quantitatem et determinationem, modificationes certas sic impressisse materiæ, ut ex earum concursu, cohærentiâ, collisione, uno verbo, mechanicâ dispositione certò sequantur effectus omnes, etiam illi qui magis speciales et stupendi apparent, uti visûs restitutio cæco nato, repentina ac perfecta ingravescentis morbi curatio, etc., qui quidem effectus non alio titulo præternaturales et miraculosi habendi sunt, inquit auctor ille, quàm quòd novi sint et inusitati, eorumque causa, licet naturalis, nobis tamen prorsùs incognita. Quantùm, systema illud in

religionem periculi invehat, quantùm vim et naturam miraculorum elevet ac imminuat, nemo est qui facilè non intelligat. 3° Rursùs impropriè et abusivè præternaturale dici potest, quod fit ab extrinseco virtute quâdam naturali, reluctante passo; sic projectio aut sustentatio lapidis sursùm, etc., hoc sensu præternaturale coincidit cum violento. 4° Iterùm præternaturale dicitur id omne quod virtute divinâ fit præter communem naturæ ordinem, statutas naturæ leges, sive *positivè*, sive *negativè*, id est, sive natura ei resistat ac reluctetur, sive non. 5° Tandem strictè et propriè dicitur præternaturale illud quod fit *positivè* præter communem naturæ ordinem, id est, contra modum, dispositiones aut exigentiam naturæ. His præmissis,

Respondeo 1°, præternaturale triplici priori sensu usurpatum omninò distare à supernaturali: res est per se clara et ab omnibus concessa. Etverò supernaturale illud est quod totius naturæ vires et exigentiam excedit; porrò præternaturale tribus antea assignatis sensibus, totius naturæ vires non superat; ergò, etc. Respondeo 2°, præternaturale ultimo sensu acceptum, pro eo scilicet quòd fit *positivè* præter communem naturæ ordinem, ex parte differre à supernaturali. Ratio est, quia juxta hanc acceptionem, omne præternaturale ipsissimum est miraculum, ac proindè est supernaturale; excedit enim totius naturæ vires; at non vicissim. Respondeo 3°, præternaturale sumptum quarto sensu, quatenùs nimirùm significat id quod fit præter solitum naturæ cursum, sive *negativè*, sive *positivè*, coincidere cum supernaturali; siquidem supernaturale generatim id omne dicitur quod totius naturæ vires et exigentiam excedit, sive *negativè*, sive *positivè*, id est, sive natura ei resistat, sive non; ergò, etc.

Ex dictis hucusque patet quid sit naturale, violentum, præternaturale, contranaturale, miraculosum, supernaturale. 1° Naturale illud est, quod est vel ipsa natura, vel pars naturæ, vel fluit ex principiis naturæ, ipsique quoquomodò debitum est, sive debitum illud ex merito *personæ*, sive ex debito *naturæ* proveniat; vel pressiùs, naturale illud dicitur, quod intra naturæ vires aut exigentiam continetur. Ita Bellarminus, Sylvius, Ripalda et alii. 2° Violentum illud dicitur, quod est à principio naturali extrinseco, nihil conferente, imò repugnante passo; seu quod est à principio extrinseco contra inclinationem agentis. Ita S. Thomas, 1-2, q. 6, art. 3. 3° Præternaturale strictè et propriè, illud est, quod fit præter naturæ ordinem *positivè*, id est, ita ut natura ei resistat; seu, præternaturale illud est quod fit præter ordinarium solitumque cursum naturæ, ita scilicet ut in rebus aut in rerum ordine sit aliquid quod requirat non sic fieri, aut etiam aliter fieri. Ita S. Thomas, quæst. 6 de potent. art. 2; Sylvius p. 1, q. 105, art. 7; Grandin. disp. 1 de Fide, quæst. 1, sect. 3, parag. 2, etc. 4° Contranaturale et miraculosum propriè et exactè loquendo coincidunt cum præternaturali. Ita iidem; quibus adde Salmaticenses, d'Aguirre, Ripalda, etc. 5° Supernaturale illud est quod omnem omninò virtutem et exigentiam causarum naturalium superat; sive natura quodammodò resistat, sicut resistit penetrationi corporum; sive non resistat, sicuti non resistit justificationi; sive rarò, sive sæpiùs contingat, quemadmodùm sacramentorum operatio, transubstantiatio panis in corpus Christi, virtutum infusarum actus, et alia hujusmodi opera supernaturalia. Ita S. Thomas locis antea citatis, Cajetanus, Ferrariens. Medina, Canus, Sylvius et alii.

ARTICULUS III.

De existentiâ gratiæ.

Existere gratiam certius est quàm ut in eo demonstrando diutiùs immorandum sit; id enim passim inculcant Scripturæ, tradunt SS. Patres, demonstrat ratio.

1° Gratiæ existentiam perpetuò commendant Scripturæ. Psalmo 83: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Joan. 1: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Actuum 7: *Stephanus plenus gratiâ et fortitudine.* Ad Rom. 1: *Per quem* (Christum) *accepimus gratiam.* 1 Petr. 5: *Humilibus autem dat gratiam.* Hinc S. Aug. enarrat. in Psalm. 70: *In omnibus*, inquit, *Scripturis sanctis, gratia Dei quæ liberat nos, commendat se nobis.*

2° Eamdem catholicam veritatem constanter docent SS. Patres, præsertim verò S. Augustinus libris maximè contra Pelagianos; undè lib. de corrept. et grat. cap. 1, doctrinam de existentiâ et necessitate gratiæ, *veram et propheticam, et apostolicam, et catholicam fidem*, appellat sanctus Doctor.

3° Idem evincitur momentis theologicis. 1° Oratio apertissimum est existentiæ gratiæ argumentum: *quid verò evidentiùs*, inquit S. Aug. lib. de grat. et liber. arbit. cap. 4, *quàm Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur?* et rursùs Epist. 177, aliàs 195: *oratio, claris-*

sima est gratiæ testificatio. 2° Gratiarum actio pariter ostendit gratiæ existentiam : *An et ista irrisoria petitio est*, inquit idem S. doctor. lib. dono persever. cap. 2, *cùm id ab eo petitur quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate ; sicut et irrisoria est etiam illa gratiarum actio , si ex hoc gratiæ aguntur Deo, quòd non donavit ipse, nec fecit?* 3° Tandem gratiæ existentia demonstratur ex discrimine quod intercedit dilectionem humanam inter et divinam ; scilicet, quemadmodùm observat S. Thomas 1-2, quæst. 110, art. 1, dilectio humana, utpote sterilis et inefficax, non causat ipsam creaturæ bonitatem, sed præsupponit eam, vel *in toto*, vel *in parte ;* at verò, dilectio divina, utpote actuosa et efficax, non præsupponit bonum in creaturâ sed illud causat ; porrò donum homini concessum, ex supernaturali Dei dilectione et benevolentiâ procedens, id ipsum est quod nomine gratiæ intelligitur ; ergò, etc.

ARTICULUS IV.

De divisione gratiæ.

Multiplex est gratiæ divisio ; varias hasce divisiones sigillatim referemus ; quæ sunt levioris momenti summatim proponemus, fusiùs dicturi de iis quæ sunt præcipuæ, et aliquâ disputatione celebrari solent apud Theologos.

Prima gratiæ divisio. — Dividitur 1° in gratiam increatam et creatam ; fundatur ista divisio in doctrinâ S. Th. 1-2, q 110, art. 1, part. 3 et q. 2, art. 10 ; pervulgata est apud veteres præsertim theologos. Ita Magister in 1, dist. 17, parte 3, Alensis quæst. 61, membro 1 ; Marsilius in 2, dist. 27, art. 1 ; Abulensis Matt. 19, quæst. 178. Eamdem divisionem usurpant Salmaticenses tractatu 14, disput. 1, cap. 1, paragr. 2 et 3 ; Salmeron tom. 1. super Epist. S Pauli lib. 1, procem. part. 2, disp. 7 ; Bellarm. lib. 1 de grat. et lib. Arb. cap. 2 ; Suarez de gratiâ prolegom. 3, cap. 1 ; Estius in 2, dist. 26, parag. 1 ; Sylvius 1-2. quæs. 110 ; art. 1, et alii.

Gratia increata hîc propriè loquendo, æternus est ac supernaturalis Dei erga homines amor, quo eos diligit in ordine ad vitam æternam. Sic Suarez loco mox citato : « Amor divinus, inquit, quo Deus nos diligit est gratia « Dei ; amor autem ille increatus est ; est « ergo gratia increata. » Et rursùs : « ipsa vo« luntas Dei, amor et prædestinatio rectissimè « dicitur gratia increata. » Sic etiam Sylvius 1-2, q, 110, art. 1, conclus. 2 : « Ita su« mitur gratia pro speciali et æternâ Dei erga « nos dilectione ac benevolentiâ... et hæc gratia « cùm re non differat ab ipso Deo, est increata. »

Gratia verò creata, ea omnia generatim sunt ordinis supernaturalis beneficia, quæ ex æterno Dei amore, ut effectus ex causâ procedunt. « Gratia creata (inquit Bellarmin. citato cap. « lib. 1. de Grat. et lib. Arbit.) dicuntur be« neficia vocationis et justificationis, quæ ex « æternâ gratiâ, ut effectur ex causâ deri« vantur. » Utrumque hujusce divisionis mem« brum paucis his verbis complexus est doc« tor Angelicus. parte 3, quæst. 2, art. 10, « Gratia dupliciter dicitur : uno modo ipsa vo« luntas Dei gratis aliquid dantis ; alio modo « ipsum gratuitum donum Dei. » Et 1-2. q. 110, art. 1 : « Gratia Dei (increata), inquit S. « doctor, dicitur ipsa æterna Dei dilectio, se« cundùm quòd dicitur etiam gratia prædesti« nationis.... alio modo significat quiddam su« pernaturale in homine à Deo proveniens. » Gratia priori sensu spectata, dicitur increata ; posteriori verò sumpta, pro dono scilicet creato, gratia creata appellatur.

Circa prædictam gratiæ divisionem, observa 1, cum Estio et Sylvio locis citatis gratiam increatam sensu antea exposito sumptam, pro actu scilicet divinæ voluntatis, quo homines diligit in ordine ad vitam æternam, *reipsà non esse aliquid à Deo, divinâque essentiâ diversum ;* quidquid enim est in Deo, utpote simplicissimo, reidentificatur cum ipso, divinâque essentiâ.

Observa 2, cum iisdem Estio et Sylvio, gratiam increatam eodem sensu intellectam, esse ac meritò dici æternam. Ratio est, inquiunt Salmaticenses, disput. 1 de Grat. cap. 1, parag. 3, « quia prædictus actus etiam cum termina« tione illâ ad creaturas, sub quâ denomina« tur electio, prædestinatio , convenit Deo ab « æterno... juxta illud Apost. ad Ephes. 1 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* »

Observa 3, non æternam duntaxat Dei dilectionem et benevolentiam dici gratiam increatam ; ipsa insuper, ut advertit Suarez citato cap. 3, prolegom. 3, de Gratiâ, tum Spiritûs sancti, tum Verbi divini persona, quin et tota Trinitas, verè est et propriè dicitur gratia increata. Primò persona Spiritûs sancti, siquidem ut ratiocinatur ibidem Suarez, Actorum 8, et Roman. 8 : « Spiritus sanctus appellatur per excellen« tiam donum Dei : omne autem donum gra« tuitum propriè appellatur gratia, ergo sicut « illud donum increatum est, ita etiam est gra« tia increata ; » hinc S. Aug. Serm. 61 de Verbis Domini, cap. 1 : « Gratia, inquit,

« Dei donum est, donum autem maximum ipse « Spiritus sanctus est, et ideò gratia dicitur. » Ipsa etiam Verbi divini persona gratis communicata humanæ naturæ, gratia fuit infinita et increata : « Omnes enim theologi (subdit « ibidem Suarez) ponunt gratiam unionis in« creatam in Christo. » Tandem tota Trinitas vera est gratia increata, quatenùs peculiari modo justis confertur, juxta illud Joan. 14 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et Rom. 8 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

Observa 4, gratiam increatam se habere comparatè ad gratiam creatam, quemadmodùm causa ad effectum ; ex æternâ siquidem Dei erga homines dilectione dimanant omnia ordinis supernaturalis beneficia hominibus à Deo concessa, quæ quidem ipsissima sunt gratiæ creatæ dona ; istud enim discriminis est, quemadmodùm notat doctor Angelicus 1-2, q. 110, art. 1, dilectionem divinam inter et humanam quòd divina non præsupponat bonum in creaturâ, sed illud causet ; humana verò non causet, sed illud præsupponat.

Observa 5, prædictam divisionem gratiæ in gratiam increatam et gratiam creatam, coincidere cum illâ quam proponunt Sylvius 1-2, quæst. 109, versùs initium, et Estius citato lib, 2 sentent. dist. 26 : « Notandum inprimis, « inquit ille, gratiam posse intelligi, vel ex « parte Dei, vel ex parte nostrâ ; » gratia ex parte Dei, seu ex parte principii, ipsissima est gratia increata ; gratia verò ex parte nostrâ, seu ex parte subjecti, ipsa est quæ ab aliis gratia creata appellatur

Secunda gratiæ divisio. — Dividitur gratia creata, de quâ hic potissimùm quæstio, in gratiam Dei et gratiam Christi. Divisionem hanc admittunt S. Thomas, Cajetanus, Ferrariensis, Salmaticenses, Estius, Sylvius, aliique vulgò theologi, qui cum S. Thomâ existimant quòd Adamo non peccante Christus non fuisset incarnatus.

Gratia Dei dicitur, non præcisè quia à solo Deo est, sic enim omnis gratia, gratia Dei dici deberet, utpote cùm Deus cujuscumque gratiæ sit auctor; sed ita appellatur, quòd ex purâ Dei liberalitate donetur, sine ullo prorsùs respectu ad Christum Dominum, et intuitu meritorum ejus. Talis fuit in prædictorum theologorum opinione, gratia quam contulit Deus Angelis et primo parenti in statu innocentiæ et justitiæ originalis.

Gratia verò Christi dicitur illa quæ hominibus à Deo gratis confertur intuitu Passionis ac meritorum Christi Domini ; qualis est gratia omnis quæ in præsenti naturæ lapsæ statu datur hominibus ut resurgant à peccato et salutem æternam consequantur.

Gratia Dei alio nomine vocatur gratia sanitatis, quia homini in statu innocentiæ et sanitatis concessa fuit ; gratia verò Christi dicitur medicinalis, quia per eam ab infirmitate peccati liberamur. De hoc utroque gratiæ adjutorio sic loquitur S. Augustinus lib. de Corrept. et Grat. cap. 11 : « Hæc prima est gratia quæ « data est primo Adam : sed hæc potentior est « in secundo Adam. Prima est enim quâ fit ut « habeat homo justitiam si velit ; secunda ergo « plus potest, quâ etiam fit ut velit, et tantùm « velit, tantoque ardore diligat, ut carnis vo« luntatem contraria concupiscentem volun« tate spiritûs vincat. » Cave tamen ne inde inferas, in præsenti statu naturæ lapsæ gratiam interiorem semper esse efficacem, nec ipsi usquàm resisti; de quo ex professo alibi.

Prædictam divisionem, ut mox observavi, agnoscunt ii qui cum S. Thomâ contendunt Adamo non peccante futuram non fuisse Verbi divini Incarnationem ; ast qui cum Scoto et Scotistis pro adversâ stant sententiâ, docent consequenter, omnem omninò gratiam, nonnisi propter prævisa Christi merita tam Angelis quàm hominibus fuisse collatam ; ac proinde gratiam creatam, non distribuunt in gratiam Dei et gratiam Christi ; sed eam dividunt in gratiam sanitatis seu Christi ut *Capitis*, et in gratiam medicinalem, seu Christi ut *Redemptoris*. Ita Poncius, Richardus de Mediavillâ, Suarez, Valentia, Frassen et alii. *Censerem rectiùs*, inquit Frassen disput. præviâ de gratiâ paragr. 2, *gratiam distribui in gratiam Christi ut Capitis, et ut Redemptoris.* Gratia Christi ut *Capitis*, pergit ibidem, ea est, quæ destinata et collata fuit tam Angelis, quàm hominibus ante peccatum, propter prævisam Incarnationem Christi venturi, etiamsi Adamus non peccâsset ; gratia verò Christi ut *Redemptoris*, illa est, quæ hominibus lapsis confertur beneficio Passionis et mortis Christi.

Tertia gratiæ divisio. — Dividitur gratia Christi, *in gratiam externam et internam.* Externa dicitur omne gratuitum Dei donum ad conversionem et salutem suo modo conducens, quod pluribus commune est, eosque extrinsecùs afficit ; talis est gratia legis et doctrinæ, seu prædicationis evangelicæ, etc.

Præter ejusmodi gratias externas, aliam adhuc, videlicet interiorem, esse admittendam, sæpissimè adversùs Pelagianos probat S. August. præsertim verò lib. de grat. Christi, cap. 10. Interna dicitur, omne donum gratis à Deo concessum, et conducens ad salutem æternam, quod proprium est cujuslibet hominis, seu creaturæ rationalis cui tribuitur, et interiùs eum allicit. Talis est gratia de quâ loquitur Apost. Roman. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Et 2 Cor. 3 : *Epistola estis Christi ministrata à nobis, et scripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*

Quarta gratiæ divisio. — Gratia interna divitur *in gratiam gratis datam, et gratum facientem.* Gratia gratis data definitur à S. Thomâ 1 2, q. 111, art. 1, *ea per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc quòd ad Deum reducatur;* seu, est donum gratis et absque debito homini divinitùs collatum, per se et primariò conducens ad salutem aliorum promovendam. Hæc definitio fundamentum habere videtur in istis Apost. verbis 1 Corinth. 12 : *Unicuique datur manifestatio spiritùs ad utilitatem,* videlicet aliorum.

Quamvis autem omnis gratia sit gratis data, alioquin non esset gratia, Rom. 1, v. 6, attamen gratiæ gratis datæ vocabulum ad prædictam duntaxat gratiæ speciem significandam meritò restringitur, duplici potissimùm de causâ. Primò quia Christus Dominus ejusmodi gratias Apostolis conferens signanter admonet, eas et gratis acceptas esse, et gratis concedendas, Matth. 10, v. 8 : *Infirmos curate, mortuos suscitate...... dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date.* Secundò, quia vulgò receptum est, nomen generis ignobiliori speciei accommodari; gratia porrò gratis data, ignobilior est gratiâ gratum faciente; hæc enim, quemadmodùm declarat S. Thomas, 1, 2, q. 111, art. 5, Deo immediatè conjungit, eique hominem gratum et acceptum reddit, non ita gratia gratis data; undè Christus Lucæ 10, v. 19, commonet Apostolos, ut de donis gratiæ gratis datæ non gaudeant, sed de donis gratiæ gratum facientis: *Verumtamen,* inquit, *in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur : gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

Gratia gratum faciens, ea est, juxta S. Thomam, art. 1 citatæ mox quæstionis, *per quam ipse homo Deo conjungitur;* seu, donum est supernaturale gratis à Deo concessum, ad propriam et spiritualem uniuscujusque salutem primariò et per se ordinatum; quo quidem dono quis Deo gratus et acceptus redditur, sive *dispositivè,* si sit gratia actualis, sive *formaliter,* si sit gratia habitualis sanctificans. Ejusmodi gratia designatur apud Apost. 2 Cor. 12, his verbis : *Sufficit tibi gratia mea.* Et ad Ephes. 1 : *In quâ gratificavit nos in dilecto filio suo.*

Circa præsentem divisionem tria quæri possunt, 1° an legitima sit; 2° an species gratiæ gratis datæ convenienter enumerentur ab Apostolo 1 Corinth. 12; 3° an gratia gratum faciens sit perfectior gratiâ gratis datâ.

Tria hæc totidem Conclusionibus resolvemus.

Conclusio prima. — Legitima est et adæquata divisio gratiæ, in gratiam gratis datam, et gratum facientem.

Probatur : Ea divisio legitima est et adæquata, cujus membra dividentia tres sequentes habent conditiones ad legitimam et adæquatam divisionem requisitas; 1° quòd communem generis rationem participent; 2° quòd à se invicem distinguantur; 3° quòd adæquatè genus divisum partiantur. Atqui prædicta divisio sic se habet. Primò, membra hujus divisionis communem generis divisi rationem participant; utraque enim gratia, Dei donum est creaturæ rationali gratis à Deo concessum, per se ac primariò ordinatum ad bonum supernaturale, æternam scilicet salutem, sibi vel aliis procurandam. Secundò, à se invicem distinguuntur. Namque gratia gratum faciens primariò ac per se ad propriam salutem recipientis ordinatur; gratia verò gratis data ad aliorum salutem præcipuè refertur. Tertiò denique duo illa membra generalem gratiæ rationem adæquatè partiuntur; quia omnis gratia propriè dicta per se primò ad propriam, vel ad aliorum salutem ordinatur; ergo, etc.

Dices 1° : Gratia gratis data ordinatur etiam ad salutem propriam, sicut gratia gratum faciens ad salutem aliorum; ergò membra illius divisionis non sunt opposita; nec proinde legitima est prædicta divisio. Resp. dist. ant. : Gratia gratis data ordinatur ad salutem propriam, sicut gratia gratum faciens ad salutem alienam, secundariò, concedo; primariò, nego. Reverà gratia gratis data, secundariò et per accidens, videlicet ex intentione operantis, ordinari potest ad bonum proprii subjecti; nihil enim obstat quominùs, v. g., ille qui habet donum scientiæ eo benè utatur ad propriam salutem, idque fieri posse testatur S. Gregorius homil. 17 in Ezechielem, et colligitur ex illo

Dan. 12 : *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Pariter gratia gratum faciens secundariò et per accidens ordinari potest ad spiritualem aliorum utilitatem, cùm nempe quis ejusmodi gratiâ instructus, ea pietatis et misericordiæ opera exercet quæ bono sint exemplo respectu aliorum, juxtà illud Matth. 5 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* At verò per se et ex naturâ suâ, quasi ex proprio fine, sive intentione operis, gratia gratis data non ordinatur ad propriam recipientis utilitatem, sicuti neque gratia gratum faciens per se ordinatur ad aliorum utilitatem; porrò, ut prædictæ divisionis membra sibi invicem opponantur, sufficit quòd gratia gratis data et gratum faciens habeant diversos fines primarios et sibi invicem oppositos.

Dices 2° : Potestas ministrandi sacramenta (idem dicendum de charactere sacerdotali, jurisdictione spirituali, etc.) est donum supernaturale, ac proindè gratia propriè sumpta; atqui potestas ministrandi sacramenta ad neutram prædictarum gratiæ specierum revocatur. Non ad gratiam gratum facientem, namque primariò confertur propter bonum eorum qui sacramenta suscipiunt; nec etiam ad gratiam gratis datam referri potest, quia hæc à solo Deo confertur immediatè; at potestas ministrandi sacramenta confertur quidem à Deo, non tamen immediatè, sed hominum ministerio; ergo præfata gratiæ divisio adæquata non est. — Respondeo cum Suarez de grat. prolegom. 3, cap. 5, Sylvio 1 2, q. III, art. 1 et 4, Grandin et aliis, potestatem ministrandi sacramenta, characterem sacerdotalem, jurisdictionem et alia hujusmodi meritò referri ad gratiam gratis datam; ad hoc enim sufficit quòd sint dona supernaturalia per se primò instituta ad salutem aliorum; neque refert, inquiunt auctores citati, quòd hujusmodi dona conferantur hominum ministerio, videlicet episcoporum; siquidem falsum est gratias omnes gratis datas à Deo duntaxat immediatè conferri, quamvis earum aliquæ, imò et illarum præcipuæ à solo Deo conferantur immediatè.

At, inquies, Apostolus, 1 Corinth. 12, distinguit gratias gratis datas ab opitulationibus seu ministrationibus, his verbis : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus; et divisiones ministrationum, idem autem Dominus.* Porrò potestas ministrandi sacramenta est ministratio; igitur non est gratia gratis data. Respondeo cum Suarez loco citato, distinguendo maj. : Apostolus distinguit gratias gratis datas à ministrationibus, secundùm nomen, in quantum nempe prædicta potestas dicitur modò gratia gratis data, quatenùs gratis datur in ordine ad æternam aliorum salutem; nunc opitulatio seu ministratio, quatenùs inservit alteri, concedo; secundùm rei veritatem, nego. Ita expressè docet S. Chrysostomus homil. 29. Idem indicat doctor Angelicus in commentariis Epist. 1 ad Corinth. cap. 12, lectione 1.

Conclusio secunda. — Conveniens est ac legitima gratiæ gratis datæ divisio, secundùm quam novem ipsius species enumerantur ab Apostolo 1 Corinth. 12. nempe fides, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, et interpretatio sermonum.

Probatur 1°, quia id evincere videtur auctoritas Apostoli prædictâ divisione utentis 1 Corinth. 12. Probatur 2°, quia ita expressè docet S. Thomas, 1, 2, q. 111, art. 4, cui hàc in parte plerique omnes suffragantur theologi. Probatur 3° ratiocinio ejusdem S. Thomæ loco mox citato. Gratiæ gratis datæ, inquit S. doctor, in eum finem à Deo conceduntur homini ut cooperetur aliorum saluti, non quidem interiùs movendo (hoc enim solius Dei est) sed exteriùs docendo vel persuadendo; porrò ad id tria requiruntur : Primum, ut homo habeat plenam rerum divinarum cognitionem, quantùm pati potest humana conditio, ut erudire et informare possit alios. Secundum, ut possit probare et confirmare ea quæ dicit; aliàs enim non esset efficax ejus doctrina. Tertium, ut ea quæ novit convenienter possit auditoribus proferre et exponere.

Ad primum, ut scilicet homo habeat plenam rerum divinarum notitiam, tria necessaria sunt, 1° ut principia cognitionis rerum divinarum certissimè teneat; id verò fit per *fidem*, quæ numeratur inter gratias gratis datas, non quatenùs est virtus quædam pertinens ad sanctificationem hominis in seipso; sed prout importat quamdam supereminentem certitudinem et convictionem fidei, ex quâ homo sit idoneus ad instruendum alios de rebus divinis; 2° ut conclusiones præcipuas quæ ex altissimis fidei principiis deducuntur, perfectè calleat; id verò fit per *sapientiam;* 3° ut abundet exemplis, et ope rerum humanarum aptè et expeditè divina valeat explicare; *invisibilia enim Dei per ea quæ*

facta sunt intellecta conspiciuntur; et quantùm ad hoc ponitur *scientia*, quæ est cognitio rerum humanarum. Porrò sapientia et scientia computantur inter dona Spiritûs sancti, in quantùm important quamdam abundantiam sapientiæ et scientiæ, ut homo non solùm in seipso possit rectè sapere de divinis, sed etiam alios instruere, et contradicentes arguere; secundùm aliam verò acceptionem enumerantur inter dona Spiritûs sancti, prout nempe mens hominis est planè mobilis per Spiritum sanctum, ad ea quæ sunt sapientiæ et scientiæ.

Ad secundum, nimirùm ad confirmationem eorum quæ proponit evangelicus doctor, utpote cùm illa sint supra rationem divinitùs revelata, requiritur ut interdùm ea operetur, quæ sunt divinæ virtuti propria, et hoc dupliciter : uno quidem modo, inquit S. Thomas loco mox laudato, ut doctor sacræ doctrinæ faciat quæ solus Deus efficere potest in operibus miraculosis, sive sint ad salutem corporum, et quantùm ad hoc ponitur *gratia sanitatum;* sive ordinentur ad solam divinæ potestatis manifestationem, sicut quòd sol stet, vel mare dividatur, et quantùm ad hoc ponitur *operatio virtutum;* secundò, ut possit manifestare ea quæ solius Dei est scire, hæc autem sunt, vel futura contingentia, pro quibus cognoscendis ponitur *prophetia,* vel occulta cordium, pro quibus ponitur *discretio spirituum.*

Ad tertium denique, nempè ut ea quæ percipiuntur convenienter possint proferri et auditoribus exponi, necessarium est 1° ut sacræ doctrinæ prædicator eo loquatur idiomate, quo possit intelligi, et secundùm hoc ponitur *gratia linguarum;* 2° ut ea quæ revelata sunt, eo sensu exponat quo dictata sunt à Spiritu sancto, atque debent intelligi, et quantùm ad hoc ponitur *interpretatio sermonum;* ergò prædicta gratiæ gratis datæ divisio ab Apostolo tradita, legitima est et conveniens.

Dices 1° : Gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum revocari possunt ad unam gratiam gratis datam, scilicet ad donum miraculorum ; ergo præfata divisio non est accurata. Respondeo : Dist. consequens : Non est accurata si expendatur ad rigorem logicæ, cujus legibus divisio fieri debet in immediata membra, concedo; si moraliter et sensu theologico, nego : ad hoc enim sufficit ut prædicta divisio complectatur omnia genera et species omnes gratiarum quæ dicuntur gratis datæ. Adde cum S. Thomâ citato art. 4 ad 3, gratiam sanitatum à generali operatione virtutum meritò distingui, quia speciali modo ad fidem christianam inducit, quatenùs nempe ad Christum promptiùs faciliùsque ille convertitur, qui beneficia Christi per salutem recuperatam experitur, quàm qui externa miracula, divinam quidem virtutem demonstrantia, sed sibi nihil proficua cernit; similiter etiam *prophetia,* et *discretio spirituum,* habent speciales quasdam rationes movendi ad fidem; et ideò, inquit S. doctor, rectè ponuntur speciales gratiæ gratis datæ.

Dices 2° : Multa alia sunt dona supernaturalia ad spiritualem aliorum utilitatem ex se primò ordinata, quæ non videntur comprehendi sub assignatis novem gratiæ gratis datæ speciebus : hujusmodi sunt character Ordinis, seu potestas ministrandi sacramenta, *opitulationes, gubernationes,* etc., de quibus loquitur Apostolus 1 ad Cor. 12; ergo adducta gratiæ gratis datæ divisio in novem species adæquata non est. Respondent Suarez, Vasquez, Bellarminus, Lorca et alii, citato cap. 12 Epist. 1 ad Corinth. non fuisse propositum Apostolo recensere omnes omninò gratias gratis datas, sed earum duntaxat præcipuas; undè ad finem ejusdem capitis, sicuti et ad Rom. 12, quasdam alias enumerat, nimirùm *Apostolos..... opitulationes, gubernationes,* etc. Respondent alii cum Ysamberto, Meratio, etc., quòd character Ordinis, seu potestas ministrandi sacramenta, jurisdictio, etc., quamvis et gratis et in aliorum utilitatem dentur, atque ita pertineant ad gratias gratis datas, non sunt tamen gratiæ gratis datæ eo modo quo de illis citato loco agit Apostolus. Sermo enim hìc est de gratiis quæ sic sunt in aliorum utilitatem, sicque donantur gratis, ut non sit in liberâ hominum facultate illas consequi, etiamsi velit, sed ex solâ Dei voluntate pendeant, et à Deo solùm immediatè conferantur; porrò potestatem ministrandi sacramenta multi possunt si velint accipere, atque hæc confertur quidem à Deo, non tamen immediatè, sed hominum ministerio.

Respondent denique plerique alii, quòd aliæ quæ afferri possunt gratiæ gratis datæ, reductivè pertinent ad aliquas ex dictis novem; sic, v. g., character seu potestas ministrandi sacramenta commodè revocari potest ad eam gratiæ gratis datæ speciem, quæ dicitur *operatio miraculorum;* similiter ad eamdem, vel etiam ad gratiam sapientiæ aut scientiæ reduci possunt *opitulationes* et *gubernationes,* etc. Ita Sylvius, Estius, Frassen, etc.; huic ultimæ

responsioni tanquàm probabiliori et doctrinæ sancti Thomæ conformiori adhærendum censemus. Itaque adducta Apostoli divisio legitima est, conveniens et adæquata.

Ex dictis facile est colligere quæ sit propria et accurata notio uniuscujusque et supra assignatis novem gratiæ gratis datæ speciebus.

Fides, prout est gratis data, describi potest, ***Certissimus et firmissimus assensus, seu eximia quædam ac supereminens mysteriorum fidei intelligentia et convictio, ex quâ homo fit idonæus ad ea aliis exponenda, necnon ad intrepidè et firmiter illa defendenda.*** Ita Sylvius post S. Thomam 1-2, q. 111, art. 4. Sermo sapientiæ est ***accurata rerum divinarum notitia, cum promptitudine easdem aliis proponendi, explicandi et defendendi, per divinas et æternas causas, et per propria fidei principia.*** Sermo verò scientiæ, dicitur ***eorumdem notitia cum promptitudine aliis eadem exponendi per effectus, exempla, et alia sensibilia;*** ita etiam S. Th. loco mox citato. Gratia sanitatum, ***virtus est supernaturalis sanandi corpora, per quam potest quis alteri fidem specialiter persuadere.*** Operatio virtutum est, ***quâ quis in fidei confirmationem miracula operari potest.*** Qualiter operatio virtutum distinguatur à gratiâ sanitatum, supra diximus. Prophetia, ex S. Th. 2-2, q 171, est, ***ea cognitio, quâ res occultæ, præsertim futuræ vel alioqui à cognitione nostrâ procul remotæ, ex divinâ revelatione cognoscuntur, ut aliis manifestari possint.*** Discretio spirituum est ea gratia, ***per quam quis intima cordis alterius ita perscrutatur, ut discernere valeat quo spiritu moveatur ad loquendum vel operandum.*** Per genera linguarum intelligitur ***donum, quo aliquis ex speciali Dei beneficio diversis linguis uti potest, ut intelligatur àb omnibus quibus fidem annuntiat.*** Per interpretationem verò sermonum, intelligitur ***donum quo quispiam potest obscura et difficilia, præsertim quæ in Scripturis revelata sunt interpretari.*** Ita horumce donorum notiones tradunt SS. Patres Greg. Nazianz. orat 44; Chrysost. homil. 29; Thomas 1-2, q. 111, et in Comment.; eodem pariter sensu eas explicant Salmaticenses, Suarez, Sylvius et alii plerique.

Conclusio tertia. — Gratia gratum faciens perfectior est atque dignior gratiâ gratis datâ Ita S. Thomas, art. 1-2, q. 111. art. 5. et cum eo omnes theologi.

Prob. 1°, quia postquàm Apostolus recensuit gratias gratis datas 1 Corinth. 12, ait v. 32: ***Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro,*** intelligens charitatem, quæ procul dubio pertinet ad gratiam gratum facientem Prob. 2° ex SS. Patribus, præsertim S. Aug. lib. 83. Quæstionum, quæst. 27, ubi idipsum expressè docet. Prob. 3°, quia gratia gratum faciens nos conjungit Deo, refertque ad finem ultimum per se et immediatè; gratia verò gratis data non item, cùm per se ordinetur duntaxat ad utilitatem proximi; ergo, etc.

Dices: Gratia quæ per se spectat bonum commune nobilior est eâ quæ ex se ordinatur ad bonum duntaxat particulare; atqui gratia gratis data per se ordinatur ad bonum commune, nempe ad bonum totius Ecclesiæ; gratia verò gratum faciens ex se tendit ad utilitatem duntaxat proprii subjecti; ergò, etc.

Respondeo distinguendo maj.: Cæteris paribus, concedo; secùs, nego; porrò cætera non sunt paria, gratia enim gratum faciens per se immediatè hominem conjungit Deo, gratia verò gratis data non item; ergò, etc. Adde gratiam gratum facientem referri ad bonum commune, eo ipso quo refertur ad Deum; Deus enim est fons et origo atque centrum totius bonitatis.

Quæres 1°, an gratiæ gratis datæ sejungi possint, vel à se invicem, vel à gratiâ gratum faciente. Respondeo affirmativè. 1° Certum est, hæc dona à se invicem separari posse, sicuti constat ex his Apost. verbis 1, ad Corinth. 12: ***Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ,*** etc. 2° Certum etiam est, gratiam gratum facientem posse esse sine gratiâ gratis datâ. Ratio est, quia gratiæ gratis datæ à Deo conferuntur hominibus ad salutem proximi promovendam; atqui ad hoc opus non deputantur omnes justi. 3° Rursùs certum est, vicissim gratiam gratis datam posse esse sine gratiâ gratum faciente, dicente Christo Domino Matth. 7: ***Multi dicent mihi in illâ die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus.... et in nomine tuo virtutes multas fecimus? et tunc confitebor illis, quia nunquàm novi vos.***

Quæres 2°, an et in quo dona Spiritûs sancti distinguantur à gratiis gratis datis.

Respondeo distingui in eo quòd donis homo perficiatur in ordine ad se, ad hoc nimirùm ut instinctum atque motionem Spiritûs sancti promptè sequatur; at gratiæ gratis datæ hominem perficiunt ad hoc ut aliorum saluti procurandæ idoneus fiat. Rationem hanc discriminis declarat S. Thomas, 1-2, q. 68, art. 1, et quæst. 111, art. 1 et 4.

Quæres 3°, an gratiæ gratis datæ sint habitus, an actus duntaxat, seu motiones transeuntes. Respondeo cum Bellarmino et Sylvio, ex no-

vem gratiis gratis datis, quæ enumerantur ab Apostolo, quinque videri habitus permanentes, *fidem*, videlicet, *sapientiam, scientiam, genera linguarum, interpretationem sermonum;* quatuor verò reliquas, *gratiam sanitatum, operationem virtutum, prophetiam, et discretionem spirituum*, plerumque esse motiones transeuntes per modum actûs. Hujus responsionis ratio est, inquiunt prædicti auctores, quia habitibus utimur, quando volumus; atqui quinque prioribus gratiis utebantur sancti pro libito et datâ occasione, ac occurrente utilitate publicâ; è contra verò posterioribus quatuor non semper poterant uti ad nutum, sed pro loco duntaxat et tempore, prout nempe movebantur specialiter à Spiritu sancto; ergo, etc.

Quinta gratiæ divisio. Gratia gratum faciens dividitur in habitualem, et actualem. Habitualis est ea quæ confertur per modum habitûs, seu qualitatis fixæ et permanentis, hominemque disponit ad vitam æternam. Hæc autem habitualis gratia triplex est, scilicet gratia sanctificans seu justificans, virtutes infusæ, et dona Spiritûs sancti. Gratia habitualis sanctificans, ea est quâ homo fit justus formaliter; ejusmodi gratia designatur his Christi verbis Joan. 14, v. 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Donum enim quo Deus manet in homine est aliquid permanens, fixum et stabile. Eamdem gratiam significat S. Aug. Epist. 187, aliàs 57, ad Dardanum, ubi docet in parvulis baptizatis, quantumvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum; et concil. Viennense, in Clement. de summâ Trinit. et fide catholicâ cap. unic., asserit ejusmodi gratiam parvulis conferri juxta probabiliorem tam veterum quàm recentiorum theologorum sententiam.

Hujus habitualis gratiæ sanctificantis duplicem effectum distinguit hìc S. Th. 1-2, q. 111, art. 2, unum formalem, alterum effectivum. Prior in eo est, ut hominem Deo gratum et acceptum reddat; posterior, ut eum inclinet ad opera bona; pro nativâ nimirùm omnium habituum conditione, qui semper inclinant ad actus sibi consentaneos. Ratione prioris effectûs, inquit S. doctor, gratia dicitur operans; ratione posterioris, gratia cooperans.

Virtutes infusæ sunt illæ quæ propriis naturæ viribus acquiri non possunt, sed à solo Deo animæ infunduntur; dividuntur in virtutes theologicas, et morales, de quibus alibi.

Dona Spiritûs sancti sunt habitus supernaturales quibus homo disponitur ut promptè moveatur à Spiritu sancto ad quasdam præstantissimas actiones eliciendas. Hujusmodi septem numerantur, videlicet, donum sapientiæ, intellectûs, scientiæ, consilii, pietatis, fortitudinis et timoris; quorum quatuor priora pertinent ad intellectum, tria verò posteriora ad voluntatem.

Gratia actualis ea est quæ per modum actûs, seu motionis Dei transeuntis conceditur; gratiam hanc exprimit Apost. ad Philip. 1, his verbis : *Vobis datum est non tantùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* De istâ præsertim gratiâ disputat S. Aug. contra Pelagianos, ejusque varios actus describit lib. de Grat. Christi. Hujusmodi gratiæ actualis auxilium necessarium est ad eas omnes exercendas operationes quæ aliquo modo naturæ vires excedunt.

Tribus autem modis, ut observat Bellarminus lib. 1 de Grat. et libero Arb. cap. 2, operatio aliqua vires naturæ excedere potest. 1° simpliciter et absolutè, ut si operatio ex genere suo et secundùm suam substantiam sit ordinis altioris, nempe supernaturalis, quales sunt actus virtutum theologicarum fidei, spei et charitatis. 2° Non simpliciter et absolutè, sed ratione infirmitatis et peccati; quemadmodùm enim ægrotus erigere se et sustentare non valet, nisi juvetur ab alio, cujus adjutorio non indigeret si sanus esset; sic etiam homo per peccatum debilitatus, plura non potest efficere sine speciali auxilio, quæ in statu innocentiæ, sine tali auxilio facilè effecisset. 3° Denique ratione vel modi, vel loci, vel temporis, vel personæ, aliarumve circumstantiarum; sæpè enim accidit ut id quod neque ex genere suo, neque ratione statûs vires naturæ excedit, easdem tamen superet ratione alicujus circumstantiæ : v. g., poterit homo sanus per se molem aliquam loco dimovere, non poterit tamen sine alterius auxilio, si manum alteram duntaxat adhibeat, aut si loco parùm idoneo, vel moles ipsa, vel ipse fuerit constitutus; ita etiam poterit homo justus aliquod ex Decalogi præceptis facilè adimplere, si nulla aliunde gravis urgeat dæmonis tentatio; ipsâ verò urgente, non poterit præceptum illud adimplere absque aliquo auxilio speciali.

Sexta gratiæ divisio. Gratia actualis distribuitur in gratiam intellectûs et gratiam voluntatis. Gratia intellectûs est interna mentis illustratio quâ intellectui verum supernaturale credendum, aut bonum supernaturale peragendum

proponitur. Hæc autem interior illustratio spectari potest, vel ex parte tantùm objecti quod intellectui clariùs proponitur, vel ex parte ipsius intellectûs, qui ad credendum divinâ adjuvante gratiâ determinatur; hincque enascitur nova gratiæ intellectûs divisio, in gratiam nimirùm intellectûs ex parte principii; et gratiam intellectûs ex parte objecti; prior potentiam ipsam intrinsecè afficit; altera verò nihil aliud est quàm objectum clariùs et nitidiùs propositum, seu clarior, perspicacior et magis evoluta objecti repræsentatio. Verùm parùm trita est et usitata, nisi apud Pelagianos, ista gratiæ intellectûs subdivisio.

Gratia voluntatis est indeliberata et immediata motio seu inclinatio quam Deus in voluntate operatur, ut eam ad bonum supernaturale excitet atque provocet.

Gratia autem quæ in præsenti statu conceditur, prædictam tùm intellectûs illustrationem, tum voluntatis motionem complectitur; unde à SS. Patribus vocatur Dei illuminatio, motio, inclinatio, auxilium, quo Deus intellectum veri cognitione illustrat, et voluntatem boni amore accendit; utrumque enim illud intellectûs et voluntatis auxilium jam planè esse necessarium ad supernaturales omnes veræ pietatis actus eliciendos, docent Scripturæ, et constanter tradunt concilia et SS. Patres, præsertim verò concil. Araus. II, cap. 9, ubi sic pronuntiat: *Quoties bona agimus, Deus in nobis et nobiscum, ut operemur, operatur.* Et S. Aug. lib. de grat. Christi cap. 12: *Hâc gratiâ,* inquit, *agitur, non solùm ut facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus; nec solùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus.*

Sunt qui gratiam voluntatis reponere videntur in actuali motione et affectione voluntatis, non quidem immediatè, sed mediatè duntaxat à Deo productâ. Scilicet contendunt ipsam essentialiter sitam esse in motibus illis indeliberatis qui ex supernaturali et indeliberatâ intellectûs illustratione necessariò oriuntur; nec voluntas, inquiunt, utpote potentia cœca, aliter moveri potest, quàm mediâ intellectûs illustratione. Verùm de eâ sententiâ, ut nobis videtur, parùm tutâ, fusiùs dicemus suo loco.

Gratia porrò voluntatis, prout indeliberatam, supernaturalem et immediatam intellectûs illustrationem et voluntatis motionem complectitur, rursùs distribuitur in operantem et cooperantem, prævenientem et subsequentem, excitantem et adjuvantem, sufficientem et efficacem, de quibus nunc agendum.

Septima gratiæ divisio. — Actualis gratia voluntatis dividitur in operantem et cooperantem. Celebris est ista gratiæ divisio, circa quam non leves, ut advertit Bellarminus lib. 1 de Grat. et lib. Arb. cap. 14, occurrunt difficultates; illas obiter distinctis quæsitis proponemus et resolvemus.

Quæres itaque 1°, an admittenda sit divisio gratiæ in operantem et cooperantem. Respondeo affirmativè. Probatur 1° ex Scripturis in quibus utriusque gratiæ mentio fit. Gratia operans commendatur Isaiæ 26, his verbis: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine;* et Philipp. 2: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere;* cooperans verò exprimitur Rom. 8: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* et 1, Corinth. 15: *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

Prob. 2° ex conciliis. Concilium Araus. II, cap. 9, jam laudato sic habet: *Quoties bona operamur, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur, operatur;* quibus verbis, *operatur in nobis,* denotatur gratia operans; istis verò, *operatur nobiscum,* significatur gratia cooperans; et Trident. sess. 6, cap. 6, ait *Deum suâ gratiâ nos prævenire et excitare, deinde nobiscum ut ad eum convertamur, operari;* prius ad gratiam operantem, posterius ad cooperantem pertinet.

Prob. 3° ex SS. Patrib., præsertim S. Aug. qui lib. de grat. et libero arbitrio cap. 19, præfatam divisionem conceptis verbis tradit: *Deus,* inquit, *ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et paulò post: *Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cùm autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine ullo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Quibus S. doctoris verbis, nihil certè ad rem nostram luculentius.

Prob. 4° ex constanti theologorum doctrinâ, qui præeunte doctore Angelico 1-2, q. 111, art. 2, prædictam divisionem communi consensu statuunt. Ita Alensis, Albert. S. Bonavent. Marsilius, S. Antoninus, Cajetanus, Soto, Vega, Stapleton, et alii quos vide apud Suarez lib. 3 de Auxiliis cap. 20. Idem constat ex utriusque operantis et cooperantis gratiæ notione mox assignandâ.

Quæres 2°, quid sit gratia operans, quid cooperans. Respondeo dissentire inter se theologos circa notionem gratiæ operantis et cooperantis; *tot sunt sententiæ hâc in parte,* inquit Alvarez de Auxiliis disput. 81, *quot capita;* præcipuas

duntaxat et in scholis magis vulgatas indicabimus.

Prima sententia quæ est Gregorii Ariminens. *quem,* inquit Vasquez 1-2, disput. 185, cap. 4, *sequuntur complures recentiores*, docet gratiam operantem apud S. Aug. eam dici, quæ primam bonam voluntatem deliberatam sola operatur in homine, qualis est conversio sive ab infidelitate ad fidem, sive ab aliis peccatis ad pœnitentiam.

In eâ autem sententiâ gratia operans dicitur ea quæ in nobis sola operatur primam bonam voluntatem deliberatam; non quasi homo in illam voluntatem non influat, aut eam physicè non eliciat; nullus namque vitalis actus in potentiâ vitali producitur absque physico potentiæ vitalis influxu; sed ita fieri dicitur; quia gratia Dei operatur nobis ad eam habendam nihil conferentibus petendo, desiderando, pulsando, etc., atque ideò nihil boni meriti respectu illius primæ et bonæ voluntatis afferendo.

Gratia verò cooperans ea est, quæ operatur aliquid in nobis, non sola, sed nobis simul cooperantibus, non quidem per simultaneum influxum in actum, sed prævié ad istius cooperantis gratiæ effectum petendo, quærendo, desiderando, etc., ita ut ad eliciendum actum, cooperentur gratia et voluntas; gratia quidem voluntatem ad eum actum movendo; voluntas verò petendo eum, desiderando, etc., vel, ut inquit S. Thomas 1-2, q. III, art. 2, ad eum semetipsam movendo. Uno verbo gratia dicitur operans, quæ nullum supponit prævium voluntatis influxum quo pulsaverimus, desideraverimus aut aliquid simile fecerimus ad actum obtinendum; cooperans verò quæ prævium hunc influxum supponit.

Sententiam hanc refert et amplectitur Bellarminus lib. 1 de Grat. et lib. Arb. cap. 14: « Dicendum, inquit, gratiam operantem illam « esse quæ efficit in homine primum actum « deliberatæ voluntatis, qualis est conversio... « gratiam verò cooperantem esse illam quæ « efficit consequentes actus voluntatis, quales « sunt... velle bona opera facere et alii similes, « quos continuò sequuntur actus externi; ita « ut gratia operans nihil aliud sit, nisi auxi« lium speciale efficax respectu primi actûs « voluntatis; gratia verò cooperans sit auxi« lium speciale respectu actuum subsequen« tium. » Ibidem exponit quo sensu S. Aug. dixerit, Deum, *ut velimus operari in nobis, sine nobis;* non quasi Deus sit sola causa fficiens primi deliberati actûs voluntatis physicè ac liberè non concurrat ad huncce actum; sed quia solus Deus est causa moralis primi illius actûs voluntatis, suadendo nimirùm, hortando, consulendo. Inde concludit Bellarminus, utrumque verum esse, Deum operari primum velle deliberatum sine nobis, et non operari sine nobis; operatur enim illud sine nobis, ut causa moralis; nobiscum verò ut causa efficiens illud idem operatur. « Si consideremus, « inquit, causam efficientem et physicam primi « illius actûs, ea non solùm est Deus per au« xilium speciale, sed etiam voluntas per libe« rum arbitrium, et hoc modo illud velle, est « Dei et nostrum, et nos cooperamur Deo, et « Deus illud non operatur sine nobis... At si « consideremus causam illius ejusdem actûs « moralem, id est, causam moventem suaden« do, hortando, consulendo, ea solus est « Deus; ... non enim ipsa se voluntas impellit « suadendo et hortando, ut velit quod non « vult; sed Deus per inspirationes suas intùs « animæ loquens, ei suadet et persuadet, ut « velit. » Hæc Bellarminus.

Hanc autem veram esse et germanam gratiæ operantis et cooperantis notionem, probant prædictæ sententiæ patroni, tum ex laudato jam S. Augustini textu lib. de Grat. et liber. Arb. cap. 17, ubi sic loquitur S. doctor: *Ut ergo velimus sine nobis operatur* (id est sine nobis antea petentibus, desiderantibus, etc.); *cùm autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur;* nobiscum nempè volentibus, desiderantibus et petentibus à Deo ut faciamus quidpiam, Deus ipse gratiâ cooperante facit ut illud idem faciamus. Idem colligunt ex eodem libro de Grat. et lib. Arb. cap. 5, ubi de Pauli vocatione loquens S. doctor sic habet: « Ut autem de cœlo vocaretur, et tam « magnâ et efficacissimâ vocatione converte« tur, gratia Dei erat sola, quia merita ejus « erant magna, sed mala. » Soli itaque gratiæ Pauli conversionem adscribit S. Augustinus, non quia Paulus non concurrerit liberè consentiendo, et per liberum arbitrium actum illum conversionis activè producendo; sed *quia merita ejus erant magna sed mala;* id est, quia non præcesserat ante conversionem ullum meritum, sive studium, aut conatus ad conversionem; seu quia ante conversionem nihil boni operatus erat, sive petendo, sive desiderando, sive aliquâ ratione merendo ut talis vocatio daretur.

Secunda sententia quæ vix distat à præce-

denti, asserit gratiam operantem eam esse quæ in nobis operatur intentionem finis ad quem à Deo solo mota est humana voluntas, et ad quem ipsa sese per præviam deliberationem nec applicat, nec movet; gratia verò dicitur cooperans, secundùm quòd nobiscum cooperatur rectam electionem mediorum ad quam ipsa voluntas sese per deliberationem intentionem finis supponentem sese pariter excitat et movet. Ita Cajetanus 1-2, q. III, art. 2; Dominic. Soto lib. 1 de Naturâ et Grat. cap. 16, Lemos in Panopliâ tom. 4, tract. 8, cap. 2, 3 et sequentibus, etc. *Sententiam hanc,* ait Alvares lib. 3 de Auxiliis disput. 31, *defendunt multi Thomistæ, et videtur expressa sententia S. Thomæ 1-2, q.* III, *art.* 2. Ut autem isthæc sententia pleniùs intelligatur, inquit ibidem Alvares, observandum 1°, cum S. Thomâ, art. 2, mox citato, « quòd operatio alicujus effectûs non « attribuitur mobili, sed moventi; in illo ergo « effectu in quo mens nostra est mota, et non « movens, solus autem Deus movens, operatio « Deo attribuitur : et secundùm hoc gratia di« citur operans; in illo autem effectu, in quo « mens nostra et movet et movetur, operatio « non solùm attribuitur Deo, sed etiam animæ, « et secundùm hoc dicitur gratia coope« rans. »

Observandum 2°, voluntatem posse seipsam movere dupliciter, 1° *moraliter,* cùm scilicet ex præviâ volitione finis sese applicat ad electionem mediorum. 2° *Physicè,* quando nimirùm liberè producit actum; etiamsi non deliberet propriè de illo. «Potest enim, inquit idem « Alvares loco citato, aliquis actus esse liber, « etiamsi non sit deliberatus, sicuti contingit « in intentione finis. Etenim, cùm quis... per « actum charitatis se convertit in Deum tan« quàm in ultimum finem; certum est quòd « talis actus est absolutè liber... non tamen « dicitur deliberatus, quia non præsupponit « aliquam deliberationem. Deliberatio enim « non est de fine ut finis est, sed de mediis ad « finem, atque adeò in illo non se movet vo« luntas moraliter, sed solùm physicè. »

Observandum 3°, voluntatem in omni operatione liberâ, sive sit circa finem, sive circa media, semper se movere physicè; id enim necessariò exigit ratio actûs liberi, quòd scilicet procedat à principio intrinseco sese movente saltem physicè; at necesse non est quòd in omni suâ operatione etiam liberâ se moveat moraliter, ut patet in intentione finis. Ratio est, inquiunt post S. Thomam, 1-2, q. 9, art. 3 et 4, et quæst. 14, art. 4, quia ut quis se moveat moraliter, necessum est quòd deliberet circa exercitium actûs; porrò deliberatio et consilium non est circa finem, sed solùm circa media; ergo, cùm quis intendit finem, ut finis est, non se movet moraliter.

Itaque, pergunt auctores hujusce sententiæ, gratia operans illa est quæ primum bonum et liberum voluntatis motum operatur, scilicet intentionem finis ad quem à Deo solo mota est humana voluntas, et ad quem ipsa sese *physicè* quidem, non verò *moraliter* movet et applicat, quia non ex aliquo priore alio motu et actu per deliberationem se ad illum excitat; gratia verò cooperans ea est quæ voluntatem movet ad operationes sequentes, primum bonum velle, et ad media eligenda, eosque actus eliciendos quibus ipsa finem jam volitum consequi possit. Dicitur autem cooperans, non quia actum simultaneè cum voluntate operatur; sed quia voluntatem ad id physicè movet, ad quod ipsa voluntas sese etiam per deliberationem intentionem finis supponentem moraliter applicat et movet; seu, est cooperans respectu determinationis voluntatis in mediorum electione quæ fit tum physicè à gratiâ cooperante, tum moraliter ab humanâ voluntate. Ita Thomistæ supra citati, et plerique alii quos vide apud Lemos, Alvares, Joan. à S. Th., etc.

Tertia sententia est Alvarez. Citatâ disput. 81, lib. 9, de Auxiliis, duplicem distinguit gratiam operantem; aliam operantem *moraliter*, aliam operantem *physicè*. Gratia operans moraliter, *ea est,* inquit Alvarez, *quæ alliciendo, invitando et suadendo facit ut faciamus, et operatur ut operemur;* hæc coincidit cum gratiâ excitante seu sufficiente; gratia verò operans physicè, pergit ibidem Alvarez, *ea est, quæ facit ut faciamus, et operatur ut operemur, non solùm suadendo, alliciendo, invitando, aut aliter etiam interiùs moraliter attrahendo; sed etiam verè, efficienter et efficaciter faciendo ipsum arbitrium operari;* hæc distinguitur à gratiâ excitante, et eadem est cum eâ quam vocant physicè promovente. Duplicem pariter agnoscit Alvarez gratiam cooperantem; alia est cooperans *moraliter,* et hæc eadem est, inquit, cum gratiâ excitante, ac proinde non differt à gratiâ operante moraliter; alia est cooperans *physicè,* et hæc distat tum à gratiâ operante et cooperante *moraliter,* uti ex dictis liquet; tum etiam à gratiâ *physicè* operante; *nam,* inquit ibidem Alvarez, *gratia operans physicè est, quâ Deus operatur ut operemur, prædeterminando*

voluntatem nostram ad consensum; cooperans autem gratia illa est, quâ Deus nobiscum piam operationem operatur.

Quarta sententia aliorum est discipulorum S. Thomæ, qui docent unam et eamdem entitativè gratiam dici operantem, quatenùs applicat intellectum ad pias cogitationes, et voluntatem ad sanctas affectiones; cooperantem verò quatenùs cum intellectu et voluntate applicatis producit vel piam cogitationem, vel sanctam affectionem. « In hâc sententiâ, » inquit Lemos in Panopl. lib. 4, part. 1, tract. 8, cap. 3, « in omni nostrâ liberâ operatione... semper « duplex gratia concurrit, et operans et coope- « rans... gratia operans semper movet, appli- « cat et prædeterminat voluntatem; cooperans « gratia simul cum voluntate præmotâ omne « nostrum efficit velle liberum. »

Quinta sententia est Suarez lib. 3 de Auxiliis cap. 16, 17, 20, 21, 22, et lib. 3 Opuscul. cap. 4 et 5; Vasquez in primam secundæ disput. 155, cap. præsertim 6, 7 et 8; Mæratii de Grat. disput. 4, sect. 1 et 2; Molinæ, Valent. Lessii, etc. Horum autem doctrina circa præsentem materiam his præsertim capitibus continetur.

Docent 1°, gratiam operantem, quemlibet esse motum tam intellectûs quàm voluntatis in nobis à Deo sine nobis liberè consentientibus productum, quo nos excitat sive ad veri cognitionem, sive ad boni prosecutionem.

Docent 2°, eumdem indeliberatum intellectûs et voluntatis motum, quatenùs causa est moralis liberi consensûs, seu quatenùs reverà in ipsum moraliter influit suadendo, movendo, etc., verè esse ac propriè dici gratiam *moraliter* cooperantem.

Porrò (quod observa) Suarez, Vasquez, Mæratius locis citatis, non alium agnoscunt influxum gratiæ operantis in consensum nostrum liberum, quàm moralem; physicum autem rejiciunt, eâ potissimùm de causâ, quia gratia operans est actus partim intellectûs, partim voluntatis, consensus verò noster liber est semper actus voluntatis, actus autem intellectûs nullam habet efficientem vim physicam in voluntatis actum, et unus actus voluntatis in alium. Molina è contra in Concord., Lessius disput. de Grat. efficaci, cap. 1, Bellarm. lib. 1 de Grat. et lib. Arbit. cap. 13, censent gratiam operantem non solùm moraliter, sed etiam physicè cooperari, ita ut realem et physicum influxum in consensum et opus bonum habeat, tanquàm partialis causa, unà cum libero arbitrio; nempe ex libero arbitrio et auxilio præveniente constituitur una integra causa boni operis, cujus principalis pars sit auxilium præveniens, gratia scilicet operans, à quâ opus habet esse supernaturale; minùs principalis liberum arbitrium, à quo actus habet quòd sit actus liber et vitalis.

Docent 3°, præter gratiam operantem et cooperantem *moraliter*, ut homo bonum supernaturale operetur necessarium esse simultaneum in ordine supernaturali concursum; hic autem simultaneus concursus, gratia *physicè* cooperans seu concomitans communiter appellatur ab his qui cum Suarez existimant gratiam operantem non *physicè, sed moraliter* duntaxat in opus influere. Quin et Suarez lib. 3 de Auxil. cap. 19, asserit, « Spiritum « sanctum immediatè adjuvare voluntatem ut « principale principium, proximè et physicè « faciens supernaturalem actum, quando sine « habitu elicitur; » hunceque physicum influxum quasi medium inter gratiam cooperantem *moraliter* et concursum simultaneum, vocat etiam gratiam physicè cooperantem. Sicque juxta Suarez triplex est gratia concomitans: una *moraliter*, duplex *physicè*; nempe concursus simultaneus et physicus, ac specialis ille Spiritûs sancti influxus, de quo mox.

Docent 4°, gratiam operantem unam et eamdem esse naturâ et entitate gratiam cum *moraliter* cooperante, et à se invicem distingui penès duntaxat diversos respectus. « Obser- « vandum (inquit Vasquez, 1-2, disp. 185, « cap. 9), eamdem vocationem et cogitationem « sanctam, et primum voluntatis motum subi- « tum dici gratiam operantem et prævenientem, « et cooperantem et comitantem; eamdem, « inquam, diverso modo consideratam. Nam « quatenùs consensum nostrum antecedit, est « operans et præveniens; quatenùs verò per- « manens in nobis efficit nobiscum consensum, « est cooperans et comitans. Nam ita consen- « sus noster à Deo, et à nobis, ut Deus non « solùm immediatè physicè ad illum concurrat, « sed etiam mediâ cogitatione illum in nobis « efficere dicatur, eo modo quo intellectus « voluntatem movet et allicit. » Idem repetit Mæratius loco mox citato, his verbis: « Ea- « dem entitas gratiæ dici potest nunc operans, « nunc cooperans diversâ consideratione: ope- « rans quidem, quatenùs est gratia quam Deus « in nobis sine nobis operatur, vim habens in « actu primo efficiendi consensum liberum « nostræ voluntatis, sive cum efficiat in actu

« secundo, sive non; cooperans verò, quatenùs reipsà moraliter in eum influendo ipsum « simul nostrâ cum voluntate causat et efficit. »

Etsi autem omnes mox citati auctores contendant, quoad naturam et entitatem eamdem omninò esse gratiam operantem et cooperantem *moraliter;* attamen Suarez, Vasquez, aliique qui eorum doctrinæ adhærent, volunt gratiam cooperantem, esse ac meritò dici majorem in ratione doni et beneficii, eò quòd hæc, non altera, opportunis in circumstantiis conferatur. Eo ferè modo quo, inquiunt, gladius datus alicui tempore pacis et tempore belli, realiter idem gladius est; tamen in genere doni ac beneficii, majus donum ac beneficium recipit ille cui datur gladius tempore belli, quando illo uti potest in sui defensionem, quàm donaretur tempore pacis quo illi gladius ampliùs necessarius non esset. Undè Vasquez post verba mox relata, subdit: « Ob « id tamen non affirmamus gratiam cooperan- « tem esse eamdem omninò gratiam cum ope- « rante, sed dicimus esse novam et diversam « à gratiâ operante et præveniente in genere « gratiæ, doni et beneficii, et habere aliquid « novum in genere rei, nempè effectum. »

Docent 3°, gratiam cooperantem *physicè*, seu concomitantem, sumptam pro concursu seu influxu simultaneo, realiter et entitativè distingui à gratiâ tum operante, tum cooperante *moraliter;* etverò, inquit Mæratius, cùm adest concursus simultaneus, tunc sæpè desiit motus ille primus indeliberatusin quo posita est natura gratiæ operantis et cooperantis *moraliter.*

Ultima tandem sententia est Norisii, De Laurea, D'Aguirre, Macedo, Steyaërt, Vuigers, Gamachæi, Ysambert, Du Vallii, De Lectocq, Grandin et aliorum benè multorum, quorum plerique gratiam ex sese et naturâ suâ efficacem admittunt. Asserunt 1°, gratiam tum operantem, tum cooperantem tribus aliis nominibus insigniri solere; gratia operans, ob diversa quibus fungitur munia, dicitur præveniens, excitans et sufficiens; cooperans verò appellatur subsequens, adjuvans et efficax.

Asserunt 2°, gratiam operantem, ex S. Aug. lib. de Grat. et libero Arb. cap. 17, eam esse, *per quam ut velimus Deus operatur incipiens;* seu, est motus indeliberatus tum intellectûs, tum voluntatis, quem Deus in nobis sine nobis efficit, ut scilicet et benè velimus et benè agamus.

Iste autem motus dicitur *in nobis sine nobis fieri;* non quòd intellectus et voluntas in hunc motum nullatenùs influant; namque, ut antea observatum fuit, nullus motus vitalis in potentiâ vitali producitur sine physico illius potentiæ influxu; sed is motus dicitur fieri in nobis sine nobis, quia moraliter ac liberè ad eum non concurrimus; quo sensu Rom. 7, malum concupiscentiæ quod invitus ac nolens patiebatur Apostolus, dixit non se, sed quod habitabat in illo peccatum, operatum fuisse.

Itaque omnes illi motus supernaturales, sive sint illustrationes in intellectu, sive piæ motiones in voluntate, quas Deus in nobis sine nobis liberè concurrentibus efficit, ad gratiam operantem pertinent; gratia ergo operans restringenda non est ad eam duntaxat actualem gratiam quæ primam bonam voluntatem operatur, sed potiùs generatim est extendenda ad omnem, quæ qualemcumque bonam voluntatem in homine operatur, sive prima sit, sive non, sive deliberata, sive indeliberata, sive debilis et infirma, sive fortis et validà. Hanc esse S. Aug. mentem, probant 1°, quia allata mox S. doctoris definitio convenit etiam istis motibus quibus Deus hominem justum ad opera pietatis invitat; isti enim motus fiunt in nobis, etiam dùm justi sumus, sine nobis concurrentibus. 2° Quia eodem cap. S. Aug. ait universim nos sine Deo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valere; igitur in mente S. Aug. nullum omninò pietatis opus ab homine etiam justo fieri potest, nisi Deus operetur ut velit, et volenti cooperetur. 3° Quia idem S. doctor lib. de Corrept. et Grat. cap. 11, ait: *esse in nobis per hanc Dei gratiam* (operantem scilicet) *in bono recipiendo et perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus, sed etiam velle quod possumus.*

Asserunt 3°, gratiam cooperantem, eam esse in mente S. Aug. *per quam Deus volentibus cooperatur perficiens;* sive per quam Deus cùm volumus et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. Unde sequitur, gratiam cooperantem esse concursum seu influxum Dei supernaturalem, quo ad omnes actus supernaturales et liberos concurrit, sive illi sint à voluntate vel imperante, vel exequente; sive sint ab aliis potentiis ex imperio voluntatis super naturaliter agentibus; sive adhuc sit infirma voluntas, sive fortis et valida.

Hanc esse legitimam gratiæ cooperantis notionem prob. 1°, quia S. doctor citato cap. 17, lib. de Grat. et lib. Arb. gratiam cooperantem generatim definit, *per quam cùm volumus et sic volumus ut faciamus, nobiscum Deus cooperatur;*

ergo gratia cooperans non debet ad eam duntaxat gratiam restringi per quam fortiter volumus. 2° S. Aug. parvam illam et imperfectam voluntatem quam habebat S. Petrus dùm aiebat Joann. 13 : *Animam meam pro te ponam*, gratiæ non solùm operanti, sed etiam cooperanti adscribit : sic enim loquitur citato cap. : « Ipsam « charitatem Apostolus Petrus nondùm habuit « quando Dominum timore ter negavit.... et « tamen quamvis parva et imperfecta, non « deerat, quando dicebat Domino : Animam « meam pro te ponam.... Et quis istam etsi « parvam dare cœperat charitatem, nisi ille « qui præparat voluntatem, et cooperando « perficit, quod operando incipit? quoniam « ipse ut velimus operatur incipiens, qui vo- « lentibus cooperatur perficiens. » Ibidem paulò post subdit S. doctor : « Sine illo vel « operante ut velimus, vel cooperante cùm « volumus, ad bona pietatis opera nihil vale- « mus : » atqui bona voluntas, seu infirma sit seu valida, opus est pietatis; ergo ad utramque voluntatem sese extendit gratia cooperans. 3° Eamdem doctrinam exprimit concil. Araus. II, can. 9, his verbis : *Quoties bona operamur, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur*; quibus verbis, *operatur nobiscum*, denotatur gratia cooperans; hæc itaque sese extendit ad omnem deliberatam voluntatem, qualiscumque tandem illa sit. 4° Eidem doctrinæ favet S. Th. 1, 2, q. 111, art. 2, cujus verba supra adduximus. 5° Tandem concursus ille quo Deus ad voluntatem etiam parvam et infirmam, liberam tamen, concurrit, non potest ad gratiam operantem revocari. Namque gratia operans fit in nobis sine nobis liberè concurrentibus, sicuti constat ex jam dictis; atqui quælibet voluntas libera, tametsi parva et infirma, non fit sine nobis; ergo, etc. Hæc ultima gratiæ operantis et cooperantis notio aliundè in scholis maximè pervulgata, nobis videtur, utpote SS. Aug. et Th. doctrinæ conformior, præ cæteris amplectenda.

Itaque gratia operans rectè definitur : Subitanea mentis illustratio et indeliberata voluntatis affectio quas Deus in nobis sine nobis operatur, ut nimirum benè velimus, et benè agamus; cooperans verò, rectè definitur : Influxus seu concursus supernaturalis, quo Deus nobiscum concurrit ad omnes et singulos pietatis actus supernaturales ac liberos.

Jansenius, lib. 4 de Grat. Christi, cap. 4, docet gratiam operantem eam esse quæ efficit bonam voluntatem deliberatam, sed infirmam ac tenuem; cooperantem verò, quæ operatur bonam voluntatem, fortem ac robustam : « Nihil « evidentius, inquit, quàm gratiam operantem « esse, quâ cùm ante nollemus, efficitur ut « velimus; cooperantem, quâ quando jam actu « volumus, efficitur ut fortiùs velimus, ita ut « superando quævis obstacula, etiam reipsa « faciamus; illam operari ut quoquo modo « voluntatem bonam seu velle quantùmcumque « infirmum atque imperfectum habeamus; hanc « ut illa bona voluntas augeatur et roboretur; « non tantùm ut ex inefficaci fiat efficax, sicut « nonnulli volunt, sed ita ut etiam efficax effi- « ciatur fortior. » Sententiam hanc inter vulgatas theologorum opiniones recensere consultè prætermisimus. Tum quia, nova est et ante Jansenium prorsùs inaudita; unde citato lib. 4, cap. 12, loquendo de variis gratiæ definitionibus confidenter asserit, « scholasticos, « sequendo filum philosophiæ suæ; mentem « Augustini ac discipulorum ejus Prosperi et « Fulgentii, nullo modo assecutos fuisse. » Tum quia ex mox dictis, gratia operans ab imbellem duntaxat et invalidam bonam voluntatem restringenda non est; nec vice versâ gratia cooperans ad fortem et robustam. Tum quia in exponendâ utriusque gratiæ notione multa interserit Jansenius omninò falsa et erronea. Docet, v. g., infirmam ac tenuem voluntatem bonam ex gratiâ ortam, imparem esse, etiam mediatè per orationem, superandæ oppositæ ardentiori cupiditati. Verùm de his ubi de systemate Jans. datâ operâ agemus.

Quæres 3°, an gratiæ divisio in operantem et cooperantem sit adæquata. Respondeo affirmativè, quia motus omnis gratiæ actualis quo Deus movet hominem ad bonum supernaturaliter, aut fit sine nobis, aut nobiscum; si primum, gratia operans dicitur; si secundum, cooperans appellatur; igitur ista divisio est adæquata.

Quæres 4°, an gratia operans realiter distinguatur à cooperante. Respondeo gratiam operantem et cooperantem realiter ab invicem distingui. Probatur, quia gratia operans nihil aliud est quàm subitus et indeliberatus motus tum intellectûs, tum voluntatis per quam excitatur ad bonum; cooperans verò est supernaturalis Dei concursus quo concurrit ad actum voluntatis liberè consentientis priori motui, sicuti constat ex dictis quæsito 2; atqui hæc duo realiter distinguuntur ab invicem; ergo, etc. Et verò gratia operans interdùm separatur à cooperante, quando nempe inspirationi Dei

homo resistit, quemadmodùm ostendemus infra; ergo, etc.

Quæres 5°, an allata gratiæ divisio extendi possit ad gratiam habitualem. Respondeo extendi posse ad gratiam habitualem; magis tamen propriè et communiter tribuitur gratiæ actuali. Prob. 1ª pars auctoritate S. Thomæ qui idipsum expressis verbis asserit 1, 2, quæst. 111, art. 2: « Si verò, inquit, accipiatur gratia pro habi- « tuali dono, sic est duplex gratiæ effectus, « sicut et cujuslibet alterius formæ, quorum « primus est esse; secundus operatio:.... sic « igitur habitualis gratia, in quantum animam « sanat vel justificat sive gratam Deo facit, di- « citur gratia operans; in quantum verò est « principium operis meritorii quod ex libero « arbitrio procedit, dicitur cooperans. » Prob. 2ª pars, quia S. Aug. ex quo præsertim divisionem hanc desumpsère theologi, omninò videtur loqui de gratiâ actuali; siquidem S. Aug. de eâ gratiâ sermonem instituit, de quâ ipsi lis erat cum Pelagianis; at hæc potissimùm erat gratia actualis; ergo, etc.

Quæ spectant divisionem gratiæ operantis et cooperantis paulò fusiùs prosecuti sumus; tum quia quæ dicta sunt de eâ divisione, eadem fermè omninò adaptari possint sequentibus divisionibus gratiæ prævenientis et subsequentis, excitantis et adjuvantis, sufficientis et efficacis; tum quia, ut observant Lemos in Panopliâ, et Alvarez lib. 9 de Auxil., disput. 81, « gratiæ « operantis et cooperantis notio valdè neces- « saria est ad intelligendam et explicandam « naturam et proprietatem efficacis gratiæ, « atque ad aperiendam mentem SS. Aug. et « Thomæ circa ejusdem gratiæ virtutem, ef- « ficacitatem, et ad concordanda varia loca « ejusdem Aug. quæ primo aspectu inter se « videntur contraria. » Sequentes gratiæ divisiones compendiosiùs absolvemus.

Octava gratiæ divisio. — Gratia actualis voluntatis rursùs dividitur in excitantem, et adjuvantem. Divisio hæc fundamentum habet in Scripturis. Sic Apocalypsis 3: *Ecce sto ad ostium et pulso*; et Psalm. 118: *Adjuva me, et salvus ero.* Item in orationibus Ecclesiæ: *Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere.* Eamdem gratiæ divisionem similiter commendat S. Aug. lib. 2 de peccat., meritis et remiss. cap. 18, his verbis: *Quòd ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possimus.* Denique concil. Trid. sess. 6, cap. 5: *Disponuntur*, inquit, *dum excitati divinâ gratiâ atque adjuti.... liberè moventur in Deum.* Quod autem spectat gratiæ tùm excitantis, tùm adjuvantis notionem, distinctionem et officia, quidque circa hæc sentiant theologi, ex antedictis repetendum; gratia etenim excitans eadem prorsùs est cum gratiâ operante, et adjuvans eadem quoque est cum gratiâ cooperante: sed utriusque diversa sunt nomina, propter diversa eorum officia. Eadem si quidem gratia quæ dicitur operans, quia per eam Deus aliquid operatur in nobis sine nobis, dicitur etiam excitans, in quantùm voluntatem velut sopitam et torpentem, à somno peccati aut negligentiâ bonorum operum clamore quodam sanctæ vocationis et inspirationis excitat. Similiter eadem gratia quæ cooperans dicitur, quia nostræ voluntati cooperatur, appellatur etiam adjuvans, quia nos adjuvat ad liberè consentiendum gratiæ excitanti.

Nona gratiæ divisio. — Iterùm actualis gratia voluntatis dividitur in prævenientem et subsequentem. Divisionem hanc commendat Script. Psalm. 58: *Misericordia ejus præveniet me*; et ibidem: *Misericordia ejus subsequetur me.* Utriusque mentio fit in publicis Ecclesiæ orationibus, ut in collectâ Domin. 16 post Pentecost., ubi Ecclesia sic Deum deprecatur: *Tua nos quæsumus, Domine, gratia semper præveniat et sequatur.* Eamdem tradunt SS. Patres, sanctus præsertim Aug. in Enchir. cap. 32: « Utrum- « que, inquit, legitur in sacris eloquiis, et mi- « sericordia ejus præveniet me, et misericordia « ejus subsequetur me..... nolentem prævenit « ut velit, volentem subsequitur ne frustra ve- « lit. »

Aut parùm aut nihil differt ista divisio à præcedentibus. Gratia enim præveniens eadem videtur esse cum gratiâ excitante et operante; subsequens verò, quæ et concomitans à nonnullis appellatur, eadem etiam est cum adjuvante et cooperante; scilicet gratia præveniens ea est quæ inspirando et excitando prævenit; subsequens verò quæ adjuvando et cooperando prosequitur, juxta mox citata Ecclesiæ orationis verba: *Quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere;* tantùmque ratione distinguitur præveniens et subsequens ab operante et cooperante, excitante et adjuvante; in quantum præveniens et subsequens designant ordinem prioris et posterioris, qui non designatur nomine gratiæ operantis et cooperantis, excitantis et adjuvantis « Gratiæ quæ « his vocibus (*præveniens, comitans* et subseq.) « significantur, inquit Suarez lib. 3 de Auxil. « cap. 23, in re non distinguuntur à gratiâ ex-

« citante et adjuvante, sed connotant solùm « quasdam habitudines prioris et posterioris; « hæc sententia est communior theologorum « cum magistro in 2, dist. 27. » Itaque gratia operans, excitans et præveniens eadem omninò est gratia, diversâ solùm consideratione; sic etiam gratia cooperans, adjuvans et subsequens, etsi re distinctæ à præcedentibus, eædem sunt inter se; unde gratia operans et cooperans duæ sunt gratiæ species, quarum singulæ tribus nominibus solent insigniri. Cum ergo gratia præveniens cum operante et excitante coincidat, sicut et subsequens cum cooperante et adjuvante, hinc quæ de his divisionibus supra dicta sunt, præsenti distributioni facilè accommodari possunt. Verùm etsi ea fit gratiæ prævenientis et subsequentis notio quam modo adduximus, nonnulli tamen sunt qui utriusque gratiæ naturam paulò aliter explicant.

1° Quidam relativè ad justificationem ipsam prævenientis et subsequentis gratiæ naturam exponunt; ita ut gratia præveniens in eorum sententiâ dicatur quæcumque præcedit ipsam justificationem, subsequens verò censeatur quælibet alia quæ homini post justificationem tribuitur, ut in acceptâ sanctitate et justitiâ perseveret. Ita Vasquez in part. 1 disput. 88, cap. 10, ubi in confirmationem suæ sententiæ refert S. Aug. testimonium ex cap. 32, lib. de Naturâ et grat.: *Misericordia Dei prævenit nos, prævenit ut sanemur, et subsequitur ut sanati vegetemur.*

2° Alii divisionem gratiæ prævenientis et subsequentis explicant per comparationem ad se invicem; ita ut gratia præveniens dicatur illa per quam ad bonum excitamur, subsequens verò illa quæ priorem istam gratiam sequitur; et hoc sensu prior omnis gratia dici potest præveniens, si comparetur ad posteriorem. Ita prævenientis gratiæ vocabulum usurpâsse videtur sanctus ipse August. citato mox cap. 32, lib. de Nat. et grat. « Misericordia, « inquit, ejus prævenit nos; prævenit autem « ut sanemur, et subsequitur ut sanati vegete« mur; prævenit ut piè vivamus, subsequitur « ut cum illo semper vivamus, » et lib. 4 ad Bonifac. cap. 4: « In omnibus, inquit, quæ « quisque agit secundùm Deum, misericordia « ejus prævenit eum. » Huic interpretationi favet S. Th. 1-2, q. 111, art. 3, dùm ex variis effectibus, quorum unus est altero prior, utriusque gratiæ denominationem repetendam esse asserit, licet alio quoque sensu supra exposito utramque gratiam usurpaverit sanctus doctor.

3° Denique sunt qui hanc gratiæ actualis divisionem in prævenientem et subsequentem explicent comparatè ad liberum consensum voluntatis; ita ut præveniens dicatur quæ prævenit humanæ voluntatis consensum, nec eum ullatenùs includit, subsequens verò dicatur ea quæ supponit et subsequitur voluntatis consensum, quæque firmat voluntatem in bono proposito, eamque adjuvat ut illud ad executionem perducat. Juxta hanc expositionem consensus voluntatis non includitur in gratiâ præveniente, nec in gratiâ subsequente; quapropter cùm actus ille voluntatis quo consentit atque vult bonum, sit etiam à gratiâ Dei, omninò necesse est admittere in hujusmodi divisione sic intellectâ, ut reddatur adæquata, tertium aliquod genus gratiæ, quæ concomitans dicitur, quia voluntatem comitatur et adjuvat ad hoc ut consentiat et velit bonum. Hæc gratia concomitans media est, sicut et ipsemet voluntatis consensus, inter gratiam prævenientem et subsequentem; hinc præcedit gratia præveniens; indè verò sequitur gratia subquens.

Triplicem hanc gratiam actualem designat concil. Trid. sess. 6, cap. 16, ubi de influxu gratiæ Christi in justificatos, sic loquitur: « Quæ virtus (gratia scilicet) bona eorum ope« ra semper antecedit, et comitatur et subse« sequitur. » Sed etsi tam varia sit ac multiplex gratiæ prævenientis et subsequentis acceptio, nusquàm tamen eo sensu subsequens dicenda est, quasi conatus quosdam bonos et naturales exigat ut detur: vel quasi in aliquo supernaturali opere, aut illius parte, gratia sit libero arbitrio posterior: « Avertat, inquit S. « Aug. lib. 2 ad Bonifac. cap. 9, Deus hanc de« mentiam, ut in donis ejus nos priores facia« mus, posteriorem ipsum. » Et certè, quemadmodùm suo loco ostendemus, is fuit unus à præcipuis Pelagianorum et Semi-Pelagianorum erroribus, ut indicat S. Augustinus epist. 107.

Decima gratiæ divisio.— Inter omnes gratiæ divisiones summæ celebritatis est illa per quam gratia operans sive excitans, subdividitur in sufficientem et efficacem. Sufficiens duobus modis accipi potest, nempe vel generatim, vel speciatim. Generatim sumpta ea est omnis quæ veram et expeditam confert potentiam agendi in ordine supernaturali, sive suum assequatur effectum, sive non; quo sensu etiam gratia efficax dici potest sufficiens, juxta illud Apost. 2 ad Cor. 12: *sufficit tibi gratia mea.* Hoc modo intellecta gratia sufficiens habet rationem

generis respectu gratiæ tum efficacis, tum strictè sufficientis. Gratia speciatim et purè sufficiens, prout opponitur gratiæ efficaci, dicitur ea, quæ ad bonum supernaturale operandum et urgens præceptum adimplendum, veram, completam et expeditam, etiam relativè ad hic et nunc titillantem concupiscentiam, confert potentiam, quæ tamen nunquàm obtinet suum effectum.

Gratia verò efficax, ea est, quæ suum semper obtinet effectum certò et infallibiliter, sive, prout loquitur S. Aug. lib. de Corrept. et Grat. indeclinabiliter et insuperabiliter.

Dicitur autem indeclinabiliter et insuperabiliter movere voluntatem, non quod superari et declinari non possit, sed quòd nusquàm de facto superetur et declinetur; eodem planè sensu quo imperator aliquis dicitur invincibilis, non quòd non possit omninò vinci et superari, sed quia nusquàm victus sit. Circa utramque hanc gratiæ speciem variæ occurrunt difficultates multis heterodoxorum erroribus implicatæ, et gravissimis hinc indè theologorum controversiis insignitæ, quæ quidem omninò hic prætermittere satius duximus, quàm strictim et obiter ea attingere. De istis fusiùs et accuratè pro modulo nostro agemus in parte dogmaticâ hujusce tractatûs.

Ultima gratiæ divisio.— Denique gratia dividitur in gratiam simpliciter, et gratiam pro gratiâ. Gratia simpliciter ea dicitur, quæ conceditur à Deo ex meritis Christi, absque ullo ex parte hominis præcedente merito, etiam ex gratiâ. Gratia verò pro gratiâ, ea est, quæ datur propter meritum præcedens, quod ex ipsâ gratiâ oritur. Talis est gloria seu vita æterna, quæ simul est et merces, et gratia; merces, quia meritis rependitur; gratia, quia merita hæc ex gratiâ profluunt.

Hujus divisionis meminit S. Aug. lib. de Grat. et libero Arb. cap. 8, ubi ait: « Si vita bona « nostra nihil aliud est quàm Dei gratia, sine « dubio et vita nostra æterna quæ bonæ vitæ « redditur, Dei gratia est; ipsa enim gratis da- « tur, quia gratis data est illa cui datur; sed « illa cui datur tantummodo gratia est; hæc « autem quæ illi datur, quoniam præmium « ejus est, gratia est pro gratiâ. »

Juvat hìc seriem omnium gratiæ divisionum, quas in præsenti articulo proposuimus, compendiosè attexere, necnon juxta varia theologorum placita paucis contrahere, quæcumque fusiùs dicta sunt circa celebriores gratiæ actualis operantis et cooperantis, prævenientis et subsequentis, excitantis et adjuvantis, sufficientis et efficacis, divisiones.

Prima itaque ac capitalis gratiæ divisio est in *creatam* et *increatam;* seu, ut alii loquuntur, in gratiam ex parte Dei, et ex parte creaturæ; seu quod idem est, in gratiam ex parte principii, et ex parte subjecti. Prior, æternus est ac supernaturalis Dei erga homines amor, quo eos diligit in ordine ad vitam æternam; posterior verò ea omnia generatim sunt beneficia, quæ ex æterno illo ac supernaturali amore, ut effectus ex causâ procedunt. Ita Salmaticenses, Suarez, Sylvius, Bellarm., etc.

2° Divitur gratia creata, in *gratiam Dei,* et *gratiam Christi.* Hæc, non autem illa confertur intuitu meritorum Christi; prior alio nomine dicitur gratia sanitatis; altera, gratia medicinalis. Ita communiter theologi qui cum S. Thomâ existimant Adamo non peccante futuram non fuisse Verbi divini incarnationem; ast qui cum Scoto pro adversâ stant sententiâ, prædictam non admittunt divisionem, sed gratiam creatam dividunt in gratiam sanitatis, seu Christi *ut capitis;* et in gratiam medicinalem, seu Christi ut Redemptoris. Ita Poncius, Mediavilla, Frassen, etc.

3° Dividur gratia Christi, in *gratiam externam* et *internam;* prior, extrinsecùs, posterior interiùs hominem afficit; utraque suo modo ad salutem conducit.

4° Gratia interna distribuitur in gratiam *gratis datam,* et *gratum facientem.* Gratis data definitur, donum gratis à Deo homini concessum, per se et primariò conducens ad salutem aliorum promovendam; gratia gratum faciens, donum est gratis à Deo collatum, ad propriam et spiritualem uniuscujusque salutem primariò et per se ordinatum.

5° Gratia gratum faciens dividitur in *habitualem* et *actualem.* Habitualis est, quæ confertur per modum habitûs, seu qualitatis jugiter in nobis permanentis, hominemque disponit ad vitam æternam; hæc autem habitualis gratia triplex est, scilicet gratia sanctificans, seu justificans, virtutes infusæ, et dona Spiritûs sancti. Gratia actualis ea est, quæ per modum actûs seu motionis transeuntis conceditur.

6° Gratia actualis dividitur in *gratiam intellectûs,* et *gratiam voluntatis.* Gratia intellectûs, est interna mentis illustratio quâ intellectui verum supernaturale credendum, aut bonum supernaturale peragendum proponitur. Gratia voluntatis est indeliberata et immediata motio seu

inclinatio quam Deus in voluntate operatur, ut eam ad bonum supernaturale excitet ac provocet. Porrò gratia quæ in præsenti naturæ lapsæ statu conceditur, utramque tum intellectûs illustrationem, tum voluntatis motionem complectitur; quod ex Scripturis, conciliis, SS. Patribus, S. potissimùm Aug. alibi demonstrabimus.

7° Rursùs gratia actualis, prout illustrationem supernaturalem in intellectu et piam affectionem similiter supernaturalem in voluntate includit, distribuitur in operantem et cooperantem, prævenientem et subsequentem, excitantem et adjuvantem. Celebriores sunt istæ gratiæ divisiones, circa quarum notionem varias in sententias abeunt theologi, quas ex antea fusiùs dictis, pressiùs jam ac summatim hic resumo ac colligo.

1° Itaque censent aliqui, gratiam operantem et cooperantem, prævenientem et subsequentem, excitantem et adjuvantem seu concomitantem, unam et eamdem omninò esse, diversâ solùm consideratione. Scilicet volunt ii auctores gratiam essentialiter positam esse in indeliberatis intellectûs et voluntatis motibus; porrò, inquiunt, idem entitativè motus indeliberatus, vocatur gratia *operans*, quia Deus eum in nobis sine nobis liberè cooperantibus operatur; *excitans*, quia excitat voluntatem; *præveniens*, quia prævenit liberum nostrum consensum; itemque idem ille vitalis motus dicitur gratia *cooperans, subsequens, adjuvans*, seu *concomitans*, quatenùs simul in consensum voluntatis influendo cooperatur voluntati, eamque ad consentiendum adjuvat et concomitatur. Ita Molina in Concord. quæst. 14, art. 13, disput. 4 : « Ex dictis, inquit, intelligitur facilè, unam « et eamdem numero gratiam, quatenùs excitat, « allicit et invitat arbitrium nostrum ad actus « credendi, sperandi, diligendi, appellari præ- « venientem ac excitantem gratiam, eâque con- « sideratione prævenire arbitrium nostrum ad « ejusmodi actus ; quatenùs verò consentiente « jam arbitrio nostro et cooperante, actus illos « ad quos incitat et allicit, ipsa quoque novo « influxu et actione cooperatur eosdem actus, « appellari adjuvantem et cooperantem gra- « tiam. » Idem sæpiùs repetit eâdem disput. et rursùs ibid. disput 39 et 41. Non alia est hâc in parte Vasquesii doctrina : « Eadem cogitatio « sancta, inquit, et subitus voluntatis motus « dicitur gratia operans et præveniens, et coo- « perans, et concomitans; eadem, inquam, « diverso modo considerata. Nam, quatenùs « consensum nostrum antecedit, est operans « et præveniens; quatenùs verò permanens in « nobis efficit nobiscum consensum, est coope- « rans et comitans. » Idem tradit Mæratius de Grat. disput. 4 sect. disput. 2, his verbis : « Eadem entitas gratiæ dici potest nunc operans, « nunc cooperans diversâ consideratione; ope- « rans quidem, quatenùs est gratia quam Deus « in nobis sine nobis operatur.... cooperans « verò, quatenùs reipsâ moraliter in liberum « voluntatis nostræ consensum influendo, ipsum « simul nostrâ cum voluntate causat et efficit. » Ita etiam censent Suarez, Valentia, Lessius, etc.

Porrò (quod observâ) etsi omnes mox citati auctores in eo consentiant quòd existiment gratiam operantem et cooperantem eamdem omninò esse quoad naturam et entitatem, in nonnullis tamen quidam ab aliis discrepant; sic Suarez, Vasquez, etc., adversùs Molinam, Lessium, et alios, volunt gratiam cooperantem, esse ac meritò dici majorem in ratione doni et beneficii, quatenùs hæc, non altera opportunis in circumstantiis confertur. Undè Vasquez post verba modò relata, sic subdit : « Non affirma- « mus tamen gratiam cooperantem esse eam- « dem omninò gratiam cum operante, sed « dicimus esse novam et diversam à gratiâ ope- « rante et præveniente in genere gratiæ, doni « et beneficii, et habere aliquid novum in ge- « nere rei, nempe effectum. » Idem declarat Suarez lib. 3 de Auxil. cap. 52.

2° Alii volunt gratiam operantem eamdem omninò esse cum præveniente et excitante; pariter, gratiam cooperantem eamdem esse cum subsequente et adjuvante seu concomitante; at iidem existimant duplicem hanc gratiæ speciem à se invicem realiter esse distinctam. Ex iis autem alii, ut Card. d'Aguirre, Laurea, Noris, Macedo, Steyaërt, etc., censent gratiam cooperantem seu adjuvantem coincidere cum gratiâ ex sese efficaci ; cæteri verò gratiam cooperantem videntur confundere cum concursu simultaneo. Ita Frassen, Grandin, Vuigers, etc.

3° Alii gratiam actualem voluntatis paulò aliter distribuunt in tres species, quarum prima dicitur, gratia operans, præveniens et excitans; secunda, cooperans, concomitans et adjuvans; tertia, subsequens. Gratia operans, seu excitans et præveniens, juxta eosdem dicitur, supernaturalis à Deo immissa mentis illustratio, et indeliberata, voluntatis motio seu affectio, quâ homo vel à Deo aversus, vel in bono torpens excitatur. Gratia adjuvans seu cooperans

et concomitans, actualis est Dei influxus, quo roborata voluntas liberè consentit gratiæ excitanti. Gratia verò subsequens, est supernaturale Dei auxililium, quo firmatur voluntas in bono proposito, et adjuvatur, ut illud opere perficiat.

4° Rursùs Thomistæ gratiam voluntatis aliâ ratione distribuunt. Scilicet juxta ipsos gratia actualis generatim dividitur in excitantem et adjuvantem. Excitans indeliberatos tantùm actus in hominis intellectu et voluntate producit, quibus ad conversionem inducatur; adjuvans verò efficit, ut eisdem motibus indeliberatis consentiat, et conversionem de facto velit.

Porrò adjuvans subdividitur in prævenientem seu operantem physicè, et in cooperantem seu subsequentem; prior, ea est quæ in homine operatur primum liberum ac supernaturalem voluntatis motum, ad quem à Deo solo mota est humana voluntas, et ad quem ipsa sese non applicat nec movet *moraliter*, quatenùs non ex aliquo priori alio motu et actu per deliberationem se ad illum excitat, uti supra ex. S. Th. 1-2, q. 8 et sequentib. exposuimus; posterior verò, ea dicitur, quæ voluntatem subinde movet ad ea virtutis et pietatis opera quæ primum bonum et liberum velle sequuntur. Ita Lemos in Panoplia, Alvarez de Auxiliis, et alii quorum testimonia supra retulimus.

Ex iis patet, in sententiâ Thomistarum 1°, gratiam excitantem eamdem esse cum sufficienti. 2° Adjuvantem, coincidere cum efficaci. 3° Tandem quamlibet actualem voluntatis gratiam esse prævenientem. Sunt et aliæ variæ expositiones gratiæ operantis et cooperantis, prævenientis et subsequentis, excitantis et adjuvantis, quas supra retulimus, quæque ex mox dictis facilè colligi possunt.

Octava omniumque celebratissima gratiæ divisio, est in sufficientem et efficacem; circa utriusque gratiæ naturam, existentiam et proprietates, gravissimæ suboriuntur difficultates, quas in parte dogmaticâ hujusce tractatûs sedulò expendemus. Interim satis sit hìc annotâsse, gratiam purè et strictè sufficientem, prout opponitur efficaci, eam esse, quæ voluntati veram et expeditam confert potentiam ad oppositam hìc et nunc titillantem concupiscentiam superandam et bonum operandum, cum quâ tamen voluntas nusquàm operatur. Eaque duplex est pro duplici potentiâ quam confert; alia enim est immediatè sufficiens, quæ dat posse immediatè et proximè concupiscentiam vincere et præceptum adimplere; alia verò mediatè sufficiens, quæ confert duntaxat potentiam orandi ad uberius impetrandum auxilium, ut actu vincat prementem concupiscentiam, præceptumque urgens adimpleat.

Rursùs utraque gratia, tum proximè, tum remotè sufficiens, juxta quosdam ita potentiam complet ut uberiori ac prævenienti non indigeat auxilio ad actum eliciendum; juxta alios verò illud requiritur uberius auxilium. Gratia verò efficax, prout sufficienti opponitur, ea dicitur, quæ suam certò ac infallibiliter semper assequitur effectum; si effectus sequatur *vi ipsius gratiæ*, dicitur ex sese et ab intrinseco efficax; si ex *congruitate circumstantiarum*, dicitur congrua; si ex *prævisione Dei*, dicitur efficax ab eventu.

Animus erat eò loci quinque summi momenti quæstiones circa gratiæ naturam expendere. Primum an gratia ipsa sit omnipotens Dei voluntas, seu Deus ipse; an verò aliquid creatum menti impressum. Secundum, supposito quòd gratia sit quid creatum, an sit formaliter ipsa mentis actio; an aliquid prævium actui, ipsiusque causa. Tertium, dato quòd si actus, an in solâ illustratione intellectûs reposita sit; an verò motionem etiam voluntatis necessariò includat. Quarum, si actum voluntatis importet, an in solo amore seu delectatione sit formaliter reponenda, ut contendit Jansenius. Quintum deniquè, an illustratio intellectûs et motio volontatis in quibus reponitur gratiæ natura, aut qui ex ipsâ fluunt motus, sint necessariò perceptibiles, necne?

Verùm, re maturiùs perpensâ, gravia isthæc puncta ad partem dogmaticam remittere satius visum fuit; tunc enim, cùm de naturâ gratiæ ex professo agemus, opportuna sese dabit occasio, cunctas de quibus hodiè disputatur quæstiones nullo intervallo sejunctas, expendendi; sic enim implicatæ illæ quæstiones sibi mutuò lucem afferent, et operosa nimis de gratiâ tractatio faciliùs et ex ordine enucleabitur.

Atque his instar præludiorum præmissis, jam interiora tractatûs aggrediamur.



PARS HISTORICA.

DE VARIIS CIRCA GRATIAM ERRORIBUS.

Errores circa gratiam spectant, vel necessitatem illius, vel ejus agendi modum seu efficaciam, vel denique ipsius effectus, justificationem scilicet et meritum. De his omnibus disseremus in hâc parte, quam ordinis et claritatis causâ in duodecim omninò Dissertationes distribuemus.

1. Erit de Pelagianis. — 2. De Semipelagianis. — 3. De Monachis Adrumetinis. — 4. De Prædestinatianis quinti seculi. — 5. De Prædestinatianis noni seculi. — 6. De Wicleffitis. — 7. De Luthero. — 8. De Calvino. — 9. De Baio. — 10 De congregationibus *de auxiliis*. — 11. De Jansenio. — 12. Tandem de Jansenii discipulis.

Dissertatio prima.

DE PELAGIANIS.

Septem erunt præsentis dissertationis capita: 1° paucis agemus de propugnatoribus hujusce hæreseos; 2° de impugnatoribus; 3° de erroribus Pelagianorum. 4° An Pelagiani gratiæ alicujus interioris necessitatem aliquando tandem agnoverint. 5° An admiserint gratiam habitualem et virtutes infusas. 6° Quæ fuerit illa gratia de quâ tam diuturna exarsit contentio sanctum Augustinum inter et Pelagianos. 7° Compendiosam proponemus seriem chronologicam operum quæ adversus Pelagianos exaravit sanctus Augustinus.

Historiam autem Pelagianam hic speciatim enarrare consultò prætermittimus; tum quia ex dicendis passim in integrâ Dissertatione, maximè verò capitibus 1, 2, 3 et ultimo facile erit unicuique eam colligere; tum quia plurimi singula illius capita fusiùs prosecuti sunt. Ex antiquioribus S. Hieronymus præsertim in præfationibus ad quatuor libros Commentariorum in Jeremiam; Augustinus libris de gestis Palæstinis et de hæresibus; Marius Mercator, in Commonit., etc. Istud idem copiosè perfecerunt è recentioribus inprimis eminentissimus cardinalis Norisius in Historiâ Pelagianâ; card. D'Aguirre in Theolog. S. Anselm. tom. 3, disput. 111; Marii Mercatoris Commentator Joannes Garnerius S. J. auctores recentioris editionis Operum S. Aug. in præfatione tomo 10 præfixâ; Natalis Alexander in Historiâ Eccl. 5. seculi cap. 3, art 2; doctissimus Petavius lib. de hæresi Pelagianâ, Moraines in *Anti-Jansenio* tract. 1, octo primis disputationibus. De eodem argumento ex Heterodoxis egêre Vossius, Usserius in Hist. Pelag. et Forbesius Instit. Historic. Thelog. lib. 8.

Jansenius Yprensis octo de hæresi Pelagianâ libros conscripsit, quorum primus hujusce hæreseos historiam complectitur.

CAPUT PRIMUM.

De primis auctoribus et præcipuis defensoribus hæresis Pelagianæ.

De hujusce hæreseos præformatoribus disserendum primò, tum de Pelagio, tandem de præcipuis Pelagii discipulis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Pelagianorum parentibus ac magistris.

Tres præcipui fuêre Pelagianæ hæresis præformatores, Origenes scilicet, Rufinus et Theodorus Mopsuestenus. De Origene id constat ex sancto Hier. epist. ad Ctesiphontem, ubi Pelagium his verbis alloquitur : *Doctrina tua, Origenis ramusculus est.* Ibidem Origenem vocat *Pelagiani erroris principem.* Rufinum quoque Pelagio prælusisse asserit ibidem sanctus Hieron. et in præfatione lib. 1 in Jeremiam, ubi Rufinum sub nomine Grunnii indicans, eum Pelagii præcursorem disertis verbis appellat : *quod non videns,* inquit, *præcursor ejus Grunnius olim nisus est carpere.* Idem de Rufino tradunt Anastasius epist. ad Joannem Jerosolymit. Marius Mercator in præfatione subnotationum in scripta Juliani, et ipse etiam S. Aug. lib. de peccat. orig. cap. 4, ubi testatur Rufinum, Cœlestii magistrum, ipsum *docuisse negare traducem originalis peccati.*

Quis sit ille Rufinus, an ille Aquileiensis, adeò famosus propter graves ipsum inter et sanctum Hieron. contentiones ; an alter natione Syrus, disputant critici. Marii Mercatoris editor Garnerius contendit, illum Rufinum Syrum fuisse, et ab alio Aquileiensi planè distinctum. Eminentissimus Card. Norisius è contra in Hist. Pelag. lib. 1, cap. 2 ; Natalis Alexander Histor. Eccles. secul. 4, cap. 4. art. 32; Petavius lib. de hæresi Pelag, cap. 1, n. 5, et

cæteri vulgò existimant Rufinum illum esse Aquileiensem. Quam controversiam, nos aliis dirimendam relinquimus.

Quod autem Theodorum Mospuestenum episcopum spectat, ipsum negàsse peccatum originale, atque ita Pelagio prævivisse, apertè testatur Marius Mercator tum loco mox laudato, tum etiam in Commonitorio, his verbis: « Quæstio contra catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, et præcipuè in Ciliciâ à Theodoro quondam episcopo oppidi Mopsuesteni jamdudùm mota, nunc usque penès paucos eorum occultè traditur; nec ea palàm profertur, sed ab ipsis qui de eâ cornicantur, velut Catholicis, intra ecclesiam retinetur: progenitores videlicet humani generis Adam et Evam mortales à Deo creatos, nec quemquam posterorum suâ prævaricatione trangressos læsisse, sed sibi tantùm nocuisse, se mandati reos apud Deum fecisse, alterum penitùs nullum. »

ARTICULUS II.

De Pelagio.

Circa Pelagium sex quæri possunt: patria, professiò, ingenium, scripta, mores et artes: hæc paucis hic expendemus. Ex majori Britanniâ, seu Angliâ ortum duxisse Pelagium, testantur S. Aug. Ep. 186 ad Paulinum aliàs 106, ubi scribit Pelagium, ut ab alio Tarentino distingueretur, Britonem fuisse cognominatum, S. Prosper initio Carminis de ingratis, à quo, Coluber Britannus dicitur. Orosius in Apologetico, et Marius Mercator in Commonitorio, eum pariter Britannum appellant. Professione monachus fuit Pelagius. Ita testatur S. Aug. lib. de hæresibus cap. 88: *Pelagianorum*, inquit, *est hæresis, hoc tempore omnium recentissima, à Pelagio monacho exorta.* Cùm tria monachorum genera tunc temporis distinguerentur, quorum alii in monasterio, qui cœnobitæ; alii in desertis locis, qui eremitæ; alii suis in ædibus degebant, qui apud Græcos quandoque philosophi, apud Latinos vulgò monachi, appellabantur, Pelagius ex his postremis fuisse videtur, nec usquàm ad sacros ordines promotus; unde laicus dictus est à Zozimo summo pontifice, in 2 Epistolâ ad Africanos: quicumque enim ex monachis non erant sacris ordinibus initiati, ii inter laicos recensebantur.

Ingenium accepit à naturâ *fortissimum, celerrimum et acutissimum*, inquit S. Aug: lib. de Nat. et Grat. cap. 6 et 35. Non minùs litigiosum, versipelle, sinuosum, dolis ac fraudibus deditum illius ingenium, produnt ac manifestant varii illi flexus ac doli, quibus erroris sui caput dissimulare omni arte nitebatur.

Quod spectat Pelagii opera, plures ab ipso libri scripti sunt, pluresque ad diversos epistolæ: horum catalogum ex Hier. Aug., Orosio, Mercatore et Gennadio refert doctissimus Garnerius Dissertatione primâ in primam partem operum Marii Mercatoris. Inter Pelagii scripta, hæc præcipua sunt. 1° De Trinitate libri tres. 2° De Naturâ liber unus. 3° De libero arbitrio libri quatuor. 4° Expositionum in omnes S. Pauli epistolas libri 13. 5° Ad Demetriadem de Virginis institutione liber unus. 6° Defensio fidei ad Augustinum. 7° Libellus fidei ad Innocentium. 8° Variæ ad diversos epistolæ. Ex his porrò omnibus sive libris, sive epistolis integrum nihil jam habetur, præter, libellum fidei, librum de institutione Virginis ad Demetriadem, et expositiones in Epistolas Apostoli; quæ autem nunc supersunt Pelagii opera, in unum volumen collecta, non ita pridem lucem aspexêre Antuerpiæ, hâc inscriptione: *Appendix Augustiniana.*

Quod ad mores autem Pelagii attinet; eos, saltem specie tenùs, ita compositos et probatos habuit, ut pietatis laudem assecutus aliquandò fuerit, teste S. Aug. lib. de gestis Pelagii cap. 22. *Pelagii nomen*, inquit, *cum magnâ ejus laude cognovi*, et lib. 3 de peccat. meritis et remiss. cap. 1, ait, eum tanquàm virum sanctum habitum fuisse: *Post paucissimos dies*, inquit, *legi quædam Pelagii scripta, viri, ut audio, sancti et non parvo profectu christiani.*

Verùm sit de illâ pietatis ac sanctitatis famâ quâ floruit aliquando Pelagius, ab eâ certè subindè multùm excidit; Orosius enim, testis coætaneus, in Apologetico cap. 27, ipsum carpit tanquàm ministrum mensarum, itemque balneis et epulis enutritum. Nimirùm, inquit Norisius Hist. Pelag. lib. 1, cap. 3, exillis tunc temporis monachis erat Pelagius, de quibus hæc quidem lepidè scribit Hier. in Epist. ad Pammachium: « Miror, cur carni detrahentes vivant carnaliter, et inimicam suam foveant, et nutriant delicatè; nisi fortè implere volunt Scripturam dicentem: *Amate inimicos vestros.*

Arte multiplici, variisque fraudibus hæresim suam disseminare conatus est Pelagius; hujus artem et fraudes in errore suo disseminando eleganter describit Garnerius dissertatione 1 in Marium Mercatorem. Ut autem faciliùs errores suos insinuaret Pelagius, non virorum

duntaxat, sed mulierum præsertim ministerio utebatur; quæ fraus et consuetudo omnibus ferè hæreticis communis fuit, ut observat S. Hier. ad Ctesiphont. quâ quidem fraude nihil certè periculosius; quippè cùm mulieres errorem faciliùs combibant; quia leves; celeriùs diffundant, quia loquaces; tardiùs quoque deponunt, quia ignaræ ac pertinaces.

ARTICULUS III.

De Pelagii discipulis.

Inter varios Pelagii discipulos tres præsertim extitère celebritate nominis et famâ notissimi, nimirùm Cœlestius, Julianus et Anianus.

Primus ætate ac celebritate nominis discipulus Pelagii fuit Cœlestius, à quo Cœlestiani, sicut à Pelagio Pelagiani dicti sunt, teste S. Aug. lib. de hæresibus cap. 88. Quæ fuerit ejus patria, valdè incertum: Campanum fuisse conjicit Marii Mercatoris Commentator. Vitam monasticam professus est, teste Gennadio lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap, 44. Acerrimum fuisse illius ingenium testis est S. Aug. lib. 2 ad Bonif. cap. 3; indè factum est ut magistrum suum Pelagium audaciâ superaverit, ac totius exercitûs ductor fuerit, ut ait S. Hier. epist. ad Ctesiphont. Cùm in concilio Carthaginensi damnatus, et idcircò à gradu sacerdotali, quem ambibat, repulsus fuisset, Africam deseruit, et in Asiam profugus, presbyteratum suffuratus est.

Julianus alter fuit Pelagianæ hæreseos sectator et defensor acerrimus. In Apuliâ natus est, ex illustri genere, patre Memore, seu Memorio, et Julianâ matre. Ad Celanensem episcopatum junior assumptus ex Mario Mercatore; fastu ac superbiâ tumens, ut sibi nomen compararet, inclinatam et afflictam Pelagianorum causam erigere conatus est. Hunc facili eloquentiâ, ingenio acri et subtili, magnâ Scripturarum sacrarum peritiâ, ac multiplici litterarum tum græcarum, tum latinarum cognitione illustrem fuisse tradit Gennadius lib. de Scriptoribus Eccles. 45. Multa adversùs S. Aug. et catholicam fidem conscripsit, duodecim præsertim libros contra duos sancti Aug. de nuptiis et concupiscentiâ. Ipsum egregiè confutavit S. doctor; atque hominis fraudes hæresimque tam apertè detexit, ut episcopatu et Italiâ pulsus, Constantinopolim fugerit, Theodosii imperatoris et Cleri constantinopolitani patrocinium imploraturus. Verùm tunc aderat Constantinopoli Marius Mercator S. Aug. amicus, qui adversùs Julianum et sequaces ejus Commonitorium obtulit imperatori, quo Juliani hæresi detectâ; ipse et Cœlestius et alii ejusdem consortes erroris ab urbe Constantinopolitanâ pulsi sunt. Molitus est postea Julianus, episcopatum et Ecclesiæ societatem recuperare, verùm irrito planè conatu; sanctorum etenim Sixti et Leonis pontificum operâ repressus est, teste S. Prospero in Chronico. Italiâ simul et Oriente ejectus, omnibus Ecclesiæ et imperatorum telis percussus, diu profugus, Siciliam tandem appulit; et ignobili vico, cùm aliquandiu pueros docuisset, miserrimè obiit circa annum 453, ex episcopo factus ludimagister. Vide de Juliano quæ dicemus sub finem capitis sequentis, et ultimis Conclusionibus capitis 4 hujusce dissertationis.

Anianus patriâ, ut creditur, Italus fuit, et Ecclesiæ Celedensis diaconus; cùm latinæ et græcæ linguæ peritissimus esset, Pelagio magnam præstitit operam in detergendâ sermonis barbarie: de eo mentionem habet S. Hier. epist. ad Alipium et Augustinum cap. 2. In latinum sermonem interpretatus est Anianus octo priores homilias S. Chris. in Matth. necnon septem homilias ejusdem de laudibus S. Pauli; utrique interpretationi suam præfixit Pelagianis erroribus infectatam præfationem; prior dirigitur ad Orontium episcopum, posterior verò ad Evangelium presbyterum.

Qui historiam Cœlestii, Juliani, Aniani, quasi per annos singulos digestam legere voluerit, adeat jam appellatum Commentatorem Mercatoris dissert. 1, cap. 5, 6, 7, etc. circa verò horum scripta, consule eumdem Appendice ad dissert. 6, quæ est de scriptis ab hostibus fidei pro hæresi Pelagianâ.

CAPUT II.

De Pelagianæ hæreseos impugnatoribus.

Hæresis Pelagiana debellata fuit variis conciliorum decretis; summorum pontificum constitutionibus, dogmaticis SS. Patrum scriptis; edictis imperatorum in ipsos latis; de his sigillatim hìc agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Conciliis in causâ Pelagianorum celebratis.

Viginti quatuor congregata sunt concilia adversùs hæresim Pelagianam, ante celebrationem Ephesinæ synodi œcumenicæ. Quæ quidem concilia sigillatim retulit et doctissimis observationibus locupletavit Mercatoris Commentator Parisinus; præcipua ex ipsis ex ordine recensebimus. Non abs re autem erit paucis anteà præmittere Pelagii gesta ab exordio suæ hære-

seos ad annum usque 412, quo tempore celebratum est primum ex conciliis in causâ Pelagianorum habitis.

Cœpit hæresim suam disseminare Pelagius circa annum 405, scriptis aliquot epistolis et opusculis errorum suorum veneno conspersis; adeò tamen callidè, et tot tantisque verborum ambagibus argutiisque, ut oculatissimos quosque falleret; id quod sibi ipsi penè contigisse fatetur S. Aug. lib. de grat. Christi cap. 37 : « Mihi (inquit Aug. loquens de Pelagii epist. « ad Demetriadem) penè persuaserat, hanc il« lum gratiam, de quâ quæstio est, confiteri... « sed cùm in manus meas et alia venissent, « quæ posteriùs latiùsque conscripsit, vidi « quemadmodùm potuerit etiam illic gratiam « nominare, sub ambiguâ generalitate quid « sentiret abscondens, gratiæ tamen vocabulo « frangens invidiam, offensionemque decli« nans. » Eàdem arte paulò antea epistolam ad S. Paulinum conscripserat : « Eâ (ut jactavit « postmodùm scribens ad S. Innocent.) nihil « aliud quàm Dei gratiam et auxilium confite« batur, nosque nihil omninò boni facere posse « sine Deo. » Verùm ipsam non caruisse fermento erroris ostendit S. Aug. citato lib. de Grat. Christi, cap. 25.

Cæterùm quò faciliùs errores suos spargeret subdolus hæresiarcha, peragratis multis regionibus et Ægypti monasteriis, tandem Romam venit ubi firmam sedem et domicilium sibi constituit. Ita testatur S. Aug. lib. de peccato orig. cap. 8. (Garnerius cap. 4, dissert. 1 in Mercat. censet Pelagium non ex orientalibus partibus, sed ex patriâ, Romam venisse longè ante Innocentii, Anastasiique tempora, cùm teneret Sedem apostolicam Damasus, id est, ante annum 384, quo vitâ excessit S. pontifex.) Romæ substitit Pelagius, donec contigit eam circa annum 410, ab Alarico Gothorum rege invadi et devastari; tunc enim sparsis hinc indè civibus ac incolis, Pelagius cum Cœlestio fugit in Africam, et Hipponem appulit absente tunc S. Aug. ejusdem urbis episcopo : brevique inde Carthaginem se recepit, ubi semel iterùmque obiter visus est à S. doctore curâ collationis mox habendæ cum Donatistis occupatissimo, nec multò post idem Pelagius in Palæstinam properavit, relicto in Africâ Cœlestio. Ista constant ex eodem S. Aug. lib. de gestis Pelagii cap. 22.

Cùm autem Cœlestius in Africâ subsedisset, petente interim Orientem Pelagio; atque ita, quemadmodùm observat S. Hier. præf. lib. 4 in Jerem. quasi orbem inter se partiti essent magister et discipulus, ut hic Occidentales macularet, dùm Pelagius Orientales perversis suis dogmatibus clanculùm labefactabat; Cœlestius cœpit in Africâ ac præsertim Carthagine Pelagianam hæresim liberè et apertè profiteri, et ut majori cum auctoritate in eâ propagandâ incumberet, conatus est promoveri ad sacerdotium : ast ejus conatibus obstitit Paulinus diaconus, à quo delatus est ad Aurelium episcopum Carthaginensem, tanquàm hæresim docens ac spargens. Eâ de re admonitus Aurelius celebravit circa annum Domini 412, concilium Carthaginense; quod primum fuit è vinginti quatuor conciliis congregatis adversùs hæresim Pelagianam, ante celebrationem Ephesini.

Prima itaque synodus in causâ Pelagianorum habita, celebrata fuit Carthagine anno 412, contra Cœlestium, actore Paulino S. Ambrosii diacono. Præfuit synodo Aurelius, plures adfuêre episcopi. Sex errorum capita objecta sunt Cœlestio, qui convictus, anathemate damnatus est, et ab Ecclesiæ communione exclusus. Huic sententiæ non acquievit pertinax hæreticus, sed Sedem apostolicam ad declinandum synodi judicium appellavit; cæterùm idem ipse mox Ephesum Asiæ urbem, neglectâ appellatione, profugit, ubi per obreptionem presbyter ordinatus est. Ista constant ex S. Aug. lib. de gestis Pelagii cap. 11, ex Mario Mercat. Commonit. cap. 1. et ex Facundo Hermian. lib. 1, cap. 3.

Secunda Synodus congregata est Jerosolymis anno 415, mense julio, à Joanne Jerosolymitano qui Pelagio favebat. Cogendæ synodo occasionem dedit Pelagius, qui cùm toto jam ferè triennio Jerosolymis versatus esset, nonnullos de clero, et ipsum inprimis Joannem episcopum, solitis artibus suas in partes adduxerat. Inde presbyteros inter orta dissensio, aliis Pelagio faventibus, duce Joanne Jerosolymitano; aliis contra pugnantibus, duce S. Hier. qui perversam subdoli hæresiarchæ doctrinam diligentiùs perspexerat; hinc graves utrinque animorum motus et discordiæ, quas ut Joannes, non sedaret quidem, sed Pelagio nocere prohiberet, conventu presbyterorum convocato, tentavit, si quâ posset ratione partibus silentium imponere.

Huic synodo interfuit Paulus Orosius, celebris ex Hispaniâ presbyter, à S. Aug. missus ad S. Hier. in Palæstinam, ut de origine animarum doceretur. Narravit ille hoc in con-

ventu ea quæ anno 412 in Africâ gesta fuerant super hæresi Pelagianâ, atque testatus est se duo à Pelagio audivisse : unum, *hominem posse esse sine peccato, si velit;* alterum, *hominem posse facilè mandata Dei custodire*, utrumque ab Africanis damnatum. Pelagius, quem inter presbyteros, laicum licet, sedere Joannes jusserat, respondit, non dicere se *id posse fieri sine adjutorio Dei;* exceptionem Pelagii libenter admisit Joannes Pelagio favens, eamque Scripturæ testimoniis confirmavit. Sed altercatione factâ, multisque causantibus eumdem non posse esse Pelagii patronum ac judicem, causamque ortam inter Latinos à latinis judicibus disceptari debere, totius negotii judicium ad R. pontificem Innocent. I delatum est, imposito interim utrique parti silentio. Ita colligitur ex Orosii Apologetico cap. 3 et 4, in quibus hujus synodi acta accuratè referuntur.

Non est autem quòd Jansenius lib. 1 de hæresi Pelagianâ, contendat, hanc synodum Jerosolymitanam commentitiam esse, et antiquis incognitam : si quidem hujus synodi meminit S. Aug. lib. de gestis Pelagii cap. 11, 14 et 16, ubi narrat, Joannem in synodo diospolitanâ rogatum, retulisse quid coram se in illo conventu Jerosolimitano gestum fuisset.

Tertia synodus adversùs Pelagium collecta fuit mense decembri ejusdem anni 415, Liddæ, quæ est Diospolis, urbs Palæstinæ. Huic præfuit Eulogius, metropolitanus Cæsariensis; adfuêre 14 episcopi. Eâ in synodo hæresis postulatus est Pelagius à duobus episcopis Gallicanis, Erote videlicet Arelatensi, et Lazaro Aquensi, non per se quidem et verbo, cùm propter unius ægritudinem ad synodum pervenire non potuerint, ut refert S. Aug. lib. de gestis Pelagii cap. 35, sed misso ad Eulogium Cæsariensem accusationis suæ libello. Libellus ille *Erotis* et *Lazari* duo continebat objectionum capita, unum adversùs Pelagium, alterum contra Cœlestium, ex illorum libris excerpta, pluribusque erroribus constantia. Singulos recenset S. Aug. citato cap. 35, lib. de gest. Palæst. Interrogatus autem Pelagius, ut erat mirus fallendi artifex, objecta sibi capita, tum dubiâ et ancipiti responsione, tum turpi æquivocatione, nomine scilicet adjutorii Dei intelligendo naturam, liberum arbitrium, legem, etc., Patribus Palæstinis illusit; idque eò faciliùs, quòd ipse latinè loquens Græcis, ab illis non intelligebatur nisi interpretis beneficio, qui ejus verba aut fideliter non reddebat, aut ejus favebat personæ. Quapropter, illi episcopi, inquit sanctus Aug. epist. 177, aliàs 95, ad Innoc. S. pontif. ut erant simplices, nihil fraudis subesse suspicati, atque nomine gratiæ quam admittebat Pelagius eam intelligentes quam doctrina catholica solet intelligere, Pelagium, errore facti, Catholicum pronuntiavêre; eâque de causâ synodum Diospolitanam, *miserabilem* appellat sanctus Hier. epist. 79.

Etsi autem Palæstina synodus, errore facti decepta, Pelagium orthodoxum judicaverit, Pelagii tamen hæresim non approbavit, imò damnavit; quod quidem constat ex S. Aug. lib. de gestis Pelagii, cap. 35, ubi sanctus doctor ex actis ipsius synodi refert, Diospolitanos Patres, lectis articulis Pelagio objectis, dixisse: *Quid ad hæc quæ lecta sunt capitula, dicit præsens Pelagius monachus? hæc enim reprobat sancta synodus, et Dei catholica Ecclesia.* Idem colligitur ex Innocent. 1° in epist. ad quinque Africanos antistites, quàm S. Aug. laudat lib. de peccat. orig. cap. 9, et ex S. Prospero Carm. de Ingratis cap. 2. Falsò itaque, ut notat S. Aug. cap. 32, citati libri de gestis Pelag. scribebat Pelagius ad àmicos, anno sequenti, sententiam suam 14 episcoporum suffragiis fuisse comprobatam.

Si quis verò pleniùs cognoscere velit quænam capita fuerint objecta Pelagio in synodo Diospolitanâ, et ejus responsiones sive potiùs effugia, adeat sanctum Augustinum lib. de gestis Pelagii, ubi fusè cuncta describit quæ à nobis brevitati consulentibus omittuntur.

Quarta synodus, quæ est secunda Carthaginensis, in causâ Pelagianorum, convocata est ab Aurelio Carthaginensi anno 416, circa tempus autumni; adfuêre 68 episcopi, quorum nomina recensentur in Synodicâ ad Innocent. Huic repente ex Oriente interfuit Orosius, qui litteras Gallicanorum episcoporum Erotis et Lazari Pelagii accusatorum Patribus Carthaginensibus obtulit narravitque ea quæ in synodis Jerosolimitanâ et Diospolitanâ gesta fuerant; lectis litteris, et Palæstinorum gestorum auditâ relatione, recensita sunt quæ ante quinquennium in causâ Cœlestii gesta fuerant in priori synodo Carthaginensi. In ipsum, ejusque magistrum Pelagium lata est sententia, quâ Patres *communi deliberatione censuerunt, hujusmodi persuasionis auctores* (Pelagius et Cælestius) *nisi hæc apertissimè anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere.* Hanc videlicet severitatem existimantes necessariam sanandis ingeniis multorum, quos illi vel jam corruperant, vel etiam in posterum poterant corrumpere; atque ut huic imminenti malo omni ex parte obviam iret

Carthaginense concilium, rem quoque judicavit ad Innocentium papam deferri oportere, *quò scilicet eorum decretis etiam apostolicæ Sedis adhiberetur auctoritas.* Ita Patres Carthaginenses in Epist. synodicâ ad Innocent. S. pontificem.

Quinta synodus contra Pelagianos celebrata fuit Milevi Numidiæ urbe, eodem anno 416, circa finem octobris. Præfuit Sylvanus provinciæ senior, eoque jure primas, et concilii præses; adfuêre 61 episcopi, quos inter eximii tres extitêre, Augustinus, Alipius et Possidius. Epistolam ad Innocent. scripsêre concilii Patres, quâ posteaquàm ei posuerunt ob oculos, quàm perniciosa esset hæresis Pelagiana, ipsum rogant atque obstestantur *ut si minùs Pelagii ac Cœlestii saluti consulere valeret, eos à nefariis suis placitis avocando, saltem eosdem condemnando aliis proficeret.* Hæc, ut et Carthaginensis synodi Epistola, manu ipsius S. Aug. exarata fuit.

Eodem anno circa finem eâdemque de causâ, præter synodicas conciliorum Carthaginensis et Milevitani epistolas, præsules quinque Africani, scilicet Aurelius, Alipius, Augustinus, Evodius ac Possidius; aliam communi nomine eidem scripsêre Innocentio epistolam, quâ totam Pelagii causam uberiùs et enucleatiùs exponebant; docebant etiam, ipsius Innocentii præsertim interesse, huic tanto malo mederi: « propterea quòd, inquiunt illi Antistites, si « cognoverint dogmatis Pelagiani sectatores « eumdem Pelagii librum quem illius vel pu- « tant esse vel nôrunt, episcoporum catholico- « rum auctoritate, et maximè sanctitatis tuæ, « quam apud eum esse majoris ponderis mini- « mè dubitamus, ab eodem ipso anathemati- « zatum atque damnatum, non eos existimamus « ulteriùs ausuros pectora fidelia, et simplici- « ter christiana turbare. » Hunc quinque episcoporum conventum Carthagine, loco sextæ synodi in causâ Pelagianorum meritò reponi probat doctissimus Garnerius, tum auctoritate Marii Mercat. in Commonit. cap. 13, n. 13, tum quia conventus ille constabat præstantissimis totius Africæ, imò et Ecclesiæ occidentalis Patribus, Aurelio præsertim et Augustino, quorum ille dux, iste ingenium conciliorum à à sancto Prospero Carmine de Ingrat. cap. 2, dictus est.

Tres itaque juxta Marii Commentatorem celebratæ sunt synodi anno 416 contra Pelagianos: prima Carthagine circa tempus autumni, altera Milevi circa finem octobris, tertia tandem iterùm Carthagine sub finem ejusdem anni.

Tribus memoratis Africanorum præsulum epistolis, Innocentius papa totidem alias rescripsit anno 417, eâdem januarii die consignatas; quæ à Julio episcopo in Africam omnes allatæ sunt. His in epistolis sanctus pontifex, 1° palmares duos Pelagianorum errores proscribit, duoque catholica dogmata his opposita definit; alterum de necessitate gratiæ, alterum de infantium Baptismo propter peccatum originale; 2° pronuntiat anathema in errorum auctores et sectatores; 3° resipiscentibus apostolicæ charitatis sinum aperit. In rescripto ad Milevitanæ synodi Patres, post damnatam, juxta Africanarum synodorum relationem, perversam Pelagii et Cælestii doctrinam, hæc habet Innocentius: « Quare inventores vocum « novarum (Pelagium et Cœlestium) Ecclesias- « ticâ communione privari, apostolici vigoris « auctoritate censemus, donec resipiscant à « diaboli laqueis.... simul autem præcipimus, « ut quicumque id pertinaciâ simili defensare « nituntur, par eos vindicta constringat...Hæc « igitur in supradictos maneat fixa sententia.... « jubemus tamen si unquàm sani, deposito « pravi dogmatis errore, resipuerint, damnâ- « rintque ea, quorum se ipsi prævaricatione « damnârunt, eis medicinam solitam, id est, « receptaculum suum ab Ecclesiâ non negari. »

Existimant plurimi, cum Marii Mercat. Commentatore Garnerio dissert. 2 de Conciliis in causâ Pelag. habitis, prædictas Innocentii ad Africanos præsules epistolas, nonnisi in coactâ synodo fuisse perscriptas; quia, inquiunt, apud pontifices romanos tunc temporis non erat in more positum, ut de rebus tanti momenti scriberent, nisi priùs convocato concilio. Ita Syricius Himerio Tarraconensi, de non rebaptizandis Arianis. Ita Anastasius Joanni Jerosolymitano, de Origenis erroribus. Ita Zozimus universis episcopis, de condemnatione Pelagii et Cœlestii. Ita Cœlestinus Cyrillo et aliis de Nestorii impietate. Ita Leo Magnus Flaviano, adversùs Eutychen, etc. Censet autem ibidem Garnerius, synodum hanc Romanam ex quâ ad Patres Africanos rescripsit Innocentius, septimam esse ex iis quæ adversùs Pelagianos celebratæ sunt.

Ad hanc Innocentii primi sententiam contra Pelagianam hæresim pertinet quod scripsit sanctus Prosper Carm. de Ingratis.

Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri.

Primas partes in damnatione Pelagianorum Sedi romanæ dedit S. Prosper, quia præcedentia concilia, aut Pelagium et Cœlestium non damnaverant, aut ultimum causæ integræ judicium detulerant ad Innocentium papam; et licet hæresim detestata fuissent, ac proscribendam judicâssent, apostolicæ tamen auctoritatis judicio sententiam suam muniri ac confirmari enixè postulaverant.

Pelagius ac Cœlestius ubi damnatos se ab apostolicâ Sede, totâque simul Ecclesiâ Africanâ audivêre, actum esse de suâ ipsorum causâ, si damnatio illa vim obtineret, probè intellexerunt: undè, ut hanc à se damnationis sententiam averterent, oblatis romano pontifici simulatis ac captiosis fidei suæ libellis, ipsi fucum facere omni arte conati sunt. Et quidem Cœlestius relictâ Epheso Constantinopolim profectus, hâc in urbe, uti olim in Africâ fecerat, impietatis suæ dogmata disseminare aggressus est. Id ubi primùm cognovit Atticus, ejusdem civitatis episcopus, eum inde magno studio ac diligentiâ expulit, missis adversùs ipsum litteris ad episcopos in Asiam, Thessalonicam et Carthaginem; de quo meminit S. Aug. lib. 3 contra Julian. cap. 1, et Marius Mercator in Commonit. cap. 1, n. 4, credit Atticum ex auctoritate concilii eam in rem coacti hoc ipsum præstitisse; neque enim eâ tempestate moris erat, mitti dogmaticas epistolas ab ullo episcopo ad majores Sedes integrasque diœceses, cujusmodi erant Asia, Macedonia et Africa, nisi ex concilio; quod variis exemplis, ex Lucâ Holstenio desumptis in notis ad synodum Rom. sub Bonifacio II, colligit Marii Commentator Parisinus loco antea citato; hancque synodum anno 417 celebratam, octavam esse ex iis quæ contra Pelagianos habitæ sunt, existimat eruditus ille auctor. Eodem anno Pelagius in synodo Antiochenâ à Theodoto illius urbis episcopo damnatus est, et Jerosolymis ejectus, ut testatur Marius Mercator Commonit. cap. 3. Hæc synodus nona numeranda est in causâ Pelagianâ.

Porrò Cœlestius Constantinopoli pulsus, hoc ipso anno 417, *Romam totâ festinatione perrexit*, ut loquitur Marius Mercator, atque Zozimo qui Innocentio successerat, querimonias detulit contra Erotam et Lazarum, suos ac Pelagii accusatores, et contra synodorum Africanarum judicium, ipsique libellum fidei obtulit. Eâ de causâ Zozimus circa finem augusti, aut initium septembris ejusdem anni 417, congregavit synodum, quæ est altera Romana, et decima ex iis quæ in negotio Pelagianorum celebratæ sunt; quidquid ad eam usque diem actum in Cœlestii causâ fuerat, illic excussum est.

Cœlestium diligenter interrogavit Zozimus, ipsique suasit ut ea quæ sibi à Paulino Diacono objecta fuerant, damnaret, ac decretis Innocentii prædecessoris sui præberet assensum: « At ille, inquit S. Aug. lib. de peccat. origi« nali cap. 7, noluit quidem Diaconi objecta « damnare, sed beati papæ Innocentii litteris « non est ausus obsistere; imò se omnia quæ « Sedes illa damnaret, damnaturum esse pro« misit. » Quin etiam, ut refert idem S. doct. lib. 2 contra duas epist. Pelagianorum cap. 4, absolutè ac simpliciter « professus est, se beati « papæ Innocentii litteris consentire..... et « omnia sibi objecta damnare secundùm sen« tentiam beatæ memoriæ Innocentii. » Isti tam sinceræ, ut videbatur, professioni, credens Zozimus, libellum Cœlestii catholicum declaravit; *non quod*, inquiunt Doctissimi Benedict. in suâ præfatione n. 14, *quæ dogmata Cœlestii continebat, ipse approbaret, sed quòd apostolicæ Sedis judicium amplecti, paratissimum se iste prædicaret;* seu, ut docet Natalis Alex. Hist. Eccles. dissert. 3 seculi, Cœlestii libellus à Zozimo declaratus est catholicus; non quidem habitâ ratione propositionum et dogmatum quæ continebat, sed habitâ ratione mentis et affectûs quem enuntiabat Cœlestinus, quia nimirùm sententiam suam Sedis apostolicæ judicio corrigendam subjecerat, et Inn. I decretis assentiri se fuerat professus; unde non tàm in ipsum libellum, quàm in ejus auctorem, catholici nominis cadebat appellatio à Zozimo data. Ita clarè colligitur ex S. Aug. citato lib. 2 contra duas epist. Pelag. cap. 3: « In homine « acerrimi ingenii, inquit, qui profectò, si cor« rigeretur, plurimis profuisset, voluntas emen« dationis, non falsitas dogmatis approbata est: « et propterea libellus ejus catholicus dictus « est, quia et hoc catholicæ mentis est, si qua « fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea « certissimè definire, sed detecta ac demon« strata respuere... hoc in illo factum esse pu« tabatur, quando se litteris beatæ memoriæ « papæ Innocentii, quibus de hâc re dubitatio « tota sublata est, consentire respondit. » Neque tamen, ut observat idem S. Aug. lib. de peccat. origin., cap. 7, « à vinculis ex communicationis « nondùm est creditus esse solvendus (Cœle« stius) sed interposito duorum mensium tem« pore, donec rescriberetur ex Africâ, ubi ejus « calliditas aliquantò evidentiùs innotuerat, re« sipiscendi ei locus sub quâdam medicinali sen-

« tentiæ lenitate concessus est; quoniam reverà, « si depositâ pervicaciæ vanitate, quod promi- « serat, vellet attendere, et easdem litteras, « quibus se consensurum esse responderat, « diligenter legeret, sanaretur. »

His ergo Cœlestium ita constitutis ad Aurelium cæterosque Africanos antistites litteras dedit Zozimus, quibus eos de rebus cum Cœlestio gestis certiores faceret; eos insuper quòd solis Erotis et Lazari exauctoratorum et absentium episcoporum accusationibus tantam fidem in re tanti momenti adhibuissent, subirato animo perstringit; tandem, Cœlestium præsentem se tueri, fidem suam exponere, accusatoresque suos provocare: « Quare, inquit S. « pontifex, intra secundum mensem aut ve- « niant, qui præsentem redarguant, aliter sen- « tire, quàm libellis et confessione contexuit; « aut nihil, post hæc tam aperta et manifesta « quæ protulit, dubii sanctitas vestra resedisse « cognoscat. » Quæ de Cœlestio narravimus, partim ex prioribus Zozimi litteris ad Africanos constant, partim ex Aug. lib. 2 ad Bonifac. cap. 3, 4; Mario Mercatore Commonit. cap. 1, 2, et aliis ejusdem ævi scriptoribus.

Quod autem Pelagium spectat, postquàm in Africam pro Cœlestio scripserat Zozimus, litteras à Praylio accepit Jerosolymitano post Joannem episcopo, *quibus causæ Pelagii enixiùs adstipulator interveniebat,* ut loquitur idem Zozimus in posterioribus ad Africanos epistolis. Pelagius ipse suam quoque epistolam, quâ hæresis crimen ab se depelleret addiderat; adjunctâ et fidei professione, in quâ sincerè, quid crederet, quidve respueret, declarare se testabatur. Utramque dirigebat ad Innocentium, utpote quas obitu ejusdem pontificis nondùm audito scripserat; verùm cùm in illius locum jam suffectus fuisset Zozimus, huic utique redditæ sunt. Ita observat S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 30, et lib. de peccat. origin. cap. 17.

Accepta Pelagii scripta Zozimus in consessu publico recitari jussit; in iis quæcumque ab Africanis episcopis damnata fuerant, callidè reticuerat versipellis hæresiarcha, suamque fidei professionem, coronide admodùm catholicâ, si ea sincera fuisset, claudebat: « Hæc est « fides, papa beatissime, inquiebat, quam in « Ecclesiâ catholicâ didicimus... in quâ si mi- « nùs peritè, aut parùm cautè aliquid fortè « positum est, emendari cupimus à te, qui Pe- « tri et fidem et Sedem tenes. » Ex his, liquidò purgare se Pelagium, ac fidem suam tantâ perspicuitate exponere, ut locum malignis interpretationibus nullum relinqueret, judicavit Zozimus. Ita testatur S. pontifex in posterioribus suis litteris ad Aurelium aliosque Afros antistites super eâ re datis XI Kal. octobris ejusdem anni 417: « Utinam, inquit, ullus, « vestrûm recitationi litterarum interesse po- « tuisset! Quod sanctorum virorum qui ade- « rant, gaudium fuit? Vix fletu quidam se et « lacrymis temperabant, tales etiam absolutæ « fidei infamari potuisse. Estne unus locus in « quo Dei gratia vel adjutorium prætermissum « sit? Quid quisquis potest præterea dicere, « vel mente concipere? » Acceptis quas Zozimus papa miserat in Cœlestii favorem epistolis, Aurelius Carthaginensis episcopus, et totius Africæ primas, synodum coegit ineunte novembri ejusdem anni 417, ex variis Africæ provinciis. Eo in concilio Africani præsules, 1° litteras ad Zozimum dedêre, quibus ipsum obtestabantur, ut nihil de sententiâ in Pelagium et Cœlestium ab Innocentio prædecessore suo ad relationem Africanarum synodorum latâ immutaret, sed in eo quo erant statu cuncta relinqueret, donec è suis aliquem Romam mitterent cum idoneis causæ instrumentis, quibus hæreticorum artes aperirentur, palàmque fieret quàm legitimè et canonicè fuissent damnati. Hæ litteræ initio concilii Zozimo confestim scriptæ, ut Romam ipsæ, si fieri posset, ante pervenirent, quàm concessi ab illo duo menses essent exacti. 2° Aliquantò post idem Africani Patres maturâ deliberatione præhabitâ, Marcellinum subdiaconum ad Zozimum direxêre cum prolixioribus litteris pontifici tradendis, quibus quidquid apud ipsos super Cœlestii causâ factum antea fuerat, exponebant, simulque Pelagii et Cœlestii errores, dolos, fallacias et cavillationes aperiebant. 3° Innocentii I sententia in Pelagium et Cœlestium lata, in eodem concilio acceptata fuit: « Con- « stituimus (inquiunt Patres in Epist. synodicâ « ad Zozimum) in Pelagium atque Cœlestium « per venerabilem episcopum Innocentium de « Beatissimi Apostoli Petri Sede prolatam ma- « nere sententiam, donec apertissimâ confes- « sione fateantur, gratiâ Dei per Dominum « nostrum Jesum Christum... nos per singulos « actus adjuvari, ita ut nihil sine illâ nihil veræ « sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, « agere valeamus. » 4° Tandem canones octo (alii novem numerant) de gratiâ Dei adversùs Pelagianos conditi sunt et litteris ad Zozimum additi.

Hoc ipsum concilium, undecimum est ex iis quæ adversùs Pelagianos coacta fuère; Carthagine quidem habitum est, sed Africanum vocare solet Augustinus; sic epist. 215, n. 2, lib. de peccat. origin. cap. 7, 8 et 21, eò forsitan quòd è pluribus quidem provinciis constabat, licet non ex omnibus, quo id ab insequentis anni concilio plenario ac generali distinguit.

Anno sequenti 418, Kal. maii, Carthagine celebrata est duodecima contra Pelagianos synodus. Ad hanc ex omnibus Africæ provinciis episcopi ab Aurelio vocati convenerunt; unde, licet à loco Carthaginensis vulgò dicatur, à sancto tamen Augustino epist. 215, aliàs 47, ad Valentinum, Africana nominatur; estque prima totius Africæ in causâ hæresis Pelagianæ. Huic adfuerunt 214 episcopi, teste S. Prospero in chronico ad annum 418; Photius in Bibliothecâ codice 53, ducentos viginti quatuor præter Aurelium et Donatianum numerat. In illà synodo totius Africæ plenariâ, Pelagianam hæresim repetitis anathematibus confoderunt præsules Africani, canonesque octo in priori synodo conditos confirmârunt ac promulgârunt. Synodum hanc à priori disertè distinguit S. Aug. citatâ epist. 215, his verbis: « Item quod papæ « Zozimo de Africano concilio scriptum est, « ejusque rescriptum ad universos totius orbis « episcopos missum; et quod posteriori conci« lio plenario totius Africæ contrà ipsum erro« rem breviter constituimus,.... hæc omnia « misimus vobis. » De utroque hoc Africano concilio mentionem habet S. Prosper Carmine de Ingrat. cap. 2.

Zozimus acceptis à priori synodo Africanâ rescriptis gestisque omnibus quæ Pelagianam causam et Pelagii Cœlestiique damnationem in prioribus synodis factam spectabant, fraudes hæreticorum exploratas et perspectas habuit, Cœlestiumque ex Africani concilii monitis iterùm examinare decrevit. Coactâ igitur Romæ synodo, diem dixit Cœlestio, ut huic adesset, atque in eâ hæretici dogmatis capita ab Africanis missa palàm et absque fuco et tergiversatione damnaret; at ille artes et dolos in hæresi suâ occultandâ detectos videns, *se substraxit examini*, et Româ fugit. Id habemus ex S. Aug. lib. 2 ad Bonif. cap. 3. Quamobrem Zozimus eâ in synodo Africani concilii decreta probavit, roboravitque, ac prædecessoris sui judicium secutus, Pelagium et Cœlestium, et hæretica ipsorum dogmata *repetitâ auctoritate* damnavit, atque tractoriam eâ de re ad omnes totius orbis Christiani episcopos dedit epistolam, quæ per totum orbem missa fuit, et ab omnibus catholicis antistibus subscripta. Ista constant ex S. Aug. loco mox citato, tum lib. 1 contra Julianum cap. 4, et lib. 6, cap. 12; S. Prospero lib. contra collatorem et in Chronico; Mario Mercat., etc. De tractoriâ Zozimi dicemus art. sequenti.

Synodus illa à Zozimo coacta, tertia est Romana, et decima tertia earum quæ in causâ Pelagianorum habitæ sunt; ea ipsa est, quam S. Aug. lib. 2 ad Bonifac. cap. 3, appellat, *apostolicæ Sedis examen et judicium;* S. Prosper lib. contrà Collat. cap. 41, et in Carm. de Ingratis, *Concilium cunctorum sacerdotum, mundi manu subscriptum;* Marius Mercator Commonit. cap. 1, *audientiam pleniorem.* Inter Africanum anni 417 concilium et plenarium anni 418 reponenda est ista synodus, quod non obscurè colligitur ex citatâ mox epistolâ 125 S. Aug. ad Valentinum. Quo autem præcisè mense habita fuerit, incertum; conjicit sæpius citatus Marii Mercat. Commentator, statim post absolutos dies festos Paschales anni 418 habitam fuisse, id est, die 15 aprilis, gestisque ad Honorium delatis, editam pridiè Kalendas maii solemnem hujusce imperatoris contra Pelagianos sanctionem.

Eodem anno 418, autumnali tempore, rursùs celebrata est Carthagine altera plenaria totius Africæ synodus; hæc tertia est Africana, et decima quarta contra Pelagianos. In eâ Zozimi papæ epistolæ ad Afros, et tractoria ad totius orbis episcopos perlectæ sunt, et summo Patrum plausu exceptæ, qui datis ad pontificem litteris, ipsi de Pelagianorum damnatione, quemadmodùm par erat, gratulati sunt. Istud colligitur ex S. Prospero lib. contra Collatorem cap. 10, et ex auctore collectionis Capitulorum de grat. adnexæ epistolæ Cœlestini I ad episcopos Galliæ cap. 8.

Varia subindè variis in regionibus celebrata sunt concilia. Verùm cùm plurimi spretis his conciliorum et summorum Pontificum decretis, tum errores, tum personas Pelagii et Cœlestii defenderent, inter quos erant decem et octo episcopi, ut colligitur ex S. Aug. lib. 1 ad Bonifac. cap. 1, auctoritate tum pontificiâ, tum imperiali, jussi sunt omnes, non modo episcopi, presbyteri et clerici, sed et ipsimet laici subscribere damnationi, non solùm doctrinæ, sed etiam personarum.

Frustra autem conquesti sunt Pelagiani, particularia duntaxat fuisset concilia à quibus

damnati fuerant; tantique momenti negotium, nonnisi universalis concilii judicio esse definiendum; frustra causati sunt, *simplicibus episcopis, sine congregatione synodi in locis suis sedentibus, extortam fuisse subscriptionem*, frustra ex illis decem et octo episcopi, ut observat S. Aug. ad œcumenicam synodum provocationem suam interponunt; vanas ac futiles hasce Pelagianorum quærimonias egregiè refellit S. Aug. variis in locis, præsertim verò citato lib. 4 ad Bonif. cap. ultimo: « Aut verò, inquit, « congregatione synodi opus erat, ut aperta « pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis « aliquando nisi synodi congregatione damnata « sit; cùm potiùs rarissimè inveniantur, pro« pter quas damnandas necessitas talis extiterit; « multòque sint atque incomparabiliter plu« res, quæ ubi extiterunt, illic improbari « damnarique meruerunt, atque inde per cæ« teras terras devitandæ innotescere potue« runt. Verùm istorum superbia, quæ tantùm « se extollit adversùs Deum, ut non in illo « velit, sed potiùs in libero arbitrio gloriari, « hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut « propter illos Orientis et Occidentis synodus « congregetur, orbem quippè catholicum, quo« niam Domino eis resistente pervertere ne« queunt, saltem commovere conantur; cùm « potiùs vigilantiâ et diligentiâ pastorali, post « factum illis competens sufficiensque judi« cium, ubicumque isti lupi apparuerint, con« terendi sunt, sive ut sanentur atque muten« tur, sive ut ab aliorum salute, atque inte« gritate vitentur. » Et lib. 3 contra Julian. cap. 3: « Vestra, inquit S. D. apud competens « judicium communium episcoporum modò « causa finita est; nec ampliùs vobiscum agen« dum est, quantùm ad jus examinis pertinet, « nisi ut prolatam hâc de re sententiam cum « pace sequamini; quòd si nolueritis, à turbu« lentâ vel insidiosâ inquietudine cohibeamini. » Et rursùs lib. 1 Operis imperf. contra Julian. cap. 10, Pelagianis sic respondet idem S. D.: « Absit à christianis potestatibus terrenæ rei« publicæ, ut de antiquâ catholicâ fide dubi« tent, et ob hoc oppugnatoribus ejus locum « et tempus examinis præbeant; ac non potiùs « in eâ certi atque fundati, talibus, quales vos « estis, inimicis ejus disciplinam coercitionis « imponant. » Verùm nec Pelagianorum damnationi tandem defuit œcumenica synodus; Ephesina etenim anno 431, contra Nestorium congregata, actione 5 et 7, Cœlestii et Pelagii errores anathemate rursùs confixit. Ita colligitur ex Epist. synodicâ ejusdem concilii ad S. Cœlestinum papam, et ex S. Prosp. in epitaphio hæresis Nestorianæ et Pelagianæ.

Juvat nunc paucis hic exhibere distinctam synodorum synopsim, quæ contra Pelagianos celebratæ sunt; tum earum quæ hucusque memoratæ sunt, tum nonnullarum quæ prætermisimus, quasque refert Marii Mercatoris Commentator Parisinus.

Prima. Synodus celebrata fuit anno 412, Carthagine, in causâ Cœlestii. Secunda. Jerosolymis sub Joanne episcopo, anno 415, mense julio, in causâ Pelagii. Tertia. Diospoli eodem anno mense decembri. Quarta. Carthagine anno 416, circa tempus autumni. Quinta Milevi eodem anno circa finem octobris. Sexta iterùm Carthagine sub finem ejusdem anni à 5 episcopis. Septima. Synodus Romana prima sub Innocent. anno 417. Octava. Synodus constantinopolitana sub Attico contra Cœlestium eodem anno. Nona. Synodus Antiochena sub Theodoto contra Pelagium eodem tempore. Decima. Synodus Romana secunda sub Zozimo in causâ Cœlestii, circa initium septembris ejusdem anni 417. Undecima. Synodus Africana prima contra Pelagianos tempore Zozimi, ineunte novembri ejusdem anni 417. Duodecima. Synodus Romana tertia sub Zozimo, circa medium aprilis 418. Decima tertia, Synodus Africana secunda Kalendis maii ejusdem anni 418. Decima quarta. Synodus Africana tertia eodem anno, autumnali tempore. Decima quinta. Synodus quarta Africana anno 419. Decima sexta. Synodus in Ciliciâ adversùs Julianum anno 423. Decima septima synodus Constantinopolitana, in causâ episcoporum ex Italiâ ejectorum propter hæresim Pelagianam, anno 424. Decima octava. Synodus Romana quarta sub S. Cælestino anno 425. Decima nona. Synodus Africana quinta, in causâ Leporii, eodem anno. Vigesima. Gallicana, cujus tempus, locus et præses incerti; eam Arelate præside Patroclo Arelatensi episcopo habitam fuisse circa annum 427, conjicit Marii Mercatoris interpres. Vigesima prima. Anglicana Verolamii anno 429, quâ in synodo sanctissimi duo antistites Galli Germanus Autissiodorensis et Lupus Trecensis, Pelagianos qui ad finem impugnandam convenerant, debellàrunt atque convicerunt. Vigesima secunda. Synodus Romana quinta sub S. Cœlestino circa annum 430. Vigesima tertia. Synodus Ephesina generalis anno 431.

Ex iis patet quàm numerosa sit series conci-

liorum quæ annorum novemdecim spatio habita sunt.

ARTICULUS II.

De Constitutionibus summorum pontificum contra Pelagianos.

Plurimi summi pontifices Pelagianam hæresim suis Constitutionibus profligavère; præcipui sunt SS. Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Cœlestinus, Sixtus et Leo Magnus, de quibus hæc habet Gelasius ad Honorium Dalmatiæ episcopum : « An fortè nescitis hanc hæresim « (Pelagianam) ab apostolicâ dudùm Sede per « beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zo-« zimum, Bonifacium, Cælestinum, Sixtum, « Leonem continuis et incessabilibus sententiis « fuisse prostratam? » De præcipuis horumce pontificum decretis jam paucis dicendum.

1° Innocentius papa, ut supra observavimus, acceptis tribus epistolis concilii Carthaginensis, concilii Milevitani, et quinque episcoporum, totidem ex synodo romanâ ad Africanos præsules ipso anno 417, mense januario rescripsit dogmaticas epistolas; in his damnatâ hæresi Pelagianâ, anathemate percussi sunt illius auctores ac sectatores.

Circa istud apostolicæ Sedis judicium, omitti certè non debent præclara hæc S. Aug. « verba : Jam, ait S. doctor serm. 131 de « verbis Apost. n. 10, de hâc causâ duo con-« cilia missa sunt ad Sedem apostolicam; inde « etiam rescripta venerunt; causa finita est; « utinam aliquando finiatur error. » Concio hæc, ut observant Doctiss. Benedictini in præfatione tomi 10 Operum S. Aug. habita est paucis à lato Innocentii decreto mensibus, nono scilicet Kalendas octobris die Dominico, qui dies in annum 417 incidebat. Hoc S. pontificis decreto, sæpiùs in Julianum utitur S. Aug. Sic lib. 3 contra Julianum n. 5 : « Vestra verò, « inquit, apud competens judicium commu-« nium episcoporum modò causa finita est; nec « ampliùs agendum, nisi ut prolatam hâc de « re sententiam cum pace sequamini, quod si « nolueritis, à turbulentâ inquietudine cohi-« beamini. » Idem repetit S. doctor lib. 4 contra Julianum cap. ultimo.

2° Zozimus, Innocentii successor, anno 418, eosdem Pelagianos decretoriâ tandem sententiâ damnat. Circa hanc Zozimi sententiam, quam tractoriam vocant, nonnulla hìc veniunt observanda. Primum, tractoriam hanc prolixam fuisse epistolam, quæ totam Pelagii, Cœlestiique causam, excerptasque ex ipsorum libris sententias contineret, atque in eà Pelagiana dogmata cum suis auctoribus damnabantur. Id habemus ex S. Aug. lib. de peccat. orig. cap. 21, et ex epist. 190, aliàs 157. Secundum, eamdem tractoriam ad omnes totius christiani orbis episcopos missam fuisse, et ab iisdem subscriptam. Ita testantur plerique 5 seculi scriptores. S. Aug. epist. 190 ad Optatum, aliàs 157 : « Hæresis novæ, inquit, vel aucto-« res, vel certè acerrimi, notissimique suaso-« res, cùm Pelagius et Cælestius extitissent, « conciliorum Episcopalium vigilantiâ, in ad-« jutorio Salvatoris, qui suam tuetur Eccle-« siam, etiam à duobus venerabilibus antistibus « Apostolicæ Sedis, papâ Innocentio et papâ « Zozimo, nisi correcti etiam egerint pœni-« tentiam, toto christiano orbe damnati sunt, « de quibus exempla recentium scripturarum, « sive quæ specialiter ad Afros, sive quæ uni-« versaliter ad omnes episcopos de memoratâ « Sede manârunt, ne fortè ad vestram frater-« nitatem nondùm pervenerint, vobis curavi-« mus mitti. » Et epist. 215, aliàs 57, ad Valentinum : « Item quod Zozimo de Africano « concilio scriptum est, ejusque rescriptum ad « universos totius orbis episcopos missum. » S. Prosper lib. contra Collatorem cap. 1 : « Ca-« tholica acies, inquit, non patitur respirare « quos vicit, et in quorum excidium unam « cunctorum sacerdotum manu sententiam « scripsit. » Ibidem cap. 21 : « Africanorum « conciliorum decretis papa Zozimus sententiæ « suæ robur annexuit, et ad impiorum de-« truncationem gladio Petri dextras omnium « armavit antistitum. » Et Carmine de Ingratis, cap. 9 :

> .... Nempè hæc damnata fateris
> Conciliis, mundique manu.

Auctor appendicis ad epistolam S. Cœlestini ad episcopos Galliæ : « In quam nos senten-« tiam dirigit beatæ recordationis papæ Zo-« zimi regularis auctoritas, cùm scribens ad « totius orbis Episcopos ait: *Vos autem instin-« ctu Dei,* » etc.

Marius Mercator in Commonit. ad Theodosium cap. 1. « A prædicto Zozimo, inquit, « scriptis amplissimis vel longissimis prædam-« natus est (Cœlestius), in quibus et ipsa ca-« pitula, de quibus accusatus fuerat, conti-« nentur, et omnis causa, tam de Cælestio, « quàm de Pelagio videtur esse narrata, quo-« rum scriptorum et nos hic habemus exem-« plaria, et ad orientales Ecclesias, Ægypti « diœcesim, et Constantinopolim, et Thes-« salonicam, et Jerosolymam, similia eadem-

« quæ scripta ad episcopos transmissa esse sug- « gerimus. » Ibidem cap. 3: « Quæ omnia supra « scripta capitula continet illa beatæ memo- « riæ episcopi Zozimi epistola, quæ tractoria « dicitur, quâ Cœlestius Pelagiusque damnati « sunt, quæ et Constantinopolim, et per to- « tum orbem missa, subscriptionibus SS. Pa- « trum est roborata, » etc.

Tertium prædicto Zozimi decreto, episcopi omnes, exceptis octodecim, quorum dux erat Julianus, subscripsêre, qui idcirco depositi sunt. Ita declarat Marius Mercator citato cap. 3. Commonit., ubi post verba mox relata statim subjungit: « Cui (tractoriæ) Julianus et reliqui « complices ejus subscribere detrectantes, con- « sentaneosque se nolentes iisdem patribus fa- « cere, non solùm imperialibus legibus, sed et « sacerdotalibus statutis depositi, atque exau- « ctorati, ex omni Italiâ deturbati sunt. » Idem habetur ex S. Prospero lib. contra Collatorem cap. 1, his verbis: « Catholica acies « non patitur respirare quos vicit.... pulsi « pontificio et communione privati, querantur « de felicitate nostræ victoriæ, et arment in « nos linguas suas, qui exulare à veritate, « quàm cives esse Ecclesiæ maluerunt. »

Existimant nonnulli cum Norisio lib. 1 hist Pelag. cap. 11, tractoriam Zozimi à decreto Innocentii in eo tantùm fuisse diversam, quòd istud pressiùs, illa latiùs doctrinam catholicam contineret. « Innocentius papa, inquit Genna- « dius lib. de scriptoribus ecclesiast. cap. 43; « scripsit decretum occidentalium et orienta- « lium ecclesiarum adversùs Pelagianos datum, « quod postea successor ejus Zozimus latiùs « promulgavit. » Idem indicant SS. Aug. lib. de peccat. orig. cap. 7, et Prosper contrà Collatorem cap. 10.

3° Bonifacius papa infensissimus fuit hæresis Pelagianæ hostis, et acerrimus fidei catholicæ propugnator, de quo S. Prosper lib. contra Collat. ita scribit: « Sanctæ memoriæ Bo- « nifacius.... contra inimicos gratiæ Dei, non « solùm apostolicis, sed etiam regiis utebatur « edictis; et quando idem cùm esset doctissi- « mus, adversùs libros Pelagianorum beati « Augustini episcopi responsa poscebat.. »

4° Idem de Cœlestino papâ testatur S. Prosper citato libro contra Collat. cap. 41, ubi de sanctissimo pontifice sic loquitur: « Per hunc « virum etiam orientales Ecclesiæ geminâ peste « purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ « urbis antistiti, gloriosissimo fidei catholicæ « defensori, ad execrandam Nestorianam im- « pietatem apostolico auxiliatus est gladio, quo « etiam Pelagiani, dùm cognatis confœderan- « tur erroribus, iterùm prosternerentur. »

5° Sixtus, qui in sede apostolicâ S. Cœlestino successit, pariter adversùs Pelagianos causam catholicam egregiè propugnavit; in Julianum, Pelagianum, qui ad Eclanensem episcopum, ex quo fuerat olim dejectus, et in Romanæ Ecclesiæ communionem, simulatâ pœnitentiâ irrepere tentabat, constanter rejecit. Ita declarat S. Prosper in Chronico.

7° Tandem S. Leo Epist. ad episcopum Aquileiensem 6, aliàs 86, quæ est de Pelagianis, hæresim hanc iterato anathemate confodit, atque Pelagianos in communionem recipiendos non esse declarat, nisi priùs erroris et auctorum ipsiùs damnationi expressè subscripserint: « Damnent, inquit, apertis professionibus sui « superbi erroris auctores, et quidquid in doc- « trinâ eorum universalis Ecclesia exhorruit, « detestentur; omniaque decreta synodalia quæ « ad excisionem hujusce hæreseosque aposto- « licæ sedis confirmavit auctoritas, amplecti « se et in omnibus approbare, plenis et aper- « tis, ac propriâ manu subscriptis protesta- « tionibus eloquantur. Nihil in verbis eorum « obscurum, nihil inveniatur ambiguum. » Rursùs ibidem: « omnes, sive presbyteri, sive « diaconi, sive cujuscumque Ordinis Clerici, « qui de Pelagianorum Cælestinianorumque « consortio.... quorum si quisquam salubribus « præceptis obedire detrectârit, sive ille cle- « ricus, sive sit laicus, ab Ecclesiæ societate « pellatur, ne perditor animæ suæ, saluti in- « sidietur alienæ. »

Et in Epist. ad Septimium 7, aliàs 85: « Sa- « luberrimum est, inquit et spiritualis medi- « cinæ utilitate plenissimum, ut sive presby- « teri, sive diaconi, sive alii cujuslibet ordinis « clerici qui se correctos videri volunt, erro- « rem suum, et ipsos erroris auctores damnari « à se sine ambiguitate fateantur. »

ARTICULUS III.

De dogmaticis SS. Patrum libris adversùs Pelagianos.

Celebriores fidei catholicæ adversus hæresim Pelagianam defensores sunt, SS. Hieronymus et Augustinus; Orosius, Sixtus et Marius Mercator; nam Prosper et Hilarius contra solos ferè Semipelagianos scripsêre. Juvat hîc paucis texere catalogum præcipuorum operum quæ quatuor ex his fidei vindicibus adversùs Pelagianos edidêre, rejectâ ad calcem totius dis-

sertationis exactâ et chronologicâ operum S. Aug. contra eosdem hæreticos analysi; hæc enim, utpote gravioris momenti, fusiorem postulat stylum.

§ 1. *De scriptis S. Hieronymi contra Pelagianos.*

Primus fidei contra Pelagianos defensor laudandus venit S. Hieronymus. Scripsit autem contra Pelagianos, 1° epistolam ad Marcellinum de origine animarum, versùs annum 411. In eâ porrò quinque referuntur opiniones circa originem animarum, nempè quòd vel in corpora labantur è cœlo, ubi præexisterint; vel ex divinâ substantiâ tanquàm particulæ defluant, vel à Deo quotidiè fiant, vel sint ex traduce. Priores duas explodit ut hæreticas, tertiam rejicit tanquàm *ecclesiasticorum nonnullorum stultam persuasionem*; quartam amplectitur ut suam; quintam *maximæ parti Occidentalium tribuit.*

2° Scripsit S. Hier. contra Pelagianos epistolam ad Ctesiphontem anno circiter 415. In hâc epistolâ disputat S. doctor adversùs librum Pelagii *de Naturâ*, ejusque has potissimùm sententias impugnat, quibus ille pronuntiabat, *posse hominem sine peccato esse, si velit;* deinde, *liberum destrui arbitrium, si alterius ope indiget;* postremò, *facilia Dei esse mandata.* Sub finem ejusdem epistolæ Pelagium hortatur Hieronymus, ut publicè prædicet quod secretò discipulis loquitur : *Nam Ecclesiæ victoria est*, inquit, *vos apertè dicere quod sentitis.*

3° Idem S. doctor anno 415, tres dialogorum libros conscripsit contra Pelagianos. In iis Atticum et Critobulum inducit secum invicem disceptantes; hic Pelagianam hæresim propugnat, ille catholicæ fidei causam tuetur. Præcipuus S. doctoris scopus in hisce libris in eo versatur, ut τῆς ἀπάθειας, id est, imperturbationem Pelagianorum impugnet, et divinæ gratiæ necessitatem commendet.

4° Scripsit insuper de re Pelegianâ præfationes quatuor ad libros suos Commentariorum in Jeremiam; hæ præfationes plurimùm continent historiæ, atque ex his facile est intelligere, quis fuerit causæ Pelagianæ status in Palæstinâ ab adventu Pelagii ad synodum Diospolitanam.

5° Tandem tres alias epistolas de causâ Pelagianâ edidit S. Hier.: prima ad Alypium et Aug. 202, paulò ante mortem S. Hier. scripta est, nimirùm anno 419, sub finem; altera, 195, ad Aug.; tertia, ad eumdem Aug. 123. Tres illæ epistolæ declarant rei Pelagianæ in Palæstinâ statum à synodo Diospolitanâ usque ad annum 419.

§ 2. *De Orosii scriptis adversùs Pelagianos.*

Paulus Orosius celebris Hispaniarum presbyter SS. Hieronymo et Aug. amicissimus, post Hierosolymitanam synodum, in quâ Pelagianum dogma strenuè confutavit, agentibus iisdem Pelagianis à Joanne Hierosolymitano malè exceptus est, et Ecclesiâ ad quam propter Encæniorum solemnitatem advenerat expulsus, quasi per summam blasphemiam asseruisset, *hominem nequidem cum Dei adjutorio, posse esse sine peccato, et mandata Dei observare.* Ut hanc à se calumniam propulsaret Orosius, Apologiam edidit quæ inscribitur : *Apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate.*

In duas porrò distribuitur partes, altera historica, altera dogmatica. Illa res gestas in conventu Jerosolymitano refert, et scribendi causam; ista Pelagianos errores egregiè confutat, nec immeritò videri potest, quoddam quasi compendium doctrinæ ab Hier. et Aug. traditæ. Hanc conscripsit Apologiam Orosius anno Christi 415, ante synodum Diospolitanam.

Sunt qui cum Jansenio prædictam Orosio abjudicent epistolam; verùm ii non satis advertunt Apologeticum hunc magnam habere ab Aug. auctoritatem, certamque fidem. Legantur quæ habet S. doctor de gestis Palæstinis cap. 11, 14 et 16. Vide etiam Commentatorem Marii dissert. 6, cap. 3, et Natalem Alexand. Hist. Eccles. secul. 5, cap. 3, art. 6, parag. 2.

§ 3. *De Sixto, presbytero romano.*

Sixtus, illustris romanæ Ecclesiæ presbyter, qui Cœlestino I in Sede upostolicâ successit, inter eos etiam aumeratur qui adversùs Pelagianam hæresim scripsêre. Ipsi sex hypognosticon, id est, subnotationum libros adscribit eruditus Marii Mercatoris interpres Garnerius. Id variis momentis conjicit prædictus auctor, quæ apud eumdem videri possunt dissert. 6 de scriptis adversùs hæresim Pelagianam cap. 4.

§ 4. *De Mario Mercatore.*

Fortissimum illum fuisse fidei catholicæ adversùs Pelagianos vindicem, demonstrant quæ nunc supersunt ejusdem opera; ea in unum collegit ac doctissimis dissertationibus adornavit eruditus Garnerius. Duo celebriora sunt ipsius opera, *Commonitorium* scilicet Theodosio imperatori oblatum anno circiter

429 et liber *Subnotationum* in postremos Juliani libros, qui probabiliùs creditur scriptus sub finem anni 431, quo tempore celebrata fuit Ephesina synodus. Utrumque opus plurima sanè eximia complectitur, tum ad historiam, tum ad dogmata Pelagii et Cœlestii penitiùs dignoscenda.

Commonitorii quinque sunt partes. Prima complectitur causam Cœlestii, ibique refert quomodò acta fuerit Carthagine, Constantinopoli et Romæ; in secundâ ex indubitatis Pelagii libris dogmata Pelagiana deteguntur; in tertiâ Pelagii et Cœlestii condemnatio recensetur, sive quæ à duobus summis Pontificibus Innocentio et Zozimo, sive quæ à Patribus Diospolitanis lata est; in quartâ declaratur eamdem fuisse utriusque hæretici sententiam, atque ita unius condemnationem ad alterum pertinere; in quintâ denique convenitur Julianus, nimirùm ut resipiscentium exemplo ad Ecclesiam rediret.

Liber Subnotationum in duas partes distribuitur : prima nomen Commonitorii ad lectorem accepit, quia præfationis loco est ; altera Subnotationum ad verba Juliani, estque ipsummet opus. Prima complectitur potissimùm quæ ad historiam spectant ; secunda quæ ad dogmata.

Eidem Mercatori libros hypognosticon adscribunt nonnulli; verùm immeritò; multa etenim contrarium suadent, stylus præsertim et dicendi ratio, quæ in hypognostico diversa est ab eâ quæ in aliis Mercatoris indubitatis opusculis deprehenditur. Hujus incerta est patria.

In iis quæ ad hæresim Pelagianam spectant, summi profectò ponderis unicuique cordato haberi debet Mercatoris testimonium; nam, inquit laudatus mox ipsius Commentator, quæ tria solent fidem auctoribus conciliare, ea mirum in modum ipsum commendant. 1° Scripsit de Pelagio, Cœlestio et Juliano, quæ partim vidit, partim etiam gessit. 2° Scripta edidit eo tempore, quo poterat ab omnibus falsitatis argui, si quid alienum à vero retulisset. 3° Quæ scripsit probatioribus veterum monumentis omninò sunt consona.

His adde, quod ad commendationem Mercatoris plurimùm conducit, de quæstione difficillimâ ab ipso se doceri postulat ipsemet Augustinus citato libro de octo quæst. : « Quod attinet, *inquit*, quæst. 3, ad quæstionem « ressurrectionis.... inquisitio diligentior adhibenda est; et si quid absolutum ac definitum excogitare potueris, peto mihi mittere « non graveris; ego enim plus amo discere, « quam docere, etc. »

ARTICULUS IV.

De imperatorum edictis adversùs Pelagianos.

Non solùm synodorum decretis, Constitutionibus summorum pontificum, ac dogmaticis sanctorum Patrum scriptis prostrati sunt Pelagiani, verùm etiam christianorum imperatorum legibus. Ita testantur S. Aug. lib. de peccato orig. cap. 17 : « In auctores, *inquit*, nefandi erroris episcopalia concilia, et apostolica Sedes, universaque romana Ecclesia, « romanumque imperium, quod Deo propitio « christianum est, rectissimè fuit commotum, « donec resipiscant de diaboli laqueis. » S. Prosper lib. contra Collatorem : « Sanctæ memoriæ Bonifacius, *inquit*, piissimorum imperatorum catholicâ devotione gaudebat, et « contra inimicos gratiæ Dei, non solùm « apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis. » Idem testatur Marius Mercator in Commonit. cap. 3.

Quinque autem potissimùm fuère imperatorum adversùs Pelagianos Constitutiones, seu edicta, quæ quidem, ut observat Possidius in vitâ sancti Aug., *Ecclesiæ Dei catholicæ judicium secuta sunt.* Prima adversùs Pelagianos Constitutio Ravennæ data est ab Honorio imperatore anno 418, die 30 aprilis. Hâc lege imperator statuit Pelagium et Cœlestium ex urbe pellendos, eorum verò sectatores ubicumque et à quocumque sive clerico, sive laïco, legitimè accusatos et convictos, facultatum spoliatione, perpetuoque exilio mulctandos esse. Ad Constitutionis hujusce executionem præfecti prætorio, Junius quartus, Palladius Orientis, Monaxius Occidentis, Agricola Galliarum, jussionem dederunt in singulis suarum præfecturarum diœcesibus unà cum lege principis promulgandam.

Imperatoriam hanc legem propriè Rescriptum esse, non nudam Constitutionem minimè postulatam, intelligitur ex his S. Aug. verbis lib. 3, contrà Julianum cap. 1° : *Sanè, ut dicis, si pro vobis potiùs ab imperatore responsum est.* Id certum ; à quo autem petita fuerit illa, non ita constat ; eam rogante Zozimo datam, viri quidam eruditi opinantur; alii verò existimant illam Africanorum precibus fuisse concessam, antequàm Pelagianos damnaret Zozimus, idque declarare videtur antiquus codex canonum Ecclesiæ romanæ hâcce inscriptione : *Sacrum rescriptum acceptis synodi suprascriptæ*

gestis. Præcedit autem illic synodus Carthaginensis anni 418, quæ quidem cùm die primâ maii celebrata sit, uno die posterior est Rescripto; verùm, uti observant doctiss. Benedictini n. 18, citatæ præfationis, facili errore synodus anni 418 cum eâ quæ anno 417 habita erat, confundi potuit.

Altera adversùs Pelagianos ab eodem Honorio imperatore data est Constitutio anno 419, 5 Idus junii. In eâ primò confirmat Honorius latam à se Constitutionem anno superiore contra Pelagium et Cœlestium. 2° Statuit, quisquis ut eos, ibicumque terrarum agerent, sciens non denuntiaret aut expelleret, ipsemet in exilium pelleretur. 3° Decernit, juxtà Zozimi Tractoriam, ut Pelagii atque Cœlestii damnationi omnes subscriberent episcopi, sub iis pœnis, ut recusantes dignitate suâ exuantur, expellantur è suis urbibus, et à communione in perpetuum resecentur. Ita piissimus imperator pontificum et conciliorum decreta observari curabat.

An autem posterior hæc Honorii Constitutio Valerii Comitis instantiæ, promoventibus Alypio et S. Augustino, referenda sit; an potiùs curis ac precibus Bonifacii romani jam episcopi, certò definiri non potest. Hanc diligentiæ Zozimi adscribendam probabile judicant eruditi auctores laudatæ mox præfationis n. 21, idque innuere videtur S. Prosper lib. contra Collatorem cap. 21, ubi asserit, Zozimum summo studio gratiæ Christi adversarios, cùm auctoritate suâ apostolicâ, tum edictis imperatorum, debellâsse.

Novam in Pelagianos Constitutionem anno 421 tulit Constantius, sub idem tempus ab Honorio in consortium imperii vocatus. Eâ in Constitutione, Cœlestium, aliosque Pelagianos, qui sese urbi denuò insinuaverant, rursùs Româ expelli mandavit, ita ut ne intra centesimum quidem ab urbe lapidem commorari sinerentur. Edictum illud non ad annum 420, ut volunt Baronius, et Usserius, referendum esse, sed ad annum 421, rectè demonstrant Norisius lib. 1 Hist. Pelag. cap. 20, et Garnerius part. 1 Marii Mercat. dissert. 3.

Quartam contra eosdem Pelagianos Constitutionem edidit Valentinianus III, anno 425. Huic ferendæ legi occasionem dedêre tumultuantes in Gallicanis regionibus Pelagiani; jubet imperator episcopos Pelagiana dogmata sequentes per Patroclum Arelatensem episcopum conveniri, « et nisi intra viginti dies ex con« ventionis tempore...errata correxerint, Gal« licanis regionibus expelli, atque in eorum « locum sacerdotium fideliùs subrogari; » id est, catholicos subrogari antistites.

Tandem anno 430, Theodosius junior Orientis imperator, cui paulò ante Marius Mercator Commonitorium contra Pelagianos obtulerat, Honorii, Constantii et Valentiniani imperatorum Occidentis zelum ac exemplum secutus, Cœlestium, Julianum, cæterosque Pelagianos regiâ urbe ejecit. Ita testatur idem Marius in titulo Commonit. De his Constitutionibus imperatoriis hæc habet Gelasius epist. 7: *Pelagium, Cœlestium, Julianum,* cæterosque complures oratoriæ facundiæ *viros, cæterosque* (Pelagianos)...*probavimus fuisse convictos, et tam ecclesiasticis constitutis, quàm imperialibus percussos fuisse præceptis.*

ARTICULUS V.

De subscriptionibus in causâ Pelagianorum exactis.

Ex dictis hucusque patet, in Pelagiani erroris excidium supremas duas potestates, ecclesiasticam et imperatoriam conspirâsse, illam in synodorum et summorum pontificum decretis, istam in sanctionibus Ecclesiæ judicium secutis. Porrò, ad efficaciter obtinendum quod utrâque potestate fuerat constitutum, imperata est, testibus SS. Aug. et Prospero, Possidio, Mercat. etc., subscriptio Ecclesiæ decretis Pelagium et Cœlestium, eorumque sequaces damnantis. De hisce subscriptionibus præstat nonnulla paucis inquirere, ex quibus tum dictis, tum dicendis in præsenti causâ non modica lux effulgebit.

Quæres itaque 1°, quæ fuerit, et à quo præsscripta formula fidei, cui subscribendum foret in causâ Pelagianorum.—Respondeo formulam illam fuisse Zozimi *Tractoriam* ad universos totius orbis episcopos directam. Ita declarant SS. Aug. et Prosper, Mercator, et alii supra art. 2 citati. Quemadmodùm ergo in Eutychianâ causâ non alia fuit formula fidei, quàm Epistola S. Leonis ad Flavianum de incarnatione, ita nec in Pelagianâ fuit alia subscribenda præter Zozimi Tractoriam, quæ idcircò in append. ad Epist. ad episcopos Galliæ, appellatur *regularis auctoritas.*

Quæres 2°, an tantùm dogmatum, an etiam auctorum damnatio exacta sit in hâc causâ. — Respondeo certum esse, non solùm dogmatum, sed etiam auctorum Pelagii, Cœlestiique damnationem subcribendam fuisse. Ita communi consensu testantur SS. Aug. et Prosper, Mercator, aliique omnes seculi quinti auctores, qui

de causâ Pelagianâ scripserunt. Augustini, Prosperi et Mercatoris testimonia hanc in rem retulimus citato mox articulo 2 hujusce capitis : cætera videri possunt apud Parisinum Marii Commentatorem primâ parte dissert. 4, cap. 4.

Porrò (quod observa), id quod olim dicebatur, subscribere damnationi dogmatum et auctorum, nihil aliud fuit, quàm propositiones damnare in eo ipso sensu, quo à suis auctoribus assertæ sunt, id est, in sensu obvio, proprio et naturali, aut, ut aiunt, Ecclesiæ in iisdem propositionibus connexa duo, quæ *jus* et *factum* vocant, damnanti consentire.

Quæres 3°, quibus imperata sit subscriptio, an solis episcopis, an etiam aliis de clero, imò et aliquando laicis.—Respondeo 1°, imperatam fuisse episcopis ; ita testantur julianus apud S. Aug. lib. 4 ad Bonif. cap. ultimo ; *De simplicibus episcopis, sine congregatione synodi, in locis suis sedentibus extorta subscriptio est ;* Honorius imperator in edicto ad aurelium, *ad quorumdam episcoporum pertinaciam,* etc. Marius Mercat. in Commonit. *Julianus et reliqui complices,* etc.

Respondeo 2°, imperatam quoque fuisse presbyteris, cæterisque de clero. Id manifestè probat exprobatio romanis clericis à Juliano facta nomine octodecim episcoporum, cujus meminit S. Aug. lib. 2 ad Bonifac. cap. 3, his verbis : « Quin etiam romanos clericos arguunt, « scribentes eos jussionis terrore perculsos « non erubuisse crimen prævaricationis ad« mittere, ut contra priorem sententiam, quâ « gestis catholico dogmati affuerant, postea « pronuntiarent, malam esse hominis natu« ram. » Jussio porrò illa, uti non obscurè indicant sanctus Prosper, Possidius et Marius antea citati, ipsissima fuit Zozimi Tractoria, per quam subscriptionem omnibus imperabat, per se quidem episcopis majorum sedium, per ipsos verò, minoribus, et per minores toti singularum Ecclesiarum clero.

Respondeo 3°, laicis pariter imperatam fuisse subscriptionem probatur, ex eo quòd excommunicationis pœna statuta sit in laicos qui subscribere detrectârent, uti constat ex testimoniis Patrum Ephesinorum et S. Leonis, sequenti quæsito referendis. Idem colligitur ex isto celebri sancti Prosperi pronuntiato Carmine de ingratis cap. 7 :

> .... Nempè hæc damnata fateris
> Conciliis, mundique manu.

Quæres 4°, quæ pœna imposita fuerit subscribere detrectantibus,—Respondeo 1°, episcopis, presbyteris, cæterisque clericis subscribere recusantibus, impositam fuisse pœnam depositionis, expulsionis è suis civitatibus, imò et excommunicationis. Istud constat 1°, ex canonibus 1, 2 et 4 concilii Ephes. act. 7, in quibus prædictæ pœnæ statuuntur, et in præfatione horumce canonum, sic habent Patres Ephesini : « Qui Nestorii et Cœlestii sequi sen« tentias, ex eo manifestè sunt deprehensi, « quòd Nestorium nobiscum condemnare no« luerunt ; quos sancta Synodus communi de« creto AB OMNI ECCLESIASTICA COMMUNIONE ALIE« NOS ESSE STATUIT, ET OMNEM SACERDOTII SANC« TIONEM ILLIS ADEMIT, per quam aliquibus vel « nocere, vel prodesse poterunt. » Constat 2° ex Epist. S. Cœlestini ad Nestorium rescribentis : « Hos quoque hæreticos, de quibus nos, « velut eorum, quæ gesta sunt, nescius consu« lere voluisti, SEDIBUS SUIS INJUSTA DICENTES « EXPULIT JUSTA DAMNATIO. » Constat 3° ex Epist. S. Leonis ad Nicetam episcopum Aquileiensem 6, alias 36, et ex Commonit. Marii, etc., quæ testimonia consule art. 2 hujusce capitis.

Respondeo 3° laicis subscribere recusantibus statutam fuisse excommunicationis pœnam. Ita declarant Patres Ephesini act. 7, can. 7, his verbis : « Sancta Synodus decrevit. (Nestoria« nos aut Pelagianos) si quidem episcopi aut « cleri fuerint, eos omninò à proprio cadere « gradu ; SI VERÒ LAICI, EXCOMMUNICATOS ESSE. » Idem statuit S. Leo citatâ mox Epist. 6 ad episcopum Aquileiensem.

Quæres 5°, quâ auctoritate sancita fuerit lex subscribendi, an sacerdotali solâ, an etiam imperiali. —Respondeo subscribendi legem utrâque auctoritate, sacerdotali primùm, deindè imperiali sancitam fuisse. Prima pars constat ex dictis : Zozimus enim, ut antea vidimus, decretoriâ suâ epistolâ in Pelagianos ab universis episcopis non modò ut Pelagiana dogmata cum suis auctoribus damnarent, petebat, sed etiam ut eorum proscriptionem subscriptionibus ipsi suis comprobarent. Idem etiam postea edixit Honorius imperator datâ ad Aurelium Carthaginensem episcopum Constitutione, cujus verba paulò ante art. 4 retulimus.

Secunda verò pars, nimirùm sacerdotali primùm auctoritate sancitam fuisse subscribendi legem, clarè colligitur 1° ex Possidio qui id disertè docet in vitâ S. Aug. cap. 18, his verbis: « illi tantæ Sedis antistites (Innocentius et Zo« zimus) suis diversis temporibus eosdem (Pe« lagianos) notantes, atque à membris Ecclesiæ « præcidentes, datis litteris ad Africanas,

« Orientisque et Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos et devitandos ab omnibus « Catholicis censuerunt, et hoc tale de illis « Ecclesiæ Dei catholicæ prolatum judicium « etiam piissimus imperator Honorius audiens « ac sequens, eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere constituit. » 2° Idem testantur ejusdem ævi scriptores, S. Prosper lib. contra Collator. cap. 41; Marius Mercat. in Commonit. parte 2; S. Cœlestinus epist. ad Patres Ephesinos, quæ refertur 3 part. concilii Ephes. cap. 20; Gelasius epist. 5 ad Honorium Dalmatiæ episcopum, et epist. 7. 3° Edictum Honorii imperatoris ad Aurelium Carthaginensem, quo primùm subscriptiones exegit, plusquàm anno integro posterius est Zozimi Tractoriâ, quæ, ut loquitur Mercator, per totum orbem missa subscriptionibus SS. Patrum est roborata; hæc enim mense aprili an. 418 à Zozimo lata est, Honorii verò ad Aurelium Constitutio data fuit 5 Idus junii anno 419. Monaxio et Plintâ Coss.

CAPUT III.

De erroribus Pelagianorum.

Ad tria potissimùm capita revocari possunt Pelagianorum errores. Primum spectat peccatum originale; secundum, liberi arbitrii vires; tertium tandem, gratiæ naturam, existentiam ac necessitatem.

Errores Pelagianorum circa peccatum originale. — Hi præcipuè fuêre Pelagianorum errores circa præsens caput. Primum ac capitale ipsorum dogma, et veluti cæterorum omnium basis, testibus S. Prospero Carm. de Ingrat. et Mario Mercat. in Commonit. istud fuit, *Adamum mortalem factum fuisse, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.* Secundum, *peccatum Adami ipsum solum læsisse, et non genus humanum..... Et illum reum et obnoxium fieri, qui hunc propriâ voluntate, non nascendo, sed peccando fuerit imitatus.* Tertium, *infantes qui nunc nascuntur, in eo statu esse, in quo fuit Adam ante prævaricationem.* Quartum, *infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam.* Quintum, *concupiscentiam et libidinem* (etiam in præsenti hypothesi) *non esse malas; ignorantiam et difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, mortem, cæterasque humanæ vitæ miserias, non esse pœnam peccati; primordia, non supplicia, jam esse naturæ.* Sextum, *Baptismum non esse necessarium parvulis ad peccati remissionem, et ad vitam æternam, sed ut sanctificarentur in Christo, ut adoptarentur in filios, ut regni cœlestis hæredes fierent.* Scilicet Pelagiani victi hàc Christi sententiâ Joan. 3 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei*, distinxêre inter regnum cœlorum et vitam æternam; hanc parvulis sine Baptismo decedentibus promittebant; illud verò, non nisi baptizatis tribui fatebantur.

De his Pelagii et Cœlestii erroribus testantur S. Prosper et Marius Mercator locis mox citatis, necnon S. Aug. lib. de Peccat. origin. cap. 2, 3, etc.; lib. de gestis Pelagii, cap. 34, 35, et passim lib. contra Julianum.

Quâ porrò ratione ex illo primo Pelagii errore de Adami mortalitate, tanquàm ex unâ tenui radice reliqui omnes originem duxerint, doctè ac solidè explicat Marii Commentator dissert. 7, cap. 1, 2, etc., idque ex SS. Aug. et Prospero, Mario Mercat., etc., confirmat.

Errores Pelagianorum circa vires liberi arbitrii. — 1° In eo errârunt quòd liberum arbitrium æquè sanum, æquè validum, æquè perfectum ad bonum operandum, in Adami posteris propugnarent, ac in Adamo ipso. Hinc Julianus apud S. Aug. lib. de Naturâ et grat. cap. 19, asserebat, *ad operandum justitiam liberum arbitrium et post peccata tam plenum esse, quàm fuit ante peccata.* 2° Contendebant hominem propriis liberi arbitrii viribus ad eam justitiæ perfectionem pervenire posse, ut absque inordinatis passionum motibus, et sine ullo prorsùs peccato viveret. Ita colligitur ex SS. Hieron. dialogo adversùs Pelagianos, et Aug. lib. 2 de Peccat. meritis. 3° Propugnabat Julianus absque gratiâ in Infidelibus propriis naturæ viribus haberi posse virtutes perfectè ac simpliciter veras, imò et virtutum abundantiam, quibus nempe Infideles simpliciter ac perfectè boni et justi sint ac dicantur. Errores hos sæpiùs Juliano exprobrat S. Aug. præsertim, lib. 4 contra ipsum cap. 3. Sunt et alii circa vires liberi arbitrii Pelagianorum errores qui ad recensitos commodè reduci possunt.

Errrâsse Pelagianos in exponendâ libertatis naturâ, cùm eam in activâ voluntatis indifferentiâ reponerent, affirmat Jans. lib. 2 de hæres. Pelag. cap. 1. Verùm in eo turpiter hallucinatur : nusquàm enim Pelagianos damnat S. Aug. quòd indifferentiam libertati essentialem assererent; imò eorum dogma de naturâ liberi arbitrii catholicum esse disertè agnoscit S. doctor lib. 2 de nupt. et concup. cap. 13, his verbis : « Liberum itaque in hominibus « esse arbitrium.... utique dicimus; non hinc « estis Cælestiani et Pelagiani; liberum autem

« esse quemquam ad agendum bonum sine ad-« jutorio Dei... hoc vos dicitis; hinc estis Cæ-« lestiani et Pelagiani. » Non ergò errabant Pelagiani, quòd indifferentiam ad utrumlibet libertati essentialem esse sentirent; imò, quemadmodùm observat Natalis Alexand. Hist. Eccles. sec. 5, cap. 3, art. 3, « error est asserere, quòd « erraverint Pelagiani libertatem arbitrii in « indifferentiâ ad utrumlibet constituentes. » Verùm de his ex professo suo loco.

Errores Pelagianorum circa gratiam. Cùm primùm hæresim promulgavit Pelagius, nullam omninò gratiam admisit, sed naturam solam, et ingenitas liberi arbitrii vires sufficere propugnavit ad omnia Dei mandata observanda, tentationes superandas, pravas extirpandas consuetudines, et ad quamdam imperturbationem, seu, ut vocant, passionum impassibilitatem et impeccantiam, ad ipsam denique vitam æternam assequendam. Ita sensisse Pelagium in primordiis suæ hæreseos constat ex S. Hier. epist. ad Ctesiph. Orosio in Apologiâ, et S. Aug. passim in primis operibus adversùs Pelagianos conscriptis. Ad hæc doctrinæ monstra exhorruêre Catholici, quemadmodùm testatur S. Aug. serm. 26, aliàs 11, de verbis Apost. cap. 7, his verbis : « Dispu-« tantes (Pelagiani) contra gratiam Dei pro li-« bero arbitrio fecerunt auribus piis et catho-« licis offensionem. Cœperunt horreri, cœ-« perunt ut certa pernicies devitari. » Ut autem publicam hanc invidiam et offensionem Catholicorum declinarent, variis subterfugiis et æquivocationibus errorem suum dissimulare tentârunt, quod ibidem observat S. D. Verùm hujusce erroris arcana propiùs exploranti manifestum videbitur, idem perversum dogma ab ipsis constanter retentum fuisse ad Julianum usque, qui errorem Pelagianorum aliquatenùs temperare visus est. Præstat impræsentiarum paucis resensere varia hæc effugia quibus Catholicis illudere conati sunt Pelagiani.

Primum effugium. 1° igitur cùm Pelagiani omnium Catholicorum invidiam et offensionem in se concitâssent, eò quòd assererent hominem absque gratiæ adjutorio esse posse sine peccato, statim reposuêre se nullatenùs negare necessitatem gratiæ; verùm gratiæ nomine subdoli intelligebant *ipsam naturam et liberum arbitrium*, seu boni malique facultatem, quam homo absque ullis suis meritis à Deo in creatione gratis à Deo accepit, et pro quâ gratias ipsi referre tenetur. Quâ de re S. Aug. citato serm. 11 de verbis Apost. Pelagium sic ratiocinantem inducit : « Hoc ipso quia liberum « hominis arbitrium defendo.... contra gratiam « Dei non disputo.... Hominem quis creavit? « Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. « Si ergo Deus hominem creavit, et homini « Deus liberum donavit arbitrium, quidquid « potest homo de libero arbitrio, cujus gratiæ « debetur, nisi ejus qui eum condidit cum li-« bero arbitrio? » Ad quæ festivè regerebat S. Aug. : « Videte, fratres mei, quomodò illam « generalem Dei gratiam prædicent quâ crea-« tus est homo... Videte acumen, sed vi-« treum; quasi lucet vanitate, sed frangitur « veritate. »

Pari fraude ac subterfugio possibilitatem non peccandi gratiæ adscribebat Pelagius, naturam ipsam nomine gratiæ subdolè intelligens. Ita disertè testatur S. Aug. lib. de nat. et grat. cap. 51 : « Ipsa non peccandi possibilitas, in-« quit, non tam in arbitrii potestate, quam in « naturæ necessitate est. Quidquid in naturæ « necessitate positum est, ad naturæ pertinere « non dubitatur auctorem, utique Deum. Quo-« modò ergo absque Dei gratiâ dici existimatur, « quod ad Deum propriè pertinere monstra-« tur? » Ad quæ reponit S. Aug. : « Expressa « est sententia quæ latebat, non est quemad-« modùm posset abscondi. Ideò gratiæ Dei tri-« buit non peccandi possibilitatem, quia ejus « naturæ Deus est auctor, cui possibilitatem « non peccandi inseparabiliter insitam dicit. »

Secundum Effugium. 2° Cùm vehementiùs Pelagiani à Catholicis urgerentur, ut gratiam à naturâ et libero arbitrio distinctam agnoscerent, non recusârunt, sed nomine gratiæ, *legem atque doctrinam* subdolè ac fallaciter intelligebant. Ita etiam testatur S. Aug. lib. de spiritu et litt. cap. 2, his verbis : « Cùm urgeri cœpe-« rint, quomodò id præsumant asserere fieri « sine ope divinâ, reprimunt se, nec hanc vo-« cem audent emittere, quoniam vident quàm « sit impia et non ferenda. Sed aiunt, ideò ista « sine ope divinâ non fieri, quia et hominem « Deus creavit cum libero voluntatis arbitrio, « et dando præcepta ipse docet quemadmodùm « homini sit vivendum; et in eo utique adju-« vat, quòd docendo aufert ignorantiam, ut « sciat homo in operibus suis quid evitare, et « quid appetere debeat. » Hanc Pelagianorum fraudem ac versutiam sæpiùs memorat ac ipsis objicit S. Aug. præsertim verò integro fermè libro de Grat. Christi.

Unum hîc observandum, nimirùm præsentem Pelagianorum hæresim, in eo præcisè po-

sitam fuisse, quòd hanc solam et nudam legis doctrinam existimarent veram esse Christi gratiam, eamque ex sese sufficere homini tum ut declinet à malo, tum ut faciat bonum. At non in eo errabant, uti perperàm contendit Jansenius lib. 5 de hæresi Pelag. cap. 5, quòd assererent legem eo consilio datam fuisse, non tantùm ut proderetur peccatum, sed etiam ut caveretur; hoc posterius tanquàm erroneum in Pelagianis criminatur Jansenius citato loco, et fusiùs lib. 1 de Grat. Christi à cap. 8 usque ad 16; et lib. 3, cap. 5, 6 et 7, ubi docet legem eo fine Judæis à Deo datam fuisse, non ut faciliùs peccata vitarent, vel ut adjuvante gratiâ eam servarent, sed ut peccata multiplicarentur, atque suâ mult udine et magnitudine humanam frangerent superbiam; *lex enim,* inquit, *reddit justitiam difficiliorem, et quasi muro interposito impossibilem.* Verùm quantùm hæc doctrina Scripturæ et traditioni adversetur, atque à divinâ bonitate et æquitate legis divinæ aliena sit, demonstrabimus ubi de gratiâ sufficienti.

Tertium effugium. Cùm rursùs Pelagiani premerentur à Catholicis hanc legis et doctrinæ gratiam non sufficere, atque exinde sequi inutilem fuisse ac otiosam Christi mortem, quod multis probat S. Aug. lib. de Naturâ et Grat. cap. 2, 40, 53, etc., et lib. de Grat. Christi cap. 3 et 10, ut telum istud declinarent, tertium gratiæ genus excogitaverunt, nimirùm *Christi Domini exemplum et imitationem,* afferentes quòd sicuti Adamus primus obfuit nobis exemplo malo; ita Christus Adamus secundus profuit nobis exemplo bono. Ita refert S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 2: «Solent, inquit, dicere nobis in eo Christum ad non peccandum « præbuisse adjutorium, quia piè ipse justèque « vivendo reliquit exemplum. » Et cap. 14: « Gratiam Christi constituit Pelagius, non in « virtutis ejus auxilio, sed in imitationis exem« plo; » quod ibidem reprehendit ac insectatur S. doctor. Undè lib. 2 Operis imperfect. cap. 146, sic habet: « Hoc est occultum et « horrendum virus hæresis vestræ, ut velitis « gratiam Christi in exemplo ejus esse, non in « dono ejus; dicentes quia per ejus imitationem « fiunt justi, non per subministrationem Spiri« tûs sancti. »

In hâc exemplorum Christi gratiâ, mirum quantam vim et efficaciam ad operandum bonum collocarent Pelagiani, quantùmque ex eâ præsidii ad errores suos occultandos repeterent. Hujusce gratiæ prætextu, incunctanter pronuntiabant, teste S. Aug. lib. de Grat. Christ citato mox cap. 2, « per singula momenta, per « singulos actus necessariam nobis esse hujus« modi gratiam, id est, ut in omni conversa« tione nostrâ intueamur divinæ conversationis « exemplum. » Istam porrò exemplorum Christi gratiam, reipsa à lege et doctrinâ non esse distinctam ibidem demonstrat, cap. 41, S. Aug.

Quartum effugium. — Cùm autem suam adhuc sententiam ab orthodoxis improbari cernerent Pelagiani, præter liberum arbitrium, legem seu doctrinam, ac exemplum Christi, aliud commenti sunt gratiæ genus, nempè *gratiam remissionis peccatorum,* ut in plerisque locis testis est S. Aug. præsertim verò lib. de Grat. et lib. Arbit. cap. 13: « Dicunt enim, inquit, « gratiam Dei quæ data est per fidem Jesu « Christi, quæ neque est lex, neque natura, « ad hoc tantùm valere, ut peccata præterita « dimittantur, non ut futura vitentur, vel re« pugnantia superentur. » Hanc porrò solam gratuitam esse, nec meritis retribui affirmabant Pelagiani, teste S. Aug. eodem in libro cap. 6: « Dicunt hanc esse solam non secun« dùm merita nostra gratiam, quâ homini pec« cata dimittuntur; illam verò, quæ datur in « fine, id est æternam vitam, meritis nostris « præcedentibus reddi. » Quonam autem sensu remissionem peccatorum gratuitam existimaverint Pelagiani, non adeò est exploratum; nam contrarium potiùs docuisse videntur; siquidem palmare istud erat eorum pronuntiatum, *gratiam secundùm merita dari,* ne alioqui injustus et personarum acceptor Deus haberetur; præterea peccatorum remissionem non gratis tribui, sed ex meritis, disertè affirmavit Pelagius, quod in concilio Diospolitano ex ipsius libris ei objectum est ultimo et duodecimo loco. Existimat Petavius lib. de hæres. Pelag. cap. 3, idcircò remissionem peccatorum sine meritis dari asseruisse Pelagium, non quòd nulla eam præcederent liberi arbitrii merita, sed quòd ista ipsa merita, si deesset fides, quam naturalibus viribus propositâ sibi evangelicâ doctrinâ præbere hominem Pelagius censebat, remissionem illam assequi non possent. Itaque in sententiâ Pelagianorum, remissio peccatorum et ex meritis et sine meritis obvenire dici potuit. Ex meritis quidem, quatenùs concedebatur remissio propriis viribus credenti et resipiscenti; absque meritis autem, quatenùs fides cujus merito remissio peccatorum retribuitur, necessariò supponit tum liberum arbitrium, quod gratuitum est Dei beneficium, tum

legem et doctrinam evangelicam quæ per se nullo nostro prævio merito divinitùs est constituta.

An verò illa gratia remissionis peccatorum juxta Pelagium posita esset in nudâ peccatorum condonatione, an autem in aliquâ gratiâ propriè dictâ et interiori, atque hominem interiùs sanctificante, constabit ex dicendis postmodùm cap. 5°. Porrò Pelagiani contendebant gratiam remissionis peccatorum valere duntaxat adversùs præcedentia peccata; exemplum verò Christi adversùs futura; et utrumque fructum esse passionis ac meritorum Christi contendebant. Id totum constat ex laudatis antea S. Aug. testimoniis.

Quintum effugium.—Tandem Pelagius præter naturam et liberum arbitrium, legem ac doctrinam forinsecùs insonantem, exemplum Christi, ac demùm remissionem peccatorum, admisit interiorem illustrationis et illuminationis gratiam. Ita Card. d'Aguirre, Salmaticenses, Petavius, Frassen, aliique passim theologi locis cap. sequenti citandis. Id certum videtur 1° verbis ipsiusmet Pelagii apud S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 7: «Quam gratiam, inquiebat hæresiarcha, « non ut tu putas, in lege tantummodo, sed et « in Dei adjutorio confitemur... Adjuvat enim « nos Deus per doctrinam et revelationem « suam, dùm cordis nostri oculos aperit; dùm « nobis ne præsentibus occupemur, futura de- « monstrat; dùm diaboli pandit insidias; dùm « nos multiformi et ineffabili dono gratiæ cœ- « lestis illuminat. » Et cap. 10, sic iterùm Pelagius inducitur loquens: « Operatur Deus in « nobis velle quod bonum est, velle quod san- « ctum est, dùm nos terrenis cupiditatibus « deditos, et mutorum more animalium præ- « sentia tantummodò diligentes, futuræ gloriæ « magnitudine et præmiorum pollicitatione « succendit, dùm revelatione sapientiæ, in de- « siderium Dei stupentem suscitat voluntatem, « dùm nobis suadet omne quod bonum est. » Quibus verbis clarè ostenditur Pelagium interiorem illustrationis gratiam agnovisse; namque aperire cordis oculos, multiplici et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminare, sapientiam revelare, etc., haud dubiè interiorem illustrationem indigitant; atqui Pelagius hujusmodi gratiam admisit; ergo, etc. 2° Eodem in lib., cap. 24, manifestè supponit S. Aug. Pelagianos libenter agnovisse revelationes à Deo in cordibus productas: « Fateantur, inquit S. D. non in « lege atque doctrinâ insonante forinsecùs, sed « internâ et occultâ, mirabili ac ineffabili po- « testate operari Deum in cordibus hominum, « non solùm veras revelationes (quas nempè « ultrò admisisse Pelagianos indicat S. Aug.) « sed etiam bonas voluntates. » 3° Ibidem cap. 41, de Pelagio ita loquitur S. doctor: « Ipsas « quoque orationes ad nihil aliud adhibendas « opinatur, nisi ut nobis doctrina etiam divinâ « revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens « hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, « etiam dilectione et actione perficiat. » Audis Pelagium agnovisse legem ac doctrinam revelatione aperiri; porrò revelatio hujusmodi interior est profectò illustrationis Gratia; ergo, etc.

Porrò (quod observa), gratia interioris illuminationis seu illustrationis duobus modis spectari potest: vel ex parte objecti duntaxat quod intellectui clariùs proponitur solis suis propriis viribus credendum; vel ex parte ipsiusmet intellectûs, qui ad credendum divinâ opitulante et adjuvante gratiâ determinatur. Pelagium priori saltem sensu admisisse gratiam interioris illustrationis evidenter demonstrant adducta mox S. Aug. testimonia, vixque de eo potest esse ulla inter theologos difficultas. « Nemo negat, inquit Suarez tract. de Gratiâ « prolegom. 5, cap. 3, admisisse Pelagium re- « velationem divinam fidei, tam externam quàm « internam, quatenùs se tenet ex parte obje- « cti. » An autem Pelagius etiam internam ex parte potentiæ gratiam illustrationis admiserit, quæ scilicet intellectum juvaret ac corroboraret ad credendum, dicemus cap. sequenti.

Dices: S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 7, relatis mox adductis Pelagii verbis, quibus gratiæ necessitatem magnificè videbatur commendare, statim subjungit S. D.: « In his omnibus « non recessit Pelagius à commendatione legis « et doctrinæ. » Et cap. 10: « Quid manife- « stiùs, nihil aliud eum dicere gratiam, quâ « Deus operatur in nobis velle quod bonum « est, quàm legem atque doctrinam? » Falsum est ergo Pelagium, præter externam legis et doctrinæ propositionem, admisisse interiorem illustrationis gratiam. Respondeo negando conseq.; neque enim locis citatis inficiatur S. Aug. Pelagium admisisse interiorem, saltem ex parte objecti, illustrationis gratiam; sed hoc unum vult, gratiam illam Pelagianam ad legem et doctrinam meritò revocari, quod verissimum est. Namque munus et officium legis et doctrinæ est docere, illuminare, ostendere quid faciendum sit; non autem vires subministrare ad illud perficiendum, ut fusè prose-

quitur S. Aug. toto lib. de Grat. Christi; atqui revelatio interior ex parte duntaxat objecti quod intellectui propriis viribus relicto clariùs proponitur, tantummodò docet, illuminat, ostendit, non autem spiritum et virtutem infundit, seu minimè juvat et corroborat intellectum ad assentiendum; ergo interior hujusmodi illustratio rectè revocatur ad legem et doctrinam; ac proindè etsi Pelagius talem gratiam admiserit, meritò tamen asseruit S. Aug. ipsum non recessisse à commendatione legis et doctrinæ.

Hanc esse S. Aug. mentem manifestè colligitur ex citato cap. 10 lib. de Grat. Christi, ubi post verba in object. citata, sic statim subjungit: « In lege namque et doctrinâ futuræ « gloriæ atque præmiorum promittitur magni« tudo. Ad doctrinam pertinet etiam quòd sa« pientia revelatur.

CAPUT IV.

Utrum Pelagius veram et internam voluntatis gratiam aliquandò tandem agnoverit?

Celebrior est præsens quæstio, ideòque paulò fusiùs pertractanda.

Observandum 1° duplicem distinguendam esse gratiam interiorem. Una ad intellectum, altera ad voluntatem pertinet. Prior est mentis illustratio seu illuminatio, per quam interiùs menti proponuntur ac revelantur quæ credenda sunt fidei nostræ mysteria. Hæcque, uti antea observavimus, spectari potest, vel ex parte tantùm objecti quod intellectui clariùs proponitur solis suis propriis viribus credendum; vel ex parte ipsius intellectûs, qui ad credendum divinâ opitulante et adjuvante gratiâ determinatur. Posterior est motio seu excitatio Dei, quâ elevatur voluntas ac corroboratur, atque ad actus veræ pietatis incitatur.

Utramque hanc illustrationis et voluntatis gratiam ad omne bonum ac salutiferum opus, planè necessariam esse docet fides catholica; unde S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 12: « Quâ gratiâ agitur, inquit, non solùm ut fa« cienda noverimus, verùm etiam ut cognita « faciamus; nec solùm ut diligenda credamus « verùm etiam ut credita diligamus. »

Observandum 2°, cum eodem S. Aug. lib. de gratia Christi cap. 3, 4, 5, etc., Pelagium ut majori arte errorem suum involveret, ac Catholicis fucum faceret, tria hæc sedulò distinxisse: nimirùm possibilitatem, voluntatem et actionem. Audiatur S. doctor: « Cùm tria dis« tinguat (inquit cap. 3.) possibilitatem, volun« tatem et actionem: possibilitatem scilicet, quâ « potest homo esse justus; voluntatem, quâ vult « esse justus; actionem, quâ justus est; horum « trium primum, id est possibilitatem, datam « confitetur à Creatore naturæ, nec esse in « nostrâ potestate, sed etiam nos habere etiam« si nolimus; duo verò reliqua, id est, volun« tatem et actionem, nostra esse asserit, atque « ita nobis tribuit, ut non nisi à nobis esse « contendat. » Idem repetit cap. 4 et 5.

Oservandum 3°, Pelagium iterùm distinxisse inter possibilitatem, et adjutorium possibilitatis. *Possibilitatem* in naturâ, adjutorium verò possibilitatis in lege et doctrinâ reponebat. Audiatur idem S. doctor cap. 4, Pelagii verba exscribens: « Nos tria ista distinguimus..... « Primo loco posse statuimus, secundo velle, « tertio esse. Posse in naturâ, velle in arbitrio, « esse in affectu locamus. Primum illud, id est « posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud « creaturæ suæ contulit; duo verò reliqua, hoc « est velle et esse, ad hominem referenda sunt, « quia de arbitrii fonte descendunt. Ergo in « voluntate et opere bono laus hominis est; imò « et hominis, et Dei, qui ipsius operis possibi« litatem dedit, quique ipsam possibilitatem « gratiæ suæ semper adjuvat auxilio. »

Observandum 4°, adjutorium illud possibilitatis, qualecumque sit, non fuisse in mente Pelagii, absolutè ac simpliciter necessarium, sed tantùm secundùm quid, et ad faciliùs duntaxat agendum. Ita testatur S. Aug. lib. de grat. Christi cap. 26: « Gratiam Dei, inquit, sic « confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut « omninò nihil boni sine illâ, quod ad pietatem « pertinet, veramque justitiam, fieri posse non « dubitet. Non quomodò iste (Pelagius) qui « cùm dicit, propterea dari gratiam, ut quod « à Deo præcipitur FACILIUS impleatur; quid « de illâ sentiat satis ostendit, scilicet, quòd « etiam sine illâ, etsi minùs facilè, fieri tamen, « quod divinitùs præcipitur, potest. » Idem refert S. D. cap. 2 et 29 ejusdem libri.

Observandum 5°, Pelagium, quodcumque tandem gratiæ auxilium admiserit, docuisse illud gratuitum non esse, sed humanis meritis rependi. *Quamlibet sentiat gratiam*, inquit S. Aug. lib. de grat. Christi cap. 31, *ipsis Christianis secundùm merita dari dicit.*

Observandum ultimò, duo hìc, cum Jansenio lib. 5 de hæres. Pelag. cap. 29, sedulò consideranda esse tempora: primum ante condemnationem hæreseos Pelagianæ sub Zozimo anno 418; alterum à damnatione deinceps, usque ad

Semipelagianismi exordia. Has epochas accuratè secernendas diximus, ex illâ quippe distinctione dicendis non modica lux affulgebit.

Status quæstionis.— Quatuor hic potissimùm quæruntur, 1° an veram et internam voluntatis gratiam admiserint Pelagiani. 2° Supposito quòd aliquando tandem eam confessi fuerint, quo demùm tempore id contigerit. 3° ad quæ opera eam necessariam existimaverint, an ad perfectionem duntaxat, an etiam ad initium bonorum operum. 4° Quæ esset hujus gratiæ vis et efficacia.

Opiniones.—Prima est Jansenii lib. 5 de hæresi Pelagianâ, cujus doctrina circa præsentem controversiam adhæc quinque capita revocari potest.

Docet 1°, quinque primis capitibus libri citati à Pelagio solam naturam initio fuisse prædicatam absque ullâ gratiâ saltem internâ. Docet 2°, quinque sequentibus capitibus, præsertim nono et decimo, interiorem illuminationis seu illustrationis gratiam ab eo deinceps fuisse admissam. Docet 3°, ibidem capitibus 11, 12, et potissimùm 28, et initio 29, etiam ante factam sub Zozimo condemnationem insuper agnovisse Pelagianos internum et actuale voluntatis auxilium, libero tamen arbitrio permissum; id est, pias indeliberatas ac versatiles voluntatis motiones, actui libero prævias, in quibus auxilium actuale ex parte voluntatis constituunt nonnulli Theologi. « Hactenùs declaratum est (inquit Jansenius citato cap. 29), « omne genus adjutorii possibilitatis, sive externum, sive internum, sive respectu intellectûs, sive voluntatis Pelagianos agnovisse. « Nam.... illuminationes illustrationesque internas Dei, et concursum generalem, et gratiam habitualem, et motus bonos seu desideria quædam bona indeliberata, salvâ tamem illâ indifferente arbitrii potestate confessi « sunt. » Docet 4°, Pelagianos nullo modo dubitâsse quin hisce indeliberatis motibus divinivinitùs immissis plerumque quateretur voluntas; at existimâsse iisdem etiam absentibus, satis virium esse in voluntate ad quoslibet veræ pietatis et justitiæ actus exercendos. Unde, juxtà Jansenium, eos admittebant quoad substantiam duntaxat, non verò quoad necessitatem. Docet 5°, indeliberatos hosce voluntatis motus, utpote libero arbitrio permissos, fuisse duntaxat merum possibilitatis adjutorium, non autem veram ac internam gratiam Christi Salvatoris, cujus eximius ac proprius character, ut placet Jansenio, in eo positus est, ut voluntatem indeclinabili ac relativâ necessitate voluntatem ad agendum determinet. Docet 6°, veram hanc internam et actualem voluntatis gratiam constanter negavisse Pelagianos usque ad condemnationem sub Zozimo. Hinc patet quâ ratione caput. 28, et initio 29, asserat Jansenius, Pelagianos agnovisse *omne genus adjutorii possibilitatis internum, motus bonos, desideria bona indeliberata*; et tamen eod. cap. 29, absolutè pronuntiet ante damnationem Zozimi *ipsos nusquàm gratiam illam actualem* (voluntatis) *quam juxta sacrarum Scripturarum fidem Augustinus prædicavit, verè sincerèque confessos esse.* Quid ita? quia scilicet juxta Jans. sola gratia indeclinabiliter et necessariò relativè determinans voluntatem, vera est ac propriè dicta Christi Salvatoris gratia; ast talem gratiam ante factam sub Zozimo condemnationem constanter negavisse Pelagianos ibidem tradit. Docet 7°, capitibus 1, 2 et 3 libri 6, post Zozimi decretum, Pelagianos Catholicorum argumentis victos à priori suâ sententiâ aliquantulùm recessisse, atque tandem admisisse veram, internam et actualem voluntatis gratiam, quâ voluntas ad bonum hic et nunc necessariò ageretur, sed triplici errore infectam; 1° quòd non ad fidem et justitiam inchoandam, sed ad perficiendam duntaxat dicerent illam esse necessariam; 2° quòd juxta illos non esset absolutè necessaria, sed ad faciliorem tantùm justitiæ perfectionem; 3° quòd daretur secundùm merita merè humana; illa autem merita, erant prima boni cupiditas, fides, oratio propriis ac solis liberi arbitrii viribus elicita. Quantùm à veritate aliena sit prædicta Jansenii doctrina ex dicendis patebit.

Secunda sententia est Lemos, tract. 1 de Pelagii erroribus, cap. 9, 10 et sequent. Alvares lib. 1 de auxil. disp. 1, Salmaticens. 1, 2, quæst. 109, disput. 1, cap. 4, paragraph. 4, et aliorum quorum doctrina ad hæc capita revocatur. 1° Pelagium initio suæ hæreseos omne prorsùs internum gratiæ auxilium repudiâsse. 2° Ipsum deinceps internas ac supernaturales revelationes, seu interiorem illustrationis gratiam admisisse, sed necessariam duntaxat ad *faciliùs* operandum. 3° Eamdem agnovisse postmodùm *simpliciter* necessariam ad opus perficiendum. 4° Pelagium internam ex parte voluntatis gratiam tandem confessum fuisse; at duplici infectam vitio. Scilicet sentiebat primò eam dari *ex meritis;* secundò ipsam non esse necessariam simpliciter, sed tantùm ad *facilius.* 5° Præfati auctores contendunt, Pelagii dis-

cipulos Cœlestium præsertim ac Julianum, Magistri errorem utcumque temperâsse, atque eò tandem devenisse ut internam voluntatis gratiam, non quidem ad initium, sed ad consummationem duntaxat bonorum operum simpliciter necessariam esse faterentur.

Addunt iidem auctores, falsissimum esse, quod confidenter asserit Jans. citato lib. 6 de hæres. Pelag. cap. 1, Pelagianos tandem post Zozimi decretum gratiam ex sese efficacem agnovisse. « Evidentissimum est, inquit Lemos Panopliæ tom. 1, tract. 1, de Pelagii erroribus, cap. 6, « illam gratiam efficacem, « quæ facit verè et propriè nos facere, nus« quàm (Pelagium) admisisse, quia per eam tolli arbitrii libertatem.... semper publicabat. » Ibidem tract. 3, cap. 2 : « Circa auxilia gratiæ « concludebat Julianus, nullam dari præve« nientem, quâ Deus efficaciter faceret homi« nes facere, et benè operari; imò hanc fa« tum appellabat, et fatalem inducere necessi« tatem dicebat cum Pelagio et aliis decem et « octo Pelagianis episcopis sui erroris consor« tibus. » Idem tradunt Alvares, Joan. à sancto Th., d'Aguirre, Laurea, etc.

Tertia sententia eorum est qui asserunt, 1° Pelagianos ante Zozimi decretum admisisse interiorem illustrationis gratiam, non quidem ut simpliciter necessariam, sed ad majorem duntaxat boni operandi facilitatem; nusquàm verò confessos fuisse veram voluntatis gratiam, quæ scilicet proximè ac per se voluntatem moveat, eique vires subministret ad opera pietatis exercenda. 2° Post damnatam à Zozimo hæresim, eosdem Pelagianos, quorum dux erat Julianus, ad Semipelagianismum deflexisse, atque voluntatis gratiam ad perficiendum bonum opus, saltem secundùm quid, seu ad *facilius* necessariam statuisse. 3° Certissimum esse ipsos nusquàm agnovisse gratiam ex sese efficacem, nequidem ut faciliùs obtineatur perfectio et salus, sed eam gratiam tanquàm noxiam libertati constanter aversatos fuisse. Ita fermè Card. d'Aguirre tom. 3 Theol. sancti Anselmi disput. 112, sect. 4; Gonzales p. 1, disput. 68, q. 1 et 2; Joan. à sancto Thomâ tract. de volunt. Dei disput. 3; Natal. Alexander Hist. quinti seculi cap. 3, art. parag. 8, 9, et plerique alii.

Quarta sententia est Petavii lib. de hæres. Pelag. cap. 9; Frassen. tract. 2, disput. 3, art. 1, sect. 1, parag. 10; Martinon. de hæres. Pelag. disput. 7, sect. 4, aliorumque quampluriun, qui existimant Pelagium tandem interiorem gratiam propugnâsse, verùm triplici corruptam vitio; 1° gratia hæc interior, erat intellectûs duntaxat, non voluntatis; 2° ad facilius tantùm, non autem simpliciter necessaria; 3° humana merita sequebatur, eorumque merces erat.

Quinta denique sententia est Suaresii prolegom. 5 de Grat. cap. 3; Vasquez, Bellarm., etc., quibus consonat Card. Noris. lib. 1 historiæ Pelag. cap. 15. Censent prædicti auctores Pelagium nusquàm veram et internam tum voluntatis, tum etiam illustrationis, saltem ex parte intellectûs, gratiam agnovisse.

Quid in hâc opinionum diversitate sentiamus sequentibus conclusionibus aperiemus.

Conclusio prima. — Pelagius tandem aliquando agnovit veram et internam revelationis gratiam, tum ex parte objecti meliùs propositi, tum ex parte potentiæ, seu intellectûs ad credendum divinitùs adjuti.

Probatur ex his omnibus sancti Augustini testimoniis quæ circa finem capitis præcedentis retulimus, recensendo quintum Pelagii effugium circa gratiam; et ex his quæ mox referemus ad probandam sequentem Conclusionem; ex iis enim patet, Pelagium admisisse, 1° *revelationes à lege et doctrinâ distinctas*, lib. de Grat. Christi cap. 7. 2° *Revelationes veras et internas*, ibidem cap. 11 et 14. 3° *Revelationes supernaturales ac divinas*, quibus scilicet à Spiritu sancto lex atque doctrina revelatur. 4° Denique *revelationes quibus Deus cordis nostri oculos aperit, nosque multiformi ac ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Atqui hæc omnia designant veram et internam illustrationis gratiam, tum ex parte objecti, tum etiam ex parte potentiæ; ergò Pelagius admisit, etc.

Duo autem circa illas revelationes sunt annotanda. Primum, quòd Pelagius eas non admisit ut verè ac simpliciter necessarias, sed ut necessarias secundùm quid duntaxat. Ita sensisse Pelagium testatur sanctus Augustinus lib. de Grat. Christi cap. 40, ubi de ipso loquens, sic habet : « Manifestum est, ita eum velle nos « adjuvari gratiâ Spiritûs sancti, non quia sine « illo non possumus resistere tentatori, sed ut « FACILIUS resistamus. » Et cap. 41 : « Quamvis « et ipsam viam contendat etiam solâ inveniri « posse naturâ, sed FACILIUS, si adjuvet gra« tia. » Idem sæpiùs repetit S. doctor eodem in libro cap. 26, 27, 28, et præsertim 29, ubi adductis hisce Pelagii verbis : « Ut quod per « liberum, homines facere jubentur arbitrium, « faciliùs possint implere per gratiam; » statim subjungit : « Tolle FACILIUS, et non solùm ple-

« nus, verùm etiam sanus est sensus. » Secundùm, quòd cùm prædictæ revelationes juxta Pelagium vires non subministrarent voluntati, sed meræ legis munia obirent, hinc de illis inquiebat S. Aug. lib. de Gratiâ Christi cap. 7: *In his omnibus non recessit à commendatione legis atque doctrinæ.*

CONCLUSIO SECUNDA. — Pelagius ante condemnationem suæ hæreseos factam sub Zozimo, veram et internam voluntatis gratiam nusquàm admisit ad bonum opus, sive inchoandum, sive etiam complendum ac perficiendum.

Probatur 1° disertissimis sancti Aug. testimoniis depromptis ex lib. de Grat. Christi, qui liber à S. doctore exaratus fuit anno 418, quo tempore Pelagiana hæresis à Zozimo decretoriè proscripta fuit. Cap. 3, de Pelagio verba faciens sic habet S. D... « Gratiam Dei, et adjutorium quo adjuvamur ad non peccandum, aut in naturâ et libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrinâ: ut videlicet, cùm adjuvat Deus hominem, ut declinet à malo et faciat bonum, revelando et ostendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur; non etiam cooperando et dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit, faciat. » Ipso ergo judice S. Aug. Pelagius ante decretum Zozimi, doctrinæ duntaxat ac illustrationis adjutorium agnovit, non autem veram et internam voluntatis gratiam, cujus eximius character est per se et immediatè prævenire, movere, ac juvare voluntatem. Et cap. 7, postquàm Pelagii verba retulit, quibus tam magnificè gratiam Christi extollere et commendare videbatur: « Quam nos, inquiebat Pelagius, non in lege tantummodò esse confitemur; adjuvat enim nos per doctrinam et revelationem suam, dùm cordis nostri oculos aperit... dùm diaboli pandit insidias, dùm nos multiformi dono gratiæ cœlestis illuminat; » subdit S. Aug.: « In his omnibus non recessit à commendatione legis et doctrinæ; » et statim cap. 8, hæc addit: « Hinc itaque apparet, hanc eum gratiam confiteri, quâ demonstrat et revelat Deus quid agere debeamus; non quâ donat atque adjuvat ut agamus. » Et cap. 24, anteà citato, de Pelagianis loquens ait: « Legant ergo atque intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecùs, sed internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Rursùs cap. 30, apertè declarat S. D. se veram Christi gratiam in scriptis Pelagii, quæcumque legerat, nusquàm invenisse: « Istam, inquit, gratiam... in Pelagii scriptis, quæcumque legere potui, nusquàm eos inveni, quemadmodùm confitenda est confiteri.... possitis advertere, non eum ponere Dei gratiam quâ juvamur, vel ad declinandum à malo, vel ad faciendum bonum, nisi in lege atque doctrinâ; ita ut ipsas quoque orationes ad hoc asserat necessarias, ut ostendatur homini, quid concupiscat et diligat. » Denique ut plura alia sancti doctoris testimonia prætermittam, rem nostram planè conficit cap. 41 ejusdem libri, ubi de Pelagianis hæc habet: « Nullum auxilium gratiæ credunt, quâ naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doctrinâ, ita ut ipsas quoque orationes, ut in scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil adhibendas opinetur, nisi ut nobis doctrina etiam divinâ revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione et actione perficiat. »

Nihil luculentius desiderari potest hisce testimoniis, in quibus expressè affirmat S. Aug. nullam aliam Pelagianos gratiam confiteri quàm legem, doctrinam atque revelationem quâ bonum agendum proponitur, adeòque eos respuere omnem gratiam quâ voluntas movetur, adjuvatur ac corroboratur ad bonum peragendum.

Probatur 2°. Eam rejiciebat Pelagius gratiam, de quâ tam gravis ac diuturna ipsum inter et S. Aug. exarsit controversia, quamque ab ipso ex publicâ Ecclesiæ fide exigebat sanctus Augustinus; atqui tota ista contentio unicè spectabat gratiam voluntatis et actionis, istam ab ipso ex Ecclesiæ fide Aug. exigebat, quemadmodùm infra, cap. 6, demonstrabimus; ergo, etc. « Nos (inquiebat S. D. premens Pelagium lib. de Gratiâ Christi, cap. 10) volumus eam gratiam, iste aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur et speratur; nec solùm revelatur sapientia, verùm et amatur.... hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus. »

Probatur 3°, ex ipsismet Pelagiani systematis visceribus. Scilicet, quemadmodùm testatur sanctus Aug. lib. de gestis Pelag. cap. ultimo, præcipuum ac palmare Pelagianorum dogma, et cæterorum omnium quasi basis ac fundamentum, istud erat, *Adam et Evam mortales à*

Deo creatos esse, nec quemquam posterorum suâ prævaricatione læsisse, sed sibi tantùm nocuisse. Hinc autem inferebant, 1° nullum dari peccatum originale; 2° nullam proinde in voluntate relictam ex peccato originali infirmitatem; 3° liberum arbitrium æquè sanum, æquè validum, æquè perfectum in Adami posteris, ac in Adamo ipso. Ex his manifestè sequitur, necessum non esse ut voluntas per gratiam in se receptam, ad bonum operandum moveretur ac corroboraretur, sed sufficere, sicuti et in Adamo, meram illustrationem intellectûs. Rationem hanc attingit S. Aug. lib. de gratiâ Christi cap. 28, et alibi passim.

Probatur 4° ex hoc gravissimo et altiùs infixo præjudicio, quo, teste S. Aug. loco mox citato, et lib. de peccat. orig. cap. 11, laborabat Pelagius, *non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quoniam in propriâ voluntate cujusque est facere aliquid vel non facere.* Scilicet, concipere ille non poterat, quâ ratione stare posset libertas cum necessitate illius gratiæ quæ voluntatem prævenit, et sine quâ voluntas nihil potest. Veram ergo et internam voluntatis gratiam non admiserunt Pelagiani.

CONCLUSIO TERTIA. — Post decretum Zozimi Julianus hæresim Pelagianam utcumque temperavit, internam voluntatis gratiam admittendo, at triplici infectam vitio.

Probatur prima pars, scilicet Julianum post damnationem hæresis Pelagianæ factam sub Zozimo, gratiam voluntatis tandem admisisse. 1° Id constat ex libris ad Bonifacium qui primi sunt adversùs Julianum exarati anno circiter 420; scilicet tum in his libris, tum in posterioribus suis lucubrationibus adversùs Pelagianos, totus in eo versatur S. Aug. ut adstruat, non quidem existentiam et necessitatem gratiæ voluntatis præcisè, quod perpetuò antea inculcaverat in prioribus suis contra Pelagium operibus, sed necessitatem gratiæ, quæ omnia merita, et ipsum initium bonorum operum præveniat, quæque proindè secundùm merita nostra non detur. Sic lib. 1 ad Bonif. cap, 14, lib. 2, cap. 5 et 6, lib. 4, cap. 6 et cap. 11. ubi sic loquitur S. doctor: « Dicunt Pelagiani ab « homine incipere meritum per liberum arbi« trium, cui Deus subsequens gratiæ retribuat « adjumentum. » Atque hinc toties Juliano exprobrat, hanc pelagi ipropositionem in concilio Palæstino damnatam, ab ipso renovari, nempe *gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Hæc sanè tam diversa agendi ratio S. Aug. aperto indicio est, cum Juliano controversiam fuisse, non circa naturam et substantiam gratiæ, sed circa ejus duntaxat gratuitatem, atque ad initium bonorum operum necessitatem.

2° Idem clariùs colligitur ex S. Aug. lib. de grat. et lib. arbit. cap. 14, ubi perspicuè significat Pelagianos disputando depulsos fuisse à gratiâ legis et doctrinæ quam tantoperè prædicaverant, convictosque ut veram Christi gratiam admitterent. En sancti doctoris verba quæ ex integro duximus exscribenda, adeò egregia sunt et præsenti nostro instituto accommodata; sic ergo loquitur: « Sed cùm fuerint con« victi non defensores, sed inflatores et præci« pitatores liberi arbitrii, quia neque scientia « divinæ legis, neque natura, neque sola re« missio peccatorum est illa gratia, quæ per « Jesum Christum Dominum nostrum datur, « sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura li« beretur, ne peccatum dominetur, cùm ergo « in his convicti fuerint, ad hoc se conver« tunt, ut quocumque modo conentur osten« dere gratiam Dei secundùm merita nos« tra dari. Dicunt enim: Etsi non datur se« cundùm merita bonorum operum; quia per « ipsam benè operamur; tamen secundùm « merita bonæ voluntatis datur, quia bona vo« luntas, inquiunt, præcedit orantis, quam « præcessit voluntas credentis, ut secundùm « hæc merita gratia sequatur exaudientis Dei. » Nihil certè luculentius. Enimverò, gratia *per quam benè operamur, per quam lex impletur, natura, liberatur,* per quam fit *ut peccatum non dominetur,* profectò vera est ac propriè dicta gratia voluntatis: atqui Pelagiani tandem hujusmodi gratiam compulsi sunt; ergo, etc.; undè citato loco S. Aug. potissimùm incumbit in debellando isto Juliani aliorumque Pelagianorum perfugio, *gratiam secundùm merita dari.*

3° Eamdem veritatem non minùs apertè innuit S. Aug. lib. de dono perseverant. cap. 2, ubi recenses ea quæ contra Pelagianos catholica Ecclesia propugnabat, nihil aliud circa gratiam commemorat, quàm quod ipsa necessaria sit, et non detur secundùm merita: « Nam tria sunt, inquit S. doctor, quæ maximè « adversùs eos catholica defendit Ecclesia: « quorum est unum, gratiam non secundùm « merita nostra dari... alterum est, sine qua« libuscumque peccatis in hoc corruptibili cor« pore neminem vivere; tertium est obnoxium « nasci hominem peccato primi hominis. » Cum ergo ex tribus capitibus ad quæ errores omnes circa gratiam revocantur, ipsius scilicet

natura, necessitas et gratuitas, circa duo duntaxat posteriora Pelagianos erràsse observet S. Aug., hinc meritò colligitur ipsos tunc rectè sensisse circa substantiam gratiæ, ac proinde verum et internum voluntatis auxilium agnovisse.

4° Idem rursùs evincitur, eò quòd omnia argumenta quibus contra gratiam militabat Julianus, non substantiam et naturam gratiæ, sed solam ipsius gratuitatem et necessitatem oppeterent. Momenta illa infra, cap. 6, proponemus et exponemus.

5° Momenta quibus ex S. Aug. probare conantur adversarii Pelagianos gratiam voluntatis nusquàm admisisse, infirma sunt et minùs ad rem apposita; omnia enim fermè desumuntur aut ex libris initio hæreseos exaratis, aut ex libris de grat. Christi et de peccat. orig. editis ab Aug. an. 418, tempore lati à Zozimo decreti; at hæc non demonstrant, quod unum hic contendimus, Julianum deinceps magistri errorem paululùm temperàsse admittendo gratiam voluntatis.

Probatur secunda pars, nempe gratiam voluntatis à Juliano admissam multiplici vitio infectam fuisse. Primum vitium istud erat, quòd gratiam illam, non quidem ad inchoanda, sed ad complenda duntaxat et perficienda bona opera, necessariam judicaret. Hanc fuisse Juliani aliorumque Pelagianorum mentem, testis est S. Aug. lib. 2 ad Bonifacium, cap. 8 : « Isti « volunt, in homine ab ipso homine incipere « cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum « etiam perficiendi gratiâ consequatur. » Et lib. 4 contra Julian. cap. 30 : « Cùm ergo divi- « nitùs adjuvatur homo, non tantùm ad capes- « sendam perfectionem adjuvatur, quod ipse « posuisti, utique volens intelligi, eum per se « incipere sine gratiâ, quod perficit gratia. » Clara sunt hæc et aperta; in mente Juliani, teste S. Aug. *homo per se incipit sine gratiâ; in homine ab ipso homine incipit boni cupiditas.* Non ergo ad initium boni operis gratiam necessariam esse existimabat Julianus. Alterum vitium : gratia voluntatis quam Julianus aliique Pelagiani admittebant, secundùm quid duntaxat seu ad faciliùs, non autem simpliciter et absolutè necessaria erat ad perficienda bona opera. Equidem lib. 2 ad Bonifac. cap. 8, dubius et anceps videtur S. August. an Julianus, aliique recentiores Pelagiani ita senserint : « Fortassis ergo, inquit, ipsi eo modo saltem ser- « vans locum gratiæ, ut sine illâ putent hominem « posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem; « perfecti autem non faciliùs per illam posse, sed « nisi per illam omninò non posse. » At deinceps affirmatè loquitur, hunccque errorem Juliano non semel exprobrat S. doctor : « Vestrum autem dogma, » ait lib. 6 contra Julianum cap. 24, « id persuadere conatur... ut etsi opus sit, « necesse tamen non sit ad Christum pro æternâ « salute transire; eò quòd... commodior via « sit, non quòd alia esse non possit. » Et lib. 2 Operis imperfect., cap. 198 : « Quærentibus « à vobis, quare mortuus sit Christus, si na- « tura vel lex efficit justos; respondetis, ut « hoc ipsum faciliùs fieret; quasi posset, quam- « vis difficiliùs, fieri tamen, sive per naturam, « sive per legem. » Tertium tandem vitium gratiæ recentiorum Pelagianorum, in eo erat, quòd assererent eam secundùm merita nostra dari, quod testatur S. Aug. lib. 1 contra Julian. cap. 3, 4, 19, et alibi sæpissimè : « Hæc « est quippe, inquit, intentio quâ gratiam de- « struere moliuntur, ut eam dari secundùm « merita nostra contendant. »

Solvuntur objectiones. — Objicies 1° contra secundam Conclusionem : Pelagius conceptis verbis asseverat voluntatem à Deo succendi, suscitari, etc.; sic ipsum loquentem inducit S. Aug. lib. de gratiâ Christi cap. 10 : « Operatur « in nobis velle quod bonum est, dùm nos... « præmiorum pollicitatione succendit, dùm re- « velatione sapientiæ in desiderium Dei stu- « pentem suscitat voluntatem, dùm nobis sua- « det omne quod bonum est. » Undè sic licet argumentari : Gratia quæ operatur in nobis velle quod bonum est, quæ stupentem suscitat voluntatem, eamque in desiderium Dei succendit, quæ nobis suadet omne quod bonum est, vera est profectò voluntatis gratia; atqui Pelagius admisit gratiam hujusmodi; ergo, etc. Respondeo dist. maj. : Gratia quæ stupentem suscitat voluntatem, eamque succendit, etc., propriè, immediatè et efficienter, Deo per se producente in voluntate motum aliquem indeliberatum, aliquam excitationem et succensionem sine quâ voluntas bonum operari nequeat, concedo; metaphoricè duntaxat, mediatè et objectivè, per propositionem scilicet objecti cujus occasione voluntas seipsam suscitat et succendit, nego. Porrò hoc tantùm posteriori sensu per gratiam succendi ac suscitari voluntatem agnovit Pelagius, ut invictè probant ea quæ post citata in object. verba, confestim subdit S. Aug. « Quid manifestius, inquit, eum « nihil aliud dicere gratiam quâ Deus operatur « velle quod bonum est, quam legem atque

« doctrinam? » Addo illud idem argumentum Jansenio esse solvendum; namque ut ipse ait lib. de Grat. primi hominis, cap. 12, gratia ex sese efficax significantioribus verbis exprimi non potest, quàm nominibus *succensionis, suscitationis*, etc.; atqui tamen, fatente ipsomet Jansenio, cùm hæc scriberet Pelagius veram, internam et ex sese efficacem voluntatis gratiam nondùm admittebat; hanc enim juxta eumdem Jansenium confessi sunt post condemnationem duntaxat factam sub Zozimo; ergo, etc.

Objicies 2° : S. Aug. lib. de Gratiâ Christi cap. 29, recitatis his Pelagii verbis, *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam ;* continuò addit : *Tolle faciliùs, et non solùm plenus, verùm etiam sanus est sensus.* Porrò, nisi Pelagius gratiam voluntatis admisisset, profectò etiam sublatâ voce, *faciliùs,* non fuisset sanus et plenus Pelagianæ propositionis sensus; ergo, etc. Respondeo 1°, uti jam dictum, illud argumentum ipsimet Jansenio esse solvendum; exinde enim sequeretur Pelagianos, etiam ante Juliani tempora, gratiam ex sese efficacem, non solùm ad perfectionem, sed etiam ad initium bonorum operum agnovisse; quod utrumque falsum esse, non solùm confitetur, sed et multis probat Jansenius locis antea citatis. Respondeo 2°, S. Aug. loco in object. citato recensentem verba Pelagii meritò asserere : *Tolle faciliùs, et non solùm plenus, sed et sanus est sensus ;* quia scilicet semel admissâ absolutâ necessitate gratiæ intellectûs, facili consecutione adduci potuisset Pelagius, ut necessitatem quoque gratiæ voluntatis agnosceret; pares enim utrinque occurrunt rationes; nec magis, in mente Pelagii, læsus fuit homo in intellectu quàm in voluntate. Respondeo 3°, distinguendo et exponendo textum S. Aug. : *Tolle faciliùs, et sanus est sensus,* quantùm ad necessitatem gratiæ, ad quam unicè tunc respiciebat S. Aug., concedo; quantùm ad naturam et substantiam gratiæ, nego. Itaque errabat Pelagius tum circa naturam gratiæ, tum circa ipsius necessitatem; primum erroris caput abundè confutaverat S. doctor, 25 primis capitibus citati libri de gratiâ; hìc unam vindicat ipsius necessitatem, quam solam directè impugnabat Pelagius verbis adductis, quæ reverà ex se, sublatâ voce *faciliùs,* sanum et orthodoxum sensum referebant. Eadem est responsio ad ea quæ ex cap. 26, 27, 28, objici possunt.

Objicies 3° : Ex dictis Conclusione primâ Pelagius admisit interiorem illustrationis gratiam; atqui ex interiori intellectûs illustratione necessariò oriuntur in voluntate motus indeliberati, qui nihil aliud sunt quàm gratia voluntatis; ergo, etc. Etverò quosdam oriri in voluntate indeliberatos motus ex illustratione intellectûs, apertè agnovit Pelagius apud S. Aug. citatis antea verbis lib. de grat. cap. 10 : « Operatur in nobis velle quod bonum est, « dùm... præmiorum pollicitatione succendit, « dùm revelatione sapientiæ... stupentem suscitat voluntatem. » Respondeo 1°, verba Pelagii facilè intelligi posse de motibus deliberatis, eo videlicet sensu quòd voluntas occasione illustrationis intellectûs seipsam liberè excitet, et succendat ad bonum; adeò ut, quemadmodùm in Adamo, positâ solâ interiori invitatione per intellectum factâ, illicò voluntas ipsius seipsam liberè flectebat ad hoc vel illud objectum, sicque veluti præoccupabat omnes indeliberatos affectus qui in ipsâ suboriri poterant; ita etiam in nobis contingit, in quibus, juxta Pelagium, æquè plenum est et perfectum liberum arbitrium ac in primo parente. Respondeo 2°, equidem ex illustratione intellectûs necessariò oriri in voluntate motus indeliberatos; verùm hi motus non sunt formaliter ipsa gratia voluntatis; ipsa siquidem essentialiter posita est in motibus quibusdam per se et immediatè in voluntate divinitùs excitatis, quibus movetur, excitatur et corroboratur voluntas, fitque par actibus supernaturalibus eliciendis. Respondeo 3°, distinguendo : Agnovit Pelagius motus indeliberatos merè naturales ex ipsâ naturali voluntatis rectitudine prosilientes, occasione repræsentationis intellectûs, concedo; motus supernaturales à divinâ gratiâ promanantes, quibus voluntas infirma ad bonum operandum corroboranda sit, nego. Motus merè naturales ex ipsâ voluntatis rectitudine pullulantes occasione illustrationis intellectûs, quique voluntatem ipsam nullatenùs corroborant, non possunt dici vera voluntatis gratia; porrò Pelagius admittebat duntaxat motus hujusmodi; ergo, etc. Hanc solutionem nobis subministrat Jansenius lib. 2 de hæresi Pelag. cap. 5, ubi ad citata Pelagii verba observat, nullam ab ipso agnosci gratiam, nisi promissionis et revelationis, per quam animus naturaliter bonus, et semina naturalia virtutum in desiderium Dei per seipsa suscitantur. Addit ibidem, hæc boni desideria, semina virtutum, ex ipso naturali fundo prosilire, sicuti voluntatis nutus. Idem tradit lib. 5, cap. ultimo.

Objicies 4°: S. Aug. passim libris quatuor ad Bonifacium, sex contra Julianum, de Grat. et libero Arb., de Corrept. et Grat., de Prædest. SS., etc., apertè indicat Pelagianos veram et internam voluntatis gratiam agnovisse; namque his in libris totus in illâ gratiâ asserandâ tuendâque versatur S. doct. quæ omninò gratuita sit, et etiam ad initium bonorum operum simpliciter necessaria; errabant ergo illi non circa naturam seu substantiam gratiæ, sed unicè circa ipsius gratuitatem et necessitatem.

Respondeo libros ad Bonif. contra Julianum, et alios in object. citatos, à S. Aug. exaratos fuisse multò post latum à Zozimo decretum; quo tempore Pelagianos gratiam voluntatis tandem confessos fuisse, supra probavimus Conclus. tertiâ; perperàm ergo nobis hìc objicerentur testimonia ex prædictis aut aliis posterioribus ejusdem sancti doctoris libris deprompta.

Objicies 5°: Ultrò concedebant Pelagiani possibilitatem boni, seu potestatem benè agendi esse à divinâ gratiâ; agnoscebant quoque adjutorium complens ac corroborans ipsam potentiam boni; id manifestè patet ex cap. 3, 7, 10 et sequentibus libri de Grat. Christi; atqui possibilitas illa Pelagiana, aut saltem adjutorium hujusce possibilitatis, profectò veram et internam voluntatis gratiam complectebatur, quâ Deus potestatem benè agendi largiatur, compleat et adjuvet. Respondeo negando min. Namque 1°, Pelagius per illam possibilitatem, quam dicebat esse à Deo, non intelligebat potentiam benè agendi, quæ proficiscitur et exsurgit ex gratiâ voluntati superadditâ, sed solum et nudum liberum arbitrium. Ita disertè testatur S. Aug. in testimoniis capite præcedenti adductis recensendo primum Pelagianorum effugium. 2° Adjutorium possibilitatis à Pelagio excogitatum, solam legem et doctrinam, aut ad summum illustrationis gratiam complectebatur, minimè verò gratiam voluntatis. Id conceptis verbis declarat S. Aug. lib. de Gratiâ Christi cap. 41: « Nullum auxilium, *inquit*, « gratiæ credunt (Pelagiani), quâ naturæ pos« sibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doc« trinâ. » Et paulò post: « Ipsum verò auxi« lium quo possibilitatem perhibet adjuvari, « in lege constituit atque doctrinâ. » Consule quæ dicta sunt ad secundum Pelagii effugium loco mox laudato.

Quæres hìc, utrum Pelagius rejecerit omnem concursum, sive prævium, sive simultaneum, ad actiones tum naturales, tum supernaturales. De concursu prævio nulla difficultas; fatentur siquidem omnes hunc à Pelagio non fuisse admissum; at circa concursum simultaneum dissentiunt theologi. Alii affirmant admisisse. Ita Alvarez disput. 1 de Auxil. n. 21; Salmaticenses tract. de Grat. disput. 1, cap. 4; Vasquez 1, 2, disp. 109, cap. 7, etc. Alii negant. Ita Abulensis Matth. 19, quæst. 178, ad sextum; Bellarm. lib. 4 de Grat. et lib. Arb. cap. 4; d'Aguirre Theol. sancti Anselmi disp. 118, sect. sextâ; Suarez, Lessius, etc. Alii cum distinctione respondent. Volunt scilicet Pelagium admisisse concursum simultaneum circa actiones supernaturales; hunc verò rejecisse pro actionibus merè naturalibus. Ita Gonet. disput. 1 de Grat. art. 3, conclus. 4.

Ex his opinionibus secunda nobis videtur probabilior.

Probatur 1° ex S. Hieron. epist. ad Ctesiphontem, in quâ Pelagium sic loquentem inducit: « Si voluero curvare digitum, movere « manum, sedere, stare, ambulare... semper « mihi auxilium Dei necessarium erit? » Et lib. 1 adversùs Pelagium, ista ipsius verba refert: « Si in singulis rebus quas gerimus, Dei « utendum est adjutorio.... ergo loqui, ambu« lare, flere, ridere, et cætera hujuscemodi, « nisi Deus juverit, non poterimus? » Cui respondet S. doctor: « Audi, ingrate, imò sacri« lege... ipsum liberum, ut dicimus, arbitrium « Dei innititur auxilio, illiusque per singula « ope indiget; sed id vultis, ut qui semel ha« bet liberum arbitrium, Deo adjutore non « egeat; » ergo, etc.

2° Idem evincitur ex S. Aug. lib. de Gestis Pelagii cap. 18, ubi ista Pelagii verba refert: « Non est liberum arbitrium, si Dei indiget « auxilio, quoniam in propriâ voluntate ha« bet unusquisque aut facere aliquid, aut non « facere. » Ideò ergo, ut videbatur Pelagio, non indiget liberum arbitrium Dei auxilio, quia habet absolutè in suâ potestate facere aut non facere; ergo, etc.

3° Tandem idem colligitur ex citato sæpiùs palmari Pelagianorum principio: Liberum non est arbitrium, si Dei indiget auxilio; atqui supposito quovis concursu liberum arbitrium Dei indigeret auxilio; ergo, etc. Porrò, si generatim concursum rejiciebat Pelagius, eum sanè non admittebat pro actionibus supernaturalibus. Et verò concursus ille vera est voluntatis gratia; at supra probavimus nusquàm Pelagium agnovisse necessitatem gratiæ

voluntatis; ergo, etc. Tandem quæ probant momenta Pelagium non admisisse gratiam voluntatis, demonstrant pariter ipsum non agnovisse necessitatem concursùs etiam simultanei.

Lemos in Panopliâ, tom. 1, tract. 1, cap. 4, contendit Pelagium præcipuè negâsse concursum prævium, et ob id damnatum fuisse à Patribus : « Imò, *inquit loco citato*, negavit « Pelagius illum prævium concursum, et de « hoc potissimùm fuit damnatus et à SS. DD. « convictus. Quod ex eo fit manifestum, quia « Pelagius illud auxilium, sive concursum ne« gavit, quòd sibi videbatur tollere liberta« tem.... sed concursus simultaneus et indif« ferens voluntati oblatus, ut ipsa pro suâ in« natâ libertate, vel agat, vel non agat, nullâ « apparenti ratione poterat judicari quòd li« bertatem destrueret. Igitur non loquebatur « de isto concursu simultaneo Pelagius, quando « dixit quòd non est liberum arbitrium, si ta« li indiget auxilio. » Idem fermè docet Gonsalez de Leon controvers. 4. Verùm quàm falsa sit ista sententia patebit ex dicendis cap. 6, ubi probabimus S. Aug. cum Pelagianis disputâsse, non de auxilio physicè præmovente, seu de concursu prævio, sed unicè de verâ et internâ voluntatis gratiâ. Unum hîc interim annotare juvat infirmum omninò Lemos argumentum, cujus falsitas manifestè patet ex adductis probationibus; neque enim juxta Pelagium concursus censebatur liberum adimere arbitrium, ex eo quòd præveniret aut determinaret voluntatem, sed ex eo quòd nulla est libertas ubi non est ex se sibi sufficiens potestas ad utrumlibet. « Frustra (inquit Pelagius citatâ ad Ctesi« phont. epist.) dedit arbitrii potestatem, « quam implere non possum, nisi ipse me « semper adjuverit; destruitur enim voluntas « quæ alterius ope indiget. »

CAPUT V.

Utrùm Pelagiani admiserint gratiam habitualem et virtutes infusas?

Affirmat Jansenius lib. 5 de hæresi Pelag. cap. 22 et sequentibus. Negant alii cum Suarez prolegomen. 5, de Grat. cap. 2, Vegâ, Stapleton. d'Aguirre, Petavio, etc. Alii distinguunt inter gratiam habitualem et virtutes infusas. Istas quidem à Pelagianis fuisse rejectas, non verò gratiam habitualem per quam peccata delentur. Ita Martinonus in Antijansenio disput. 7 de hæresi Pelag. sect. 13.

CONCLUSIO. — Pelagiani nec gratiam interiùs sanctificantem seu habitualem, nec virtutes supernaturales infusas agnovêre.

Prob. 1° ex S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 30 : « Istam, *inquit*, gratiam, quâ justifica« mur, id est, quâ charitas Dei diffunditur in « cordibus nostris per Spiritum sanctum qui « datus est nobis, in Pelagii et Cœlestii scrip« tis, quæcumque legere potui, nusquàm eos « inveni, quemadmodùm confitenda est confi« teri. Prorsùs nusquàm eos adverti, sicut « agnoscendi sunt, agnoscere filios promissio« nis, de quibus dicit Apostolus : *Non ii qui « filii carnis, hi filii Dei.* » Unde sic arguo : Gratia per quam filii Dei, et filii promissionis constituimur, est gratia habitualis : filii enim Dei fimus et justi, *per occultissimam*, ut loquitur S. Aug. lib. 1 de peccat. meritis et remiss. cap. 9, *Spiritûs sui gratiam, quam latenter infundit et parvulis.* Atqui talem gratiam nusquàm admisit Pelagius; ergo, etc.

2° Non semel advertit S. Aug. Pelagianos contendisse *remissionis gratiam ad hoc tantùm valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura præcaveantur;* quæ quidem propositio damnata est in concilio Milevit. can. 3; et cap. 2 lib. de Gratiâ Christi testatur idem S. doctor, Pelagianos coactos agnoscere gratiam ad præcavenda peccata, eam in recordatione remissionis peccatorum et exempli Christi consideratione reposuisse, non in aliquâ subministratione virtutis. Ex quibus ista colligo : Si Pelagiani veram habitualem gratiam admisissent, hæc, utpote habitus interior et permanens, ad præcavenda peccata valuisset, nec in solâ exteriori consideratione et recordatione fuisset posita; atqui contrarium asseruêre Pelagiani; ergo veram gratiam habitualem non admiserunt.

3° Quemadmodùm ratiocinatur Suarez loco mox citato, gratia habitualis et dona infusa conferuntur propter actus supernaturales, sicut virtutes et habitus naturales dantur propter operationes naturales; atqui Pelagius non agnovit actus supernaturales; siquidem omnes virtutum actus asseruit fieri posse per vires proprias liberi arbitrii; ergo, etc. Et verò in Adamo innocente nullum supernaturale donum agnovit Pelagius : ergo verisimile idem sensisse de Adæ filiis. Denique nusquàm admisit actualem internam voluntatis gratiam, uti antea probavimus; ergo nec habitualem.

Dices 1° : Pelagiani omnes effectus tribuerunt gratiæ Christi quos in gratiam habitualem refundimus. 1° Ipsam desiderabant ad abs-

tersionem et remissionem peccatorum. Lib. de Gratiâ Christi et alibi sæpè. 2° Ad naturæ instaurationem, innovationem, restaurationem. Ita Pelagius in Epist. ad Demetriadem. 3° Ad justificationem et sanctificationem in Christo; aiebat enim Pelagius, *non ideò parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo.* Ita se Carthagine audivisse testatur S. Aug. lib. de peccat. meritis et remiss. cap. 6. 4° Ad adoptionem; hinc S. Aug. lib. 2 ad Bonifacium cap. 6, Pelagianos sic alloquitur: *Regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei non negatis, imò etiam prædicatis.* 5° Ut templum Dei homines fierent, et hæredes regni cœlestis. *Ideò parvuli baptizantur,* inquit Pelagius apud S. Aug. lib. 1 de Peccat. meritis et remiss. cap. 10, *ut creentur in Christo, et ipsius regni cœlorum participes fiant eo modo filii et hæredes Dei, cohæredes autem Christi.* Atqui insignes illi multiplicesque effectus apertè demonstrant Pelagianos gratiam habitualem divinitùs infusam agnovisse: ergo, etc. Respondeo isthæc quidem verba sensum catholicum præ se ferre, sed apud fraudulentos hæreticos Pelagianos, gravissimâ latentis erroris suspicione laborare. Scilicet asserebant peccata dimitti, homines instaurari, renovari, adoptari in filios Dei, hæredes fieri regni Dei, etc., non quidem per infusionem charitatis et aliorum donorum supernaturalium, sed per simplicem et externam peccatorum non imputationem seu condonationem, per simplicem et externum Dei favorem, quo ad regnum cœlorum destinantur: eo ferè modo quo solâ principis voluntate seu destinatione, nonnulli ad certa quædam officia deputantur, absque ullâ ipsis intùs communicatâ virtute. Fallaciam hanc detegit S. Aug. citato cap. 38 libri de Grat. Christi; relatis enim hisce Pelagii verbis, *nos instaurari per Christi gratiam, et in meliorem hominem renasci*; subjungit S. doctor: « Videte quemadmodùm et hic aliis quidem verbis, sed tamen in remissione peccatorum et in exemplo Christi adjutorium gratiæ constituerit. » Et lib. 6 contra Julianum cap. 23. « Tu, inquit, à vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Jesum Christum sic in solâ peccatorum remissione versari, ut non adjuves ad vitanda peccata... diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui ab illo datus est nobis. »

Cæterùm quæ diximus, Pelagianos non admisisse gratiam habitualem, intelligenda sunt duntaxat de Pelagio ejusque discipulis ad tempora usque lati sub Zozimo decreti; neque enim ita clarè liquet quid censuerit Julianus circa præsentem quæstionem, atque hinc adversùm nos nullatenùs militant Jansenii argumenta ex libris S. Aug. contra Julianum editis, aliisque posterioribus deprompta.

CAPUT VI.

De quâ gratiæ specie contentio fuerit sanctum Augustinum inter et Pelagianos.

Jansenius, lib. 5 de hæresi Pelagianâ, cap. 11, 12 et sequentibus, contendit eam gratiam quam negabant Pelagiani, et pro quâ tam strenuè pugnabat S. Aug., esse gratiam voluntatis et actionis, quæ virtute suâ invictâ, indeclinabili et insuperabili, voluntatem ad bonum operandum necessariò hic et nunc applicat ac determinat.

Lemos in Panopliâ, Alvarez de Auxiliis, Salmaticenses disput. præviâ de Grat. cap. 4, parag. 6, aliique præsertim è Thomistis existimant gratiam de quâ inter S. Aug. et Pelagianos tam diuturna exarsit controversia, fuisse gratiam per se efficacem aut physicè præmoventem.

Thomassinus, tom. 3 Theologicorum Dogmatum et in commentariis de Grat. gallicè editis, aliique numero longè pauciores de gratiâ habituali certatum fuisse docent. Cæteri volunt de necessitate et gratuitate actualis et prævenientis gratiæ voluntatis disputatum fuisse; de modo autem quo illa gratia operatur nullam fuisse controversiam. Ita Gamachœus, Ysambert, Suarez, Bellarmin, Petavius, de Lectocq, Frassen, etc.

Sunt qui distinguunt, et asserunt equidem S. Aug. ex fide Ecclesiæ, ipsiusque partes agentem, unicè à Pelagianis exegisse gratiam voluntatis necessariam et gratuitam; at ut privatum doctorem et ex propriâ sententiâ gratiam ex sese efficacem admisisse. Ita Natalis Alex. Hist. Eccl. seculi 5 cap. 3, parag. 13. In hanc sententiam facilè adduci possunt plures ex iis qui pro secundâ laudari solent. Quid sentiamus sequentes aperient Conclusiones.

Conclusio prima. — Gratia quam propugnavit S. Aug. contra Pelagianos, ea non est quæ virtute suâ invictâ, insuperabili et indeclinabili voluntatem ad bonum necessariò determinat et applicat, ad sensum Jansenii. Probatur. Quia ea gratia non fuit ab Augustino

contra Pelagianos propugnata, quæ jam ab Ecclesiâ damnatur, et semper damnata est ut noxia libertati; atqui talis est gratia necessitans, quam perpetuò obtrudit Jansenius, ut ex professo infra ostendemus; ergo, etc.

Conclusio secunda. — Gratia de quâ potissimùm contra Pelagianos agebat S. Aug. non erat habitualis, sed actualis.

Probatur. Gratia quæ requiritur ad singulos pietatis actus, etiam justificationi prævios; quæ homini perfectissimè justificato necessaria est ut possit rectè vivere, sicut candor lucis oculo plenissimè sano necessarius est ut possit videre; quæ præter baptismatis gratiam datur ut quotidianum Dei adjutorium, ad superandas diaboli insidias et carnis concupiscentias necessarium, non est gratia habitualis, sed actualis; talis autem est gratia de quâ potissimùm disputatum fuit Augustinum inter et Pelagianos, quod ex disertis S. D. textibus manifestum fit. « Eâ gratiâ, inquit lib. de Grat. Christi cap. 19, « necessarium est ut adjuvetur homo, sine quâ « boni aliquid facere non potest. » Lib. de Nat. et Grat. cap. 26 : « Sicut oculus plenissimè « sanus, nisi candore lucis adjutus non potest « cernere, sic homo etiam perfectissimè justi« ficatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitùs « adjuvetur, rectè non potest vivere. » Et sanctus Cœlestinus in epist. ad episcopos Galliæ cap. 7 : « Nemo, ait, nisi baptismatis « gratiâ renovatus idoneus est ad superandas « diaboli insidias, et vincendas carnis concu« piscentias, nisi per quotidianum Dei adjuto« rium perseverantiam bonæ conversationis « accipiat. » Ergo de gratiâ actuali potissimùm agebatur contra Pelagianos.

Et verò ideò contendit Thomassinus S. Aug. disputâsse contra Pelagianos de gratiâ habituali, quia agit adversùs ipsos de gratiâ quâ justificamur et sanctificamur, quæ quidem est gratia habitualis; at hæc ratio omninò infirma est et inefficax. Triplici enim modo, ut observat Angelicus doctor, homo dici potest justificari, 1° *dispositivè,* cùm tendit et præparat se ad justitiam; 2° *formaliter,* cùm in justitiâ et sanctitate habituali actu constituitur; 3° *effectivè,* cùm ex justitiâ agit, seu fructus justitiæ operatur. Sanctificatio dispositiva effectus est gratiæ actualis; formalis est effectus habitualis; effectiva tandem, et actualis gratiæ est et habitualis. Sanctus porrò Aug. loquitur non tantùm de gratiâ, quâ formaliter, sed potissimùm de illâ, quâ dispositivè et effectivè justificamur, proindeque de gratiâ actuali disputavit contra Pelagianos; quod constat ex dictis, et ampliùs constabit ex dicendis.

Conclusio tertia. — Gratia de quâ tam gravis ac diuturna exarsit contentio, sanctum Augustinum inter et Pelagianos, non est gratia ex se efficax, sed generatim actualis gratia voluntatis necessaria et gratuita.

Primum argumentum sic proponitur. Gratia quam S. Aug. Ecclesiæ partes agens adversùs Pelagianos propugnavit, et ipsum dogma fidei quod adversùs eosdem hæreticos definivit Ecclesia ; atqui sola gratia voluntatis præveniens, necessaria et gratuita, dogma est quod adversùs Pelagianos ab Ecclesiâ definitum est, non autem gratia per se efficax ; ergo, etc.

Major propositio constat 1° pluribus summorum Pontificum testimoniis, qui scripta S. Aug. consulenda proponunt, ut vera Ecclesiæ fides circa gratiam dignoscatur. 2° Innocent. I, in epist. supra citatâ ad Patres Carthaginenses, inter Augustinianas 181, aliàs 91, scribit, *qui hujusmodi gratiam rejiciunt, se inimicos catholicæ fidei et beneficiis Dei ingratos profiteri.* 3° S. August. loquens de gratiâ quam à Pelagio exigebat, asserit eam esse, quæ ad fidem Ecclesiæ pertinet, lib. de Grat. Christi cap. 2, quam tenebatur confiteri Pelagius, *si vult non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus*, ibidem cap. 10 : *Quæ secundùm sanam doctrinam debet intelligi.... quam si Pelagius admitteret, non abhorreret à doctrinâ catholicâ*, ibid. cap. 14, 15, 24, etc. 4° Idem evincitur constanti omnium theologorum suffragio. Consentit Jansenius, qui exinde colligit suam gratiam necessariò et relativè victricem ex fide admittendam esse.

Minor autem propositio probatur 1° ex omnibus conciliis celebratis adversùs Pelagianos, maximè verò Carthaginensi et Milevitano an. 416, et altero Carthaginensi totius Africæ plenario an. 418, in quibus nihil aliud definitur, nisi quòd gratia voluntatis sit ad omnes pietatis actus simpliciter necessaria. Ita præsertìm can. 4, 5 et 6 : « Placuit, inquiunt Patres can. 5, « ut quicumque dixerit ideò nobis gratiam dari, « ut quod facere per liberum jubemur arbi« trium, faciliùs implere possimus per gra« tiam, tanquàm, etiamsi gratia non daretur, « non quidem facilè, sed tamen possimus « etiam sine illâ implere divina mandata, ana« thema sit. »

2° Ex conciliis celebratis in causâ Semipelagianorum; his siquidem asseritur sola necessitas gratiæ voluntatis ad initium fidei; mini-

mè verò damnantur eò quòd non admitterent gratiam per se efficacem. Ita concil. Araus. II, can. 6 : « Si quis sine gratiâ Dei, inquiunt « Patres can. 6, credentibus, volentibus..... « misericordiam Dei dicit conferri divinitùs.... « et obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adju« torium, nec ut obedientes simus ipsius gratiæ « donum esse consentit, resistit Apostolo di« centi : *Quid habes quod non accepisti?* » Porrò non alia asserta fuit gratia contra Pelagianos ad omne pietatis opus, quàm quæ definita fuit necessaria ad initium fidei contra Semipelagianos ; ergo, etc.

3° Ex summis pontificibus qui Pelagianam hæresim confixère ; ii omnes in eo præcisè dogma constituunt, quòd admittenda sit voluntatis gratia præveniens et simpliciter necessaria. Ita Innocent. I, in rescriptis ad Patres Africanos expressè asserit, *anathematizandos esse qui contendunt aliquod veræ pietatis opus fieri posse sine gratiâ.* Pariter Zozimus in celebri Tractoriâ an. 418, urget solam gratiæ voluntatis necessitatem quæ præveniat omnia merita. Sanctus Cœlestinus in epist. ad episcopos Galliæ, adductis variis conciliorum et Patrum sententiis in quibus nuda stabilitur gratiæ necessitas, hæc addit maximè observanda : « Pro« fundiores verò difficilioresque partes incur« rentium quæstionum, quas latiùs pertractâ« runt qui hæreticis restiterunt, sicut non « audemus contemnere, ita non necesse habe« mus astruere. »

4° Idem evincitur ex S. Aug. qui explicans quænam sint dogmata quorum confessio exigenda sit à Pelagianis ut sint catholici, solam commemorat necessitatem gratiæ voluntatis, gratiam verò ex sese efficacem omninò silet. Id inprimis adverti potest epist. 186, aliàs 106, ubi prolatis articulis quos Pelagius anathematizare compulsus fuerat, iis opponit hos articulos catholicos : « Fateatur gratiam Dei et « adjutorium ad singulos actus dari, eamque « non dari secundùm merita nostra.... fateatur « et liberum arbitrium, etiamsi divino indiget « auxilio.... fateatur, quando contra tentatio« nes dimicamus, ex adjutorio Dei nostram « provenire victoriam. »

5° Tandem eadem minor propositio, hoc invicto adstruitur ratiocinio : Quod olim ab Ecclesiâ adversùs Pelagianos definitum fuit tanquàm de fide, etiam nunc debet esse dogma fidei : fides enim omninò est immutabilis, invariabilis, nec obliterari potest. Equidem fieri potest ut quæ antea non fuerant proposita ut explicitè credenda, postea sic proponantur ; sed Ecclesiæ firmitas et immobilitas in suis decretis non patitur ut aliquandò exegerit fidem alicujus mysterii, et contra sentientes è sinu suo tanquam hæreticos expulerit ; postea verò eamdem fidem obliterari permittat. Porrò nunc sola gratiæ voluntatis necessitas et gratuitas fide divinâ credenda est, non autem ipsius ex se efficax operandi modus ; siquidem multi sunt qui gratiam illam ex sese efficacem rejiciunt, quos tamen ut Catholicos habet Ecclesia, prohibetque ullâ hæreseos vel erroris notâ insimulari ; ergo, etc.

Secundum argumentum. Eam à Pelagio gratiam exigebat S. Aug. quam ab ipso postulaverant Patres Diospolitani, quamque etsi subdolè confitendo fulmen declinavit ; at Patres illi Græcorum principiis imbuti, gratiam non exigebant quæ esset adjutorium *quo*, hoc enim, teste Jans. lib. 1 de hæres. Pelag. ignorabant ; imò nondùm hanc duplicis adjutorii divisionem exposuerat S. doctor, quæ tamen clavis est ad dogma gratiæ ex se efficacis ; ergo, cùm S. Aug. postularet gratiam quam Pelagius professus est in concilio Diospolitano ne damnaretur, solam sanè postulabat gratiam voluntatis.

Tertium argumentum. S. Aug. Ecclesiæ partes agens id unum postulat à Pelagio, ut confiteatur gratiam quæ det ipsum posse, ita ut sine illâ voluntas propter virium infirmitatem nihil boni quod ad salutem conducat valeat operari ; quæ voluntatem præveniat et adjuvet, quæque secundùm merita non detur ; atqui prædicti characteres soli prævenienti voluntatis gratiæ competunt ; ergo. Minor ex sese patet ; si enim absque gratiâ efficaci voluntas non posset bonum operari, gravis sequeretur error quem suo loco refutabimus, videlicet absente gratiâ efficaci homini non suppetere media verè sufficientia ut salutem possit operari ; adeòque justis urgente præcepto quandoque mandata esse impossibilia. Major verò probatur pluribus S. Aug. textibus, Epist. 181, aliàs 106 : « Gratia, inquit, quam fides vera « et catholica tenet semper Ecclesia.... sic ad« juvat, ut nisi adjuvet, nihil pietatis atque « justitiæ, sive in opere, sive etiam in ipsâ vo« luntate, habere possimus. » Et lib. de Grat. Christi, cap. 47 : « Si ergo consenserit nobis « (Pelagius)..... etiam ipsam voluntatem et « actionem divinitùs adjuvari, et sic adjuvari, « ut sine illo adjutorio nihil benè velimus et « agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum

« Christum.... nihil de adjutorio gratiæ, quantùm arbitror, intra nos controversiæ relinquetur. » Et lib. 4 ad Bonif. cap. 6, id unum carpit in Pelagianis, quòd negarent bonam voluntatem à gratiâ præparari seu præveniri : « Si autem, inquit, sic intelligerent, quod dictum est, si volueritis, ut etiam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo scriptum est : *Præparatur voluntas à Domino*, tanquàm catholici uterentur hoc testimonio. » Ergo gratia cujus confessionem à Pelagio requirebat S. Aug. erat tantùm gratia voluntatis præveniens, necessaria et gratuita. Hinc quoties dogmaticam Ecclesiæ definitionem tradit S. doctor, hoc unum inculcare nititur; nempe quòd præveniat et præparet voluntatem, quòd sit talis ut sine ipsâ nihil boni possit fieri; et quod secundùm merita non detur; ergo, etc.

Quartum argumentum. Catholicè omninò sensissent Semipelagiani circa gratiam, si quam ad bona opera admittebant, eamdem ad initium fidei necessariam agnovissent; atqui Semipelagiani ad bona opera necessariam asserebant gratiam, non ex sese efficacem, sed generatim gratiam quæ præveniret voluntatem, ipsamque adjuvaret; ergo, si ejusdem gratiæ necessitatem quoad initium fidei agnovissent, catholicè censuissent, eosque ex hâc parte velut orthodoxos suscepisset S. Aug., ac proindè gratia quam idem S. doctor Pelagianos debellans, ab ipsis exigebat, sola erat necessitas gratiæ voluntatis, quæ tùm opera, tùm initium bonorum operum præveniret. Major constat ex S. Aug. loco citato, et lib. de dono Persev. cap. 17 : « Sicut ergo, inquit, ipsi hortantur ad castitatem, charitatem, pietatem, et cætera quæ Dei dona esse confitentur; sic videant nec ad fidem, nec ad perseverantiam impediri exhortationes suas, si et ipsa Dei dona esse dicantur. » Minor certa est unanimi theologorum consensu, eamque contra Jansenium adstruemus, ubi de Semipelagianis.

Quintum argumentum. S. Aug. exigit unicè à Pelagio ut confiteatur gratiam volitionis et actionis; sed gratia quæcumque præveniens voluntatis, est gratia volitionis et actionis. Namque 1° gratia volitionis et actionis, est gratia quam opponit S. doctor directè et immediatè gratiæ possibilitatis à Pelagio admissæ, quæque ex dictis erat duntaxat gratia intellectûs; atqui gratia quæcumque voluntatis directè et immediatè opponitur gratiæ intellectûs; ergo, etc. 2° Gratia quæ adjuvat ut velimus et agamus, est gratia volitionis et actionis ex S. Aug. *Dat Deus quod jubet*, inquit S. D. lib. de grat. et lib. arbit. cap. 15, *quandò adjuvat, ut faciat cui jubet*. Sed gratia voluntatis adjuvat ut velimus et agamus; movet enim quælibet gratia voluntatis et excitat ad actionem in quam influit, quamque nobiscum producit dùm agimus; ergo, etc. 3° Agnoscitur gratia volitionis et actionis eo ipso quo defenditur hominem nihil benè velle aut agere sine divino adjutorio. Ita docet S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 25, his verbis : *Velle et operari, operatur in nobis; non quia nos non volumus, sed quia sine ipsius adjutorio, nec volumus aliquid boni, nec agimus*. Atqui positâ necessitate cujuslibet gratiæ voluntatis, homo nihil vult aut agit sine divino adjutorio quod faciat velle aut agere; ergo, etc. Et verò, quandò duæ causæ concurrunt ad unum et eumdem effectum, non uni duntaxat sed utrique causæ tribui debet effectus, præsertìm verò nobiliori et primariæ; porrò gratia, utpote ordinis supernaturalis, causa nobilior est ipsâ voluntate; et quatenùs eam prævenit, et excitat, primaria est; ergo gratiæ voluntati potissimùm, adscribenda actio; ergo meritò dicitur gratia volitionis et actionis. Conferantur textus S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 47, probatione 3, relati cum his tribus punctis, et hæc iterùm evincent.

Solvuntur objectiones.—Objicies 1°: S. Aug. passim apertè declarat se à Pelagio postulare gratiam ex sese efficacem : postulat enim gratiam quâ « futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur et speratur; nec solùm revelatur sapientia, verùm etiam amatur; nec suadetur solùm omne quod bonum est, verùm etiam persuadetur; » lib. de Grat. Christi cap. 10; « quâ Deus non ostendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat charitatem.... simul donans et quid agant scire, et quod sciunt agere; » ibidem, cap. 13 : quâ « non solùm Deus posse nostrum donat atque adjuvat, sed etiam velle et operari operatur in nobis... occultâ, mirabili et ineffabili potestate, » ibidem, cap. 24, 25; quâ « volentes ex nolentibus fiant occultissimâ et efficacissimâ potestate, » lib. 1 ad Bonif., cap. 18 et 20; « quâ Deus facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, » lib. de Grat et lib. Arb., cap. 16; « quâ subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, et ideò quamvis infirma non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur, » lib. de Corrept, et Grat., cap. 12; « quâ

« Deus habet humanorum cordium, quò placet, « inclinandorum omnipotentissimam potesta- « tem..... Et magis habet in potestate volun- « tates, quàm ipsi suas, » ibidem, cap. 14; quæ denique « à nullo duro corde respuitur; « ideò quippè tribuitur, ut cordis duritia pri- « mitùs auferatur, » lib. de Prædest. SS., cap. 8. Atqui hæc et alia plurima quæ multis in locis reperit S. Aug. quæque hic recensere longius esset, haud dubiè exprimunt gratiam ex sese efficacem, seu naturâ suâ infallibiliter determinantem ad operandum; ergo, etc. Respondeo 1°, istud argumentum, si nimiùm urgeretur, nimis probare, ipsisque adversariis esse solvendum; libro enim de Grat. Christi, cap. 10, post citata in objectione verba, subjungit S. doctor : « Hanc debet Pelagius gra- « tiam confiteri, si vult non solùm vocari, « verùm etiam dici Christianus. » An verò dicent adversarii, nomine christiano donandum non esse ex S. Aug. qui gratiam ex sese efficacem negaret? Certè, teste Jansenio, ut antea diximus, Patres Palæstini quibus ambiguitate vocis turpiter illusit Pelagius, gratiam, quæ esset adjutorium *quo,* seu ex sese efficacem ignorabant, et tamen eos catholicos præsules appellat S. August., epist. 177, aliàs 95, ubi de iis sic loquitur : « His auditis verbis, catholici anti- « stites, nullam aliam Dei gratiam intelligere « potuerunt, nisi quam in libris Dei legere, et « populis Dei prædicare consueverunt; « id est ut exponit lib. de gestis Pelagii, cap. 14, « quæ « subministratione sancti Spiritûs datur, ut ad « nostros actus singulos adjuvemur. » Itaque licet ex adductis testimoniis probaretur S. Aug. admisisse gratiam ex sese efficacem, de quo suo loco disputabimus, non tamen indè elici posset, eam esse tanquàm de fide admittendam; nemo enim non videt quantùm sit discriminis, inter gratiam ex se efficacem admittere, dogma fidei contra Pelagianos stabiliendo, et eam exigere velut dogma fidei. Esto prius præstiterit S. Aug. de quo suo loco disputabimus; neutiquàm certè posterius.

Respondeo 2°, idem argumentum aliâ de causâ Jansenio esse solvendum. Contendit enim et multis probat lib. 6 de Hæres. Pelag., cap. 1, 2, etc., Pelagianos post solemne Zozimi decretum an. 418, *verissimam, purissimam, catholicamque gratiam,* id est, ut ipse interpretatur, ex sese, relativè et necessariò victricem, tandem confessos fuisse; quanquàm errarent in eo quòd ex meritis et ad faciliùs duntaxat eam dari statuerint; porrò plurima ex adductis in objectione testimoniis eruuntur ex operibus S. Aug. longe post annum 418 exaratis. Ita libri ad Bonifac., libri de Grat. et lib. Arbit., de Corrept. et Grat., de Prædest. SS. de dono Perseverantiæ, etc.; ergo, etc.

Respondeo 3°, non de modo agendi gratiæ disputâsse S. Aug., sed de illius necessitate et gratuitate. Scilicet in systemate gratiæ ex sese efficacis tria sedulò sunt distinguenda : nempè necessitas, gratuitas, et illius efficacia, seu potiùs efficaciæ modus. Duo priora nomine Ecclesiæ exigit S. Aug. à Pelagio ut esset catholicus; tertium verò caput, si illud agnovit (quod hic non inquirimus), ex propriâ sententiâ propugnavit S. doctor, non tamen proposuit ut fidei dogma; nec Pelagianos hæreticorum numero habuisset, si internam voluntatis gratiam ad singulos actus, ac ad ipsum boni cujusvis operis ac fidei initium omninò necessariam, eamque non secundùm merita nostra dari professi essent, quamvis ipsam esse ex se efficacem negâssent. Solutionem hanc nobis subministrat Natalis Alex., in Synopsi hist. seculi 5, cap. 3, parag. 13.

Respondent denique qui gratiam ex se efficacem non admittunt, negando minorem propositionem. Aliud enim est, inquiunt, generatim exigere gratiam quamlibet efficacem seu efficientem, aliud expostulare gratiam à se et ab intrinseco efficacem. De priori loquitur S. Aug., non de posteriori, quod ut planiùs intelligatur, observandum ex supra dictis 1°, duplicem distinguendam esse gratiam interiorem; una ad intellectum, altera ad voluntatem pertinet. 2° In eo positum fuisse Pelagii errorem, quòd nullam admitteret gratiam voluntatis, sed solam gratiam intellectûs. 3° Id proprium esse gratiæ intellectûs, ut se habeat tantùm instar conditionis ad ipsam operationem voluntatis, nec possit propriè dici ejus causa, cùm ostendat tantùm et proponat voluntati quid sit agendum; neque interiùs eam afficiat, moveat et adjuvet ad operandum. E contra verò gratia voluntatis cùm interiùs voluntatem moveat et excitet, simulque corroboret et compleat in ratione principii supernaturalis, se habet ut primaria et præcipua causa cujuscumque boni operis pertinentis ad vitam æternam.

His præsuppositis, plana est et aperta S. doct. mens atque doctrina. Scilicet, pergunt iidem, locis citatis refellit gratiam Pelagianam quæ cùm ad solum intellectum pertineret, se habebat ad nostræ voluntatis operationes, duntaxat veluti conditio ostendens et proponens voluntati

quid sit agendum, non verò ut causa intùs eam afficiens, movens et adjuvans ad operandum. S. Aug. in nefarium illud dogma insurgens gratiam exigit, quæ voluntatem interiùs moveat et excitet, corroboret atque compleat; ac proindè quæ sit primaria ac præcipua causa cujuscumque boni operis; porro gratia cui hæc competunt est simplex gratia voluntatis, ad quam ut ad præcipuam causam referri possunt et debent omnia pietatis opera quæ elicimus; hanc ergo unicè exigit abstrahendo à modo quo ipsa operatur.

De illâ rectè exponuntur quæcumque n objectione proposita sunt, præsertim si hæc duo attendantur, 1° sanctum D. gratiam potissimùm spectare in prædestinatis; 2° eam considerare in statu perfectissimo. Primum constat ex lib. de Corrept. et Grat., cap. 13 : *De his loquor*, inquit, *qui prædestinati sunt in regnum Dei.* Secundum, dùm præcipuos ejus characteres et effectus ipsi soli proprios sigillatim recenset, ut nempe Pelagii fastum reprimeret, qui suæ gratiæ effectus mirificè extollebat, lib. de Grat. Christi, cap. 10. Hanc quippe superbiam ut contunderet S. D. Pelagianam gratiam denudat, eamque in lege et doctrinâ consistere tradit; huic autem catholicam gratiam, illiusque effectus opponit, quam proindè effectui conjungere debet, certissimam illius efficientiam adstruendo, quocumque tandem modo effectum suum illa operetur, quod ibi non expendit S. Aug. Hinc de illâ catholicâ gratiâ loquens, simpliciter affirmat, eâ gratiâ fieri, « *non solùm ut facienda noverimus, verùm etiam* « *ut cognita faciamus.... non ostendere tantummodò veritatem; verùm etiam impertire chari-* « *tatem.... occultâ, mirabili, ac ineffabili po-* « *testate operari in cordibus hominum, non solùm* « *veras revelationes, sed etiam bonas voluntates;* » aliaque mira in objectione proposita. Lege si vacat Patrem Josephum Tricassinum disput. theolog. de Prædestinat. hominum, parte 2, sect. 2, parag. 16 et sequentibus.

Ad hanc responsionem revocatur quæ à quibusdam aliis affertur solutio, distinguendo maj. et min. objectionis propositæ : Gratia quâ semper et absolutè in quibuscumque circumstantis *creditur, speratur, amatur, persuadetur*, etc., est gratia à se et ab intrinseco efficax, concedo ; gratia quâ hypotheticè duntaxat creditur, speratur, etc., seu ex hypothesi quòd ipsi consensum præbeamus, nego. Porrò gratia quam à Pelagio nomine Ecclesiæ postulat strenuus gratiæ vindex Aug. non est gratia quâ semper credatur et ametur ; sed est gratia quæ, ex hypothesi quòd credamus, speremus, amemus, etc., sit causa nostræ fidei, spei, amoris, aliorumque hujusmodi piorum actuum, qualis est generatim quælibet gratia voluntatis. Solutio patet ex dictis, et ampliùs constabit ex dicendis object. 3, ubi ostendemus quamlibet gratiam voluntatis, meritò dici gratiam volitionis et actionis.

Objicies 2° : Eam à Pelagio gratiam postulat S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 14, *quâ Deus docet non per legis litteram, sed per Spiritûs gratiam* ; porrò gratia hujusmodi est sola efficax. Namque 1° Deus eâ ita docet, *ut quod quisque didicerit , non tantùm cognoscendo videat , sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* 2° Qui eam habet, venit ; qui non venit, non habet : *Omnis qui didicit, venit; quisquis non venit, profectò nec didicit,* ibidem cap. 14. 3° Gratia est cujus indicium certissimum est, si homo faciat quod didicit; et vicissim si non fecerit quod didicerit, signum est certissimum, eam non adfuisse, ibidem cap. 13, atqui talis est sola gratia efficax ; ergo, etc. — Respondeo 1°, tres priores adductas mox responsiones hìc recurrere ; quibus adde falsum esse in doctrinâ S. August. gratiam semper cum effectu conjungi. Id apertè constabit ex dicendis, ubi gratiæ sufficientis existentiam adstruemus. Respondeo 2° nulli congruere systemati doctrinam in objectione propositam. Gratia enim quæ hìc petitur à Pelagio, talis est ut habeat plenum ac perfectum effectum : *Omnis qui didicit à Patre, non solùm potest venire, sed venit; ubi jam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus et actionis effectus est,* cap. 14 : cùm ergo in quolibet systemate gratiæ agnoscantur quæ pleno, perfecto et exteriori effectu privantur ; ruunt omnia systemata, aut dicendum erit S. Aug. non excludere gratiam distinctam ab efficaci. Respondeo 3°, apud S. Aug. istas locutiones *audire à Patre, et ab illo doceri, ac discere,* non significare simplicem gratiæ acceptionem, sed docilem ejus acceptionem, conjunctam nempe cum consensu voluntatis. Patet veritas solutionis 1° ex contextu S. Aug.; nusquàm enim simpliciter, ait S. D. : Omnis qui audivit, venit, sed hæc duo conjungit : *Omnis qui audivit et didicit, venit.* 2° Ita seipsum interpretatur S. doctor : *Aures audiendi,* inquit lib. de dono Persev. cap. 14, *ipsum est donum obediendi.* 3° Prædicta expositio perfectè consentit cum ipsius instituto : namque prosequitur hoc in loco oppositionem gratiæ Christi cum gratiâ Pelagianâ ; hancque ex eo refellit,

quòd cùm se teneat tantùm ex parte intellectùs, nihil aliud operetur nisi scientiam agendorum, etiam in iis qui proprium ejus effectum non impediunt ; è contra gratia voluntatis, in iisdem circumstantiis posita influit in ipsum bonum opus ; proindeque fieri non potest ut quia discat secundùm posteriorem hanc gratiam, seu cum docilitate eam suscipiat, nisi veniat ad Christum et bonum operetur. En proprium discrimen utriusque gratiæ quod sollicitè inculcat S. Aug. loco citato ; de connexione verò absolutâ et ex naturâ rei inter gratiam et ejus effectum nullomodò cogitat.

Objicies 3°: De eâ gratiâ contentio fuit sanctum Aug. inter et Pelagianos , quam solam illi hæretici argumentis suis oppugnavêre ; atqui argumenta et rationes Pelagianorum unam duntaxat impugnant gratiam invincibiter aut necessariò determinantem ; ergo, etc. Major certa est, minor autem probatur percurrendo tùm Pelagii, tùm Juliani argumenta, variasque eorum querelas et expostulationes. 1° Tria potissimùm erant pelagii argumenta adversùs gratiæ necessitatem. Primum ac fundamentale spectabat libertatis excidium : *Non est,* inquiebat Pelagius apud S. Hier. citatâ ad Ctesiphont. epistolâ, *liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio.* Idem testatur S. Aug. lib. de gest. Pelagii, cap. 18. Ex hoc palmari Pelagianorum principio, tanquàm ex fonte et radice omnes aliæ eorum expostulationes derivantur. Secundum Pelagianorum argumentum istud erat, per gratiam auferri omnem voluntatis actionem ; ita observat S. Aug. sermone 156, aliàs 13, de verbis Apost., ubi ex gratiæ necessitate sibi objicit : *Dicit mihi aliquis : ergo agimur , et non agimus ?* Tertium præcedentibus persimile est et germanum. Scilicet conquerebantur dogmate catholico de necessitate gratiæ omne meritum subverti ; hanc Pelagianorum querelam recenset et refellit S. Aug. lib. de Grat. et libero Arb. cap. 5 et 7. 2° Tria etiam fuêre Juliani argumenta : 1° omne studium virtutis auferri ; 2° fatalem induci necessitatem ; 3° imò et coactionem voluntati inferri. Tres illas Juliani calumnias refert S. Aug. lib. 2 ad Bonifac. cap. 5, his verbis : «*Sub nomine gratiæ,* « *ita fatum asserunt ut dicant, quia nisi Deus in-* « *vito et reluctanti homini inspiraverit boni cupi-* « *ditatem, nec à malo declinare, nec bonum pos-* « *set facere.*» Unde hi hæretici sanctum D. et alios Catholicos tanquàm manichæismi reos sæpiùs traducebant. Porrò incredibile omninò est viros ingeniosos, quales erant Pelagius, Cœlestius, Julianus, aliique Pelagiani, sibi in animum induxisse quòd ista incommoda sequerentur ex simplici necessitate gratiæ cui homo pro suo arbitrio posset consentire vel non consentire. Hæc et alia Pelagianorum argumenta, variasque eorum querimonias et expostulationes fusiori stylo prosequitur Jansenius lib. 5 de Hæres. Pelag. cap. 12, 13, 14, 15, 16, et lib. 2. de Grat. Christi, cap. 11, 12, etc.

Respondeo 1°, hìc iterùm recurrere tres priores solutiones supra allatas ad primam objectionem. Respondeo 2°, ad primum, momenta et rationes quibus Pelagiani doctrinam S. Aug. oppugnabant , præcipuè ac directè impetere necessitatem gratiæ interioris. Constat id 1° ex ipsismet allatis querimoniis : *non est liberum arbitrium ,* inquiebant Cœlestius et Pelagius , *si Dei indiget auxilio ;* non aiunt, si Dei indiget auxilio efficaci ; sed simpliciter , *si Dei indiget auxilio ;* quæ verba apertè demonstrant, Pelagianam expostulationem fundari in unâ interioris gratiæ necessitate. Hinc S. Aug. epist. 194, aliàs 105 , de Pelagianis ait . « Putant au- « ferri sibi arbitrium liberum , si nec ipsam « bonam voluntatem sine adjutorio Dei homi- « nem habere consenserint. » Constat 2°, quia ut eas querimonias diluat S. D. in eo totus est ut ostendat necessitatem gratiæ nullatenùs officere humanæ libertati ; querimoniæ ergo illæ substantiam ac necessitatem gratiæ unicè spectabant , non ipsius agendi modum. Hinc lib. 2 de Nuptiis et Concupiscentiâ , Pelagianorum expostulationi respondens , sic occurrit : « Li- « berum in hominibus esse arbitrium.... utri- « que dicimus. Non hinc estis Cœlestiani et « Pelagiani. Sed si quis ad colendum rectè « Deum , sine ipsius adjutorio , dicit in homi- « nibus esse liberum arbitrium.... ipse Cœles- « tianus et Pelagianus vocatur. » Constat 3°, quia Pelagiani imbuti , ut antea vidimus ex SS. Hier. et Aug. falso ac erroneo principio , hominem non esse liberum , si Dei indiget auxilio ; existimabant quamlibet gratiam interiorem , quæ voluntatem prævenit et excitat , ejus destruere libertatem , adeòque esse rejiciendam : scilicet ipsi essentiam libertatis constituebant in naturali potestate boni et mali , ex quo consequi putabant tolli libertatem , si id quod necessarium est ad bonum agendum non sit naturale.

Ad secundum : Momenta et rationes Juliani potissimùm impetunt necessitatem gratiæ ad initium bonorum operum ; et quod opponebant Pelagiani generatim contra necessitatem

cujuslibet gratiæ prævenientis voluntatem, objiciebat ille contra necessitatem gratiæ prævenientis voluntatem ad initium bonorum operum; undè S. August. lib. 2 ad Bonifac. cap. 8, commemorans has Juliani querimonias, istud affert illius fundamentum : « Isti enim in homine volunt ab ipso homine incipere boni « cupiditatem. » Et cap. 10. : « Hoc quippe ita « dicunt, velut homo à seipso sine adjutorio « Dei habeat propositum bonum studiumque « virtutis. » Ex his liquidò apparet, quàm immeritò asserat Jansenius expostulationum Juliani fundamentum fuisse invincibilem gratiæ efficacitatem, cùm directè sequantur ex rejectâ simplici ejus gratuitate, quâ fit ut omnia merita præveniat; atque hinc est quòd ad retundenda Juliani argumenta, totus versatur S. doctor, ut observat ipsemet Jans. in asserendâ gratiâ quæ omnia prorsùs merita præveniat, quæque primam boni cupiditatem inspiret.

CAPUT SEPTIMUM.

Compendiosa proponitur series chronologica operum S. Aug. adversùs hæresim Pelagianam.

Catholicum adversùs Pelagianos bellum duce potissimùm S. Aug. confectum est; teste S. Prospero lib. contra Collatorem cap. 10 : *Viginti ampliùs annis*, inquit, *contra inimicos gratiæ Dei catholica acies hujus viri* (Augustini) *ductu pugnat et vincit.* Hinc Hormisdas de S.D. loquens, sic habet : *Quid romana asseverat Ecclesia de libero arbitrio et gratiâ Dei, ex variis Augustini libris, et maximè ad Hilarium et Prosperum cognosci potest.* Juvat ergo ad Pelagianos errores detegendos, et catholica dogmata ipsis opposita penitùs scrutanda, paulò diligentiùs in opera S. doctoris adversùs hancce hæresim exarata inquirere.

Primum quod adversùs Pelagianos exaravit opus, fuêre libri tres ad Marcellinum, *de peccatorum meritis et remissione*, anno 412 editi. Libro 1, Adamum, nisi peccâsset, non fuisse moriturum, ejusque posteros reos nasci peccati originalis, et ad ejus remissionem baptizari demonstrat. Lib. 2, probat, nullum prorsùs, excepto uno mediatore Christo, et B. M. Virgine (eam quippe excipit S. D. lib. de Naturâ et Grat. cap. 36), vel esse, vel fuisse, vel futurum hominem ab omni peccato immunem. In 3, Pelagii argumenta contra peccatum originale refellit. Eodem anno 412, aliud opus contra Pelagianos *de spiritu et litterâ* itidem Marcellino nuncupavit. Eo in libro, 1° ostendit innumera, quæ nusquàm extitêre, tamen maximè esse possibilia; legem sine gratiâ ad peccata vitanda non sufficere, quod probat his Apostoli verbis : *Littera occidit, spiritus autem vivificat;* quæ ibidem exponit, et sæpiùs urget; eâque de causâ huic libro *de spiritu et litterâ* titulum fecit S. doctor. 3° Tandem gratiæ divinæ fidem esse deputandam. Ad eumdem annum referenda est epist. ad Honoratum de grat. novi Testamenti.

Anno 413, S. Aug. adversùs Pelagianos sermonem habuit, qui inter ipsius de verbis Apostoli sermones decimus quartus numeratur. In eo de baptismo parvulorum et peccato originali disserit, Pelagianorum effugia et cavillationes circa utrumque caput, excutit ac redarguit.

Anno 414, edidit librum *de perfectione justitiæ.* In eo docet perfectionem illam, plenitudinemque justitiæ, quâ homo sine ullo prorsùs peccato sit, nec sine gratiâ possibilem per vires naturæ, nec usquàm esse præsentis hujus vitæ. Dissolvit ibidem brevibus responsis, quæ in contrarium opponebantur in libro, qui dicebatur esse Cœlestii, ad se misso ab Eutropio et Paulo episcopis Hispanis. De quo vide Marii interpretem Garnerium dissert. 6, cap. 2, in primam partem ejusdem Marii.

Anno 415, Timasius et Jacobus nobiles adolescentes Pelagianis dogmatibus studiosissimè addicti, Pelagii librum quo naturam hominis contra gratiam Dei defendebat, ad S. Aug. transmiserunt, cui S. doctor respondit edito libro *de naturâ et gratiâ* ad eosdem nuncupato. Eo in libro primùm statuit quid de naturâ et gratiâ certum sit et exploratum; naturam scilicet inculpabilem et sanam primitùs conditam, Adæ prævaricationis peccato infectam fuisse, eamque gratiæ adjutorio à lege et libero arbitrio prorsus distincto indigere, quo et ab irâ Dei redimatur, et ad opera pietatis perficienda idonea reddatur; tum Pelagii naturæ vires plus æquo extollentis librum, datis ad singula capita responsis, confutat; demùm respondet SS. Patrum sententiis, quibus ad errorum suorum patrocinium abutebatur Pelagius. Eodem anno S. doct. duas scripsit ad S. Hieron. epistolas; alteram (166) de origine animarum, alteram (167) de textu Jacobi : *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus.*

Anno 416, dedit S. Aug. epistolam ad Joannem Jerosolymitanum, ipsum monens fraternâ charitate, ne permitteret sibi à Pelagio illudi : deinde suum offerens librum *de naturâ et gratiâ*

ipsum rogat ut gesta synodi Diospolitanæ in Africam transmitteret. Extat inter Augustinianas epistolas 179.

Anno 417, librum de gestis Pelagii ad Aurelium Carthaginensem conscripsit S. doctor. In eo synodi Diospolitanæ gesta recenset; ostendit Pelagium Patribus Palæstinis turpiter illusisse; tandem demonstrat synodi sententiâ sic fuisse absolutum, ut ipsa hæresis propter quam in judicium vocatus est, incunctanter damnata fuerit. Liber ille scriptus fuit ab Aug. sub initium hujusce anni; et circa finem ejusdem anni, damnatâ jam ab Innocentio hæresi Pelagianâ, sermonem secundum nunc 151 de verbis Apostoli habuit, de quo diximus supra.

Anno 418, duos ad Albinam, Pinianum et Melaniam contra Pelagium et Cœlestium libros edidit S. doctor, unum *de grat. Christi*, alterum *de peccato originali*. In primo, Pelagium gratiæ confessione fucum facere ostendit, ipsiusque varias artes ac dolos aperit. Probat 1°, Pelagium gratiam Christi nomine tenùs adstruere, cùm illam à libero arbitrio, lege aut doctrinâ evangelicâ, et exemplo Christi minimè distinguat. 2° Juxta eumdem gratiam secundùm merita hominum dari. 3° Ad id solum juvare ut præcepta faciliùs possint impleri. In secundo libro ostendit S. D. Pelagium in quæstione de peccato originali eadem sentire cum Cœlestio, qui Carthagine primùm, deinde Romæ episcopalibus judiciis damnatus est; quæstionem hanc, non de earum numero esse, ut effutiebant Pelagiani, in quibus præter fidei periculum errare contingit; tandem confutat eos qui originalis peccati dogmate nuptiarum bonitati detrahi, Deoque ipsi injuriam fieri contendebant.

Eodem anno scripsit S. doctor, 1° duas ad Sixtum romanum presbyterum, et postea summum pontificem, de re Pelagianâ epistolas; prima 191, brevior est; altera 194, aliàs 105, prolixior, et totius doctrinæ catholicæ adversùs Pelagianos veluti compendium. 2° Epistolam ad Paulinum Nolæ episcopum 186; in eâ multa et præclara de prædestinatione disputat. 3° Epistolam 190, ad Optatum *de origine animarum*.

Anno 419, circa initium, librum primum *de nuptiis et concupiscentiâ* scripsit ad Valerium comitem. In eo bonitatem nuptiarum defendit; explicat quomodò concupiscentia in baptizatis maneat actu, non reatu; Pelagianos, carnis concupiscentiam, velut naturale bonum laudantes, SS. Patrum auctoritate refellit.

Anno 420, S. Aug. Juliani argutias et vitilitigationes adversùs priorem suum librum de nuptiis et concupiscentiâ, quatuor libris comprehensas, edito altero ejusdem argumenti libro confutavit. Catholicum dogma de originali peccato ab impiâ Manichæorum doctrinâ toto cœlo distare demonstrat. Eodem anno S. D. quatuor libris ad papam Bonifacium scriptis, refellit duas Pelagianorum epistolas. Prima est Cœlestii ad clericos Romæ positos; secunda est Juliani nomine octodecim episcoporum ad Rufum Thessalonicensem missa. Illa primo libro, ista reliquis tribus confutatur. His in libris objecta Pelagianorum, eorumque in Ecclesiæ doctrinam calumnias refellit, catholica de originali reatu et gratiâ Christi dogmata propugnat, Ecclesiam, Manichæos inter et Pelagianos, mediâ viâ incedere ostendit. Ad eumdem annum referendi sunt quatuor libri S. Aug. *de origine animarum*, in quibus Vincentii Victoris circa animarum originem placita et paradoxa confutat, eaque ad undecim errorum capita revocat. Eo tandem anno scripta juxta Garnerium epist. ad Vitalem 218, aliàs 107. In eâ gratiæ necessitatem et gratuitatem fortiter vindicat, atque duodecim regulas ad fidem Ecclesiæ pertinentes circa quæstionem de gratiâ proponit.

Anno 421, sex *contra Julianum* libros edidit S. doctor. Duo priores libri positi sunt in retundendâ Juliani calumniâ Catholicos Manichæismi incusantis; posteriores quatuor totidem Juliani libris adversùs primum Augustini, *de nuptiis et concupiscentiâ*, respondent. Tanto studio, tantâque diligentiâ elucubrati isti libri, ut modestissimus juxta et doctissimus auctor illos recensens lib. 2 Retractationum cap. 6, vocet *magnum atque elaboratum opus*. Ad eumdem annum pertinet liber *de fide, spe et charitate*, seu Enchiridion ad Laurentium; appellatur à nonnullis, *Augustinianæ doctrinæ specimen;* in eo extant nonnulla exquisita et luculentissima adversùs Pelagianos. In tres dividuntur partes. Prima, quæ credenda sunt docet, servato symboli ordine. Secunda tractat de iis quæ pertinent ad spem. Tertia agit de charitate.

Anno 424, editus est ab Augustino liber *de gratiâ et libero arbitrio*, ad componendas controversias Adrumeti motas, de quibus alibi. Eo in libro sanctus doctor gratiæ et liberi arbitrii concordiam exponit, gratiamque nec ex meritis bonorum operum, nec ex meritis bonæ voluntatis dari demonstrat. Duas simul cum

libro misit epistolas 214 et 215 ad Valentinum Monasterii Abbatem.

Anno 425, occasione libri *de gratiâ et libero arbitrio*, elucubravit sanctus doctor librum *de corrept. et grat.*; quanti fieri debeat opus istud, ostendit argumenti dignitas. Primùm aperit quænam sit catholica fides de gratiâ; tùm ostendit usum ac necessitatem præcepti, correptionis et orationis; exindè perseverantiam in bono magnum esse Dei munus demonstrat, eosque divinâ in æternum damnatione dignos esse, qui ex bonâ in malam vitam suâ voluntate mutati sunt; *quoniam*, inquit, *dici potest, homo, in eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares si velles;* postea prolixè ac luculentissimè explicat discrimen quod gratiam inter Angelis et Adamo innocenti concessam, ac medicinalem Christi hujusce statûs intercedit; ad extremum concludit, nec gratiâ prohiberi correptionem, nec correptione negari gratiam.

Anno 426 aut 27, duos Retractationum libros edidit S. doctor. In primo retractantur libri quos scripsit nondùm episcopus. In secundo retractantur libri quos post episcopatum conscripsit.

Anno 428, scripti sunt contra secundam Juliani responsionem libri sex vulgò dicti *Opus imperfectum*, quia nimirùm ex octo libris quibus constabat secunda hæc Juliani responsio, sex duntaxat primis respondet S. D., scilicet idem opus morte occupatus imperfectum relinquere coactus est, quemadmodùm tradunt Possidius Indicis sui cap. 4, et Prosper in Chronico. Singuli sex hujus operis libri singulos sex priores Juliani libros, cum Augustini ad loca singula responsis ob oculos ponunt. In his minutatim excutit ac confutat quæcumque Julianus *vagabundâ loquacitate* octo libris opposuerat adversùs unum posteriorem S. Aug. librum *de nuptiis et concupiscentiâ.*

Anno 429, de Semipelagianorum erroribus per epistolas SS. Prosperi et Hilarii certior factus S. Augustinus duobus libris eisdem Prospero et Hilario inscriptis prædictos errores confutavit, scilicet libro *de prædestinatione Sanctorum et de dono perseverantiæ.* In iis potissimùm docet, non solùm incrementum, sed ipsum quoque initium fidei, ac in eâ perseverantiam donum Dei esse.

Eodem anno liber de hæresibus ad Quodvultdeum Carthaginensem diaconum elaboratus est. Circa istum librum istud venit diligenter annotandum, eo in opere omnium Augustini postremo, sanctum doctorem Pelagii errores ad ista quinque capita revocâsse. Nempe 1°, gratiam Dei, sine quâ fieri non possunt mandata, à naturâ, lege atque doctrinâ non esse diversam; 2° eam ex meritis dari, et ad faciliùs agendum; 3° hominem posse ad tantum perfectionis gradum in vitâ mortali pervenire, ut non indigeat dicere Deo : *Dimitte nobis debita nostra;* 4° parvulos non baptizari ad tollendum peccatum originale; 5° Adamum sive peccâsset, sive non peccâsset, fuisse moriturum. Ex hâc observatione constat his quinque capitibus contineri totum Pelagianismum, à quo proinde, vel ipso judice S. Aug. immunis censendus est, quisquis errores hos proscripserit, et opposita quinque dogmata propugnaverit.

Atque hæc de Augustini libris, compendiosiùs quidem, quàm fortè nonnulli exoptarent, sed satis copiosè, ut nobis videtur, pro loco et tempore. Qui plura volet adeat Garnerium primâ parte Marii dissert. 6, cap. 2., ubi ordinem chronologicum operum S. Aug. fusiùs prosequitur; Patres Benedict. in suâ eruditâ editione operum sancti Augustini tom. 10, tùm in præfatione, tùm initio cujusque libri; Natalem Alex. in Synopsi hist. seculi 5 cap. 3, art. 6, paragrapho 3, et alios.

Dissertatio secunda.

DE SEMIPELAGIANIS.

Tria hîc occurrunt inquirenda. Primum, qui fuerint Semipelagiani. Secundum à quibus fuêre impugnati. Tertium, de præcipuis eorum erroribus. Hæc tria totidem exponenda titulis.

CAPUT PRIMUM

Qui fuerint Semipelagiani.

Perlatis in Galliam exaratis à S. Aug. adversùs Pelagianos libris, ac præsertim epist. ad Sixtum, lib. de Grat. et Lib. Arb., libro de Corrept. et Gratiâ, commoti fuêre, teste S. Prospero epist. ad S. Aug.: Galli quidam episcopi et presbyteri in Lugdunensi et Arelatensi potissimùm provinciâ, atque in errores Pelagianis affines impegerunt; undè dicti sunt Semipelagiani, quasi à partito ac dimidiato, quem propugnabant, Pelagii errore; dicti etiam reliquiæ Pelagianorum quòd ex eorum cineribus excitati, partem aliquam jam prostrati erroris superstitem facerent; dicti quoque Massilienses, ab urbe Massiliensi, ubi frequentiores consistebant.

Semipelagiani habiti non sunt ut hæretici ante synodum Arausic. secundam sub Felice IV, celebratam anno 529; imò ante illud tempus ipsos tanquàm viros egregios audiisse, pietatis, eruditionis, ac ingenii laude conspicuos testantur SS. Aug. et Prosper. S. Aug. lib. de dono Persever. cap. ultimo et lib. de Prædest. SS. cap. 1, eos, *fratres ac dilectores suos et Pelagianæ hæreseos impugnatores* appellat. S. Prosper. epist. ad S. Aug. et lib. contra Collatorem eos vocat, *Catholicos, sanctos spectandæ auctoritatis viros.*

Inter Semipelagianos præcipui fuêre: 1° Joannes Cassianus Massiliensium Semipelagianorum facilè princeps. Is à S. Chrysostomo diaconus olim ordinatus, post ejus obitum Massiliensis presbyter factus est; quâ in urbe extructo cœnobio, maximam sibi tum pietate tum eruditione famam comparavit. Collectiones Patrum, unde à Prospero Collator dictus, evulgavit; collatione 13, Semipelagianos errores disertè tradit. Obiit magnâ cum opinione sanctitatis, unde à S. Greg. lib. 6, epist. 12, sanctus appellatur, et Urbanus V, Cassiani caput argenteâ thecâ inclusum, hâc epigraphe ornari voluit, *Caput S. Cassiani.* Denique illius memoria Massiliæ colitur die 23 Julii. 2° Faustus ex abbate Lirinensi factus episcopus Regiensis in Galliâ, Semipelagianorum propugnator fuit acerrimus; duos edidit de Grat. et Libero Arbit. libros in quibus eorum dogmata palàm profitetur. Suis tamen nonobstantibus erroribus, ipso vivente ab Ecclesiâ non damnatis, in Ecclesiâ Regiensi colitur, ejusque nomen sacris Gallicanæ Ecclesiæ fastis est adscriptum, ut observat Baronius ad annum 490, n. 42. 3° Hilarium Arelatensem episcopum Semipelagianorum errorum fuligine infectum fuisse, testis est S. Prosper epist. ad S. Aug. Is porrò Hilarius, alter est, ut ostendemus cap. sequenti, ab eo qui cum S. Prospero scripsit ad S. Aug. 4° Gennadium Massiliensem presbyterum Semipelagianis pariter erroribus addictum fuisse, exinde constat, quòd S. Aug. ejusque fidelissimum discipulum S. Prosperum, velut reos erroris insectetur; Cassianum verò et Faustum Semipelagianorum duces summis laudibus extollat, lib. de viris illustr. cap. 84. 5° Vincentium quemdam Semipelagianis partibus adhæsisse, constat ex S. Prospero lib. cui titulus: *Ad capitula objectionum Vincentianarum responsiones.* Quis autem fuerit ille Vincentius controvertitur; Baronius ad annum Christi 431, n. 188, et in notis ad Martyrologium die 24 Maii, existimat eum distinguendum esse à Lirinensi celeberrimi Commonitorii scriptore; card. Norisius lib. 2 hist. Pelag. cap. 11, quem sequitur Natalis Alexander, et alii nonnulli contendunt Vincentium illum esse ipsissimum Lirinensem quem Semipelagianâ fuligine tinctum fuisse censent.

Sed nec à Massiliensibus presbyteris Semipelagianorum error initium duxit; Vitalis enim Carthaginensis ante illos eumdem errorem professus est, ut constat ex epist. 217 inter Augustinianas; quin et ipsemet S. Aug. ante episcopatum tali fuit imbutus errore. Ita de se fatetur S. D. lib. de prædest. SS. cap. 3, idque constat ex ipsius expositione quarumdam propositionum epistolæ ad Romanos, propositione 62.

Iis addendi sunt, si fides Jansenio, S. Hier. et nonnulli SS. Patres, præsertim Græci, *qui studiosissimè Origenis Pelagianorum antesignani lucubrationes triverunt..... ex quo profectum est,* subdit episcopus Yprensis lib. 7 de hæresi Pelag. cap. 4, *ut eos,* Massilienses scilicet, *divi Augustini doctrina velut nova non parùm offenderet, quòd et præcedentium Patrum auctoritas, et sensus ecclesiasticus repugnare viderentur.* Quo sanè unico verbo, dùm traditionis auctoritatem enervare conatur, quam S. Aug. tradit doctrinam, arguit, ejusque novitatem prædicando, falsitatem demonstrat.

CAPUT II.

De præcipuis Semipelagianorum debellatoribus.

Primùm Semipelagianos impugnavit S. Aug. scilicet de ipsorum erroribus per Prosperi et Hilarii epistolas anno 429, certior factus, eosdem debellavit editis duobus libris de *prædestinatione SS. et de perseverantiæ dono.* 2° Mortuo S. Aug. Cælestinus I, romanus pontifex, promoventibus Prospero et Hilario, S. Aug. doctrinam adversùs Semipelagianorum calumnias vindicavit; datâ anno 432 celeberrimâ ad Gallicanos episcopos epistolâ. 3° S. Prosper doctrinæ S. Aug. in Galliis defensor fuit acerrimus; enimverò omnes sancti illius doctoris obtrectatores invictissimè repressit, variis contra ipsos editis operibus in quibus genuina Augustini doctrina evolvitur, et validissimis argumentis stabilitur.

Anno 433, Semipelagianos errores quos Cassianus collatione 13 propinaverat, edito libro cui titulus *Contra Collatorem*, confutavit. Circa idem tempus tria edidit opuscula sub his titulis: *Responsiones ad Capitula Gallorum....*

Ad Capitula objectionum Vincentianarum responsiones :.... *Ad Excerpta Genuensium responsiones*. In his varias adversùs doctrinam S. Aug. intentatas criminationes egregie propulsat. Eodem fermè tempore scripsit Carmen adversùs Semipelagianos, cui titulum fecit : *De Ingratis*. Ante hæc idem sanctus D. præclaram contra Semipelagianos de Grat. et Libero Arbitrio scripserat epistolam ad Ruffinum, in quâ nequissimum illud ac capitale dogma refellit, quo asseritur *gratiam Dei secundùm hominis merita dari*.

4° Semipelagianos debellavit auctor duorum librorum de vocatione gentium, quisquis ille sit. Plures cum Bellarmino libros illos S. Prospero adjudicant ; eos sancto Leoni tribuit Quenellius in suâ editione operum sancti doctoris ; nonnulli Juliano Pomerio, etc.

5° S. Hilarius fuit etiam Semipelagianorum debellator acerrimus, et S. Aug. doctrinæ addictissimus ; id constat ex ipsius ad sanctum Aug. epistolâ. Quidam hunc Hilarium cum episcopo Arelatensi inscitè confundunt. Namque 1° Hilarium Arelatensem sententiam Augustini *in quæstionem traxisse*, testatur S. Prosper ad S. Aug. scribens ; at Hilarius alter ad S. doctorem ita scribit : *Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de his quæ nunc edidisti, ego dubitem*. 2° Hilarius, qui ad S. Aug. scripsit, n. 10 epistolæ apertè testatur se laicum fuisse : *Sunt ex parte tales personæ* (de Semipelagianis Massiliensibus loquitur) *ut his consuetudine ecclesiasticâ laicos summam reverentiam necesse sit exhibere ; quod quidem ita curavimus servare, ut cùm opus fuit, non taceremus*. 3° Denique Augustinum appellat patrem ; à quo vicissim lib. de Prædest. SS. cap. 1 filius nuncupatur ; quæ sanè omnia Arelatensem episcopum non designant.

6° Anno 494, Gelasius S. pontifex in synodo Romanâ Cassiani, Faustique libros damnavit, SS. verò Aug. et Prosperi opera commendavit.

7° S. Fulgentius Afer et Ruspensis in provinciâ Bizacenâ episcopus, alter fuit Augustinianæ doctrinæ strenuus propugnator et vindex ; tria potissimùm de Gratiâ conscripsit opera, in quibus Semipelagianorum errores refellit. Primum est *de Incarnat. et Gratiâ* quod rogantibus aliis episcopis Bizacenæ provinciæ cum quibus in Sardiniâ exul erat, exaravit circa annum 520, suo et cæterarum Confessorum nomine ; eo in libro Fausti errorem de initio fidei et naturæ viribus refellit, ipsius tamen tacito nomine. Non multò post, scilicet anno 522 aut 523, iidem sanctissimi antistites in Sardiniâ exules, libros Fausti ut hæreticos proscripserunt, et S. Fulgentio contra Fausti errores scribendi provinciam imposuerunt ; quibus ille morem gerens libros septem *de grat. et libero arbitrio* contra duos Fausti elucubravit, quorum cum laude meminit S. Isidorus Hispalensis lib. de Scriptoribus Eccles. cap. 14. Eodem fermè tempore ab exilio revocati sunt Africani præsules. Redux itaque in Ecclesiam suam S. Fulgentius tertium opus contra sectatores conscripsit, nimirùm tres libros *de veritate prædestinationis et gratiæ*. De his S. Fulgentii lucubrationibus perhonorificè loquuntur præfati præsules in synodicâ ad Scythas monachos epist. tom. 4° concil. pag. 1591.

His SS. Augustini, Prosp. et Fulgent. scriptis, veritas quidem confirmata fuit, sed, ut moris est, erroris defensorum os non fuit occlusum ; serpebat per Gallias lues tanta, donec in concilio Araus. II, sub Felice IV, et à Bonifacio II confirmato, anguis illius caput elisum fuit.

Eo in concilio, cujus apud omnes Orthodoxos indubitata est auctoritas, 25 Capitula sive canones promulgati sunt circa gratiam et liberum arbitrium, omnes ex variis S. Aug. scriptis deprompti ; non fuerunt à Patribus Arausicanis conditi primùm isti canones, sed Româ transmissi à Felice IV, ad S. Cæsarium Arelatensem, qui romani pontificis auctoritatem contra Pelagianos imploraverat.

CAPUT III.

De Semipelagianorum erroribus.

Observandum 1°, omnes Semipelagianos agnovisse lapsum Adami, existentiam peccati originalis, debilitatas voluntatis vires, prostratosque nunc homines. Hoc primum constat ex epist. S. Hilarii ad St. Aug.

Observandum 2°, varia ista distinxisse Semipelagianos. 1° velle credere, seu pium credulitatis affectum, et initium fidei, quod appellabant fidem inchoatam, sub quo comprehendebant etiam generalem quamdam voluntatem, generale quoddam desiderium salutis et bonorum operum. 2° ipsummet credere, seu fidem perfectam ; 3° perseverantiam in fide ; 4° specialem voluntatem ac speciale desiderium hujus vel illius actûs ; seu velle hic et nunc in particulari benè agere, in quo propriè consistit bonorum operum initium. 5° bonum

opus. 6° Denique perseverantiam in bonis operibus. Id colligitur ex epistolis SS. Hilarii et Prosperi, necnon ex S. Aug. lib. de Prædest. SS. cap. I.

Observandum 3°, in sententiâ Semipelagianorum omnium hæc tria constare, 1. ad initium fidei et in eâ perseverantiam, interiorem gratiam non esse necessariam ; 2. hujusmodi gratiam simpliciter esse necessariam ad bona opera perficienda ; 3. velint nolint, gratiam quæ requiritur ad opera perficienda, secundùm merita nostra dari. Ita sensisse Semipelagianos omnes constat ex citatis epistolis SS. Hilarii et Prosperi ad S. Aug. et ex libris ejusdem S. D. adversùs istas Pelagianorum reliquias. Porrò licet in his tribus consentirent Semipelagiani, non tamen omnes erant inter se concordes in explicando quibus humanis meritis rependeretur gratia. Alii quippe magis, alii verò minùs à Pelagianis semitis declinabant, quemadmodùm omninò constare debet ex citatâ epist. S. Prosperi ad S. Aug.

In duas generatim classes distribui possunt. Prima eorum est qui licet gratiam interdùm dari faterentur absque ullis præcedentibus meritis, eam tamen sæpiùs cadere sub meritum existimabant ; hæc sententia videtur fuisse Cassiani, estque ipsi specialis. Altera verò eorum est qui gratiam semper, nec nisi propter aliqua merita præcedentia dari volebant ; horum præsertìm meminit S. Prosper citatâ mox epist. Rursùs ex his alii erant strictiores qui à Pelagianis placitis longiùs distabant ; hi solâ sibi reservatâ voluntate credendi, sive, ut aiebant, initio fidei et pio credulitatis affectu, cætera omnia gratiæ adscribebant. Contendebant autem primâ illâ credendi voluntate hominem mereri, sibique comparare gratiam tùm ad inchoanda, tùm ad perficienda bona opera, simpliciter necessariam. Alii laxiores à Pelagianis minùs declinantes asserebant, non solùm voluntatem credendi seu initium fidei, sed ipsam insuper cupiditatem et voluntatem boni seu initium bonorum operum esse à nobis. Hi, uno excepto peccato originali, vix distabant à sententiâ Juliani, ut supra observavimus.

Duas illas Semipelagianorum divisiones admittendas esse, non obscurè indicant Prosper et Hilarius suis operibus, et S. Aug. libris de Prædest. SS. et de dono perseverantiæ.

Observandum 4°, eosdem Semipelagianos asseruisse gratiam secundùm merita dari, duobus potissimùm innixos momentis, quæ ipsis communia erant cum Pelagio et Juliano. Primum erat, funditùs perimi liberum arbitrium si Dei adjutorio prorsùs gratuito esset præveniendum. Concipere enim illi nusquàm potuerunt quâ ratione stare posset humana libertas cum necessitate gratiæ prævenientis omninò gratuitæ ; indè est quòd, teste S. Prospero, quæcumque Pelagiani opponebant contra gratiam simpliciter necessariam ad omnem pietatis actum, isti Semipelagiani sua fecerint, ac pariter objecerint contra necessitatem gratiæ interioris prævenientis initium fidei. Secundum momentum erat, quòd Deus foret iniquus aut personarum acceptor, si gratiam suam absque ullis meritis præcedentibus tribueret ; iniquus, quia illam daret peccantibus et indignis ; personarum acceptor, quia eam ad libitum uni conferret, alteri denegaret.

Observandum 5°, nonnullos Semipelagianorum Pelagianis insistentes semitis, eorumque æquivocationibus turpiter laborantes, naturali facultati, libero arbitrio, legi atque doctrinæ, gratiæ nomen dedisse. Ita expressè docet S. Prosper, epist. ad S. Aug. 225, atque hinc triplicem distinxêre gratiam, *initialem*, naturam scilicet et liberum arbitrium ; *vocantem*, quæ in lege sive naturali sive scriptâ consistebat, et *salvantem*, quæ est gratia Christi, quâ hominem justificari agnoscebant, quamque ad omne opus bonum requiri non negabant.

Observandum 6°, dùm de Semipelagianorum sententiâ agimus, non ex eorum scriptis unicè aut potissimùm judicandum esse credimus ; constat enim ex S. Hilario ipsos mutâsse sententiam et opiniones, easque æquivocis verbis quandoque involvisse ; sed colligenda eorum dogmata, ut notat Jans. lib. 7 de hæresi Pelagianâ cap. 3, præsertim ex scriptis SS. Prosperi et Hilarii ; quibus addi debet et ipse sanctus Augustinus.

Observandum 7°, ex dictis facilè patere, quænam fuerint convenientia et discrimina Semipelagianorum à Pelagio et Juliano. 1° Semipelagiani in duobus potissimùm conveniebant cum Pelagio et Juliano. Primum est, quòd cum utroque existimarent initium salutis esse à nobis, et non à Deo. Secundum, quòd iidem Semipelagiani ut assererent gratiam secundùm merita dari, duabus innitebantur Pelagii et Juliani rationibus. Prima erat, quòd aliàs destrueretur liberum arbitrium ; altera, quòd Deus esset injustus aut acceptor personarum. 2° Semipelagiani etiam in duobus potissimùm discrepabant à Pelagio et Juliano. Primùm circa existentiam peccati originalis quod negabatur à Pelagio et

Juliano, agnoscebatur verò ab omnibus Semipelagianis. Secundum discrimen est circa necessitatem gratiæ; namque ex antedictis constat Pelagium nusquàm admisisse veram voluntatis gratiam; quod autem Julianum spectat, eam quidem agnovit, sed ad faciliùs duntaxat operandum; è contra verò Semipelagiani omnes fatebantur ejusmodi gratiam esse simpliciter necessariam ad bonum operandum. Tertium discrimen spectat strictiores Semipelagianos: hi initium duntaxat fidei, seu pium credulitatis affectum à nobis esse contendebant; Julianus verò non solùm fidei, sed et bonorum operum initium adjudicabat arbitrio.

Status quæstionis.— Hìc duo quæri possunt, unum de facto, aliud de jure. Primum, utrùm Semipelagiani vel saltem eorum aliqui existimaverint prævenientem gratiam interiorem esse necessariam ad initium fidei et in illâ perseverantiam. Secundum, num ex hypothesi quòd talem admiserint gratiam, in eo fuerint hæretici quòd eam vellent talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. De hocce postremo disserendi opportunior erit locus in parte dogmaticâ, ubi de naturâ et efficaciâ gratiæ. Circa primum autem, de quo nunc agendum, varii occurrunt et errores, necnon periculosæ quædam opiniones.

Errores et opiniones. — 1° Contendit Jansenius Semipelagianos agnovisse necessitatem interioris gratiæ voluntatis ad initium fidei et perseverantiam in illâ; atque in eo errâsse, quòd vellent hanc gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. Audiatur ipsemet Jansenius, lib. 8 de Hæresi Pelag. cap. 6: « Itaque Massiliensium opinionibus, inquit, et Augustini doctrinâ quàm diligentissimè ponderatâ certum esse, et indubitatum esse debere sentio, quòd Massilienses præter prædicationem atque naturam, veram etiam et internam et actualem gratiam ad ipsam etiam fidem, quam humanæ libertatis et voluntatis adscribunt viribus, necessariam esse fateantur. » Et infra: « In hoc ergò propriè Massiliensium error situs est, quòd aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset si vellet; neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio et potestate. » Idem sæpiùs inculcat Yprensis, lib. 2 de Grat. Christi cap. 12 lib. 3, cap. 1, et præsertim in Parallelo erroris Massiliensium et opinionis quorumdam recentiorum, cap. 42. Ex his manifestum est, doctrinam Jansenii hâc in parte fuisse ritè expositam in quartâ propositione inter quinque famosas: « Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare; » quæ quidem propositio uti falsa et hæretica damnata est. Nota falsitatis cadit in priorem partem propositionis, quæ est facti, nota verò hæreseos, cadit in alteram partem quæ est juris.

2° Alii duos distinguunt Semipelagianorum ordines et docent quosdam omnem prorsùs interiorem gratiam ab initio fidei removisse; cæteros verò eam admisisse. Ita Franciscus Macedo, in opusculo cui titulus: *Mens divinitùs inspirata.... Innocentio X super quinque propositiones Jansenii;* Gonetus tract. de Gratiâ disput. 2, de hæresi Semipelag. cap. 3 editionis an. 1669. Secunda hæc opinio temeritatis incusatur à Natali Alex. in Synopsi hist. quinti seculi cap. 3, art. 8, nec immeritò; nullatenùs quippe distat à damnatâ doctrinâ prioris partis quartæ propositionis; Jansenius enim lib. 7 de hæresi Pelag. cap. 2, duos Semipelagianorum ordines disertè distinguit, et de altero solùm asserit ipsos gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei admisisse. Gonetus re maturiùs expensâ sententiam hanc emendavit in appendice ad tractatum de Gratiâ editionis Lugdunensis an. 1681. Sic enim habet: « Dico omnes Semipelagianos gratiæ prævenientis internæ necessitatem ad initium fidei constantissimè negavisse. »

3° Communis ac constans theologorum sententia est, Semipelagianos omnes gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei et perseverantiam in illâ constantissimè negavisse; quæ autem ad id demonstrandum adducuntur momenta adeò certa sunt et aperta, ut nonnulli vel ex ipsismet ardentioribus Jansenii defensoribus, ab illo, quantùm ad istud punctum hodiè recedant. Sic nuperus auctor libri cui titulus, *Réponse aux Avertissements de M. l'Évêque de Soissons,* part. 8, cap. 3, n. 9: « La grâce versatile, *inquit ille,* prévient intérieurement la volonté, au lieu que, selon les Demi-Pélagiens, la volonté, même dans cet état-ci, prévient la grâce intérieure. » Et rursùm: « Voici donc en peu de mots le sentiment des Demi-Pélagiens: Ils

« avouaient que Dieu commençait l'ouvrage de « notre salut, en nous donnant quelque occa- « sion favorable, comme une predication tou- « chante, un miracle eclatant, une affliction « sensible ; que c'etait à nous à embrasser « cette occasion exterieure par un commence- « ment de bonne volonte, et qu'en consequen- « ce Dieu nous donnait la grâce. » His ita observatis, sit

Conclusio prima. — Semipelagiani omnes gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei constantissimè negaverunt.

Probatur pluribus argumentis. Primum argumentum petitur ex S. Aug. lib. de Prædest. SS. in quo totus est ut probet Semipelagianos negâsse initium fidei donum Dei esse. Sic habet cap. 2 : « Nunc eis respondendum esse vi- « deo, qui divina testimonia, quæ de hâc re « adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut nove- « rimus ex nobis quidem nos habere ipsam fi- « dem, sed incrementum ejus ex Deo ; tan- « quàm fides non ab ipso donetur nobis, sed « ab ipso tantùm augeatur in nobis, eo merito « quo cœpit à nobis. » Pergit S. D. : « Non « ergò receditur ab eâ sententiâ, quam Pela- « gius ipse in judicio Palæstino damnare com- « pulsus est (gratiam Dei secundùm merita « nostra dari), si non pertinet ad Dei gratiam « quòd credere cœpimus ; ac per hoc initium « fidei nostræ priores damus Deo, ut retribua- « tur nobis. » Et num. 5, laudatis Apostoli verbis : *Non sumus sufficientes*, etc., subdit : « Attendant hîc et verba ista perpendant, qui « putant ex nobis esse fidei cœptum, et ex « Deo fidei supplementum. » Ex his sic arguo : Illi negabant necessitatem gratiæ interioris ad initium fidei, qui asserebant 1° initium fidei non esse à Deo, sed à nobis ipsis ; 2° gratiam quæ dat incrementum fidei, ob merita præcedentis bonæ voluntatis concedi ; 3° in negotiis salutis priores partes non gratiæ sed libero arbitrio adscribendas esse. Atqui ita est de Semipelagianis, judice ipsomet S. Aug. locis citatis ; ergò, etc. Atque hinc est quòd S. D. ibidem asserat Semipelagianos non recedere à damnatâ Pelagii doctrinâ, *gratiam secundùm merita dari* ; quod etiam advertit, ipsisque exprobat S. Prosper lib. contra Collatorem cap. 3.

Nec juvat adversarios si dicant his et aliis tum S. Aug. tum SS. Prosperi et Hilarii testimoniis hoc unum effici, à Massiliensibus repudiatam esse gratiam victricem seu ex se efficacem, quæ necessaria est ut Deo adscribatur bona actio ; non autem gratiam versatilem et libero arbitrio permissam, quæ sæpe naturæ nomine designatur. Ita sæpius Yprensis lib. præsertim 2 de Grat. Christi cap. 12 et 13, idque ibidem confirmat exemplo Angelorum et Adami innocentis, qui proprio libero arbitrio stetisse vel cecidisse dicuntur, quod versatilem duntaxat gratiam habuerint.

Refellitur ista responsio, aut potiùs evasio. 1° S. doctor citato cap. 2 de Prædest. SS. Massiliensium errorem confutat his Scripturæ testimoniis quæ generatim designant necessitatem gratiæ cujuslibet interioris ; ita est istud secundæ Cor. 3 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis.... sed sufficientia nostra ex Deo est* ; ergo, etc. 2° Idem S. D. cap. 3, testatur se aliquando versatum fuisse in errore Semipelagianorum, atque perspicue declarat se in eà tunc fuisse sententià, fidem nullà alià gratià præveniri nisi *præconio veritatis*, hoc est, forinsecùs tantùm insonante Evangelii prædicatione : *neque enim*, inquit, *putabam fidem Dei gratiâ præveniri.... nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis.* Ibidem cap. 3 et 4, ex hâc Semipelagianorum doctrinâ, *fides non est donum Dei*, arguit S. D. sequi propositionem Pelagii, quam in synodo Palæstinâ damnare coactus est, nempe, *gratiam secundùm merita nostra dari* ; at si Semipelagiani gratiam interiorem admisissent ad initium fidei, perperàm concluderet ex ipsorum sententià S. Aug. gratiam dari secundùm merita, quia gratia, licet versatilis, omne meritum antevertisset, cujus fuisset principium. 4° Non obscurè hîc innuit S. doctor, quod et disertiùs tradit epist. 217, aliàs 107, ad Vitalem Carthagin. Massilienses idem sensisse circa initium fidei, quod Pelagiani circa bona opera ; ast Pelagiani, ut supra probavimus, nusquàm admisère necessitatem gratiæ interioris voluntatem prævenientis ; idque candidè fatetur Jans. lib. 5 de hæres. Pelag. cap. ultimo ; ergo, etc. 5° Eosdem Massilienses cap. 5 ejusdem libri de Prædest. refellit S. Aug. tanquàm existimantes posse hominem naturali aliquo munere se disponere ad salutem. « In hâc, « inquit, evidentissimâ Apostoli intentione « quâ contra humanam superbiam loquitur, ne « quisquam in homine, sed in Domino glo- « rietur, dona Dei naturalia suspicari.... sive « vitiatæ naturæ qualescumque reliquias, ni- « mis, quantùm existimo, absurdum est. » Non ergo gratiam internam ad initium fidei necessariam censebant Semipelagiani. 6° S. Prosper lib. contra Collatorem cap. 3, de Se-

mipelagianis loquens ait, « ipsos laudabiles « motus appetitusque virtutum, remotâ gratiâ « Dei, nudæ libertati adscripsisse; » ergo, si nuda libertas, nulla gratia. 7° Semipelagiani negabant ad fidei et salutis initium eam gratiam esse necessariam cujus necessitatem agnoscebant ad opera quælibet incipienda et perficienda; porrò gratia quam Semipelagiani admittebant ad bona opera non erat ex sese efficax, sed versatilis duntaxat, quod constat unanimi theologorum consensu contra Jansenium; ergo, etc.

Exemplum autem Angelorum et primi hominis, ad quod toties recurrit Jansenius, appositum non esse ad ejus causam, constabit ex dicendis ubi de statu naturæ innocentis. Interim observare liceat, aliud esse velle bonum per liberum arbitrium, aliud id velle per *solum* liberum arbitrium. Primum asserit S. Aug. pro statu naturæ innocentis; non verò secundum, quod, teste S. Prospero, admittebant pro initio fidei.

Secundum argumentum ducitur ex S. Prospero, qui epist. 225 ad S. Aug. doctrinam Semipelagianam datâ operâ exponens, expressè asserit in eorum mente initium fidei et salutis esse à viribus liberi arbitrii, à naturali possibilitate, à naturâ ipsâ; atque affectum credendi priorem esse gratiâ. En verba S. doctoris: « Ad hanc gratiam quâ in Christo renascimur volunt unumquemque pervenire per « naturalem facultatem, petendo, quærendo, « pulsando, ut ideò accipiat, ideò inveniat, « ideò introeat, quia bono naturæ benè usus, « ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ « ope meruerit pervenire. » Per initialem gratiam intelligebant Semipelagiani naturalem liberi arbitrii facultatem, quæ ab initio et in ipsâ creatione gratis à Deo concessa est, quod paulò ante verba citata clarè indicat S. Prosper, his verbis: « Ad conditionem hanc volunt « uniuscujusque hominis pertinere, in quâ eum « nihil priùs merentem, quia nec existentem, « liberi arbitrii et rationalem gratia Creatoris « instituat. » Et infra sic pergit S. D. « Itaque « quantùm ad Deum pertinet, omnibus para- « tam vitam æternam... ab his autem eam ap- « prehendi, qui Deo spontè crediderint, et « auxilium gratiæ merito credulitatis accepe- « perint... ac sic cùm duo sint quæ humanam « operentur salutem, Dei scilicet gratia, et « hominis obedientia; priorem volunt obedien- « tiam esse quàm gratiam, ut initium salutis « ex eo qui salvatur, non ex eo credendum « sit stare qui salvat; et voluntas hominis di- « vinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi « humanam subjiciat voluntatem. » Ex his liquet, teste S. Prospero, sensisse Semipelagianos, 1° hominem *per naturalem liberi arbitrii facultatem, bono naturæ benè utendo pervenire ad salvantem gratiam;* 2° gratiam *merito credulitatis* retribui; sicque non gratiam bonæ voluntati, sed bonam voluntatem gratiæ præire; 3° *priorem esse hominis obedientiam quàm gratiam,* adeòque initium salutis non ex Deo esse, sed ex homine. Non ergo agnoscebant illi necessitatem gratiæ interioris prævenientis ad primum fidei et salutis desiderium.

Tertium argumentum desumitur ex S. Hilario, qui pariter Semipelagianorum dogmata ad S. Aug. referens, observat ipsos, ad omne quidem bonum opus seu incipiendum seu perficiendum gratiam absolutè necessariam confessos fuisse, non verò ad fidei initium et salutis desiderium; quòd nempè ejusmodi initium ac desiderium salutis, inter vera opera non putarent esse recensendum: « Hæc sunt itaque, inquit S. D., quæ Massiliæ, vel aliis « etiam in locis in Galliâ ventilantur.... Con- « sentiunt omnem hominem in Adam periisse... « id conveniens asserunt veritati, vel con- « gruum prædicationi, ut cùm prostratis, et « nunquàm suis viribus surrecturis annuntia- « tur obtinendæ salutis occasio, eo merito quo « voluerint et crediderint à suo morbo se posse « sanari, et ipsius fidei augmentum, et totius « sanitatis suæ consequantur effectum. Cæte- « rùm ad nullum opus bonum vel incipiendum, « nedùm perficiendum, quemquam sibi suffi- « cere posse consentiunt; neque enim alicui « operi curationis eorum annumerandum pu- « tant, exterritâ et supplici voluntate unum- « quemque ægrotum velle sanari. » Ibidem postquàm dixit juxta ipsos à voluntate conditoris id concessum esse, ut natura medicum quærat, « nullamque ita depravatam esse vel ex- « tinctam, ut non debeat vel possit se velle « sanari, » sic pergit: « Illa testimonia, ut est « illud: *Sicut unicuique partitus est mensuram fi- « dei,* et similia ad id volunt valere, ut juve- « tur qui cœperit velle, non ut etiam donetur « ut velit; nec negari gratiam, si præcedere « dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum « quærat, non autem quidquam ipsa jam va- « leat. » Ex his omninò manifestum fit in mente Semipelagianorum, primam illam voluntatem quâ quis vult credere, non à gratiâ, sed à solâ naturâ proficisci; quemadmodùm desiderium

obtinendæ sanitatis, non à medico, sed à solâ ægroti voluntate procedit.

Quartum argumentum nobis suppeditat sanctus Fulgentius lib. de Incarnat. et gratiâ cap. 18 : «Si ergo, inquit, secundùm opinionem « eorum (nempe Semipelagianorum) necessa- « rium est velle credere, priusquàm Dei gratia « nos incipiat adjuvare ; dicitur injustè gra- « tia, quia non datur gratis homini, sed bonæ « retribuitur voluntati.» Nihil certè expressius exoptari potest.

Quintum argumentum colligitur ex concilio Araus. II, in quo Semipelagiana dogmata damnantur, et ad hoc potissimùm revocantur, quòd ipsi initium fidei ad solas naturæ vires referrent ; quasi nempe aliquod naturale credendi desiderium antecedat omnem gratiæ motum. Ita conceptis verbis can. 3, 4, 5, 6, neque proferri potest ullus canon quo Semipelagiani damnentur tanquàm admittentes aliquam interiorem gratiam præviam affectui credendi, cujus usus ab indifferenti voluntatis libertate dependeat.

Sextum argumentum eruitur ex momentis quibus S. Aug. Semipelagianum dogma impugnat ; hæc enim omnia vel frustra sunt, vel eò tendunt unicè, nimirùm admittendam esse gratiam interiorem necessariam ad initium fidei, quod negabant Massilienses. Ista sunt Scripturæ testimonia quæ adducit S. D. Rom. 11 : *Quis prior dedit illi, et retribuetur illi?* Primæ Corinth. 4 : *Quid habes quod non accepisti?* Secundæ Corinth. 3 : *Non sumus sufficientes aliquid cogitare quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Hæc certè testimonia necessitatem gratiæ, non ipsius naturam et agendi modum evincunt.

Septimum argumentum colligimus ex damnatione quartæ propositionis Jansenii superiùs allatæ ; hujus quippe propositionis prima pars damnata fuit ut falsa, in quantum scilicet asserit Jansenius Semipelagianos admisisse necessitatem gratiæ interioris prævenientis ad initium fidei; ergo, judice Ecclesiâ, Semipelagiani rejiciebant ab initio fidei gratiam interiorem prævenientem.

Et verò Massiliensium error potissimùm erat circa initium fidei, testibus SS. Aug. Prospero, et Hilario, ac proindè quicumque eorum doctrinam sequuntur post concilium Araus. secundum, ii sunt verè hæretici ; sed qui interiorem voluntatis gratiam, etsi minimè ex se efficacem, exigunt ad initium fidei, ii non sunt hæretici, eosque in sinu suo commorantes videt et fovet pia mater Ecclesia ; restat ergo ut error Massiliensium consistat non in naturâ gratiæ prævenientis ab iis requisitæ ad initium fidei, in quantum scilicet eam agnoscerent merè versatilem, sed in eo quòd ab hâc fide omnem prorsùs gratiam interiorem velut necessariam rejiciant atque respuant ; ergo, etc.

Prætereà omnes Semipelagiani errabant circa initium fidei ; porrò, vel omnes erant hæretici negando necessitatem gratiæ interioris ad illud initium fidei, vel quidam illorum inter hæreticos recensebantur eam admittendo versatilem duntaxat ; non secundum ex dictis, ergo primum.

Denique damnata est illa quarta propositio in sensu Jansenii qui duos Semipelagianorum ordines distinguit, et de altero solùm asserit, ipsos gratiæ interioris necessitatem, etiam ad initium fidei admisisse ; ergo damnata propositio de omnibus intelligi debet Semipelagianis; ita ut sensus sit nullos ex ipsis necessariam agnovisse gratiam interiorem ad primum fidei initium.

Conclusio secunda.— Semipelagiani nullam admiserunt necessitatem gratiæ interioris ad perseverandum in fide.

Probatur 1° omnibus argumentis superiori Conclusione adductis ; cùm enim in confesso sit apud omnes, fatente Jansenio lib. 8 de hæresi Pelag. cap. 14, eamdem fuisse Massiliensium sententiam circa perseverantiam in fide, ac circa initium ejusdem fidei; profectò quæ evincunt ipsos negâsse gratiam interiorem ad initium fidei, simul idem demonstrant de perseverantiâ in fide. Probatur 2° ex SS. Prospero et Hilar. in suis ad S. Aug. epistolis; necnon ex S. Aug. lib. de Prædest. SS. in quo, ut agnoscit Jans. citato loco, sæpissimè insinuat S. D. et nonnunquàm apertè docet, perseverantiam in fide, secundùm Massilienses, non esse donum Dei, sed à nobis ipsis. Probatur 3° Ratio à priori cur Semipelagiani negaverint gratiam necessariam ad perseverandum in fide ea fuit, quia cùm faterentur perseverantiam in bonis operibus esse donum Dei, voluerunt illud donum obtineri posse meritis perseverantiæ in fide quæ non esset donum Dei ; neque enim, suis circa libertatem imbuti præjudiciis, concipere poterant quomodò perseverantiæ donum non noceret libertati, nisi illud penderet à meritis nostris naturalibus et sine gratiâ elicitis.

Solvuntur objectiones. — Objicies 1°, contra primam Conclusionem. Existimaverunt Semipelagiani superstites aliquas primævæ liberta-

tis reliquias in homine lapso remansisse, quibus sicut Adam poterat velle bonum quodlibet, ita lapsus homo potest velle credere. Istud constat ex S. Hilario citatâ jam epistolâ ad S. Aug. ubi de Semipelagianis hæc habet : « In « hoc solo volunt à primo homine omnium dis- « tare naturam, ut illum integris viribus vo- « luntatis juvaret gratia volentem, sine quâ « perseverare non poterat; hos autem amissis « et perditis viribus credentes tantùm, non so- « lùm erigat prostratos, verùm etiam suffulciat « ambulantes. » Atqui superstites illæ reliquiæ non excludunt, imò supponunt interiorem gratiam; neque enim Adamus poterat velle ullum bonum ad vitam æternam pertinens sine præcedentis gratiæ actualis auxilio ; ergo neque etiam lapsus homo potest in sententiâ Semipelagianorum velle credere, absque aliquo prævenientis gratiæ interioris adjutorio.

Resp. negando min., et ad prob. dist. Non poterat Adamus ullum bonum ad vitam æternam pertinens sine aliquo gratiæ interioris auxilio, secundùm rei veritatem , concedo ; in mente Semipelagianorum, nego. Equidem in rei veritate non poterat Adamus velle aut facere bonum salutiferum sine verâ et interiori gratiâ. Ita docet concil. Araus. can. 19, his verbis : « Natura humana, etiamsi in illâ integritate in « quâ est condita permaneret, nullo modo « seipsam, Creatore non adjuvante, servaret. » At Semipelagiani veritatem hanc negavêre ; scilicet existimârunt gratiam primo parenti fuisse necessariam ad benè operandum ; at negârunt ipsi fuisse necessariam ad voluntatem benè operandi. Ita autem sensisse Massilienses plurima suadent. 1° Id non obscurè innuit S. Hilarii textus in object. adductus, cujus hic videtur esse germanus sensus, quòd primi hominis natura integris viribus voluntatis bonum velle posset, gratia verò postmodùm juvaret voluntatem; nunc autem læsa et vitiata voluntas possit tantùm velle credere, credentem verò gratia Dei erigat atque sustentet. Unde verba ista citat textûs, *ut illum juvaret gratia volentem*, distortè omninò exponit Yprensis de gratiâ ad volendum concessâ : cùm è contra intelligenda sint de gratiâ quæ Adamum jam propriis viribus volentem, ipsum deinceps adjuvaret. 2° Idem indicat S. Aug. lib. de Prædest. citato cap. 5, ubi loquens de donis quibus unus ab alio discernitur, sic habet : « Dona Dei naturalia « suspicari, sive ipsam totam perfectamque na- « turam, qualis in primâ conditione donata « est, sive vitiatæ naturæ qualescumque reli- « quias, nimis, quantùm existimo, absurdum « est. » Quibus verbis innuere videtur, Massilienses, quos ibi perstringit, existimâsse hominem tum in naturâ innocenti, tum in præsenti statu potuisse per aliquod naturale donum se discernere ; adeòque primum saltem fidei et salutis desiderium propriis viribus concipere. 3° Cùm Massilienses in præsenti naturæ lapsæ statu gratiam non agnoverint necessariam ad initium fidei ; multò minùs eam requirebant in homine sano et innocenti.

Et verò, ratio conservandæ libertatis, quæ Semipelagianos potissimùm impulit ut negarent homini lapso necessariam esse gratiam interiorem prævenientem, locum habebat, nec minùs premebat in statu naturæ innocentis. Ut ergo cohærenter loquerentur, necesse fuit eos ab utroque naturæ innocentis et lapsæ statu exclusisse necessitatem gratiæ cujuslibet interioris prævenientis initium fidei et salutis.

Instabis : Massilienses quoddam statuebant discrimen, statum innocentiæ inter et præsentem statum; id apertè indicant relata mox Hilarii verba; porrò penitùs evertitur istud discrimen si valeat adducta responsio; sicut enim non admittebant in hoc statu gratiam ad initium salutis, sed tantùm ad subsequentes actus, ita nihil insuper pro statu innocentiæ exigebant; ergo, etc. Respondeo, secundùm Massilienses in utroque statu, divino adjutorio præire debebat bona voluntas, ipsiusque merito retribui; at in tribus juxta ipsos latum erat discrimen. Primùm, homo innocens integris viribus voluntatis poterat velle operari quodcumque bonum opus, ipsumque jam volentem gratia postmodùm juvabat; nunc autem læsa et vitiata voluntas potest duntaxat velle credere. Secundum, homo sanus sicuti sine gratiâ poterat velle benè operari, ita et velle perseverare in quibuscumque bonis operibus; nunc autem gratia homini necessaria est ut velit perseverare, non quidem in fide, sed in bonis operibus. Tertium discrimen spectat naturam gratiæ ad bona opera requisitæ; hæc enim in statu naturæ innocentis erat duntaxat gratia intellectûs; at in statu naturæ lapsæ agnoscebant Massilienses necessitatem gratiæ voluntatis, quam rectè exprimunt in laudato Hilarii textu, his verbis, *erigat prostatos, et suffulciat ambulantes;* hæc enim movendo et excitando voluntatem, eamque roborando et confortando, meritò dicitur, *erigere prostratos*, et *suffulcire ambulantes.*

Objicies 2° : Ex epist. Hilarii supra citatâ

Massilienses docebant, *ad nullum opus incipiendum, nedùm perficiendum, quemquam sibi sufficere posse;* atqui actus fidei haud dubiè est bonum opus; ergo, etc. Resp. dist. min. : Actus fidei est bonum opus, in rei veritate, concedo; in doctrinâ et mente Semipelagianorum, nego; ut enim non cogerentur fateri gratiam esse necessariam ad fidem, istam fidem ac salutis desiderium inter opera non computabant. « Neque enim, ait S. Hilar., alicui operis curationis eorum annumerandum putant, exteritâ, et supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari. »

Objicies 3° : S. Prosper citatâ ad S. Aug. epistolâ testatur Semipelagianos docuisse, « *Deum eos prædestinare in regnum suum quos gratis vocatos, dignos futuros electione, et de hâc vitâ bono fine excessuros esse præviderit.* » Ergo admittebant illi gratuitam esse vocationem. Resp. dist. conseq., gratuitam esse vocationem externam, id est, Evangelii prædicationem, concedo; vocationem internam, id est, interiorem gratiam quæ ad fidem nos moveat et excitet, nego. Volebant enim illi proposito Evangelio nostrum esse credere vel non credere *per naturalem facultatem,* ut ibidem testatur S. Prosper.

Objicies 4° : Idem S. doctor loco citato, ex doctrinâ Massiliensium colligit eos, « *gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab eâ, secundùm suam phantasiam, non negant esse præventas;* » admiserunt ergo Semipelagiani gratiam prævenientem. Respondeo, dist. consequent.: Semipelagiani admiserunt gratiam prævenientem secundùm suam phantasiam, concedo; verè et propriè prævenientem, nego. Unde ibidem S. doctor, *Gratiam*, inquit, *comitem, non præviam volunt humanorum esse meritorum.*

Atque ut meliùs percipiatur adducta responsio simulque penitiùs inspiciatur Semipelagianorum doctrina, notandum est ipsos apud S. Prosperum epist. citatâ affirmare, « ante mundi constitutionem Deum præscivisse, qui (viribus liberi arbitrii) credituri sunt, quive in eâ fide, quæ deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt; et eos prædestinâsse in regnum suum, quos gratis vocatos, (externâ Evangelii propositione) dignos futuros electione, et de hâc vitâ bono fine excessuros esse præviderit. » Cum autem ipsis objiceretur exemplum parvulorum qui nullam habentes voluntatem, nullam propriam actionem, non sine judicio Dei secernuntur, « ita ut ante discretionem boni et mali, alii per regenerationem inter cœlestis regni assumantur hæredes; alii sine baptismo inter mortis perpetuæ transeant debitores; » huic objectioni respondebant Semipelagiani, « tales perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit. » In mente itaque ipsorum merita quandoque nusquàm futura præveniebant Dei voluntatem, eamque movebant ut aliquibus gratiam baptismi procuraret; quam quidem insulsam opinionem explodit S. D. tum adductis in object. verbis, *nec considerant se,* etc., tum his quæ immediatè sequuntur, « sed in tantum quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita non extant, futura quæ non sint futura contingant; novoque apud illos absurditatis genere, et non agenda præscita sint, et præscita non acta sint. »

Ex iis omnibus patet Semipelagianos ita admisisse aliquos actus præveniri gratiâ, ut tamen in præscientiâ Dei humana merita seu voluntates hominum præcederent ipsam gratiam. Namque in eorum sententiâ idcircò Deus adultos vocabat ad fidem quæ deinceps per gratiam sit juvanda, quia eos credituros, sicque ipsos futuros dignos electione præsciverat; similiter futura merita, sub conditione longioris vitæ comminiscebantur in parvulis, quorum intuitu Deus illos ad gratiam baptismi vocâsset secundùm quòd habituri erant bona aut mala merita. Unde, inquit S. Prosper, non considerant gratiam illam quam imaginantur esse prævenientem, tamen reipsà voluntatibus hominum subdi, seu posteriorem esse, in quantum nempe fatebantur eam in præscientiâ Dei subsequi hominum voluntates et merita, quæ causa erant et motivum cur Deus gratiam hanc in tempore largiretur.

Objicies 5° : S. Aug., lib. de Prædest. SS., cap. 1, loquens de Massiliensibus, sic habet : « Pervenerunt isti fratres nostri..... ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ad nullum bonum opus vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. » Admisêre ergo Massilienses gratiam interiorem quæ præveniat affectum seu voluntatem credendi. Respondeo dist., et expono sensum verborum S. Aug. : *Pervenerunt* (Massilienses) *ut fateantur Dei gratiâ præveniri voluntates hominum*, quoad bona opera, concedo; quoad initium fidei, id est,

affectum seu voluntatem credendi, nego. Istam exceptionem à Massiliensibus adhibitam fuisse, apertè declarat S. D. cap. 2, 3, 5, etc., ejusdem libri, ubi adversùs ipsos probat fidem non esse à nobis ipsis, sed à Deo, quæ S. D. testimonia exscripsimus probatione primâ.

Objicies 6° : S. Aug., lib. de Prædest. SS., cap. 3, fatetur se ante episcopatum suum errori Semipelagianorum adhæsisse; atqui tamen in libris quos tunc scripsit, admisit gratiam interiorem et propriè dictam veluti necessariam, non solùm ad fidem, sed etiam ad fidei initium. Id variis S. Aug. testimoniis probat Jans., lib. 8 de hæresi Pelag., cap. 6, 7, 8, etc,, quæ ad hæc quatuor revocari possunt. Primum petitur ex lib. 83 Quæstionum, quæst. 68. Secundum, lib. de Quantitate animæ, cap. 28. Tertium, lib. de beatâ Vitâ, prope finem. Quartum, lib. 1 Soliloq., cap. 1 et 6; ergo, etc. Resp. 1°, citatis in objectione testimoniis clarè non exprimi gratiam interiorem; eaque commodè exponi possunt de adjutorio exteriori, ut patebit textus illos attentè expendenti; nihil ergo Jansenius ex illis eruere potest. Resp. 2°, quidquid sit de sensu verborum S. D. locis in object. adductis, etiamsi diceretur eum prædictis locis admisisse necessitatem gratiæ interioris initium fidei; hoc unum inde meritò colligi posset, nempe, S. Aug. non in omnibus, quod fatemur, sed in aliquibus duntaxat, quos ante episcopatum scripsit, libris Semipelagianum errorem expressisse.

Neque verò diffiteri potest ipsemet Jansenius, S. Aug. in omnibus ante suum episcopatum libris Semipelagianum errorem non docuisse. Namque à S. doctore adornata est expositio epistolæ ad Galatas antequam episcopus esset; at illa expositio Semipelagianismum non continet; imò, si fides sit Jansenio, lib. 4 de Grat. Christi, cap. 6, luculenter exprimit Augustinianam doctrinam de necessitate delectationis relativè victricis.

Objicies 7° : Duo fuêre Semipelagianorum ordines; alii laxiores, à Pelagianis semitis minùs declinantes; alii strictiores ab iisdem magis declinantes. Ita disertè testatur S. Prosper in suâ ad S. Aug. epistolâ. Hâc factâ distinctione, fatetur equidem Jans., lib. 7 de hæres. Pelag., cap. 2, priores Semipelagianos negavisse gratiam interiorem prævenientem ad initium fidei; neque id mirum, inquit; illi siquidem hæretici quoad gratiam à Pelagianis non discrepabant; asserebant enim, teste S. Prosp. citatâ ad S. August. epist. « quantùm quisque ad malum, tantùm « habere facultatis ad bonum, parique momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes « movere. » At non ita est de aliis Semipelagianis, quos negavisse gratiam interiorem ad initium fidei nullo certo argumento evinci posse contendit ibidem Yprensis. Respondeo 1°, uno excepto S. Prosperi testimonio ex sæpiùs laudatâ S. Aug. epistolâ deducto, alia omnia quæ protulimus ad probandam nostram Conclusionem testimonia generalia esse, et de omnibus Semipelagianis etiam strictioribus, ipso fatente Jansenio intelligi debere; atqui illa testimonia, quantumvis reclamet idem Jansenius, clarè demonstrant Semipelagianos negâsse gratiam interiorem ad initium fidei; ergo certis argumentis evincitur à Semipelagianis etiam strictioribus qui à Pelagianis semitis magis distabant, negatam fuisse gratiam interiorem voluntatis ad initium fidei. Respondeo 2° falsissimum esse quod contendit objectio post Jansenium, nimirùm laxiores Semipelagianos quoad gratiam à Pelagianis nullatenùs discrepâsse, atque cum ipsis gratiam interiorem ad quælibet bona opera exclusisse. Namque, si quo argumento id confici posset, maximè his S. Prosperi verbis quæ in objectione relata sunt, in quibus vim potissimùm facit Jansenius, *et quantùm quisque ad malum*, etc.; atqui ista verba minimè probant id quod intendit Jansenius. Neque enim debent intelligi sensu Pelagiano, de bono tum inchoando, tum perficiendo, sed tantùm de primâ boni cupiditate, seu de speciali desiderio, speciali voluntate hujus vel illius actûs virtuosi hîc et nunc eliciendi, in quo initium bonorum operum à Semipelagianis positum fuisse supra observavimus; adeòque hoc unum significant adducta ex S. Prospero verba, unumquemque hominem, juxta laxiores Semipelagianos, tantùm habere facultatis ad primum cujuslibet boni appetitum, desiderium ac voluntatem, quàm ad malum; et æquè facilè posse ad virtutes sese primò movere quàm ad vitia, licet ad bona opera actu exequenda et perficienda gratiam interiorem necessariam judicarent. Hanc esse genuinam textûs S. Prosperi interpretationem liquet ex his verbis immediatè sequentibus, *quem bona appetentem gratia Dei foveat*, etc., quæ manifestè ostendunt hosce Semipelagianos post primum boni appetitum et specialem ipsius voluntatem, admisisse gratiam adjuvantem et foventem, seu corroborantem ad cætera complenda. Respondeo 3°, etiamsi verum esset, quod contendit Jansenius, laxiores Semipelagianos omnem gratiam etiam

ad opera bona respuisse, indè non sequeretur ab ipsis solis gratiam voluntatis negatam fuisse: quin inde potiùs inferendum esset omnes Semipelagianos talem gratiam negavisse, et in eo duntaxat inter eos discrimen fuisse, quòd alii solum fidei initium, alii perfectam etiam justitiam absque gratiæ voluntatis beneficio obtineri asseverarent.

Et verò reipsà S. Prosper in citatâ epist. errorem hunc Semipelagianis etiam strictioribus non obscurè tribuit, de illis enim loquens initio epistolæ hæc habet: « Hæc ipsorum definitio ac professio est.... universis hominibus propitiationem quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem et ad baptismum accedere voluerint salvi esse possint; qui autem credituri sunt, quive in eâ fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, et eos prædestinâsse in regnum suum, quos gratis vocatos (nempe per Evangelii prædicationem) dignos futuros electione, et de hâc vitâ bono fine excessuros esse præviderit. » Quo in loco habemus 1°, hosce strictiores Semipelagianos, ab homine accedente ad fidem et ad baptismum nihil aliud postulâsse, nisi ut vellet accedere, nullâ factâ gratiæ mentione. 2° In eorumdem sententiâ, fidem semel acquisitam nonnisi deinceps juvari per gratiam; quod satis apertè significat, fidem primò acquiri sine gratiâ, et postea tantùm adjuvari per gratiam ad bona opera. 3° Eosdem respectu fidei non admisisse prædestinationem, sed solam præscientiam; porrò, ut manifestum est ex S. Aug. lib. de Prædest. SS. cap. 17 et 19, præscientia sola sine prædestinatione, gratiam omnem excludit; ergo, etc.

Denique ibidem monet S. Prosper eosdem Semipelagianos nullum assignare potuisse ex præcedentibus Patribus qui eorum sententiæ præivisset. *Cùmque*, inquit, *ut ea ipsi exponant secundùm quorum velint sensa deposcimus; nihil se profitentur invenisse quod placeat.* Ast si Semipelagiani illi aliquam ad initium fidei voluntatis gratiam prævenientem admisissent, facilè apud veteres Patres invenire potuissent suæ opinionis præcursores; multos siquidem antiquiores Ecclesiæ doctores in eâ versatos fuisse sententiâ, nec ipse diffitetur Jansenius; Semipelagiani ergo etiam strictiores nullam prorsùs gratiam voluntatis admisère.

Objicies 8°: Joannes Cassianus, Faustus Regiensis, Gennadius, primarii fuère Semipelagiani erroris propugnatores; atqui tamen hi omnes gratiam Dei admisère quæ semper invitaret, præcederet et adjuvaret voluntatem nostram. Ita Cassianus collat. 13; Gennadius lib. de Eccles. dogmatibus cap. 21; Faustus, teste eodem Gennadio lib. de Viris illustribus; ergo Semipelagiani non negabant gratiam interiorem prævenientem etiam initium fidei. Respondeo 1°, ex dictis inter prænotata, non ex solis Fausto et Cassiano judicandum esse de statu erroris Semipelagianorum, sed ex scriptis Prosperi et Hilarii, et præsertim S. Aug. Porrò evidentibus horumce SS. Patrum testimoniis supra demonstravimus Semipelagianos non existimâsse gratiam interiorem necessariam ad initium fidei. Respondeo 2°, nostrum non esse discordes hæreticos inter se conciliare. Cassianus, teste S. Prospero lib. contra collat. cap. 4, in hoc erravit, quòd existimaret « inesse homini naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta... ipsos laudabiles motus, appetitusque virtutum esse à nobis, sine gratiâ.... bonos salubresque conatus, posse in nobis, etiamsi à Deo non inspirentur, incipere. » Faustus lib. 1 de Grat. et lib. Arb. ait, *fidem omnibus naturaliter insertam esse.* Quod Gennadium spectat, aut fuit Semipelagianus factione duntaxat, non dogmate, ut opinantur nonnulli; aut jam ex errore Semipelagiano revocatus fuit cùm librum de dogmatibus ecclesiasticis conscripsit; hic enim liber à nemine veterum erroris notatus fuit contra gratiam; et loco in object. laudato dogma catholicum exprimere videtur eodem sensu, iisdemque fermè verbis, ac synodus Araus. II. can. 25.

Respondeo 3°, testimonia Cassiani, Fausti, et aliorum Semipelagianorum facilè solvi posse adhibitâ distinctione: Semipelagiani admiserunt gratiam prævenientem, externam, positam scilicet in prædicatione Evangelii, concedo; internam, subdist.: Quandoque, et uti minimè necessariam, concedo; semper, et tanquàm absolutè necessariam, iterùm subdist. Quoad incrementum fidei et perfectionem, imò et initium bonorum operum, concedo; quoad initium fidei, nego. Fidem enim inter opera non recensebant, quemadmodùm supra suo loco declaratum est.

Objicies 9°: SS. Aug., Prosper et alii Semipelagianorum debellatores non semel asserunt veram fuisse Semipelagianorum sententiam in statu innocentiæ: atqui vera non fuisset, nisi

admisissent gratiam voluntatis prævenientem ad initium fidei et salutis; hæc enim Adamo innocenti perinde ac homini lapso necessaria fuit ad quemlibet bonum ac salutiferum voluntatis motum; ergo, etc. Argumentum istud sæpiùs urget Jans. præsertim lib. 8 de hæresi Pelag. cap. 6. Respondeo 1°, istud argumentum Jansenio esse solvendum. Namque in iis S. Aug. testimoniis quæ objicit, loquitur S. doctor non præcisè de initio fidei et salutis, sed de resistentiâ tentationibus et bonis quibuslibet operibus; porrò, si Jansenio fides, Semipelagiani admiserunt gratiam ex sese efficacem ad opera bona perficienda; hanc autem Adamo ullatenùs fuisse necessariam negat Yprensis; ergo, etc. Respondeo 2°, quidquid sit de majore, de quâ non ita liquidò constat, negando minorem; sicut enim Massilienses dicebant nos per vires liberi arbitrii in creatione accepti sine gratiâ præveniente posse saltem habere fidem et in eâ perseverare; ita etiam fatebatur S. Aug. Adamum propriâ libertate (quæ gratiam habitualem simul cum illustratione intellectûs complectebatur), in creatione acceptâ absque ullo gratiæ voluntatis prævenientis auxilio potuisse non solùm credere, sed etiam sperare, diligere et exercere alios actus habituum quos in suâ creatione acceperat. Verùm de hoc argumento uberiùs et ex professo disputabimus, ubi de statu innocentiæ.

Objicies 10: Semipelagiani hanc duntaxat rejiciebant gratiam ad initium fidei, quæ videtur perimere libertatem, fatalem inducere necessitatem, in desperationem, desidiam ac torporem homines impellere; ut patet ex Prosperi et Hilarii ad S. Aug. epistolis; atqui talis non est quælibet gratia præveniens versatilis ac libero voluntatis arbitrio permissa, sed sola victrix ac ex sese efficax; ergo, etc. Ita Jans. lib. 7 de hæresi Pelag. cap. 18. Resp. dist. min.: Talis non est gratia præveniens versatilis, in rei veritate, concedo; in mente Semipelagianorum, nego. Quod Pelagiani dicebant contra necessitatem gratiæ ad quodcumque bonum, hoc ipsum contorquebant Semipelagiani adversùs necessitatem gratiæ prævenientis initium fidei; et quemadmodùm falsò sibi persuaserant Pelagiani, ut supra vidimus ex SS. Hier. et Aug. non esse liberum arbitrium nisi plenam ex se potestatem haberent homines tam ad bonum quàm ad malum; similiter etiam Semipelagiani existimabant liberum arbitrium penitùs extingui, si saltem ex se non posset incipere, id est credere aut velle credere; unde, ut homo censeretur liber in negotio salutis, aliquid initiale circa salutem prorsùs à gratiâ independens admittendum esse contendebant; nempè initium fidei, seu pium credulitatis affectum.

Omnia itaque momenta et expostulationes Semipelagianorum adversùs S. Aug. non oppugnabant naturam et agendi modum gratiæ quam propugnabat S. D. sed ipsius duntaxat gratuitatem, et necessariam, ut ita dicam, præventionem ad primum etiam salutis desiderium et initium. En fons et origo omnium expostulationum et conviciorum quibus Massilienses S. Aug. doctrinam infamabant; id manifestum fit solâ inspectione epistolarum SS. Prosperi et Hilarii ad S. Aug. necnon librorum de Prædest. SS. et de Dono persever. quos eâ occasione exaravit S. doctor.

Quæres 1°, an Semipelagiani erraverint circa scientiam conditionatorum, quæ est in Deo, et à nonnullis media nuncupatur. Respondeo illos quidem errâsse, quòd tali scientiâ abusi fuerint, non verò præcisè quòd eam admiserint. In his autem quinque potissimùm aberrabant circa scientiam conditionatorum, 1° in eo quòd vellent per illam Deum cognoscere quinam ex solo naturæ affectu benè dispositi forent ad fidem suscipiendam, quique *solis* liberi arbitrii viribus credituri essent, si ipsis veritas Evangelii annuntiaretur; quod certè erroneum esse nemo non videt; fidem enim Dei donum esse, sæpissimè et clarissimè inculcant Scripturæ, quemadmodùm contra Semipelagianos tradit S. Aug. lib. de Prædest. et de Dono persev. 2° Errabant etiam quòd assererent, pium illum ac naturalem credulitatis affectum quem Deus prævidebat ex hypothesi prædicationis Evangelii, primam esse radicem et causam vocationis ad fidem; ita ut eâ ratione eoque motivo Deus certò moveretur ad mittendos prædicatores qui veritates evangelicas annuntiarent; unde consequens erat gratiam vocationis gratuitam non esse, sed dari secundùm merita. Etenim cùm ab illis quærebatur quare Evangelii fides aliquibus, potiùsquam aliis prædicaretur, respondebant, teste S. Prosp. epist. ad S. Aug. « dispensâsse Deum tempora, et mi« nisteria prout prævidit Deus credituros, et « exortura erat bonorum credulitas volunta« tum. » Idem refert S. Hilarius in epist. ad S. Aug. 3° Adhuc abutebantur Semipelagiani scientiâ conditionatorum, quòd vellent futurum voluntatis sub conditione gratiæ confe-

rendæ consensum à Deo prævisum, esse causam, regulam et motivum ejusdem gratiæ conferendæ; ex quo consequebatur scientiam conditionatorum non tantùm esse causam directivam decretorum Dei circa bona opera, sed etiam motivam, impulsivam et certò determinativam; quod planè absurdum esse et erroneum, vel ex uno Tyriorum et Sidoniorum exemplo demonstratur, apud quos patrata non fuêre miracula, etsi prævidisset Deus, futurum ut ipsi crederent, et dignos pœnitentiæ fructus agerent, si apud eos factæ fuissent virtutes, quæ in Corosaïtis et Bethsaïtidis factæ fuerant; quo exemplo Semipelagianos urget S. Aug. lib. de Prædest. Sanctorum. 4° Quod ex præcedentibus consequitur, juxta Semipelagianos scientia conditionatorum convertebatur in absolutam independenter à decreto, saltem tanquàm à primâ et præcipuâ causâ. Scilicet volebant rem aliquam primùm conditionatè duntaxat futuram, non fieri postmodùm futuram absolutè præcisè propter decretum, seu prædestinationem Dei ad gratiam; quinimò prædestinationem illam idcircò esse in Deo, quòd prævidisset rem sub conditione futuram; quod figmentum sæpiùs refellit S. Aug. præsertim lib. de Dono persever. cap. 19: « Quandò, inquit, legimus Dei præscientiam, et agitur de « vocatione electorum, eamdem prædestina« tionem intelligere oportet. » 5° Abutebantur etiam scientiâ conditionatorum erga parvulos. Cùm enim S. Aug. contra ipsos probaret gratuitam planè esse prædestinationem ad gratiam, exemplo duorum parvulorum quorum unus ante susceptum baptisma è vivis excedebat, alter verò nonnisi post susceptum illud sacramentum; respondebant idcircò uni ex illis concessam esse præ alio gratiam baptismatis, quòd Deus prævidisset ipsum, si ad adultam ætatem pervenisset, benè usurum esse suo libero arbitrio, alterum verò non item; atque ita parvulorum prædestinationem aut reprobationem fundebant in præscientiâ bonorum vel malorum operum, quæ nunquàm absolutè futura erant, sed quæ tamen futura fuissent, si parvuli illi ad adultam ætatem pervenissent: « Tales aiunt perdi, talesque salvari, » inquit S. Prosper in epist ad S. Aug., « quales futuros « illos in annis majoribus, si ad activam ser« varentur ætatem, scientia divina prævide« rit; » quam quidem absurdam et erroneam sententiam ibidem explodit S. D. cujus verba supra retulimus. Eamdem opinionem refellit et irridet S. Aug. multisque confutat argumentis, isto inprimis, nempè quòd nullus præmio vel supplicio allici debeat propter ea bona vel mala quæ facturus fuisset, sed tantùm propter ea quæ reipsà fecit. « Nullus mortuus, » inquit lib. de Dono persever. cap. 9, « judicatur ex « bonis seu malis quæ fuerat, si non morere« tur, acturus; alioquin Tyrii et Sydonii non « secundùm ea quæ gesserunt, pœnas luerent; « sed potiùs secundùm ea quæ gesturi fuerant, « si in eis illæ virtutes evangelicæ factæ fuis« sent, per grandem pœnitentiam, et per Christi « fidem consequerentur salutem. »

Ast ab his erroribus longissimè distat doctrina scientiæ mediæ, prout nunc à nonnullis Theologis defenditur. Namque 1° asserunt ad omnia opera bona, ipsumque primum fidei et salutis initium, gratiam voluntatis prævenientem necessariam esse, adeò ut nec futura bona opera, nec pius credulitatis affectus prævideantur à Deo, nisi sub conditione gratiæ concedendæ. 2° Negant gratiæ tum baptismi, tum vocationis, tum etiam efficacis conferendæ motivum et causam esse consensum voluntatis prævisum sub conditione; nullus enim est ita pessimus, qui non prævideatur à Deo convertendus et salvandus, si talis vel talis gratia quam Deus benè novit ipsi concederetur, et quæ nihilominùs ipsi denegatur; motivum ergo illius gratiæ concedendæ, sola est, in eorum mente, specialis Dei misericordia. Ratio à priori est, quia, juxta scientiæ mediæ patronos, scientia conditionatorum est causa directiva duntaxat decretorum Dei, non impulsiva et determinativa. Nempè posito quòd Deus velit voluntate absolutâ et efficaci aliquem ad se convertere, videt per scientiam conditionatorum, an huic vel illi gratiæ sit consensurus ex hypothesi quòd ei concedatur, atque ex purâ suâ misericordiâ, ex purè gratuito decreto hanc illi gratiam decernit, qui videt ipsum in talibus circumstantiis consensurum. 3° Juxta eosdem theologos, scientia conditionatorum non transit in absolutam, nisi mediante absoluto, efficaci et purè gratuito Dei decreto, quod quidem prima est futuritionis absolutæ rerum causa.

Ex quibus omnibus patet, doctrinam scientiæ mediæ prout à nonnullis theologis propugnatur, nihil commune habere cum Pelagianorum et Semipelagianorum erroribus. Audiatur hanc in rem illustrissimus Bossuetius secundo Documento Pastorali adversùs Juriæum pag. 140, ubi sic loquitur: « Pour récriminer, M. Jurieu « nous objecte que nos Molinistes sont Demi« Pélagiens, et que l'Église romaine tolère un

« Pélagianisme tout pur et tout crû. Pour ce « qui regarde les Molinistes, s'il en avait ou- « vert seulement les livres, il aurait appris « qu'ils reconnaissent pour tous les élus une « préférence gratuite de la divine miséricorde; « une grâce toujours prévenante, toujours né- « cessaire pour toutes les œuvres de piété; et « dans tous ceux qui les pratiquent, une con- « duite spéciale qui les y conduit. » Idem conceptis verbis docet Natalis Alexand. ad sec. V. Hist. Eccles. cap. 3, art. 8, ubi de Semipelagianorum erroribus agens, hæc habet : « Ca- « vendum ne recentioribus quibusdam theolo- « gis, qui.... scientiam quamdam mediam « propugnant, Semipelagiani erroris nota inu- « ratur, quod imprudenter et temerè novi qui- « dam auctores fecerunt, vel Semipelagiano- « rum dogmatum ignari, vel studio partium « in transversum acti; magnum est enim quan- « tùm ad hoc utrumque dogma, inter Semi- « pelagianos et theologos illos discrimen. » Idem tradunt Hyacinthus Serri in opere cui titulus : *Schola Thomistica vindicata*, pag. 8; Hyacinthus Amat de Graveson, tertiâ parte epistolarum in quibus doctrina Thomistica asseritur ac vindicatur, epist. primâ. Ante eos idem etiam docuerant Alvares, Joann. à S. Th. Ledesma, etc.

Quæres 2°, an Semipelagiani erraverint circa voluntatem Dei salvandi omnes homines. Respondeo ipsos circa voluntatem Dei errâsse in quatuor præsertim capitibus, de quo vide quæ dicta sunt tract. de Attributis quæst. 8, ubi Semipelagianorum errores circa voluntatem Dei salvandi omnes homines retulimus.

Quæres 3°, an iidem erraverint circa divinam prædestinationem. Respondeo in multis aberrâsse. 1° Errabant circa prædestinationem parvulorum, quos dicebant ad gloriam eligi propter merita nunquàm futura, sed quæ fuissent posita, si diutiùs parvuli in vitâ perseverâssent. 2° Errabant etiam circa adultorum prædestinationem, quia asserebant Deum conditionatè omnium hominum velle salutem, si nimirùm ipsi vellent credere, vel se ad fidem præparare per solas naturæ vires, ita ut propter illud initium fidei naturale concederentur media ad salutem necessaria. Vide quæ diximus quæsito 1, circa conditionatorum scientiam.

Verùm, quemadmodùm observat Natal. Alex. loco citato, aliique auctores mox laudati, erroribus illis nullatenùs inficitur horumce theologorum doctrina, qui prædestinationem ex prævisis meritis fieri propugnant. Nam 1°, admittunt quidem illi theologi generalem et conditionatam in Deo de salute omnium hominum voluntatem, si nimirùm omnes ipsi velint salvari, sed illa conditio, quòd homines velint salvari, gratiam supponit, quia nullus potest quidquam velle aut operari ad æternam vitam conducens, nec ipsum salutis desiderium concipere sine præveniente gratiâ voluntatis. 2° Respectu eorum omnium qui salvantur, sive sint adulti, sive parvuli, specialem agnoscunt prædilectionem Dei, per quam ipsis merè gratuitò specialia auxilia decreta sint, quibus factum est ut salvarentur. 3° Semipelagianorum figmentum circa prædestinationem parvulorum explodunt; quòd enim aliqui parvuli non moriantur nisi suscepto baptismate, illud putant ex solâ Dei benignitate esse repetendum, quamvis existiment infantes illos efficaciter ad gloriam non eligi, nisi ex præviâ applicatione meritorum Christi quæ fit per baptismum.

Dissertatio tertia.

DE MONACHIS ADRUMETINIS.

Aliquantò post damnatos à Zozimo summo pontifice, postque ejectos Occidente Pelagianos, exorta sunt inter monachos Adrumetinos dissidia super quæstione de gratiâ et libero arbitrio; de quibus duo hîc paucis inquirenda sunt, occasio scilicet, et materia horumce dissidiorum; seu historia dissidii, et in quo positus fuerit monachorum error.

ARTICULUS PRIMUS.

Compendiosa hujusce dissidii delineatio.

Adrumetum civitas erat in Byzacenâ Africæ provinciâ celebris. Hanc prope urbem cœnobium incolebatur à monachis sub Valentini abbatis regimine, inter quos Florus quidam patriâ Uzalensis numerabatur. Hic cùm in patriam iter suscepisset, ibi celeberrimam S. Aug. epistolam ad Sixtum exscripsit, et Adrumetum ad fratres suos transmisit; hanc Adrumetini monachi perlegerunt; sed cùm eorum quinque vel non multò plures illius sensum non assequerentur, graves in cœnobio contentiones et dissidia excitavêre, contendentes videlicet, ab aliis, qui doctrinam hanc rectiùs intelligebant, ita defendi gratiam, ut liberum abolerent arbitrium, negarentque Deum in die judicii redditurum unicuicuique secundùm opera sua.

Valentinus monasterii abbas his tumultibus incassùm mederi conatus, consensit tandem duos monachos Cresconium et Felicem Hipponem proficisci ut S. Aug. adirent ac consulerent. Hi contentionis statum, quâ turbatum fuerat monasterium perturbatè omninò ac perversè S. D. exposuerunt; ipsi quippe objectiones, calumnias, accusationes intentatas adversùs Florum, aliosque qui genuinam S. Aug. sententiam tuebantur, velut propriam Flori, aliorumque doctrinam proposuêre. Docuit monachos Augustinus, eisque suam ad Sixtum epistolam exposuit; scripsit etiam de eodem argumento duplicem ad Valentinum epistolam 214 et 215, in quarum postremâ Valentinum rogabat, Florum ad se mitteret, id scilicet animo conjectans, quod res erat, adversùs illum ideò tumultuari alios, quòd non assequerentur quæ diceret. Librum insuper conscripsit ad eumdem Valentinum et cum illo monachos, *de gratiâ et libero arbitrio*, in quo gratiæ et liberi arbitrii concordiam exponit, gratiamque non ex meritis dari demonstrat.

Istius lectio voluminis novo dedit occasionem errori; cùm enim omnia bona opera Dei dona esse in eo sæpiùs inculcet S. Aug., quidam monachus id legens in eam prolapsus est absurditatem, ut dixerit neminem esse corripiendum si præcepta non facit, sed duntaxat pro illo ut faciat Deum esse orandum. Id S. D. Valentinus nuntiavit per Florum, cujus probatâ fide, lib. *de corrept. et gratiâ*, quo pleniùs Adrumetinos monachos instrueret, elucubravit: in eo utilitatem ac necessitatem correptionis ostendit. His historicè prænotatis, jam de errore horumce monachorum investigandum.

ARTICULUS II.

Quis fuerit Adrumetinorum monachorum error.

Nonnulli cum Sirmundo in suâ Hist. Prædestinatianâ docent præfatos monachos, fuisse præformatores hæresis Prædestinatianorum, seu eorum qui, ut gratiam defenderent, liberum arbitrium è medio tollebant; alii verò cum card. Norisio lib. 1 Hist. Pelagianæ cap. 15, contendunt illos è contra Pelagianâ fuligine tinctos fuisse, atque ut liberum arbitrium tuerentur gratiam impugnâsse.

Conclusio. Adrumetini monachi Prædestinatianæ hæreseos auctores, vel præformatores non fuêre, sed Pelagianâ potiùs labe infecti. Probatur 1° ex diserto S. Aug. testimonio lib. 2 retractat. cap. 66 : « Propter eos, inquit, « qui..... sic defendunt liberum arbitrium, ut « negent Dei gratiam, asserentes eam secun- « dùm merita nostra dari; scripsi librum, cui « titulus est : *De gratiâ et libero arbitrio.* Ad eos « autem scripsi monachos Adrumetinos, in « quorum monasterio de hâc re cœperat esse « contentio. » Adrumetini ergo non prædestinatianæ, sed Pelagianæ hæreseos labe infecti fuêre. Probatur 2° ex S. Prospero epist. ad S. Aug. ubi sic loquitur : « Evenit ex dispositione « misericordiæ Dei, ut cùm quosdam intra « Africam (monachos scilicet Adrumetinos) « similia movissent, librum de Corrept. et « Grat. plenum divinæ auctoritatis emitteres. » Similia ergo moverunt Adrumetini illi et Massilienses; porrò nemo dixerit Massilienses errori Prædestinatiano favisse, à quo tantoperè abhorrebant, ut non aliâ de causâ doctrinam S. Aug. acriùs insectarentur, quàm quòd eam huic errori omninò conformem esse sibi falsò persuasissent; ergo, etc. Probatur 4° Vel illi erant Prædestinatiani qui Floro resistebant, vel ipse Florus; sed neutrum dici potest. Non primum. Nam ii fuêre commoti lectione epistolæ ad Sixtum, quæ gratiam negat secundùm merita dari; ii sunt quos docet ac præmunit S. Aug. contra errores Pelagii; ii tandem sunt qui Florum accusabant, quasi liberum negaret arbitrium, epist. 214; quæ omnia apertè demonstrant ipsos fuisse non Prædestinatianos, sed meros Pelagianos. Non secundum. Equidem Florus de illo errore accusatus fuit, sed ab iis qui prorsùs doctrinam Pelagii sectabantur, ut docent eorum verba, quæ sibi ut objectiones proponit S. Aug. Fuit accusatus, sed hæc non erat illius fides : ***Servi tui Flori hæc fides est, pater, non sicut fratres isti sunt locuti,*** ait Valentinus abbas epist. 216. Fuit accusatus, sed suspicabatur S. D. eos qui accusabant Florum ipsum non intelligere, epist. 214 : « Meliùs tamen facietis, inquit, « quod multum rogo, si ipsum, à quo dicunt « se fuisse turbatos, ad me mittere non grave- « mini; aut enim non intelligit librum meum, « aut fortè ipse non intelligitur. » Fuit accusatus, sed post audientiam recessit justificatus : « Hanc fidem quæ sine dubio vera et prophe- « tica et apostolica et catholica fides est; eam « in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo, « unde hi potiùs corrigendi sunt..... qui eum « non intelligebant. » Ita S. Aug. lib. de Corrept. et Grat. cap. 1. Hæc adeò firma sunt ut et alia adjicere supervacaneum esset.

Dices : S. Aug. lib. de Grat. et lib. Arb. cap. 1, in quo totius libri scopus habetur, sic

loquitur: « Quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum Arbitrium, » ubi manifestè supponit, quosdam è monachis Adrumetinis negàsse liberum arbitrium, ac proinde erroribus Prædestinatianis adhæsisse. Idem apertè declarat epist. 214. Respondeo, cùm hæc scriberet S. D. deceptum fuisse falsâ relatione Cresconii et Felicis, qui ex simplicitate vel imperitiâ perversè omninò et perturbatè dissentionis causam narraverant. Hi nempe, ut antea observavimus, objectiones et calumnias quibus nonnulli è monachis doctrinam Flori diffamabant, veluti propriam ipsius sententiam exposuêre; ast ubi semel Florum audivit, illius fidem laudavit, ut constat ex citato cap. 2, lib. de Corrept. et Gratiâ: imò et antequàm Florus ipsum adiret, jam suspicabatur S. D. calumniam, unde lib. de Grat. et lib. Arb. cap. 1, post verba objecta continuò addit: *Aut quandò gratia defenditur, negari existimant liberum arbitrium.* Denique, quod litem omnem dirimit, lib. 2 Retract. cap. 66, asserit S. D. exarâsse librum de Grat. et lib. Arb. adversùs eos *qui ita defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam;* ibidem declarat se eumdem librum ad monachos Adrumetinos direxisse; nulli ergo fuêre Prædestinatiani in monasterio Adrumetino, benè tamen nonnulli Pelagianâ fuligine tincti.

Dissertatio quarta.

DE PRÆDESTINATIANIS QUINTI SECULI.

Dictum est hucusque de illis qui errârunt circa gratiæ naturam, necessitatem et gratuitatem: nunc de iis tractandum qui errârunt circa ipsius agendi modum.

Observandum itaque 1°, Prædestinatianos, seu, ut alii dicunt, Prædestinatos, in oppositum Pelagii errorem lapsos fuisse. Pelagiani nimiùm extollentes liberum arbitrium, gratiæ necessitatem negavêre; Prædestinatiani è contra gratiæ plus æquo tribuentes, libertatem arbitrii interemerunt. Prædestinatione, tanquàm à parte magis conspicuâ et insigni errorum quos profitebantur, dicti sunt Prædestinatiani.

Observandum 2°, varios et multiplices fuisse Prædestinatianorum errores. Ad istos potissimùm revocari possunt. Primus ac palmaris, ex quo cæteri omnes derivantur, iste est, videlicet quosdam esse homines, decreto absoluto et omnem demeritorum prævisionem antecedenti, ad mortem seu damnationem æternam prædestinatos. Secundus, Deum prædestinare ad media quæ deducunt ad interitum, nempe ad malam vitam, ad vitium, atque adeò ad malum culpæ et peccatum. Tertius, Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed tantùm eos qui salvantur. Quartus, Christum Dominum, pro solis electis et prædestinatis mortuum fuisse, ac pro iis solis sanguinis sui pretium Deo Patri obtulisse. Quintus, post primi hominis lapsum ex toto liberum voluntatis arbitrium extinctum esse. Sextus, Sacramenta in iis otiosa esse et sterilia; hoc est, nec peccatum iis dimittere, nec gratiam conferre, qui sunt ad mortem prædestinati.

Hæc et alia fuisse Prædestinatianorum commenta constat ex Epistolis Fausti et Lucidi, aliisque auctoribus infra recensendis.

Observandum 3°, circa præsentem controversiam non unam esse omnium sententiam. Jansenius lib. 8 de hæresi Pelagianâ cap. ultimo, existimat nusquàm ante Lutherum et Calvinum extitisse in rerum naturâ Prædestinatianam hæresim, eamque nihil aliud esse quàm meras objectiones et calumnias quibus Massilienses S. Aug. et discipulorum ejus doctrinam diffamare conabantur; seu S. D. doctrinam ab illis invidiosè propositam ac deformatam. Quæcumque autem in hujus suæ sententiæ confirmationem profert, non ipse primus excogitavit, sed ea omnia à Jacobo Usserio inter Calvinistas notissimo expilavit ac deprompsit ex libro quem anno 1631 Dublini edidit sub hoc titulo: *Gotescalci et Prædestinatianæ controversiæ ab eo motæ historia.* De synodis Arelatensi et Lugdunensi omninò silet Jansenius (quamvis earum historiam legisset apud Baronium cujus ipse locum indicat), quia nimirùm nondùm prodierat in lucem alter ejusdem Usserii liber, Dublini pariter editus anno 1639, hoc est, uno post mortem Jansenii anno. Eo in libro quem inscripsit: *Britannicarum Ecclesiarum antiquitates,* prædictarum synodorum auctoritatem ac veritatem exsufflat Usserius; unde Jansenii discipuli avidè arripuerunt quidquid ad easdem synodos elevandas, subinde sexcenties recoxerunt.

Jansenio et Usserio hâc in parte suffragatur Gilbertus Mauguinus in supremâ Parisiensi Monetarum curiâ præses. Is seculo proximè elapso Gotescalci defensionem suscepit, et Prædestinatianam hæresim pro fabulâ adversùs Augustinianæ doctrinæ propugnatores confictâ traduxit; hunc confutavit Cellotius Societatis

Jesu theologus, libro cui titulus : *Historia Gotescalci Prædestinatiani* ; Parisiis an. 1655.

Doctissimus Sirmundus in suâ Historiâ Prædestinatianâ ex adverso docet 1°, hæresim illam anno circiter 424 in Africâ natam fuisse apud monachos Adrumetinos. 2° SS. Prosperum et Hilarium contra eamdem hæresim per Gallias grassantem S. Augustini opem implorâsse, quibus morem gessit S. D. editis contra Prædestinatianos libris de Prædest. SS. et de Dono persever. 3° Post Aug. obitum memoratos Prosperum et Hilarium, Romam ad Cœlestinum confugisse, à quo gravissimum contra Prædestinatianos rescriptum ad episcopos Galliæ datum impetràrunt. 4° Eumdem errorem à Lucido præsbytero propugnatum et retractatum fuisse versùs finem quinti seculi. 5° Tandem Gotescalcum illius hæresis instauratorem fuisse nono seculo.

Inter hanc utramque extremam sententiam medius occurrit eminentiss. card. Norisius lib. 2 Hist. Pelag. cap. 15. Contra Jansenium et Mauguinum docet, Prædestinatianam hæresim non omninò fictam et commentitiam fuisse, sed veram, à Lucido præsertim presbytero, aliisque nonnullis obscuri nominis propugnatam ; ast contra Sirmundum contendit, eam nec in monasterio Adrumetino natam, nec à SS. Prosp. et Hilar. impugnatam, nec à S. Cœlestino damnatam fuisse. Quid de totâ istâ controversiâ sentiamus, patebit sequentibus Conclusionibus.

Conclusio prima. — Prædestinatiana hæresis exorta non est in Africâ in monasterio Adrumetino.

Hujus conclusionis veritas aperta est et explorata ex dictis dissert. præcedenti, in quâ ostendimus, monachos Adrumetinos, ut liberum tuerentur arbitrium, adversùs gratiæ necessitatem dimicâsse.

Conclusio secunda. — Prædestinatiana hæresis non emersit in Galliis Cœlestino I summo pontifice ; neque adversùs eam SS. Augustini aut Cœlestini opem imploravêre Prosper et Hilarius.

Probatur : Nam quos impugnavêre SS. Prosper et Hilarius in suis operibus, et S. Cœlestinus in suo celebri ad episcopos Galliæ rescripto, ubique exhibentur tanquàm S. Aug. hostes infensissimi ; sancto doctori perpetuò obloquebantur, immania errorum portenta ipsi affingebant, mira ejus scripta infamabant, effutientes ipsum sub gratiæ nomine fatalem inducere necessitatem ; porrò qui ita sanctissimi præsulis nomen et doctrinam proscindebant, potiùs Pelagianorum erant reliquiæ, quàm Prædestinatiani qui S. Aug. ipsiusque doctrinam impensè laudabant, eamque se profiteri, etsi falsò gloriabantur

Conclusio tertia. — Prædestinatiana hæresis non est figmentum, neque mera calumnia quâ Massilienses S. Augustinum ejusque discipulos infamare studuerunt, uti placet Jansenio et ejus Apologistis ; sed vera et realis hæresis in Galliis quinto seculo à Lucido quodam presbytero, Monimo, et aliis nonnullis propugnata.

Probatur 1° ex epist. Fausti ad Lucidum, in quâ sex mox recensita Prædestinatianorum dogmata ipsi damnanda proponit, quæ nisi ipse anathemate confixerit, atque subscripserit epistolæ, ipsum ad synodum delaturum comminatur : « Quòd si eam, inquit (epistolam), « subscriptam, ut dixi, transmittere nolueris, « apertè adhuc te in errore persistere ipso si- « lentio comprobabis ; ac proinde mihi jam « necessitatem facies ad personam tuam publi- « cis conventibus exponendam. » Extat prædicta epistola tom. 4 conciliorum Labb. pag. 1042, et Biblioth. edit. Lugd. tom. 8, pag. 524.

Probatur 2° ex libello emendationis Lucidi ad episcopos Gallicanos, quo prava sua dogmata ejurat his verbis : « Correctio vestra, in- « quit, salus publica, et sententia vestra medi- « cina est ; unde et ego summum remedium « duco, ut præteritos errores accusando, ex- « cusem, et salutiferâ confessione meâ diluam. « Proinde juxta prædicandi recentia statuta « concilii, damno vobiscum sensum illum qui « dicit : 1° Humanæ obedientiæ laborem di- « vinæ gratiæ non esse jungendum ; 2° qui « dicit post primi hominis lapsum ex toto arbi- « trium voluntatis extinctum ; 3° qui dicit « quòd Christus et Salvator noster mortem non « pro omnium salute susceperit ; 4° qui dicit « quòd præscientia Dei hominem violenter « compellat ad mortem, vel quòd cum Dei pe- « reant voluntate, qui pereunt ; 5° qui dicit « quòd post acceptum legitimè baptismum, in « Adam moriatur, quicumque deliquerit ; 6° « qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad « vitam prædestinatos, etc. »

Et postea sic pergit Lucidus : *Hæc omnia quasi impia et sacrilegiis plena condemno.* Ex quibus patet Lucidum Prædestinatianis erroribus infectum fuisse, quos subinde urgente Fausto ejuravit. Refertur præfatus emendationis libellus, collectionibus mox laudatis.

Probatur 3° ex duobus conciliis Arelatensi

et Lugdunensi, circa annum Christi 475, ut verisimiliùs videtur, celebratis: in quibus, 1° errores Lucidi fuêre damnati; 2° patrum suffragiis ac subscriptionibus approbata Fausti ad Lucidum epistola; 3° ipsi Fausto hos errores confutandi provincia demandata. Ita constat ex præfatione librorum Fausti ad Leontium Arelatensem episcopum: « Quòd, inquit, pro sollicitudine pastorali, beate papa, Leonti, in « condemnando prædestinationis errore concilium summorum antistitum congregâstis, « universis Galliarum Ecclesiis præstitistis; « quòd verò ad ordinanda quæ collatione publicâ doctissimè protulistis, operam infirmis « humeris curamque mandâstis, parùm sanctæ « existimationi vestræ consuluistis; » et in fine præfationis: « In quo quidem opusculo, post « Arelatensis concilii subscriptionem, novis « erroribus deprehensis, adjici aliqua synodus « Lugdunensis exegit. » Lucidus quoque meminit synodi Arelatensis in suo mox citato Retractationis libello. Quæ ad elevandam harumce synodorum veritatem et auctoritatem opponunt adversarii, solvemus in responsione objectionum.

Probatur 4° antiquorum scriptorum auctoritate. Prosper Tyro in Chronico; auctor libri antiquissimi, quem primus edidit Sirmundus sub nomine *Prædestinati*; Arnobius Junior qui vixit Ecclesiæ seculo V; Ennodius Ticinensis ejusdem ævi nobilis scriptor; Hincmarus in epist. ad Nicolaum papam; Rabanus in epistolis ad Hincmarum; Trithemius, Flodoardus, Sigebertus, etc. Hi omnes scriptores loquuntur de Prædestinatianis hæreticis, quos seculo V Ecclesiam infestâsse testantur.

Probatur 5° ex constanti theologorum doctrinâ, qui summo consensu fatentur extitisse antiquitùs Prædestinatianam hæresim Pelagianæ ex adverso repugnantem; idque novatoribus Lutheranis et Calvinistis exprobrant, quòd eam fulminibus ecclesiasticis toties percussam exsuscitaverint. Ita disertè testantur Thomas Valdensis in eximio illo opere quod inscripsit *Doctrinale fidei antiquæ*, lib. 1, art. 1, cap. 22; Didacus Alvarez de origine Pelag. hæreseos cap. 30; Claudius Sanctesius episcopus Ebroicensis in Atheismis Calvini; Baronius, Binius, Bellarminus, Alphonsus à Castro, Maldonat., aliique. Verbo dicam, ex theologis orthodoxis ante Jansenium plurimi Prædestinatianos antiquitùs extitisse expressis verbis fassi sunt; cæteri non exigente scopo siluêre; verùm nullus est qui hanc hæresim quasi meram fabulam et anile commentum ex Semipelagianorum officinâ profectum exploserit. Primus omnium Yprensis criticas Usserii conjecturas et hallucinationes sequi maluit, quàm orthodoxorum vestigiis insistere.

Unum est hoc loco minimè prætermittendum celebre testimonium Petri Aurelii, qui apertè profitetur olim extitisse Prædestinationis hæreticos, tomo scilicet 1, in responsione ad quartam causam spongiæ præambulam pro sacrâ theologiæ Facultate Parisiensi pag. 197: « Ex « antiquis quidem temporibus, *inquit*, quibus « eam (Galliam) monstris caruisse constat, « nulla exhiberi mirum non est. Subeuntibus « postea sensim in hanc quoque messem zizaniis, Gotescalcum provinciæ Rhemensis mo« nachum, antiquos Prædestinatianorum er« rores renovantem damnârunt primò Germa« niæ episcopi auctore Rabano, tum Galliæ « antistites auctore Hincmaro. » Si antiqui et renovati à Gotescalco Prædestinatianorum errores, ergo ante illum extitêre, ac proinde seculo quinto.

Solvuntur objectiones. — Objicies 1°, contra tertiam Conclusionem: Quæ dicuntur Prædestinatianorum dogmata, ipsissimæ sunt objectiones, calumniæ et accusationes quibus Semipelagiani S. Augustini doctrinam infamabant; vera ergo non est, sed fictitia hæresis Prædestinatiana. Ita Jansenius citato lib. 8 de hæresi Pelagianâ. Respondeo concesso antecedente negando consequentiam: etsi enim, quod libenter fatemur, Prædestinatianorum dogmata omninò conveniant cum objectionibus et calumniis quibus Massilienses S. Aug. doctrinam onerabant; inde tamen perperàm infert Yprensis, fictitiam fuisse et commentitiam Prædestinatianam hæresim. Ut enim, non fictitia, sed vera et realis dici possit aliqua hæresis duo requiruntur et sufficiunt; videlicet, primò ut sit perversum dogma, et ut sint hujusce perversi dogmatis defensores; porrò utrumque hîc reperitur. Et 1° quidem, in iis dogmatibus quæ Prædestinatianorum fuisse dicuntur, hæresim apertam contineri, patet si revocentur hîc in memoriam quæ mox recensuimus præcipua doctrinæ Prædestinatianæ placita; unde in iis dogmatibus à S. Aug. propulsandis tam strenuè laborârunt SS. Prosper et Fulgentius, ut scilicet evincerent, « talem sensum scriptis ca« tholici non inesse doctoris, qualem eum, « qui frustra calumniantur, ostentant. » 2° Extitisse aliquos qui prædicta dogmata tanquàm vera et Augustini doctrinæ consentanea

propugnaverint, constat ex probationibus. Etverò, cum habeamus accusatorem Faustum, et Lucidum reum confitentem, et judices episcopos in duobus conciliis Arelatensi et Lugdunensi congregatos: quid efficacius desiderari potest ut ostendatur aliquos fuisse hæresis Prædestinatianæ assertores?

Objicies 2° : Concilia Arelatense et Lugdunense, in quibus approbatam contendimus Fausti ad Lucidum epistolam, ficta fuère et supposita à Fausto Semipelagianorum antesignano, ut scilicet sententiæ suæ auctoritatem, et S. Aug. discipulis invidiam ejusmodi fraude conflaret; siquidem istorum conciliorum nullus quinto Ecclesiæ seculo nec tribus proximè sequentibns meminit præter Faustum; neque etiam posterioribus seculis Hincmarum, à quibus recentiores mutuati sunt quidquid de istis conciliis scripsère; ergo, etc. Ita Mauguinus in Hist. Gotescalci. Respondeo 1°, qui cum Mauguino contendunt prædicta concilia à Fausto Semipelagiano ficta fuisse, Usserii temeritatem longè superare; neque enim Calvinista istarum synodorum veritatem elevat, sed hoc unum vult deceptos fuisse à Fausto Arelatenses Patres: id unum velle Usserium constat ex libro cui titulus : *Britannicarum Ecclesiarum Antiquitates*, cujus verba mox referemus. Respondeo 2°, cum card. Noris. lib. 2 Hist. Pelag. cap. 15, immeritò prorsùs ac sine ullo fundamento Faustum à Mauguino tanquàm insignem impostorem hîc traduci; quomodò enim in re adeò clarâ et omnibus perspectâ, voluisset aut potuisset, doctissimo metropolitæ Leontio, universis Galliæ episcopis, imò et toti Ecclesiæ illudere? Calumniam hanc egregiè repellit loco citato eminentiss. card. his verbis : « Quis enim, *inquit*, de Fausto tantos « dolos sibi persuadeat, qui coram universis « Galliarum episcopis tantorum mendaciorum « architectum se sistere non extimuerit? Quo « animo Leontio metropolitæ doctissimo im« ponere ausus fuisset, quasi de remotissimis « Asiæ rebus perscriberet, non verò de iis, « quæ in duabus nobilissimis urbibus nudius « tertius gesta fuerant? Opponit Mauguinus « (pergit Noris.), nusquàm præter quàm in « Fausti libris illarum synodorum mentionem « fieri; at hoc negantis argumenti genus lu« bricum est. Scimus Leontium Arelatensem « ex Hilarii decreto synodos Gallicanas quo« tannis coegisse, quarum tamen nusquàm « memoria extat. » Hæc eminentissimus auctor, quibus doctè ac solidè sugillat et explodit quæ ad evincendam prædictarum synodorum Arelat. et Lugd. suppositionem congerit Mauguinus.

Unum hic addo quòd etsi Faustus fuerit Semipelagianus quando suam de gestis in causâ Lucidi conscripsit epistolam, non ideò fides ei deroganda sit circa factum de quo scribit ad illos qui plurimam in eâ partem habuerunt; nec minùs ipsi credendum, quàm Eusebio Ariano, et Socrati Novatiano, de quorum fide in factis historicis quæ palàm et apertè nemine contradicente conscripsère, nullus ambigit. Etverò, si, ut placet Mauguino, tota illa historia à Fausto conficta fuisset, haud dubiè confestim in ipsum insurrexissent ac falsi accusâssent ejus hostes et æmuli quos plurimos expertus est.

Objicies 3° : Esto præfata concilia Arelatense et Lugdunense, à Fausto supposita et ficta non fuerint, saltem negari non potest, ipsa mera fuisse Semipelagianorum conventicula, quæ proinde nullius sunt in præsenti causâ auctoritatis. Ita auctor Apologiarum pro Jans. apolog. primâ, pag. 197, his verbis : « Ce concile « (d'Arles), ne peut avoir été qu'une assem« blée de Semipélagiens, ou d'évêques trom« pés par un Semipélagien. » Ibid. pag. 204 : « C'a été un concile de Semipélagiens. » Probant autem Jansenii Apologistæ, harumce synodorum antistites Semipelagianâ hæresi contaminatos fuisse, quòd Fausti libros de Grat. et libero Arbit. Pelagianis erroribus refertos, approbaverint; idque colligunt ex posterioribus verbis epistolæ nuncupatoriæ, quâ hosce libros Leontio Faustus obtulit : « In quo qui« dem opusculo, *inquit*, post Arelatensis con« cilii subscriptionem, novis erroribus depre« hensis, adjici aliqua, synodus Lugdunensis « exegit. » Audis, ipsomet Fausto testante, ipsius opusculum, id est, libros de Grat. et lib. Arb. à concilio Arelat. fuisse approbatos.

Respondeo 1°, vel ipsummet Usserium longè moderatiorem fuisse in concilia Arelatense et Lugdunense citatis Jansenii Apologistis. Namque Usserius equidem concedit, deceptos fuisse à Fausto concilii Arelatensis Patres; negat tamen illos episcopos fuisse Semipelagianos; de iis enim ita loquitur citato lib. de Antiquitatibus Britannicis, pag. 426 : « Interim « tamen in tot doctrinâ et pietate præstantes « viros, ita injuriosos esse nos non decet, ut « unius versipellis vulpeculæ (Fausti videlicet) « auctoritate freti, reliquiarum Pelagianæ hæ« reseos patronos eos fuisse credamus. » Quod ausus non est Usserius, ausi sunt Jansenii Apo-

logistæ; nec, ut ille, religioni duxerunt, sanctum Pragmatium Augustodunensem episcopum, sanctum Patientem Lugdunensem, sanctum Claudium Bisuntinum, aliosque doctrinâ et pietate præstantes episcopos, quos huic concilio interfuisse testatur Baronius ad annum 490, Semipelagianismi insimulare.

Respondeo 2°, cum card. Norisio loco mox laudato, non sine gravi temeritate, atque insigni calumniâ Semipelagianismi notam inuri celeberrimis episcopis quos sanctitate ac doctrinâ illustres fuisse constat. « Jansenii Apologistæ, ait eminentissimus auctor, utramque « synodum habitam fuisse concedunt; addunt « tamen eas conflatas ex episcopis partim Se- « mipelagianis, partim à Semipelagiano Faus- « to deceptis; sed sine testibus hanc injuriam « doctissimis ac sapientissimis Patribus inure- « re non ausim. Illud verisimile videtur Fau- « stum mandati limites excessisse, dùm non « modò quorumdam Prædestinatianorum er- « rores, ut injunctum fuerat, confutavit, ve- « rùm etiam ex occasione S. Aug. de gratuitâ « prædestinatione doctrinam subruere conatus « fuit. » Hæc Norisius.

Quod autem addunt Jansenii Apologistæ ex epistolâ nuncupatoriâ Fausti ad Leontium, nullatenùs probat Semipelagianos Fausti libros de gratiâ, à Patribus Arelatensibus fuisse commendatos; neque enim Arelatensis concilii subscriptio, de quâ hîc loquitur Faustus, pertinet ad Semipelagianos ejusdem fausti libros de gratiâ, sed ad ipsius contra errores Lucidi epistolam omninò catholicam. Ita objecta epistolæ nuncupatoriæ verba exponit card. Baronius loco mox citato: « At quænam, inquit, « ita subscriptio Arelatensis concilii? Numquid « episcoporum concilium Fausti Commenta- « rium illum (libros de grat. et libero arbitrio) « subscriptione firmavit? minimè gentium; « verùm subscripsit synodus Fausti illi tantùm « epistolæ, quam dedit ad Lucidum presbyte- « rum, ut hominem in errores lapsum revoca- « caret ad catholicam fidem. » Idem tradit Binius in notis ad concil. Arelat. Et vero ex illâ ipsâ Fausti epistolâ ad Leontium, liquidò constat Fausti libros de gratiâ et libero arbitrio post synodum Arelatensem, postulante eodem Leontio, elaboratos fuisse; nimirùm, ut, quæ in illâ synodo sancita fuerant, uberiùs exponere, adeòque prædicti libri præsulum Arelatensium suscriptione comprobari non potuerunt. En verba epistolæ: « Quòd pro sollici- « tudine pastorali, beate papa Leonti, in con- « demnando prædestinationis errore concilium « summorum antistitum congregâstis, univer- « sis Galliarum Ecclesiis præstitistis. Quòd verò « ad ordinanda ea quæ collatione publicâ doc- « tissimè protulistis, operam infirmis hume- « ris, curamque mandâstis, parùm, ut reor, « tanto negotio, parùm sanctæ existimationi « vestræ consuluistis. » Pergit ibidem Faustus: « In quo quidem opusculo (de grat. et libero « Arb.), post Arelatensis concilii suscriptio- « nem, novis erroribus deprehensis, adjici ali- « qua, synodus Lugdunensis exegit. » Ex quibus liquet Fausti opus post concilium Arelatense fuisse inchoatum, nec nisi post Lugdunense consummatum, ac proinde à nostro approbatum.

Attamen Faustus, ut auctoritatem operi suo conciliaret, duas epistolas, nimirùm suam ad Lucidum, et Lucidi revocatoriam ambas orthodoxas et eo nomine approbatas libris suis affixit, atque etiam præfationi ad Leontium ambigua verba quæ referuntur in objectione interseruit, quibus incauti adducerentur in eam persuasionem, ut crederent ejus libros à synodo Arelatensi fuisse approbatos.

Objicies 4°: Fausti ad Lucidum epistola, quâ damnatur Prædestinatiana hæresis, Lucidi verò libellus quo eamdem hæresim dicitur ejurare, Semipelagianis erroribus scatent; neutri ergo adhibenda est fides; adeòque nec ex iis asserenda videtur Prædestinatianæ hæresis existentia. Respondeo negando ant. Illas enim tam Fausti ad Lucidum quàm Lucidi ad Patres Arelatensis synodi epistolas *sanas esse et verè catholicas, atque duarum synodorum subscriptione probatas fuisse*, testantur card. Baronius ad an. 490; Severinus Binius in notis ad concilium tertium Arelat.: Didacus Alvares hæresis Pelag. cap. 23; Malderus Antuerpiensis episcopus Anti-Syn. cap. 1, necnon Joannes Brasichellanus sacri Palatii magister in eâ ipsius censurâ quæ jam Fausti opusculo præfixa est.

Et verò quæ Yprensis Apologistæ in illis epistolis criminantur, nihil nisi specie tenùs Semipelagianismi redolent, uti fusè prosequitur Antonius Deschamps lib. 2 de hæresi Jansen. disput. septimâ, cap. 1, n. 12 et sequentibus.

1° In epistolâ Fausti anathema illud vellicant: *Anathema illi, qui dicit hominem solemniter baptizatum..... et postmodùm per diversa hujus mundi oblectamenta prolapsum, in Adam et originale peccatum periisse*; quibus verbis peccati originalis existentiam, aut catholicam S. Aug. de prædestinatione gratuitâ doctrinam à

Fausto percelli concludunt adversarii. Verùm quàm distorta sit et obliqua ista consecutio, nemo non videt; prædictum anathema, nec dogma peccati originalis, nec gratuitam prædestinationem perstringit, sed unum ex Prædestinatianorum articulis, quo contendebant, uti supra notavimus, in iis qui ad vitam non erant destinati, originale peccatum per baptisma non deleri, unde dicebant eum qui post baptismum deliquerit, in Adam perire, et propter originis peccatum non deletum damnari; quia nempe, juxta Prædestinatianos, sacramenta non prædestinatis minimè prosunt. Hic error à Gotescalco postea renovatus fuit, teste Amolone Lugdunensi in epist. ad eumdem Gotescalcum datâ; et in Calvinistis tandem damnatus est à synodo Trid. sess. 6. can. 17, his verbis: « Si « quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos « verò omnes qui vocantur, vocari quidem, sed « gratiam non accipere, utpote divinâ potesta- « te prædestinatos ad malum, anathema sit. »

2. In epistolâ Lucidi hunc præsertim articulum tanquàm Pelagianum traducunt: « Damno « sensum illum, qui dicit, ab Adam usque ad « Christum, nullos ex gentibus per primam « Dei gratiam, id est, per legem naturæ, in « adventum Christi fuisse salvatos, eò quòd « liberum arbitrium in primo homine perdi- « derint. » Verùm ista Pelagianismi nota facili negotio dissolvitur, dicendo cum Alvares, Baronio, Binio et aliis auctoribus antea citatis per *primam Dei gratiam* hîc non intelligi legem naturæ præcisè sumptam, sed legem naturæ junctam cum gratiâ, quæ ex futuro Christi adventu in eam redundabat, ope cujus ante datam Moysis legem nonnulli Christum exspectantes fuerunt salvati. Hunc sensum Lucidus statim exponit, his verbis: « Per ratio- « nem et ordinem seculorum, alios lege gra- « tiæ, alios lege Moysis, alios lege naturæ, « quam Deus in omnium cordibus scripsit, in « spe adventûs Christi fuisse salvatos; tamen « ab initio mundi ab originali nexu, nisi in- « tercessione sacri sanguinis non absolutos. » Unde in objectis Lucidi verbis, expunctâ virgulâ, hæc verba jungenda esse meritò contendunt supra citati auctores: *Per legem naturæ in adventum Christi.*

Objicies 3. Epistola Fausti ad Lucidum in Synodo Arelatensi approbata et subscripta non fuit; et quæ in vulgatis editionibus subscriptiones leguntur, meritò censentur supposititiæ et falsæ. Namque 1. Henricus Canisius asserit se vetustissimum manuscriptum codicem illius epistolæ Fausti ad Lucidum reperiisse in monasterio S. Galli, cui subscriptiones illæ episcoporum non erant annexæ. 2. Si quis ex præsulibus synodi Arelatensis huic epistolæ subscribere debuisset, maximè Leontius Arelatensis, totius concilii præses; sed ipsius nomen cum aliis subscriptis non legitur. 3. Inter subscriptiones duo reperiuntur ejusdem civitatis Augustodunensis episcopi; porrò nemo nescit canonibus cautum fuisse, ne duo eidem civitati præficerentur episcopi; ergo, etc. Respondeo 1., quidquid sit de prædictis subscriptionibus, ex Lucidi libello, constat libellum hunc exaratum fuisse juxta statuta concilii Arelatensis: non diffitentur aliundè adversarii, eamdem planè esse epistolæ ac libelli doctrinam; ergo doctrina epistolæ Fausti confirmata est statutis concilii Arelatensis. Respondeo 2., negando antecedens, cujus falsitas ex ante dictis abundè constat. Ad primum dico 1., Canisium loqui de unico manuscripto S. Galli, eoque, ut ipse fatetur, perturbatissimo, quippe qui Fausti epistolæ nec ipsius quidem Fausti subscriptionem annexam habeat, sed multa interserit prorsùs ab instituto aliena; ac demùm post paginas plus quàm centum refert Fausti subscriptionem his verbis conceptam: *Item aliâ manu, Faustus.... subscripsi.* Nulla ergo huic inordinato codici habenda fides; sed potius standum aliis codicibus, ex quibus ante Canisium, Bibliothecæ Patrum editores præfatas subscriptiones descripserunt. Dico secundò, variantes codices haud ægrè ad concordiam adduci posse, asserendo nimirùm cum doctissimo Norisio, epistolam illam primùm à solo Fausto subscriptam fuisse et missam ad Lucidum; cùm autem Lucidus Fausto rescripsisset se eamdem epistolam approbare, quò ejusdem celebrior evaderet emendatio, curavit Faustus ut aliud ejusdem epistolæ exemplar (quod apud se servaverat, ut ipse in suâ epistolâ testatur) episcoporum unà cum Lucidi subscriptione muniretur; atque inde factum est ut in aliquibus exemplaribus sola habeatur Fausti subscriptio; in aliis verò post undecim episcopos Arelatenses Lucidi nomen subscriptum legatur. Ad secundum dico 1., non mirum quòd inter memoratas subscriptiones desit Leontii Arelat. nomen, si non in ipsâ synodo Arelatensi, uti conjicit Norisius, sed absente Leontio in alio quodam privato eorumdem episcoporum pro Basilicâ dedicandâ aut alio negotio coactorum con-

gressu, facta fuerit subscriptio. Dico 2., quo fato ex MS. S. Galli quod vidit Canisius, aliorum episcoporum nomina, eodem ex aliis MSS. excidit Leontii nomen; tamen idcircò in dubium revocari debet id quod tam apertè, nemine reclamante scriptum reliquit Faustus, videlicet « Leontium sollicitudine pastorali in « condemnando prædestinationis errore con- « cilium summorum antistitum congregâsse. » Ad tertium dico inauditum non esse ut duo episcopi eamdem simul rexerint Ecclesiam, seniore nimirùm sibi coadjutorem adsciscente, sicut Aug. simul cum Valerio decessore suo in Hipponensi Ecclesiâ episcopus fuit.

Objicies 6. : Prosper Tyro, auctor libri qui dicitur *Prædestinatus*, Hincmarus et alii nonnulli supra citati, asserunt hæresim Prædestinatianam tempore S. Aug. exortam fuisse, quam Cælestinus S. pontifex repressit, quod tamen nos antea negavimus; quare igitur iis auctoribus in uno fidem habemus, ac detrahimus in altero? Præterea synodus Araus. secunda subdubitanter de Prædestinatianis loquitur; sic enim de iis habet can. 25 : *Si qui sunt* (Prædestinatiani).... *cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Denique S. Prudentius Trecensis episcopus lib. contra Joan. Erigenam cap. 4, et Lugdunensis Ecclesia lib. contra eumdem cap. etiam 4, testantur se nec legisse, nec audivisse, an extiterit unquàm hæresis Prædestinatiana; imò addunt hos falsos hæreticos esse ipsosmet S. Aug. discipulos, quos calumniabantur Semipelagiani, quasi contenderent quosdam esse ad malum divinâ potestate prædestinatos.

Respondeo ad primum auctores citatos ex fide veterum monumentorum referre quosdam extitisse Prædestinatianos hæreticos; quare his scriptoribus fidem hâc in parte habemus; at contra fidem et auctoritatem eorumdem monumentorum tradunt tempore SS. Prosperi et Hilarii extitisse hæresim Prædestinatianam, unde ipsos in eo deserimus. Ad secundum, non negat Araus. synodus antea extitisse Prædestinatianam hæresim; sed dubitat, et quidem meritò, utrùm eo tempore quo celebrata fuit anno 529, existerent aliqui Prædestinatiani, siquidem jam ab anno circiter 475, Lucidus errores suos deposuerat, nullusque post ipsum ante Gotescalcum eâdem hæresi contaminatus commemoratur; scilicet, uti observant Malderus, Baronius, Binius, aliique auctores citati, hæresis illa à paucis propugnata, brevi compressa evanuit. Ad tertium, in rebus facti, fides potiùs est habenda coætaneis auctoribus, quàm iis qui longè post vixêre. Porrò Faustus et Lucidus ea narrant quorum oculati fuerunt testes quinto Ecclesiæ seculo; Prudentius verò et auctor qui sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis scripsit, nono duntaxat floruêre Ecclesiæ seculo. Adde quòd cùm hæresis illa, ut mox diximus, brevi evanuerit, mirum videri non debet, quòd ignota nonnullis fuerit nono seculo.

Objicies ultimò cum auctore Bibliothecæ Eccles. seculo quinto ubi de Fausto : Equidem, inquit, negari non potest quin reipsà congregatum fuerit concilium Arelatense contra Prædestinatianos, ibique approbata sit epistola Fausti, et Lucidus compulsus ad retractationem emittendam; inde tamen inferri nequaquàm potest, verè extitisse Prædestinatianorum hæresim. Hoc unum duntaxat colligi potest, tunc temporis efferbuisse dissidia et contentiones de gratiâ, atque in disputationis æstu, ut fieri assolet, utramque partem nonnihil excessisse, et adversariis suis criminandi ansam præbuisse; qui enim S. Aug. dogmata propugnabant, ii non satis cautè aliquando loquebantur, sicque non sine fundamento Prædestinatianorum errores ipsis tribuebanbur; alii ex adverso, cùm S. Aug. doctrinam impeterent adversariorum suorum accusationibus sese objiciebant; hinc factum est, ut unaquæque dissidentium pars alteri hæresim affingeret; undè non mirum si nonnulli episcopi in synodum coacti, Lucidum tanquàm Prædestinatianum ad errorem emendandum adegerint, quamvis reipsa hæreticus ille non foret. Ita fermè Bibliothecæ auctor loco laudato.

Respondeo totam hanc objectionem gratis omninò confictam, ex antedictis nullo negotio dissolvi posse; præsertim verò momentis quibus utitur Norisius citato lib. 2 de hæres. Pelag. cap. 15, quibus addo breve hoc ratiocinium : Vel Lucidus nihil affirmavit, quàm quæ dicebant cæteri qui doctrinam S. Aug. tuebantur; vel aliquid aliud asseruit et propugnavit. Prius dici non potest; quomodò enim non reclamâssent veri S. Aug. discipuli, nec Lucidi patrocinium suscepissent? Posterius autem si dicatur, profectò causam obtinuimus: hoc unum siquidem volumus, nempè Lucidum ideò rectè accusatum fuisse, quia à veris S. Aug. defensoribus discesserat, atque vel ex imperitiâ, vel ex præpostero propugnandæ Augustinianæ doctrinæ studio, in Prædestinatianos errores impegerat.

Quæres 1°, quænam fuerit illa synodus Arelatensis quæ Fausti epistolam approbavit. Respondeo, synodum illam fuisse tertiam Arelatensem. Nimirùm prima apud Arelatem synodus celebrata fuit tempore Sylvestri papæ; secunda, de cujus tempore, ut observat Sirmundus, nihil omninò exploratum est, probabiliter habita fuit sub Leone Magno anno circiter 451; certè synodum hanc antiquiorem esse illâ ætate quâ Faustus jam episcopus Regiensem administrabat Ecclesiam, constat ex canonibus 10 et 11, quibus præscribitur pœnitentia iis qui fidem in persecutione negabant; tertia Arelatensis synodus ea est de quâ hic agitur quæ Fausti epistolam approbavit circa annum 475.

Quæres 2°, quæ fuerit synodus ad quam Lucidus suam scripsit epistolam revocatoriam præcedentium errorum. Respondeo synodum illam habitam fuisse Lugduni paulò post synodum Arelatensem, tempore Patientis, Lugdunensis episcopi. 1° Sic innuit Faustus in suâ præfatione nuncupatoriâ suorum librorum ad Leontium, in quâ testatur quomodò post concilii Arelat. subscriptionem cùm adornaret opusculum, in quo referenda et ordinanda susceperat quæ in Arelatensi concilio à Patribus doctissimè relata fuerant, et novi postea errores deprehensi fuissent, Lugdunensis synodus voluerit illos eodem in opusculo confutari; adeòque exegit ut opusculo huic, quod tunc ipse meditabatur, adjiceret aliqua in concilio Arelatensi minimè pertractata. 2° Sidonius Apollinaris lib. 9, epist. 3, conceptis verbis loquitur de quâdam synodo suo tempore celebratâ in civitate Lugdunensi ad dedicandam Ecclesiam, quam de novo magnis sumptibus extruxerat S. Patiens; quâ in synodo declarat Faustum coram Patribus congregatis sacram habuisse concionem. Patet itaque post synodum Arelatensem eodem ferè tempore habitum fuisse concilium Lugdunense; quo quidem in concilio oblata, lecta et approbata fuit revocatoria Lucidi epistola, seu ipsius emendationis libellus. 3° Leve omninò est, et nullo negotio exsufflari potest quod ad elevandam hujus synodi veritatem opponunt adversarii. Aiunt huic concilio non præfuisse Patientem Lugdunensem; præfuisset autem si in suâ civitate habita fuisset synodus. Verùm præterquàm quòd olim in subscriptionibus, ut omnes nôrunt, constanter observatus non fuit ordo sive dignitatis, sive consecrationis, Leontius qui primus nominatur in epistolâ Lucidi fuit in Galliis sanctæ Sedis vicarius, antiquiorque metropolitanus; unde non mirum si toti præfuerit concilio.

Dissertatio quinta.

DE PRÆDESTINATIANIS NONI SECULI.

Ut graves de Prædestinatianis noni seculi controversiæ enucleatè ac dilucidè pertractentur, placet præsentem disputationem in quinque capita partiri; 1° agemus de Gotescalco; 2° de scriptoribus illius ævi in causâ ejusdem Gotescalci; 3° speciatim de Ecclesiâ Lugdunensi; 4° de concilio Valentino; 5° denique, de omnibus aliis conciliis eâdem nono seculo habitis.

CAPUT PRIMUM.

De Gotescalco.

Circa Gotescalcum tria inquirenda. Primum, quis fuerit Gotescalcus, seu contracta ipsius historiæ delineatio. Secundum, an sopitam Prædestinatianorum hæresim, nono seculo exsuscitaverit. Tertiò, an in errore pertinax obierit.

ARTICULUS PRIMUS.

Contracta historiæ Gotescalci delineatio.

Quæ ad historiam Gotescalci spectant præcipua capita ab anno 846 ad annum 861 concluduntur, quæ quidem hîc leviori manu exibebimus. 1° Itaque Gotescalcus nobili apud Saxones ex stirpe oriundus, vitam monasticam professus est in Orbacensi monasterio diœcesis Suessionensis. A *Rigbordo* Rhemensi chorepiscopo præsbyter ordinatus fuit versùs annum 846, idque irregulariter, inscio nimirùm Rothado suæ civitatis, videlicet Suessionensis episcopo. 2° Anno 847 Romam profectus est sancta invisurus, ut aiebat, loca; deinde pergens in Dalmatiam Pannoniamque, venit tandem apud Longobardos, ibique apud comitem Eberardum mansit. Hîc de prædestinatione sive ad vitam, sive ad mortem disseruit cum Nottingo Veronensi episcopo, qui perversâ Gotescalci doctrinâ commotus, ad Rabanum Moguntinum episcopum de illâ scripsit. Contra nefandum dogma librum exaravit Rabanus, quem direxit ad Nottingum, et epistolam ad Eberardum ut Gotescalcum sciolum monachum expelleret. Scriptis Rabani adhæsit Eberardus, atque Gotescalcum domo suâ discedere coegit. 3° Gotescalcus expulsus ex Italiâ in Germaniam pertransiens, Moguntiam audacter venit

anno 848; professionem suam edidit de geminâ prædestinatione, quam synodo circa calendas octobris ejusdem anni ibidem congregatæ obtulit, unà cum libello in quo Rabanum velut Semipelagianum traducebat. Examinatis in synodo Gotescalci scriptis, ipse præsens auditus, convictus et damnatus tanquàm hæreticus, atque ad Hincmarum Metropolitam suum remissus est, *ut in monasterio inclusus jam nullos posset pravis suis errroribus pervertere fideles.* 4°. Hincmarus Rhemorum præsul accepto Gotescalco, cum monacho egit ut eum ad saniorem reduceret sententiam; ast conatu frustraneo et casso; quod videns Hincmarus, illum ad concilium Carisiacum agente Carolo Calvo Francorum rege anno 849, celebratum, judicandum adduxit. Gotescalcus auditus *nihil dignum ratione vel dixit, vel interrogatus respondit, sed ut abreptitius in singulorum contumelias prorupit.* Itaque inventus hæreticus, sicut et in Moguntinâ synodo, atque incorrigibilis, honore presbyterali abjectus est, et pro suâ irrevocabili contumaciâ secundùm Agathenses canones et Regulam sancti Benedicti virgis cæsus in ergastulo monasterii Altivillarensis reclusus est. 5°. Gotescalco in carcere recluso permisit Hincmarus, ut suam ederet fidei professionem; si fortè ad meliorem mentem reversus, ejuratis erroribus è carcere dimitti, ac communioni restitui posset. Duplicem ille confessionem edidit, breviorem unam, prolixiorem alteram; in utrâque, breviori præsertim, errorem suum obtegere ac dissimulare conatur, adhibitis quibusdam ambiguis verbis, quæ si in se simpliciter et ad corticem præcisè sumantur, nihil nisi catholicum sonare videntur. Atque hinc origo discordiarum et contentionum quæ tunc temporis in Galliis occasione Gotescalci exortæ sunt. Alii namque qui de ejus sententiâ ex fidei professionibus judicandum arbitrabantur, pro illo acriter decertabant; ita Ratramnus, Corbeiensis monachus, Prudentius, Trecensis episcopus, Remigius Lugdunensis, etc. Alii verò quibus hominis fraudes perspectæ erant, captiosis ipsius ac ambiguis verbis minimè decepti, stylo graviori illum insectati sunt; ita Hincmarus, Sabanus, Amolo, cæterique de quibus infra.

De moribus Gotescalci multa passim occurrunt apud Rabanum, Amolonem, Nottingum, aliosque scriptores; at nihil expressius eam in rem his Hincmari verbis in epist. ad Nicolaum primum: « Habitu monachus, mente ferinus, « quietis impatiens, et vocum novitate delectans, ac inter suos mobilitate noxiâ singularis, de omnibus quæ in his regionibus perversè tunc temporis sensa cognoverat, quædam sibi elegit capitula, ut novitate vocum innotesci valeret; utque simplicium et deceptorum sensus pervertere, et magistri nomen usurpando post se discipulos trahere, etc... atque è monasterio irregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis exitiosa semina sator pessimus seminavit. » Hi sunt nativi colores quibus Gotescalci mores et indolem graphicè depingit Hincmarus.

ARTICULUS II.

An extinctam Prædestinatianorum hæresim renovaverit Gotescalcus.

Negant post Usserium Jansenius, Manguinus et auctor Apologiarum pro Jans. locis supra citatis. Affirmant card. Noris. lib. 2 Hist. Pelag. cap. 15 et sequent.; Mabillonius ad quartum secul. Benedict. parte secundâ pag. 31; Sirmundus de hæres. Prædest.; Natalis Alex. in Hist. Eccles. seculi noni, dissert. quartâ; Antonius Deschamps de hæres. Jansen. lib. 1, disput. 7, cap. 6, et lib. 2, disput. 7, cap. 2, aliique; cum quibus sit

Conclusio. Gotescalcus diu sopitam Prædestinatianorum hæresim seculo nono, in Galliis regnante Carolo Calvo exsuscitavit.

Probatur 1° auctoritate Rabani Moguntini archiepiscopi, cui, ut testantur Sixtus Senensis, Trithemius et alii, neminem parem eo seculo peperit Germania. In opusculo De Prædestinatione ad Nottingum, de Gotescalco loquens, hæc habet: « Convenit inter nos, « ut è divinis Scripturis, et de orthodoxorum « Patrum sententiis, aliquod opusculum con« ficerem, ad convincendum errorem eorum, « qui de Deo bono et justo tam nequiter sen« tiunt, ut dicant ejus prædestinationem facere, « quòd nec homo ad vitam prædestinatus pos« sit in mortem incidere, nec ad mortem præ« destinatus, ullo modo se possit ad vitam re« cuperare; cùm auctor omnium rerum et « conditor naturarum Deus, nullius ruinæ at« que interitûs causa sit, sed multorum origo « salutis. » Eumdem Prædestinatianorum errorem Gotescalco exprobrat in epist. ad Eberardum comitem.

Probatur 2° ex synodicâ concilii Moguntini ad Hincmarum Rhemensem epistolâ, cujus hic tenor est: « Notum sit dilectioni vestræ, quòd « quidam gyrovagus monachus, nomine Go« tescalcus, qui se asserit in vestrâ parochiâ

« ordinatum, de Italiâ venit ad nos Moguntiam, « noxiam doctrinam de prædestinatione Dei « introducens, et populos in errorem mittens, « dicens quòd prædestinatio Dei sicut in bono « sit, ita et in malo; et tales sunt in hoc mun- « do quidam, qui propter prædestinationem « Dei quæ eos cogat in mortem ire, non possint « ab errore et peccato se corrigere; quasi Deus « eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, et « pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergò « opinionem nuper in synodo apud Moguntiam « habitâ ab eo audientes, et incorrigibilem eum « reperientes.... decrevimus eum cum perni- « ciosâ suâ doctrinâ damnatum mittere ad vos, « quatenùs eum recludatis in vestrâ parochiâ « unde primùm recessit, et non sinatis eum « ampliùs errorem docere et seducere popu- « lum christianum. » Hucusque præsules Moguntini.

Hoc in loco habemus 1° errores Gotescalci circa prædestinationem clarè expositos. 2° Eosdem errores, non ex solo rumore, sed ex propriâ ipsius Gotescalci confessione, Patribus Moguntinis fuisse perspectos. 3° Ex his etiam constat, Gotescalcum in synodo Moguntinâ verè damnatum fuisse, non autem duntaxat repulsum, ut falsò scribit Mauguinus.

Probatur 3° ex Hincmari ad Nicolaum I epistolâ, in quâ Gotescalci errores ipsi exponit his verbis: « Dicit, quod et veteres Prædestina- « tiani dixerunt, quoniam sicut Deus quosdam « ad vitam æternam, ita quosdam prædesti- « navit ad mortem æternam.... Dicit, quod et « veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam « non vult Deus omnes homines salvos fieri, « sed tantùm eos qui salvantur.... Dicit, quod « et veteres Prædestinatiani dixerunt, quòd « non pro omnium salute Dominus noster J. C. « sit crucifixus et mortuus, sed tantùm pro his « qui salvantur. » Alios Gotescalci errores ibidem prosequitur Hincmarus; ubi observanda est comparatio quam instituit Gotescalcus prædestinationis ad supplicium, cum gratuitâ electione ad vitam; ex hâc enim comparatione sequitur Deum in mente Gotescalci per suam prædestinationem in reprobis, causam esse damnationis et malorum meritorum quæ ducunt ad damnationem, sicut et in electis est causa salutis et bonorum operum quæ ad beatitudinem conducunt.

Probatur 4° ex synodo Carisiacâ primo anno 849, in quâ sicut et in Moguntino concilio Gotescalcus *inventus est hæreticus et incorrigibilis, atque idcircò ut improbus virgis cæsus, ergastulo est retrusus*. Ita summatim continetur in synodicâ hujusce synodi sententiâ. Idem etiam refert Hincmarus in epist. ad Nicolaum, et lib. de Prædesti. cap. 2.

Probatur 5° ex Amolone Lugdunensi archiepiscopo, cujus in præsenti causâ auctoritas maximi est momenti; nihil quippe ipsum latebat eorum quæ in Germaniâ, atque apud Carisiacum gesta fuerant; scripta quoque Gotescalci non perfunctoriè, sed accuratè perlegerat ac discusserat, ut ipsemet disertè testatur citatâ epistolâ; porrò sanctissimus ille antistes, cui res et sensus Gotescalci adeò erant noti, conceptis verbis affirmat ipsum immaniter de prædestinatione reproborum in malum sensisse: « Quarto loco, inquit, displicet nobis « valdè, quia tam durè et indisciplinatè et im- « maniter de divinâ prædestinatione sentis et « loqueris in damnatione reproborum, ut om- « nes illi..... ita sint divinitùs ad interitum « prædestinati, ut eorum prorsùs nullus ali- « quando potuerit, nullus possit esse salvus; « quod sentire et dicere, quid aliud est quàm « in Deum graviter, et horribiliter blasphema- « re; si illis ejus prædestinatio hanc necessita- « tem irrevocabiliter imposuit, ut omninò quod « ad salutem suam proficeret, operari non « possint. » Et paulò post: « Quinto loco non « minùs detestamur et horremus, quòd ita « exarsisti adversùs eos qui æterno interitu « sunt digni, ut dixeris eos tam irrevocabiliter « et incommutabiliter perditioni esse prædesti- « natos, sicut Deus ipse incommutabilis et « inconvertibilis est. » Alia quoque erroris Prædestinatiani capita Gotescalco ibidem exprobrat idem illustrissimus archipræsul, ac præsertim quòd asseruerit *sacratissima Ecclesiæ sacramenta, perfunctoriè et frustratoriè concedi omnibus, qui post perceptionem eorum pereunt.* Extat citata epistola tom. 14 Bibliothecæ Patrum edit. Lugd. et apud Sirmundum qui primùm eam edidit, tom. 2, pag. 1145.

Probatur 6° ex secundâ synodo Carisiacâ anno 853. Non satis habuit synodus illa errores Gotescalci proscribere, sed quatuor insuper edidit capitula totidem præcipuis Gotescalci erroribus directè opposita; primum spectat prædestinationem; alterum, libertatem; tertium, voluntatem Dei salvandi omnes homines; quartum, mortem Christi pro salute omnium.

Probatur 7° ex consensu catholicorum doctorum, qui ante Jansenium de Gotescalco mentionem habuerunt; ex iis nonnulli Gote-

scalci errores à Calvino excitatos queruntur; cæteri ipsum hæreticis annumerant. Ita præter auctores jam citatos, Sigebertus in Chronico ad annum 849; Annales Bertiniani ad eumdem annum; Flodoardus in Hist. Ecclesiæ Rhemensis lib. 3; Trithemius in Chronico Hirsaug.; Genebrardus in Chronologiâ, cum pluribus aliis antiquioribus annalium et chronicorum scriptoribus; quibus suffragantur Baronius ad annum 848; Severinus Binius in notis ad concil. Mogunt. II, sub Rabano; Alvarez de Origine Pelag. hæres. cap. 30; Serarius lib. hist. Mogunt. cap. 33; Coccius tom. 2, lib. 1, art. 5, Duvallius in notis ad lib. Eccles. Lugd. contra Scotum, cum pluribus aliis quos recenset Antonius Deschamps de hæres. Jansen. lib. 2, disp. 8, cap. 2, 3, etc. Ex heterodoxis idem sentiunt Magdeburgenses centuriâ 9, cap. 5, 9, 10; Gerardus Vossius in hist. Pelag. lib. 7, parte 4, etc.

Contra tam constantem et apertam omnium seculorum ac testium fidem, velle cum Usserio, Jansenio et Mauguino, Gotescalcum, non modò ab inustâ erroris et hæreseos notâ eximere, verùm etiam, ipsum tanquàm fidelissimum Augustinianæ doctrinæ interpretem, intrepidum gratiæ divinæ defensorem exhibere, quantæ sit temeritatis, nemo non videt.

Solvuntur objectiones. — Objicies 1° cum Mauguino: Synodus Moguntina, placitum regium potiùs fuit quàm vera synodus; infirma ergo et nullius roboris probatio ex concilio Mogunt. deducta. Respondeo cum card. Norisio et Natali Alex. locis antea citatis, levem esse hanc Mauguini exceptionem; simul quippe conventus ille placitum regium, et synodus fuit; etenim in hujusmodi conventibus, ut rectè ibidem observant prædicti auctores, juxta temporum illorum ac præcedentium morem, et de rebus religionis, et de negotiis reipublicæ decreta condebantur.

Objicies 2° cum eodem Mauguino: Scripta quæ vidit Amolo non fuêre genuina, sed ab Hincmaro conficta et ad Amolonem fraudulenter missa, ut eum faciliùs in suas partes contra Gotescalcum adduceret; nullius ergo roboris est probatio ex laudatâ Amolonis ad Gotescalcum epistolâ. Respondeo cum iisdem Noris. et Alex. præterquàm quòd Hincmaro tantum mendacium temerè affingitur; disertè testatur Amolo laudatâ epistolâ, se non ab uno, sed à multis, et diversis temporibus ad se perlata fuisse varia Gotescalci scripta, perversamque ipsius doctrinam sibi innotuisse dùm adhuc esset in partibus Germaniæ; hoc est, antequàm Gotescalcus à Rabano ad Hincmarum missus fuisset; incredibilis ergo est illa fraus quam Hincmaro Mauguinus exprobrat. Audiatur Lugdunensis antistes laudatâ epistolâ: « Cùm adhuc esses in partibus regni Germaniæ, audivimus... quòd novitates sereres, et stultas ac sine disciplinâ quæstiones ventilares. Deinde perlata est etiam ad nos studio ecclesiasticorum virorum quædam scriptura tua, in quâ apertissimè... quid sentires sive doceres multipliciter executus es. Nunc quoque accepimus et alia scripta tua non parva... in quibus de prædestinatione divinâ quid teneas diligenter explicare curâsti. Ita factum est ut ex utrâque scripturâ tuâ, sive quam per alios, sive quam te mittente accepimus, plenissimè nobis cognoscere videamur in quibus quæstionum periculis fluctuet, vel quod nimis dolendum est, naufragetur sensus tuus. » Hæc Amolo, quibus ista et aliæ Mauguini objectiones facilè solvi possunt.

Objicies 3°: Non potest meliùs ac tutiùs Gotescalci mens et doctrina dignosci, quàm ex fidei confessionibus ab ipso editis; atqui in illis confessionibus errores Prædestinatianorum nullatenus docet; neque enim affirmat Deum ita prædestinare ad pœnam, ut simul ad culpam prædestinet, sed è contra asserit prædestinationem ad pœnam ex præscientiâ, seu prævisione malorum meritorum; ergo, etc. Respondeo 1°, etsi concederetur, (quod falsum esse mox evincemus), catholicas esse fidei professiones quas urgente Hincmaro edidit Gotescalcus; exinde hoc unum colligi posset, nimirùm ipsum tandem resipuisse, non verò nusquàm fuisse Prædestinatianum; ac proinde nihil adversùs thesim. Respondeo 2° negando maj. Namque nemo nescit hoc semper familiare fuisse hæreticis, ut ambiguas fidei professiones emitterent, quibus errores suos dissimulare, et Catholicorum censuris seipsos subtrahere conarentur. Hoc inprimis ab Arianis, Nestorianis, aliisque recentioribus hæreticis factitatum legimus; hos imitatus Gotescalcus pari fraude usus est; quod ex nostris probationibus constat.

Itaque meliùs et tutiùs de sententiâ Gotescalci judicandum est ex illustrissimis antistibus Rabano, Hincmaro, Amolone, etc., qui eum disputantem audierant, et varia ejus scripta accuratè perlegerant, atque ex conciliis in quibus auditus, convictus et damnatus est; quàm ex ipsius captiosis, ambiguis et plerumque vi

extortis fidei confessionibus. Porrò præsules citati et concilia Moguntinum, Carisiacum primum et secundum testantur Gotescalcum Prædestinatianis erroribus fuisse infectum ; ipsius autem confessiones fidei ambiguæ erant et vi extortæ, prima à concilio Moguntino ; secunda et tertia emissæ dùm detineretur in carcere synodicâ concilii Carisiaci sententiâ ; ergo, etc. Respondeo 3° negando min. Nedùm et professionibus Gotescalci orthodoxa illius fides comprobari queat, quinimò contrarium planè evincitur. Dùm enim se tanquàm Prædestinatianæ hæreseos reum traduci videret ; profectò si tali errore contaminatus non fuisset, apertis ac minimè ambiguis verbis declarâsset, se ad pœnas *duntaxat,* non ad culpam admittere prædestinationem ; reprobos liberè omninò et absque ullâ necessitate peccare ; Deum velle et Christum mortuum esse pro aliorum quàm prædestinatorum salute ; hæc, inquam, et alia similia dixisset Gotescalcus, noverat enim se iis præsertim de causis in conciliis Moguntino et Carisiaco damnatum ; atqui tamen nihil usquàm ex iis asseruit, nequidem in breviori confessione in quâ errorem suum magis dissimulat ; ergo, etc.

Etverò eam prædestinationem propugnabat Gotescalcus, ex quâ sequitur Deum velle solos electos salvos fieri et Christum pro iis solis mortuum esse ; atqui talis prædestinatio antecedens est et necessitans ad pœnam et ad culpam. Namque si Deus nullatenùs reproborum salutem velit, nec pro iis Christus sit crucifixus ; divinæ gratiæ auxiliis ad salutem consequendam verè sufficientibus omninò carebunt, et ideò ad peccandum necessariò adigentur ; ergo, etc.

Ex iis patet captiosam fuisse et subdolam utramque fidei professionem quam edidit Gotescalcus ; neque ex iis solis, ut vult Mauguinus, de ejus doctrinâ judicandum esse.

Objicies 4° : Ille non fuit prædestinatianæ impietatis reus, cujus patrocinium susceperunt scriptores non pauci, pietatis et scientiæ laude conspicui ; atqui talis fuit Gotescalcus ; ergo, etc. Resp. dist. maj. : Si illius patrocinium ita susceperunt, ut ejus doctrinam in rei veritate propugnaverint, concedo ; si errore facti duntaxat, et ex solâ commiseratione, nego. Porrò qui pro Gotescalco scripsêre, ii non in rei veritate ejus sententiam propugnârunt, sed dolosis illius confessionibus delusi, putârunt eum ad pœnam duntaxat ex prævisione demeritorum prædestinationem admittere ; hancque ejus opinionis partem vindicandam sibi proposuerunt. Undè mera fuit de nomine quæstio inter scriptores catholicos illius ævi. Verùm de illis auctoribus mox dicemus.

ARTICULUS III.

An errores suos tandem revocaverit Gotescalcus?

Respondeo Gotescalcum in erroribus pertinacem obiisse. Ita testatur Hincmarus lib. de non trinâ Deitate, his verbis : « Et cùm jam « finis ejus appropinquaret, fratribus qui ade« rant ut à pravo suo sensu et perversâ sen« tentiâ se revocaret, et communionem sacram « perciperet suadentibus, respondit, à suo se « sensu et sententiâ revocare, et communio« nem per auctoritatem non posse accipere, « sicque indignam vitam dignâ morte finivit, « et abiit in locum suum. »

CAPUT II.

De scriptoribus noni seculi in causâ Gotescalci.

Hi præcipui fuêre nono seculo scriptores in causâ Gotescalci. 1° Rabanus archiepiscopus Moguntinus.... 2° Hincmarus archiepiscopus Rhemensis..... 3° Amolo itidem Lugdunensis archiepiscopus ..... 4° Pardulus Laudunensis episcopus, cui Carolus provinciam dedit expendendi simul cum Hincmaro libros Lupi et Ratramni....5° Amalarius Diaconus Trevirensis, cui eadem Lupi et Retramni scripta refellendi curam imposuit Hincmarus..... 6° Scotus Erigena socius Amalarii in confutandis iisdem libris.... 7° Prudentius Trecensis episcopus..... 8° Lupus Ferrariensis, qui et Servatus nuncupatur... 9° Ratramnus Corbeiensis monachus... 10° Florus Ecclesiæ Lugdunensis diaconus..... 11° Remigius ejusdem Ecclesiæ post Amolonem successor..... 12° Haymo Halberstatensis.

Certum est sex priores auctores mox recensitos personam et doctrinam Gotescalci directè impugnâsse. Id constat, tum ex adversarioum consensu ; tum ex ipsâ inspectione scriptorum quæ ab ipsis eâ de causâ exarata sunt ; tum denique quia prædictorum auctorum eadem est doctrina ac synodorum Carisiacarum; porrò in synodis Carisiacis impugnata sunt dogmata Gotescalci, ipsiusque persona ; ergo, etc.

Itaque de aliis tantùm sex auctoribus quæstio hìc movetur, et quæritur an faverint 1° personæ Gotescalci ; 2° an ipsius etiam doctrinæ.

CONCLUSIO PRIMA.— Sex posteriores auctores errore facti nonnihil patrocinati sunt personæ Gotescalci.

Probatur. De Prudentio, Ratramno, et Lu-

po, res est extra dubium, ut constat ex eorum scriptis. Quod autem spectat Florum et Remigium, idem constat, si, ut vulgaris fert opinio, auctores sint librorum contra Scotum Erigenam, de tribus epistolis, et de tenendâ veritate, de quo quæremus cap. sequenti; his enim in libris errore facti vindicatur persona Gotescalci. De Haymone Halberstatensi idem colligitur ex Annalibus Bertinianis, et ex Mabillonio tom. 1 Analectorum.

Conclusio secunda.— Prædicti sex auctores erroribus Gotescalci nequaquàm favent.

Probatur 1° quia fatentibus adversariis, non alia est horumce auctorum sententia, quàm Ecclesiæ Lugdunensis et synodi valentinæ; atqui ex dicendis sequentibus capitibus 3 et 4, constabit nec Ecclesiam Lugdunensem, nec Valentinam Synodum favisse erroribus Gotescalci, sed ipsius duntaxat personæ; ergo, etc.

Probatur 2° ex disertis Rabani epist. ad Hincmarum, Hincmari lib. de Prædest. c. 15; Amolonis epist. ad Gotescalcum, aliorumque Gotescalci adversariorum testimoniis. Hi clarè tradunt Gotescalci patronos in eo palmari dogmate ab ipso dissensisse, quòd negarent Deum esse auctorem peccati, vel compellere seu necessitare aliquem ad peccandum. Id de Prudentio expressè testatur Rabanus epist. mox laudatâ ad Hincmarum, his verbis: «*Prudentius* «*Tricassinæ civitatis episcopus ad vos et ad* «*Pardulum scribens, aliquando sensui nostro* «*concordat, ubi dicit peccati auctorem Deum non* «*esse, nec aliquem ad peccandum compellere.*» Audis vel ipsum Prudentium inter Gotescalci fautores ardentiorem, ab ipso discrepâsse circa illud perversum prædestinationis dogma, omnium aliorum ejus errorum fons est et origo?

Probatur 3° perspicuis prædictorum auctorum testimoniis, quæ ex ordine paucis hic referemus. Primus occurrit Prudentius Trecensis episcopus. Is de quæstionibus à Gotescalco motis varia edidit opuscula; in iis nonnullas equidem loquendi rationes Gotescalci usurpat; ast doctrina ipsius, Prædestinatianis erroribus directè adversatur; quod variis momentis evincitur. 1° Epistolâ ad Hincmarum et Pardulum, circa annum 849 exaratâ, duplicem distinguit prædestinationem, unam electorum ad gloriam, alteram reproborum ad ignem; hancque nonnisi post prævisa demerita fieri decernit: «Impios prædestinavit, inquit cap. «3, non ut peccarent, sed ut propter peccatum «pœnis perpetuis interirent; prædestinavit... «non ad culpam, sed ad pœnam; non ut ma«lum quoddam vellent, sed ut propter ma«lum, quod volentes facerent, eos pœna sem«piternâ justè damnaret.» 2° Ibidem docet, aliis quàm prædestinatis gratias ad salutem, saltem mediatè sufficientes conferri; proindeque Deum velle conditionatè eos salvos fieri.... 3° Rursùs ibidem tradit, Christum pro omnibus fidelibus mortuum esse, ipsisque fructum mortis ejus per baptismum et cætera Sacramenta applicari; porrò tria hæc toto cœlo distant à dogmate prædestinatiano. 4° Idem Prudentius anno 851 contra Scotum Erigenam librum conscripsit *de Prædestinatione*: in eo, capitibus 4, 5 et 11, errores Gotescalci execratur, quamvis, errore facti, nullam esse, nec usquàm fuisse hujusmodi hæresim contendat... 5° Adfuit anno 853 secundæ synodo Carisiacæ, ipsiusque capitulis subscripsit, teste Hincmaro lib. de Prædest. cap. 21 et 26. Ex his patet, nedùm Gotescalci erroribus faverit Prudentius, imò potiùs ipsis adversatum fuisse.

Quæ autem de morte Christi pro solis fidelibus, et de voluntate Dei pro solis electis tradit Prudentius in appellatis opusculis, haud ægrè intelligi possunt; ut observat Nat. Alex. in Hist. Eccles. noni seculi cap. 3, art. 16, de voluntate absolutâ et consequenti, et de efficaci morte Christi. Scilicet, nonnulli auctores noni seculi, ut evincemus capite sequenti, ubi de sententiâ Ecclesiæ Lugdunensis, nomine voluntatis divinæ simpliciter et sine addito, solam intelligebant voluntatem absolutam et consequentem; in idæâ autem mortis et redemptionis Christi, iidem includebant efficacem applicationem fructûs et meritorum ejusdem mortis; quæ quidem applicatio primùm fiebat per ipsum fidei donum. His duobus semel statutis, non mirum, si eorum plerique, etsi aliundè ab erroribus Gotescalci alieni, asseruerint Deum velle solos electos salvos fieri; et Christum pro solis fidelibus mortuum esse.

Eodem anno 853, paulò post subscripta capitula Carisiaca, congregatis episcopis ad electionem Æneæ Parisiensis episcopi, tractoriam misit Prudentius ad Venilonem archiepiscopum Senonensem, et coepiscopos, in quâ ex infirmitate se excusans de absentiâ, quatuor proponit capitula ab episcopo eligendo subscribenda, si velit suam ab ipso confirmatam et approbatam electionem videre. Primum est de necessitate gratiæ ad singulos actus bonos. Secundum, de geminâ prædestinatione. Tertium, de morte Christi pro omnibus fidelibus tan-

tùm. Quartum, de voluntate Dei circa salutem electorum duntaxat. Hinc inferunt nonnulli, Prudentium tandem patrocinatum fuisse Gotescalci erroribus, atque Carisiaca capitula oppugnâsse quibus paulò ante subscripserat. Verùm falsa est illatio.

Duplex siquidem extat sententia circa doctrinam in his quatuor capitulis expressam. Prima est Natalis Alex. Hist. Eccl. noni seculi disput. 5. parag. 9; Antonii Deschamps de hæres. Pelag. lib. 2, disput. 7, cap. 3; Du Vallii et aliorum qui censent capitula Prudentii Carisiacis synodis, non re, sed verbo tantùm adversari. Ac de primo quidem capitulo, quod est de gratiâ et lib. arb. res est per se certa: quod enim hìc decernit Prudentius, iisdem penè verbis sanciverat Carisiaca synodus, ut constat ex collatione utriusque textûs. Secundi capituli, quod est de geminâ prædestinatione, duplex est pars; in primâ parte omninò consentit cum Carisiacâ synodo; in postremâ, dissonantia est de verbo, non de re; neque enim Carisiaca synodus doctrinam Gotescalci impugnans, negat propriè prædestinationem ad pœnam, sed duntaxat prædestinationem ad culpam. Tertium intelligendum esse de voluntate absolutâ, fateri debent adversarii, aut ipsis solvendum est; verba enim capituli generalia sunt, et perindè ad Angelos atque ad homines pertinent; adeòque si præfractè ut sonant accipiantur, Jansenium petunt, qui asserit, Deum voluisse reproborum Angelorum salutem, quam tamen non sunt adepti. Quartum de efficaciâ redemptionis Christi intelligendum est, sensu antea exposito; aliunde verò directè adversatur dogmati Prædestinatiano, juxta quod Christus, non pro omnibus fidelibus mortuus est, sed pro solis electis.

Altera sententia eorum est qui volunt Prudentium in his capitulis errâsse. 1° quia si sententiam non mutâsset, ut quid nova proponeret capitula, qui Carisiacis subscripserat? 2° Annales Bertiniani ad annum 861, ubi de Prudentio hæc habent: « Prudentius..... ap-« primè litteris eruditus, qui ante aliquot « annos Gotescalco Prædestinatiano restite-« rat, post felle commotus contra quosdam « episcopos secum hæretico resistentes, ipsius « hæresis defensor acerrimus; indeque non « modica inter se diversa et fidei adversa scrip-« titans moritur » 3° Ipsum erroris nomine fuisse suspectum indicat vetustissimus codex libri quem adversùs Scotum elucubravit; nam in aversâ tituli paginâ monitum istud legitur: « Compositor hujus libri Prudentius, de qui-« busdam catholicis dogmatibus non sentit ca-« tholicè, sicut alia ejus scripta demonstrant. »

Nec obstat, inquiunt hujusce sententiæ defensores, quòd Prudentius inter sanctos numeretur, cujus festum Trecis celebratur, ejusque virtus ac sanctitas commendantur in Martyrologio Gallic. 6. Aprilis; siquidem exinde colligi non potest eum in nullo errâsse; namque Faustus aliique non Pauci, quorum non minùs certa est sanctitas, in varios errores impegerunt. Itaque error, si nondùm sit ab Ecclesiâ proscriptus, ac desit pertinacia, cum sanctitate conciliari potest.

Nunc verò, si quæratur, quæ præ alterâ tenenda sit sententia, prior nobis videtur probabilior: cæterùm quidquid sit, nemo est, ut annotat loco mox citato Antonius Descamps, « qui Prudentium Carisiacensibus capitulis in « conventu episcoporum subscribentem, Pru-« dentio privatâ auctoritate epistolam scribenti « jure ac meritò præferendum esse non judi-« cet. » Et verò, quid ex illis capitulis erui potest? nisi ad summum, Prudentium variâsse, contra semetipsum militare, ac proinde illius auctoritatem, quam adeò extollunt adversarii, non esse tanti faciendam.

Secundus auctor, qui, si novatoribus fides, favit Prædestinatianis erroribus, est Lupus Abbas Ferrariensis, qui et Servatus nuncupatur; ille, jubente Carolo Calvo, de quæstionibus à Gotescalco motis scripsit anno 850. Catholicè sentit cum Hincmaro; id constat ex libro de tribus quæstionibus quem Carolo nuncupavit. In eo 1° hominem cum gratiâ ad opera pietatis liberum esse confitetur. 2° Negat prædestinationem ad culpam, 3° De voluntate salvandi homines, eodem modo loquitur ac Prudentius, eâdem proindè ratione exponendus; scilicet, de voluntate simpliciter et sine addito, id est, absolutâ et consequenti. 4° Quod spectat mortem Christi, significat quidem se magis propendere in eam opinionem quæ negat Christum mortuum esse pro omnibus; verùm de efficaciâ illius mortis intelligendus est, juxta plurium hujus ævi auctorum mentem. Cæterùm docet ibidem Lupus, Christum pro omnibus fidelibus, etiam reprobis, mortuum esse; quod dogmati Prædestinatiano capitaliter repugnat. Atque hinc ipsemet Gotescalcus epist. ad Ratramnum candidè agnoscit, suarum omninò partium non esse Lupum.

Tertius, eodem penè tempore Ratramnus Corbeiensis monachus duos de prædestina-

tione libros ejusdem Caroli jussu scripsit. In iis silet de voluntate Dei et morte Christi; circa verò liberum arbitrium, gratiæ necessitatem, et duplicem prædestinationem idem tenet ac Lupus; prædestinationem quippe impiorum ad pœnas fusè demonstrat; sed simul inculcat, nullam dari prædestinationem ad peccata.

Quartus, Florus Ecclesiæ Lugdunensis diaconus. Scilicet suadentibus Hincmaro Rhemensi, et Pardulo Laudunensi, anno 851 scripsêre Amalarius et Joannes Scotus Erigena; varias Scoti propositiones edito libro confutavit, ut vulgaris fert opinio, Florus ejusdem Ecclesiæ Lugdunensis nomine. Eo in libro Prædestinatianam hæresim execratur, etsi errore facti incertum habeat, an à Gotescalco hæresis illa asserta fuerit: « Si ita hoc dicit « Gotescalcus, inquit cap. 4, quasi prædestina« tio vim et necessitatem imponat ad malum... « hoc omninò alienum est à fide catholicâ. » Eosdem Prædestinatianorum errores ampliùs execratur Florus in sermone quem operi suo de Prædestinatione præmittit Hincmarus.

Quintus, est auctor libri de tribus epistolis; qui vulgò creditur Remigius. Scilicet anno 852, ad Amolonem scripsêre Hincmarus et Pardulus Laudunensis, et epistolam Rabani ad Nottingum suis adjunxêre. Tribus illis epistolis in Conventu Ecclesiæ Lugdunensis expositis, Remigius, Amolonis in sede Lugdunensi successor, ejusdem Ecclesiæ nomine respondit, edito libro de tribus Epistolis. Quantùm iste auctor abhorreat ab erroribus Prædestinatianis, ostendemus capite sequenti.

Unus superest Haymo Halberstatensis, quem Gotescalci erroribus non adhæsisse inde certò colligitur, quòd concilio Moguntino contra Gotescalcum interfuerit, ipsique subscripserit. Nihil est in ejus scriptis quod vel minimùm dogmata Prædestinatiana redoleat; de quo consuli potest Mabillon. tom. 1 Analect. et tom. 3 Annal. Benedict.

CAPUT III.

De Ecclesiâ Lugdunensi.

Duo circumferuntur libri sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis; utrùm genuinum sint illius opus, expendemus ad calcem capitis; interim exponendo illorum doctrinam, eos ipsi tribuemus. Certum est 1°, Ecclesiam Lugdunensem favisse personæ Gotescalci. Namque in libro de tribus Epistolis cap. 21, errores Gotescalco adjudicat, atque asserit se nec legisse, nec audivisse, an usquàm extiterit hæresis Prædestinatiana: « Hoc genus erroris, *inquit*, nec apud « hæreticos, nec apud quemquam Catholico« rum nos cognovisse, vel audivisse memini« mus. » Idem docet in libro de tenendâ veritate. Certum est 2°, eamdem Ecclesiam non impugnâsse capitula Carisiaca in citato libro de tribus Epistolis; siquidem concilium Carisiacum in quo quatuor capitula condita fuerunt, nonnisi versùs finem anni 853 celebratum fuit; liber autem de tribus Epistolis anno 852 editus est. Certum est 3°, auctorem libri de tenendâ veritate, prædicta capitula vellicare et perstringere; verùm rem propriùs inspicienti planum erit, illum in solo loquendo modi ab iis recedere, ut constabit ex mox dicendis.

Tota ergo quæstio movetur de doctrinâ horumce librorum, an scilicet adversetur prædictis capitulis, et faveat erroribus Prædestinatianorum.

Conclusio. — Ecclesia Lugdunensis nec reipsà adversatur capitulis Carisiacis, nec Gotescalci, aliorumque Prædestinatianorum erroribus adhæsit.

Probatur analysi utriusque libri *de tribus Epistolis*, et *de tenendâ veritate.*

Analysis libri *de tribus Epistolis.* — Liber ille in tres partes distribuitur. Prima 38 capitibus extenditur, et respondet Epistolæ Hincmari. Secunda duobus capitibus epistolam Parduli expendit. Tertia, octo sequentibus capitibus Rabani epistolam discutit. Porrò in duabus posterioribus partibus nihil novi pertractatur; satis ergo erit hîc seriem primæ exponere.

1° Decem primis capitibus, quæstionem de præscientiâ et prædestinatione divinâ explicandam sibi sumit; quod ut faciliùs exequatur, septem statuit regulas. Regulâ quartâ, de malis operibus ita decernit: « Mala « opera creaturæ, quia ipsius tantummodò « sunt, et ex ejus vitio, non ex Dei voluntate « vel operatione procedunt, præscita à Deo « dici POSSUNT, prædestinata non possunt. » Regulâ quintâ subdit: « Deum prædestinatione « suâ nulli necessitatem imponere. » Et regulâ septimâ statuitur, « neque de electis ullum perire.... neque de reprobis aliquem « salvari; non quia non possunt homines de « malo ad bonum commutari, et de malis et « pravis, boni ac recti fieri; sed quia in melius mutari noluerunt, et in pessimis operibus usque in finem perseverare voluerunt; » quæ profectò priori capitulo Carisiaco omninò

consona sunt; atque geminam Gotescalci prædestinationem directè petunt.

2° Quæstionem alteram de divinâ salutis hominum voluntate, tribus sequentibus capitibus expendit Ecclesia Lugdunensis. Cap. 11, celebrem Apostoli locum : *Qui vult omnes homines salvos fieri;* quatuor modis in Scriptis SS. Patrum explanatum asserit; atque tres priores expositiones eodem in capite refert. Prima est, ut vox ista, *omnes*, per distributionem accommodam negativam intelligatur hoc sensu, quòd nullus salvetur nisi per divinam voluntatem. Secunda est, ut vox, *omnes*, per distributionem accommodam affirmantem intelligatur de generibus singulorum, non de singulis generum. Tertia expositio est, quòd sanctos suos per Spiritum suum velle faciat Deus ut omnes salventur; sicut de Spiritu sancto dicitur : *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id est, postulare facit. Tres illæ expositiones à S. Aug. adversùs Pelagianos sæpiùs usurpatæ, de voluntate efficaci intelligendæ sunt, et ad solos electos restringendæ. Cap. 12, quartam addit interpretationem de voluntate universali erga omnium omninò hominum salutem, his verbis : « Quarto « modo ita à sanctis Patribus intellectum in« venitur quod dictum est, QUI VULT OMNES « HOMINES SALVOS FIERI, ut simpliciter accipia« tur hoc de omnibus hominibus, quantùm in « ipso est Deum velle, eo quòd omnes salvare « velit BONITATE CREATORIS. » Et paulò post : « Ita fit : etiamsi secundùm pium quorumdam « Patrum piorum sensum, Deus vult omnes « homines salvos fieri BONITATE CREATORIS, quâ « creaturam suam benè à se conditam perire « non vult; idipsum iterùm nolit JUDICIS ÆQUI« TATE, quâ eamdem creaturam suam vel ori« ginali, vel etiam actuali peccato nequiter « inquinatam et vitiatam, impunitam esse non « sinit. » Quam hìc bonitatem Creatoris appellat Ecclesia Lugdunensis, theologi ex sancto Joanne Damasceno antecedentem et conditionatam vocant.

Cap. 13, quatuor illis expositionibus recensitis, de tribus prioribus asserit illas certas esse ac indubitatas; circa quartam verò, observat 1°, eam non posse accipi sensu Pelagiano, quasi nempe Deus expectet voluntates hominum; *ita ut et ipsi propriâ arbitrii libertate salvi esse velint.* Observat 2°, non posse etiam accipi sensu derogante divinæ omnipotentiæ; hoc est, ut ait ibidem, *quasi hanc voluntatem bonitatis suæ erga salutem hominum, obsistente humanâ iniquitate implere non possit.* Observat 3°, duobus his erroribus sepositis, præfatam expositionem fideliter posse recipi, eam ultrò se amplecti, atque à SS. Patribus fuisse probatam.

En integer textus : « In tribus itaque prio« ribus modis intelligentiæ eorum verborum : « *Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agni« tionem veritatis venire;* nulla absurditas, « nulla repugnantia fidei invenitur, in quarto « autem modo illud sine dubio cavendum, quia « et occasionem Pelagianæ pravitati præbet; « quòd Deum, ut salvet homines, humanas « expectare asserit voluntates (sese propriis « viribus disponentes). Contra quem errorem « ita in antiquis conciliis definitum legitur... « Præparatur voluntas à Domino... Quod au« tem ibi simpliciter intelligitur Deum omnes « homines velle salvos fieri, bonitate scilicet « Creatoris (ita ut putamus) fideliter potest « recipi, si hanc voluntatem bonitatis suæ « erga salutem hominum non credatur, hu« manâ obsistente voluntate implere non posse, « sed obsistente humanâ iniquitate implere « nolle. » Demùm hancce quæstionem concludit, concordiæ viam aperiendo versùs finem ejusdem cap. 13, his verbis : « Quæ om« nia cùm tam obscura sint et tam profunda « atque perplexa, nollemus inter fratres et « charissimos nostros aliquid de his conten« tiosè ventilari, vel temerè definiri; sed po« tiùs quod in eis certum est, sine dubitatione « defendi; quod autem etiam inter magnos di« verso modo, sed non diversâ pietate sen« tientes ambiguum atque incertum remansit, « etiam apud nos et reverenter honorari, quia « neutrum eorum videtur esse falsum, vel fi« dei contrarium. » Totum istud resumit ac paucis complectitur cap. 24 ejusdem libri, dicens utramque expositionem, seu de voluntate efficaci ad aliquos duntaxat homines pertinente, sive de voluntate universali, (antecendenti et conditionatâ) honorandam esse et à veritate non abhorrere : « Utrorumque, *inquit*, senten« tia fuerat honoranda, nec, ut jam superiùs « dictum est, una pro alterâ damnanda; quia « et illa ex divinâ auctoritate vera esse mon« stratur, et ista quâdam piâ ratione non ab« horrere à veritate fideliter creditur. »

Ex his patet, in mente Ecclesiæ Lugdunensis sententiam quâ asseritur Deum velle omnes homines salvos fieri *bonitate Creatoris*, id est, voluntate antecedenti et conditionatâ, 1° *fideliter recipi posse;* 2° *piam esse, veram et hono-*

randam sententiam; 3° *à SS. Patribus fuisse probatam.* Quæ tria directà fronte adversantur Gotescalco, aliisque recentioribus ejus patronis.

3° Quod attinet ad mortem Christi pro omnibus, eam controversiam attingit auctor à cap. 14 ad 20 inclusivè.

Cap. 14 et 15, quatuor hominum ordines distinguit. Primus est electorum. Secundus fidelium, sed qui gratiam fidei postea amissuri sunt et in malis perseveraturi. Tertius Infidelium, sed qui deinceps per gratiam Dei vocandi sunt quorum alii perseveraturi sunt, alii non perseveraturi in gratiâ Christi. Quartus denique eorum est qui sive ante, sive post Christi mortem in infidelitate positi, nec habuerunt, nec usquàm habituri sunt fidei donum.

Cap. 16, pro tribus prioribus ordinibus Christum venisse ut eos salvaret ac redimeret, tanquàm certissimum fidei dogma proponit: « pro illi tribus ordinibus, inquit, Dominum « Jesum Christum et venisse ut eos salvaret, « et crucifixum esse ut eos redimeret.... fide« liter credendum tenemus : et hoc non solùm « ex divinis scripturis, sed etiam ex SS. Pa« trum fide et doctrinâ evidenter cognosci« mus. »

Cap. 17, et potissimùm 18, pro quarti ordinis hominibus Christum nullatenùs passum esse, expressè asserit : « Unum est quod et nos « fidelissimè credimus, et verissimè novimus, « quia pro illâ innumerabili et infinitâ multi« tudine impiorum, qui ab exordio mundi us« que ad passionem Domini in suâ impietate « sunt mortui, et apud inferos æternâ perdi« tione damnati, nusquàm Dominus passus, « nusquàm mortuus est, nec ad illos salvan« dos ullatenùs venit, nec pro iis pretiosum « sanguinem fudit. » Idem clarè tradit de impiis et infidelibus post passionem Christi usque ad mundi terminum in suâ infidelitate mortuis aut morituris. Verùm quòd hîc sermo sit de applicatione meritorum Christi, non autem de sufficientiâ voluntatis, patebit ex objectionum solutione. Idem etiam declarat series analysis ejusdem libri.

Cap. etenim 19, adducit et adoptat famosum S. Leonis textum, in quo de proditore Judâ, hæc habet : « Ad hanc indulgentiam traditor « Judas pervenire non potuit; quoniam per« ditionis filius, priùs in desperationem tran« siit, quàm sacramentum generalis redemptio« nis impleret. Nam mortuo pro omnibus impiis « Domino, potuisset fortè etiam hic consequi « remedium, si non festinâsset ad laqueum. » Existimat ergo Ecclesia Lugdunensis Christum pro omnibus impiis mortuum fuisse.

Denique, quod decretorium est, cap. 20, expressè asserit, sibi multùm placere sententiam quæ docet Christum pro omnibus etiam impiis et infidelibus in suâ impietate permansuris, mortuum esse; eamque auctoritate patrum esse firmatam : « Si autem placet, inquit, sicut « et nobis multùm placet, ut etiam istorum « sententia ex pietate veniens, propter pacem « et venerabilem pietatem beatissimorum Pa« trum non renuatur; nullâ ergo contentione « pro aliis adversùs alios litigetur; non una « sententia pro alterâ damnetur. » Idem clarissimè declarat cap. 24 et 28.

Ex his sic arguo : Ille non favit Gotescalco, qui fundatissimum esse fidei dogma contendit, Christum pro omnibus fidelibus mortuum esse; Gotescalcus enim cum cæteris Prædestinatianis mortem Christi ad solos electos restringebat; atqui Ecclesia Lugdunensis ita docet cap. 16; ergo, etc. Præterea ille non favit Gotescalco, qui asserit Christum mortuum esse pro omnibus etiam impiis et infidelibus in suâ impietate permansuris; atqui ita Ecclesia Lugdunensis cap. 19 et 20 ; ergo, etc. Deinde ille non favit Gotescalco, qui utramque hanc sententiam, videlicet, Christum mortuum esse pro omnibus sufficienter, et pro solis electis efficaciter, asserit esse piam, veram, honorandam, à SS. Patribus probatam, neque unam pro alterâ esse damnandam; atque ita Eccl. Lugd., cap. 24 et 28 ; ergo, etc.

Quartam tandem quæstionem de lib. arbit. à cap. 21 ad 38 usque tractat. auctor. Doctrinam Gotescalci eâ de re improbat ac rejicit, tametsi eam huic monacho adjudicet. *Quod verò*, inquit, *dixisse firmatur, ad malum tantummodò agendum liberum nos habere arbitrium, ad benè verò agendum non habere, si verè ita sensit et dixit, hoc verè non est ex divinâ auctoritate sumptum... sed* « apertè ex proprio errore pro« latum. »

Concludit auctor librum, improbando prætensam crudelitatem quâ sævierant episcopi adversùs Gotescalcum, quem tamen justè damnatum agnoscit propter pertinacem loquacitatem. Generatim auctor insurgit adversùs Hincmarum, salvâ tamen semper fide catholicâ; eum refellit potiùs in modo loquendi quàm in doctrinâ; improbat in factis, sed doctrina auctoris ultrà metas fidei catholicæ non progreditur.

Analysis libri *de tenendâ veritate.* — Liber sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis, *de tenendâ veritate,* quindecim omninò capitibus absolvitur. Eo in libro quatuor Carisiacæ synodi capitula discutiuntur, multaque in eis tanquàm reprehensione digna impugnantur; verùm propiùs inspicienti manifestum est controversiam hanc modum loquendi potiùs spectare quàm doctrinam.

1° Decem primis capitibus perstringitur primum capitulum Carisiacum quod est de prædestinatione. In eo postquàm levia quædam reprehendit auctor quæ ad rem præsentem non pertinent, quæque si paulò attentiùs excutiantur, nihil nisi sanum exprimunt; tandem cap. 5 expendit quæ spectant prædestinationem reproborum ad pœnas, arguitque capitulum quòd asserat Deum præscisse perituros, non autem eos ut perirent prædestinâsse. Ast tota erat de nomine disceptatio; quippe Patres Carisiacenses negabant duntaxat Deum reprobos *prædestinâsse ut perirent,* quasi prædestinatio esset causa perditionis et necessitatem peccandi ac damnationis inveheret, sicut contendebat Gotescalcus; quem sensum ut excluderet Hincmarus, dicere maluit reprobis prædestinatas esse pœnas, quàm illos prædestinatos esse pœnis; è contra verò Lugdunensis Ecclesia statuit reprobos prædestinatos esse perditioni, sed simul excludit perversum Gotescalci sensum qui Patribus Carisiacensibus meritò displicebat.

Id ita esse manifestissimè patet ex citato cap. 5 ejusdem libri, ubi de prædestinatione loquens, hæc habet : « Non est violenta, quia « nullum compellit ut malus sit, et aliud esse « non possit; non est injusta, quia illos tan- « tummodò, qui suo vitio in malis persevera- « verint, punit; non est præjudiciaria, quia « non præjudicat aliquem, ut quasi ejus sen- « tentiâ, et non suo merito pereat. Quid in eâ « reprehenditur, vel quasi blasphemum puta- « tur, in quâ sola æquitas, sola justitia inveni- « tur? » Et quibusdam interjectis, sic concludit : « Qui fideliter confitetur, et præscientiam, « et prædestinationem æternam esse apud « Deum; nec tamen per hæc aliquem ad ma- « lum cogi, sed tantummodò qualis quisque « futurus sit præsciri, et prout gesserit, judi- « cari, iste prorsùs catholicè sentit. »

2° Alterum Carisiacum capitulum carpit et vellicat Ecclesia Lugdunensis capitibus 11 et 12. In eo arguit hanc propositionem : *Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus*; et contra ostendit in nobis remanere liberum arbitrium, licet infirmum, et sine Christo ad opera pietatis invalidum. Porrò alius non est sensus prædicti capituli Carisiaci; manifestè enim loquitur de libero arbitrio ad bonum supernaturale, quod sine gratiâ Christi nullum esse, S. Augustinus ubique docet, et Ecclesia contra Pelagianos definivit.

3° Ad finem ejusdem capitis 12, paucis excutit controversiam circa voluntatem salvandi omnes homines, cujus fusiorem explicationem allatam fuisse annotat superiori libro *de tribus Epistolis* ad quem hìc remittit. Doctrinam tertii capituli non reprobat, imò catholicam agnoscit; sed id unum displicere significat, quòd eo in capitulo generalis voluntas salutis omnium proponatur tanquàm unica interpretatio orthodoxa verborum Apostoli : *Qui vult omnes homines salvos fieri;* quasi excludenda esset expositio plurimorum SS. Patrum de voluntate efficaci ad aliquos duntaxat homines sese extendente. Itaque utramque textûs Apostolici expositionem, tum de voluntate generali, tum de voluntate speciali et efficaci ad aliquos duntaxat sese extendente, simul admittendam esse contendit, nec alteram pro aliâ damnandam, quod sanè verissimum est, et doctrinæ capituli Carisiaci omninò consonum, erroribus autem Gotescalci penitùs adversum. « Sit ergo, in- « quit, inter nos etiam de hâc re istiusmodi « pia cautela ac moderatio, quatenùs et SS. « Patribus debitus servetur honos, et quolibet « quisque acquiescat modo ex illis sensibus, « qui de hâc sententiâ ab illis positi sunt, non « judicemus esse hæreticum. »

4° Tribus ultimis capitibus ultimum excutit capitulum Carisiacum, in eoque reprehendit hanc propositionem : *Quòd nullus hominum fuit, est, vel erit, pro quo Christus passus non fuerit.* Porrò verum et à Patribus Carisiacis intentum prædictæ propositionis sensum non impugnat Ecclesia Lugdunensis, sed alienum prorsùs et erroneum, de redemptione scilicet efficaci respectu hominum damnatorum; quem absurdum sensum errore facti Patribus Carisiacensibus affingit, uti mox dicemus in solutione objectionum.

Solvuntur objectiones. Objicies 1° : Ecclesia Lugdunensis in utroque libro *de Tribus Epistolis, et de tenendâ veritate,* tres supra adductas ex S. Aug. expositiones, quæ textum Apostoli : *Qui vult omnes homines salvos fieri*, ad solos electos restringunt, tanquàm certas et indubitatas admittit; quartam verò quæ divinam vo-

luntatem ad omnium salutem extendit, omninò improbat. Prædicta autem Apost. verba ad solos electos accommodat, juxta illud Scripturæ, quod sæpiùs inculcat : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit;* unde ita ferè semper argumentatur : *Quid ergo restat nisi ut ille, qui omnia quæcumque voluit fecit, ideò hoc non faciat, quia nolit.* Et rursùs : *Sicut verè omnia quæ voluit fecit, ita verè noluit, quæ non fecit.* Ecclesia ergo Lugdunensis adversatur capitulis Carisiacis, atque doctrinæ Gotescalci favit.

Respondeo 1°, istud argumentum adversariis esse solvendum. Namque Ecclesia Lugdunensis, (quod apprimè observandum) nullo pacto sententiam suam restringit ad solos homines hujus statûs, sed indefinitè loquitur tam de Angelis et homine innocente, quàm de homine lapso; generale quippe est et peræquè ad Angelos, atque ad homines pertinet istud momentum : *Omnia quæcumque voluit fecit;* atqui tamen concedunt adversarii, idemque clarè confitetur Jansenius lib. 10 de Gratiâ Christi cap. 1, agnoscendam esse respectu Angelorum et hominis innocentis, voluntatem universalem conditionatam et antecedentem; ergo solvenda manet adversariis præsens objectio.

Respondeo 2° : Dist. anteced. : Improbat voluntatem generalem pravo sensu intellectam, concedo, genuino et catholico sensu acceptam, nego. 1° Excludit Ecclesia Lugdunensis generalem sensu Pelagiano aut Semipelagiano voluntatem salvandi omnes homines; si nempe ipsi velint propriis liberi arbitrii viribus, sine ullâ gratiæ voluntatis necessitate. « In quarto « autem modo, inquit, illud sine dubio caven- « dum, quia et occasionem Pelagianæ pravitati « præbet, quòd Deum, ut salves homines, hu- « manas expectare asserit voluntates. » 2° Excludit voluntatem generalem quæ omnipotentiæ divinæ derogaret : « Quasi nempè credatur « salutem hominum humanâ obsistente iniqui- « tate implere non posse; non autem obsistente « humanâ iniquitate implere nolle; » quem errorem Pelagianis exprobrat S. August. lib. 4 contra Julianum cap. 8. 3° Rejicit etiam voluntatem generalem, quâ Deus diceretur velle omnes salvos fieri indiscretè, indifferenter et æqualiter; ita ut nulla major sit Dei erga electos quàm reprobos prædilectio, et omnes æqualibus afficiat gratiæ beneficiis; quod in Semipelagianis plerumque carpit S. Augustinus. 4° Improbat sententiam quæ ita extendit textum Apostoli ad omnes universim homines, ut aliæ excludantur interpretationes, juxta quas ad solos electos prædictum textum restringit sanctus Aug. Utramque enim expositionem, tam generalem, quàm specialem, quasi fidei consentaneam approbat Ecclesia Lugdunensis, atque id unum cavet, ut propter alteram altera non rejiciatur. « Nec propter istam, « inquit cap. 26 lib. de tribus Epistolis (inter- « pretationem), illa damnetur, sed potiùs utri- « que propter veracem et piam patrum aucto- « ritatem fideliter obediatur. »

Atque hinc patet vera Ecclesiæ Lugdunensis circa præsentem controversiam mens atque doctrina; scilicet, tanquàm veram, catholicam, à Patribus probatam agnoscit sententiam quæ voluntatem Dei ad omnium omninò hominum salutem extendit; dummodò tamen quatuor mox recensiti sensus excludantur.

Respondeo 3° aliter distinguendo ant. : Quartam improbat expositionem intellectam de voluntate strictè, simpliciter et sine addito sumptâ, concedo; intellectam de vero, reali et actuoso affectu in Deo, nego. Nomine voluntatis divinæ strictè et simpliciter dictæ, intelligebat Ecclesia Lugdunensis, eam, et quidem solam, quæ est efficax. Ratio ipsit erat, quia quotiescumque voluntas divina enuntiatur in Scripturis simpliciter et sine addito; toties exhibetur velut efficacissima, juxta illud Scripturæ : *Omnia quæcumque voluit fecit;* et rursùs : *Voluntati ejus qui resistit?* Hinc Gotescalci æmulos vellicat ac pertringit Ecclesia Lugdunensis, quòd scilicet divinam voluntatem ad omnium hominum salutem extenderent; ast cùm expressè negaret perversum Gotescalci dogma, nempè reprobos necessitari ad peccandum, planè necesse erat ut admitteret verum et realem in Deo affectum, quo hominibus etiam reprobis decerneret media ad non peccandum et ad salutem assequendam verè sufficientia. Quapropter quæ tunc occurrebat controversia, de nomine potiùs quàm de re ipsâ fuit; utrùm scilicet is rerus et realis Dei affectus erga salutem reproborum deberet dici simpliciter et sine addito voluntas, necne; prius contendebant hostes Gotescalci, posterius asserebant illius patroni.

Quinimò etiam nunc pauci quidem theologi existimant omnem veram et beneplaciti voluntatem in Deo semper esse efficacem; neque tamen, ut observationis ubi de Attributis, hi ab aliis dissident, in eo quo præcipuum est ac capitale circa voluntatem salvandi omnes homines; quia nempe iidem verum ac realem in Deo agnoscunt affectum, vi cujus justis confe-

runtur, aliis autem saltem præparantur media relativè sufficientia ad salutem. Ita proportione servatâ idem dicendum de dissidio quod exarsit Ecclesiam Lugdunensem inter et Carisiacos Patres circa eamdem salutis omnium voluntatem.

Respondeo 4° negando antecedens; postquàm enim citato libro *de tribus Epistolis* cap. 11, tres prædictas ex S. Aug. expositiones protulit Ecclesia Lugdunensis, quartam tandem, quam propugnamus, de voluntate generali, antecedente et conditionatâ, refert et amplectitur cap. 12 et 13 ejusdem libri, eamque interpretationem piam, veram et à SS. Patribus probatam disertè declarat, ut constat ex iis quæ supra in analysi exscripsimus.

His omnibus addunt nonnulli, Ecclesiam Lugdunensem locis objectis, non in generalem salutis omnium voluntatem insurgere; sed conqueritur quòd hæc voluntas fuerit de fide definita ab æmulis Gotescalci; quam quidem definitionem perperàm et immeritò fuisse latam existimabat. Neque enim omnis doctrina, etiamsi aliundè omninò constans et certa, tanquàm de fide catholicâ proponi potest; requiritur insuper, ut illa sit in se revelata, et ab Ecclesiâ proposita; quorum si alterum desit, non est fide divinâ catholica credenda. Ita observant Walenburgenses, de Controvers. fidei; atque hinc illustriss. Bossuet in lib. inscripto : *Justification des Réflex.* paragr. 16, postquàm asseruit divinam salutis omnium justificatorum voluntatem agnoscendam esse tanquàm de fide, utpote expressè definitam ab Ecclesiâ catholicâ, de voluntate generali, subdit : « Il ne faut « point faire un point de foi également décidé « de la volonté générale étendue à tous, puis- « que même il a été permis à Vasquez d'ensei- « gner que les enfants décédés sans baptême « ne sont pas compris dans cette parole : DIEU « VEUT QUE TOUS LES HOMMES SOIENT SAUVÉS..... « quoique la volonté de Dieu et de J.-C. prise « dans une entière universalité, paraisse plus « digne de la bonté de Dieu, plus conforme « aux expressions de l'Écriture, et plus propre « à la piété et à la consolation des fidèles. »

Inst. 1° : Ille favit errori prædestinatiano, qui istam propositionem : *Deus vult solos electos salvos fieri;* tanquàm innoxiam approbavit; atqui Ecclesia Lugdunensis libris citatis prædictam propositionem approbat; ergo, etc. — Respondeo dist. maj., si aliundè excludat omnem aliam voluntatem et affectum, vi cujus justis conferantur auxilia relativè sufficientia ad salutem, aliis autem saltem præparentur, concedo; si talem voluntatem et affectum agnoscat, nego. Porrò ita est de Ecclesiâ Lugdunensi, ut constat ex dictis; ergo, etc.

Inst. 2° : Ille favit erroribus Prædestinatianorum, qui recensitis duabus opinionibus, quarum altera Apostoli verba ad solos prædestinatos restringit, altera verò ad omnes prorsùs homines ea extendit; liberum relinquit unicuique quam voluerit amplecti; atqui ita Ecclesia Lugdunensis; ergo, etc.— Respondeo distinguendo : Unicuique liberum relinquit quam voluerit amplecti, si sermo sit de voluntate simpliciter et sine addito sumptâ, concedo; si sermo sit de vero et reali Dei affectu, subdist. : Liberum relinquit, quatenùs opinionem hanc nondùm definitam judicabat, concedo; quasi eam non admitteret, nego. Solutio ex mox dictis liquet.

Instabis 3° : Ecclesia Lugdunensis in libro *de tenendâ veritate* cap. præsertim 12, vellicat tertium capitulum Carisiacum de generali salutis omnium voluntate, atque ibidem approbat circa idem caput Gotescalci doctrinam, quam certè noverat per tres epistolas eâ de re ab Hincmaro ad se transmissas, ergo, etc.— Respondeo ad primum : Vellicat tertium Carisiacum capitulum, quoad nomen duntaxat, concedo; in rei veritate et quoad doctrinam, nego. Ad secundum similiter distinguendo : Approbat doctrinam Gotescalci errore facti, concedo; reipsà, nego. Utraque solutio liquet ex supra dictis.

Objicies 2° : Circa mortem Christi Ecclesia Lugdunensis in libro *de tribus Epistolis*, quatuor hominum ordines distinguit. Primus est prædestinatorum; secundus fidelium qui non sunt perseveraturi; tertius Infidelium aliquandò baptizandorum, sive sint perseveraturi, sive non; quartus eos omnes complectitur infideles, qui sive ante sive post Christum, in infidelitate mortui sunt vel morituri. Pro trium priorum ordinum hominibus mortuum esse Christum tradit Ecclesia Lugdunensis cap. 16; pro quarto autem ordine, nullomodò passum esse disertè docet cap. 18, his verbis : « Unum « est quod et nos fidelissimè credimus et veris- « simè novimus, quia pro illâ innumerabili et « infinitâ multitudine impiorum qui ab exordio « mundi usque ad Passionem Domini in suâ « impietate sunt mortui..... nunquàm Dominus « passus, nusquàm mortuus est, nec ad illos « salvandos ullatenùs venit, nec pro iis pretio- « sum sanguinem dedit. » Idem omninò asserit

de Infidelibus qui à morte Christi extitêre, sunt, et futuri sunt Ex his sic arguo : Ille favit doctrinæ Gotescalci, qui asserit Christum mortuum non esse pro impiis et infidelibus qui ab exordio mundi ad Christum usque extiterunt, et à Christo usque ad consummationem mundi futuri sunt; atqui ita Ecclesia Lugdunensis; ergo, etc.—Respondeo 1°, mirum profectò videri Jansenium ejusque Apologistas nobis opponere auctoritatem Ecclesiæ Lugdunensis, quæ ipsis directâ fronte adversatur; disertissimè siquidem docet, idque tanquàm certissimum fidei dogma, Christum pro omnibus omninò fidelibus mortuum fuisse. « Fideliter credendum est, inquit citato libro de tribus epistolis cap. 16, et hoc non solùm « ex divinis Scripturis, sed etiam ex SS. Pa« trum fide et doctrinâ evidenter agnoscimus, « pro illis tribus ordinibus ad Christi gratiam « et societatem fidelium pertinentibus, Domi« num Jesum Christum et venisse ut eos salva« ret, et crucifixum esse ut eos redimeret. » Et lib. de tenendâ veritate cap. 14 : « Fides ca« tholica tenet, et Scripturæ sanctæ veritas « docet, quòd pro omnibus credentibus..... « verè Dominus et Salvator noster sit passus. » Nihil certè expressius desiderari potest; ac proinde nego maj. Præcipuus enim hâc in parte Prædestinatianorum error in eo positus est, quòd assererent Christum pro solis electis mortuum fuisse; atqui istud tanquam hæreticum impugnat Ecclesia Lugdunensis locis mox citatis; ergo, etc.

Respondeo 2° distinguendo min.: Ecclesia Lugdunensis negat Christum pro impiis et infidelibus in suâ infidelitate mortuis aut morituris, ullatenùs passum fuisse, efficaciter, concedo; sufficienter, sufficientiâ nempe tum pretii, tum voluntatis offerentis, nego. Infidelium in suâ impietate perseverantium duos ordines distinguit Ecclesia Lugdunensis. Primus eorum est qui ab exordio mundi ad Christum usque extitêre; alter verò eorum, qui à Christo usque ad finem mundi fuerunt aut futuri sunt; pro illis duobus Infidelium ordinibus non negat Christum mortem suam Patri æterno obtulisse; sed hoc unum vult, Passionem Christi illis non fuisse efficaciter applicatam. Hanc esse hujusce Ecclesiæ mentem ultrò confitebitur quisquis illius scopum et verba penitiùs scrutatus fuerit.

Et quidem 1°, quod spectat Infideles qui ante Passionem Christi in suâ infidelitate mortui sunt, cùm ait, *pro iis Christum non esse passum, nec ad eos salvandos venisse, nec pro iis sanguinem fudisse*, sensus est Christum non venisse, nec mortuum fuisse, ut eos ab inferis eriperet, sicut justos ex limbo eduxit. Sensum hunc clarè demonstrant quæ in objectione omissa sunt, quæque immediatè sequuntur: « Quoniam illos solos ex his qui ab exordio « mundi usque ad passionem ejus extiterunt, « eâdem passione suâ redemisse, et salvâsse, « atque ab INFERNI CLAUSTRIS EDUXISSE CREDEN« DUS EST, qui et fideliter eum speraverunt « venturum, et fideliter per eum redemptio« nem, et liberationem ad salutem se acceptu« ros esse crediderunt; SS. videlicet Patriar« chas et Prophetas, et cæteros justos quibus « etiam per Osee Prophetam ante promiserat « dicens: *De manu mortis liberabo eos, de mor« te redimam eos; ero mors tua, ô mors, ero « morsus tuus, inferne.* » Hoc ergo unum intendit Ecclesia Lugdunensis, Christum non esse passum, nec redemisse impios illos, eo modo quo justos Patriarchas et Prophetas redemit et liberavit, scilicet eos ex inferni claustris educendo.

Eumdem sensum omni depulsâ caligine exprimit lib. *de tenendâ veritate*, toto cap. 14, ubi postquàm probavit Christum pro illis impiis non esse mortuum, quia *irrevocabili divino judicio jam erant pœnis perpetuis condemnati;* sic totam suam concludit ratiocinationem: « Quod totum quomodò fideliter et catholicè « intelligendum sit exponit mirificè B. Greg. « dicens (Homil. 22 in Evang.): Quod ante passio« nem dixit, in resurrectione suâ suam Domi« nus implevit: *Si exaltatus fuero à terrâ, om« nia traham ad me.* Omnia enim traxit, qui « de electis suis apud inferos nullum reliquit. « Omnia abstulit, utique electa. Neque enim « infideles quosque et pro suis criminibus æter« nis suppliciis deditos, ad veniam Dominus « resurgendo reparavit; sed illos ex inferni « claustris rapuit, quos in fide et actibus reco« gnovit. Unde rectè etiam per Oseam dicit: « *Ero mors tua, ô mors; ero morsus tuus, in« ferne.* Id namque quod occidimus, agimus « ut penitùs non sit; ex eo etenim quod mor« demus partem abstrahimus, partemque re« linquimus. Quia ergo in electis suis funditùs « occidit mortem, mors mortis extitit; quia « verò ex inferno partem abstulit, et partem « reliquit, non occidit funditùs, sed momor« dit infernum. » Hæc omnia verba, præsertim S. Greg. testimonium quod suum fecit Ecclesia Lugdunensis, ipsius mentem, veramque sententiam superiùs explanatam dilucidè expri-

munt et luculentissimè produnt ac manifestant.

Hic ergo perstringit duntaxat Ecclesia Lugdunensis, errores quorumdam hæreticorum, quorum alii, teste S. Aug. lib. 21 de Civit. Dei cap. 17, contendebant *Christum ex proposito Patris etiam pro diabolis à damnatione liberandis passum esse*. Alii, teste eodem S. Aug. hæresi 79, asserebant *descendente ad inferos Christo credidisse incredulos, et omnes exinde liberatos;* et ut ait Greg. Magnus Homil. 22 in Evangelia, *morte Christi exinanitos fuisse inferos.* Alii tandem affirmabant, *Christum morte suà omnium hominum peccata delevisse;* nec reprobos damnari propter sua peccata, utpote à Christo expiata, sed *propter solam incredulitatem*, quâ initam semel cum Deo amicitiam denuò rescindunt. Quæ commenta ex Origene fluxêre; eaque egregiè confutârunt SS. Epiphanius Epist. ad Joan. Jerosolimyt.; Aug. lib. 1, de Civit. Dei cap. 17 et 23; Hier. in cap. 3 Jonæ; Greg. Magnus lib. 9 Moralium cap. 45 et 46, et Venerabilis Beda in priorem Epist. S. Petri, ubi observat prædictas has omnes opiniones fidei directè esse contrarias: *Catholica fides habet, quia descendens ad inferna Dominus non incredulos inde, sed solummodò suos educens ad cœlestia regna secum perduxerit.*

Quod autem spectat ad alteram partem Infidelium qui à Passione Christi ad finem usque mundi in suâ infidelitate permansuri sunt; cùm Christum pro iis mortuum non fuisse asserit Ecclesia Lugdunensis; id de redemptione efficaci unicè intelligendum est; de actuali scilicet applicatione redemptionis Christi per gratiam fidei, aut habitualem sanctificantem. In eo quippe prædictos Infideles secernit à fidelibus, quòd hi per baptismum regenerati fuerint et Ecclesiæ incorporati, atque saltem in hâc parte redemptionis efficacis participes fuerint; nec verè possunt redimi, è contra verò Infideles absque baptismo morituri talem effectum redemptionis efficacis non sint habituri.

Hanc esse Ecclesiæ Lugdunensis mentem non obscurè colligitur ex citato libro de tenendâ veritate, cap. 15: « Ex his, inquit, « manifestissimè ostenditur, et omnibus infi« delibus nullam esse redemptionem in Christo, « et omnes fideles qui fideliter accedunt ad « fidem, et gratiam regenerationis; ibi acci« piant veram redemptionem, ubi accipiunt « veram regenerationem. Quia nec verè pos« sunt regenerari, nisi eos, et à potestate dia« boli, et à servitute peccati verè constet re« dimi; nec verè possunt redimi nisi lavacro « indulgentiæ expiati, et à reatu delicti, et à do« minatu principis mundi efficiantur absoluti. »

Vides quænam sit illa redemptio quam ab Infidelibus excludit Ecclesia Lugdunensis, quamque omnibus et solis fidelibus propriam esse existimat; eam videlicet per quam fideles donum fidei accipiunt, per quam regenerantur, atque à potestate diaboli et servitute peccati liberantur; porrò talis redemptio haud dubiè est efficax; ergo, etc. Hinc paulò post sibi objiciens illud Deuteronomii testimonium: *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, et non credis vitæ tuæ*, sic loquitur: « Tanquàm ipsi « incredulo et infideli populo in suâ incredu« litate et infidelitate permanenti, Dominus « Jesus Christus, qui ante eorum oculos in « cruce pependit, dicatur vitâ, cùm utique « eis non dederit vitam.... quasi Dominus etiam « eorum, qui non credunt, nec unquàm ejus « fide vivificantur, possit dici vita.... quasi « propter eumdem populum in suâ increduli« tate perdurantem, et ejus causâ crucis sus« tinuerit passionem. » Habes hìc iterùm quid sit in mente Ecclesiæ Lugdunensis Christum pro aliquibus mortuum esse; nempe significat Christum in cruce pendentem eorum fuisse vitam, atque eis postea dedisse vitam fidei; unde quibusdam interjectis respondet, Christum eorum duntaxat in cruce vitam fuisse, « quos « postea fide suâ vivificaturus erat, sicut scrip« tum est: *Justus autem ex fide vivit.* »

Ex his omnibus colligitur 1° (quod etiam antea observavimus) juxta mentem Ecclesiæ Lugdunensis, in ideâ redemptionis includi non tantùm sufficientiam pretii et voluntatis offerentis, sed etiam actualem et efficacem applicationem meritorum Passionis Christi, et præcipuorum ipsius fructum, gloriæ scilicet, gratiæ sanctificantis, aut saltem gratiæ fidei; unde cohærenter ad hanc, quam sibi efformârat redemptionis ideam, perpetuò negat Christum mortuum fuisse aut Passione suâ redemisse Infideles in suâ infidelitate decedentes. Colligitur 2° Ecclesiam Lugdunensem alienum sensum et erroneum affinxisse quarto capitulò Carisiaco; at verum ejus sensum non impugnâsse, qui in eo positus est ut Christus sufficienter, sufficientiâ pretii ex sincerâ voluntate Deo Patri oblati, pro omnibus hominibus mortuus credatur, « licet non omnes Passionis ejus « mysterio redimantur. Quod ideò contingit, « inquit, quia poculum humanæ salutis, quod « confectum est humilitate nostrâ et veritate « divinâ, habet quidem in se ut omnibus pro-

« sit ; sed si non bibitur, non medetur. »

Cæterùm Christum sufficienter sufficientiâ tum pretii, tum voluntatis pro omnibus mortuum fuisse, agnovit Ecclesia Lugdunensis, quod constat 1° ex dictis expendendo ipsius mentem circa divinam salutis omnium voluntatem. Namque Christus pro iis sufficienter mortuus est, quos Deus vult salvare voluntate antecedente et bonitate Creatoris; atqui Ecclesia Lugdunensis talem in Deo agnoscit voluntatem pro salute omnium ; ergo, etc. 2° Idem constat ex dictis in analysi utriusque libri de tribus Epistolis, et de tenendâ veritate; multa enim ibi exscripsimus testimonia, quæ id quod intendimus apertè demonstrant. 3° Lib. de tribus Epistolis, cap. 20, 24, 26, 28, et lib. de tenendâ veritate, cap. 12, 14, 15, sollicitè inculcat « pium esse et honorandum, et non « abnuendum eorum sensum qui asserunt glo« riosum mortis Christi pretium etiam pro « nunquàm credituris, et in suâ impietate pe« rituris datum esse, modò tamen non una sen« tentia pro alterâ damnetur. »

Instabis 1° : In mente Ecclesiæ Lugdunensis Christus nequidem eo sensu mortuus est pro Infidelibus in suâ infidelitate perseveraturis, quo mortuus est pro iis fidelibus qui à fide et charitate excidunt, atque in malis perseverant; porrò Christus mortuus non est efficaciter, sed sufficienter duntaxat pro hujusmodi fidelibus, ut ex sese patet, ergo, etc. — Respondeo dist. min.: Christus non est mortuus efficaciter perfectè et adequatè pro his fidelibus qui à fide et charitate deficiunt, concedo ; non est mortuus efficaciter inadæquatè, nego ; et nego conseq. Christus mortuus est efficaciter perfectè et adæquatè pro iis duntaxat quibus nobiliores redemptionis effectus applicantur, scilicet regeneratio, incorporatio Ecclesiæ et glorificatio ; ast soli prædestinati participes sunt horumce omnium effectuum, proindeque pro illis solis mortuus est efficaciter perfectè et adæquatè : attamen alio sensu rectè dicitur Christus mortuus efficaciter pro iis fidelibus qui à fide postmodùm defecturi sunt ; scilicet efficaciter inadæquatè, ratione nimirùm regenerationis et incorporationis corpori mystico Ecclesiæ.

Instabis 2° : Si existimâsset Ecclesia Lugdunensis Christum esse mortuum efficaciter saltem *inadæquatè* pro iis omnibus qui incorporari sunt Ecclesiæ, universaliter et absque restrictione negare non debuisset Christum mortuum fuisse pro impiis ante ejus Passionem in suâ impietate defunctis; quippe dubium non est quin nonnulli ex iis fuerint Judæi qui Ecclesiæ tunc existenti incorporati erant, et quibus relaxatum fuerat peccatum originale; atqui tamen universaliter negat Christum mortuum fuisse pro hujusmodi impiis; ergo, etc. Respondeo, negando maj. Namque Ecclesia Lugdunensis in iis impiis et infidelibus qui ante Christum in suâ impietate et infidelitate mortui sunt, non spectat tempus vitæ ipsorum, nec auxilia vel beneficia redemptionis quibus in vitâ potiti sunt; sed attendit ad illorum statum post mortem, seu eos considerat *quatenùs irrevocabiliter damnatos*, ut patet ex solâ inspectione verborum quæ eâ de re supra recitavimus; è contra verò in iis qui post Christum vixerunt, ipsum vitæ præsentis tempus et beneficia eo tempore accepta, et ex redemptione Christi promanantia considerat, ut constat ex testimoniis paulò ante exscriptis.

Instabis 3° : Citato libro de tenandâ veritate, manifestè supponit Ecclesia Lugdunensis, Christum ne quidem sufficienter mortuum esse pro Infidelibus; namque cap. 14, ut demonstret Christum pro omnibus fidelibus mortuum esse, ita ferè ratiocinatur : *Pro iis omnibus et solis Christus mortuus est, pro quibus Ecclesia offert sacrificium; atqui Ecclesia pro omnibus et solis fidelibus offert sacrificium;* ergo, etc. Porrò istud ratiocinium supponit Christum nullatenùs mortuum esse pro Infidelibus; nam si pro ipsis mortuus esset Christus, nihil obstaret quominùs pro iis in sacrificio oraret Ecclesia. Respondeo hoc ratiocinium supponere tantùm quod supra diximus, nempe Christum non mortuum esse efficaciter pro Infidelibus, quo modo mortuus est pro omnibus fidelibus quos regeneravit et Ecclesiæ corpori coadunavit. Hic namque est sensus Ecclesiæ Lugdunensis: Pro iis omnibus et solis sacrificium offertur, qui efficaci Christi redemptioni aliquo modo participant; atqui pro omnibus et solis fidelibus sacrificium offert Ecclesia; ergo omnes et soli fideles efficacis redemptionis sunt participes.

Hanc esse genuinam illius mentem liquidò constat ex ejus verbis : « Ex his, inquit, mani« festatissimè docemur, ut pro his tantùm, qui « baptismo Christi regenerati incorporantur « Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, corpus « Christi debeat offerri; et quisquis pro eis qui « minimè sunt regenerati, nec corpus Christi « effecti, dicit illud sacrificium offerendum, « censet eos esse corpus Christi, qui nunquàm

« incorporati sunt membris Christi. » Apertè docet eò loci Ecclesia Lugdunensis, pro iis duntaxat offerendum esse sacrificium, qui regenerati sunt et incorporati Ecclesiæ; quique proinde participes sunt redemptionis efficacis; unde, quando negat pro Infidelibus offerendum esse sacrificium, non idcircò asserit Christum nullatenùs pro ipsis fuisse mortuum; sed negat tantùm eos efficaciter fuisse redemptos.

Instabis 4°: Ecclesia Lugdunensis eam ipsam redemptionem restringit ad solos fideles, quam Patres Carisiaci ad omnes homines extendebant; atqui Patres Carisiaci redemptionem efficacem, etiam inadæquatam, ad omnes homines non extendebant, sed duntaxat redemptionem pro omnibus sufficienter oblatam; ergo, etc. Respondeo dist. maj.: Quam Patres Carisiaci, juxta falsam et distortam Ecclesiæ Lugdunensis interpretationem, ad omnes homines extendebant, concedo; quam in rei veritate ad omnes homines extendebant, nego. Porrò, tametsi ex ipsâ lectione Capituli quarti manifestum esset, ut supra ostendimus, redemptionem efficacem à Patribus Carisiacis non extendi ad omnes homines; nihilominùs auctor libelli sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis ita interpretatus est Canonem illum, quasi in eo redemptio efficax omnibus hominibus adscriberetur. Scilicet cùm auctor ille, ut ex totius libri serie liquet, capitula Carisiaca refellenda suscepisset, quoquo modo id fieri posset intactâ fide; cùmque aliunde constet nihil in illis capitulis contineri quod, quantùm ad doctrinæ substantiam meritò reprehendi posset, nihil aliud præstare potuit, quàm ut verba quædam, quæ ipsi videbantur minùs castigata perstringeret, et quasdam propositiones quæ, prout à subsequentibus et antecedentibus divellebantur, falsæ erant, refelleret. Sic in singulis capitulis discutiendis se gerit censor ille plus æquo austerus ac rigidus; ita præsertim capituli quarti confutationem prosequitur. Nam cùm hæc illius verba: *Nullus est, fuit, vel erit homo pro quo passus non fuerit Christus*, verissima essent, conjuncta cum his sequentibus: *Licet non omnes Passionis ejus mysterio redimantur;* quæ excludunt redemptionem efficacem ab omnibus hominibus; idcircò præfatus auctor initio capitis 14 propositionem generatim spectat seorsim à restrictione sibi adjunctâ; eamque sic universaliter sumptam et intellectam de morte Christi efficaciter pro omnibus hominibus oblatâ refellit in locis supra relatis.

Instabis ultimò: Ecclesia Lugdunensis Gotescalci doctrinam circa Christi mortem approbat; ait enim lib. de Tribus Epistolis cap. 24, Gotescalci eâ de re sententiam, *beatissimorum Patrum fuisse doctrinam;* atqui Gotescalcus, ut antea vidimus, asserebat pro solis prædestinatis mortuum fuisse Christum, pro aliis neutiquam; ergo, etc. Respondeo, errore facti Ecclesiam Lugdunensem approbâsse doctrinam Gotescalci circa mortem Christi. Scilicet Gotescalcus docebat Christum nullomodò passum esse pro omnibus, neque sufficienter, neque efficaciter; at Ecclesia Lugdunensis factum illud ignorans, et existimans Gotescalcum solùm docere Christum non esse mortuum efficaciter pro omnibus, seu non applicare omnibus fructum mortis suæ, ipsius doctrinam sic intellectam errore facti orthodoxam judicavit. Et verò, in libris Ecclesiæ Lugdun. De tenendâ veritate et de Tribus Epistolis, errores Gotescalci disertè fuisse confutatos abundè constat ex dictis supra in analysi utriusque libri.

Paulò fusiùs immorati sumus in exponendâ verâ et genuinâ Ecclesiæ Lugdunensis mente circa voluntatem Dei et mortem Christi pro salute omnium hominum; tum quia hujusce Ecclesiæ auctoritate potissimùm gloriantur novatores, variisque loquendi rationibus ab ipsâ innoxiè usurpatis abutuntur ad suos errores propugnandos; tum quia quæ hìc dicta sunt facilè ac meritò adaptari possunt ad illustranda et exponenda duriora quædam circa præsentem controversiam, quæ opponi solent ex Prudentio, Lupo, Ratramno, aliisque nonnullis noni seculi scriptoribus qui visi sunt Gotescalco favere; cùm enim, fatentibus adversariis, horumce auctorum eadem prorsùs sit doctrina ac Ecclesiæ Lugdunensis, eâdem etiam ratione solvenda sunt quæ ex ipsis objiciuntur.

Consultò hìc nonnulla prætermisimus quæ dicta sunt in tractatu de Attributis, ubi de divinâ salutis omnium voluntate et morte Christi pro omnibus. Consule si vacat. Unum superest quod hìc expendendum remisimus; cujusnam auctoris sint libri *de Tribus Epistolis* et *de tenendâ veritate* sub nomine Ecclesiæ Lugdunensis vulgati; an genuinum sunt illius Ecclesiæ opus necne?

Diversæ sunt eâ de re sententiæ. Alii enim Eccesiæ Lugdunensi, aut Remigio; alii Floro, alii Ecclesiæ Laudunensi, alii Ebboni Gratianopolitano antistiti; alii denique incerto auctori illos tribuunt.

Refellitur prima sententia. 1° Silent MSS. codices; nullus est qui libros illos Remigio aut

Ecclesiæ Lugdunensi adjudicent. 2° Silent quotquot à seculo nono auctorum ecclesiasticorum catalogum texuère; nullus omninò est ante annum 1566, qui libros illos sub nomine Remigii aut Ecclesiæ Lugdunensis vulgaverit. 3° Hincmarus Epistolâ dedicatoriâ ad Carolum regem de prædictis libris loquens: « Quis verò, « inquit, sit istorum capitulorum compositor « cui cogimur respondere, ipse se prodet...... « Operator tenebrosorum operum, odit lucem, « et non venit ad lucem ut non arguantur ope- « ra ejus. » Et rursùs: « Sine nomine aucto- « ris quiscumque fuerit, quidam delirus.... « capitula à nobis excerpta reprehendit et dam- « nat. » An ita locutus fuisset Hincmarus; si libros illos approbâsset Ecclesia Lugdunensis, eorumque auctor fuisset Remigius? 4° Soli editores ex proprio delectu eos primùm Ecclesiæ Lugdunensis nomine donârunt, hâc innixi parenthesi quæ initio solius libri de tribus Epistolis legitur, *ad nos, id est, Ecclesiam Lugdunensem.* Verùm præterquàm quòd hæc loquendi ratio aspera est et insolita; characteribus italicis exprimitur, quò indicatur eam fuisse postmodùm assutam; aliunde, si temporibus Hincmari inserta fuisset hæc parenthesis, à quibus exarati fuissent libri non ignorâsset.

Refellitur secunda sententia, quia obiit Florus ante Amolonem qui decessit ante annum 853, ut constat ex Mabillon. tom. 4 Analect. Ergo injustè tribuuntur Floro prædicti libri. Et verò in libro *de tenendâ veritate* impugnantur capitula synodi Carisiacæ; hæc autem synodus certè celebrata non fuit ante annum 853.

Refellitur tertia sententia. Nam Hincmarus Laudunensis nonnisi anno 859 creatus fuit episcopus; sed libri jam erant exarati anno 856; constat enim ex citatâ Hincmari ad Carolum regem Epistolâ, illos jam tunc ipsi Hincmaro oblatos fuisse ut iis responderet.

Ex his patet prædictos libros adscribendos esse Ebboni Gratianopolitano, aut quibusdam Ecclesiæ Lugdunensis clericis privato et suppresso nomine scribentibus. Primum conjiciunt nonnulli, tum quia Ebbo, teste Hincmaro loco citato, prædicta opuscula primus vulgavit, eaque Carolo regi obtulit anno 856, tum quia idem Hincmarus lib. de Prædest. cap. 31, pro certo habet, eumdem esse auctorem opusculorum et canonum tertii concilii Valentini; porrò constat ex præfatione ejusdem concilii, Ebbonem Gratianopolitanum in condendis Valentinis canonibus præcipuam navâsse operam. Tum denique quia canonum et opusculorum eadem est omninò doctrina, eædem loquendi rationes; verisimile est ergo prædicta opuscula ab eodem auctore, Ebbone scilicet, fuisse edita.

Alterum suspicantur quidam, ex eo quod cùm in concilio apud Saponarias episcopi plures conquererentur de Remigio, Hincmarus querelas sedavit asserens Remigium, has permisisse disputationes ad majorem quæstionum dilucidationem, Epist. 2 dedicatoriâ. Idem colligitur ex cap. 23 et 31 libri de Prædestinatione ejusdem Hincmari. Itaque Horum librorum auctores, inquiunt illi, fuère quidam clerici Ecclesiæ Lugdunensis, qui, ut arriderent Ebboni infenso Hincmaro, adversùs illum stylum acuerunt.

Atque hinc concludendum est tantam non esse illorum librorum auctoritatem, ut etiamsi adversarentur capitulis Carisiacis (quod falsum esse antea probavimus) eo ipso statim hæc capitula essent rejicienda, quemadmodùm contendunt adversarii. Qui circa historicam hanc quæstionem plura volet adeat Cellotium de Historiâ Gotescalci lib. 2, cap. 24, lib. 3, cap. 15, lib. 4, cap. 14, Mabillonium, Sirmundum et ex recentioribus Pâtrem Duchesne in suâ de Prædestinatianismo historiâ.

CAPUT IV.

De concilio Valentino.

Dùm motæ à Gotescalco quæstiones summâ utrinque contentione agitarentur, Lotharii imperatoris jussu trium provinciarum, Lugdunensis, Viennensis et Arelatensis præsules, circa annum 855, Valentiam convenerunt, ut civitatis illius episcopi, qui ob varia crimina pessimè audiebat, causam discuterent. Eâ cognitâ ac finitâ, statuendum sibi aliquid judicârunt de illis controversiis, quibus tot jam annis turbabantur Galliæ; sex eâ de re sanciti sunt canones. Quæritur an iis faverit prædicta synodus erroribus Gotescalci, et impugnârit capitula Carisiaca.

Conclusio Prima.— Synodus Valentina favit personæ Gotescalci, non autem ipsius doctrinæ.

Probatur prima pars: Ex canonibus 3 et 4 clarè colligitur Valentinos præsules errore facti sensuisse Gotescalcum immunem fuisse ab errore tum circa prædestinationem, tum circa mortem Christi. Id patebit ex dicendis mox expendendo prædictos canones. Probatur secunda pars, quia, ut ostendemus conclusione sequenti, synodus Valentina à doctrinâ Cari-

siacorum capitulorum reverà non discenti; ergo, etc.

CONCLUSIO SECUNDA. — Synodus Valentina non in rei substantià, sed in quibusdam duntaxat loquendi modis recessit à doctrinâ capitulorum Carisiensium.

Probatur recensendo et expendendo sex hujusce synodi canones qui præsentem controversiam spectant. Primus universè præscribit vocum novitates omni studio devitandas esse; atque Joannem Scotum sive Erigenam impetit, qui contra geminam Gotescalci prædestinationem librum ediderat erroribus et profanâ vocum novitate scatentem. Secundus decernit, *nec prorsùs ulli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non possit;* adeòque Gotescalci errorem synodis Moguntinâ et Carisiacâ pridem confixum, iterùm damnat. Tertius canon his verbis conceptus est: *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam et prædestinationem impiorum ad mortem.* Priora hæc verba in speciem videntur favere Gotescalco, qui contra Patres Carisiacos geminam prædestinationem propugnabat; verùm quæ immediatè sequuntur, ipsi directè adversantur, atque penitùs, consentiunt cum doctrinâ capituli Carisiaci: « In electione tamen salvandorum, « inquiunt Patres Valentini, misericordia Dei « præcedit meritum bonum; in damnatione « autem periturorum meritum malum præ« cedit justum Dei judicium. » Et paulò post: « Verùm aliquos ad malum prædestinatos esse « divinâ potestate, videlicet ut quasi aliud esse « non possint, non solùm non credimus, sed « etiamsi sunt, qui tantum malum credere velint, « cum omni detestatione, sicut Arausicana sy« nodus, illis anathema dicimus. » Nihil profectò aliud voluit capitulum Carisiacum.

Quartus agit de redemptione sanguinis Christi. « Item, inquit, de redemptione sanguinis « Christi, propter nimium errorem qui de hâc « causâ exortus est, ita ut quidam, sicut eo« rum scripta indicant, etiam pro illis impiis, « qui à mundi exordio usque ad Passionem « Domini in suâ impietate mortui æternâ dam« natione puniti sunt, effusum eum definiant, « contra illud propheticum: *Ero mors tua, ô « mors; ero morsus tuus, inferne.* Illud nobis « simpliciter ac fideliter tenendum ac docen« dum placet juxta evangelicam et apostolicam « veritatem, quòd pro illis hoc datum pretium « teneamus, de quibus Dominus ipse noster « dicit: Sicut Moyses exaltavit serpentem in « deserto, ita exaltari oportet filium hominis, « ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed « habeat vitam æternam. »

His verbis Patres Valentini eorum duntaxat errorem proscribunt, qui, teste S. Aug. hæresi 79, dicunt, *descendente ad inferos Christo, credidisse incredulos, et omnes exinde liberatos.* Et, ut loquitur Greg. Mag. Homil. 22 in Evangelia, *morte Christi exinanitos fuisse inferos.* Appositè duntaxat ad hanc erroneam sententiam, perperàm et errore facti capitulo Carisiaco affixam (ut pluribus et manifestè probat Hincmarus opuscul. de Prædest. cap. 27, ac præsertim ex eo quòd postquàm edixerunt Patres Carisiaci, *nullum esse pro quo Christus mortuus non fuerit*, statim adjecêre: *Licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur*); asserunt Patres Valentini, « erroneum esse af« firmare Christum pro impiis qui à mundi « exordio usque ad Passionem Domini in suâ « impietate mortui sunt, sanguinem suum effu« disse. »

Hunc tantùm errorem proscribere voluisse Patres Valentinos, nequaquàm verò negâsse Christum mortuum fuisse sufficienter pro omnibus, tum sufficientiâ pretii, tùm sufficientiâ voluntatis, varia demonstrant. Constat id 1° ex mox dictis circa Ecclesiam Lugdunensem. Etenim idem planè contractiùs exprimunt Patres Valentini in suis canonibus, quod Ecclesia Lugdunensis uberiùs probat et evolvit in suis libris de tribus Epist. et de tenendâ veritate; id fatentur adversarii, et manifestè liquet ex collatione utriusque textûs: atqui, uti probavimus, Ecclesia Lugdunensis non negat mortem Christi pro omnibus sufficienter, sed efficaciter duntaxat oblatam; ergo, etc. Constat 2°, quia in citato canone ad doctrinæ suæ confirmationem laudant Osee testimonium: *Ero mors tua, ô mors; ero morsus tuus, inferne.* Quo eodem testimonio usus est Greg. laudatâ Homil 22, ad refellendos hæreticos qui volebant *Christo descendente ad inferos, exinde eductos fuisse impios, et ad cœlestia regna perductos.* Constat 3° ex comparatione quâ utuntur, serpentis ænæi à Moyse in deserto exaltati; sicut enim serpens æneus illos tantùm salvabat qui oculos in eum convertebant; ita Christus illos tantùm efficaciter et reipsà redimit, qui in eum credentes, oculos fidei in ipsum dirigunt; sed quemadmodùm Moyses serpentem æneum extulerat ad salutem omnium qui à serpentibus essent vulnerati, ac proinde pro iis etiam qui suâ pervicaciâ mallent mori quàm in eum oculum conjicere; ita et Christus exaltatus est in cruce pro salute

omnium quos serpentis tartarei virus afflavit, ac proinde etiam pro reprobis qui tanto remedio uti noluerunt, quemadmodùm exponit S. Aug. tract. 12 in Joan Constat 4°, quia Patres Valentini qui Carisiacos canones rigorosè ac veluti hostiliter discusserunt, nihilominùs tertium hunc canonem de voluntate salutis omnium : *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur:* ne levissimâ quidem censurâ notaverunt, sed illum intactum silentio prætericrunt. An ita sese gessissent, si asserere Christum pro omnibus mortuum fuisse, erroneum judicâssent? Sanè cùm sententia de divinâ voluntate salutis omnium, radix sit et origo alterius quæ mortem Christi pro omnibus sufficienter oblatam asserit, si posteriorem hanc erroneam existimâssent Patres Valentini, profectò in priorem tertio canone Carisiaco expressam, censuræ aculeum haud dubiè distrinxissent; sicque canonem hunc tertium alio edito canone ipsi adverso impugnare non omisissent. Hæc qui apud se attentè perpendet, non dubitabit profectò quin Valentina synodus silentio suo Carisiacum illud edictum comprobaverit. Constat 5°, quia synodus Valentina sæpiùs indicat sese præter redemptionem efficacem, quâ homines electi de facto salvantur, aliam quoque admittere sufficientem quâ reprobi potuerunt salvari. Sic Can. 2 : « Nec ipsi mali, inquit, « ideò pereunt, quia boni esse non potuerunt, « sed quia boni esse noluerunt. » Et adhuc « expressiùs can. 5 docet, ex ipsâ multitudine « fidelium et redemptorum, alios salvari æter- « nâ salute; quia per gratiam Dei in redem- « ptione suâ fideliter permanent; alios, quia « noluerunt permanere in salute fidei quam « initio acceperunt... ad plenitudinem salutis, « et ad perceptionem æternæ beatitudinis nul- « lomodò pervenire. » Reprobi ergo in mente synodi Valentinæ pereunt, non quia non possunt, sed quia nolunt salvari; adeòque à sufficienti redemptione non sunt exclusi.

Constat denique, ut alia plurima prætermittam, quia synodorum Carisiacæ et Valentinæ præsules in synodo Tullensi apud Saponarias anno 859 congregati judicârunt, ut postea dicemus, Carisiacos canones, nec Valentinis canonibus, doctrinæ S. Aug. adversari.

Quintus canon statuit, quòd omnes regenerati à peccatis abluti sint; sicque illum Gotescalci errorem perstringit, quo, teste Amolone et Hincmaro, asserebat solos prædestidatos in baptismo gratiam consequi.

Sextus est de libero arbitrio, nec à Carisiensibus vel minimùm abludit.

Ex his patet Valentinam synodum à doctrinâ capitulorum Carisiacorum in rei substantiâ non recessisse; quamvis nonnullas loquendi rationes Hincmari et coepiscoporum à quibus condita fuerant prædicta capitula, non approbaverit. Discordiam hanc inde ortam conjiciunt nonnulli, quòd cùm antistites diversis regibus parerent, facilè in contraria studia scissi sunt. Scilicet capitula Carisiaca ab episcopis regni Caroli Calvi sancita sunt, Valentini verò canones ab episcopis regni Lotharii conditi.

Dices : Synodus Valentina tanquàm erronea damnat capitula Carisiaca ; ergo in rei veritate ab eorum doctrinâ longiùs distabat. Antecedens constat ex can. 4 Valentino in quo post verba superiùs recitata, hæc leguntur : « Porrò « capitula quatuor (id est, Carisiaca) quæ à « concilio Fratrum nostrorum minùs prospec- « tè suscepta sunt, propter inutilitatem, vel « etiam noxietatem, et errorem contrarium ve- « ritati; sed et alia 19 syllogismis ineptissimè « (à Joanne Scoto) conclusa.... à pio auditu « fidelium penitùs explodimus. »

Respondeo 1° : Damnant capitula Carisiaca, alieno et perverso sensu intellecta, concedo; legitimo ac germano sensu exposita, nego. Nam propter occultas simultates, de quibus mox dicemus, factum est, ut sicut ab Ecclesiâ Lugdunensi, ita et à concilio Valentino Carisiaca capitula inimicè omninò explicata, atque in sensus extraneos detorta fuerint, et juxta illos sensus publicè proscripta. Id perspicuum est, vel ex ipso citati canonis exordio, ubi Patribus Carisiacis tacito nomine tribuitur error de quo nequidem cogitârunt; videlicet, Christum mortuum esse ut damnatos ab inferis extraheret.

Respondeo 2°, hæc verba : *Porrò capitula quatuor,* etc. usque ad clausulam, *sed et alia* 19 *syllogismis,* etc., Valentino canonici inserta fuisse ab Ebbone Gratianopolitano, insciis concilii Patribus. Id constat, quia ii ipsi præsules qui Valentinæ synodo interfuerant, postea anno 859 ad synodum Lingonensem et Tullensem convenientes, decreta Valentina ita probaverunt, ut prædicta verba expungi voluerint, iisque prætermissis, in capitula Joannis Scoti totum censuræ aculeum distrinxerint : *Porrò,* inquiunt, *capitula* 19 *syllogismis ineptissimè quodam Scoto conclusa,* etc.

Quòd autem ab Ebbone canoni Valentino inserta fuerit capitulorum Carisiacorum censura,

inde fit verisimile, quòd Valentinis canonibus condendis præcipuam navaverit operam, ut scribit Hincmarus in priore ad Carolum Calvum Epistolâ, et ut colligi potest ex ipsâ ejusdem concilii præfatione, in quâ post archiepiscopos, solus ex episcopis Ebbo nominatur cum hoc elogio : *collaborante eis quàm maximè venerabili Ebbone Gratianopolitano episcopo.* Hic porrò occultas cum Hincmaro simultates gerebat, eò quòd ex sorore nepos esset alterius Ebbonis qui adversùs Ludovicum Pium conjuraverat, quique eam ob rem exauctoratus, et Rhemensi pulsus archiepiscopatu, suam in Sedem suffectum Hincmarum gravissimè tulerat. Igitur avunculi sui dolorem ulturus Ebbo Gratianopolitanus, Hincmaro et Carisiaco capitulis liberiùs obtrectabat; cùmque in Valentinâ synodo plurimùm posset, recitata in objectione verba : *Porrò capitula quatuor*, etc., quibus Carisiacorum capitulorum censura continetur, quarto canoni inseruisse non immeritò conjicitur. Cæterùm, quidquid sit de hâcce conjecturâ, si agentibus Patribus prædicta verba apposita fuerunt, ipsis auctoribus suppressa quoque fuère; nihil ergo præstant adversùs capitula Carisiaca. Quâ tandem ratione compositum fuerit totum istud dissidium, patebit ex dicendis cap. sequenti.

CAPUT V.

De aliis synodis in causâ Gotescalci habitis.

Præter synodos Carisiacam et Valentinam, de quibus jam diximus, tres aliæ celebratæ sunt in præsenti causâ Gotescalci.

Prima est synodus Lingonensis à Patribus Valentinis habita anno 859, dùm ad concilium Tullense apud Saponarias pergebant. Hâc in synodo lecti canones Valentini, suppressaque fuit clausula contra quatuor capitula Carisiaca; ita ut illius clausulæ nulla jam habeatur mentio, tum in sequentibus, tum in præsenti synodo. Secunda est Tullensis prima apud Saponarias post 15 dies à synodo Lingonensi celebrata; adfuère episcopi 12 Provinciarum. A Patribus Valentinis oblati fuère canones synodi Valentinæ, ut ab universo concilio approbarentur; verùm illorum lectione commoti fuère plures episcopi; quod ubi vidit synodus statuit, « ut in proximo concilio quisque cum scriptis « SS. Patrum adesset, et rebus examinatis « quod rectum videretur omnes tenerent; » hæc habet Hincmaruus opusculo de Prædestinat. cui consonat canon 10, his verbis : « Relecta sunt in eâdem synodo quædam capitula « (Valentina scilicet), super quibus quorumdam « fratrum sensus dissentire probantur. Unde « convenit inter episcopos ut Deo favente pace « ac tranquillitate recuperatâ simul conveniant, « et prolatis SS. Scripturarum atque catholi« corum doctorum sententiis, quæ saniora « sunt concordi unanimitate sequantur. » Non ergo in hoc concilio approbati fuerunt canones Valentini. Tertia synodus est Tullensis, secunda apud Villam Tusiacum anno 860 habita ab episcopis Carisiacis, Valentinis et cæterarum provinciarum Galliæ. Hoc in concilio siluerunt Patres de capitulis Carisiacis et canonibus Valentinis, ne hos vel illa approbando; animos adhuc commoverent; sed in Epist. synodali quod rectum ipsis videbatur communiter fuit prolatum. Quatuor quæstionum hoc ipsorum fuit judicium.

1° De geminâ vel unicâ prædestinatione siluerunt; sed prædestinationem electorum propugnârunt. 2° Liberum arbitrium agnoscitur in homine post Adæ peccatum, sed ad bonum gratiâ debet sanari. 3° De voluntate Dei hæc habentur : « Nihil in cœlo vel in terrâ fit; nisi « quod ipse aut propitius facit, aut fieri justè « permittit, qui vult omnes homines salvos « fieri, et neminem vult perire. Sed justus Do« minus justitiam diligens, iniquitatem non « volens, eis quos ad imaginem et similitudi« nem suam fecit, nec post primi hominis ca« sum vult tollere violenter suæ voluntatis ar« bitrium liberum, quibus reddere paratum « est meritum, » etc. Ergo agnoscitur voluntas generalis salvandi omnes homines. 4° De morte Christi hæc dicuntur : « Qui corpo« ris morte in cruce pro omnibus mortis de« bitoribus, solus inter mortuos liber à mortis « debito dormiens, prædestinatus Filius Dei... « de his qui in eum credere voluerint, sive ad« ventum ejus in carne præcesserint, sive « etiam forent secuti.... ædificaturus erat Ec« clesiam aperto lanceâ latere. » Hìc sanè prædicatur mors Christi pro omnibus; mortis quippe debitores sunt omnes; sicque tandem sopitæ hæ circa prædestinationem controversiæ quæ Gallicanam Ecclesiam tamdiu agitaverant.

Dissertatio sexta.

DE WICLEFISTIS.

Paucis agemus 1° de Wiclefo ejusque defensoribus : 2° de ipsius erroribus, 3° de hæreseos Wiclefi damnatione.

CAPUT PRIMUM.

De Wiclefo ejusque defensoribus.

Wiclefo prælusit (ut opinantur multi) Thomas Bradwardinus; illius patrocinium suscepère præsertim Joannes Hus et Hieronymus de Pragâ ; singulorum notitia exhibenda est.

1° Thomas Bradwardinus, natione Anglus, professione monachus ordinis Minorum, Oxoniensis doctor cognomine *profundus*, in eâdem Universitate professor et cancellarius; posthâc regis Eduardi III confessarius, semel et iterùm in archiepiscopum Cantuariensem electus; tandem inauguratus, quadragesimo post inaugurationem die mortuus, floruit decimo quarto seculo. Vir erat eruditione, sed sine criticâ, ingenio acri, sed audaci præditus; imaginationis phantasmatibus plurimùm delusus, *totum penè mundum post Pelagium abiisse* asserebat, quem ut à tam nefando revocaret errore, librum edidit *de causâ Dei*, quem tamen judicio sanctæ romanæ Sedis suaque cætera opera subjecit.

2° Wiclefus et ipse quoque Anglus, doctor et Oxoniensis professor, deinde de Lutterwold diæcesis Lincolniensis rector; posthâc collegii Cantuariensis Oxonii præfecturam suscepit, à quâ tum archiepiscopus, tum Urbanus V, quem appellaverat, eum ejecerunt; hinc odii in Ecclesiam et errorum origo. Hæresi grassanti obstitit romanus Pontifex, et illius jussu synodus Londinensis Wiclefi errores damnavit: ipse hoc in concilio cantavit palinodiam, cujus ope suam repetiit ecclesiam, in quâ supremum obiit diem anno 1387, vel, ut alii volunt, 1384.

3° Mortuo Wiclefio, non ideò sopitus error; sed utrâque potestate adversùm illius discipulos insurgente, ipsi per Angliam latitârunt, aut ex eâ aufugerunt; ex his unus cum magistri libris Bohemos petiit, illisque pessimum virus propinare cœpit. Tunc temporis florebat Joannes Hus eloquentiâ et moribus compositis celebris; primùm errorem impugnavit, verùm paulò post miserrimè deceptus, quos igne cremandos censuerat libros, postea acriter defendit et explicuit. Censuris irretitus ab archiepiscopo, sanctam Sedem appellavit; confirmatâ à romano pontifice proprii prælati sententiâ, novo instrumento ad concilium œcumenicum provocavit, talique innixus appellatione censuras et latam interdicti sententiam sprevit.

In his temporum circumstantiis habitum fuit conc. Constantiense; illud audacter adiit Joannes Hus, doctrinam agnovit, eam contendit sanam, instructionem efflagitavit ut locum disputationi daret, obsequium promisit nusquàm, nec animum retractationi paratum ostendit; unde convictus, et pertinax, judici seculari derelictus, pertinaciam et errores flammis expiavit.

Eodem prorsùs modo vitæ cursum consummavit Hieronymus de Pragâ, fidus Joannis Hus discipulus; accersitus quippe à concilio Constantiensi, errores quos tuebatur ejuravit primùm, sed ad vomitum rediens, et in secundo lapsu pertinax, igne concrematus obiit.

Utroque Wiclefianæ hæreseos duce interempto, in varias discipuli divisi sunt sectas; tandemque Lutheranis et Calvinistis conjuncti, evanuit Wiclefistarum seu Hussitarum Ecclesia.

CAPUT II.

De Wiclefi erroribus.

Erravit Wiclefus contra Deum et Christum, contra Ecclesiam variosque illius ordines ac membra, contra sacramenta; omnium denique veterum et rigidiorum Prædestinatianorum impia dogmata renovavit, novisque blasphemiis cumulavit. Hoc ultimum errorum hujusce hæresiarchæ caput, quod præsentem materiam spectat, hîc prosequemur; nonnulla tamen adjiciemus ut plenior habeatur notitia integri ipsius systematis; ex eo enim fonte hauserunt quotquot postmodùm subsecuti sunt hæresiarchæ ac novatores.

Docet 1°, Deum prædestinare singulas creaturas intellectuales ad quemlibet actum suum, etiam peccaminosum. 2° Prædestinatione suâ necessitatem suam absolutam ipsis inferre, sive ad bonum, sive ad malum. 3° Eas tamen liberas esse; tum quia spontaneè agunt; tum quia possent non agere si vellent, sed aliter velle non possunt. 4° Sicut prædestinatus non potest à gratiâ excidere; sic præscius (id est reprobus) non potest in illâ perseverare. 5° Deum non potuisse primi hominis peccatum prohibere. 6° Verbum divinum necessariò carnem assumpsisse, satisfecisse, ac mortuum fuisse pro nobis. 7° Quod priorum fons est et origo, Deum actu et necessariò producere, tum ad intra, tum ad extra, quidquid potest producere. 8° Mundum proinde, et quidquid in mundo existit, necessitate absolutâ existere; quidquid autem non existit, omninò esse impossibile; Deumque fore aut impotentem aut invidum, si id quod producere potest, minimè produceret. 9° Quemadmodùm Deus necessariò producit quidquid producere

potest, ita etiam nihil annihilare potest. 10° Quanquàm Deus necessariò producat quidquid producit, ipsum tamen liberum esse; eâ fermè ratione quâ Deus liber est in generatione Filii sui quem Deus necessariò ab æterno generat. Unde legitima harum omnium assertionum consequentia est, omnia prorsùs, tam ex parte Dei quàm ex parte creaturæ, fatali quâdam ac absolutâ necessitate evenire.

Hæc omnia errorum portenta docuisse Wiclefum constat ex variis ejus scriptis, præsertim verò ex præcipuo ipsius opere *Trialogo* inscripto lib. 1, cap. 1, 10, 11, 13, et lib. 3, cap. 7. Idem tradunt Thomas Valdensis lib. 1, cap. 1 et sequent.; Joannes Cochlæus lib. 3 Hist. Hussitarum, et illustrissimus Bossuet lib. 11 Variationum, n. 152.

Ex his patet, uti annotat illustrissimus Bossuet, lib. 11 Variationum, n. 152, absurda perinde ac impia Wiclefi dogmata ad hæc duo summatim capita revocari posse. Primum, durâ ac fatali quâdam necessitate Deum perpetuò agi; secundum, quod ex altero sequitur, Deum causam esse et auctorem omnium criminum. Unde prædicti hæresiarchæ doctrina eò tandem tendit, ut talem introducat Deum, qualem vel ipsi athei meritò negarent; atque adeò insignis hujusce reformatoris religio ipsomet atheismo deterior est.

CAPUT III.

De hæreseos Wiclefi damnatione.

Wiclefi errores variis censuris confixi sunt. 1° Judicio doctrinali Universitatum Pragensis, Oxoniensis et Parisiensis. Ita colligitur ex Cochlæo lib. 1 Hist. Hussitarum, et ex conc. Constant. sess. 8, quo autem præcisè anno non omninò constat. 2° Eâ de causâ tria habita sunt concilia; duo priora Londini annis 1382 et 1396; tertium verò Oxonii an. 1408; in iis synodicis decretis plures et præcipui damnati sunt Wiclefiani errores. Tres istæ synodi extant tom. 11 parte 2 concil. edit. Labb. 3° Joannes XXIII dogmata Wiclefi damnavit, librosque prohibuit anno 1413; synodale decretum reperire est in collect. concil. Labb. loco mox laudato. 4° Denique, ultimo ictu confossa est Wiclefiana hæresis in concilio Constantiensi sess. 8. Ibi sancta synodus articulos 45 Wiclefi damnat, *plures ut notoriè hæreticos..... alios non catholicos, sed erroneos; alios scandalosos et blasphemos; quosdam piarum aurium offensivos; nonnullos eorum temerarios et seditiosos.*

Ducentos etiam sexaginta articulos à doctoribus Oxoniensibus notatos eadem sancta synodus ibidem proscripsit; imò habito priùs accurato examine, latâ sententiâ declaravit eumdem Wiclefum fuisse notorium hæreticum, pertinacem et in hæresi decessisse; ejusque dudùm vitâ functi memoriam damnavit, atque illius ossa exhumari et extra Ecclesiam projici decrevit.

His omnibus censuris præiverat pontificium Greg. XI judicium an. 1377, quo transmissis ad se 19 errorum Wicleli capitibus, pontifex ipsos ex cardinalium consilio damnavit, litterasque dedit ad Angliæ regem, Londinensem episcopum et Oxoniensem academiam, quibus eos excitat ut omni quo possent studio emergentem hæresim profligarent. Extant hæ pontificis litteræ in Labbeanâ collect. Concil. loco antea citato.

Dissertatio septima.

DE LUTHERANIS.

Dicemus 1° de Luthero ejusque præcipuis defensoribus. 2° De ipsius erroribus; 3° de multiplici Lutheranæ hæreseos damnatione.

CAPUT PRIMUM.

De Luthero ejusque discipulis.

1° Anno 1483 Islebii in Saxoniâ plebeis parentibus natus est Martinus Lutherus; humanioribus litteris imbutus, Erfordiam se contulit, ubi ordinem Eremitarum S. Aug. professus est. Inde Wittembergam translatus, post actus academicos lauream doctoralem consecutus est, ac theologiæ professor creatus anno 1413, ætatis verò suæ 33.

2° Anno 1517, cùm ab Alberto sanctæ romanæ Ecclesiæ cardinali et Moguntino archiepiscopo, Dominicanis præ Augustinianis provincia demandata fuisset promulgandi novas indulgentias, occasione imminentis Turcarum in Germaniam irruptionis, à Leone X concessas; id ægrè admodùm ferens Lutherus, primùm adversùs indulgentiarum duntaxat abusum debacchari cœpit; deinde contra ipsarum substantiam; tum adversùs justificationem, sacramentorum efficaciam, aliaque plurima fidei dogmata. Interim litteras dedit ad S. Pontificem eximiæ humilitatis ac modestiæ speciem præ se ferentes; sic enim ipsum aloquitur: « Beatissime Pater, prostratum me pedibus « tuæ B. offero cum omnibus quæ sum et ha-

« beo.... approba, reproba, ut placuerit, vo- « cem tuam, vocem Christi, in te præsidentis « et loquentis agnoscam. »

3° Anno 1518, in jus vocatus à cardinali Cajetano summi pontificis in Germaniâ legato, Augustam venit hæresiarcha; cùmque ipsi in erroribus pertinaci censuras minaretur legatus, ad pontificem appellavit, clamque se Augustâ subduxit; ac postea cùm audiret processum suum Romæ continuandum fore; à summo pontifice ad futurum concilium generale appellavit, præmissâ in appellationis instrumento solemni hâc protestatione: « Contra unam, « sanctam et catholicam et apostolicam Eccle- « siam, quam totius orbis esse magistram « et obtinere primatum non ambigo, sanctæ- « que Sedis apostolicæ auctoritatem, ac sanc- « tissimi Domini nostri papæ benè consulti « potestatem nihil dicere intendo. »

4° Anno 1519, publicæ per multos dies Lipsiæ habitæ sunt concertationes Lutherum inter et celeberrimum Ekium, præsente Georgio Saxoniæ principe, constitutisque scribis ex utrâque parte qui dicta exciperent. In his disputationibus Ekius egregiam de Luthero victoriam reportavit, qui multoties inter disputandum obmutuit. Hoc ipso anno Facultates Coloniensis et Lovaniensis quæ pro Ekii parte judicium tulerant, censuram edidêre in plura Lutheri dogmata; in hos aliosque sibi adversantes catholicos doctores, variis et editis mordacibus libellis, acerrimè insurrexit Lutherus. Etiam hoc anno cum expressâ perfectæ submissionis attestatione ad Leonem X, scripsit: « Paternas, *inquit*, ac verè Christi vicarias « aures huic oviculæ tuæ interim clementis- « simè accomodare dignetur Beatitudo tua.... « Coram Deo et totâ creaturâ suâ testor, me « neque voluisse, neque hodiè velle, Ecclesiæ « romanæ, ac Beatitudinis tuæ potestatem « ullo modo tangere; quin plenissimè confiteor « hujus Ecclesiæ potestatem esse super om- « nia, nec ei præferendum quidquam sive in « cœlo, sive in terrâ, præter unum Jesum « Christum Dominum omnium. »

5° Anno 1520, Ekius Romam perrexit ad Leonem pontificem; ipsique significavit quanta Ecclesiæ imminerent pericula, si grassantibus in Germaniâ Lutheri erroribus non occurreretur. Quamobrem pontifex bullam edidit 17 Kalend. julii ejusdem anni, in quâ quadraginta et unus ex ejus erroribus respectivè damnantur *tanquàm respectivè hæretici, aut scandalosi, aut falsi, aut piarum aurium offensivi,* etc. Pontificio fulmine percussum se sentiens hæresiarcha, furore actus, à pontifice ut ab Antichristo provocavit ad concilium generale; libros omnes Juris canonici cum hâc Leonis bullâ incendit, libellumque apologeticum evulgavit atrocissimis calumniis refertum; nec destitit postea furens, variis scriptis in pontificem, cardinales, episcopos, cæterosque catholicos doctores furenter debacchari. Inter hujusmodi scripta eminet liber de captivitate Babylonicâ. Qui accuratum desiderat operum Lutheri indicem, consulat Cochlæum ad calcem operis ejusdem Cochlei, *de actis et scriptis Lutheri.*

Quamplures sibi sectarios adscivit Lutherus, quos *Evangelicos* dici voluit, quique subinde in varias sectas divisi, in quinque classes possunt distribui.

Prima est Lutheranorum rigidiorum qui pura Lutheri sectantur dogmata. Horum Antesignanus meritò recensetur Matthias Flaccus Illyricus, centuriarum Magdeburgensium præcipuus editor. Inter rigidiores Lutheranos numerari possunt Osiander, Brentius, Callixtus et alii.

Secunda est molliorum Lutheranorum, hoc est, eorum qui Lutheri placita in nonnullis emollire conati sunt. Horum dux est Melancthon qui Confessionem Augustanam composuit anno 1530, unde Confessionistæ et molles Lutherani dicti sunt qui eam sequuntur. Confessio hæc Augustana nihil aliud est, quàm fidei professio à Luthero primùm 27 articulis proposita, deinde à Melancthone 11 articulis emollita, amplificata et meliorem in formam redacta, sicque Carolo Quinto imperatori in comitiis Augustanis oblata à Germaniæ principibus, aliisque istis adhærentibus. Hi superiore anno 1529, in generalibus Spiræ comitiis, contra decretum quo præcipiebatur catholicæ religionis professio protestati fuerant; unde et primùm Protestantes dicti, et cæteri deinceps eis adhærentes.

Tertia est Sacramentariorum, qui à doctrinâ Lutheri circa Eucharistiam recedentes, profitentur in Eucharistiâ Christi corpus non esse nisi in signo. Horum primus creditur Carlostadius, diaconus Wittembergensis, cui sese adjunxêre Zuinglius, OEcolampadius. Hi Calvinianam hæresim præformaverunt, de quâ postmodùm.

Quarta est Anabaptistarum, qui præter cætera Lutheri dogmata, docent baptisma parvulis nihil prodesse, eosque proinde si bapti-

zati fuerint, iterum esse baptizandos, quando ad adultam ætatem pervenère. Hujus sectæ, in varias postea divisæ, auctor est anno 1522 Balthazar Pacimontanus, vel, ut probabiliùs credunt alii, Nicolaus Storkius.

Quinta tandem eorum est qui Adiaphoristæ, seu Indifferentes dicuntur, quales fuère de molliorum Confessionistarum classe Wittembergenses et Lipsenses theologi, qui nedùm Ecclesiæ cæremonias, conciliorum constitutiones, sed etiam et *Sacramenta omnia ad salutem indifferentia esse* contendebant, ita ut unicuique liberum esset pro bono pacis illis uti vel non uti.

CAPUT II.

De erroribus Lutheri.

Non statim suos omnes errores evomuit Lutherus, sed successione quâdam, prout data est occasio illos publicandi. Ad quinque præsertim capita revocari possunt, 1° circa prædestinationem; 2° circa substantiam gratiæ; 3° circa ipsius agendi modum; 4° circa liberum arbitrium; 5° denique circa justificationem.

§ 1. *Errores Lutheri circa prædestinationem.*

Asserit Deum decreto antecedenti, positivo, immutabili ac necessitatem imponente, alios prædestinare ad vitam, tum primam, tum secundam, id est, tum fidem justificantem, tum gloriam; alios verò prædestinare ad mortem, tum primam, tum secundam, id est, peccatum et pœnas æternas. Ex hoc autem irrevocabili decreto

Sequitur 1° Deum velle solos electos salvos fieri; 2° pro ipsis solis mortuum esse Christum; 3° Deum esse causam et auctorem peccati.

Hos errores passim docet Lutherus, in primis lib. de servo Arbitrio, et in assert. trigesimi sexti art. Ex quo constat Prædestinatianorum errores ab ipso renovatos esse.

§ 2. *Errores circa substantiam gratiæ.*

Contendit Lutherus gratiam sanctificationem aliaque dona primo homini in statu innocentiæ concessa, ipsi fuisse propriè et strictè naturalia, eo videlicet sensu, quòd ipsi debita fuerint ratione justitiæ et misericordiæ divinæ, sintque partes, appendices naturæ et primordia naturalia. Ita Lutherus in cap. 3 Genes.: « Statuamus, inquit, justitiam non « fuisse quoddam donum, quod ab extra ac« cederet, separatum à naturâ hominis, sed « fuisse verè naturalem; ut natura Adæ esset « diligere Deum, credere Deo, agnoscere « Deum. Hæc tam naturalia fuère in Adamo, « quàm naturale est quòd oculi lumen reci« piunt. » Ex hoc autem palmari principio, plurima sequuntur erronea consectaria, quæ ultrò agnoscit Lutherus.

Sequitur 1° hominem læsum fuisse in donis naturalibus: « Hæc probant, inquit loco ci« tato, originalem justitiam esse de naturâ ho« minis; eâ autem per peccatum amissâ, non « mansisse integra naturalia, ut scholastici « delirant. » 2° Hominem naturaliter, intrinsecè et substantialiter immutatum fuisse, atque ex justo, innocenti, sano et integro, per peccatum evasisse reum, infirmum, corruptum; ita ut nihil sit aliud nisi miseria, corruptio et peccatum. Ita Matth. Illiric. lib. de essent. imag. Dei. Quod illustrat exemplo corporis viventis et mortui: Quemadmodùm enim, inquit, ubi primùm anima separatur à corpore, nihil aliud remanet nisi turpe ac fœtidum cadaver; ita anima post peccatum intrinsecè et substantialiter corruptio est duntaxat et peccatum. 3° Concupiscentiam ipsosque concupiscentiæ motus, reipsâ esse peccata; idque non solùm in non regeneratis, sed etiam in renatis. Ita Luther. in Assert. art. 2, 3, 26, 27. 4° Quemlibet justum in quibuscumqne suis operibus, etiam ex objecto et ex fine bonis, semper et necessariò peccare; tum quia in iis semper aliquid concupiscentiæ immiscetur, quæ ex dictis peccatum est; tum quia procedunt ab homine jam vitiato et corrupto per peccatum, ac proinde semper vitiosa sunt; eo ferè modo, inquit Lutherus locis citatis, quo quilibet tibiæ curvæ aut equi tripedis motus semper vitiosus est. 5° Omnia peccata ex naturâ suâ mortalia esse, ac proinde pœnis æternis digna; esse autem venialia ex benignitate duntaxat et misericordiâ Dei; quatenùs scilicet justis non imputantur. Ita Luther. in Assert. art. 27.

§ 3. *Errores circa modum agendi gratiæ.*

His capitibus continetur error Lutheri circa modum agendi, seu vim et efficaciam gratiæ. Docet 1°, per gratiam, voluntati necessitatem inferri, non eam quidem quæ coactionis ac violentiæ dicitur, sed eam quæ simplex vocatur; quâ nempe voluntas ita ad unum invincibiliter et insuperabiliter determinatur, ut actus contrarius ampliùs non sit in ejus potestate: « Sequitur, inquit lib. de servo Arbi-

« trio, nos necessariò operari.... necessariò « verò dico, non coactè, necessitate immu- « tabilitatis, non coactionis. Hoc est, homo « cùm vacat Spiritu Dei, non quidem violen- « tiâ, velut raptus obtorto collo, nolens fa- « cit malum; sed sponte et lubenti voluntate « facit. Hoc vocamus modo necessitatem im- « mutabilitatis, quòd voluntas sese mutare, « et aliò vertere non possit. Rursùs ex alterâ « parte, si Deus in nobis operatur, mutata et « blandè assibilata per Spiritum Dei voluntas, « iterùm merâ lubentiâ et pronitate, ac sponte « suâ vult et facit, non coactè, pro naturâ « voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non « esset : nam coactio potiùs est, ut sic dicam, « noluntas. » Nihil his verbis clarius exoptari potest. Atque hinc Bucerus insignis Lutheranus lib. de Concordiâ meritò scribit : *Pax est Lutheranos inter et Catholicos, si solâ coactio libertati repugnat.*

Docet 2°, sub gratiæ impulsu voluntatem, utpote facultatem vitalem, vitaliter agere; nec instar lapidis se merè passivè habere ad bonum materialiter sumptum, id est, ad physicum actûs. Ita colligitur ex mox citatis Lutheri verbis : Ait enim voluntatem, « Deo in « nobis operante, non cogi, sed velle et fa- « cere, et amare bonum merâ lubentiâ et « pronitate ac sponte suâ; etc. » Unde Kemnitius conqueritur oppositam sententiam Luthero falsò imponi : « Exagitant illud, inquit parte « primâ Examinis concil. Trid. ad sess. 6, « quòd Lutherus dicit hominem ad conversio- « nem habere se merè passivè.... quasi planè « otiosa sit et iners voluntas, et tanquam brutâ « agitatione percellatur, quod Luthero nun- « quàm venit in mentem.... Non docuit sine « cogitatione mentis, et consensu voluntatis « fieri conversionem, sed hoc unum voluit, « Deum, eos quos convertit, trahere volunta- « tibus quas in ipsis operatus est, sicut Au- « gustinus loquitur. » Itaque (quod observandum) Lutherus non præcisè voluntati denegat actionem, determinationem et electionem; sed eam duntaxat quatenùs ex activâ indifferentiâ nulli necessitati obnoxiâ proficisceretur.

Docet 3°, voluntatem Deo moventi et excitanti assentiendo, nihil vi propriâ et partiali virtute, quantumvis per gratiam elevatâ, cooperari respectu boni *formaliter* sumpti, quatenùs nempe bonum est, sed circa illud merè passivè se habere; seu agi, non agere; quandoquidem Deus tanquàm totalis et adæquata causa, in ipsâ et per ipsam voluntatem, totum quod bonum est operatur. Cujus quidem sententiæ ratio et causa à priori hæc est, quòd in principiis Lutheri, ut antea observavimus, optima quæque viri etiam sanctissimi opera, inficiantur aliquâ peccati labe; nempe propter vitium concupiscentiæ, quod semper optimis actionibus humanis adhæreseit. Quapropter merito synodus Trid. sess. 6, can. 4, anathema istud pronuntiat : « Si quis dixerit liberum ho- « minis arbitrium à Deo motum et excitatum, « nihil cooperari assentiendo Deo excitanti at- « que vocanti.... neque posse dissentire, si « velit; sed velut inanime quoddam nihil om- « ninò agere, merèque passivè se habere, ana- « thema sit. »

Docet 4°, vim et energiam gratiæ, ex victrice, superiori ac necessitante delectatione desumi; quod variis locis tradit hæresiarcha, ac præsertim citato mox lib. de servo Arbitrio : « Si Deus, inquit, in nobis operatur, « mutata et blandè assibilata per Spiritum Dei « voluntas, iterùm merâ lubentiâ et pronitate, « ac sponte suâ vult et facit, non coactè. »

Docet 5°, non aliam in præsenti statu gratiam admittendam esse, quàm efficacem, invincibilem et insuperabilem, cui voluntas reluctari non possit; verè ergo et propriè sufficientem, cui resistitur, omninò repudiat ille ac rejicit.

Dixi *verè et propriè sufficientem :* Lutherus enim perinde ac cæteri Protestantes, non negant motus supernaturales distinctos à gratiâ efficaci; verùm motus illi debiles sunt et bonis operibus perficiendis impares. « Reformati, in- « quit Ludovicus le Blanc in Thesibus Sedanens. « pag. 548, qui negant omnes qui non conver- « tuntur, gratiam ad conversionem sufficien- « tem habere; non negant tamen quin aliquò « usque gratia Dei operetur in multis qui sese « in peccatis obfirmant, nec ad Deum per fi- « dem et resipiscentiam accedunt. » Gratiam porrò illam, interiorem esse, ibidem tum suo, tum aliorum, quos appellat, testimonio probat prædictus auctor.

§ 4. *Errores circa liberum arbitrium.*

Ex dictis facilè colligitur qui sint Lutheri errores circa liberum arbitrium. Censet 1°, per peccatum voluntatem amisisse activam indifferentiam flectendi se ad partem alterutram; adeòque jam non esse in homine liberum arbitrium, sed esse duntaxat vacuum sine re titulum. *Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo,* ait Lutherus in art. 35. Idem docet

in Assert. ejusdem articuli. Censet 2°, non dari in arbitrio libertatem à necessitate, sed tantùm à coactione. Ita citato lib. de servo Arbitrio. Censet 3°, necessitatem impositam voluntati esse invariabilem, eo sensu quòd à voluntate mutari non possit ; sed de facto esse mutabilem et variabilem, ita ut voluntas subjiciatur modò gratiæ, modò concupiscentiæ. Ita ibidem. Censet 4°, voluntatem merè passivè se habere, respectu boni *formaliter* sumpti, sensu antea exposito ; imò et idem asserit certò quodam sensu, respectu boni materialiter spectati ; quatenùs nempe ad illud non liberè et cum indifferentiâ seipsam determinat, sed invincibiliter et necessariò determinatur ; ita ut movente Deo ad opus bonum, in potestate non habeat voluntas humana, ut ab eo abstinere possit. Sic gratia præveniens vulgò dicitur, *motus qui fit in nobis sine nobis*, non quidem sine nobis vitaliter et activè concurrentibus, sed sine nobis liberè et ex indifferentiâ operantibus. Ita etiam dicebat Apostolus, se *non operari* motus indeliberatos concupiscentiæ ; quia quamvis eos sufficienter produceret, liberè tamen non pruducebat.

Lutherum hoc unum velle asserendo voluntatem se habere merè passivè, constat 1° ex citato antea textu libri de servo Arb. in quo expressè testatur voluntatem *velle, et voluntariè velle, agere, operari.* 2° Ex Melancthone, Kemnitio, Zanchio, aliisque Lutheranis, qui id disertè asserunt ; unde rigidam illam ac severam loquendi rationem abjecerunt, et confessi sunt hominem non passivè tantùm se habere. Verba Kemintii antea laudavimus. 3° Idem tradii Calvinus lib. 1 in Pighium, ubi asserit falsò imponi. Luthero *liberum hominis arbitrium passivè, duntaxat se habere.* 4 Card. Osius, Bellarm. Stapleton, aliique Controversistæ eodem sensu verba Lutheri exponunt. 5° Denique id clarè colligitur vel ex uno Dordracenæ synodi decreto, in quo sic decernitur : « Ad hoc ipsum « opus regenerationis habet se homo passivè, « neque est in potestate voluntatis humanæ « impedire Deum sic immediatè regeneran- « tem. » En quid sibi velint hæretici, dùm merè passivè se habere voluntatem asserunt ; nempe, Dei regenerantis operationem non posse impedire ; unde concil. Trid. sess. 6, cap. 5, hæreticorum eâ de re doctrinam referens ac damnans, sic habet : « Ita ut tangente « Deo cor hominis per Spiritûs sancti illumi- « nationem, neque homo ipse nihil omninò « agat, inspirationem ipsam recipiens, quippe « qui et illam abjicere potest, » etc. Ubi probant Patres Trid. hominem non se habere merè passivè, quia inspirationem ita recipit, ut abjicere possit.

Censet 5°, hominem liberum esse quoad officia societatis civilis. Hinc art. 18 Confessionis Augustanæ conceptis verbis declaratur, *voluntatem habere libertatem ad efficiendam civilem justitiam, et diligendas res rationi subjectas.* Addebat Melancthon in Apologiâ ejusdem confessionis, *ad opera externa legis divinæ.*

§ 5. *Errores circa justificationem.*

Istud est præcipuum errorum Lutheranorum caput, de quo fusiùs suo loco ; impræsentiarum ista annotâsse satis sit. 1° Triplicis generis fidem distinguunt, nempe fidem historicam, fidem miraculorum, et fidem promissionum. Fidem historicam eam dicunt, quâ firmiter credimus vera esse quæ in Scripturis continentur ; de quâ Hebr. 11: *Fide credimus aptata esse secula verbo Dei.* Fidem miraculorum vocant, quâ fiunt miracula ; de quâ primæ Corinth. 11 : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*, etc. Fidem promissionum, quæ versatur circa promissiones divinas de remissione peccatorum, et justitiâ per Christum consequendâ, qualis est illa, Marci ultimo : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Rursùs fides promissionum, alia generalis, quâ credimus promissam esse omnibus credentibus salutem ; altera specialis, quâ unusquisque promissionem divinam sibi applicans credit, sive potiùs certò confidit peccata omnia per Christum sibi esse dimissa. In hâc firmâ persuasione et fiduciâ putant Lutherani consistere veram fidem christianam, theologicam, justificantem, ita ut utraque alia fides propriè appellari non debeat fides. *Fides* inquit Luther. serm. Dom. 1 quadrag. *est certa, altissimèque insidens divinæ bonitatis et gratiæ,.. fiducia.* Hinc Centuriatores, cùm tradunt communem doctrinam suæ sectæ cent. 1, lib. 1, cap. 4, ita fidem definiunt : *fides est fiducia misericordiæ, propter Christum.*

Asserunt 2°, per hanc fidem, seu firmam specialis misericordiæ fiduciam, et quidem *solam*, hominem justificari. *Fides*, inquit Luther in cap. 2. ad Galat. *est formalis justitia propter quam homo justificatur, non propter charitatem.* Et rursùs ibid.: *Fides sine et ante charitatem justificat.* Idem etiam docet Melancthon in locis communibus.

Asserunt 3°, justificationem soli fidei esse adscribendam; non quidem per modum causæ

formalis, aut efficientis physicæ vel meritoriæ, quasi aut ipsa sit justitia, aut eam impetrare vel promereri possit, sed solùm relativè ; quia videlicet credendo aut potius confidendo accipit, quod Deus promittendo offert. Ita Kemnitius in Examine concilii Trid. sess. 6. Hinc Illyriciani et Wittembergenses in colloquio Altemburgensi convenerunt in eo, *quòd fides non sit dicenda causa, sed merum organum justificationis.* Ex quo intelligitur Lutheranos, qui gloriantur se omnia soli fidei adscribere, reipsa nihil omninò ei tribuere.

Asserunt 4°, formalem nostræ justificationis causam, non esse aliquid intrinsecum et nobis realiter inhærens ; sed eam formaliter consistere vel in imputatione justitiæ Christi, ita Illyricus et plerique alii ; vel in ipsâ essentiali Dei justitiâ nos inhabitante, ita Osiander; vel in solâ remissione, id est, non imputatione peccatorum, ita quidem alii cum Calvino lib. 3 Institut. cap. 11. Hi omnes errores damnantur à patribus Trid. sess. 6, de justif. can. 11, his verbis : « Si quis dixerit homines justificari.... « exclusâ gratiâ et charitate, quæ in cordibus « eorum per Spiritum sanctum diffundatur, « quæ illis inhæreat...., anathema sit. »

Asserunt 5°, unumquemque posse ac debere certum esse certitudine fidei divinæ, sibi remissa esse peccata, ac poinde verè justum esse. Ita Lutherus art. 11, Melancthon, Bucerus et alii. Quem errorem anathemate percellit synodus Trid. citatâ sess. 6, can. 13 : « Si quis « dixerit omni homini ad remissionem pecca- « torum assequendam necessarium esse, ut « credat certò, et absque ullâ hæsitatione « propriæ infirmitatis et indispositionis peccata « sibi esse remissa, anathema sit. »

Asserunt 6°, justificatos omnes æqualiter esse justos; cujus quidem erroris fundamentum est, quòd unâ et eâdem Christi justitiâ fide apprehensâ, atque à Deo imputatâ omnes justificari doceant.

Asserunt 7°, opera bona ad salutem necessaria non esse. *Bona opera,* inquit Luth. lib. de Libert. christianâ, *non faciunt bonum virum, nec malum mala.* Et lib. de Captivit. Babyl. : *Nulla peccata possunt fidelem damnare, nisi sola incredulitas.* Eamdem operum necessitatem communibus votis negârunt Lutherani in Colloquio Vormatiensi, ubi, teste Melancht. lib. 1, epist. 70, improbata fuit ista propositio : *Bona opera necessaria sunt ad salutem.* Hinc celebre istud apud Lutheranos pronuntiatum; videlicet, *solâ fide justificari et salvari homines.* Sunt inter ipsos qui dicant falsò accusari suos, quòd bonorum operum nessitatem negent. Ita Brentius, Kemnitius et alii. Quin et in Colloquio Altemburgensi, non solùm Saxonici, sed etiam Wittembergenses electorales in eo convenerunt, bona opera esse ad salutem necessaria, non quidem *necessitate efficientiæ,* ut ipsi loquuntur, quasi ipsa sint aut dici possint justificationis causa; sed *necessitate præsentiæ,* vel ut signa fidei, vel aliis de causis.

Cæterùm, quidquid sit de variis Lutheranorum loquendi rationibus, cùm propiùs excutiuntur ipsorum principia, et pleraque scripta Lutheri, aliorumque insigniorum Lutheranorum, videntur omninò existimare, posse hominem salvari, etiamsi nulla bona opera faciat, nec divina mandata custodiat. Enimverò, uti antea annotavimus, perfectiora justorum opera, in Lutheranorum sententiâ, nonnisi nomine et secundùm quid bona sunt, reipsa verò et simpliciter sunt peccata mortalia; ast quis dixerit opera quæ totidem sunt peccata ex naturâ suâ mortalia, ad salutem prorsùs esse necessaria? Præterea, si bona opera sunt peccata mortalia, et tamen propter fidem non imputantur; certè poterunt etiam mala opera propter fidem non imputari, ac per hoc non nocere; atque istud non obscurè docet Luther. lib. de Captivit. Babyl. ubi ait, *omnia peccata in momento à fide absorberi.*

Asserunt 8°, mandata Dei esse planè impossibilia homini, etiam justificato, quantâlibet gratiâ instructo; atque inde colligunt, nullam esse in nobis veram actualem justitiam, sed omnia justorum opera esse peccata mortalia ex naturâ suâ. Ita Luther. in Assert. art. 2, 31, 32 et 36. Idem apertè scribit Melanth. in locis comm. tit. de peccato : *Consequitur itaque,* inquit, *omnia hominum quantumvis laudabilia opera, planè vitiosa esse, et morte digna peccata.*

Asserunt denique 9°, bona justorum opera nullatenùs esse meritoria vitæ et salutis æternæ. Addunt tamen ipsa placere Deo, atque quorumdam præmiorum temporalium et spiritualium in hâc et alterâ vitâ meritoria esse; non quidem ex propriâ dignitate, quasi reipsâ sint justa et legi satisfaciant, sed ex fide et indulgentiâ Dei, quia nimirùm Deus iis, qui credunt sibi remissa esse peccata, indulgentiâ suâ tegit operum fœditatem, et sic accipit, quasi justa essent. Ita Confessio August. et Apolog. art. 20.

CAPUT III.

De multiplici Lutheranæ hæreseos damnatione.

Anno 1520, 17. Kalend. julii, Leo X, S. pontifex, apostolico dogmate 55, Lutheri propositiones proscripsit *tanquàm respectivè hæreticas, aut scandalosas, aut falsas, aut piarum aurium offensivas.* Eodem anno in Comitiis Wormatiensibus, promovente nuntio apostolico, Cæsar edictum tulit de consensu omnium sacri imperii principum, ordinum et statuum, quo Lutherum obstinatum schismaticum et hæreticum habendum esse declaravit, denuntiatis gravissimis pœnis in eos qui dicto aut facto hæresiarcham fovere præsumerent. Hæc narrat card. Palavicinus lib. 1, Hist. concil. Trid. cap. 27 et 28.

Anno 1528, duæ in Galliis celebratæ sunt synodi in causâ Lutheranæ hæreseos; videlicet, Senonensis, præside cardinali de Prato; et Bituricensis, præside Francisco Turnonio archiepiscopo; in iis Lutherana hæresis confixa est, variis de fide editis decretis. Damnati sunt etiam ac vetiti Lutheri et Lutheranorum libri.

Anno 1542, die 10 martii, sacra Facultas Parisiensis 55 articulos Lutheranæ et Calvinianæ hæresibus oppositos, quasi formulam catholicæ doctrinæ edidit, omnesque sui ordinis Doctores et Baccalaureos ad subscribendum iis adstrinxit. De his synodus Narbonensis, habita an. 1551, sic statuit: « In lucem edita « sunt à dominis doctoribus Facultatis Sor« bonæ Parisiensis christianæ legis axiomata « die 10 martii an. 1542...... quæ tanquàm « vera, orthodoxa et Christianæ religioni « consona recipimus; eaque prædicari, et « palàm exponi in sacrificio Missæ faciendo, « et concionibus habendis, exactè jubemus. » Longe antea, an. scilicet 1521, die 15 aprilis, sacra Facultas Lutheri assertiones prædamnaverat, « tanquàm simplicis populi seductrices, « potestati Ecclesiæ et ordini hierarchico « impiè derogantes, in Spiritum sanctum « blasphemas, apertè schismaticas et hære« ticas. »

Anno 1545, Theologica Facultas Lovaniensis triginta duos edidit articulos contra Lutheranam hæresim, quos imperator Carolus V in omnibus inferioris Germaniæ provinciis promulgari curavit.

Denique œcumenica synodus Trid. cœpta die 13 decembris an. 1545, et absoluta die 4 decembris an. 1563, Lutheranam et Calvinianam hæresim solemni et decretorio judicio iterùm confixit, habitis eâ de re 25 sessionibus.

Varii etiam in eâdem Lutheranorum causâ, habiti principum imperii conventus, in quibus proscriptus est Lutherus, variisque modis cautum ne latiùs diffunderetur impia hæresis. Ita inprimis comitia Wormaticense an. 1521; Norembergense an. 1523; Ratisponense an. 1524; Spirense an. 1529; Augustanum an. 1530. In iis comitiis principes Protestantes fidei suæ Confessionem à Melancthone exaratam, Augustanam vulgò dictam, imperatori obtulerunt.

Ad compendiosam, quam in istâ dissertatione proposuimus exhibere Lutheranismi synopsim, tria supersunt observanda. Primum. Intermisso ob varias temporis injurias concilii Trid. progressu, celebrata fuisse à Carolo V imperatore Augustæ comitia an. 1548. Iis in comitiis libellum promulgavit imperator, *Interim* nuncupatum, quod formulam doctrinæ et ceremoniarum in Germaniâ tenendam interim præscriberet, donec de iis omnibus in concilio œcumenico pronuntiatum fuisset. Complectebatur hic libellus præcipua controversiarum capita, quæ tunc temporis agitabantur, viginti sex articulis distributa. Catholicis perinde ac Protestantibus plerisque displicuit infaustus libellus; hunc improbavit S. pontifex; eumdem è Catholicis confutârunt Hosius card. Lindanus; ex hæreticis Philippus Melancthon, Joannes Calvinus.

Alterum hic annotandum, istud est; nempe, varias variis temporibus à Lutheranis editas fuisse fidei confessiones. Quatuor præcipuæ sunt: Augustana videlicet, Saxonica, Wittembergica, Bohemica. Confessio Augustana omnium Confessionum fidei Lutheranorum celeberrima est. Complectitur unum supra viginti articulos de ipsorum fide, septem verò de prætensis Ecclesiæ Romanæ abusibus; à Melancthone exarata fuit, qui postea ipsius apologiam edidit. In comitiis Augustæ Vindelicorum habitis an. 1530, ab aliquot Germaniæ principibus Carolo V oblata fuit. Sæpiùs recognita fuit et emendata; diversæ extant illius editiones, Lipsiæ, Wittembergæ, etc. quæ in nonnullis sibi invicem omninò adversantur. Saxonica etiam à Melancthone exarata fuit an. 1551, eo scilicet fine, teste Sleidan. lib. 22, ut synodo Tridentinæ exhiberetur; huic, tanquàm Augustanæ Confessioni repetitæ, subscripserunt pastores et doctores Eccle-

siarum Saxoniæ, Pomeraniæ, Poloniæ, etc. Viginti constat articulis. Wittembergica, teste eodem Sleidan., adornata est anno 1505, à Brentio Lutheranorum post Melancthonem doctissimo, per legatos Christophori ducis Wittembergensis synodo Tridentinæ exhibenda. Hæc sicut et Saxonica Confessio, dicitur mera Augustanæ repetitio; ast in utrâque plurima continentur Augustanæ Confessioni directè adversa. Triginta duobus digesta est articulis. Bohemica Confessio, quæ et Valdensium Confessio nuncupatur, à ministris Bohemiæ et Moraviæ circa annum Christi 1531 exarata fuit, atque à Luthero, Melancthone et Academiâ Wittembergensi comprobata; tandem anno 1535, Ferdinando regi oblata à nobilibus regni Bohemiæ. 20 constat articulis.

Extant hæ omnes fidei Confessiones in libro Genevæ edito sub hoc titulo : *Corpus et syntagma Confessionum fidei*, etc.

Tertium hìc observandum. Cùm inter Lutheranos gravissima ferverent dissidia, circa plurima Confessionis Augustanæ capita; de necessitate videlicet bonorum operum ad salutem, de viribus liberi arbitrii, ac præsertim de Eucharistiâ; ad has lites componendas varii habiti sunt conventus, Bergæ primùm, deinde Torgæ; tandem Septemviri Saxoniæ jussu, à sex præcipuis Lutheranæ factionis theologis, formula concordiæ in conventu Torgensi adornata est anno 1577, quæ formula *Liber concordiæ* solet appellari. Eo in libro, qui monumenta apud Lutheranos maximè authentica complectitur, omnes qui aliter sentirent, quàm in eo præscriptum erat, pro hæreticis habendos esse decernitur. Huic subscripserunt Saxo et Brandebursensis Septemviri, principes, comites et civitates pleræque Augustanæ Confessionis, ut constat ex catalogo, initio libri affixo. Multis tamen subinde scriptis, animadversionibus, censuris impugnatus est liber ille, non modò à Catholicis, verùm etiam ab hæreticis, ut legere est apud Hospinianum, lib. cui titulus : *Concordia discors*, cap. 27, 28, etc.; è Catholicis librum concordiæ confutârunt Osius card. Lindanus, et Bellarminus in judicio de libro concordiæ Lutheranorum, quod legitur ad calcem tomi tertii Controvers. ejusd. card.

Dissertatio octava.

DE CALVINO.

Eumdem fermè in istâ ac in præcedenti dissertatione ordinem sectabimur. Dicemus obiter 1° de Calvino ; 2° de Calvini erroribus ; 3° de Calvinistarum dissidiis ; 4° de colloquiis et synodis in causâ Calvinianæ hæreseos habitis.

CAPUT I.

De Calvino.

1° Joannes Calvinus, à quo Calvinistæ, post Lutherum, omnium ætatis suæ hæresiarcharum facilè princeps, Novioduni anno 1509, parentibus catholicis natus est.

2° Lutetiam studiorum causâ missus, in Marchiano collegio primùm, deinde in Montisacuti gymnasio, humanioribus litteris et philosophiæ operam dedit.

3° Peracto suorum studiorum decursu in patriam reversus est. Inde paulò post, ad jurisprudentiæ studium animum applicuit Aureliæ primùm, deinde Biturigi, ubi cum Wolmaro, Lutherano occulto, amicitiam iniit, à quo novæ hæreseos principia didicit.

4° Parisios rediens cum Lutheranis clandestinos conventus agentibus familiaritatem junxit, præsertim cum Nicolao Copo, Parisiensis academiæ rectore, novæ doctrinæ principiis afflato : cùm autem Joannes Morinus rerum capitalium judex integerrimus in novatores, et inprimis in Copum, ac in Calvinum ipsum inquireret, uterque clam secedere cogitur. Hic verò, scilicet Calvinus, variis mutatis sedibus in Galliis, cùm Franciscus I, rex christianissimus in Sacramentarios igne animadverteret, supplicii metu regno excessit, ac Basileam se recepit versùs annum 1535.

5° Ibi famosum perinde ac exitiosum edidit Institutionum opus, in capita primùm, deinde in posterioribus editionibus in quatuor libros distributum. Opus illud ex Melancthonis, Brentii, Œcolampadii, aliorumque sectariorum libris magnâ ex parte exscriptum fuit, sed novâ methodo, ac purioris latinitatis elegantiâ adornatum. Deinde in Italiam profectus est; ex Italiâ citò in Galliam regressus, rebus suis omnibus compositis, Genevam pervenit circa annum 1536, ibique domicilium fixit.

6° An. 1537, à magistratu Genevensi, non concionator tantùm, sed et theologiæ professor eligitur ; tum plurima edidit opuscula pestife-

ris suis erroribus referta. Variis subinde exortis ac sedatis dissidiis, Bernenses inter et Genevenses, tandem anno 1541, postquàm colloquio Ratisponensi interfuit, omnem sectæ suæ disciplinam Genevæ constituit probante senatu, legesque præscripsit, à quibus postea discedere nec ipsis ministris, nec civibus licitum esset.

7° Eodem anno 1541, edidit Catechismum gallicè et latinè, in quæstiones et responsiones distributum, quem plurimùm semper f cerunt Calvinistæ ; huic addidit precum ecclesiasticarum et administrandorum sacramentorum formulam. Anno 1542, mordaci libello quem *Antidotum* inscripsit, 25 articulos sacræ Facultatis Parisiensis contra Lutheranam hæresim confutare aggressus est. Anno 1546, alterum scripsit impium *Antidotum* adversùs concilii Trid. sessiones septem jam celebratas, paulo ante virulentissima evulgaverat scholia in Pontificias litteras à Paulo III, ad Carolum V imperatorem, occasione *Interim* directas.

8° Annis 1550 et 1551, acerrima exorta est, Calvinum inter et plerosque ministros Genevenses, contentio de prædestinatione. Eâ occasione scripsit librum de æternâ Dei Prædestinatione, et libellum de scandalis. Anno 1552, Michaelem Servetum ad magistratum defert Calvinus, ac vivum cremari procuravit ob assertas in SS. Trinitatem hæreses. Anno 1554, comministris omnibus subscribentibus, Serveti errores confutavit, atque hæreticos à magistratu jure gladii comprimendos demonstravit. Anno 1558, adversùs Valentinum Gentilem, Lælium Socinum, et Georgium Blandratam, Trinitatis hostes egit. Anno 1562, totius suæ sectæ nomine Confessionem fidei edidit imperatori et Germaniæ principibus, in comitiis Francofurtensibus offerendam ; in eâ Confessione impiæ suæ doctrinæ virus paucis ac nitidè exponit. Tandem anno 1564, ætatis verò 54, variis gravissimisque morbis vexatus, miserrimè obiit, testibus Lindano in dubit. Dialogo 2, Sancthesio, Papirio, Bolseco et aliis.

CAPUT II.

De Calvini erroribus.

Supra recensitos Lutheri errores docuisse Calvinum, res est certior quàm ut probatione indigeat ; eos siquidem passim in suis operibus, præsertim in libris institutionum christianæ religionis (ut vocat) conceptis verbis exprimit ; idque perinde confitentur tum Catholici, tum heterodoxi theologi. Legatur, si vacat, lib 1 Instit. cap. 16, 17 ; lib. 2, cap. 1, 3, etc., in Antidoto conc. Trid. ad can. 4, sess. 6 ; lib. de æternâ Dei Prædest, ; lib. 3 et 6 de lib. Arb. contra Pighium, etc. In iis itaque erroribus iterùm recensendis non immorabimur ; consulantur quæ dicta sunt præcedenti dissertatione cap. 2.

Verùm tria sunt, circa justificationis gratiam, specialia Calvinistrarum dogmata, uti annotat illustr. Bossuet. lib. 9 Variat. n. 2, quæ hic, ex eodem doctiss. auctore, jam paucis sunt indicanda. Docent itaque 1° fideles omnes posse ac debere certos esse certitudine fidei divinæ, non solùm de præsenti gratiâ atque justitiâ, uti censent Lutherani, sed etiam de suâ perseverantiâ, prædestinatione ac electione ad gloriam. Ita Calvin. lib. 3, cap. 2, parag. 16, ubi sic loquitur : « Verè fidelis non est, qui solidâ « persuasione... divinæ erga se benevolentiæ « promissionibus fretus, indubitatam salutis « expectationem præsumit. » Ita etiam in Antidoto concil. Trid. ad caput 13 et 14. sess. 6. Idipsum definit synodus Dordrectana, quinto doctrinæ capite de Perseverant. SS. art. 9, his verbis : « De hâc electorum ad salutem « custodiâ verèque fidelium in fide perseverantiâ, ipsi fideles certi esse possunt, et sunt « pro mensurâ fidei, quâ certò credunt se esse « et perpetuò mansuros vera et viva Ecclesiæ « membra, habere remissionem peccatorum, « et vitam æternam. » Ibidem inter rejectos Arminianorum errores art. 3 et 5, refertur eorum sententia qui hanc fidei certitudinem negant. Unde Calvinista juxta suæ sectæ principia, non magis de suâ æternâ salute dubitare potest, quàm Lutheranus de suâ præsenti justificatione. Et reipsâ in celebri Confess. Frederici III, electoris Palatini, quæ refertur secundâ parte collectionis confessionum fidei Eccles. Reformat. sic legitur pag. 149 : « De catholicâ « Christi Ecclesiâ, credo... me ejus cœtûs vivum membrum esse et perpetuò mansu« rum. » Et paulò post : « Credo et confiteor « Deum Patrem propter plenissimam Christi « Passionem, nunquàm ullorum meorum pec« catorum... meminisse ; ita ut Dei judicium « metuere nequaquàm habeam necesse. » Et rursùs : « Ego in christianâ hâc meâ confessione « certò scio me servatum iri, et hilari vultu « ante tribunal Christi compariturum. » En nativi sensus quos suopte ingenio inspirat doctrina calviniana.

Docent 2°, fidem et justitiam propriam esse electorum, et semel verè acceptam non posse

ullà ratione amitti ; et qui ab eà excidere videntur, nunquàm eam reverà habuisse. « Solos « electos, inquit Calvin. lib. 3 Instit. cap. 2, « parag. 11, semine incorruptibili Deus in « perpetuum regenerat ; ut nusquàm dispereat « semen vitæ in eorum cordibus insitum. » Idem repetit ibid. paragr. 12, et in Antidoto conc. Trid. Idem etiam tradunt inter Calvinistas celeberrimi ; tandem istud controversiæ caput contra Armînianos definivit Dordrectana synodus de Persever. SS. art. 4 et 5 : « Verè « fideles, inquit, in quibusdam actionibus par« ticularibus à ductu gratiæ, suo vitio recede« re, et à carnis concupiscentiis seduci, iisque « obsequi possunt... et in peccata etiam gravia « et atrocia abripi... talibus autem enormibus « peccatis Deum valdè offendunt, reatum mor« tis incurrunt, conscientiam gravissimè vul« nerant, sensum gratiæ nonnunquam ad tem« pus amittunt. » Audis verè fideles, *gravibus, atrocibus, enormibus peccatis*, non *gratiam* ipsam, sed solummodò *gratiæ sensum* amittere, idque *nonnunquàm* duntaxat. Rursùs ibid. art. 6, sic prosequitur synodus : « Deus ex immu« tabili electionis proposito, Spiritum sanctum « etiam in tristibus lapsibus à suis non prorsùs « aufert, nec eò usque eos prolabi sinit, ut gra« tiâ adoptionis ac justificationis statu excidant, « aut peccatum ad mortem, sive in spiritum san« ctum committant, et ab eo penitùs deserti, in « exitium æternum se præcipitent. » Vides iterùm in mente synodi, verè fideles, etiam dùm *gravia enormia* crimina committunt, *è gratiâ adoptionis ac justificationis statu non excidere*. Certè significantioribus verbis componi non potest, Christus cum Belial, et gratia cum iniquitate.

De Calvinistarum doctrinâ circa præsens controversiæ caput olim strenuè disputârunt eruditi duo Facultatis Parisiensis theologi ; eorum discrepantes sententiæ ad concordiam facilè adduci posse videntur, si asseratur, Calvinianum dogma, totiusque sectæ fidem meritò censeri, quod Calvinus, insigniores inter Calvinistas theologi, et synodus Dordrectana tradunt ; quamvis nonnulli ejusdem sectæ auctores ab eo dogmate recesserint ; unde in præsenti controversiâ, et in quibusdam aliis in quibus Calvinistæ et Lutherani variârunt, de ipsis meritò dici potest, quod Tertullianus lib. de Præscript. cap. 42, de hæreticis generatim scribit : « Mentior si non etiam à regulis « suis variant inter se..... Idem licuit Valenti« nianis quod Valentino, idem Marcionitis quod « Marcioni de arbitrio suo fidem innovare. » Et paulò post : « Denique penitùs inspectæ « hæreses omnes multis cum auctoribus suis « dissentientes deprehenduntur. » Idem habet Vincent. Lirinensis in Commonit.

In istâ autem Calviniani dogmatis controversiâ, attendenda sunt, inquit illustr. Bossuetius loco antea laudato, duo præsertim palmaria Calvinistarum verba, *totaliter* et *finaliter*. Arminiani contendebant hominem justum posse fidem et justificationem amittere ; sive *totaliter*, hoc est è gratiâ adoptionis et justificationis statu penitùs excidere ; sive *finaliter*, hoc est, in perpetuum, ita ut, ante mortem non resipiscat ; synodus è contra Dordrect. Calvini principiis firmiter inhærens, utrumque negat, et expressè definit justitiam semel acceptam esse prorsùs inamissibilem ; atque adeò justitiam non solùm esse in solis electis, sed insuper in electis esse immobiliter ; alii tandem quidam è Calvinistis, quibus præivisse videntur Petrus Martyr in caput 8 Epist. ad Rom. et Kemnitius in Examine concil. Trid. docent posse justum labi et excidere à justitiâ; attamen fieri non posse, quin ante mortem non redeat ad fidem, seu, quod idem est, posse à justitiâ excidere *totaliter*, sed non *finaliter*.

Itaque juxta professos Calvinitas, justitia reperitur in solis electis, iisque inest immobiliter; cùm ipsa sit prorsùs inamissibilis, sive *totaliter*, sive *finaliter*. Juxta paucos alios ex ipsis qui non ita tenaciter inhærent Calvini placitis, fides et justitia inest quidem solis electis, sed non immobiliter; ac proindè ad tempus *totaliter* amitti potest, sed non *finaliter*. Juxta tandem Arminianos, qui hâc in parte Calvini sententiam prorsùs deseruêre, justitia reperiri potest in iis qui non sunt prædestinati, unde sive *totaliter*, sive *finaliter* amitti potest. Atque is est quintus Remonstratensium articulus, à synodo Dordrect. expressè confixus art. 4, 5, 6, antea laudatis, et insuper art. 7 et 8, in quibus loquens de gravibus et atrocibus criminibus quæ verè fideles quandoque committunt, sic habet : « In istis lapsibus conservat in illis se« men illud suum immortale, ne illud pereat « aut excutiatur..... sed ex gratuitâ Dei miseri« cordiâ id obtinent, ut nec TOTALITER fide et « gratiâ excidant, nec FINALITER in lapsibus « maneant aut pereant. » Nihil profectò expressius his synodis verbi.

Docuit 3° Calvinus tanquàm manifestum justitiæ imputativæ consectarium, baptisma non esse medium ad salutem necessarium, uti contendebant Lutherani ; fideliumque pueros sine

baptismo decedentes salvari, quòd sancti sint et Ecclesiæ membra, et in fœderis hæreditatem, statim ac geniti sunt, à Deo excipiantur. Ita apertè tradit lib. 4. Institut. cap. 15, parag. 20 : « Quantùm damni invexerit dogma illud malè « expositum, baptisma esse de necessitate sa- « lutis, pauci animadvertunt..... unde sequitur « non ideò baptizari fidelium liberos, ut filii « Dei tunc primùm fiant, sed solemni potiùs « signo ideò recipi in Ecclesiam, quia promis- « sionis beneficio jam ante ad Christi corpus « pertinebant. » Rursus ibidem : « Infantes « nostros, antequàm nascantur, se adoptare in « suos pronuntiat Deus, cùm se nobis in Deum « fore promittit, seminique nostro post nos. « Hoc verbo continetur eorum salus. »

Atque ex eo postremo Calvini dogmate istud absurdum sequi observat illustr. Bossuet. lib. 9, Variat. n. 16, scilicet, omnes fidelis posteros, prædestinatos esse. Ratio aperta est, quia in principiis Calvini, justitia semel habita est prorsùs inamissibilis, et qui eam semel habet, ab eâ nec *totaliter*, nec *finaliter* exidere potest; si ergo pueri fidelium nascantur filii fœderis ac gratiâ adoptionis instructi, certò perseveraturi sunt, ac consequenter sunt de numero prædestinatorum.

CAPUT III.
De Calvinistarum dissidiis.

Calviniana factio pro naturâ et conditione cujuscumque hæreseos in varias sectas scissa est, quarum tres sunt præcipuæ.

Prima eorum omnium est qui pura Calvini sectantur dogmata; quales sunt 1° Genevenses. 2° Reformati in Galliâ, in Palatinatu, Belgio, Helvetiâ. 3° Presbyteriani, Puritani, Independentes in Angliâ et Scotiâ. Presbyteriani, Puritani et Independentes, non dissentiunt in Confessione fidei; ast in ecclesiastico regimine, ut ita loquar, nonnihil à se invicem dissident. Etsi enim utrorumque cœtus regant presbyteri, attamen Puritani, qui se Calvinistas reformatos jactitant, majorem præ se ferunt severitatem in externâ disciplinâ, atque statas et solemnes Ecclesiæ cæremonias pertinaciùs repudiant; unde ipsis Puritanorum nomen datum. Independentes verò ab utrisque dissident, quòd unamquamque particularem Ecclesiam sui juris faciant, nec alii ulli subjectam aut subordinatam contendant; cùm è contra tum Presbyteriani tum Puritani, juxta ea quæ sancita sunt cap. 5 disciplinæ Eccles. reformat. art. 13, Ecclesias particulares colloquiis, colloquia synodis provinciliabus, has synodis nationalibus subjiciant, et qui eorum decretis obtemperare renuunt, ex Ecclesiâ ejiciendos pronuntiant.

Secunda est Anglo-Calvinianorum; nec propriè Lutherani sunt nec Calviniani; sed hi propriè dicuntur qui adhærent congeriei errorum quos Cranmer Lutheranus, dux Sommerset Zuinglianus, regina Elizabeth Calvinismo favens, schismati Henrici VIII addidere, servatis semper nonnullis ad hierarchiam pertinentibus; unde dicti sunt Episcopales. A Presbyterianis, Puritanis, cæterisque reformatis differunt tum in quibusdam dogmatibus, tum in disciplinâ; siquidem episcopos agnoscunt non solùm ordine, sed et jurisdictione presbyteris jure divino superiores; crucem non modò honorant, sed ejus signum sacramentis et inprimis baptismo adhibent; quæ certè à doctrinâ et praxi Puritanorum prorsùs aliena sunt; summum Ecclesiæ Anglicanæ gubernatorem et caput regem agnoscunt, cui plenitudinem potestatis ecclesiasticæ inesse contendunt. De quo consuli potest illustris. Bossuet. lib. 7 et 10 Variat.

Tertia Arminianorum est; hi ortum duxerunt à Jacobo Arminio ministro Amstelodamensi, qui postea creatus fuit theologiæ professor in Academiâ Lugdunensi Batavorum. Is multa fundamentalia Calvinianæ doctrinæ capita, circa materiam de prædestinatione, de gratiâ et libero arbitrio, de justificatione, disputationibus ac scriptis confutavit. Adversarium expertus est Gommarum ejusdem academiæ professorem et duriorum Calvini dogmatum propugnatorem acerrimum. Uterque suos habuit sectatores; hinc Leydensis primùm academia, tota deinde Batavia varia in studia, partesque scissa est. Ad hos componendos motus decreta est synodus nationalis, quæ tandem Dordrechti habita est an. 1618. In hâc celeberrimâ Reformatorum synodo, damnata sunt quinque famosa doctrinæ Arminianorum capita, atque in eos lata est synodica sententia his verbis : « Synodus..... prædictis citatis om- « ni ecclesiastico munere interdicit, eosque ab « officiis suis abdicat..... donec per seriam re- « sipiscentiam, dictis, factis, studiis contrariam « abunde comprobatam, Ecclesiæ satisfaciant. »

Arminiani deinceps etiam Remonstratenses appellati sunt ob libellos supplices ordinibus Hollandiæ et synodo Dordrech. oblatos, in quibus sæpe Remonstratensium nomine se indigitant : dicti insuper molles Calvinistæ, ob emollitam Calvinianorum dogmatum duritiem ;

Gommaristis verò ipsorum adversariis, Contraremonstratentium et rigidiorum Calvinistarum nomen datum. Inter Arminianos eminent Arminius, Episcopius, Grotius, etc.; inter Gommaristas autem Gommar, Scultet., Breytingerus, Hermannus, Polyander, etc.

CAPUT IV.

De colloquiis, synodis, et fidei professionibus in causâ Calvinianâ habitis.

Duo habita sunt in Galliis celeberrima Colloquia, ad Calvinianos, si fieri posset, in unitatem Ecclesiæ revocandos. Primum anno 1561, Poissiaci indictum fuit ad diem 9 septembris. Huic aderant cum adolescente rege Carolo IX et reginâ matre, rege Navarræ, aliisque regii sanguinis principibus, sex cardinales, Burnonius, Turnonius, Castillionatus, Lotharingus, Armeniacus et Guisius; archiepiscopi et episcopi circiter quadraginta, selectique doctores, quos inter eminebant Claudius Espencæus et Claudius Sanctesius Parisienses theologi. Ex parte verò hæreticorum, Theodorus Beza, minister Genevensis, Petrus Vermilius, Martyr cognominatus, aliique numero tredecim, cum duobus et vigenti Calvinianæ factionis deputatis. Primâ sessione comministrorum nomine perorans Beza, in hanc impiam blasphemiam erupit, *tantùm ab Eucharistiâ distare corpus Christi, quantùm supremum cœlum à terra.* Ad Bezæ blasphemias præsulum cœtus cœterique omnes Catholici inhorruêre; quod Turnonius card. Antistitum princeps, et Galliarum primas reginæ significavit, addens, statim à consessu discessuros fuisse, nisi eos regis reverentia continuisset. Secundâ et tertiâ sess. habitis die 16 et 24 ejusdem mensis, cardinales Turnonius, à Lotharingiâ, necnon Espencæus et Sanctesius Parisienses doctores eruditè confutârunt quæcumque Beza aliique Comministri de suæ doctrinæ capitibus prolixè disseruerant.

Actum deinceps, jubente reginâ, in privatis collationibus, de formulâ fidei circa Sacramentum Eucharistiæ. Post varias collationes à ministris eâ de re habitis, in hanc tandem convenère formulam, quam refert Beza lib. 4 Hist. Eccles. Reform. p. 608. Ministrorum formulam obtulit regina præsulibus Poissiaci congregatis, et hi illam doctorum Parisiensium cœtui expendendam communicavêre; qui doctrinali judicio hanc confixerunt, non modo *tanquàm insufficientem*, sed etiam uti *captiosam, hæreticam, erroresque plurimos contra SS. sacramenti Altaris institutionem continentem.* Doctorum censuram præsules judiciariâ auctoritate, summo consensu confirmârunt; cui judicio subscribere pugnaciter renuerunt Beza, ipsiusque symmistæ; sicque 25 novembris solutum est colloquium, in quo veritas de hæreticorum fraudibus et insidiis victrix extitit.

Alterum colloquium ad S. Germanum in Layâ, jussu reginæ celebratum fuit; in eo selecti è sacrâ Facultate Parisiensi doctores, contra Bezam sociosque, invictis argumentis demonstrârunt, imaginum usum cultumque pium esse et omninò retinendum.

Quod spectat ad synodos in causâ Calvinianorum habitas, vigenti novem nationales in Galliis à Calvinistis celebratæ sunt, quarum acta in unum collecta et ex ordine digesta fuêre duobus tomis ab Aymone theologo et jurisperito Eccl. Reform. Ex his synodis celebriores videntur, 1° Parisiensis, habita an. 1559, die 25 Maii. Hæc omnium prima est; in eâ quadraginta disciplinæ capita ordinata sunt, ex quibus iterùm expensis, mutatis ac correctis, subinde formatus est libellus ille, cui titulus; *La discipline des Eglises Réformées de France....* 2° Rupellensis an. 1571, cui præfuit Theodorus Beza; in eâ actum est de instaurandâ disciplinâ, ex superiorum bellorum occasione, collapsâ.... 3° Vapincensis an. 1603; in eâ dammata fuit Piscatoris doctrina circa justificationem; conditus insuper fuit famosus ille fidei articulus, quo definiebatur papam esse Antichristum..... 4° Rupellensis an. 1607, inquâ art. 9, expresso ac solemni omnium ministrorum consensu confirmata fuit, tanquàm verissima ac in Scripturis fundata, mox recensita definitio synodi Vapincensis circa Antichristum....... 5° Carantoniensis an. 1620; in quâ canones Dordrect. gallicè translati fuêre, atque ab omnibus imperata subscriptio in hæc verba: *Je reçois, approuve et embrasse toute la doctrine enseignée au synode de Dordrect; comme entièrement conforme à la parole de Dieu, et Confession de foi de nos Eglises.....* 6° Altera Carantoniensis an. 1631; in eâ emissum est famosum illud Decretum quo Lutherani præsentiam realem agnoscentes, ad communionem admittuntur; atque expressè declaratur nihil in eorum doctrinâ esse quod idololatriam aut superstitionem redoleat. Sic loquitur synodus cap. 22, art. 1: « Attendu que les Eglises de la Confession « d'Augsbourg conviennent avec les autres Ré- « formées aux principes et points fondamen- « taux de la vraie religion, et qu'il n'y a en leur « culte ni idolâtrie, ni superstition, pourront,

« sans faire abjuration, être reçus à la sainte « Table, etc. »

Atque hæ sunt præcipuæ Calvinistarum synodi in Gallis habitæ. Quamplurimæ aliæ in cæteris regionibus celebratæ sunt, inter quas profectò celeberrima est synodus Nationalis Dordrectana. Indicta fuit anno 1618, ad dirimenda dissidia circa quinque supra memorata doctrinæ capita in Ecclesiis præsertim Belgicis controversa, Arminianos inter et Gommaristas. Prima sessio habita fuit 13 novembris; in eâ et in 30 sequentibus motæ sunt quæstiones ad disciplinam spectantes; postmodùm actum de doctrinâ....... sessione 27, solemni protestatione significârunt Arminiani, se Dordrectanam synodum pro legitimo controversiarum suarum judice non posse agnoscere, quòd iidem in eâ sederent adversarii et judices, qui nimirùm dogmata, de quibus judicium expectabatur, pugnaciter defenderent. De hâc protestatione rogatæ sunt sententiæ, ac unanimi consensu judicatum fuit nullam illius habendam esse rationem, quòd scilicet, *minor et recentior pars, numerosiori et antiquiori parti necessariò cedere deberet;* quod sanè, inquit Illustriss. Bossuet. lib. 14 Variat. n. 71, decretorium erat contra Arminianos; verùm eò non minùs invictè oppugnabantur Gommaristæ, cùm ipsissimum esset momentum quo premebantur Protestantes, dùm Trid. concilii judicium detrectabant..... Sessione 136, quinque doctrinæ capita Remonstratensium sigillatim variis canonibus confixit synodus, atque genuinam Ecclesiarum Reformatarum doctrinam explicuit circa unumquodque ex illis doctrinæ capitibus.... Sessione 138, lata est in Armenianos synodica sententia, quâ ipsos tanquàm « per- « vicaciæ reos et convictos ecclesiastico mu- « nere interdicit (synodus) donec Ecclesiæ sa- « tisfaciant, atque ad ejus communionem re- « cipiantur... » Denique die 9 maii anni 1619, celebrata est ultima sessio, quæ fuit 154. Numerosissima fuit ista synodus, huicque subscripserunt quamplurium Ecclesiarum Reformatarum pastores et doctores; scilicet, ex magnâ Britanniâ, ex Palatinatu, ex Hessiâ, ex Helvetiâ, ex republicâ Genevensi, ex re publicâ Bremensi, ex Ecclesiis Belgicis, ex Hollandiâ, ex Zelandiâ, ex provinciâ Ultrajectinâ, ex Frisiâ, ex Transilvaniâ, etc. Proximè secuta synodus Nationalis Ecclesiarum Reform. Gallican. an. 1620, acta Dordrectana expressè confirmavit; adeò ut nihil apud Calvinistas, majoris momenti ac ponderis esse debeat Dordrectanâ synodo, tot ac tantis suarum Ecclesiarum munitâ suffragiis.

Tandem quod spectat ad Confessiones fidei Calvinistarum, nimis longum foret eas sigillatim recensere, adeò variæ sunt ac multiplices; præcipuas duntaxat hic indicabimus. Sex omninò sunt, Helvetica, Gallicana, Angelicana, Scoticana, Belgica et Argentinensis.

Helvetica triplex est. Prima Basileæ edita anno 1532; brevior est, undecim duntaxat constans articulis. Altera Basileæ iterùm edita an. 1536, paulò prolixior est, 27 constat articulis. A ministris Tigurinis et Bernensibus exarata fuit, offerenda concilio œcumenico quod passim affirmabatur brevi futurum. Inter ministros eminebat Bullingerus; iis sese adjunxerant Capito et Bucerus ministri Argentinenses qui Basileam recens advenerant, rogantes ut illa Confessio sic adornaretur, ut inter Ecclesias Reformatas sanciretur concordia. Tertia exarata fuit an. 1566, itidem Basileæ; longè prolixior est, et, ut ipsi loquuntur, *accuratius conscripta.* In 30 capita distribuitur.

Gallicana Confessio fidei an. 1559 in synodo nationali Parisiensi edita fuit; atque nomine Ecclesiarum Galliæ, *Theodorus Beza* eam obtulit Carolo IX, in colloquio Poissiacensi an. 1561; confirmata fuit in synodo Rupellensi an. 1571. Summo in pretio habetur apud Calvinistas, illiusque exemplar, cui illustriores ac nobiliores hujusce sectæ in Galliis asseclæ subscripserant, sedulò asservatur in archiviis Genevensibus. Quadraginta articulis digesta est.

Anglicana in synodo Londinensi edita fuit an. 1562 ad tollendam opinionum dissensionem et ad consensum in eorum religione firmandum. Quadraginta constat articulis; trigesimus septimus spectat auctoritatem ecclesiasticam, cujus plenitudinem regiæ majestati inesse contendunt. Ibidem addunt, *Romanum Pontificem nullam habere jurisdictionem in regno Angliæ..* Hi articuli denuò confirmati fuère subscriptione episcoporum et cleri inferioris an. 1571.

Scotica duplex. Prima anno 1568 scripta fuit, et nomine ordinum regni et Parlamenti promulgata; altera exarata fuit an. 1581, sub hoc titulo : *Generalis Confessio veræ et christianæ fidei, secundùm Dei verbum, et acta nostrorum Parlamentorum.*

Belgica Confessio edita an. 1561, in Belgii synodo confirmata anno 1579, in Dordrectanâ synodo recognita et iterùm approbata fuit an.

1619, *uti orthodoxa et verbo Dei consentiens*. Triginta septem complectitur articulos.

Polonica in synodo Czengerinâ, uno consensu exhibita et declarata; excusa fuit anno 1570.

Argentinensis Confessio fidei, sive, ut vocant, quatuor civitatum imperii, anno 1530 scripta fuit; in Comitiis Augustanis per legatos civitatum Argentorati, Constantiæ, Memmingæ et Lindaviæ, Carolo V imperatori exhibita fuit. Viginti tribus constat articulis. Mox recensitæ fidei confessiones sigillatim et ex integro recensentur in collectione confessionum fidei Protestantium, Genevæ excusâ an. 1554, sub hoc titulo : *Corpus et syntagma Confessionum fidei*, etc.

Cæterùm concilium Trid. sub Pio IV pontifice maximo absolutum, Calvinianam perinde ac Lutheranam hæresim confixit, debellavit, prostravitque, impia utriusque hæresiarchæ dogmata distinctis canonibus sigillatim et expressè anathematizando ; videlicet, 33 canonibus, de justificatione; 13 de sacramentis in genere; 14 de Baptismo; 3 de Confirmatione; 11 de Eucharistiâ; 15 de Pœnitentiâ; 4 de Extremâ-Unctione; 4 de Communione sub utrâque specie; 9 de Sacrificio Missæ; 8 de Ordine; et 12 de Matrimonio.

Dissertatio nona.

DE MICHAELE BAÏO.

Quandoquidem plurimas è propositionibus Baii à Jansenio renovatas in præsenti tractatu impugnaturi sumus, juvat quæcumque ad præsentem controversiam spectant, accuratè et breviter quantùm fieri poterit, pertractare. Quod ut cum ordine exequamur, ad tria capita revocabimus, quæ hîc dicenda habemus. Primum erit de Historiâ Baii. Secundum de systemate Baii. Tertium de Bullâ Baianâ.

CAPUT PRIMUM.

Historica causæ Baianæ synopsis.

Totius causæ Baianæ historicam synopsim tribus paragraphis absolvemus. Primus, exordium causæ Baianæ paucis exponet; secundus, progressum ; tertius, exitum ejusdem controversiæ.

§ 1. *Exordium causæ Baianæ.*

Anno 1513, Michael Baius natus est Melini, quod est oppidum Belgii in territorio Athensi.

An. 1550, laureâ doctorali donatur in sacrâ Facultate Theologicâ Lovaniensi. Eodem anno exorta est famosa illa de gratiâ concertatio, inter Petrum de Soto sacræ theologiæ professorem in Universitate Dilinganâ, et Ruardum Tapperum Universitatis Lovaniensis cancellarium. Naturam gratiæ, ipsiusque agendi modum et distributionem potissimùm spectabat isthæc disputatio; et hæc fuit, ut observant nonnulli, veluti prima radix et origo controversiæ Baianæ; scilicet duriorlbus Soti placitis, quæ impugnaverat Tapperus, tenaciùs inhærens Baius, ea postmodùm additis novis erroribus auxit. Epistolæ Petri Soto ad Tapperum et Tapperi ad Petrum Soto, extant ad calcem operum Reginaldi.

Anno 1551, sacras litteras in academiâ Lovaniensi professus est, in locum Joannis Leonardi Hasselii, qui à Carolo V ad concilium Tridentinum, hoc ipso anno in mense maio reassumptum, delegatus fuerat, cum Ricardo Tappero et Judoco Ravesteyn ejusdem Academiæ Lovaniensis doctoribus.

An 1552, mortuo Tridenti Hasselio, regius sacrarum Litterarum Professor instituitur Baius : quod munus per integros fermè quadraginta annos exercuit. Eodem anno 28 aprilis Tridentina synodus propter bellorum tumultus rursùs intermissa fuisset, Ruardus Tapperus, quem magistrum habuerat Baius, et Judocus Ravesteyn è Trid. concilio Lovanium reduces, Baio ab antiquis Scholæ Lovaniensis placitis recedenti, atque nova disseminanti cum Joanne Hesselio, omnium consiliorum suorum socio ac participe, fortiter obstiterunt.

An. 1558, cùm prava sua dogmata disseminare non desisteret Baius, ipsiusque partes apertiùs juvaret Hesselius, doctor et professor in Facultate theologicâ Lovaniensi recens factus, eos detulit Tapperus ad sanctius Belgii consilium, et ad Granvellanum publicæ rei administratorem. Hi severè admoniti, polliciti sunt se ab antiquis Facultatis placitis minimè recessuros; verùm promissis non steterunt, mortuo siquidem Tappero anno sequenti 1559, atque Rithovio et Cunero in eâdem Facultate probatissimis doctoribus ad episcopatus Yprensem et Levardensem assumptis, liberiùs et confidentiùs novitates suas spargere cœperunt; sicque vires resumpsit error, atque, ut loquitur illustr. Belgii episcopus Joan. Stryen Epist. ad Lind. in dies novi errores scholam Lovaniensem invasêre.

An. 1560, exortâ inter Fratres Minores Belgii contentione, circa multos articulos quos

Baius docere ferebatur, duo Guardiani Minoritarum octodecim selectos ex illis articulis ad Facultatem theologicam Parisiensem miserunt, enixè rogantes ut suam de illis aperiret sententiam. Eorum votis annuit sacra Facultas, ac suâ censurâ die 27 junii an. 1560 articulos illos confixit, et plerosque tanquàm hæreticos notavit. Censuram hanc quibusdam notis dispunxit Baius : eamdem adversùs inanes Jansenianorum criminationes vindicat ac tuetur Stephanus Deschamps, lib. 2, disp. 1, cap. 4.

Anno 1561, multæ propositiones quæ dicebantur esse Baii oblatæ sunt cardinali Granvellano archiepiscopo Mechliniensi. Has Baio tradidit, qui responsionem suam dicto cardinali porrexit; tunc verò jussu Pii IV summi pontificis partibus hinc et inde non sine animorum æstu dissidentibus silentium impositum est.

Anno 1562, Baius tria edidit opuscula. Primum *de libero Arbitrio;* alterum *de Charitate, Justitiâ et Justificatione;* tertium, *de Sacrificio.* His Opusculis unicè velle Protestantes debellare simulabat; reipsâ tamen in eis errorum suorum virus diffundit.

Anno 1563 ineunte, Michael Baius et Joannes Hesselius à rege Catholico delegati Tridentum petiêre, ibique interfuêre tribus ultimis concilii Sessionibus, quod eodem anno abeunte completum est. Narrat concilii historicus Palavicinus lib. 15, cap. 7. Commendonum cardinali Mantuano concilii præsidi ad expendendum proposuisse, an expediret, ut Baius et Hesselius mitterentur ad synodum Trid. Rationibus ex utrâque parte propositis censuit Commendonus, *dandam esse operam, ut doctor uterque Tridentum pergeret; ubi legatorum solertiâ eos sibi conciliaret.*

Anno 1564, è concilio Lovanium redux Baius prædicta tria opuscula, necnon libros de Merito operum; de primâ hominis Justitiâ, et de Virtutibus impiorum; de Sacramentis in genere, ac de formâ baptismi, typis mandari curavit; inde nova dissidiorum seges.

§ 2. *Progressus controversiæ Baianæ.*

Eodem anno 1564, aliqui, non ex Minoritis tantùm, sed et ex ipsâ academiâ Lovaniensi, multos articulos ex libris Baii extractos denuntiârunt apud summum pontificem Pium IV. Interim è vivis excedit Pius IV, cui successit sanctus Pius V, non minùs scientiâ quàm sanctitate insignis, qui per plures annos in ordine Dominicanorum doctrinâ sancti Thomæ innutritus, summâ cum laude theologiam docuerat.

Circa idem tempus academiæ Hispaniarum Salmaticensis, Complutensis, etc., aliæque nonnullæ Italiæ, suis censuris quosdam novæ doctrinæ Baii articulos confixerunt : undè Morillonius ad card. Granvell. scribens die 20 junii an. 1568 liquidò affirmat, Baium non posse negare quin sua doctrina ab omnibus Universitatibus Hispanis, et à plerisque eruditis theologis Romanis damnata fuerit. En ipsissima Morillonii verba : « Je répondis audit Bay.... « qu'il ne pouvait nier que sa doctrine n'eût « été censurée de ceux de Paris, de toutes les « universités d'Espagne, et de plusieurs sa- « vants personnages de Rome; et, qui plus « est, aucuns Pères, au concile de Trente, en « avaient été scandalisés, et, sans monsieur « d'Ypres, et la hâte que l'on avait de conclure « le concile, était en danger d'être condam- « né en sa propre personne. » Hæc et aliæ tum Morillonii, tum cardinalis Granvellani Epistolæ referuntur secundâ parte novæ edit. operum Baii.

Anno 1567, Pius V Kalendis octobris datâ solemni Constitutione propositiones numero 76 tacito nomine Baii, *tanquàm hæreticas, erroneas, suspectas; temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes, respectivè damnavit.* Circa hanc Constitutionem plurima occurrunt observanda, de quibus agemus cap. 3, ubi eamdem Constitutionem à cavillationibus quibus eludi solet vindicabimus.

Prædictæ bullæ executionem commisit Pontifex cardinali Granvellano qui tunc Romæ commorabatur; ipse verò ad id operis delegavit Maximilianum Morillonium, suum in diœcesi Mechliniensi vicarium generalem ; simulque binas ei litteras dedit, in quibus significabat se, ut Michaelis Baii honoriæ famæ consuleret, egisse apud pontificem ut ejus nomen in bullâ non exprimeretur.

Eodem anno die 29 decembris, Morillonius bullam Pii V clarè et distinctè legit et promulgavit coram strictâ Facultate Lovaniensi, simulque duo indixit executioni mandanda. Primum, deinceps abstinendum omninò ab omnibus et singulis sententiis in bullâ damnatis, seu scripto, seu vivâ voce, clam aut publicè propugnandis. Alterum, interdicendo libros ex quibus articuli damnati extracti fuerant. Bullæ obsequentissimos se fore promiserunt, quotquot cum Decano aderant doctores Lovanienses, cujus exemplar ad majorem fidem suis faciendam, sibi dari enixè postulârunt; inter-

positis etiam precibus, ne propter majoris discordiæ periculum interdicerentur libri ex quibus extracti fuerant articuli damnati. Reposuit Morillonius non posse se exemplar bullæ, quod postulabant, ipsis concedere (quod nempe rem totam brevi componendam esse ac sopiendam sperabat pontifex, ac propterea bullam suam publicam fieri nolebat), satisque esse si damnatos articulos propriâ suâ manu transcriptos acciperent. Quantùm verò ad interdictionem librorum, dilaturum se, donec secundò jussus differre ampliùs non posset. Ista omnia constant ex instrumento quod Jansenius facultatis decanus, postea Gandavensis episcopus coram notario publico edidit dictâ die 29 decembris 1567.

Anno sequenti, rectores Minoritarum in suis comitiis Nivellensibus solemne decretum emiserunt, quo omnibus et singulis provinciæ Flandriæ Minoritis lex imposita fuit, ut nusquàm vel unum ex damnatis in bullâ Pii articulum propugnarent.

Eodem anno 1568, die 20 julii prolixam ad Granvellanum epistolam scripsit Morillonius, in quâ inter multa à se dicta vel facta ut Baium exacerbatum deliniret et ad promptum obsequium adduceret, hoc presertim observatione dignum refert, Baium scilicet ignorare non posse doctrinam suam à facultate theologicâ Parisiensi, ab omnibus Hispaniæ academiis, et Romæ à pluribus eruditione conspicuis viris improbatam fuisse; et quod gravius longè est, eâ sic multos è Patribus Tridentinis offensos fuisse, ut nisi obstitisset dominus Yprensis et finis fuisset concilio impositus, etiam ipso (Baio) præsente damnata fuisset. Propria Morillonii verba paulò ante exscripsimus.

Anno 1569, Baius misit apologiam suam ad Pium V, in quâ duo contendit, primum, inter damnatas sententias multas sibi falsò imputari; alterum, eas ad mentem S. Aug. veras esse. Tum pontificem suppliciter exorat, ut hâc attentiùs perlectâ doctrinæ suæ apologiâ, cogitet, utrum bullam ut legitimam sufficienter discussam haberi velit, an tanquam subreptitiam rescindere. Baio rescripsit S. pontifex die 13 maii ejusdem anni, declaravitque bullam « non sine maturâ deliberatione editam fuisse; « nihilominùs se, ut ipsi satisfieret, curavisse « ut et libri, et ipsæ propositiones et scripta « apologetica novo ac maturo examine expen- « derentur. » Quibus expensis addit S. pontifex: « Quæ super hoc ipso jam decreveramus, « nisi antea à nobis decreta fuissent, eadem, « prout facimus, de integro decernenda sta- « tuendaque esse judicavimus. Itaque tibi et « cæteris prædictarum propositionum asserto- « ribus pro eorum assertione perpetuum silen- « tium imponimus. »

Istud pontificis Breve Baio reddidit Morillonius eodem anno die 20 junii, atque ab eo sciscitatus est num damnatas propositiones ejurare vellet; respondit se illud facere non posse nisi haberet bullæ transumptum, eò quòd in eâ diceretur nonnullas propositiones sustineri posse in rigore et proprio verborum sensu. Reposuit Morillonius, se tale transumptum non posse concedere; ipsique apprimè notum esse, quòd cùm Romam idcircò scripsisset, illud obtinere non potuerit, eò quòd sua Sanctitas rem istam silentio sopiri cuperet; tandem iterùm atque iterùm pulsatus, eò demùm adductus est Baius, ut omnes propositiones in bullâ notatas revocaret et ejuraret. Hæc omnia enarrat testis oculatus Morillonius in litteris quas die 20 junii an. 1569 scripsit ad Granvellanum. Anno 1570, synodus nationalis Belgii Constitutionem Pii V solemniter acceptat, ipsiusque subscriptionem, favente Albaniæ duce, omnibus doctoribus Lovaniensibus imperat. Scilicet cùm die 11 junii ejusdem anni, Mechliniæ synodus haberetur omnium episcoporum Belgii, cui Martinus Rithovius episcopus Yprensis, cardinale Granvellano, archiepiscopo Mechliniensi absente, præerat, dux Albaniæ ad eos de negotio bullæ Pii V, scripsit, urgens ut bulla hæc solemniter publicaretur Lovanii, ac ei ab omnibus subscriberetur Lovaniensis academiæ theologis doctoribus. Re missâ in deliberatione, unanimi consensu statuerunt præsules, utrumque quantociùs perficiendum, eumque in finem Maximilianum Morillonium jam à card. Granvellano delegatum, iterum commiserunt, qui nomine synodi Lovanium properaret, ibique pontificis constitutionem more solemniori promulgari curaret, ac theologos ad subscribendum adduceret. Ista constant ex narrat. chron. causæ Baii an. 1570. Die 19 nov. Morillonius in executionem Decreti synodi Mechliniensis bullam Pii V ritu solemni in scholis Lovaniensibus promulgavit, cui obsequentissimos fore; unanimi voce declarârunt doctores Lovanienses. Ita ferunt acta Facultatis Lovaniensis.

Anno 1579 inchoante, cùm Gregorius XIII, Pii V successor, intellexisset (teste Urbano VIII, in bullâ *In eminenti* quam anno 1641 emisit), non sine animi dolore, non deesse inter theologos Lovanienses qui articulos damnatos as-

serere et pertinaciter defendere pergerent; imò non paucis persuasum esse, prælatam bullam ab ipsâ Sede apostolicâ brevi retractandam ac revocandam fore; ad coercenda hujusmodi ingenia, simulque ad eximendam vanam illam futuræ aliquandò retractationis spem, prædictam bullam suâ quoque auctoritate confirmavit, articulosque ibidem comprehensos iteratò damnavit; misso Lovanium Francisco Toleto insigni è societate Jesu theologo, postea ad purpuram evecto, qui bullam deferret, promulgaret, et eâ quâ par erat reverentiâ recipi curaret.

Anno itaque 1580, die 21 martii, in frequentissimo totius academiæ consessu; jussit bullam clarâ et intelligibili voce recitari; quâ lectâ Toletus convertit se ad D. Michaëlem de Bay Universitatis cancellarium, « petiitque ex « eo, anne agnosceret in bullâ multos articulos « damnari, qui in libellis quibusdam ejus priùs « continerentur, etiam in eo sensu quo in bullâ « damnarentur? Quo agnoscente et respon- « dente quòd sic, rogavit deinceps, anne eos- « dem et reliquos ibi comprehensos et lectos « damnaret? Tum ille *Damno*, inquit, *secun- « dùm bullæ ipsius intentionem et sicut bulla dam- « nat.* » Omnes quoque DD. uno ore responderunt: *Damnamus et bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur.* Eadem fuit vox omnium licentiatorum, bacchalaureorum et studiosorum. Hæc porrò omnia ex actis facultatis theologicæ Lovaniensis referuntur in novâ edit. operum Baii parte secundâ pag. 188 et 189.

His feliciter confectis, Toletus privatis suis cum Baio colloquiis eum adduxit, ut scripto publico ac propriâ manu subscripto, claram et apertam errorum suorum retractationem emitteret. En ipsamet retractationis verba, prout refertur citato mox loco pag. 152: « Ego Mi- « chaël de Bay.... agnosco et profiteor me ex « variis colloquiis et communicationibus habitis « cum R. P. Francisco Toleto..... super diver- « sis sententiis et propositionibus jam olim à « SS. D. N. Pio V felicis recordationis sub datâ « Kalend. octobris 1567, et nuper à Greg. XIII. « pontifice Maximo, sub datâ quarto Kalend. « februarii an. 1569, iteratò damnatis et pro- « hibitis, ita motum, et eò perductum esse ut « planè habeam mihi persuasum earum om- « nium sententiarum damnationem atque pro- « hibitionem jure meritòque, ac nonnisi ma- « turo judicio, ac diligentissimâ discussione « præmissis, factam atque decretam esse. Fa- « teor insuper plurimas ex iisdem sententiis in « nonnullis libellis à me olim et ante emana- « tam Sedis apostolicæ super eis censuram, « conscriptis et in lucem editis contineri et de- « fendi, etiam in eo sensu in quo reprobantur. « Denique declaro me impræsentiarum ab iis « omnibus recedere, et damnationi à sanctâ « Sede factæ acquiescere, neque posthàc ul- « lam earum docere aut defendere velle. Ac- « tum Lovanii die 24 martii an. 1580. »

In hâc Baii retractatione nonnulla sunt apprimè observanda, 1. Baium disertè confiteri propositiones bullâ Pii V damnatas, iterùm notas fuisse à Gregorio XIII, quod Baii discipuli postea negaverunt. 2. Apostolicæ Sedis judicium nonnisi præhabito maturo ac diligenti examine fuisse latum. 3. Plurimas è damnatis propositionibus, in libris Baii ante bullam editis contineri. 4. In proprio, obvio ac genuino auctoris sensu confixas fuisse. 5. Justam esse ac legitimam hanc condemnationem; quæ quidem hucusque obstinatè negaverat Baius.

Ad Greg. XIII scripsit Baius, cui summus pontifex rescripsit die quintâ junii ejusdem anni 1580. Breve testimoniis benevolentiæ ac paterni affectûs plenum est.

Anno 1585, Lovaniensis academia, promovente Vercellensi episcopo ac nuntio apostolico, jussa est non solum à damnatis articulis abstinere, sed etiam sententias singulis quoad doctrinam contradictorias definire; quarum indicem contexuit D. Lenseus, cæterique doctores unà cum Baio probaverunt, ut constat ex actis ejusdem Facultatis ibidem relatis pag. 159 et 160. Circa præclarum istud doctrinæ Lovaniensis scholæ monumentum, observâ 1°. jussu et auctoritate nuntii apostolici ordinatum fuisse corpus illud doctrinale, quò scilicet significarent Doctores Lovanienses se ex animo reprobare articulos in Bullâ Pianâ reprobatos. Constat id ex ipsomet titulo declarationi præfixo, qui sic est: « Doctrinæ ejus quam cer- « torum articulorum damnatio postulare visa « est, brevis, et quoad fieri potuit, ordinata et « cohærens explicatio...... A venerandâ Facul- « tate Lovan. reverendiss. illustrissimique Joan- « nis Bonhomi, Vercellensis episcopi et aposto- « lici per utramque Germaniam nuntii, volun- « tate ac jussu concepta.....» Observa 2°, juxta hanc Facultatis declarationem, omnes propositiones in bullâ expressas, damnatas esse ratione doctrinæ; adeò ut modales propositiones, qualis est ista: *Pelagianus est error dicere quòd*

liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum, vitiosæ sint et falsæ, tum ratione dicti, tum ratione modi ; quod etiam censuit Facultas Duacena in libro cui titulus : *Veritas et æquitas censuræ Pii V* ..... Observa 3°, corpus illud doctrinale nuntio fuisse acceptissimum, qui et illius exemplar ad Facultatem Duacenam direxit, ipsique illa suum ultrò calculum adjecit ut, constat ex epist. Decani sacræ Facult. theolog. Duac. ad Fulgent. *Id,* inquit, *Duaceni omnes missum ad Estium receperunt.* Itaque promovente nuntio apostolico, utraque Belgii Facultas hancce doctrinæ declarationem acceptavit, sicque sopitæ sunt et ad tempus sedatæ contentiones quæ tamdiù regiones istas turbaverant. Circa idem tempus quo celebris censura Lovaniensis propositionum de gratiâ, promulgata est, etiam quoque fuit prædictum corpus doctrinale quod in quatuordecim distribuitur capita, ad quæ ex ordine revocantur articuli doctrinales quos notat bulla Pii V.

Anno 1589, die 16 septemb. moritur Baius annis natus 77.

§ 3. *Exitus Baianæ controversiæ.*

Post Baii mortem non defuère identidem, tum in Belgio, tum in Galliis, qui doctrinam ejus renovare tentarent ; verùm hi ecclesiasticâ et civili auctoritate feliciter debellati sunt atque prostrati ; de quò jam sigillatim dicendum.

Exitus Baianismi in Belgio.—Inter eos qui in Belgiis Baii errores renovârunt, præ cæteris eminet Jansenius Yprensis. Is in grandiori volumine de gratiâ edito, quod *Augustinus* inscripsit, plurimas Baii propositiones revocat ; quâ de causâ summus pontifex Urbanus VIII, pridiè nonas martii solemni datâ Constitutione quæ incipit *in eminenti,* Pianam et Gregorianam auctoritate suâ rursùs confirmat et approbat, « librumque Jansenii cui titulus *Au-« gustinus,* articulos, opiniones et sententias in « dictis Constitutionibus reprobatas atque dam-« natas continentem ac renovantem, damnat et « prohibet. » Veritatem, æquitatem et auctoritatem hujusce Constitutionis cap. 3 vindicamus.

Non potuit Urbanus, quoad vixit, obtinere à ministris regis Catholici, ut prædicta Constitutio in Belgio solemniter promulgaretur, ob infinitas scilicet defensorum Baii et Jansenii artes et molitiones, quibus totum Belgium commovebant ac perturbabant.

Mortuo Urbano, Innocentius X summo animi ardore prædecessoris sui Constitutionis executionem urgere cœpit, ac tandem an. 1648, regis Catholici jussu ac curâ Leopoldi archiducis, Constitutio Urbani publicata et recepta fuit, impositâ etiam lege iis omnibus qui ad aliquod seu civile, seu ecclesiasticum munus promoveri cuperent, ut præfatæ Constitutioni suscriberent, ac juramento « testarentur, se ob-« sequentes esse S. R. Ecclesiæ, et S. D. N. In-« nocentio X, pontifici romano, et acceptare de-« bitâ obedientiâ Constitutionem Urbani in quâ « damnatur et prohibetur liber Jansenii. » Id refert ipsemet auctor Hist. generalis Jansenismi tom 1, pag. 219.

Hoc ipso anno 1648, die 27 Julii, academia Duacena solemni Instrumento declaravit, eos splendidè mentitos fuisse, qui asseruerunt doctores Duacenses non tantùm aliàs, sed etiam modò pertinaciter adhærescere doctrinæ Baii et Jansenii : « E contra enim censuimus, in-« quiunt, communibus suffragiis, humillimè « suam Celsitudinem rogandam, ut pergat « doctrinam illam (an et Jansenii) seriò ex-« tirpare, quâ nequaquàm docetur mens beati « Augustini. » Refertur ista declaratio p. 31 libri cui titulus : *Recueil des bulles.... concernant les erreurs des deux derniers siècles,* etc.

Anno 1649, eadem Universitas Duacensis celeberrimam emisit declarationem sub hoc titulo : *Veritas et æquitas censuræ Pontificiæ Pii V,* etc. ubi singuli articuli in bullâ Pianâ confixi; refelluntur per antitheses Guillelmi Estii et Francisci Sylvii. Ita autem refelluntur, ut falsitas eorum ubique demonstretur, etiam independenter ab acerbitate censuræ quam aliqui eorum continent ; quod etiam antea observavimus in supradictâ declaratione Lovaniensi.

His adde insigne Facultatis theologicæ Duacenæ responsum, quo quærentibus quibusdam Lovaniensibus, *nùm crederent Duacenses, omnes articulos Bullæ Pii V, tanquàm falsos esse damnatos,* respondit sacra Facultas, *omnes ad unum esse, tanquàm falsos in sensu ab assertoribus intento, ut vestra Facultas* (Lovaniensis) *fidem fecit in explicatione à vobis oblatâ.* Steyaertius tom. 1 opuscul. pag. 193, narrat se vidisse prædictum responsum in celeberrimâ abbatiâ Parcensi in scripto cui titulus : *Epistola Decani pro tempore S. Theol. Facultatis Duacenæ.*

Exitus ejusdem controversiæ in Gallis.—1° Archiepiscopus Parisiensis de Gondy anno 1643, mense decembri, decretum edidit, circa recipiendam quoad doctrinam, Bullam Urbani VIII, quâ Piana et Gregoriana renovantur et confir-

mantur. Decretum illud lectum fuit ac promulgatum die 11 januarii in publicis parochi rum præconiis.

2° Anno 1644, die 2 januarii eadem bulla ad sacram Facultatem Parisiensem regio mandato delata fuit; ac die 15 ejusdem mensis eadem Facultas suis omnibus severe injunxit *ne ali. qu.m è damnatis à Pio V et Greg. XIII propositionibus propugnarent.*

3° Ejusdem bullæ veritas ac summa quoad doctrinam auctoritas, variis in comitiis cleri Gallicani vindicatur ac commendatur. Vide quæ eam in rem dicemus cap. 3.

Atque hic fuisset tum in Galliis tum apud Belgas controversiæ Baianæ finis, nisi renovatis circa doctrinam Jansenii altercationibus, recruduisset error utraque multoties auctoritate confossus; verùm de his ubi de Jansenio ejusque sequacibus agemus.

CAPUT II.

De systemate Baiano.

Observandum 1°, Baianum systema constare ex septuaginta sex articulis à Pio V, Greg. XIII et Urbano VIII damnatis.

Observandum 2°, erroneos illos articulos ad præsentem materiam spectantes, claritatis et methodi causâ, ad septem capita commodè revocari posse. Primum est de gratiâ Angelorum et primi hominis; seu, de statu naturæ innocentis. Secundum, de peccato originali. Tertium, de peccatis actualibus. Quartum, de libertate. Quintum, de charitate. Sextum, de justificatione. Septimum de meritis operum.

Observandum 3°, ex card. d'Aguirre tom. 3 theolog. S. Anselmi tract. 6, et Steyaërt. tom. 1 opusc. p. 114 et sequent., prædictos articulos omnes fermè in opusculis Baii ante bullam Pianam Lovanii editis annis 1565 et 1566 contineri, paucissimis exceptis, qui tamen ex aliis clarè consequuntur, aut ab Hesselio, aliisque Baianistis expressè traduntur. Opuscula autem Baii ante bullam edita, ista sunt: De primâ hominis justitiâ, liber unus. De meritis operum, libri duo. De charitate, justitiâ et justificatione, libri tres. De peccato originis, liber unus. De libero arbitrio, liber unus. De virtutibus impiorum, libri duo. De Sacrificio, liber unus. Tractatus de Sacramentis in genere. Tractatus de formâ Baptismi. Tractatus de Indulgentiis. Tractatus de oratione pro defunctis. Alia nonnulla opuscula postmodùm emisit Baius, quæ omnia, cum momentis omnibus ad hanc historiam pertinentibus, in novâ editione anni 1696 extant collecta à Gerberonio, cujus annotationes cautè legendæ.

Observandum 4°, præfatas assertiones totius Jansenismi, ac omnium subinde errorum prima fuisse veluti incunabula. De his itaque sigillatim et accuratè pro modulo dicendum nobis est.

§ 1. *Systema Baianum circa statum naturæ innocentis.*

Doctrina Baii circa statum naturæ innocentis his quinque continetur propositionibus ita inter se concatenatis, ut una ex alterâ necessariò consequatur.

Prima propositio Deus habitâ ratione justitiæ, bonitatis ac providentiæ, non potuit ante ullum peccatum Angelum aut hominem creare absque ordinatione ad intuitivam suî visionem. Existimat siquidem Baius intuitivam hanc visionem, seu Deum ut objectum et auctorem gloriæ, intrinsecum esse, necessarium ac essentialem creaturæ rationalis finem, quo absque prævio peccato frustrari nequit, aut saltem mediis ad finem illum assequendum necessariò prærequisitis. Tradit hanc doctrinam Baius lib. de primâ hominis justitiâ, per plura capita ac totum penè librum, præsertim verò cap. 8. Hùc spectant septem articuli de integritate primi hominis et Angelorum in bullâ Pianâ damnati, 21, 23, 24, 26, 55, 78, 79; satis sit hîc retulisse verba articuli 21: « Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. »

Secunda propositio ex priori consequens: Gratiæ beneficia naturæ sanæ et innocenti concessa, justitia scilicet originalis, sanctitas, immortalitas, etc., debita ipsi fuêre ac naturalia, eo saltem sensu, quòd sine iis creatura rationalis veluti manca fuisset et imperfecta, eaque proindè Deus ex justitiâ, bonitate, sapientiâ et providentiâ naturæ innocenti denegare non potuit. Hæc doctrina manifestè continetur in supra citatis Baii propositionibus. Vigesima tertia sic se habet: « Absurda est sententia eorum, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito super conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut fide, spe et charitate Deum supernaturaliter coleret. » Eamdem doctrinam clarè tradit citato lib. de primâ hominis justitiâ cap. 4: « Non minùs, *inquit*, naturæ hominum quàm

« Angelorum est, quod apud eumdem Psalmistam subditur : MIHI AUTEM ADHÆRERE DEO BONUM EST.... et eadem est de reliquis primæ integritatis partibus demonstratio. » Etverò istud manifestè sequitur ex præcedenti propositione; si enim naturæ innocenti debita sit ordinatio ad visionem intuitivam, ipsi quoque debita erunt media ad eum finem obtinendum necessaria; porrò gratiæ dona primo homini concessa, media fuère necessaria ad intuitivam Dei visionem assequendam; ergo, etc.

Tertia propositio : Dona Angelis et primo homini concessa, propriè et strictè gratuita non fuère et supernaturalia. Namque quod debitum est naturæ, ita quòd ipsi ex justitiâ denegari non possit, nec gratia, nec supernaturale propriè dici potest; gratia etenim excludit omne debitum personæ, *si gratia jam non ex operibus*, inquit Apost. Rom. 11, v. 6, *alioquin gratia jam non est gratia*, quantò magis excludere debet debitum naturæ, quod multò majus est? Porrò ex dictis dona primo homini et Angelis collata naturæ innocenti debita fuère; ergo, etc.; et reipsà ita conceptis verbis docent articuli 21, 27, etc., inter Baianos.

Quarta propositio : Gratia Adamo et Angelis collata non producebat merita supernaturalia ac divina, sed merè humana et naturalia. Ita clarè Baius lib. 1 de Meritis operum cap. 4, idque disertè exprimitur propositionibus 1, 7 et 9, inter Baianas. Septima sic se habet : « Primi hominis integri merita, fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi sacræ Scripturæ, non rectè vocantur gratia, quo fit ut tantùm merita, et non gratia debeant nuncupari. » Etverò, cùm merita sequantur ex gratiâ, si gratiæ beneficia naturæ innocenti debita fuerint ac naturalia; idem profectò dicendum de meritis ex gratiâ profluentibus.

Quinta propositio : « Et bonis Angelis, et primo homini, si in statu illo (innocentiæ) permansissent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, et non gratia. » Ipsissima sunt verba tertiæ propositionis inter Baianas; ita etiam habetur quartâ, quintâ et sextâ in quâ sic legitur : « Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientiâ perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in quâ mori non posset. » Idem etiam tradit Baius citato lib. 1 de Meritis operum cap. 4 et 5, idque consectarium est ex præcedentibus necessariò fluens. Merces enim ejusdem debet esse ordinis cum merito cui retribuitur; porrò ex dictis, in statu naturæ innocentis merita fuère merè humana et naturalia; ergo in eodem statu præmium, seu felicitas æterna, mera fuisset merces, mera retributio, non vera et propriè dicta gratia.

Ex his patet Baianam circa statum naturæ innocentis doctrinam ad istud erroneum ac palmare principium ultimatè revocari, nempe gratiam et gloriam naturæ innocenti debitam fuisse. Quàm futile sit istud principium, vanaque Baii, Jansenii, eorumque asseclarum effugia, ostendetur in parte dogmaticâ, jamque demonstratum manet ex dictis in quæst. proœmiali, ex quibus constat omnes ad unum theologos ante Baium, tanquàm quid certum et inconcussum statuere, omne supernaturale propriè dictum, qualis est gratia, cujuslibet naturæ vires et exigentiam superare; de quo consuli possunt card. d'Aguirre tom. 3 theolog. S. Anselmi, Ripalda tom. 3 de Ente supernat. etc.

Ad perfectam doctrinæ Baianæ circa statum naturæ innocentis intelligentiam, unum superest observandum, videlicet, quemadmodùm omnia gratiæ beneficia Adamo et Angelis in ortu concessa, ipsis debita erant ac connaturalia; ita etiam immunitas ab omni malo, homini innocenti debita erat ac naturalis : *Malum enim*, inquit Baius lib. de primâ hominis Justitiâ cap. 4, *nihil aliud est quàm naturalium privatio bonorum*. Hinc propositiones inter Baianas 55, 78, 79 : « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.... Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio... Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari et institui sine justitiâ naturali. » Hinc etiam propositiones 72, 73, in quibus asseritur omnes omninò quorumlibet justorum afflictiones, supplicia esse et ultiones peccatorum : *Omnes ejus* (B. Virginis) *afflictiones in hâc vitâ, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.* Itaque et immunitas à quibuslibet malis, et collectio omnium bonorum quibus cumulati fuerunt primi parentes, ipsis debita erant et connaturalia, primordia et appendices statûs innocentiæ; verbo dicam, immobilis et constans ordo, divinâ positivâ, perinde ac naturali lege constitutus.

§ 2. *Systema Baianum circa peccatum originale.*

Doctrina Baii circa peccatum originale, ad hæc capita revocatur. Docet 1°, peccatum originale formaliter consistere in concupiscentiâ

carnis seu libidine, quæ est inclinatio in bonum sensibile contra rationis præscriptum. Ita Baius lib. de Peccato orig. cap. 6 et 10. Docet 2°, concupiscentiam hanc in non renatis peccatum esse, quia dominatur illis, nec hi gerunt contrarium voluntatis arbitrium. Ita lib. citato cap. 7. Ita etiam propositionibus 48 et 49 inter Baianas : « Peccatum originis est « habituali parvuli voluntate voluntarium, et « habitualiter dominatur parvulo, eò quod « non gerit contrarium voluntatis arbitrium. » Docet 3°, eamdem concupiscentiam etiam in renatis peccatum esse, ex quo iterùm per relapsum iis dominatur. Ipsissima sunt verba propositionis 74 : « Concupiscentia in renatis « relapsis in peccatum mortale, in quibus jam « dominatur, peccatum est, sicut et alii habi« tus pravi. » Docet 4°, independenter ab omni prorsùs pacto, lege ac ordinatione divinâ, « omne scelus ejus esse conditionis, ut suum « auctorem et omnes posteros eo modo infi« cere possit, quo infecit prima transgressio. » Verba sunt Baii citato libro de Pecc. orig. cap. 13, estque 52 inter Baianas propositiones. Ex hâc Baii doctrinâ sequitur, quoad transfusionem et communicationem noxæ originalis, nihil omninò peculiare esse Adami peccato. Docet 5°, eodem lib. de Pecc. orig. cap. 11, 13 et 16, « concupiscentiam sive legem membro« rum, et prava ejus desideria, quæ inviti « sentiunt homines, veram esse legis inobe« dientiam. » Ipsa sunt verba propositionis 51 inter damnatas. « Prava desideria, quibus ra« tio non consentit, et quæ homo invitus pa« titur, sunt prohibita præcepto : *Non concu« pisces.* » Est 50. « Homo sentiens motus « pravos concupiscentiæ et non consentiens, « transgreditur præceptum : *Non concupisces*, « quamvis transgressio in peccatum non depu« tetur. » Est 75. « Quamdiù aliquid concu« piscentiæ carnalis in diligente est, non facit « præceptum : Diliges Dominum Deum tuum « ex toto corde tuo. » Est 76. Quàm falsa sit, absurda, erronea, necnon Lutheranis erroribus consentiens prædicta doctrina, nemo non videt. Quemadmodùm enim observant doctores Lovanienses in suâ celebri jam laudatâ declaratione an. 1585, cap. 12, nullo pacto vera esset renatorum justificatio, si motus ii carnis, quos inviti adversùs spiritum rebellantes sentiunt justi, vera essent peccata; *nihil enim damnationis est*, inquit Apost. Rom. 8, *in iis qui sunt Christo Jesu;* nec possent tamen veram propriamque peccati rationem exuere, si legis transgressionem et inobedientiam continerent. Quamobrem dicendum est motus concupiscentiæ pravos, pro vitiati hominis statu, prohibitos non esse præcepto : *Non concupisces;* hominemque eos sentientem, sed non consentientem, legis prædictæ pronuntiari non debere transgressorem; sicuti enim Deus non præcipit homini ut faciat quod facere non potest; ita neque prohibet quod vitare non valet; nec quidquam omninò sub præceptum aut prohibitionem cadit, nisi in quantùm humanæ possibilitati subjicitur.

Sed et multò gravius est, inquit Steyaërtius in suis ad damnatas Baii propositiones notis, quod additur propositione 75, nempe, hominem pravos concupiscentiæ motus sentientem et non consentientem, transgredi præceptum, *non concupisces;* « quamvis transgressio in pec« catum non deputetur. » Hic enim loquendi modus non poterat fidelium aures non offendere, ex quo sectarii eàdem planè phrasi hæreses suas circa justorum opera exprimere consueverunt, asserendo ea omnia, quantumvis ex se virtuosa appareant, vera esse peccata, propter adhærescentem concupiscentiæ labem, neque tamen ex bonitate et misericordiâ divinâ in peccatum imputari.

Eàdem prorsùs ratione confutatur propositio 76, de præcepto diligendi Deum ex toto corde; quasi, uti effutiunt Luther. et Calvin., homo pravos concupiscentiæ motus invitus sentiens veram legis inobedientiam admitteret, quò fieret ut Deum ex toto corde non diligeret. Impediunt quidem hi motus, ne omni modo ex toto corde diligatur Deus; non tamen efficiunt, ut ea quæ de diligendo Deo lex est, non veraciter impleatur; tum quia charitas cùm sit in voluntate, non adversantur ei, nisi motus voluntarii; tum quia non exigit, nisi ut amemus Deum plus quàm creaturas; tum denique quia charitas quæ secum consistere patitur indeliberata carnis desideria, idcircò etiam dicta est legis plenitudo, quòd per eam divina lex impleatur.

Totum istud paucis contraho. Error Lutheri et Calvini circa justorum opera, in eo potissimum positus est, juxta Bellarm. lib. 4 de Justif. cap. 10, quòd existiment, ne sanctis quidem possibilem esse legis impletionem, præsertim quod attinet ad illud : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* et illud : *Non concupisces.* Porrò, si valeret prædicta Baii sententia, justificatis forent impossibilia Dei mandata, inprimis utrumque mox recensitum;

Diliges Dominum, etc. etc. : *Non concupisces*; ergo, etc.

§ 3. *Systema Baianum circa peccatum personale.*

Docet 1°, *ad rationem et definitionem peccati non pertinere voluntarium.* Ipsa sunt verba propositionis 46 inter Baianas. Habet hanc doctrinam Baius lib. de Peccat. orig. cap. 7 : « Disserentes, inquit, de actu aliquo, an ex « suo genere sit peccatum ; non hoc inquirere « debemus, an sit à voluntate, vel à quâ sit « voluntate profectum, sed an ex suo genere « sit divinorum inobedientia mandatorum ; « quæ peccati propria definitio est, quia quid- « quid ejusmodi est, undecumque sit hoc, « sine ambiguitate ex suâ ratione peccatum « est. » Eamdem doctrinam extendit ad peccatum originale ; unde propositione 47, sic habet : « Peccatum originis verè habet ratio- « nem peccati sine ullâ ratione et respectu ad « voluntatem, à quâ originem habuit. »

Docet 2°, *nullum esse peccatum ex naturâ suâ veniale, sed omne peccatum mereri pœnam æternam.* Est propositio 20. Docet hanc Baius lib. 2 de Peccat. Meritis cap. 8, primò quasi disputando, sed in fine planè assertivè. De isto Baii errore sic pronuntiant Doctores Lovanienses in suprà citatâ declaratione : « Quod asse- « ritur, nullum esse peccatum naturâ suâ ve- « niale, sed omne illud pœnam mereri æter- « nam, non sine gravi ratione repudiandum « damnandumque videtur ; neque enim, ut cæ- « teras causas prætereamus, poterit cum eis « peccatis quæ venialia dicuntur, quibusque « nec sanctissimorum hominum mortalem hanc « vitam agentium conversatio caret, vera con- « sistere justitia, si omnia digna sunt morte. »

Docet 3°, *in omnibus suis actibus peccatorem servire dominanti cupiditati.* Est 40 propositio inter Baianas. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum esse.* Est 35. Quis crederet, inquit Steyaërt. in citatis notis ad propositiones Baianas, hanc propositionem primam è quâ altera sponte sequitur reipsà haberi apud Baium? Habetur tamen, et quidem totidem verbis lib. de libero Arb. cap. 6, ubi sic legitur : « Dæmones in omnibus suis actibus « et desideriis miserrimi sunt suæ iniquitatis et « malæ voluntatis, quam deponere non pos- « sunt, servi. Similiter impii homines quam- « diù non sunt à peccati dominio per filium « liberati, servi sunt peccati, *quia in omnibus « suis actibus dominanti peccato serviunt.* » Quod quidem loco mox citato confutant doctores Lovanienses, « quia, quemadmodùm « justus non omnia justè, nec fidelis omnia « fideliter ; ita neque peccator omnia vitiosè, « neque infidelis omnia infideliter operatur. »

Hunc Baii errorem antea docuerant Joannes Wicleff. et Joan. Hus. Ille quidem, sess. 15 concilii Constant. his verbis : « Ex principiis « fidei est per se notum, quòd quidquid homo « in peccato mortali fecerit, peccat mortali- « ter. » Alter verò, ibidem col. 130, n. 16 : « Si homo est vitiosus, et agat quidquam, « tunc agit vitiosè ; et si est virtuosus, et agat « quidquam, tunc agit virtuosè ; quia sicut vi- « tium, quod crimen dicitur, sive peccatum « mortale, inficit universaliter actus hominis « vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus ho- « minis virtuosi. »

Hic observandum, Baium nomine peccatoris non intelligere, sicuti intelligebant Wicleff. et Jean. Hus, eum qui caret gratiâ sanctificante, seu eum in quo remissum non est peccatum ; sed eum potiùs qui caret charitate actuali prædominante, seu in quo non est charitas intensivè, aut saltem appretiativè perfecta, seu eum qui nondùm elicuit ullum charitatis actum quo deponeret habitualem affectum peccati ; sensusque est hujusmodi hominem, quia nondùm agit ex charitate, semper agere ex dominante cupiditate ; adeòque semper peccare. Hic sensus intimè connexus est cum aliis ejusdem auctoris propositionibus, quibus asserit nihil boni fieri posse sine charitate, nullumque dari medium inter laudabilem charitatem et vitiosam cupiditatem, uti expressè habet 38 propositio. De quo postmodùm dicemus.

Quod autem citatis propositionibus 35 et 40 Baius nomine peccatoris, non eum præcisè intellexerit qui caret gratiâ sanctificante quâ mortalia peccata expunguntur, inde manifestè constat, quia censuit veram et propriè dictam, imò etiam intensivè perfectam charitatem cum peccato mortali et reatu pœnæ æternæ posse consistere. Ita expressè tradit Baius proposit. 31, 33 et 70 ; porrò certum est, etiam in mente Baii, illud opus bonum esse ac laudabile, quod ex dominante charitate intensivè aut saltem appretiativè perfectâ fit ; ergo, etc.

Docet 4°, *omnia infidelium opera esse peccata, et philosophorum virtutes esse vitia.* Ita Baius lib. de Virt. impiorum cap. 4 et 5, estque propositio 25. De isto Baii errore, suo loco ex professo agemus : *infidelitatem purè negativam in iis ; quibus Christus non est prædicatus, esse*

peccatum ; est 68. *Hominem peccare etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit* ; est 67. Hæ duæ postremæ propositiones expressè non habentur in libris Baii ; ast ex aliis ejus placitis, tum circa concupiscentiam , tum circa libertatem manifestè sequuntur.

Docet 3°, *in peccatis duo esse , actum , et reatum ; transeunte autem actu , nihil manere nisi reatum , sive obligationem ad pœnam* , est 56 propositio. Additur proposit. 57 et 58 : *In sacramento Baptismi , aut sacerdotis absolutione, propriè reatum peccati duntaxat tolli , et ministerium sacerdotum solùm liberare à reatu.* Hos errores tradit Baius lib. de oratione pro defunctis cap. 4 , in eo autem siti sunt , quòd in peccato nihil aliud agnoscat , quàm actum et reatum pœnæ (nullum autem præterea reatum seu maculam culpæ) et hunc duntaxat pœnæ reatum tolli doceat ministerio sacerdotis ; è contra verò concil. Trid. sess. 14 , cap. 4 , declarat , etiam ubi per contritionem perfectam fit reconciliatio ante sacramentum , ipsam nihilominùs reconciliationem non fieri sine respectu ad sacramentum , cujus votum in contritione includitur; non ergo solus pœnæ reatus, ut vult Baius , sed et peccatum ipsum remittitur sacerdotis ministerio in re vel saltem in voto. Etverò , cùm sacramentis Baptismi et Pœnitentiæ verè justificentur homines , justificatio autem non sola sit peccatorum remissio, sed sanctificatio etiam renovatioque interior hominis ; fieri non potest ut nuda reatûs pœnæ solutio baptismo sacerdotisque ministerio adscribatur.

§ 4. *Systema Baianum circa libertatem.*

Duo sunt palmares ac præcipui Baiani systematis errores circa libertatem. Primus iste est: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Ipsa est propositio 66 , quam docet Baius lib. de lib. Arb. cap. 7 , in eâ autem sermonem haberi de libertate ad merendum et demerendum requisitâ , ex antecedentibus et consequentibus manifestè colligitur.

Secundus est : *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio , nonnisi ad peccandum valet.* Ipsa est propositio 27 , estque titulus capitis 8 , lib. 2 , de virtutibus impiorum , qui sic est , *quòd liberum arbitrium sine Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valeat.*

Ex priori errore sequitur 1°, *quod voluntariè fit , etiamsi necessariò fiat , liberè tamen fit.* Est 39 propositio inter Baianas, quam non obscurè tradit Baius lib. de libero arbitrio; capite enim cap. 4 et 5 , docet , *Angelos felici quâdam necessitate constrictos , Deum atque justitiam immobiliter diligere* ; et tamen postea , cap. 6 , eosdem *liberrimos* vocat , *etiam in eo quòd justitiam diligant.* Sequitur 2°, *hominem damnabiliter peccare , in eo quod necessariò facit.* Est 67. Sequitur 3°, pravos et indeliberatos concupiscentiæ motus , infidelitatem merè negativam , et opera infidelium vera esse peccata; quæ totidem sunt Baii placita, uti antea observavimus.

Ex posteriori autem errore circa vires liberi arbitrii absque gratiâ sequitur 1° , *fures esse et latrones qui.... docent tentationi ulli sine gratiæ Christi adjutorio hominem posse resistere , sic ut in eam non inducatur , aut ab eâ non superetur.* Verba sunt proposit. 29 et 30. Ita etiam Baius lib. 2 de virtutibus impiorum , cap. 9. Sequur 2°, *cum Pelagio sentire , qui boni aliquid naturalis , hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit , agnoscit.* Habetur apud Baium lib. de charit. cap. 5 , estque propositio 37 , quæ coincidit cum 25 et 65. Sequitur 3° , *Deum posse in præsenti statu impossibilia præcipere ;* quod exprimit propositio 54 , hancque doctrinam tradit Baius lib. de peccat. orig. cap. 12 , his verbis : « Dico igitur.... quod asseritur Deum homini nihil impossibile præcepisse , de homine recto , qualis erat cùm Deus ab initio mandata et præcepta illi apposuit, esse verissimum. » Et rursùs : « Quod igitur consideratione primæ integritatis.... verissimè dicitur , Deum homini nihil præcepisse impossibile; hoc de homine corrupto dici non potest , nisi respiciendo ad divinum auxilium , quo sanctis Dei possibile , imò facile efficitur, quod per lapsum viribus humanis factum est impossibile. » Ibid. initio capitis dixerat : « Definitiva sententia quæ D. Augustino adscribitur (Deus homini nihil impossibile præcepit) Augustini non est, sed Pelagii in epist. ad Demetriadem. »

§ 5. *Systema Baianum circa charitatem.*

Docet 1°, istudque est totius Baianæ doctrinæ præcipuum ac palmare principium : *omnem amorem creaturæ rationalis , aut vitiosam esse cupiditatem , quâ mundus diligitur , quæ à Joanne perhibetur ; aut laudabilem illam charitatem , quâ per Spiritum sanctum in cordibus diffusâ , Deus amatur ;* nullum proindè dari medium inter charitatem propriè et strictè sumptam et vitiosam cupiditatem. Est hæc propositio 38 inter Baianas , hancque totidem verbis tradit Baius lib. de charit. cap. 5 , 6 et 9.

Porrò charitas Baio tunc demùm nuncupatur, cùm dominatur supra cupiditatem non solùm actualem, sed etiam habitualem, seu, quà homo omnem peccandi affectum deponit, et finem suum ultimum tum objectivum, tum subjectivum in Deo constituit. « Patet, inquit « citato lib. de charit. cap. 9, charitatem tunc « nuncupari, quandò Deo cooperante tantum « accipit incrementum, ut et mandata Dei fa- « ciat, et cupiditates quæ priùs eum in scele- « ribus detinebant, vincat. »

Mirum profectò quot et quanta errorum portenta ex illo malè fœcundo Baii principio necessariò consequantur; ea sigillatim et quoad fieri poterit accuratè referemus et exponemus dissertatione duodecimâ, ubi de Jansenii discipulis : simplex horumce consectariorum expositio, plenissima erit pestilentis principii ex quo deducuntur confutatio.

Prædictum de impossibilitate amoris medii principium confutat sacra Facultas Lovaniensis cap. 5, sæpiùs laudatæ declarationis anni 1585, his verbis : « Omninò hoc à vero abhor- « rere censemus, omnem creaturæ rationalis « amorem, aut vitiosam cupiditatem esse..... « aut laudabilem illam charitatem.... Est indu- « biè medius quidam amor, quem naturæ auc- « tor inseruit; quo non modò beatitudinem « experimus omnes, sed et parentes et amicos... « Et quæcumque aliâ ratione propinquos irre- « prehensibiliter ipsâque naturâ impellente, « diligimus; qui etsi longè abest ab illius ex- « cellentiâ charitatis quam Deus per Spiritum « sanctum in eorum qui justificantur corda « diffundit; tamen neque ita degener est, ut « vitiosa debeat cupiditas existimari; hæc ex « Deo non est, ille Deum habet auctorem; hæc « damnanda atque prohibita est, illum naturæ « lex omnisque honesti postulat ratio ac requi- « rit; hanc charitas divinitùs infusa destruit « atque evertit, illum firmat ac perficit. »

Unum hìc observo, perversa omnia quæ tradit Baius dogmata circa statum naturæ innocentis, ex prædicto Baii principio directè sequi; pariter quæ tradit circa statum naturæ lapsæ et reparatæ, ferè omnia ex eodem principio dimanant, ut apertè patebit attendenti. Verùm de his consectariis ut diximus pleniùs dicemus alibi.

Docet 2°, quidquid fit sine charitate, non solùm omissionis, sed et commissionis peccatum esse, adeòque *non esse veram legis obedientiam quæ fit sine charitate.* Est 16 proposit. Quoad sensum habetur cap. 1 libri de libero arbitrio : « Quæcumque, ait, sine charitate « fiunt, etiamsi apud homines speciosa videan- « tur, tamen apud Deum simulata tantùm et « non vera sunt legis obedientia. » Manifestè sequitur, ut patet, ex impossibilitate amoris medii.

Nota hìc obiter, juxta Wiclef. quidquid fit sine charitate habituali et gratiâ sanctificante peccatum esse commissionis... Juxta Baium etiam peccatum est quidquid fit sine charitate, non quidem habituali, sed actuali intensivè aut saltem appretiativè perfectâ; seu quæ dominatur supra cupiditatem non solùm actualem, sed etiam habitualem. Ratio ipsius est, quia cupiditas non potest in voluntate dominari habitu, quin et actu etiam dominetur; unde victo ac debellato actu, habitus jacet subjectus; cupiditas enim habitualis, si ipsi fides, semper movet et excitat voluntatem juxta omnes suos intensionis gradus; idque pro nativâ habituum conditione. Habitus si quidem ex naturâ suâ est propensio; hæc propensio ex se est necessaria, nec liberè semetipsam suscitat; præsente ergo objecto ad illud totis conatibus tendit, et illo frui nititur quantùm potest. Ex quo iterùm sequeretur in eodem Baii systemate, charitatem non posse esse appretiativè perfectam, quin etiam sit intensivè; porrò adducta Baii ratio, petita ex necessariâ habituum in objectâ suâ propensione, omninò infirma est; objectum enim potest esse plùs minùsve consonum habitui, potest ab intellectu plùs minùsve ut tale attingi; unde habitûs propensio potest esse plus minùsve vehemens. .. Plerique Baii discipuli, ac præsertim Jansenius, primâ fronte videntur magistri sui systema hâc in parte utcumque emolliisse : asserunt enim peccatum esse quidquid sine charitate dominante supra cupiditatem, non quidem habitualem, sed actualem duntaxat. Verùm propiùs inspicienti patebit, in rei veritate ipsos à Baio nullatenùs aut vix discrepare; stando suis principiis fateri tenentur, id quod fit ex charitate infirmâ, debili ac inferiore cupiditati habituali, peccatum esse saltem omissionis, defectu nempe, tum relationis in Deum ut finem ultimum, tum observationis primi ac præcipui Dei mandati : *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo,* etc. Itaque, si quod sit magistrum inter et discipulos discrimen, in eo unicè stat, quòd Baio peccatum tum omissionis, tum commissionis sit, quod fit sine charitate dominante supra cupiditatem habitualem, seu appretiativè perfectâ; Jansenio verò, aliisque Baianistis, peccatum omissionis duntaxat.

Docet 3°, *charitatem veram, perfectam et sinceram, quæ est ex corde puro, conscientiâ bonâ et fide non fictâ, tam in catechumenis quàm in pœnitentibus posse esse sine remissione peccatorum, et cum reatu æternæ damnationis.* Ita proposit. 31, 32, 70. Ita etiam Baius lib. de charit. cap. 7 et 9, ubi nullam charitatis perfectionem excipit, quæ reatum peccati mortalis et æternæ damnationis secum pati non possit Istud sequitur ex systemate Baii circa justificationem; asserit enim, *veram justificationem posse separari remissione peccatorum!*

Docet 4°, *per contritionem, etiam cum charitate perfectâ, et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remitti crimen sine actuali susceptione sacramentorum.* Est proposit. 71. Excipit Baius necessitatis et martyrii casus; tunc enim, inquit, ex mero et gratuito Dei beneplacito, sine actuali sacramenti susceptione remittitur peccatum cum supradictâ contritione.

§ 6. *Systema Baianum circa justificationem.*

Tria potissimùm docet Baius circa justificationem. Primum, *justificationem impii formaliter consistere in obedientiâ ma datorum; non in gratiâ aliquâ animæ infusâ, quâ adoptatur homo in filium Dei, et secundùm interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur.* Ita proposit. 42 et 69 inter Baianas. Doctrinam hanc lib. penè integro de justitiâ, præsertim cap. 3, et 6, tradit Baius; quod certè mirum, cùm concilium Trid. cui interfuit, contrarium disertè doceat sess. 6, can. 11, his verbis: « Si quis dixerit homines justificari vel solâ « imputatione justitiæ Christi, vel solâ pecca« torum remissione, exclusâ gratiâ et charita« te, quæ in cordibus eorum per Spiritum « sanctum diffundatur, atque illis inhæreat.... « anathema sit. » Et verò justitiam, per quam formaliter justi sumus, habitualem esse, non actualem, vel ex eo uno manifestè evincitur, quòd justitia quâ formaliter justificamur, non sit solùm in adultis, sed etiam in parvulis baptizatis; at in parvulis nulla esse potest justitia actualis; ergò, etc.

Secundum, *in hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante Baptismum, esse veram justificationem; separatam tamen à remissione peccatorum.* Hæc est propositio 43, quam tradit Baius citato lib. de justitiâ cap. 7. Hæc autem ut clariùs intelligatur propositio, sciendum est Baium docere cap. 3, *justitiam hujus vitæ duabus consistere partibus, remissione videlicet peccatorum, et vitæ novitate.* Addit ille cap. 6, justitiam impropriè constitui per remissionem peccatorum, propriè verò per obedientiam legis seu mandatorum; ac proinde qui legi obedit, habet id quod in justificatione præcipuum est, nec tamen is simpliciter et absolutè justus dici debet, nisi insuper accesserit peccatorum remissio, quam Baius vult essentialiter annexam sacramento extra casus martyrii aut extremæ necessitatis. Hinc fit 1° catechumenos et pœnitentes posse habere justitiam, nec tamen eos esse aut dici posse justos; 2° justitiam consistere posse cum reatu æternæ damnationis; 3° discernendum esse inter hominem habentem gratiam quæ justificat, et hominem justum; primus servat mandata, secundus cum obsequio legis, nullius peccati reus est; 4° formam quâ homo denominatur justus, esse remissionem peccatorum, non justitiam ipsam. Hæc autem doctrina planè est aliena à mente concilii Tridentini sessione 6, cap. 7 et can. 11, ubi non obscurè declaratur justitiam per quam formaliter justi sumus, non solam peccatorum remissionem, sed etiam interiorem et permanentem hominis renovationem complecti: « Si quis dixerit, inquiunt citato can. « Patres Trident., homines justificari.... solâ « peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et cha« ritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum « sanctum diffundatur, atque illis inhæreat.... « anathema sit. »

Tertium, *rejiciendam esse illam distinctionem duplicis justiæ; alterius quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem; alterius quæ fit ex inspiratione quâdam Spiritûs sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondùm inhabitantis;* est propositio 63. *Item et illam distinctionem duplicis vivificationis; alterius quâ vivificatur peccator, dùm ei pœnitentia et vitæ novæ propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, quâ vivificatur qui verè justificatur et palmes vivus in vite Christi efficitur, pariter commentitiam esse, et Scripturis minimè congruentem.* Utraque propositio habetur quoad sensum apud Baium, lib. de charit. cap 7, et lib. de Justificat. cap. 5. Utraque confutatur ex S. Aug. lib. de Naturâ et Grat. cap. 70, ubi varios charitatis gradus describens S. doctor, sic habet: « Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas « provecta, provecta justitia est; charitas ma« gna, magna justitia est; charitas perfecta, « perfecta justitia est. » Et lib. 1 de divers. quæst. ad Simplic. quæst, 2: « Fiunt ergo in« choationes quædam fidei, conceptionibus

« similes; non tamen solùm concipi, sed etiam « nasci opus est, ut ad vitam perveniatur æter- « nam. »

§ 7. *Systema Baianum circa meritum operum.*

Suum circa meritum bonorum operum systema operosissimè adstruit Baius libris de meritis operum, ac præsertim secundo. Summa in eo consistit, quòd ad meritum impertinens esse velit, quæ sit operantis dignitas, excellentia aut sublimitas, modò opus ipsum bonum sit et legi Dei conforme.

Docet itaque 1°, *Sicut opus malum ex suâ naturâ est mortis æternæ meritorium, sic opus bonum ex suâ naturâ est vitæ æternæ meritorium.* Est secunda inter Baianas; hanc tradit Baius lib. 1 de merit. operum cap. 2. In hoc primo Baii placito, multa occurrunt reprehendenda. 1° Falsum est opus bonum vitæ æternæ meritorium esse *ex suâ naturâ;* aliàs meritorium esset independenter tum ab ordinatione divinâ, tum à meritis Christi, tum à conditione personæ operantis; quæ tria apertè erronea docuit Baius, et disertè confixit concil. Trid. sess. 6, cap. 16, et can. 32 ejusdem sess. 2° Falsum pariter et erroneum, opus malum ex suâ naturâ mortis æternæ meritorium esse; aliàs omne peccatum ex suâ naturâ foret mortale. 3° Etsi esset opus malum suâ ex naturâ mortis æternæ meritorium, non tamen consequens foret vitæ æternæ præmium ex boni operis naturâ profluere; quasi nimirum tantumdem sufficiat ad bonum ac ad malum.

Docet 2°, *quòd piè et justè in hâc vitâ mortali usque ad finem conversati vitam consequamur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim ab initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum esse... nec in hâc retributione bonorum operum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in quâ lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.* Ita propositio 11 et 12; ita etiam Baius lib. 2 de merit. operum. Quantùm utraque ista propositio injuriosa sit gratiæ, ejusque auctori Christo, nemo non videt; in iis siquidem conceptis verbis asseritur, non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali deputandam esse vitam æternam, nec in illius retributione ad Christi meritum respici; quod planè adversatur notissimæ illi Apost. sententiæ Rom. 6: *Gratia Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro.*

Docet 3°, *opera bona à filiis adoptionis facta, non accipere rationem meriti ex eo quòd fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei; sed tantùm ex eo quòd sint conformia legi... rationem meriti non consistere in eo, quòd qui benè operatur habeat gratiam et inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solùm, quòd obedit divinæ legi.* Est proposit. 13 et 15. Ita Baius citato lib. 2 de merit. operum cap. 1 et 7, utramque propositionem sæpiùs repetit, et multis probat ferè toto libro. Imò cap. 4 ejusdem libri pronuntiat, « cum Pelagio sentire, « qui dicit ad rationem meriti esse necessa- « rium, ut homo per gratiam adoptionis subli- « metur ad statum deificum. » Porrò ad meritum (de condigno) non sufficere bonitatem operis, ac obedientiam legi divinæ, sed insuper requiri eam personæ dignitatem atque præstantiam, quâ per adoptionis spiritum divinæ naturæ consors, dignaque Deo effecta sit, declarat concilium Trid. citato cap. 16 sessionis 6.

Docet 4°, *opera catechumenorum ante remissionem peccatorum facta, esse vitæ æternæ* (de condigno) *meritoria.* Est propositio 18; hanc tradit Baius citato lib. cap. 3, 4 et 7, et sequitur ex ideâ meriti quod in solâ precisè obedientiâ divinæ legi constituit.

Docet 5°, quòd ex eâdem meriti notione consequitur, *opera justitiæ et temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxisse majorem valorem.* Est proposit. 19, quam tradit Baius ibidem cap. 7.

Docet 6° commentitiam esse et explodendam distinctionem illam quâ opus dicitur bifariàm bonum, 1° ex objecto et circumstantiis, quod moraliter bonum appellari consuevit; 2° quia est meritorium regni æterni, eò quòd fit à vivo Christi membro per spiritum charitatis. Ita propositio 61 et 62. Ita etiam Baius lib. 2 de meritis operum cap. 1 et 6.

Docet 7°, *in redemptis per gratiam Christi nullum inveniri posse bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.* Verba sunt proposit. 8; id habet Baius sæpiùs citato lib. 1 de merit. cap. 4, quod planè contrarium est canoni 32 sess. 6 concil. Trid. in quo sic statuitur: « Si quis dixerit, hominis justificati bona « opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam « bona ipsius justificati merita; aut ipsum jus- « tificatum bonis operibus... non verè mereri « augmentum gratiæ, vitam æternam... ana- « thema sit. »

Docet 8°, *nec passiones sanctorum indulgentiis communicatas, nec satisfactiones laboriosas justi-*

ficatorum valere de condigno expiare pœnam temporalem restantem post culpam condonatam... nam alioqui essemus, aliquà saltem ex parte, nostri redemptores. Ita proposit. 59 et 60, 77, 10. Has propositiones tradit Baius lib. de Indulgentiis præsertim circa finem ; 59 et 60 conceptis verbis, aliàs verò quoad sensum ; quæ doctrina planè adversatur concilio Trid. sess. 14, cap. 8. Nec valet adducta Baii ratio ; etsi enim laboriosa justificatorum opera valeant de condigno expiare pœnas pro peccatis debitas, non ideò tam justificati propriè dici possunt aliquâ etiam ex parte sui redemptores, eo quòd, uti observat concil. Trid. loco citato, prædicta opera vim omnem suam ac dignitatem, non ex nobis tanquàm ex nobis, sed ex meritis duntaxat Christi mutuentur.

Docet denique, *sacrificium Missæ non aliâ ratione esse sacrificium, quàm generali illâ, quâ omne opus, quod fit, ut sanctâ societate Deo homo inhæreat.* Ipsa est proposit. 45, quæ legitur apud Baium lib. de Sacrificio cap. 2, 5 et 6. Directè adversatur hæc doctrina concilio Trid. sess. 22, can. 1 : « Si quis dixerit, in Missâ non « offerri Deo verum et proprium sacrificium... « anathema sit. » Et can. 3 : « Si quis dixerit « Missæ sacrificium tantùm esse laudis et gra- « tiarum actionis, aut nudam commemoratio- « nem sacrificii in cruce peracti..... anathema « sit. »

Hunc Baii errorem doctè ac solidè perstringit sacra Facultas Lovaniensis cap. 14 supradictæ declarationis his verbis : « In Missâ « propriam sacrificii rationem in oblatione « Dominici corporis constitutam agnoscimus ; « damnantes omninò, detestantesque, si quis « asserat Missæ sacrificium non aliâ ratione « sacrificium esse, quàm illâ generali quâ omne « opus quod fit ut sanctâ societate Deo inhæ- « reamus. Quia, si ita sit, tunc sacerdotium « speciale nullum relinquitur, quod non sit « Christianis omnibus perindè commune. Si « enim ideò tantùm sacrificium est, quia opus « bonum est, cur sacerdos quisquam est, aut « quare sacrificare dicendus est, nisi quia san- « ctè beneque operetur? Ex quo conficitur « sacerdotium novi Testamenti non quibusdam « peculiariter ad hoc consecratis et inunctis « esse proprium, sed bonis omnibus laicis « esse commune. »

Atque hæc de præcipuis systematis Baiani erroribus, è Luthero et Calvino maximâ ex parte deductis ; ex alterâ verò à Baio et Hesselio adornatis et amplificatis ; in quibus, quod certè mirum, in absurda et opposita Pelagianismi nec non Lutheranismi et Calvinismi dogmata alternatim inclinatur ; adeò verum est, quod ait Apost. primæ ad Timoth. cap. 1, qui semel à veritate exciderunt, convertuntur in vaniloquium ; volentes esse legis doctores, non intelligunt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Sunt qui dogmaticum Baii systema ad tres generatim partes contractiùs revocant. Prima spectat quæ docet Baius circa statum naturæ innocentis ; secunda, quæ tradit circa statum lapsæ ; tertia complectitur ipsius placita circa statum naturæ reparatæ ; verùm majoris perspicuitatis gratiâ in septem paragraphos distinximus ; quorum primus systema Baii circa statum naturæ innocentis exponit ; tres sequentes ejusdem systema circa statum naturæ lapsæ explicant ; tres verò postremi evolvunt quæ tradit circa statum naturæ reparatæ.

CAPUT III.

De bullis summorum pontificum in causâ Baii.

Tres sunt præcipuæ SS. pontificum bullæ in causâ Baii. Prima est Pii V, data anno 1567; his verbis incipit : *Ex omnibus afflictionibus.* Secunda Gregorii XIII, qui priorem confirmat et executioni mandari jubet an. 1579 ; incipit : *Provisionis nostræ.* Tertia Urbani VIII, qui Pianam et Gregorianam auctoritate suâ rursùs confirmat et approbat anno 1641 ; incipit : *In eminenti.*

Nihil non tentârunt Baii ac Jansenii fautores ad eludendas hasce constitutiones apostolicas. quibus palmaria communis suæ doctrinæ placita funditùs convelluntur ac radicitùs exscinduntur. Si ipsis fides, prædicta Pontificia decreta infinitis scatent abusibus, informia sunt, inutilia, subreptitia, à moribus nostris Gallicanis plurimùm aliena, nullius proinde apud nos momenti ac ponderis, nusquàm promulgata, nusquàm recepta : hæc et alia sunt convicia quibus novatores constitutiones apostolicas adversùs Baium discerpunt ac dilaniant. Alii paulò in speciem modestiùs, præfata decreta venerari equidem profitentur eorumque auctoritatem agnoscere ; ast in rei veritate eam deprimunt ac penitùs enervant, dùm ut sese censuræ subducant, dicta decreta ad sensus omninò alienos et distortos inflectunt.

Ut ista omnia breviter et cum ordine discutiantur, bullam Pii V, non in se præcisè duntaxat spectabimus, sed ut postremò confirmatam et promulgatam ab Urbano VIII, et de eâ sic

spectatâ ista quæremus, 1° an sit subreptitia; 2° an sit lex sanctæ Sedis; 3° an sit lex Ecclesiæ Gallicanæ; 4° an sit lex Ecclesiæ universæ; 5° an sit lex dogmatica; 6° quis sit bullæ sensus, ubi de famosi commatis transpositione; 7° tandem de nonnullis aliis externis et ascititiis ad bullam Pianam spectantibus. His autem semel discussis spontè concident probra et effugia quæ à novatoribus congeruntur in apostolicas constitutiones contra Baium.

ARTICULUS PRIMUS.

An bulla Urbani VIII sit subreptitia?

Ex bullâ Urbani altus Baianistarum et Jansenianorum dolor; ipsam subreptitiam esse conclamârunt missi Romam à Lovaniensibus duo deputati, Synnichius et Papius, qui præsumptæ subreptionis causas aperirent et rationes; quàm leves sint ac infirmæ patebit ex dicendis.

CONCLUSIO. — Bulla Urbani VIII non est subreptitia.

Prob. 1° ex Brevibus Urbani die 24 octob. an. 1643 datis ad archiep. Mechliniensem et Cameracensem, ad episcopum antuerpiensem, et ad academias Lovaniensem et Duacensem. Satis sit hìc retulisse quæ habentur in Brevi ad archiepisc. Mechliniensem: « Peculiari constitu« tione, inquit S. Pontifex, ipsum Jansenii « librum, quippe qui opiniones à Pio V et « Greg. XIII damnatas continere et tueri de« prehensus fuit, omninò reprobavimus pridiè « nonas martii an. 1641, quæ constitutio 19 « junii 1643 publicata in urbe fuit... Aliqua ad « falsitatem diplomatis indicandam non minùs « leviter quàm impudenter objiciunt, de pro« tractu illius publicationis, de anno in Coloniæ « exemplaribus immutato, ac erroribus incuriâ « typographi subortis; quæ omnia quanti pon« deris sint unusquisque prospicit..... Quamo« brem enixè flagitamus ut intolerabilem eorum « arrogantiam coerceas, ipsosque ad parendum « apostolicæ sanctioni quoquo pacto compel« las. » Nihil certè in rem nostram disertius. Ex his quippe perspicuum est planè nulla esse adversariorum effugia quibus contra expressam ipsiusmet summi pontificis declarationem, illius constitutionem ut supposititiam vel subreptitiam traducere non verentur.

Prob. 2° ex decreto inquisitionis an. 1644. Nempe excipiendis ac maturè discutiendis Lovaniensium querelis, qui bullam falsi postulabant, summus pontifex Urbanus tres præfecit cardinales, Spadam, Pamphilium (qui posteà fuit Innocent. X) Falconerium. Auditis patienter Synnichio et Papio deputatis, omnibusque longo et accurato examine discussis die 24 junii ejusdem an. 1644, emissum est à sacrâ generali Inquisitione decretum in quo sic legitur: « Do« mini cardinales, præfatos doctores verbo et « scripto multa deducentes, tum congregatim, « tum privatim audiverunt, eaque omnia in « universali congregatione pluries discussa SS. « Domino nostro diligentissimè retulerunt. « Sanctitas verò sua omnibus maturè per« pensis et consideratis mandavit ex archivio « ejusdem congregationis, et ex matrice acto« rum quæ in eodem archivio conservantur, « extrahi sive transcribi, et diligenter collatio« nari ac imprimi exemplar bullæ præfatæ, « illudque sic extractum, collationatum et im« pressum, eisdem Synnichio et Papio per su« pradictos DD. cardinales consignari, ipsisque « insuper Synnichio et Papio intimari et signi« ficari, suæ Sanctitatis mentem et voluntatem « esse, ut eidem exemplari sic consignato « fides adhibeatur, et ab omnibus Christi fide« libus bullæ hujusmodi omninò pareatur. » Nihil iterùm luculentius istâ solemni declaratione, ad præfatæ bullæ veritatem et authenticitatem vindicandam.

Mandato pontificis obsecuta congregatio, totam rei gestæ seriem internuntio Bruxellensi per epistolam significavit: « *Ut si forsan,* inquit, « *doctorem Synnichium... aliter scribere contin*« *gat, ac spem faciat fore ut bulla mitigetur vel* « *revocetur, Dominatio vestra unumquemque edo*« *cere possit, nunquàm, ne per minimam quidem* « *cogitationem SS. Domino venturum in mentem,* « *ut bullam quâcumque demùm suî parte im*« *mutet.* »

Prob. 3° ex Brevibus Innocentii X, an. 1645, quibus prædecessoris sui constitutionis executionem urgere cœpit, tum apud Belgii præsules, tum apud Marchionem Castri Roderici Belgii gubernatorem, tum apud facultates Duacenam, Lovaniensem et Parisiensem; ex iis non obscurè colligitur præfatam bullam falsitatis expostulari non posse.

Prob. 4° ex Alexandro VII, qui die 7 decembris 31 propositiones confixit, quarum trigesima prima sic se habet: *Bulla Urbani VIII est subreptitia;* ergo, etc.

Dices 1°: In variis bullæ exemplaribus varius annus consignatur; nempe in quibusdam annus 1641, in aliis annus 1642; ergo, etc. Respondeo annorum diversitatem oriri ex diverso modo annos computandi. Scilicet Romani in

Bullis annos Dominicæ Incarnationis incipiunt à 25 martii; hinc in quibusdam exemplaribus secundùm stylum curiæ romanæ, pridie nonas martii annus 1641 consignatus fuit; in aliis verò, nempe editionis Coloniensis, juxta popularem computandi rationem, annus 1642 appositus fuit.

Dices 2° : Etsi bulla data fuisset anno 1641 vel 1642, nihilominùs illius publicatio non fuit facta nisi 19 junii an. 1643 ; ergo, etc. Respondeo, quòd bullæ promulgatio tamdiu prorogata fuerit, id singulari summi pontificis indulgentiâ factum est ; sperabat enim pontifex futurum ut Jansenii fautores tandem obtemperarent priori suo decreto, paucis anteà mensibus lato, quo liber Jansenii simpliciter prohibebatur, tanquàm editus contra decreta de non scribendis operibus circa materiam de auxiliis. Ita declaravit congregatio universalis inquisitionis litteris ad eminentiss. card. Grimaldi tunc Parisiis nuntium.

Dices 3°, ab Albizio infensissimo discipulorum Jansenii hoste adulteratam fuisse Urbani constitutionem, et in eâ Jansenii nomen fraudulenter insertum fuisse, cùm tamen fidem dedisset summus pontifex quòd nullus in particulari sugillaretur cum expositione nominis; sicut ab Urbano sibi dictum sub juramento affirmavit Synnichius coram publico notario die 22 februarii an. 1647 Diarii *de saint Amour* inter collectanea pag. 270. Resp. insignem esse Baii et Jansenii discipulorum calumniam, asserere interpolatam fuisse ab Albizio Urbanam constitutionem, et ad invidiam in eâ fraudulenter insertum fuisse Jansenii nomen ; ita constat ex dictis, præsertim argumento secundo. Quapropter promissionis à summo pontifice datæ, sensus non fuit, quòd nullius nomen in bullâ appellaretur ; sed quòd nulla persona appellato nomine censuræ notâ perculeretur, quod ritè in constitutione observatum fuit, in quâ liber Jansenii ita damnatus est, ut nulla ejus personæ nota inusta fuerit.

Dices 4° Bulla Urbani lata fuit re non satis expensâ ; ergo est subreptitia. Resp. nego antecedens ; contrarium enim constat ex tenore bullæ, in quâ summus pontifex testatur *non sine maturâ deliberatione et diligenti consideratione latam fuisse bullam;* porrò S. pontifici instrumento publico ita attestanti, profectò major fides adhibenda est quàm Patri Hilarioni, à quo hanc objectionem mutuatus est Dominus de saint Amour in suo Diario.

ARTICULUS II.

An bulla Urbani sit lex sanctæ Sedis ?

Conclusio. — Bulla Urbani lex est sanctæ Sedis.

Prob. Ut bulla meritò censeatur lex sanctæ Sedis, tres requiruntur et sufficiunt conditiones : nempe 1° ut sit lata de consensu cardinalium. 2° Ad universam Ecclesiam dirigatur. 3° Ut sit ritè promulgata ; atqui, quidquid sit de bullâ Pianâ in se præcisè spectatâ, certè tres prædictæ conditiones competunt bullæ Urbani Pianam renovanti ac confirmanti ; ergo, etc. 1° Lata est de consensu cardinalium, ut evidens est et constat ex contextu bullæ. 2° Ad omnes Ecclesias dirigitur. Namque illa fuit directa ad omnes Ecclesias, *quæ omnes cujuscumque conditionis et qualitatis sint et specialissimâ notâ et expressione dignos obligat;* atqui talis est bulla Urbani, uti in eâ expressè asseritur; ergo, etc. 3° Ritè fuit promulgata. 1° Quidem Romæ, ut disertè testatur ipse S. pontifex, Brevi ad archiepiscopum Mechliniensem, his verbis : *Quæ constitutio 19 junii 1643 publicata in Urbe fuit.* 2° In Belgio ubi natus fuerat error, quod ex dictis in synopsi historicâ constat, et ampliùs constabit ex dicendis infra art. 4 ; ergo, etc.

ARTICULUS III.

An bulla Urbani sit lex Ecclesiæ Gallicanæ ?

Observandum 1°, duo esse accuratè secernenda in dogmaticâ summi pontificis bullâ. I Doctrinam, seu dogma quod approbat aut improbat ; II formam ipsam, quæ nihil aliud est quàm modus et certæ quædam formalitates quibus bulla lata est. Duo hæc inscitè aut malâ fide confundunt nonnulli, ut nempe defectu quorumdam vitiorum quæ fortè occurrunt in nudâ decreti dogmatici formâ, dogma ipsum quod tradit decretum rejiciant ac penitùs evertant.

Observandum 2°, vitiosum in formâ decretum, neglectâ ac postpositâ formâ, posse acceptari quoad doctrinam. Plurima extant eâ de re exempla ; duo occurrunt domestica ac præ cæteris insignia. Primum petitur ex conciliis Provincialibus habitis anno 1699, in causâ libri cui titulus : *Maximes des Saints*. His in conciliis summo plausu et maximâ cum veneratione ab episcopis Gallicanis constitutio Innocent. XII recepta fuit, et approbata, quantùm ad doctrinam et censuram prædicti libri ; in eâ tamen constitutione, clausula, *motu proprio*, usurpa-

tur, quæ in Galliis non admittitur; et aliæ nonnullæ clausulæ desiderantur, quas episcopi nostri appositas fuisse exoptâssent.

Alterum exemplum desumitur ex comitiis generalibus an. 1700; his in comitiis episcopi Gallicani, neglectâ et postpositâ ut minùs usibus nostris consentiente, decreti Innocent. XI an. 1679, sicut et alterius Alexandri VIII, an. 1695, formâ, quam exoptâssent usurpatam non fuisse, doctrinam tamen horumce decretorum approbant et suam faciunt: « Utinam, aiunt « præsules Gallicani in suâ censurâ anni 1700, « sanctissimi pontifices decretorum formulis « antiquo et nostro usu receptis, quæque ad « universas Ecclesias pertinerent, infandam « doctrinam proscripsissent; sed dùm expecta« mus, fore ut tantùm opus, more majorum « et canonico ordine perficiant, nos interim.... « has propositiones à prædictis pontificibus, « uti memoravimus, applaudente toto orbe « christiano condemnatas... suis quasque cen« suris configendas esse duximus. » Decreti ergo apostolici doctrina potest approbari, non approbatâ formâ quâ latum est decretum.

His duobus tertium addi potest exemplum *ad hominem* quo idem evincitur. Quippe cum prædicto decreto anni 1679 Innocent. XI sexaginta et quinque laxioris æthicæ propositiones eo in tribunali condemnâsset, cujus forma in ferendis decretis usibus Gallicanis non satis est consentiens; nihilominùs tamen ipsimet Janseniani, sepositâ haud dubiè decreti formâ, ejus substantiam, seu doctrinam, velut morum regulam sequendam esse acclamârunt, propositis etiam, et simul cum decreto editis quibusdam regulis generalibus ad confirmandam dicti decreti utilitatem.

Observandum 3°, cùm hìc quærimus an bulla Urbani sit lex Ecclesiæ Gallicanæ; non attendimus ad illius formam, aliaque quædam externa et ascititia, quæ moribus nostris Gallicanis non satis congruunt; sed unicè spectamus doctrinam hâc Constitutione apostolicâ, et episcoporum judicio pariter damnatam. His præmissis, sit

Conclusio. — Bulla Urbani VIII, quoad doctrinam spectata, lex est Ecclesiæ Gallicanæ.

Probatur 1° insignibus eam in rem argumentis. 1° Illustriss. Parisiensis archiepiscopus de Gondy anno 1643 mense decembri, decretum tulit circa recipiendam quoad doctrinam dictam constitutionem; quod decretum die 11 Januarii lectum fuit ac promulgatum in publicis parochiarum præconiis. 2° Anno 1644, die 2 januarii bulla Urbani VIII ad sacram Facultatem regio mandato defertur; ac die 15 ejusdem mensis, eadem Facultas dictam constitutionem quoad doctrinam acceptavit, ac suis omnibus severè injunxit, ne aliquam è damnatis à Pio V et Greg. XIII propositionibus propugnarent.

Ita disertè testatur Habertus unus è præcipuis à Facultate eo in negotio deputatis, quique posteà fuit Vabrensis episcopus, pag. 38 Appendicis ad calcem libri cui titulus, *Defensio fidei*, etc. « Cùm allata fuisset, inquit, hæc « bulla ad sacram Facultatem Theologicam ex « parte eminent. cardinal. Nuntii Grimaldi, « consensu etiam ac jussu regis interveniente; « eâ lectâ et maturâ deliberatione habitâ cen« suit facultas, quoad doctrinam plenè reci« piendam esse summâ cum veneratione, et « prohibendum, esse omnibus ac singulis doc« toribus ac baccalaureis, ne ullam ex propo« sitionibus in eâ bullâ notatis sustinere ac « defendere audeant. Quoad alias verò difficul« tates bullæ, procrastinandum esse donec « mens summi pontificis quoad prohibitionem « disputationum de gratiâ, et quoad censuras « pleniùs intelligatur. » Idem etiam refertur in actis S. Facult. Paris. ad ann. 1644.

Duo manifestè distinguit sacra Facultas; nempe doctrinam damnatam, et modum quo damnata est, aliasque externas clausulas. Quoad doctrinam, censet *plenè recipiendam esse summâ cum veneratione;* quantùm verò ad formam et modum, nempe prohibitionem disputationum de gratiâ, censuras et alia hujusmodi, censet *procrastinandum, donec mens S. Pontificis pleniùs intelligatur.* Ipsissima hæc est nostra Conclusio. Cautam ac prudentem Facultatis agendi rationem laudavit ac probavit eminentiss. card. Grimaldi tunc temporis nuncius apostolicus in Galliâ, in responso dato ad dictam Facultatem Parisiensem.

3° Anno 1650, illustr. episcopus Suessionensis, archiepiscopi Parisiensis exemplum secutus, dictam Urbani bullam à suis eâ quâ par est reverentiâ recipi curavit, edito eâ de re die 4 februarii Documento pastorali in parochiis totius diœceseos promulgato. Idem præstiterat an. 1648 archiepiscopus Bisuntinus, ut constat ex actis synodalibus ejusdem anni editis et promulgatis, quorum fragmentum refertur tomo 3 Ripaldæ de ente supern. ad calcem.

4° Decretorium est quod hanc in rem legitur in famosâ epistolâ quam anno 1661 octoginta quinque Gallicani præsules ad Innocent. X

dedère; in eà summo pontifici declarant præsules, motus in Ecclesià Gallicanà occasione libri Jansenii Yprensis excitatos « sedari oportuisse, tum concilii Trid. auctoritate, tum « bullæ illius quà Urbanus VIII adversùs Jansenii dogmata pronuntiavit, et decreta Pii V « ac Greg. XIII in Baium edita confirmavit; « cujus quidem bullæ veritatem ac robur novo « diplomate vindicàsti. » Nihil luculentius. Illi profectò bullam acceptare censendi sunt, qui illius veritatem ac robur agnoscunt, quique addunt ipsius auctoritate non secùs ac concilii Trid. judicio sedari oportuisse concertationes occasione Jansenii excitatas; atqui ita episcopi Gallicani; ergo, etc.

5° Idem colligitur ex comitiis an. 1700, 1705, 1710, etc., die 10 martii an. 1710, eminentiss. card. Noallius archiepiscopus Parisiensis, sex archiepiscopi, et quinque episcopi declarârunt, tum privato nomine, tum aliorum episcoporum qui comitiis anni 1705 interfuerant, nullam conditionem necessariam deesse constitutionibus adversùs Jansenium latis, ut totam obligent Ecclesiam, idemque prorsùs sentiendum de bullis adversùs Baium, Molinosum, et librum cui titulus : *Maximes des Saints*. Censebant ergo dicti præsules, bullas adversùs Baium quantùm ad doctrinam, vim et robur apud nos obtinere. En verba quæ leguntur ad calcem actorum verbalium comitiorum an. 1705, et in collect. bullarum quintæ edit. pag. 650 : « Nous, comme ayant eu part à toutes ses délibérations, déclarons qu'elle (l'assemblée « de 1705) était très persuadée qu'il ne manque « aux constitutions contre Jansenius, aucune « des conditions nécessaires pour obliger toute « l'Église, et nous croyons qu'elle aurait eu « le même sentiment sur les bulles contre « Baius, contre Molinos, et contre le livre intitulé *Maximes des Saints*, s'il en eût été « mention. »

Atque hinc est quòd an. 1711, die 28 aprilis idem eminentiss. card. Noallius eâ maximè de causâ prohibuit à suis legi ac retineri quædam mandata sub nomine illustriss. episcoporum Lucionensis et Rupellensis evulgata, quòd ipsi visa fuissent vigesimam sextam, et vigesimam octavam Baii propositiones à SS. pontificibus damnatas renovare.

6° In comitiis anni 1713 et 1714, præsules Gallicani in egregio illo Documento pastorali quod occasione Constitutionis Clementis XI, quæ incipit his verbis, *Unigenitus Dei Filius*, adornârunt, censuram propositionum Quesnellii confirmant ex iteratâ sæpiùs similium Baii propositionum damnatione.

7° Denique, ut plura alia prætermittam, in extraordinariis comitiis edicto regio habitis an. 1728, bullæ adversùs errores Baii aliis accensentur pontificiis decretis quæ procul dubiò quoad doctrinam vim legis obtinent in Galliis. Vide epistolam præsulum horumce comitiorum ad regem pag. 54 et sequent.

Ex his sic arguo : Dogmatica summi pontificis bulla quam præsules Gallicani et Facultates acceptârunt, profectò vera est quoad doctrinam Ecclesiæ Gallicanæ lex; atqui bulla Urbani VIII, etc.; ergo, etc.

Probatur 2°. Si quid obstaret quominùs bulla Urbani esset lex Ecclesiæ Gallicanæ, maximè quia hujus forma usibus nostris contraria est; ast hæc ratio omninò nulla est. Ad hoc enim satis est ut apostolici decreti doctrina possit recipi, neglectâ ac postpositâ formâ quâ latum est decretum; porrò ita esse manifestè liquet ex dictis prænotato secundo; ergo, etc.

Et verò, uti observant Gallicani præsules occasione constitutionis Innocentii XII adversùs librum cui titulus : *Maximes des Saints*, amplum statui debet discrimen inter judicia quæ circa fidem feruntur, et statuta seu canones disciplinæ; in illis formæ, quâ res ipsa servatur, tenaciùs adhærendum; in aliis verò quæ fidem omnibus communem spectant, rei substantia, id est doctrina quæ ex Scripturis ac traditione certa est, formæ præponderare debet, eamque ad se trahit. En verba eminentiss. Card. Noallii in conventu Parisiensi occasione dictæ Constitutionis : « On doit faire une grande « différence entre les jugemens rendus sur des « matières de doctrine, et les réglemens faits « pour la discipline. A l'égard des derniers, il « est plus nécessaire de s'attacher inviolable« ment aux formes, qui servent à conserver le « fond; mais pour les jugemens sur les matiè« res de la foi, qui doit être une dans toute l'E« glise, quoiqu'il soit à désirer qu'ils ne se « rendent que dans les formes les plus usitées, « le fond qui est constant par l'Ecriture et par « la tradition, et qui ne peut jamais souffrir « de changement, emporte la forme. » Idem tradunt cæteri in cæteris comitiis Episcopi.

Probatur 3° iis omnibus momentis quibus articulo sequenti evincemus dictam bullam legem esse universalis Ecclesiæ. Lex etenim universalis Ecclesiæ, profectò lex est Ecclesiæ Gallicanæ; atqui bulla Urbani quoad doctrinam, etc.; ergo, etc.

Dices : Hæc bulla 1° munita non fuit sigillo regio ; 2° in tabulas supremæ curiæ relata non fuit ; 3° solemniter non est promulgata ; ergo, etc.

Respondeo 1°, has omnes conditiones deesse decretis contra ethicæ laxioris propositiones, quæ tamen decreta quoad doctrinam vim in Galliis obtinere docent adversarii. Respondeo 2°, hæc probare duntaxat bullam Urbani vim non habere quoad formam ; sed illæsam relinquunt illius vim quoad doctrinam ; constat enim ex dictis, episcopos Gallicanos constanter agnovisse veritatem et æquitatem illius bullæ?

ARTICULUS IV.

An bulla Urbani VIII sit lex Ecclesiæ universalis?

Conclusio. — Bulla Urbani quoad doctrinam spectata, lex est Ecclesiæ universalis.

Probatur 1°. Dogmatica sanctæ Sedis bulla, de cardinalium consensu lata, ad omnes et singulas Ecclesias sub excommunicationis pœnâ directa iis in locis expressè acceptata in quibus natus est error, cæteris tacitè consentientibus, nulloque ex adverso reclamante, bulla, inquam, his instructa characteribus, lex est profectò Ecclesiæ universalis ; atqui talis est Bulla Urbani VIII ; ergo, etc. Major propositio constans est et certissimum totius infallibilitatis Ecclesiæ principium, quo semel everso nutarent constantissimæ ejus definitiones ; v. g., constitutiones Leonis X adversùs Luther. Innoc. X adversùs Jans. Innoc. XI et XII adversùs Molinos. et librum cui titulus : *Maximes des Saints;* satis sit hìc paucis ipsius veritatem demonstrâsse.

1° Ex illo celebri juris cononici placito quod in simili causâ sæpiùs versat illustriss. Bossuet. in opere cui titulus : *Defensio declarat. Cleri Gallic : Error cui non resistitur, approbatur, et veritas* (maximè impetita et lacessita) *cùm non defensatur, opprimitur.* Dist. 83, cap. *Error.* « Quod juris pronuntiatum, inquit « ibid. doctissimus præsul, à Felice III in « causâ fidei primò prolatum, deinde in iisdem « causis ab ejus successoribus, et ab omnibus « doctoribus summo consensu frequentatum « fuit. » Silentium ergo episcoporum, præsertim ubi agitur de Pontificiâ constitutione acceptatâ iis in locis in quibus enatus est error, certissimum est taciti eorum consensûs indicium ; tunc enim, « connivere est, inquit « S. Cœlest. in epist. ad episc. Galliæ, tacere. « In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas si falsitas « displiceret ; meritò namque causa nos respi- « cit, si cum silentio faveamus errori. »

2° Idem disertè evincit egregium illud sancti Aug. epist. 53, aliàs 119 : « Ecclesia Dei quæ « sunt contra fidem vel bonam vitam, nec « approbat, nec tacet, nec facit. » Unde idem S. D. lib. de dono persever. cap. 16 : « Dica- « tur ergo verum, inquit, maximè ubi aliqua « questio ut dicatur impellit. » Hinc colligit illustr. Bossuet. citato opere lib. 1, « solere « Ecclesiam catholicam exortis erroribus statim « opponere plenam ac luculentam veritatis à « Deo revelatæ declarationem. »

3° Idem doctiss. antistes citatâ defensione declarat. cleri Gall. lib. 3, cap. 2, rem de quâ hìc agitur paucis his verbis testatur et adstruit : « Neque enim fieri potest ut Ecclesia « Spiritu veritatis instructa non repugnet « errori. » Rursùs ibidem : « Quis nesciat, « inquit, nullis missis nuntiis, nullis perlatis « litteris de Janseniano negotio diplomata « ubique obtinere, cùm neminem obstrepere « et reclamare audiamus ? » Judice ergo doctiss. auctore, non reclamatio certum est consensûs taciti argumentum.

4° Eamdem veritatem tradit ac pluribus invictè probat Petrus Aurelius adversariis profectò minimè suspectus, tom. 1, pag. 98, et præsertim 127 : « Consentiunt autem (Epi- « scopi) inquit, dùm publicè laboranti atque « oppressæ veritati non succurrunt, qui de- « bent, et qui ad hoc potissimùm in Ecclesiæ « tribunalibus collocati sunt. Ergo, cùm quies- « cunt, probant ; cùm patiuntur, decernunt ; « cùm tacent, clamant. Nam hæresum plera- « rumque damnationes non semper expressâ « et perscriptâ Ecclesiæ totius consensione « firmatas atque auctoratas esse supra osten- « dimus. » Et paulò post . « Satis consensu « tacito clamat Ecclesia, cùm reclamare de- « beret, si dissentiret ; officio enim deesse et « veritatem prodere non potest. »

Ibidem addit insignia isthæc verba, quæ profectò demonstrant vi promissionum fieri non posse ut sileant episcopi iis in circumstantiis in quibus pontificio diplomate aut error proponeretur, aut proscriberetur veritas : « Ad tam publicam et illustrem, inquit, veri- « tatis proculcationem Ecclesia catholica silere « non posset. Non enim falsum unquàm esse « potest illud de Ecclesiâ Dei, Augustini « præconium : Ecclesia Dei quæ sunt contra « fidem.... nec approbat, nec tacet. Nec ve- « rum esse non potest illud verbum Apostoli :

« *Non solùm qui ista faciunt, digni sunt morte,* « SED ETIAM QUI CONSENTIUNT FACIENTIBUS. »

5°. Idem disertissimè declarat vel ipse Quesnellius lib. cui titulus : *Tradition de l'Eglise romaine*, tom. 1, pag. 217, ubi varias recensens vias finiendi fidei controversias, hæc habet certè decretoria : « Si c'est dans le « concile d'un pays particulier, comme de « l'Afrique, qu'une question est agitée, cette « Eglise propose au Saint-Siege, et par lui à « toutes les autres Églises, ce qu'elle a trouvé « dans sa tradition ; et aucune n'y contre- « disant, et témoignant au contraire par son « consentement exprès ou tacite, qu'elle a « trouvé la même chose dans la sienne, on en « demeure là et la cause est finie. » Et rursùs pag. 218 : « Le reste des Eglises du monde « s'étant contentées de voir entrer en lice les « Africains et les Gaulois, et d'attendre ce « que le Saint-Siége jugeroit de leur différend; « leur silence, quand il n'y aurait rien de « plus, doit tenir lieu d'un consentement gé- « néral, lequel joint au jugement du Saint- « Siége, forme une décision qu'il n'est pas « permis de ne pas suivre. »

Atque hinc in supremi senatûs Decreto, occasione bullæ adversùs Placita sanctorum lato, tanquàm quid certum statuitur, « Que le con- « sentement exprès ou tacite des évêques, « imprime à une décision, vénérable par « elle-même, le sacré caractère d'un dogme « de foi. »

Vera ergo major propositio, nempè dogmaticam summi pontificis bullam acceptatam ab episcopis loci in quibus exortus est error, nullis ex adverso reclamantibus, universalis Ecclesiæ legis vim obtinere.

Minor autem per partes probatur. 1° Bullam Urbani legem esse sanctæ Sedis constat ex dictis art. 2. 2° Eamdem bullam non esse meram disciplinæ legem, sed verum et propriè dictum dogmaticum Ecclesiæ decretum, constabit ex dicendis art. sequenti. 3° Latam fuisse de consensu cardinalium et ad universas Ecclesias directam, idque sub excommunicationis pœnâ; ex solo contextûs tenore apertè liquet. 4° Quod sanè præcipuum est, eamdem bullam ab episcopis Belgii acceptatam fuisse, varia demonstrant.

Constat 1° ex nationali Ecclesiarum Belgicarum synodo Mechliniæ habitâ anno 1570, die 11 junii; eâ in synodo, urgente Albaniæ duce, bulla Pii V, quam confirmat bulla Urbani VIII, ab omnibus Belgii episcopis acceptata fuit. Ita colligitur ex secundâ parte novæ edit., operum Baii pag. 200 et 201... Constat 2° ex synodis diœcesanis et cœtibus Decanatuum in quibus an. 1643 et 1644 archiepiscopi Cameracensis et et Mechliniensis, episcopi Brugensis, Audomarensis, Namurcensis, Busco-ducensis aliique Belgii episcopi bullam Urbani acceptârunt ac promulgari curârunt. Ita colligitur ex eorumdem episcoporum litteris, quarum excerpta referuntur pag. 50 et 51 appendicis ad recentem historiam Baianismi..... Constat 3°, quia iidem Belgii episcopi anno 1646, editis solemnibus Mandatis ejusdem bullæ acceptationem confirmârunt. Extant eâ de re Mandata episcoporum Antuerpiensis, Namurcensis, etc., tom. 3 Ripaldæ de ente supernat. ad calcem, et in lib. cui titulus : *Triumphus veritatis*, parte tertiâ... Constat 4° ex disertâ bullæ acceptatione duarum Belgii Universitatum, Lovaniensis et Duacensis. De Duacenâ, res est certa, tum ex lib. Facultatis theologicæ Duacensis impresso Duaci an. 1649, sub hoc titulo : *Veritas et æquitas censuræ pontificiæ propugnata*, etc., ubi articuli Baiani vulgò dicti refelluntur tanquàm falsi per antitheses Guillelmi Estii et Francisci Sylvii ; tum ex epist. ejusdem Francisci Sylvii scriptâ Duaci die 22 septembris anni 1643, ad internuntium, cui expressè testatur, *universam Facultatem Duacenam ex animo bullam Urbani VIII acceptâsse.* De Lovaniensi verò Facultate patet vel ex ipso generalis historiæ Jansenismi auctore, qui ad annum 1643, conceptis verbis declarat omnes Lovanienses doctores, uno duntaxat excepto, testatos fuisse, *se prædictam Bullam reverenter suscipere*..... Constat 5° triplici regis catholici edicto, quo statutum est ut Urbana Constitutio in Belgiis solemniter promulgaretur. Primum est anni 1646, alterum an. 1647, tertium an. 1651. Edicto anni 1647, regis catholici jussu ac curâ Leopoldi archiducis, Constitutio Urbani publicata ac recepta fuit, impositâ etiam lege iis omnibus qui ad aliquod seu civile, seu ecclesiasticum munus promoveri cuperent, ut propriâ syngraphâ ac juramento testarentur, *se obsequentes esse sanctæ romanæ Ecclesiæ et S. D. N. pontifici romano, et acceptare debitâ obedientiâ Constitutionem Urbani.* Extat istud edictum in collectione historicâ bullarum pag. 67 edit. 5. Ex his manifestum est, episcopos Gallo-Belgicæ provinciæ in quâ natus fuerat Baianus error, bullam Urbani acceptâsse ; quod expressè declarat Facultas Theolog. Duacena citato libro cui titulus : *Veritas et æquitas Constitutionis Pontificiæ*, n. 247,

pag. 159 edit. an. 1650, in quo agens de Formulario in Belgiis subscribendo ab iis omnibus qui ad aliquod sive civile, sive ecclesiasticum munus promovendi erant, sic habet : *Compendio dicimus illud juramentum emanare ab apostolico Pronotario, de notitiâ et mandato sanctissimæ Sedis acceptatum* AB EPISCOPIS OMNIBUS GALLO-BELGIS. Idem asseritur in epist. Decani Facultatis theolog. Duacenæ ad Fulgent. n. 262, 263, 273.

5° Tandem nullos episcopos prædictæ bullæ reluctatos fuisse, extra Belgium, res est certa, neque ullum qui reclamaverit laudant adversarii ; in Belgiis autem, etsi initio nonnulli episcopi oblocuti fuerant, omnes tandem acquievère, ut constat, tum ex mox dictis tum ex Epist. archiepiscopi Mechliniensis et episcopi Gandavensis 12 februarii anni 1637, in quâ testantur se purè et simpliciter bullæ urbani adhærere ; quâ quidem purâ et simplici prædictorum episcoporum submissione, qui soli tunc in Belgiis pontificio decreto obsistebant, prorsùs sopitæ sunt iis in regionibus contentiones occasione Baianorum errorum exortæ.

Probatur 2° dogmaticum apostolicæ Sedis judicium à nobilioribus Ecclesiis expressè et solemniter acceptatum, ab aliis verò tacitè, ita ut huic sese conforment, atque factis declarent illud tanquàm sensuum suorum regulam, vera est universalis Ecclesiæ lex ; atqui talis est Urbani VIII Constitutio; ergo, etc.

Major est extra omnem controversiam ; neque eam inficiantur adversarii.

Minor autem ex dictis ex parte constat.

1° Quoad Italiam pro more solito Romæ promulgata fuit 19 junii 1643, Promulgationem hanc disertè testatur Urbanus Brevibus eodem an. 1643 datis ad archiepiscopum Mechliniensem et ad Franciscum *de Mello* Belgii gubernatorem. Eadem promulgatio intimata fuit episcopo Antuerpiensi et Facultati Lovaniensi Brevibus anno sequenti datis die 24 octobris. Quin et ad calcem bullæ Urbani adjicitur instrumentum authenticum his verbis conceptum : « Anno 1643, die verò 19 junii, supradicta Con« stitutio *Affixa et publicata fuit* ad valvas Ba« silicæ principis Apostolorum de urbe, et can« cellariæ apostolicæ, atque in acie Campi Flo« ræ per me Joannem Riccium... sanctæ In« quisitionis cursorem. » Unde mirum profectò nonnullos ex adversariis prædictam promulgationem in dubium revocâsse. 2° In Belgiis solemniter acceptatam fuisse bullam demonstrant mox adducta, tum publica Episcoporum harumce regionum Mandata, tum Lovaniensis et Duacenæ Facultatum statuta ; tum varia regis catholici eam in rem edicta. 3° Quoad doctrinam in Galliis pariter acceptatam fuisse, art. præcedenti abundè probavimus. 4° Quod spectat ad Hispaniam, in omnibus Ecclesiis quibus constat amplissimum illud regnum promulgata fuit et acceptata Urbani bulla, juxta varias formalitates iis in regionibus observari solitas. Ita colligitur, tum ex laudatis regis catholici edictis ; tum ex generalis inquisitionis Hispaniarum decreto dato Madriti 12 februar. an. 1644. Refertur decretum illud apud Ripaldam tom. 3 de Ente supernat. sub finem. 5° Fuit etiam solemniter promulgata in Poloniâ ; extant enim exemplaria bullæ Urbani editionis Polonicæ, in quibus aversâ chartâ publicum legitur testimonium hujusce promulgationis, his verbis : « Ego « concionator regius notum facio me... hanc « bullam ex mandato illustriss. nuntii aposto« lici publicâsse in æde sacrâ parochiali sanc« ti Joannis Varsoviæ, coram serenissimo rege « et cæteris senatoribus totâque congregatione « populi. Stanislaus Bzygodzki. » Habetur istud instrumentum apud Ripaldam loco mox c tato.

Tandem nullibi reclamatum est adversùs prædictam bullam ; imò orbis catholici regna in quibus solemni more promulgata non fuit, variis factis declarârunt se huic tanquàm judicio dogmatico ex animo reipsà adhærere. Ex quo enim, uti advertit Steyaërt. tom. 1 opuscul. pag. 156 et 157, articuli Baiani à summis pontificibus damnati sunt, celebriores omnium scholarum theologi contradictorios illorum articulorum tanquàm veritates catholicas suscepêre, quibus nemo refragari auderet, et quibus uti liceret tanquam totidem fundamentis ad alias veritates stabiliendas ; satisque fuit ad aliquam propositionem erroris aut falsitatis convincendam, demonstrare ex eâ sequi articulum à SS. pontificibus in Baio confixum. Ita se gessêre Facultas Lovaniensis in suâ famosâ sæpiùs antea citatâ declaratione anni 1385; Facultas Duacena in lib. cui titulus : *Veritas et æquitas censuræ pontificiæ*, etc. an. 1649 ; card. d'Aguirre, Norisius, Estius, Sylvius, Steyaërt, Wigers, Suarez, Ripalda, etc.

Atque hinc in Germaniâ cùm religiosus quidam nonnullos è damnatis in bullâ Urbani articulis propugnare ausus fuisset, thesis statim suppressa et proscripta fuit ac ultricibus flammis addicta. Ita refertur appendice libri cui titulus : *Triumphus catholicæ veritatis*, pag. 412 et 413 ; eamdem Urbani bullam in generalibus

ordinum Benedictinorum, Carmelitarum, Minimorum, Capucinorum, etc., conventibus acceptatam fuisse declarat loco mox citato idem auctor libri cui titulus: *Triumphus veritatis*, etc.

Probatur 3° tam Constitutio Urbani VIII dici potest lex Ecclesiæ universalis, quàm Constitutiones innocentii X adversùs Jansenium, Innocentii XI adversùs Molinos., Innocentii XII adversùs auctorem libri cui titulus : *Maximes des Saints ;* istæ etenim perinde ac illa continent clausulas quasdam quæ moribus nostris, Gallicanis non satis congruunt ; pariter prædicta decreta in locis in quibus natus est error solemniter promulgata sunt, non in aliis omnibus ; imò Urbani bulla in multò pluribus regionibus expressè fuit promulgata at acceptata ; atqui, fatentibus etiam adversariis, præfatæ Innoc. X, XI et XII. Constitutiones quoad doctrinam vera sunt universalis Ecclesiæ decreta ; ergo, etc.

Probatur 4° disertis episcoporum Gallicanorum testimoniis. 1° Præcedenti articulo retulimus quod eam in rem testantur 85 præsules Gallicani in suâ famosâ ad Innoc. X Epist. in eâ non obscurè declarant bullam Urbani ab ipsis haberi ut universalis Ecclesiæ legem, cùm asserant illius perinde ac concilii Trid. auctoritate sedari oportuisse motus occasione libri Jansenii excitatos. 2° Idem clarè colligitur ex adductâ ibidem card. Noall. declaratione, in quâ cum duodecim archiepiscopis et episcopis nomine comitiorum anni 1705 significant, nullam conditionem necessariam deesse constitutionibus adversùs Baium, Molinosum, et librum cui Gallicè titulus : *Maximes des Saints,* ut totam obligent Ecclesiam. 3° In documento pastorali quadraginta episcoporum comitiorum an 1714, à plus quàm sexaginta aliis acceptato ; in explicationibus circa bullam an. 1720 subscriptis à nonaginta sex cardinalibus, archiepiscopis et episcopis ; in judicio doctrinali card. archiep. et episcoporum adversùs Causidicos an. 1728, etc. ; in his omnibus monumentis Urbani bulla laudatur et assumitur tanquàm totius Ecclesiæ lex, atque accensetur cum aliis decretis quæ omnibus fatentibus in universâ Ecclesiâ vim obtinent; qualia sunt decreta Leonis X adversùs Lutherum, Innoc. X adversùs Jans. Innoc. XI adversùs Molinos., etc. ; ergo, etc.

Solvuntur objectiones.— Inter plurimos qui hancce nostram conclusionem impugnavêre, fusiùs et proterviùs insurrexit auctor libelli gallico idiomate exarati an. 1722, sub hoc titulo : *Sentiment des facultés de Théologie de Paris et de Nantes sur une Thèse soutenue à Notre-Dame-des-Ardilliers, et condamnée par un Mandement de M. l'Evêque d'Angers le 30 septembre* 1718. Verùm quàm futilia vanaque sint illius ratiocinia paucis evincimus.

Dices itaque 1°: Bulla Urbani multiplici defectu, vitio et abusu laborat. 1° Iisdem defectibus ac abusibus scatet quibus bulla Pii V, quam confirmat et approbat : « De propositionibus damnatis et similibus, quoquo pacto « loquendi, scribendi et disputandi facultatem « quibuscumque interdicit, idque sub pœnâ « excommunicationis ipso facto incurrendæ, à « quâ nullus romano pontifice inferior, valeat, « excepto mortis articulo, liberare. Imò ino- « bedientes omnibus dignitatibus, gradibus, « honoribus, beneficiis et officiis perpetuò « privat, ac etiam inhabiles decernit. » Ipsissima sunt verba bullæ Pii ; porrò hæc omnia, inquit autor libelli citati, prorsus abusiva sunt, vimque omnem et auctoritatem bullæ Pianæ apud nos penitùs detrahunt. 2° Prædictis abusibus novos adjicit bulla Urbani, præsertim verò continet clausulam, *motu proprio, ex certâ scientiâ, ac de apostolicæ potestatis plenitudine ;* quæ moribus nostris Gallicanis plurimùm adversatur. 3° Nusquàm solitâ formâ recepta et promulgata fuit apud nos ; ergo, etc. —Respondeo : quidquid sit de prædictis abusibus, quos plurimùm amplificat auctor citatus, quosque pleniùs excutere non est hujus loci ; ruit profectò proposita objectio, si vitiosum ex parte formæ decretum, neglectâ ac postpositâ formâ possit acceptari quoad doctrinam ; atqui ita est ex dictis et probatis art. præcedenti ; ergo, etc. Et verò vix extat doctrinale sanctæ Sedis judicium in quo plura occurrant usibus nostris contraria, quàm in Constitutione Innocentii XII adversùs librum cui titulus : *Maximes des Saints.* 1° In eâ usurpatur clausula : *motu proprio.* 2° Deest inscriptio ad archiepiscopos et episcopos. 3° Data fuit in formâ duntaxat *Brevis ;* hi et alii defectus notati fuêre in comitiis provincialibus an. 1699, eâ in causâ habitis ; atqui tamen his nonobstantibus, dicta constitutio summo plausu et maximâ cum veneratione ab omnibus episcopis Gallicanis quantùm ad doctrinam et libri censuram recepta fuit et approbata ; ergo, etc.

Scilicet, uti anteà observavimus ex card. Noallio in conventu Parisiensi an. 1699, die 13 maii : « Il faut mettre une grande diffé- « rence entre les jugemens dogmatiques, et « ceux qui regardent la discipline. Dans ceux-ci

« il faut s'attacher plus scrupuleusement à la « forme, et dans ceux-là à la substance ; c'est-« à-dire que la doctrine puisée dans la tradi-« tion et les Ecritures doit l'emporter sur les « formalités. » Quæ quidem eminentiss. cardinalis sententia ab his aliisque regni comitiis eo in negotio tunc habitis, comprobata fuit ; atque hinc dicta Innocentii Constitutio regio diplomate munita fuit et in acta supremi senatûs relata.

Dices 2°: Bulla Urbani caret conditionibus ad vera universalis Ecclesiæ judicia requisitis. 1° Non præcessit maturum ac juridicum examen, quo scilicet episcopi ex collatione bullæ cum immotis fidei nostræ regulis, Scripturâ et traditione, eam acceptaverint, non meræ duntaxat adhæsionis, sed veri judicii viâ 2° Nulla fuit aut esse potuit uniformitas formalis, seu quoad sensum, S. Pontificem inter et episcopos, habitâ præsertim ratione modi generalis et indeterminati, quo propositiones configuntur. 3° Deest canonicitas, hoc est, nec à S. Pontifice lata, nec ab episcopis acceptata fuit in conciliis ; ergo, etc.

Respondeo ut brevi expediatur præsens objectio, dicendum cum illustriss. Bossuet, in opere cui titulus : *Defensio Declarat. Cleri Gallic.* lib. 3, cap. 2 : « Quocumque modo fiat ut « Ecclesia consentiat, transacta planè res est; « neque enim fieri potest unquàm, ut Ecclesia « Spiritu veritatis instructa, non repugnet er-« rori. » Silicet uti alibi observat idem illustriss. auctor, Spiritus sanctus qui semper adest Ecclesiæ, Spiritus est sapientiæ perinde ac veritatis ; ac proinde quemadmodùm fieri non potest ut falsò definiat Ecclesia, ita etiam nec temerè, omissisque conditionibus ad judicium canonicum necessariis, pronuntiare potest ; qui enim promisit finem, sine dubio promisit media, quæ ad eum finem obtinendum necessaria sunt. Itaque ex definitione exteriori certò judicandum adhibitas fuisse conditiones necessarias ; at non ex prætenso alicujus conditionis defectu enervanda est hujusce definitionis auctoritas; hæc enim ratiocinandi ratio, præterquàm in se insulsa, non esset medium breve, facile et unicuique proportionatum ; sed è contra prolixum, intricatum, periculosum, imò præsertim rudioribus impossibile. Ita card. archiepiscopi, et episcopi Gallicani in comitiis an. 1728 : « Dès que le vrai fidèle, « inquiunt in suo judicio doctrinali ad regem « pag. 21, voit le corps des Pasteurs uni au « chef, former une décision qui intéresse la « foi... il ne lui en faut pas davantage : il n'exa-« mine point comment le jugement a été formé, « ni les différens motifs sur lesquels les Pas-« teurs ont pu appuyer leur décision ; il lui suf-« fit qu'ils aient parlé, pour qu'il règle sa foi « sur leur enseignement.... Il sait que celui « qui a promis son assistance aux premiers « pasteurs, saura les garantir, et lui avec eux, « et que la simplicité de sa soumission sera « toujours sa sûreté, comme la promesse de « Jésus-Christ fait la leur. » Et rursùs ibid. pag. 25 « Pour juger de leur union ou de leur « unanimité (des premiers Pasteurs) avec le « Saint-Siége, la seule voie sûre est de s'atta-« cher aux actes et aux décisions mêmes, « comme au seul moyen par lequel les fidèles « puissent connaître ce que l'Eglise exige de « leur obéissance : tout autre moyen d'en juger « est impossible et dangereux. » Verùm de his fusiùs ubi de Ecclesiâ.

Respondeo 2°, usum hujusmodi censuræ tam antiquum esse et probatum in Ecclesiâ ut nonnisi ex insigni temeritate impeti possit. *Si quid*, inquit S. Augustinus epist. 54, *tota per orbem frequentat Ecclesia.... quin sit faciendum disputare insolentissimæ insaniæ est.*

Variis autem modis in Ecclesiâ usurpatas legimus censuras illas indistinctas et generales ; tribus potissimùm, 1° Generali librorum prohibitione, nullis selectis et extractis propositionibus. Ita Nicæna synodus infamem Arii *Thaliam* damnavit, teste Socrate lib. 1, hist. cap. 9. Eâdem ratione libri Origenis proscripti fuêre à synodo V œcumenicâ. Eodem etiam modo Gelasius in concilio Romano anni 494, et Martinus primus in concilio primo Lateranensi an. 649, multos hæreticos, et impia eorum scripta censurâ generali, nullâ propositione designatâ perstrinxêre. Is damnationis modus olim fuit longè vulgatior. 2° Damnati nonnunquàm leguntur nonnulli libri, et quidam ex illis articuli, istâ duntaxat generali notâ, *error.* Hoc modo ex consilio doctorum Parisiensium usi fuêre Guillelmus Parisiensis episcopus an. 1240, et Stephanus item Parisiensis an. 1277. 3° Jam diu invaluit usus et consuetudo proscribendi libros et propositiones ex illis extractas, sub variis indiscriminatim notis, seu, ut dicitur, *in globo*, nullâ factâ harumce notarum unicuique propositioni applicatione seu distributione. Quâ ratione Joannes XXII quinque articulos Joannis de Poliaco sigillatim designatos reprobavit, *tanquam falsos, erroneos et à doctrinâ sanâ devios.* Eodem

modo sese gessêre Sixtus IV contra Petrum de Osma; Leo X contra Lutherum, Pius V, Greg. XIII, Urbanus VIII, contra Baium, Innocentius XI contra Molinos., Innocentius XII adversùs librum cui titulus: *les Maximes des Saints*; tandem Clemens XI contra Quesnellium.

Vulgatum hunc et ordinarium in Sede apostolicâ ferendæ generalis censuræ modum secutus est clerus Gallicanus. Plurimæ ab eo latæ referuntur censuræ tom. 1 novæ collectionis Commentariorum cleri Gallicani; hæ omnes in genere duntaxat et in globo pronuntiant ac feriunt, unâ tantùm exceptâ censurâ anni 1700, quæ damnatis propositionibus singulis singulas et proprias affingit notas; quin et in eâdem censurâ propositiones 124, 125, 126, 127, in globo ac respectivè proscribuntur, his verbis: *Doctrina his propositionibus contenta, est respectivè falsa, absurda, perniciosa, erronea, probabilitatis pessimus fructus.* Eumdem censuræ modum olim et nunc usurpavêre nobiliores orbis catholici Academiæ, inprimis verò sacra facultas Parisiensis. Ita an. 1277, 1369, 1382, 1514 et 1525.

Denique quod certè plenè decretorium est ad vindicandam dictarum censurarum æquitatem, concilium Constantiense sess. 8, 45 articulos Wicleffi, sess. 15, 30 Joannis Hus in globo ac generatim damnavit, nullâ ipsius sigillatim inustâ censuræ notâ. Si ergo prædictus damnationis modus vitiosus foret, vitium illud in ipsum generale concilium, hoc est universam Ecclesiam refundendum esset, quod asserere aut suspicari profectò nefas est viro catholico.

Nec valet ad infirmandam dicti argumenti vim, quod asserit anonymus, nempè theologos Constantienses, singulos articulos antequàm à synodo generatim et *in globo* dispungerentur, speciali et distributâ censurâ notâsse; quæ quidem censura in publicâ sess. octavâ concilii lecta fuit et approbata, uti testatur Vanderhar in novâ concilii Constantiensis historiâ. Non valet, inquam; namque ut cætera prætermittam, dicta theologorum censura spectabat duntaxat articulos 45 Wicleffi, non 30 Joannis Hus; multò minùs alios ducentos et sexaginta, quos eadem synodus generatim damnavit. An dicent adversarii, istorum articulorum respectu, censuram concilii informem fuisse, obscuram, confusam et ambiguam? Adde censuram hanc in acta concilii relatam non fuisse, sed incognitam delituisse ad annum usque 1697, quo tenebris eruta fuit à recentiori historiæ hujus concilii auctore.

Ex iis omnibus sic arguo: Is censuræ modus nec inutilis, nec imperfectus, multò minùs noxius dici potest, qui à conciliis, SS. pontificibus, clero Gallicano, sacris facultatibus, olim et nunc usurpatus fuit; atqui modus generalis et indeterminatus damnandi propositiones, ut vocant, *in globo*; constanter usurpatus fuit à conciliis; ergo, etc.

Respondeo 3° negando min. censuræ enim *in globo*, generales quidem sunt, non autem vagæ, ambiguæ et æquivocæ, plenæ obscuritatis et confusionis, ut calumniatur auctor libelli supra citati; imò claræ sunt, et licet non summè, aliquâ tamen ex parte evidentes; plurimùm siquidem occurrit discriminis, ut advertit illust. Bossuet. lib. 15 Variat. n. 162, generales voces inter et vagas, ambiguas et æquivocas: « Les termes vagues, inquit loco « citato, ne signifient rien; les termes ambigus « signifient avec équivoque, et ne laissent dans « l'esprit aucun sens précis; les termes enve- « loppés brouillent les idees differentes: mais « quoique les termes généraux ne portent pas l'é- « vidence jusqu'à la dernière précision, ils sont « clairs néanmoins jusqu'à un certain degré. »

Ita doctissimus præsul hæreticorum querimonias retundebat, qui concilii Trid. definitiones obscuritatis et ambiguitatis carpebant, eò quòd generalibus verbis conceptæ essent. Porrò, inquiunt præsules Gallicani p. 35 supra citatæ Epist. ad regem an. 1728 (idem dicendum est de censuris generalibus, et *in globo*): « Ces jugemens ne sont ni vagues, ni ambigus, « ni équivoques. S'ils ne portent pas l'évidence « jusqu'à la dernière précision, c'est-à-dire, s'ils « ne déclarent pas en détail quelle est la pro- « position qui est hérétique, quelle est celle « qui est blasphématoire, etc..., ce jugement « néanmoins est clair jusqu'à un certain de- « gré, c'est-à-dire, il nous apprend clairement « qu'il n'y a aucune des propositions condam- « nées qui ne soit répréhensible. »

Atque hinc etiam facilè solvitur aliud novatorum argumentum contra prædictas censuras; quasi nullum possit ipsis assignari objectum determinatum; non ita est profectò; etsi enim ex illâ generali censurâ certò discerni non possit quæ præcisè propositio hæretica sit, erronea vel tantùm temeraria; duo tamen certò constant. Primum, nullam esse ex damnatis propositionibus quæ non mereatur aliquam notam, eas omnes perniciosas esse, periculo-

sas, fidei aliquo modo nocivas; alterum, nullam esse notam ex assignatis, quæ non alicui saltem competat propositioni; quæ duo sufficiunt ut quisque fidelis damnatas propositiones aversetur, et nullam ex iis admittat.

Totum istud egregiè explicant præsules Gallicani loco supra citato : « Ces sortes de jugemens (*in globo*), usités dans l'Eglise, comme « on l'a vu, PRÉSENTENT CLAIREMENT ET DISTINCTEMENT UNE VÉRITÉ DÉTERMINÉE, en tant qu'ils « assurent les fidèles que les propositions condamnées sont dangereuses dans la foi, qu'elles « renferment quelque venin, qu'elles s'écartent en quelque chose de la vérité catholique. « Par cet endroit ces sortes de jugemens nous « règlent dans l'ordre de la foi.... Il n'y a qu'à « lire les Professions de foi que Martin V dressa à la fin du concile de Constance.... on y « verra clairement que ce pape regardait des « censures portées sous des qualifications respectives, comme appartenantes au dogme, « et comme servant à diriger les fidèles dans « l'ordre de la foi. » Nihil certè luculentius ad vindicandas prædictas censuras à dicteriis quibus eas insimulare conantur adversarii.

Dices 5°, cum auctore citati libelli : Plurima sunt quæ longâ annorum serie ab omnibus probata et recepta fuêre, quæ tamen subinde vel tanquàm falsa rejecta sunt, vel in examen iterùm adducta tanquàm dubiæ auctoritatis. Talia sunt, 1° summorum pontificum ante Siricium decretales Epistolæ, 2° Libri qui sub nomine S. Dionysii circumferuntur, qui ab eruditis inter supposititios fœtus jam amandantur. 3° Epistola S. Leonis ad Flavianum in concilio Chalcedonensi expensa et retractata, quanquàm jam à multitudine episcoporum approbata. Tale denique Eugenii IV decretum, seu instructio ad Armenos data, à cujus doctrinâ circa materiam sacramentorum Confirmationis et Ordinis discedere, religioni non ducunt quamplures theologi. Porrò, inquit auctor citatus, melior non est conditio bullæ Urbani VIII, quàm Epistolæ S. Leonis, aut decreti Eugenii IV.

Respondeo, mirnm profectò auctorem hunc non vidisse, aut dissimulâsse, quantùm prædicta exempla à re nostrâ præsenti remota sint et aliena. In 1° et 2°, quæstio duntaxat vertitur de authenticitate Decretalium ante Siricium, et librorum sancti Dionysii; utrum scilicet eorum essent sub quorum nominibus circumferebantur : ast quæstio nostra instituitur e auctoritate bullæ Urbani VIII, id est, bullæ dogmaticæ ad omnes fideles directæ, et ab episcopis expressè aut tacitè acceptatæ; quantùm ista distent, quis non videat?

Tertium etiam exemplum ex prætensâ retractatione dogmaticæ S. Leonis ad Flavianum Epistolæ, ab anonymo præposterè omninò apponitur. Namque 1°, ut observat Natalis Alexander dissert. 12 Hist. Eccles. seculi V, dicta Leonis Epistola à multitudine episcoporum Italiæ, Galliæ, etc., approbata, lydius veluti lapis fuit ad quam de fide pronuntiatum est; unde, cùm actione primâ de fide S. Flaviani quæreretur, Paschasinus Lucentius Sedis apostolicæ Legati, Maximus Antiochenus et alii dixêre : « Sanctè « et integrè, et catholicè exposuit beatæ recor- « dationis Flavianus; siquidem fidei ejus ex- « positio cum beatissimi atque apostolici viri « papæ romani epistolâ concordat. » 2° Actione secunndâ lectis symbolis Nicæno de Constantinopolitano, duabus S. Cyrilli synodicis epistolis, et S. Epistolâ, hæc à synodo nominatim probata fuit his verbis : « Hæc Pa- « trum fides; hæc Apostolorum fides.... ana- « thema ei qui non ita credit. Petrus per Leonem « locutus est. » 3° Actione quartâ, iterùm « rogati Patres, quid landatâ de Epistolâ censerent, suo singuli ordine responderunt, symbolis Nicæno et Constantinopolitano consentaneam esse, nec non fidei à S. Cyrillo in Epistolis expositæ, ideòque se illi subscripsisse.

An ex istâ postremâ agendi ratione concilii et secutâ Ægyptiorum subscribendi recusatione colligeret anonymus, præfatam Leonis Epistolam in examen adductam fuisse tanquàm dubiæ adhuc auctoritatis? Verùm, si ita est, ergo dogmatica S. pontificis definitio à multitudine episcoporum Ecclesiæ dispersæ, et à Concilio œcumenico plures solemniter approbata, poterit denuò retractari, et velut dubiæ auctoritatis haberi; videat auctor num istud admittere velit? Quod autem spectat Ægyptiorum subscribendi recusationem, ex solâ actionis quartæ inspectione manifestè liquet, eam non ex oppositione sancti Leonis ac synodi doctrinæ ortam esse, sed ex quâdam erga futurum mox eligendum in locum Dioscori orthodoxum patriarcham observantiâ; nempe usitatam esse suarum regionum praxim prætendebant præsules Ægyptii, ut ipsi nonnisi post post patriarcham fidei definitionibus subscriberent.

Quòd si dictis acquiescere nolit anonymus, et contendat hanc sancti Leonis Epistolam in concilio Chalcedonensi non fuisse habitam uti definitionem fidei, sed eam tanquàm dubiæ auc-

toritatis fuisse retractatam; audiat Bellarminum lib. 2 de Eccles. cap. 19 : *Sanctus Leo miserat Epistolam ad concilium, non ut ultimam et definitivam sententiam, sed ut instructionem.* Si ita sit, non ergò mirum quòd iterùm expensa fuerit, neque inde meritò colligi potest bullam dogmaticam ad omnes fideles directam, etc., posse similiter iterùm retractari, et adhuc haberi tanquàm dubiæ auctoritatis. Verùm de his alibi ubi de Ecclesiâ.

Denique, quod repetit auctor ab exemplo decreti Eugenii, nullatenùs nocet, ìmò plurimùm nobis favet. Nusquàm enim definivit summus pontifex, unctionem in Confirmatione, et porrectionem instrumentorum in Ordinatione, esse materiam essentialem, aut solam, aut etiam partialem; sed hoc unum duntaxat, utramque materiam, sive essentialis illa sit, sive integrans tantùm, aut accidentalis (quod quidem decreto suo non determinat Eugenius) necessariò usurpandas esse juxta ritum Ecclesiæ romanæ; quemadmodùm ergo nullus est orthodoxus theologus qui inficiari istud meritò possit; ita nec negare, damnatas meritò ac damnandas esse propositiones Baii, quas confixêre Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII, quod unum hìc contendimus. Adde istud decretum non ad universalem dirigi Ecclesiam, sed post solutam Florentinam synodum ab Eugenio latum fuisse ad instruendos Armenos, unde dici solet : Decretum pro instructione Armenorum; iterùm ergo præsens exemplum non est ad rem.

Cætera quæ opponunt Baii patroni, levia omninò sunt ac nullius roboris, atque ex dictis aut ex mox dicendis nullo negotio dilui possunt.

ARTICULUS V.

An bulla Urbani VIII sit lex dogmatica.

Ex dictis, ubi de notis theologicis art. 1, parag. 2, quinque sunt dogmatici Ecclesiæ judicii præcipui ac essentiales characteres. 1° Regula est asensûs interni, ac proindè debet aliquid præcipere credendum... 2° Irreformabile esse debet et prorsùs immutabile; definit enim veritates revelatas aut cum iis certò et indivulsè connexas... 3° Universale est; scilicet ubi semel latum est, omnia subinde loca et tempora respicit, ac proinde omnes ubique sparsos fideles obligat... 4° Habet pro objecto, non meras voces, sed ipsam dogmatis substantiam, eamque si perversa sit, sub debitâ notâ perstringit... 5° Judicii dogmatici æquitas aut injustitia non aliunde probari potest, quàm ex ipsius conformitate aut oppositione cum Scripturis et traditione; his quinque characteribus judicium dogmaticum essentialiter discrepat à lege disciplinæ. His positis, sit

CONCLUSIO. Bulla Urbani vera est lex dogmatica, verum est dogmaticum judicium.

Probatur 1° Quinque supradicti legis dogmaticæ characteres ipsi apprimè competunt. 1° Præcipit aliquid credendum, nempe nullam esse ex damnatis propositionibus quæ non mereatur aliquam notam; et vice versâ, nullam esse ex assignatis notis quæ non in aliquam saltem cadat propositionem. 2° Irreformabilis est et prorsus invariabilis; sic enim loquitur summus Pontifex : *Hâc perpetuò valiturâ Constitutione*, etc. 3° Dirigitur ad omnes Ecclesias et fideles; ut patet ex contextu : *Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis.... infringere*, etc. 4° Perversam Baii doctrinam sub iisdem notis reprobat, quibus Pius V et Gregorius XIII eam jam antea damnaverant : *Hâc perpetuò valiturâ Constitutione*, inquit Urbanus, *prædictas Constitutiones* (Pii V et Greg. XIII) *perpetuò confirmamus et approbamus.* 5° Qui prædictam Urbani bullam propugnant, nituntur potissimùm ipsius conformitate cum Scripturâ et traditione; qui verò eam impugnant, ejusdem oppositionem cum immotis fidei nostræ regulis, Scripturâ et traditione prætendunt. Ergo quinque characteres judicio dogmatico speciales competunt bullæ Urbani VIII, ac proinde meritò appellatur vera lex dogmatica.

Probatur 2°. Tam bulla Urbani nuncupari potest ac debet lex dogmatica, quàm bullæ Leonis X adversùs Lutherum, Innoc. XI adversùs Molinos, Innoc. XII adversùs librum cui titulus : *Maximes des Saints;* in istis etenim bullis, quemadmodùm et in bullâ Urbani, plurimæ damnantur propositiones *in globo* sub variis respectivè notis; quin et in bullâ Innoc. XII, non apponitur nota *hæreseos*, quæ reperitur in præsenti bullâ Pii V, quam confirmat Urbanus VIII; atqui fatentibus etiam adversariis, prædictæ Leonis X, Innoc. XI et XII, bullæ vera sunt dogmatica Ecclesiæ judicia; ergo, etc.

Probatur 3°. Si quid obstaret quin bulla Urbani esset lex dogmatica, maximè quia dogmaticum judicium debet habere objectum determinatum; nullum autem illi assignari potest : atqui ista ratio omninò est infirma. Tum quia idem opponi potest adversùs præfatas Leonis X, Innoc. XI et XII Constitutiones, quas tamen, ut diximus, veras esse leges dogmaticas, ultrò confitentur adversarii; tum quia, uti antea vi-

dimus ex præsulibus Gallicanis citatâ Epist. ad regem an. 1728, hujusmodi judicia *in globo*, clarè et distinctè exhibent istam veritatem determinatam, scilicet, nullam esse è damnatis propositionibus quæ non sit in fide periculosa, aliquo pacto fidei nociva, quæ non mereatur aliquam ex assignatis in censurâ notam.

ARTICULUS VI.

Quis sit genuinus ac legitimus prædictæ bullæ sensus.

Pius V, in bullâ adversùs Baium, ab Urbano VIII renovatâ et confirmatâ, post enumeratas et damnatas propositiones adjicit : « Quas « quidem sententias, stricto coram nobis exa- « mine ponderatas, quanquàm nonnullæ ali- « quo pacto sustineri possent, in rigore ac « proprio verborum sensu ab auctoribus in- « tento hæreticas, erroneas, suspectas, te- « merarias, scandalosas, et in pias aures of- « fensionem immittentes respectivè.... damna- « mus. » Hinc celebris exoritur quæstio de famoso commate, seu virgulâ, an scilicet et ubi collocanda sit; an post verbum istud, *possent*, an verò post verba ista, *sensu ab auctoribus intento*; ex illius enim virgulæ existentiâ vel suppressione, aut variâ transpositione, longè diversus exurgit bullæ sensus.

Baianistæ et Jansenistæ contendunt delendum esse comma post verbum *possent*, et adjiciendum post ista alia verba, *sensu ab auctoribus intento*; nempe ut Baii propositiones censuræ subducant, innuentes eas in rigore ac proprio verborum sensu à Baio et aliis intento, sustinere posse. Cæteri verò theologi docent, virgulam apponendam esse post verbum istud, *possent*; ita ut sensus sit : quanquam nonnullæ è damnatis propositionibus aliquo pacto sustineri possent, eas tamen in rigore et proprio verborum sensu ab auctoribus intento damnamus. Juxta hanc ultimam sententiam sit

CONCLUSIO. — Famosum comma in bullâ Pii V collocari debet post verbum *possent*.

Probatur 1°, quia in archetypis bullarum Pii V, Greg. XIII et Urbani VIII, post verbum *possent* reperitur dictum comma, ut constat ex authentico exemplari quod traditum fuit Synnichio et Papio à cardinalibus Spadâ, Pamphilio et Falconerio. Scilicet cùm præfati Synnichius et Papius Lovaniensium deputati, Romæ contentiosiùs agerent circa bullam Pii V, Urbanus VIII, ad sedandas contentiones excitatas occasione diversitatis exemplarium dictæ bullæ, « mandavit ex archivio supremæ et uni- « versalis congregationis, et ex matrice acto- « rum quæ in eodem archivio conservantur, « extrahi et diligenter collationari, ac imprimi « exemplar bullæ præfatæ; illudque sic ex- « tractum, collationatum et impressum eisdem « Synnichio et Papio per cardinales Spadam, « Pamphilium et Falconerium consignari, ip- « sisque insuper significari suæ Sanctitatis « mentem ac voluntatem esse, ut eidem exem- « plari sic consignato fides adhibeatur, etc. » Verba sunt decreti Congregationis generalis eâ occasione habitæ die 26 junii an. 1644; idem etiam habetur in Epist. sancti Officii ad internuntium Bruxellens. 5 decembris an. 1644. Porrò in dicto exemplari famosum comma extat post verbum *possent*; ergo, etc. Decretum et epist. laudata referuntur in collect. historicâ bullarum pag. 49 et 53.

Probatur 2° ex disertâ Baii confessione die 24 martii an. 1580, his verbis : « Ego Michael « Baius.... agnosco et profiteor me ex variis « colloquiis cum R. P. Francisco Toleto.... eò « perductum esse ut planè habeam mihi per- « suasum, earum omnium sententiarum dam- « nationem atque prohibitionem jure meritò- « que, ac nonnisi maturo judicio ac diligen- « tissimâ discussione præmissis factam esse. « Fateor insuper plurimas ex iisdem sententiis « in nonnullis libellis à me olim et ante ema- « natam Sedis apostolicæ super iis censuram « conscriptis et in lucem editis contineri et de- « fendi etiam in eo sensu in quo reprobantur. » Audis ipso confitente Baio, *jure meritòque reprobatas fuisse propositiones*, et quidem *eo sensu quo ipse in libellis à se conscriptis olim eas defenderat*. Nil certè luculentius in rem nostram.

Probatur 3° expressis tum Duacenæ, tum Lovaniensis Facultatum testimoniis. Duacena in citato lib. cui titulus : *Veritas et æquitas censuræ*, postquàm probavit nullas ex 76 propositionibus in proprio et obvio sensu esse orthodoxas, sic habet : « Intelligant anonymi « sententias ex damnatis 76 nullas sustineri « posse in rigore et proprio verborum sensu « quem intendunt, et hoc decisum esse ab Ur- « bano VIII. » Et rursùs, post recensitam Urbani bullam : « Credimus definitum esse bullâ « Pontificiâ, nullas ex his propositionibus non « esse hæreticas, scandalosas, temerarias res- « pectivè.... in rigore et proprio verborum « sensu ab assertoribus intento totis libris, « ac maximè obvio, quem Facultas ipsa « Lovaniensis assecuta est olim luculentâ in-

« genuâque explicatione illustriss. Vercellensis « episcopi et apostolici per utramque Germa« niam nuntii jussu ac voluntate conceptâ, et « hunc ipsum reprobum sensum Estius Syl« viusque persecuti sunt.... Nec aliud optat « Sedes apostolica et rex catholicus, nisi ut « Universitates omnes concordi suffragio.... « eumdem sensum configant. » Affirmant doctores Duacenses definitum esse ab Urbano 76, notatas propositiones in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri non posse; censent ergo non delendum sed apponendum esse famosum comma post verbum *p ssent.*

Facultas Lovaniensis idem testatur tum in memoratâ declaratione nuntio apostolico exhibitâ, tum in alterâ pleniori declaratione anni 1701, his verbis: « Has propositiones (Baii) « à Pio V et aliis pontificibus rectè ita damna« tas affirmamus, ut in rigore et proprio ver« borum sensu ab assertoribus intento respec« tivè sint hæreticæ, erroneæ, etc., ac omnes « falsæ, quod majores nostri luculentâ editâ « olim à se declaratione demonstrârunt, ea« rumque contradictoriæ consequenter veræ; « ergo, etc.

Probatur 4°, quia card. de Lugo die 26 octobris 1644, testatus est se archetypam Pii V bullam et primum hujusce bullæ authographum diligenter inspexisse, item et authenticum Francisci Toleti ejusdem bullæ exemplar; in iis autem deprehendisse famosum comma reperiri post verba ista *sustineri possent.* Ergo, etc. Fingit editor operum Baii part. 2, pag. 239, « post Toleti mortem comma in au« tographo ipsius ab iis insertum fuisse, quo« rum intererat, ut eò loci insereretur. » Verùm gratis omninò ac sine ullo fundamento illud affirmat. Adde, dato quòd post Toleti mortem vitiari potuerit ipsius exemplar, quâ tandem ratione in bullam archetypam et primum ipsius exemplar fraus irrepere potuisset?

Probatur 5°, quia nisi dicta virgula collocanda foret immediatè post verbum *possent;* romana censura inepta esset et absurda, injusta, et contra communem ac receptum Ecclesiæ usum in proscribendis propositionibus. 1° Inepta foret et absurda; quid enim absurdius et summo pontifici injuriosum magis fingi potest, quàm damnare propositiones, quas ipsemet pontifex fatetur sustineri posse in proprio verborum sensu? 2° Injusta; quid iniquius quàm sanam verborum formam, propositiones in se et in genuino, obvio et ab auctoribus intento sensu proscribere, eò quòd vitiosus sensus malignè ac distortè iis affingi potest? Si ita est, nullus erit Scripturæ aut traditionis textus à censurâ immunis, nullus qui gravissimâ non possit censurâ configi. 3° Inusitata; hic enim est Ecclesiæ usus, hæc praxis, à quâ procul dubio non recessêre summi Pontifices Pius V, Greg. XIII et Urbanus VIII, ut cùm aliquas propositiones simpliciter et absolutè damnat, non in alieno et extraneo, sed in proprio, naturali, obvio et ab auctoribus intento eas spectet; id exigit justitia; neque pro suâ summâ æquitate, sanctitate ac sapientiâ, sese aliter gerere potest Ecclesia jugi Spiritûs sancti influxu instructa.

Solvuntur objectiones. — Laudatus antea anonymus et auctor recentior libri cui titulus, *Ethica amoris*, tom. 1, prolegom. 6, cap. 2, paragr. 7, momenta ferè omnia colligunt et adoptant quibus hactenùs usi sunt Baianistæ ut probarent delendum esse famosum comma post verbum *possent.* Momenta hæc summatim hic referemus et solvemus.

Dices 1°: Card. Granvellanus epist. ad Morillonium datâ die 13 novembris 1567, fatetur aliquas è damnatis propositionibus *in rigore, aliquo sensu exponi posse;* ergo, etc. — Respondeo ita quidem scripsisse Granvellanum, sed quid indè? nihil prorsùs. 1° Non ait dictus cardinalis propositiones *in proprio verborum sensu ab assertoribus intento defendi posse*, de quo hic potissimùm quæstio. 2° Dùm hæc scriberet, præ oculis certè non habebat pontificiam bullam; nonnulla enim addit, alia detrahit de textu bullæ, v. g., notas *hæreseos et temeritatis.* 3° Bullæ exemplar quod penès erat card. Granvellanum, quodque postmodùm Lovanium misit, interpunctis distinctum non erat; scilicet exemplar illud extractum fuerat, non ex Archiviis, sed ex commentariis publicis, in quibus, ut dicemus postea, bullæ jacebant absque interpunctionibus.

Dices 2°: In Epist. Morillonii ad card. Granvellanum datâ die 20 junii an. 1569, hæc verba leguntur: *Nonnullas propositiones, defendi posse in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento;* ergo, etc. — Respondeo dicta verba non esse Morillonii, uti callidè innuere videtur recentior operum Baii editor parte 2, pag. 236, sed ipsiusmet Baii, qui tunc temporis censuræ subscribere recusabat, cui deinceps sese subjecit instrumento publico declarans die 24 martii an. 1580, « planè per« suasum habere earum omnium sententiarum

« damnationem jure meritòque factam fuisse... « et plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis « libellis à se olim conscriptis contineri et de« fendi, etiam in eo sensu in quo reproban« tur. » Hic certè editoris fides desideratur.

Dices 3° : Decretum academiæ Lovaniensis die 29, decembris anni 1567, hæc habet : « Cer« tæ sententiæ respectivè damnantur tanquàm « erroneæ.... quanquàm earum nonnullæ ali« quo pacto sustineri possent in rigore et pro« prio verborum sensu ab assertoribus inten« to ; » ergo, etc. Respondeo 1°, prætensum illud decretum non esse genuinum Facultatis Lovaniensis opus, sed solius Cornelii tunc Decani Facultatis et postea Gandavensis episcopi, aut ad summum quorumdam duntaxat doctorum Baio faventium ; hinc dictum opus, tum in MS. tum in novâ editione à Gerberonio adornatâ, parte 2, pag. 66, non inscribitur : Decretum Facultatis Lovaniensis, sed simpliciter : *Attestatio Cornelii Jansenii Decani Facultatis Lovaniensis.* Ubi adverte, quod ex causâ Quesnellii art. 3, pag. 166, constat, ægrè tulisse Quesnellium sic inscriptum fuisse istud decretum ; unde cùm postmodùm præesset typis historiæ *Congregationum de Auxiliis,* primus auctor fuit, ut sub hoc specioso titulo vulgaretur : *Instrumentum authenticum Facultatis Lovaniensis.*

Respondeo 2° : Esto dictum decretum genuimus sit Facultatis Lovaniensis fœtus, nihil exinde commodi accederet adversariis; ipsa siquidem Facultas ab hâc suâ priori sententiâ manifestè recessit, atque agnovit propositiones in proprio verborum sensu ab assertoribus intento fuisse damnatas. Ita constat, tum ex duplici hujusce Facultatis Declaratione an. 1585 et 1701, verba inter probationes retulimus; tum ex Commentariis ejusdem Universitatis pag. 367 et 369.

Dices 4° : Cunerus Petri, qui fuit unus ex Baii discipulis opusculo adversùs eumdem Baium edito, in præfatione comma refert post verba, *sensu ab assertoribus intento ;* id testatur collector operum Baii parte 2, pag. 236 : ergo, etc. Respondeo inter edita Cuneri opera non legi verba laudata; neque ullo idoneo teste, aut authentico instrumento evincunt adversarii ita legi in manuscriptis. Equidem Gerberonius testem appellat auctorem documentorum ad historiam academiæ Duacensis pertinentium ; is autem Quesnellius est, qui nec testari audet à se visum illud Cuneri scriptum , quique et ipse ad Gerberonium remittit. Ita professi Baii ac Jansenii defensores, seipsos mutuò in propriâ causâ, et testes, et judices appellant ac laudant. Variis momentis probat auctor historiæ Congregationis *de Auxiliis ,* sub nomine *Theodori Eleutherii,* laudatum Cuneri textum falsitatis ac interpolationis meritò suspectum esse. Adde Cuneri auctoritatem disertis testimoniis antea laudatis neutiquàm posse officere.

Dices 5° : Plurima extant exemplaria et MSS. codices in quibus comma desideratur post verbum, *possent.* 1° In ipso bullæ exemplari quod Franciscus Toletus Româ Lovanium attulit, nulla legitur interpunctio. 2° Quinque extant codices MSS., in quibus, teste Gerberonio parte 2 operum Baii pag. 236, 237, post verba: *Ab assertoribus intento,* reperitur ; addit in uno ex illis totam clausulam, *quanquàm nonnullæ aliquo pacto,* etc. intra parenthesim contineri. 3° Dominus de Saint-Amour Diarii parte 2, pag. 64 et 65, affirmat penès se habere exemplar bullæ Urbani VIII, Romæ typis excusæ an. 1642, in quo famosum comma legitur post verba mox relata ; ergo , etc.

Respondeo 1°, quidquid sit de laudatis MSS. et exemplaribus , totum istud dissidium circa commatis additionem jamdiu compositum esse debere postquàm jussu Urbani VIII, ut antea diximus, ad fidem autographi Vaticani descriptum fuit ac typis editum exemplar bullæ Pii V, ipsisque Sinnichio et Papio deputatis academiæ Lovaniensis, coram notario et testibus traditum ac consignatum fuit die 26 junii an. 1644 ; in illo siquidem exemplari comma legitur post verba : *sustineri possent,* et ante ista, *in rigore et proprio, etc.* Hâc responsione utuntur Duacenses in libro antea laudato, *Veritas et æquitas, etc.*

Respondeo 2° sigillatim ad singula. Ad primum, falsum est nullam legi interpunctionem in exemplari quod Româ Lovanium attulit Toletus. Comma se vidisse testatur card. de Lugo , ut antea notavimus. Idem testatur Ripalda tom. 3 de Ente supernat. disput. 1, sect. 2, his verbis : « Apud me extat Bulla originaria « Greg. XIII , impressa Romæ , 1579 , tradit « card. Toleto qui ex commissione Greg. XIII, « causam Michaelis Baii conclusit.... in eâ ma« nifestum est comma post verba SUSTINERI POS« SENT..... quare mirari non desino audaciam « Baianorum, qui fallere volunt in re, in quâ « apertæ falsitatis et fallaciæ convinci pos« sunt. » Ad secundum, laudati à Gerberonio MSS. codices, utpote obscuri, incogniti, nullo publico instrumento muniti , plerisque inter se variantibus, eodem fatente Gerberonio, nullam

certè merentur fidem, neque ullatenùs præponderare possunt auctoritati dicti illius authentici exemplaris, quòd jubente S. pontifice Urbano deputatis Lovaniensibus coram notario et testibus traditum fuit, in quo comma legitur post verbum, *possent*. Quod autem spectat dictam parenthesim, ibidem candidè fatetur Gerberonius, *recentiore manu videri delineatam.*

Ad tertium, fateor in exemplaribus bullæ Urbani Romæ typis excusæ an. 1642, deesse famosum comma post verbum, *possent;* verùm contendimus id dandum vitio et incuriæ typographi, quod exinde manifestè constat tum quia in exemplaribus in Belgio et deinde Coloniæ eodem anno excusis restitutum fuit dictum comma jussu ac voluntate Urbani qui id nuntio apostolico tunc Coloniæ degenti mandaverat; tum quia an. 1644, idem S. pontifex bullam Romæ novis typis edi curavit collocato commate post verba, *sustineri possent;* hæc autem editio cæteris longè præstat, cùm à sanctâ Sede declarata fuerit authentica, huicque præ aliis omnibus standum esse præscripserit.

Atque ut utrique posteriori responsioni major lux affulgeat, et adversariorum argumenta ex MSS. et exemplaribus petita dissipentur ac penitùs evanescant.

Observandum. 1°, cum card. de Lugo, bullarum pontificiarum duo manuscripta Romæ asservari; primum est ipsummet authographum quod in archiviis sancti Officii deponitur; alterum est exemplar autographi quod in *Regesto*, ut aiunt, summi pontificis reponitur. Autographum interpunctis distinguitur; exemplar non item, nullas habet interpunctionum notas. Porrò eodem cardinali teste, idque ex curiæ romanæ praxi constat, quotquot conceduntur et per provincias diriguntur dictarum bullarum exemplaria (nisi aliter expressè mandaverit S. pontifex), exscribuntur juxta fidem Regesti, non verò juxta autographum quod in archiviis asservatur, ac proinde exemplaria illa nullas habent interpunctionum notas.

Observandum 2°, in causâ Baii quinque potissimùm exemplaria bullæ Pii V Româ Lovanium missa fuisse.

Primum anno 1567 à cardinali Granvellano ad Morillonium directum fuit; virgulis et punctis distinctum non erat, juxta morem, uti mox advertimus curiæ romanæ.

Secundum an. 1580 à Francisco Toleto pontificis legato, dein cardinali, Lovanium allatum fuit; in eo comma jacebat post verba *sustineri possent*. Ex autographo exscriptum fuerat exemplar illud ex speciali S. pontificis Greg. XIII. mandato, qui id ita jusserat, ut scilicet eà ratione obviam iretur novis Baii cavillationibus, qui editis apologiis contendebat ac plerisque facultatis doctoribus persuaserat, juxta bullæ pronuntiatum, *nonnullas è damnatis propositionibus sustineri posse in sensu ab assertoribus intento.* Jussa pontificis feliciter executus est Toletus, siquidem Baium et ipsam facultatem Lovaniensem ad puram et simplicem bullæ acceptationem adduxit. Ista constant ex publico Baii instrumento propriâ manu subscripto die 24 martii anni 1580, et ex actis Facultatis quæ retulimus cap. 1.

Tertium eodem anno 1580, promovente Toleto à Greg. XIII ad Baium et facultatem Lovaniensem missum fuit, ut in suâ priori purâ et simplici subscriptione firmarentur. Primum istud est publicum et authenticum bullæ exemplar quod in Belgio comparuit; scilicet, ex jussu S. pontificis, nec Morillonius, nec Toletus, cuiquam potestatem fecerant describendi exemplaria quæ penès se habebant.

Ita testatur Morillonius Epist. ad card. Granvellanum die 20 junii an. 1569. Idem etiam declarant relata à Gerberonio Facultatis Lovaniensis acta an. 1580: « His feliciter peractis « D. Cancellarius de copiâ bullæ, ut hîc relin« queretur, mentionem suggessit. Ad quod res« pondit præfatus D. Franciscus Toletus, non « se habere in mandatis ut copiam ejus relin« quat, sed acturum se apud suam sanctitatem, « mox ubi Romam redierit, ut ea transmitta« tur. » Quod quid m executus est, ut constat ex Brevi Gregorii XIII, die 15 junii ejusdem an. 1580, in quo sic legitur: « Mittimus exem« plum publicum litterarum sanctæ memoriæ « Pii V, quas tum per litteras, tum per dilec« tum filium Franciscum Toletum postulâsti. »

Porrò, in dicto Greg. XIII exemplari virgulæ et puncta interposita non erant quibus figeretur bullæ sensus. Constat 1° ex Macario Havermans aperto Baianistâ, qui id disertè testatur *Defensione Tyrocinii*, pag. 75: « Quan« tùm, inquit, ad originalem copiam bullæ « Româ Lovanium transmissam, illa nulla ha« bet commata. » 2° Idem testatur alter Baii discipulus, auctor libri cui titulus: *Via pacis*, pag. 59. 3° Idem manifestè patet ex eo quòd Facultas Lovaniensis dictum Gregorii exemplar edi curavit; solis autem oculis opus est ut detegatur in iis nullas esse interpunctiones. Ubi obiter adverte, quòd cùm Jansonius et Jansenius asserunt in illo exemplari nullum repe-

riri comma post verba, *sustineri possent*, rectè quidem affirmant; ast ex sincerà fide addere debuissent, nullas omninò in integro contextu reperiri interpunctiones.

Quartum exemplar est anni 1642, Romæ typis excusum. Istud primum est publicum et authenticum exemplar in quo reperiuntur interpunctiones. Equidem in eo desideratur comma post verbum, *possent;* verùm id errori typographi imputandum; unde, ut mox annotavimus, jubente S. pontifice, eodem anno in editione Coloniensi restitutum comma.

Quintum denique exemplar est anni 1644. Ex archiviis juxta fidem autographi exscriptum fuit; ac coram notario et testibus traditum et consignatum deputatis Lovaniensibus à tribus cardinalibus, cum mandato apostolico ut eidem sic consignato fides adhiberetur; in eo autem constantissimæ fidei exemplari, famosum comma collocatur post verba, *sustineri possent.*

Observandum 3°, MSS, codices, exemplaria, aliaque instrumenta quæ ab adversariis, post Gerberonium secundâ parte operum Baii pag. 236 et sequent., nobis opponuntur, ea omnia ante annum 1642 fuisse exscripta. Ita liquet ex die hisce instrumentis oppositâ.

Ex his omnibus manifestè patet, adversariorum argumentum ex Mss. et exemplaribus petitum, nullius omninò esse roboris, atque magis iis nocere quàm faveat. Enimverò MSS. exemplaria, aliaque instrumenta nobis objecta, annum 1642 antecedunt; constat id ex solà horumce monumentorum inspectione; atqui ex dictis ante annum 1642 et 1644, nullum vulgatum fuit publicum et authenticum Bullæ exemplar interpunctionum notis distinctum; siquidem tria duntaxat recensentur ante id temporis exemplaria, Morillonii, Toleti et Greg. XIII, ad Baium; duo priora ex dictis nullatenùs fuêre communicata; tertium quod evasit publicum non erat interpunctis distinctum; ergo, etc.; unde præfata hæc omnia ab adversariis nobis objecta exemplaria, interpolata, apocrypha, in plerisque essentialibus discrepantia, nullius planè sunt auctoritatis. Scilicet quo tempore plurimùm poterat in academiâ Lovaniensi Baius, exscripta fuêre isthæc exemplaria à privatis eidem Baio faventibus, qui pro suis præjudiciis virgulas et puncta bullæ adjecêre. Quid autem mirum, si Baius ejusque asseclæ, qui bullam distortè et obliquè interpretabantur, eamdem exscribendo et puncta interserendo vitiaverint?

ARTICULUS VII.

Nonnulla proponuntur et expenduntur quæsita ad perfectam dictarum Pii V, Gregorii XIII, Urbani VIII, bullarum intelligentiam planè necessaria.

Quæres 1°, quis sit numerus propositionum per Constitutionem Pii V damnatarum? —Respondeo eas non eodem ab omnibus numero referri. Alii 76 duntaxat numerant; ita plerique Lovanienses. Alii 79; ita Suarez, Ripalda, etc. Alii tandem 80 recensent. Verùm diversus is computandi modus bullæ substantiam minimè attingit. Ratio autem hujusce diversitatis exinde orta est, quòd in primitivis bullis Româ Lovanium transmissis, propositiones omnes, uti antea notavimus, continentur ac junctim referantur absque ordine et ullâ interpunctionum notâ; unde, cùm postmodùm à theologis transcriptæ sunt dictæ bullæ, adjecti fuêre propositionibus numeri, quo commodiùs seorsùm citari possent: quia verò à nonnullis eadem Propositio dividitur in plures, ideò in aliquibus exemplaribus major, in aliis verò minor propositionum numerus occurrit.

Quæres 2°, an omnes propositiones à Pio V damnatæ, falsæ sint in sensu obvio, proprio et naturali. — Respondeo affirmativè. Ad hoc enim satis est ut propositio in proprio et naturali sensu vera, non possit simpliciter et absolutè damnari; atqui ita est, ut constat ex fusè dictis et probatis tom. 3, ubi de notis theologicis pag. 367 et seq.; ergo, etc. Etverò uti ratiocinatur Steyaërtius loco ibidem indicato, eodem modo judicandum est de veritate in ordine ad censuram, ac de falsitate in ordine ad approbationem; atqui propositio in sensu proprio et naturali falsa, simpliciter et absolutè approbari nequit; ergo, etc.

Quæres 3°, an omnes propositiones in bullâ comprehensæ falsæ sint, et damnatæ independenter à censuris quibus contrarias sententias notant. — Antequàm respondeam, observa 1°, in propositionibus damnantibus aliquam doctrinam duo posse distingui, scilicet, *dictum,* seu doctrina in quam censura cadit; et *modus* seu censura quâ doctrinam illam notat ac configit... Observa 2°, inter damnatas Baii propositiones plures esse quæ doctrinam aliquam non solùm rejiciunt, sed et certâ quâdam censurâ infamant; tales sunt 13, 18, 24, etc... Observa 3°, orthodoxos Theologos consentire præfatas omnes propositiones ratione *dicti* seu doctrinæ, vel saltem ratione *modi* seu censuræ,

imò et plerasque ratione utriusque, *dicti* scilicet et *modi*, vitiosas esse, falsas, ac justè meritòque damnatas ; ast nonnihil dissentiunt inter se, an idem sentiendum sit de omnibus dictis propositionibus, utrum scilicet omnes vitiosæ sint et falsæ in se præcisè spectatæ, independenter à censuris quibus oppositas sententias notant. Alii cum Ripaldâ, Steyaërt., aliisque Lovaniensibus et Duacensibus infra citandis parti affirmanti assentiuntur. Alii verò parti neganti favent ; ita Suarez, Vasquez, Toletus, Bellarminus, Norisius. Sententiam hanc avidè arripuit Jans.lib. 4 de Statu naturæ lapsæ, sed consilio planè diverso à mente dictorum auctorum, nempe ut eâ viâ Baii doctrinam circa varia capita à censurâ eximeret. His positis,

Respondeo, recensitas in bullâ propositiones quæ censuram continent, non solùm ratione *modi*, seu propter censuram, sed etiam ratione *dicti*, seu propter doctrinam, justè meritòque damnatas fuisse.

Prob. 1° ex celebri supradictâ Declaratione Lovaniensi an. 1585, in quâ, ut observat Steyaërt. tom. 1° opuscul. pag. 193, idque ex solâ inspectione patet, *sic refelluntur articuli Baiani, ut falsitas eorum ubique demonstretur,* ETIAM INDEPENDENTER AB ACERBITATE CENSURÆ QUAM CONTINENT ; ergo, etc.

Prob. 2° ex simili Declaratione Facultatis Duacensis jam citatâ, in quâ propositiones omnes independenter à censuris eisdem annexis falsæ et vitiosæ demonstrantur, ac quoad doctrinam per antitheses Guillelmi Estii et Francisci Sylvii sigillatim refelluntur.

Prob. 3°, quia licet in quibusdam Baii propositionibus censuram continentibus, error, falsitas et vitium illicò non deprehendantur independenter à censurâ ; attamen si propiùs inspiciantur et conferantur cum palmaribus Baii principiis in aliis propositionibus expressis, facile erit advertere ipsas in se et præcisè ratione doctrinæ vitiosas esse ac damnabiles ; ergo, etc. Sic, v. g., ex hoc uno fundamentali de duplici amore Baii principio, propositione 38 asserto : *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas... aut laudabilis illa charitas per Spiritum sanctum in corde diffusa ;* ex hoc, inquam, principio non modica lux affulget ad proprium sensum et vitium nonnullarum propositionum detegendum, quarum aliunde error statim non occurrit. Etverò innumera ex dicto principio erronea consectaria dimanare alibi indicavimus, et iterùm pleniùs postmodùm indicabimus. Prob. 4, quia, ut latè probat Ripalda tom. 6 de ente supernat. disput. 1, sect. 5, propositiones inurentes censuram doctrinæ probabili, prohibere quidem, non verò damnare solet Ecclesia ; nec enim ullibi videmus propositiones hujusmodi theologicâ censurâ confixas fuisse ; atqui Baianæ propositiones censuram continentes non solùm prohibentur, sed etiam insuper verè ac propriè damnantur : *Quas quidem sententias,* inquit S. pontifex, *stricto examine ponderatas... damnamus, circumscribimus, et abolemus*, etc. ; ergo, etc.

Quæres 4°, an dictæ propositiones falsæ sint et damnatæ in sensu ab assertoribus intento. — Respondeo affirmativè. Probatur 1° ex contextu bullæ, in quâ famosum comma collocandum est post verba, *sustineri possent,* ut art. præcedenti demonstravimus... 2° Ex declarationibus Facultatum Lovaniens. et Duacens. ibidem relatis, in quibus expressè habetur, et asseritur *hoc decisum fuisse ab Urbano VIII...* 3° Is est Ecclesiæ usus, ut cùm aliquas libri vel auctoris propositiones condemnat, eas potissimùm spectet relativè ad mentem auctoris, et sensum libri.

Quæres 5°, unde damnatarum à Pio V propositionum genuinus ac legitimus sensus desumendus sit. — Respondeo hic tria certa esse. Primum, quod docent Suarez, Steyaërt., Ripalda, aliique, nempe, verum ac legitimum damnatarum à Pio V sensum meritò colligi posse ex libris Baii, Hesselii, et aliorum assertorum. Istud autem principium directè impetit auctorem *Æthices amoris,* Gerberonium, etc., qui ut genuinam Baii doctrinam à censurâ eximant, contendunt damnatum in Baianis propositionibus sensum non ex libris Baii aut aliorum assertorum colligendum esse, sed unicè ex propositionibus secundùm se absolutè, vel relativè ad se invicem spectatis.

Probatur 1° ex mox dictis. Scilicet, ea est perpetua ac constans Ecclesiæ praxis, ut cum extractas à libris propositiones condemnat, eas in sensu libri potissimùm spectet ; ergo legitimus damnatarum propositionum sensus ex assertorum libris meritò extundi potest... 2° Ex mox dicendis patebit eumdem omninò esse libri et propositionum ex eo excerptarum sensum ; ergo, etc... 3° Idem probatur ex tenore bullæ in quâ summus pontifex post enumeratas propositiones, simpliciter declarat illas esse *in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas,* etc., atque ita damnari. Quæ quidem verba, si attentè expendan-

tur, inquit Suarez prolegom. 6 de Grat. cap. 2, duo indicant : unum est, assertiones illas in proprio verborum sensu recensitis in Bullâ notis *respectivè* dignas esse ; alterum, sensum hunc fuisse ab assertoribus intentum. *Hic est,* inquit ibid. Suarez, *simplex et proprius illorum verborum sensus, et quicumque alius excogitetur, fructum hujus definitionis evacuat* ; ergo, etc.

Secundum, quod iidem tradunt theologi, istud est, Baianarum propositionum sensum posse etiam colligi ex propositionibus in se, aut relativè ad se invicem spectatis, sine librorum ex quibus excerptæ sunt integrâ lectione, vel antecedentium ac consequentium novâ collatione.

Probatur 1°. Si genuinus ac legitimus istarum propositionum sensus ab auctore intentus et à summo pontifice damnatus non posset colligi ex propositionibus secundùm se, vel relativè ad se invicem spectatis, sine librorum ex quibus extractæ sunt lectione, et antecedentium et consequentium in iisdem libris novâ collatione ; interclusa nobis esset via et ratio assequendi proprium sensum ab auctore intentum et à pontifice damnatum ; absurdum consequens ; ergo et antecedens. Sequela maj. constat, tum quia lectio horumce librorum nobis est severè prohibita in eo ipso decreto in quo propositiones damnantur ; tum quia assertores harumce propositionum nusquàm nominaverunt in bullis suis summi pontifices. Minor pariter constat ; istud quippe scopo et dignitati tanti decreti repugnat ; nec ex illo firmum argumentum contra aliquam opinionem possemus certò desumere, etiamsi in damnatis propositionibus, et proprio earum sensu contineretur ; sicque evaderet frustraneum.

Probatur 2°. Dictas propositiones utique damnavit Pius V, in sensu obvio et naturali absoluto aut relativo ; alienum enim omninò est ab Ecclesiæ praxi, propositiones configere in sensu extraneo et peregrino, omisso proprio et naturali ; aliàs in errorem inducerentur fideles, nec ulla esset adeò sana ac probata assertio quæ non posset censurâ configi ; atqui ex contextu liquet propositiones damnatas fuisse in sensu ab assertoribus intento : ergo genuinus ac legitimus auctorum sensus, ex genuino ac proprio propositionum sensu meritò colligi potest.

Tertium, quod utriusque prioris fundamentum est, in eo stat, quòd arcta sit ac necessaria connexio inter sensum propositionum in se et ad invincem sumptarum, et sensum librorum ex quibus extractæ sunt ab Ecclesiâ ; liber enim non conflatur nisi ex propositionibus, et propositiones non sunt nisi compendium libri ; liber non est nisi propositiones ornatæ, connexæ invicem et probatæ ; propositiones verò non sunt nisi mera et seorsim sumpta libri principia ; propositionum ergo è libris extractarum collectio, totius dictorum librorum doctrinæ summarium ac veluti compendium exhibere meritò creditur. Genuinus itaque damnatarum à Pio V propositionum sensus meritò colligi potest, vel ex libris assertorum, vel ex propositionibus in se aut relativè spectatis.

Atque hìc auctoris Ethices amoris fraus tom. 1, prolegom. 6, sedulò præcavenda, quâ certè tum hujus, tum aliarum omnium Ecclesiæ definitionum, quibus propositiones in sensu auctorum vel librorum damnantur, prorsùs vanæ ac inutiles redderentur. Docet 1°, in propositionibus extractis ex libris, alium esse proprium et rigorosum propositionum sensum, et alium proprium assertorum seu librorum ; prior desumendus ex usu vocabulorum communiter in scholis recepto, tempore quo fertur decretum ; posterior ex antecedentibus et consequentibus in libro.... Docet 2°, unum ex illis sensibus posse esse verum et tenendum, dùm alter falsus et damnabilis est... Docet 3°, ita contingere in præsenti causâ ; nempe damnatas Baii propositiones falsas esse ac vitiosas in proprio et naturali sensu quem reddunt, vel secundùm se spectatæ, vel ad invicem collatæ ; ast in sensu Baii et aliorum assertorum sanas esse ac orthodoxas... Docet 4°, dictas propositiones, in illo, non in isto sensu à SS. pontificibus fuisse damnatas ; et quidem justè ac meritò ; imò etiam fatetur dici posse damnatas fuisse propositiones in proprio sensu ab assertoribus intento, si per sensum hunc, non is intelligatur qui ex libris eruitur, sed ille qui colligitur ex propositionibus vel in se præcisè vel relativè ad se invicem collatis. « Confundendus « non est, inquit loco laudato, proprius ver- « borum sensus ab assertoribus intentus, cum « proprio verborum sensu ex propositionibus « ipsis colligendo.... Propositiones omnes (ob « sensum damnatæ) sunt damnatæ in sensu ab « assertoribus intento, si per sensum ab asser- « toribus intentum non ille intelligatur, qui « ex libris ipsorum colligendus sit, sed qui « colligendus sit ex bullâ ipsâ, sive ex proposi- « tionibus ipsis prout in bullâ exhibentur, « attento usu vocabulorum communiter in

« scholis recepto dùm bulla emanavit.... » Docet 5°, dictæ Pii V Constitutioni omnimodam submissionem et obedientiam corde et ore præstandam esse.

Verùm quàm vanè, captiosè et noxiè excogitata sint hæc, nemo non videt. Vanè quidem, ut constat ex principiis mox allatis, præsertim tertio; captiosè verò et noxiè; tum quia si valeret ista doctrina, propositiones non fuissent damnatæ in proprio et naturali sensu quem habent in libris Baii Hesselii, aut aliorum assertorum; ex quo manifestè sequeretur, intactâ bullarum Pii V, Greg. XIII et Urbani VIII, auctoritate posse propugnari dictorum auctorum libros in sensu obvio, genuino et naturali ab omni prorsùs errore immunes esse; sicque sub speciosis omnimodæ submissionis verbis tegitur error, non repudiatur, atque patentissima aperitur via ad integram Baii doctrinam denuò exsuscitandam; tum quia nulla posset quocumque tandem modo ferri definitio ab Ecclesiâ, cui turpiter simili effugio non illuderetur; v. g. quinque famosas propositiones damnatas fuisse in proprio et naturali sensu Jansenii, his vocabulis unicè intelligendo proprium et naturalem sensum quem propositiones reddunt in se præcisè, aut relativè ad se invicem spectatæ, non autem in obvio, proprio et naturali sensu quem habent in ipso Jansenii libro, quod tamen præcipuum est caput in quod tendunt Ecclesiæ eâ de re definitiones.

Quæres 6°, an prædictis SS. pontificum Pii V, Greg. XIII, Urbani VIII, Constitutionibus Ecclesia à priscâ suâ fide desciverit, aut sancti Augustini doctrinam damnaverit, uti calumniantur Leydeckerus in disputationibus Historico-theologicis de vario Jansenianorum fato, aliique tam Protestantes quàm Arminiani. Respondeo hanc esse meram putidamque hæreticorum calumniam, quæ ex dictis passim in totâ istâ dissertatione abundè confutata manet. Et verò Pius V, Greg. XIII, Urbanus VIII, aliique subsequentes S. pontifices Innocent. X, Alex. VII, Innoc. XII, etc., inconcussam S. Aug. doctrinam meritis laudibus commendârunt; nihil ergo citatis bullis S. doctoris doctrinæ fuit detractum.

Cæterùm hic iterùm nova fraus præcavenda; tum dicti auctoris Ethices, tum Gerberonii aliorumque qui istâ certissimâ assertione abutuntur. Sic illi ratiocinantur: Pontificiis adversùs Baium decretis nullo in puncto damnata est prisca Ecclesiæ fides, aut inconcussa S. Augustini doctrina; atqui talis vel talis propositio in sensu proprio et naturali antiquam Ecclesiæ et genuinam S. Aug. doctrinam exprimit; ergo in sensu proprio et naturali damnata non est, sed in alio quodam sensu, qui licet extraneus sit propositioni in se spectatæ, dicendus est tamen proprius et naturalis ab auctore intentus. Sic illi in decretis pontificiis ludunt ac cavillantur. Nullus est qui simili ratiocinio quamlibet doctrinam à censurâ non eximat; ast longè aliter cum orthodoxis discurrendum: doctrina S. Augustini a SS. pontificibus damnata non fuit; atqui talis propositio damnata, in sensu proprio talem doctrinam exprimit; ergo isthæc doctrina omninò aliena est à sententiâ sancti Augustini; vel aliter: Atqui talis propositio in sensu proprio damnata est; ergo in sensu proprio et genuino, genuinam S. Augustini doctrinam non continet. Ubi vides ex eodem inconcusso isto principio, nec avitam Ecclesiæ fidem, nec genuinam S. Augustini doctrinam damnatas fuisse ab orthodoxis, et à novatoribus contradictorias erui conclusiones.

Itaque maximè cavendum est ne pro avitâ Ecclesiæ fide, et tenendâ S. Aug. doctrinâ, præjudicatæ defendantur opiniones, et eas tantis nominibus decorando enerventur hodiernæ Ecclesiæ definitiones, uti præstant novatores. Scilicet non attendunt Ecclesiæ definitiones non posse adversari fidei antiquæ; Ecclesia etenim semper vivens et jugi sancti Spiritûs influxu instructa, priorum suarum definitionum sensum certò exprimit; ex ipsius igitur hodiernâ definitione potiùs colligenda est avita fides, quàm ex prætensâ et ad arbitrium excogitatâ antiquorum doctrinâ, ad extraneos sensus detorquere suprema Ecclesiæ judicia.

Quæres 7°, quot censuras contineat bulla Pii, quidve significet vox *respectivè* quæ in eâdem bullâ legitur. Respondeo sex omninò continere censuras, adversùs enumeratas ibidem sententias. Prima est, eas esse *hæreticas*. Secunda, esse *erroneas*. Tertia, *suspectas*. Quarta, *scandalosas*. Quinta, *temerarias*. Sexta, *in pias aures offensionem immittentes*. Quænam autem vera sit et accurata harumce censurarum notio alibi dictum est[1], ubi de notis theologicis; ibidem annotavimus particulam *respectivè*, quam ex concilio Constantiensi mutuati sunt summi pontifices, duo significare. Primum, nullam esse è recensitis in bullâ notis quæ in aliquam saltem propositionem non

cadat. Secundum, nullam pariter esse ex propositionibus quæ non mereatur aliquam ex illis notis.

Quæres 8°, ad quot capita revocari possint propositiones in bullâ notatæ. Respondeo propositiones illas sine ordine et nexu in bullâ collocari : Duacenses ad 15 capita, Lovanienses ad 14, eas revocant; commodiùs ad quinque reduci possunt.

Primum caput complectitur propositiones quæ versantur circa statum naturæ innocentis; quindecim omninò sunt scilicet, 1, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 11, 21, 23, 24, 26, 53, 78, 79. Eò tendunt istæ propositiones, ut astruant dona naturæ innocenti collata, debita fuisse integritati primæ conditionis, et proinde naturalia dicenda esse, non supernaturalia, nec gratiam propriè dictam.

Secundum, propositiones quæ spectant peccatum tum originale, tum actuale; sexdecim sunt, 2, 20, 47, 48, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 68, 72, 73, 74, 75, 76. In iis varii et gravissimi exprimuntur errores circa utriusque peccati naturam ejusque effectus.

Tertium est de libero arbitrio ejusque viribus : septemdecim complectitur propositiones, 22, 25, 27, 28, 29, 30, 34, 35, 36, 37, 39, 40, 41, 46, 65, 66, 67. In his duo palmares traduntur errores. Primus est libertatem hujus statûs ad merendum necessariam in solo voluntario sitam esse; adeòque hominem peccare etiam damnabiliter, in eo quod necessariò facit. Secundus, liberum arbitrium sine supernaturali Dei auxilio, nonnisi ad peccandum valere.

Quartum continet 28 propositiones circa charitatem, justificationem et meritum; septem circa charitatem, scilicet 16, 31, 32, 33, 38, 70, 71; septem circa justificationem, 42, 43, 44, 58, 63, 64, 69; quatuordecim circa meritum bonorum operum, 4, 5, 6, 8, 11, 12, 13, 14, 15, 17, 18, 19, 61, 62. In his docetur 1° famosum Baianistarum principium circa impossibilitatem amoris medii vitiosam cupiditatem inter et laudabilem ac supernaturalem charitatem; 2° justificationem impii fieri formaliter per obedientiam legis; 3° omnia bona opera ex naturâ suâ meritoria esse vitæ æternæ absque ullo ordine ad merita Christi, aut dignitatem et excellentiam personæ operantis.

Quintum denique caput complectitur propositiones 10, 45, 60, quibus catholica impugnatur doctrina circa satisfactionem, indulgentias, necnon Missæ sacrificium.

Quæres 9°, an omnes in bullâ damnatæ propositiones Baio adscriptæ fuerint, et an eas omnes reipsà docuerit. — Respondeo 1°, dictas propositiones nec Baio, nec alteri cuipiam assertori expressè ac nominatim in bullâ adscribi. Constat id 1° ex tenore bullæ, 2° ex posteriori epistolâ card. Granvellani ad Morillon. in quâ sic legitur : « L'on fit ôter le premier feuillet afin que l'on ne connût ni l'auteur du livre, ni le lieu où il fut imprimé... Il verra (Baius) par la bulle, qu'il n'est nommé, ni son livre, etc. » 3° Idem colligitur ex his bullæ verbis, *in sensu ab assertoribus intento*, quibus patet damnatas propositiones, non uni vel alteri specialim, sed pluribus generatim adjudicari.

Respondeo 2°, plerasque è damnatis propositionibus et quoad verba et quoad sensum; nonnullas verò quoad sensum duntaxat, in operibus Baii reperiri. Constat 1° ex citatâ Baii confessione, in quâ id disertè fatetur. Constat 2° ex ipsius apologiis in quibus idem ultrò agnoscit. Tres edidit apologias; in primâ quam ad sanctam Sedem direxit, damnatas propositiones in tres classes distribuit : 33 approbat; 22 malè extractas asserit; 21 sibi falsò imputari conqueritur. Constat 3° ex Epist. ejusdem Baii ad card. Simonetam : « In bullâ Pii V, *inquit*, damnantur 76 sententiæ, quarum priores sexaginta aut circiter tacito quidem nomine; attamen intelligentibus satis aperto, significantur expressæ ex quibusdam libellis meis, sicut etiam palàm et nominatim in Congregatione Facultatis nostræ testatus est Morillonius. »

Respondeo 3°, non omnes damnatas in bullâ propositiones extare in libris Baii. Id indicant 1° citata bullæ verba, *in sensu ab assertoribus intento*. 2° Idem innuunt ista Baii verba in suâ fidei confessione quam exegit Franciscus Toletus, quamque gratam habuit S. pont. Greg. XIII. *Fateor*, inquit, *plurimas iisdem sententiis, in nonnullis libellis à me olim editis contineri.* 3° Idem proximè sequenti inductione patebit. Porrò, licet non omnes damnatos articulos docuerit Baius, cùm tamen longè majorem eorum numerum in suis scriptis passim expresserit, hinc articuli illi vulgò dicuntur Baiani.

Cùm in hoc præsenti tractatu frequens deinceps futurus sit sermo de Baianis propositionibus, non abs re erit illarum indicem ob oculos hìc ponere; eas ordinis et claritatis causâ ad certa quædam capita mox indicata revoca-

bimus, ac discernemus quæ Baii sint, assignatis simul locis unde extractæ sint.

De gratiâ primi hominis et Angelorum. — 1° « Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. » Est prima propositio inter Baianas ; extat lib. 1 de merit. operum cap. 4. 2° « Primi hominis integri merita, fuerunt prima creationis munera; sed juxtà modum loquendi Scripturæ sacræ, non rectè vocantur gratia, quò fit ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari. » Est 7 ; extat ibidem. 3 « Dona concessa homini integro et angelo, forsitan non improbandâ ratione dici possunt gratia; sed quia secundùm usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè merentibus et indignis conferuntur ; ideò neque merita, neque merces quæ illis redditur, gratia dici debet. » Est 9, ibidem. 4° « Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. » Est 21 ; habetur lib. de primi hominis justitiâ, cap. 4 et 5. 5° « Absurda est eorum sententia qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, et charitate Deum supernaturaliter coleret. » Est 23, eodem in lib. cap. 7. 6° « A vanis et otiosis hominibus secundùm insipientiam philosophorum excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus. » Est 24, eodem lib. cap. 7 et 8. 7° « Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. » Est 26, eodem lib. cap. 4. 8° « Et bonis Angelis et primo homini, si in statu illo perseverâssent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces et non gratia. » Est 3, lib. de merit. operum cap. 4. 9° « Vita æterna homini integro et Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturæ per se sufficiunt ad illam consequendam. » Est 4, eod. lib. cap. 2. 10° « In promissione factâ Angelo et primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, quâ pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur. » Est. 5 ibidem. 11° « Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientiâ perseveraret, ad eam vitam pertransiret in quâ mori non posset. » Est 6, ibid. 12° « Omnes omninò justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde Job et martyres quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt. » Est 72.

Damnatur ista propositio, sicut et alia quæ est n. 73, « quia in iis temerè dictum est, inquit Suarez de grat. prolegom. 6, cap. 2, omnes afflictiones justorum et martyrum, et ipsius etiam Job fuisse ultiones peccatorum suorum, quod non solùm sine fundamento asseritur, sed etiam Scripturis repugnat..... Nam multæ afflictiones permittuntur providentiâ speciali, non propter peccata commissa, sed ad probationem patientiæ..... vel propter gloriam Dei, ut, etc. » Et verò, si omnes omninò justorum afflictiones, necessariò sint peccatorum pœnæ, clarè sequitur impossibilitas statûs naturæ puræ.

13° « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. » Est 55. 14° « Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio. » Est 78. 15 « Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari et institui sine justitiâ originali. » Est 79.

Hi quatuor posteriores articuli in libris Baii non extant quoad verba ; ast quoad sensum coincidunt cum doctrinâ undecim priorum propositionum quæ expressè leguntur apud Baium.

De peccatis originali et actuali. — 1° « Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium ; nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. » Est 46 ; habetur lib. de peccato originis cap. 7. 2° « Peccatum originis verè habet rationem peccati sine ullâ relatione ac respectu ad voluntatem à quâ originem habuit. » Est 47, ibidem. 3° « Peccatum originis est habituali voluntate parvuli voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eò quòd non gerat contrarium voluntatis arbitrium. » Est 48, ibidem. 4° « Ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet. » Est 49, ibidem. 5° « Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem, et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. » Est 52, eodem libro cap. 13. 6° « Quantùm est ex vi transgressionis, tantùm meritorum malorum à generante

« contrahunt qui cum minoribus nascuntur vi« tiis, quàm qui cum majoribus. » Est 53, eodem lib. cap. 6. Coincidit hæc propositio cum eo quod ibidem asserit Baius, « peccatum ori« ginis (concupiscentiam scilicet et libidinem) « in omnibus actu non esse æquale, sed in « aliis minus, in aliis majus, etsi æquale sit « reatu et demerito. » 7° « Nemo præter Chri« stum est sine peccato originis; hinc Beata « Virgo mortua est propter peccatum ex Adam « contractum, omnesque ejus afflictiones in « hâc vitâ sicut et aliorum justorum, fuerunt « ultiones peccati actualis vel originalis. » Est 73, non legitur in libris Baii; quoad ultimam tamen partem ex doctrinâ ipsius circa statum naturæ innocentis non obscurè colligitur. 8° « Concupiscentia, sive lex membrorum, et « prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt ho« mines, sunt vera legis inobedientia. » Est 51, lib. de peccat. orig. cap. 15 et 16. 9• « Prava « desideria quibus ratio non consentit, et quæ « homo invitus patitur sunt prohibita præcep« to, *non concupisces.* » Est 50, ibidem. 10° « Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu « hominis vitiati, prohibiti præcepto : *Non « concupisces;* undè homo eos sentiens et non « consentiens, transgreditur præceptum : *Non « concupisces*, quamvis transgressio in pecca« tum non deputetur. » Est 75, ibidem. Notat Steyaërt. ad hanc propositionem eâdem omninò phrasi sectarios hæreses suas circa præsens caput exprimere. 11° « Concupiscentia in renatis « relapsis in peccatum mortale, in quibus jam « dominatur, peccatum est, sicut et alii habi« tus pravi. » Est 74; non reperitur apud Baium. « Ista tamen, inquit Steyaërt. pendet « à superioribus. Namque si concupiscentia in « non renatis ideò peccatum sit, quia domina« tur illis, nec hi contrarium gerunt voluntatis « arbitrium ; jam etiam in renatis eam esse « peccatum oportet, ex quo iterùm per relap« sum iis dominatur, nec ampliùs ipsi contra« rium habent voluntatis arbitrium. » 12° « Omnia opera infidelium sunt peccata, et vir« tutes philosophorum sunt vitia. » Est 25, lib. 2 de virtutibus impiorum, præsertim cap. 4 et 5. 13° « In omnibus suis actibus peccator « servit dominanti cupiditati. » Est 40 ; propositionem Baio adjudicat Ripalda ; ast Steyaërt. notâ 20, in propositiones Baianas, contrarium docet et probat, his verbis : « Quis crederet « hanc propositionem, reipsâ haberi apud « Baium ? Habetur tamen, et quidem totidem « penè verbis : *Dæmones*, inquit lib. de lib. « arb. cap. 6, *in omnibus suis actibus et deside« riis miserrimi sunt suæ iniquitatis et malæ vo« luntatis, quam deponere non possunt, servi; « similiter impii omnes, quamdiù non sunt à « peccati dominio liberati, servi sunt peccati : « quia in omnibus suis actibus dominanti peccato « serviunt.* » Ita Baius : « quæ quidem, pergit « Steyaërtius, refutatione non egent. » 14° « Omne quod agit peccator, vel servus peccati, « peccatum est. » Est 35. Hanc iterùm propositionem Baio adjudicat Ripalda ; eam autem Baii esse contendit ibidem Steyaërt., ubi observat doctrinam hujusce propositionis è præcedenti sponte ac necessariò sequi. 15° « Infide« tas purè negativa in iis, quibus Christus non « est prædicatus, peccatum est. » Est 68 ; non reperitur apud Baium. 16° « Homo peccat etiam « damnabiliter in eo quod necessariò facit. » Est 67. Ista rursùm propositio in libris Baii non extat quoad verba ; quoad sensum autem manifestè videtur sequi ex ipsius circa liberum arb. doctrinâ ; de quâ paulò post. 17° « Nullum « est peccatum ex suâ naturâ veniale, sed omne « peccatum meretur pœnam æternam. » Est 20. Docet hanc lib. 2 de meritis operum cap. 2. 18° « In peccato duo sunt, actus, et reatus. « Transeunte autem actu, nihil manet nisi « reatus, sive obligatio ad pœnam. » Est 56. Hanc tradit Baius libello de oratione pro defunctis cap. 4. In eo situs est ipsius error, quòd in peccato nihil aliud agnoscat quàm actum, et reatum pœnæ; nullum autem prætereà reatum seu maculam culpæ.

De libero arbitrio, et ejus viribus.—1° « Sola « violentia repugnat libertati hominis natura« li. » Est 66. — 2° « Quod voluntariè fit, « etiamsi necessariò fiat, liberè tamen sit. « Et 39.—3° « Is libertatis modus qui est à neces« sitate, sub libertatis nomine non reperitur in « Scripturis, sed nomen libertatis à peccato. » Est 41

Has quoad sensum propositiones passim tradit Baius, lib. de libero Arb. cap. 4, dicit, « Angelos felici quâdam necessitate constric« tos, Deum atque justitiam immobiliter dili« gere ;» et postea cap. 6, eosdem « liberri« mos (vocat), etiam in eo quòd justitiam di« ligunt. » Cap. 8, hæc notanda verba addit : « Nam licet doctores catholici adversùs hære« ticos liberum arbitrium sæpiùs in eo intel« lexerint, quòd possit omittere id quod facit, « hoc est, in eo quòd in suis actionibus nullâ « sit necessitate constrictum, sicut etiam intel« lexerunt philosophi, qui posteriorem libertatis

« modum, qui nobis nonnisi per Christum con- « tingit, ignoraverunt ; attamen Augustinus, « secutus Evangelium, etiam liberatum arbi- « trium in eo intellexit, quòd nullius extraneæ « potestatis servituti esset obnoxium, sive in « potestate haberet id quod agit, omittere, sive « non. » Ita Baius, quibus verbis satis tradit citatas propositiones. — 4° « Liberum arbitrium « sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad pec- « candum valet. » Est 27 ; habetur lib. 2 de virtutibus impiorum cap. 8.—5° « Pelagianus est « error dicere quòd liberum arbitrium valet ad « ullum peccatum vitandum. » Est 28, ibidem. —6° « Non solùm fures hi sunt et latrones, « qui Christum viam et ostium vitæ et verita- « tis negant, sed etiam quicumque aliunde, « quàm per Christum in viam justitiæ (hoc « est, aliquam justitiam) conscendi posse do- « cent. Est 29, eod. lib. cap. 9. — 7° « Si- « miles hi sunt, qui dicunt, tentationi ulli sine « gratiæ Dei adjutorio hominem posse resis- « tere, sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ « non superetur. » Est 30, ibidem.—8° « Amor « naturalis, qui ex naturæ viribus exoritur, ex « solâ philosophiâ per elationem præsumptio- « nis humanæ, cum injuriâ crucis Christi de- « fenditur à nonnullis doctoribus. » Est 36, lib. de Charit. cap. 4 et 5. —9° « Cum Pelagio sen- « tit, qui bonum aliquod naturale, hoc est, « quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, « agnoscit. » Est 37, ibidem. — 10° « Cum Pe- « lagio sentiunt, qui testimonium Apostoli ad « Rom. 2 : *Gentes quæ legem non habent, natu- « raliter quæ legis sunt, faciunt ;* intellignnt de « gentibus fidei gratiam non habentibus. » Est 22, lib. de primâ hominis justitiâ cap. 5.—11° « Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus « aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus ; « et gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sen- « tit et docet. » Est 65 ; non habetur in libris Baii.—12° « Definitiva hæc sententia, Deum « homini nihil impossibile præcepisse, falsò « tribuitur Augustino, cùm sit Pelagii. « Est 54 ; habet hanc Baius lib. de peccat. orig. cap. 12.

Tota hæc doctrina his octo posterioribus propositionibus exposita, intimè connexa est ac necessariò sequitur è supra recensitis. Baii placitis circa statum naturæ innocentis. Enimverò in prædicto statu nulla alia ad bonum operandum et malum vitandum agnoscitur potestas, adeòque nec libertas, quàm quæ habetur per gratiam et virtutes infusas naturæ innocenti connaturales ac debitas ; porrò, per Adami peccatum omnibus gratiæ et virtutum donis spoliatus est homo ; amissa ergo omnis ad bonum libertas, ac superstes una remansit dura peccandi necessitas.

De charitate. — 1° Omnis amor creaturæ ra- « tionalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus « diligitur, quæ à Joanne prohibetur ; aut lau- « dabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanc- « tum in corde diffusâ, Deus amatur. » Est 38 ; hanc expressè tradit Baius lib. de Charit. cap. 5, 6, etc.

In hâc amoris medii vitiosam cupiditatem inter et laudabilem charitatem, exclusione imò et impossibilitate, stat totius Baiani systematis veluti basis ac fundamentum ; ex eo malè fœcundo fonte (ut attendenti patebit, et suo loco ex professo demonstrabimus) sponte nascuntur ac necessariò dimanant omnes ferè tum recensiti, tum postmodùm referendi errores.

2° « Distinctio illa duplicis amoris, naturalis « videlicet quo Deus amatur ut auctor naturæ ; « et Gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, « vana est et commentitia, et ad illudendum « sacris litteris, et plurimis veterum testimo- « niis, excogitata. » Est 34, eod. lib. de Charit. cap. 4. — 3° « Non est vera legis obedientia, « quæ fit sine charitate. « Est 26, lib. 2 de me- « ritis operum cap. 1. — 4° « Charitas perfecta « et sincera, quæ est ex corde puro, conscien- « tiâ bonâ et fide non fictâ, tam in catechume- « nis quam in pœnitentibus potest esse sine « remissione peccatorum. » Est 31, citato lib. de Charit. cap. 7, et 8. — 5° « Charitas illa, « quæ est plenitudo legis, non est semper con- « juncta cum remissione peccatorum. » Est 32 ibidem.—6° « Catechumenus rectè et sanctè vi- « vit, et mandata observat, et legem implet per « charitatem, ante obtentam remissionem pec- « catorum, quæ in baptismi lavacro demùm « percipitur. » Est 33, ibidem.—7° « Homo exi- « stens in peccato mortali, sive in reatu æter- « næ damnationis, potest habere veram chari- « tatem ; et charitas etiam perfecta potest con- « sistere cum reatu æternæ damnationis. » Est 70, ibid. — 8° « Per contritionem etiam cum « charitate perfectâ, et cum voto suspiciendi « sacramentum conjunctam, non remittitur « crimen extra casum necessitatis, aut martyrii « sine actuali susceptione sacramentorum. » Est 71, ibidem.

Itaque, juxta Baium, charitas tum appretiativè, tum etiam intensivè perfecta cum reatu æternæ damnationis consistere potest, si sacramentum, martyrium et necessitas absint. Dixi,

etiam intensivè perfecta ; nec enim toto capite octavo supra laudato, ullam charitatis perfectionem excipit, quæ reatum æternæ damnationis secum pati non possit. Hæc Baii doctrina cohæret cum ipsius systemate circa justificationem, de quo mox. — 9° « Quamdiù aliquid « carnalis concupiscentiæ in diligente est, non « facit præceptum : *Diliges Dominum Deum* « *tuum ex toto corde tuo.* » Est 76 ; non habetur in libris Baii ; sectariorum hæresim ingerit circa absolutam justorum, etiam cum gratiâ, Dei mandata observandi impotentiam, ob adhærescentis nimirùm noxiæ cupiditatis virus.

De justificatione. — 1° « Justitia quâ per « fidem justificatur impius, consistit forma- « liter in obedientiâ mandatorum, quæ est « operum justitia, non autem in gratiâ aliquâ « animæ infusâ quâ adoptatur homo in filium « Dei, et secundùm interiorem hominem « renovatur ac divinæ naturæ consors effi- « citur, ut sic per Spiritum sanctum reno- « vatus, deinceps benè vivere, et Dei mandatis « obedire possit. » Est 42. Tradit hanc doctrinam Baius integro penè libro de justitiâ. Docet 1, justitiam quâ justificatur impius, formaliter et propriè consistere in obedientiâ legis, exclusâ gratiâ animæ infusâ quâ homo adoptatur in filium Dei, ut loquitur concil. Trid. sess. 6, can. 11. Docet 2, eam impropriè et minùs præcipuè positam esse in remissione peccatorum, hoc est, in remissione solius reatûs pœnæ æternæ; in peccato enim, transacto actu, nullam maculam seu reatum culpæ agnoscit. Docet 3, veram et perfectam justificationem, non secùs ac veram et perfectam charitatem, posse stare sine remissione peccatorum.

2° « In hominibus pœnitentibus ante sacra- « mentum absolutionis, et in Catechumenis « ante baptismum est vera justificatio; separata « tamen à remissione peccatorum. » Est 43, eodem lib. cap. 7. — 3° « Operibus plerisque « quæ à fidelibus fiunt, solùm ut mandatis « Dei pareant, cujusmodi sunt obedire pa- « rentibus, depositum reddere, etc., justifi- « cantur quidem homines, quia sunt legis « obedientiæ, et veræ legis justitiæ, non « tamen iis obtinent incrementa virtutum. » Est 44, citato lib. cap. 5. « Vix scias, » inquit Steyaërt. in notis ad propositiones Baianas, « quid Baium ad hunc errorem moverit. « Quidni verò talibus operibus etiam obti- « neantur incrementa virtutum. » — 4° « Illa « distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit « per spiritum charitatis inhabitantem; alte- « rius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritûs « sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed « nondùm cor inhabitantis, et in eo charita- « tem infundentis, quâ divinæ legis justificatio « impletur, similiter rejicitur. » Est 63. — 5° « Item et illa distinctio duplicis vivificationis, « alterius quâ vivificatur peccator, dùm ei « pœnitentia, et vitæ novæ propositum per « Dei gratiam inspiratur; alterius quâ vivifica- « tur qui verè justificatur, et palmes vivus in « vite Christo efficitur, commentitia judicatur, « et Scripturis minimè congruens. » Est 64.— Utraque ista propositio non est Baii. Et verò Baius in suâ S. pontifici Pio V oblatâ apologiâ ad proposit. 60 et 61, dictam duplicis vivificationis et justitiæ distinctionem disertè approbat, hancque *verissimam esse* asserit. Idem testatur in explicatione eorumdem articulorum, parte 2 Operum Baii novæ edit. pag. 145.

« Cæterùm, quisquis sit istarum proposi- « tionum auctor, inquit Steyaërt., utraque « distinctio tam acriter rejecta, non solùm « nullam meretur censuram, sed etiam bona « est et utilis inprimis. » — 6° « Justificatio « impii fit formaliter per legis obedientiam, non « autem per occultam communicationem, et « inspirationem gratiæ, quæ per eam justifi- « catos faciat implere legem. » Est 69, colligitur ex citato lib. de justitiâ cap. 5.

De bonorum operum meritis. — 1° « Sicut « opus malum ex suâ naturâ est mortis « æternæ meritorium, sic opus bonum ex suâ « naturâ est vitæ æternæ meritorium. » Est 2, lib. 2 de meritis operum, cap. 2. — 2° « Quòd « piè et justè in hâc vitâ mortali usque ad « finem conversati vitam consequamur æter- « nam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordi- « nationi naturali statim initio creationis cons- « titutæ justo Dei judicio deputandum est. » Est 11; ita sparsim lib. 2 de meritis operum. — 3° « Nec in hâc retributione bonorum ad « Christi meritum respicitur, sed tantùm ad « primam institutionem generis humani, in « quâ lege naturali constitutum est, ut justo « Dei judicio obedientiæ mandatorum vita « æterna reddatur. » Est 12 ibidem. — 4° « Opera bona à filiis adoptionis facta, non acci- « piunt rationem meriti ex eò quòd fiunt per « spiritum adoptionis inhabitantem corda filio- « rum Dei; sed tantùm ex eo quòd sunt con- « formia legi, quòdque per ea præstatur obe- « dientia legi. » Est 13. — 5° « Rationem « meriti in eo non consistere quòd qui benè « operatur habeat gratiam et inhabitantem

« Spiritum, sed in eo solùm quòd obedit « divinæ legi. » Est 15; utramque propositionem sæpiùs repetit Baius, et multis rationibus probat integro ferè citato lib. 2 de merit. operum. — 6° « Pelagii sententia est, opus « bonum citra gratiam adoptionis factum, non « esse regni cœlestis meritorium. » Est 13, eod. lib. cap. 4. — 7° « Cum Pelagio sentit, « qui dicit ad rationem meriti esse necessa- « rium, ut homo per gratiam adoptionis subli- « metur ad statum deificum. » Est 17, ibidem. — 8° « Opera Catechumenorum, ut fides et « pœnitentia, ante peccatorum remissionem « facta sunt vitæ æternæ merita, quam vitam « non consequentur Catechumeni, nisi priùs « præcedentium delictorum impedimenta tol- « lantur. » Est 18 ibidem. — 9° « Opera bona « justorum non accipient in die judicii extremi « ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio « mereantur accipere. » Est 14, eodem lib. cap. 9. — 10° « Opera justitiæ et temperantiæ « quæ Christus fecit, ex dignitate personæ « operantis non traxerunt majorem valorem. » Est 19, eod. lib. cap. 7. — 11° « Celebris illa « doctorum distinctio, divinæ legis mandata « bifariàm impleri, altero modo quantùm ad « præceptorum operum substantiam tantùm; « altero quantùm ad certum quemdam modum, « videlicet, secundùm quem valeant operan- « tem perducere ad regnum æternum, hoc « est, ad modum meritorium, commentitia « est et explodenda. » Est 61, ibid. — 12° « Illa quoque distinctio quâ opus dicitur bifa- « riàm bonum, vel quia ex objecto et omni- « bus circumstantiis rectum est et bonum, « quod moraliter bonum appellari consuevit; « vel quod est meritorium regni æterni, eò « quòd fit à vivo Christi membro per spiritum « charitatis, rejicienda est. » Est 62, eodem libro, cap. 6.

Ex his propositionibus ad invicem concatenatis patet summam systematis circa meritum in eo consistere, quòd operi bono ex solâ conformitate cum lege debeatur vita æterna independenter ab operantis dignitate ac excellentiâ; non secùs ac operi malo ex solâ deformitate operis mors debetur æterna.

13° « In renatis per gratiam Christi nullum « inveniri potest bonum meritum, quod non « sit gratis indigno collatum. » Est 8, lib. 1 de meritis operum cap. 4. Cohæret ista propositio cum supradictis erroribus circa liberum arbitrium.

De Sacramentis, Sacrificio, Satisfactione, et Indulgentiis. — 1° « In Sacramento baptismi « aut sacerdotis absolutione, propriè reatus « peccati duntaxat tollitur; et ministerium « sacerdotum solùm liberat à reatu. » Est 57, lib. de orat. pro defunctis. — 2° « Peccator « pœnitens non vivificatur ministerio sacer- « dotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœni- « tentiam suggerens, et inspirans vivificat eum « et resuscitat; ministerio autem sacerdotis « solùm reatus tollitur. » Est 58, ibidem. — 3° « Sacrificium Missæ non aliâ ratione est « sacrificium, quàm generali illâ, quâ omne « opus quod fit, ut sanctâ societate Deo homo « inhæreat. » Est 45; collecta videtur ex libello Baii de Sacrificio cap. 4, 5 et 6. — 4° « Solutio pœnæ temporalis quæ peccato di- « misso supermanet, et corporis resurrectio, « propriè nonnisi meritis Christi adscribenda « est. » Est 10; hanc tradit Baius lib. 1 de merit. operum cap. 9. — 5° « Quando per « eleemosynas aliaque pietatis opera Deo satis- « facimus pro pœnis temporalibus, non di- « gnum pretium Deo pro peccatis nostris offe- « rimus; sicut quidam errantes autumant, « nam alioqui essemus aliquâ saltem ex parte « nostri redemptores : sed aliquid facimus, « cujus intuitu Christi satisfactio nobis appli- « catur, et communicatur. » Est 59; hanc habet Baius disertè in fine libri de Indulgentiis. — 6° « Per passiones sanctorum Indulgentiis « communicatas non propriè redimuntur de- « licta, sed per communionem charitatis nobis « eorum passiones impertiuntur, ut digni « simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis « pro peccatis debitis liberemur. » Est 60, lib. de Indulg. cap. 8. — 7° « Satisfactiones « laboriosæ justificatorum non valent expiare « de condigno pœnam temporalem restantem « post culpam condonatam. » Est 77; coincidit cum præcedentibus. Harum quatuor posteriorum propositionum doctrina planè adversatur, uti advertit Steyaërt. loco antea citato, iis quæ docet concil. Trid. sess. 14, cap. 8.

Atque hæc de historiâ et systemate Baianismi; qui plura volet, præter citatos auctores, adeat Suarez de grat. prolegom. 6, cap. 2; Turrian. opuscul. de grat. tract. speciali de hâc materiâ; Steyaërt., tom 1 opuscul. Theoriæ expurgatæ parte 1; Ripalda tom 3 de ente supernat. disput. 1, et ad calcem ejusdem tomi 3, et è recentioribus P. Duchesne, qui de hocce argumento doctè et solidè disseruit in lib. cui gallicè titulus : *Histoire du Baïanisme*.

Dissertatio decima.

DE CONGREGATIONIBUS DE AUXILIIS.

Nondum quas moverat in Belgio Baius sopitæ erant controversiæ, cùm graves exortæ sunt disputationes inter Patres Ordinis sancti Dominici et Societatis Jesu; illas prætermittere non sinunt, et tractatùs præsentis scopus, et exagitatæ materiæ gravitas. Ast de illis vix quidquam omninò certi affirmari potest; etenim in mutuis scriptis, quæ in probationes afferuntur momenta, ea in dubium ab alterâ parte statim revocantur; sicque involuta manet gestorum veritas, quidque sit sentiendum, quidve tenendum ignorat animus veri inquisitor. Si quid tamen certi haberi potest, attentè perlectis qui ex utrâque parte parati sunt libri, illud exponemus expendendo, 1° occasionem Congregationum; 2° Congregationes ipsas; 3° exitum Congregationum. De his sigillatim dicendum.

ARTICULUS I.

Occasio Congregationum.

Vix instituta erat Societas Jesu, jamque è vivis defuncto sanctissimo Fundatore sparsis per Europam illius membris, et primas in Universitatibus atque academiis cathedras occupantibus, conquesti sunt plerique Dominicani Jesuitas novam, eamque, à Pelagianismo non satis recedentem edocere doctrinam; nec minùs de Dominicanis conquerebantur Societatis Patres, quòd suo præsertim circa prædeterminationem systemate, Calvini defensoribus faverent. Talis atque tantus fuit rumor ille, ut auctoritas pontificis summi in medium vocata accusationum veritatem dignoscere dedignata non fuerit; quomodo autem ad suum tribunal causam reservare fuerit adducta, nunc venit exponendum; recensitis primùm dissidiis tum in Belgio, tum in Hispaniâ exortis, quæ famosis de quibus nunc agitur, Congregationibus, locum dedêre.

§ 1. *Controversiæ in Belgio habitæ.*

Compendiosam harumce controversiarum synopsim exhibet Habertus Vabrensis episcopus lib. cui titulus, *Defensio fidei*, cap. 14, paragr. 3. Eamdem ab ovo Lovaniensem controversiam, omniaque ultrò citròque scripta, dicta, gesta, accurato Diario complexus est Lessius. Utriusque operis analysis ad hæc capita revocari potest.

1° Damnatis Michaelis Baii doctoris et decani Lovaniensis propositionibus, ex Italiâ Lovanium accesserunt Lessius et Hamelius celeberrimi Societatis Jesu theologi, ibique annis 1585 et 1586, publicas habuêre prælectiones Theologicas de sacrâ Scripturâ, prædestinatione, gratiâ, etc.

2° Anno 1587, instigante Baio, cui multi Lovaniensis academiæ doctores adhærebant, cœpit Universitas in Lessii et Hamelii scripta inquirere, atque ex iis 34 propositiones censurâ notavit. Prodiit isthæc censura die 9 septembris ejusdem anni 1587. Paulò ante exhibitæ fuerant Lessio dictæ propositiones, et ab ipso quæsitum, an pro suis ea agnosceret; qui, ut ipse narrat in suâ Apologiâ, respondit, « suas esse, sed truncatas, et suis locis avulsas; ita ut qui eas lecturi essent, non facilè possent intelligere, quorsùm aut quâ occasione dictæ essent. »

3° Academia Duacensis, duce præsertim Estio, Lovaniensis academiæ judicium confirmavit anno 1588, latâ in Lessium censurâ longè duriori; ambæ verò conjunctim Universitates sacram Facultatem Parisiensem invitârunt ad idem præstandum, *quod ipsa præcisè se facturam negavit;* teste Haberto, loco mox laudato.

4° Eodem anno, postulantibus plerisque in Belgio episcopis, exarata fuit censuræ Lovaniensis justificatio seu defensio, ad respondendum, ut legitur in ipsius præfatione, Lessii Apologiæ adversùs dictam censuram.

5° Circa idem tempus illustrissimi Mechliniensis et Cameracensis archiepiscopi egêre inter se, et cum cæteris suarum provinciarum episcopis, ut fieret synodus, in quâ damnata à duabus Facultatibus professorum Societatis doctrina discuteretur, ac si visum fuisset synodo, passim per Belgium proscriberetur.

6° Orta isthæc dissidia auctoritate suâ compescuit Sixtus V, S. pontifex, dato die 15 aprilis ejusdem an. 1588, Brevi ad Calatinum episcopum, suum in Belgio nuntium apostolicum, quo totius controversiæ cognitionem Romam advocat, utrique interim parti imposito silentio. Jussa pontificia partibus intimavit nuntius apostolicus, decreto eâ de re edito die 10 julii ejusdem anni, quo sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ vetuit, ne quis alteram partem erroris damnaret; atque ita nonnihil sedata est gravissima illa Lovaniensis controversia quæ universum Belgium turbabat.

Unum hîc occurrit expendendum, an scilicet prædicta utriusque academiæ Lovaniensis et Duacensis censura, à sanctâ Sede fuerit approbata. Augustinus Leblanc lib. 1 hist. *de Auxiliis* cap. 9, 10, 11, contendit laudatas censuras Romæ sub Innocentio XI, et præsertim sub Innoc. XII, fuisse approbatas. Martinus Steyaërt., tom. 1 opuscul. pag. 11 et 12, fatetur quidem eas non fuisse positivè approbatas; ast easdem docet non fuisse improbatas, et quidem iis in circumstantiis in quibus improbandæ fuerant, si fuisset in iis quod jure improbaretur. « Scilicet, inquit, academia Lovaniensis ab æmulis suis novitatis ac erroris traducta, ad Sedem apostolicam recurrit, ut ei doctrinam suam exponat. Ultrò apud eamdem profitetur iis in punctis quid doceat, in quibus præ cæteris accusatur; dicit hanc suam esse doctrinam, hanc se à majoribus accepisse, hanc porrò se posteris transmissuram, nisi Ecclesiæ romanæ aliter videretur; paratam se præbet ea respuere omnia, quæ prima Sedes sibi ostenderit displicere. His obtinet, ut plusquàm toto biennio, nec vice simplice, tota sua doctrina severissimo examine discutiatur. Intereà non desunt sibi adversarii, qui omnes nervos intendunt, ut saltem aliquod è dogmatibus istis proscribatur. Interim proscribitur nihil:.... Profectò (pergit ibidem), si adhuc error est (error nimirùm damnabilis) in his quæ Ecclesia romana, sic rogata ab academicis istis, sic instigata ab adversariis, tanto spatio tantoque rigore discussa; liceat mihi dicere apostolicæ Sedi, quod olim alius Deo dixit: *Si error est à te decepti sumus....* Non ergo simpliciter evasit censura nostra quam sanctæ Sedi exposuimus: evasit tunc, cùm nequaquàm evadere potuisset, si quid in eâ displicuisset Ecclesiæ. » Ex his liquet hoc unum contendere Steyaërt., nihil esse in laudatis censuris, quod *errorem damnabilem* contineat, nihil quod *displiceat Ecclesiæ*, nihil denique quod jure notari debeat.

Theodorus Eleutherius lib. 1 hist. *de Auxiliis* cap. 22, et sequentibus, tria docet. Primum, Belgicas censuras, ut censuræ sunt; hoc est, quatenùs certis quibusdam notis Lessii doctrinam percellunt, à sanctâ Sede non fuisse approbatas, imò potiùs improbatas. Ratio est, quia Sixtus et Paulus V doctrinam hanc doceri solemnibus decretis permiserunt, eamque censurari sub gravissimis pœnis prohibuerunt, ergo, etc.; neque enim ullum extat vestigium, ultra prædecessorum suorum metas excurrere voluisse subsequentes pontifices Innoc. XI et XII. Secundum, censuras, prout præcisè continent censorum doctrinam, abstrahendo à notis quibus adversam sententiam perstringunt, nec approbatas fuisse positivè, nec improbatas; nullum quippe extat apostolicum decretum quo expressè confirmatæ fuerint aut rescissæ. Tertium quod multis probat, istud est, nempe, censuras hoc posteriori sensu acceptas nullatenùs fuisse approbatas, nequidem etiam tacitè. Imò auctor libri cui titulus: *Errata de Auxiliis* pag. 62 et 63, à quo non videtur recedere Eleutherius, censet silentium Curiæ romanæ in iis circumstantiis in quibus fuit observatum, tacitam fuisse doctrinæ censurarum improbationem; doctores quippe Lovanienses tunc temporis censurarum approbationem enixè postulabant; nulli erant illarum damnationem efflagitantes: ut quid ergo silebat Ecclesia romana, si innoxiam judicabat censuram?

Cæterùm, quidquid sit de tacitâ illâ censurarum improbatione in quâ plurimùm non insistit Eleutherius, profectò illarum doctrinam nequidem tacitè fuisse approbatam certum esse docet, idque variis, ut dixi, conatur ostendere momentis. Validiora hîc exhibemus.

Primum petitur ex illustriss. Augustino Favorito, qui Innocentio XI à Secretis fuit; hic in epist. ad P. Christianum Lupum, datâ 25 novembris 1679, disertè negat censuram Lovaniensem à sanctâ Sede ullatenus fuisse approbatam, totumque istud negotium sub judice versari asserit: « Legi, inquit, folium relationis à te, à D. Viane factæ excellentissimo gubernatori Belgii de rebus à vobis in urbe gestis, et ab apostolicâ Sede relatis. Omnia mihi videntur ritè procedere, præter istud, videlicet *Sanctitatem suam et eminent. cardinales comprobâsse judicium consultorum S. Officii circa censuram Lovaniensem.* Cùm enim nullum de hâc materiâ decretum prodierit, nihil potest de eâ certi affirmari, et omnia adhuc sunt sub judice, donec veniat plenitudo temporis controversiæ discutiendæ. »

Secundum desumitur ex eminentiss. Tanario Bruxellis antea internuntio; is Romam scripsit explorandæ veritatis gratiâ, die 18 novembris 1679, responsisque acceptis, litteras dedit die 18 januar. 1680, ad Nicolaum du Bois sacræ Scripturæ professorem, in quibus ipsi significat, sese reimpressionem censuræ prohibiturum, *ne*, inquit, *contraveniretur menti suæ*

Sanctitatis, quandoquidem nunquàm, quod sciam, fuerit approbata (censura Lov.) *à sanctâ Sede.*

Tertium colligitur ex excerptis quibusdam registrorum sancti Officii, ex quibus constat die 10 dec. 1679, prohibuisse sacram Congregationem oratoribus Lovaniensibus ne censuram prædictam typis mandarent, et latâ prohibitione subditur: « Significet autem oratoribus « (internuntius) quòd Sanctitas sua, nec sa- « cra Congregatio unquàm approbavit dictam « censuram, seu ejus justificationem in ma- « teriâ gratiæ. » Nihil certè disertius. Extracta sunt hæc ex archivo sancti Officii, atque tradita eminent. cardinalibus hujus Congregationis ab assessore sancti Officii anno 1693, quo tempore Hennebellus causam nonnullorum Lovaniensium Romæ agebat.

Quartum eruitur ex ipsomet Innocentii XI, decreto die 2 martii 1679, quo damnatis ad instantiam deputatorum Lovaniensium 65 ethices laxioris propositionibus, continuò subditur: « Non intendens tamen sua Sanctitas per « hoc decretum alias propositiones in ipso non « expressas, et Sanctitati suæ *quomodolibet et* « *ex quâcumque parte* exhibitas, ullatenùs ap- « probare. » Atqui deputati Lovanienses unà cum propositionibus censurandis, varias alias propositiones libro censurarum contentas ad examen exhibuerunt; quin et circa hæc tempora, utraque Lovaniensis et Duacensis censura examinanda S. pontifici oblata fuit; ergo ex mente ac declaratione ipsius innoc. XI, censuræ et propositiones Lovanienses non fuerunt ullatenùs approbatæ.

Quintum denique deducitur ex decreto Innoc. XII ad academiam Lovaniensem dato die 6 februarii 1694. Eo Brevi Belgicas censuras disertè confirmari contendit historicus Leblanc; ast infirmum omninò esse ac labile istud momentum ex eo conficit Eleutherius, quòd eo ipso in Brevi apertè significet S. pontifex nolle se *profundiores difficilesque partes incurrentium in materiâ divinæ gratiæ quæstionum*... adstruere ac definire; porrò manifestum est quæstiones de gratiæ efficacis naturâ, de modo electionis ad gloriam, aliasque hujusmodi in censuris expressas, *profundiores esse difficilioresque, quæ in materiâ gratiæ occurrunt*, ergo, etc.; immerito ergo Breve istud apostolicum opponit Augustinus Leblanc, tanquàm *extremum orthodoxiæ censurarum sigillum.*

Ast, inquit Aug. Leblanc, certum est censuras romano pontifici fuisse delatas an. 1679, atque rigoroso examine à curiæ judicibus discussas, nec tamen edito decreto proscriptas; fuerunt ergo probatæ: « Quotquot enim, per- « git historicus, romanæ curiæ, ac præsertim « generalis Inquisitionis praxim vel leviter nô- « runt, certò sciunt, non aliter ab eis propo- « sitiones aut libros approbari. »

Respondet Eleutherius, simili argumento invictè ostendi Lessii et Molinæ doctrinam fuisse probatam. Scilicet, Lessii doctrina à Sixto V discussa fuit et examinata; edito autem decreto damnata non est; ergo, etc. Pariter Molinæ doctrina à Clemente VIII et Paulo V discussa est; nullo decreto ab ipsis damnata est; ergo, secundùm curiæ praxim est ab ipsis approbata. Viderit adversarius nùm ista fateatur.

Addit auctor libri cui titulus, *Errata.... de Auxil.* loco mox citato, statutâ historici regulâ manifestè colligi, censuras non fuisse Romæ approbatas, cùm nullus fuerit tunc temporis qui dictarum censurarum examen ac damnationem urgeret, quod tamen necessum omninò foret ut silentium loco approbationis haberetur. Quin ibidem observat, ut diximus supra, iis in circumstantiis silentium potiùs esse argumentum tacitæ improbationis.

§ 2. *Controversiæ in Hispaniâ habitæ.*

Orta in Belgio dissidia apostolicis Sixti V litteris nonnihil sedata sunt, ut antea diximus; ast multò majora in Hispaniâ excitata sunt occasione librorum Ludovici Molinæ, quæ quidem ut pleniùs dignoscantur, res altiùs est repetenda. Itaque Lutheri et Calvini hæresi debellandæ divinitùs datus S. Ignatius, prima veluti fundamenta Societatis Parisiis jecit circa annum 1540. Unum præcipuè divum Thomam doctorem Angelicum elegit, qui in Societatis scholis prælegeretur. Ita constat ex his Constitutionum verbis quartâ parte cap. 14. *In Theologiâ legetur novum Testamentum, et doctrina scholastica D. Thomæ.* Quæ quidem Constitutiones approbatæ fuerunt in primâ generali Congregatione habitâ anno 1550. E vivis excessit sanctissimus Fundator versùs annum 1556, atque in ejus locum ad supremam Societatis præfecturam communibus votis vocatus est Didacus Laynes in Congregatione generali anni 1558. Illîc, si fides Augustino Leblanc, tenendæ S. Thomæ doctrinæ lex, speciosæ interpretationis obtentu penitùs concussa est. Ita quippe, additâ hâc clausulâ, statutum esse contendit: « Prælegetur etiam Magister Sen-

« tentiarum; sed si videretur temporis decursu « alius auctor studentibus utilior futurus, ut « si aliqua Summa vel liber theologiæ scholas- « ticæ conficeretur, qui his nostris tempori- « bus accommodatior videretur, gravi cum « consilio, et rebus diligenter expensis per « viros qui in universâ societate aptissimi exis- « timentur, cumque Præpositi generalis ap- « probatione, prælegi poterit. »

Ast è vestigio occurrit Theodorus Eleutherius, atque lib. 1 Hist. cap. 1, declarationem illam quæ ad marginem Constitutionum habetur, ab ipsomet S. Ignatio fuisse compositam, multis probat. 1° Illa ipsa generalis Congregatio an. 1558, titulo 5, decreto 78, ita disertè testatur; quin et addit codicem *Constitutionum et declarationum* manu propriâ S. fundatoris exaratum, coram Patribus congregatis fuisse prælectum, recognitumque. 2° Idem testantur quatuor sequentes Congregationes generales. 3° Etiam nunc in Bibliothecâ Societatis inter MSS. sancti Ignatii Romæ diligenter asservatur dictum declarationum autographum. Verba itaque ista, *Prælegetur etiam*, etc., quæ Congregationi an. 1558 tribuuntur ab historico, ipsissima sunt sancti fundatoris verba.

Postea decurrente tempore exoriuntur querelæ, Jesuitas avitam relinquere doctrinam, sectari novitatem, à sancti Thomæ sententiis deflectere. De his paternè monitus à Sixto V Claudius Aquaviva Societatis præpositus generalis, ut rumoribus in die crescentibus promptiùs et efficaciter occurreret, celeberrimum illum edi curavit librum, cui titulus: *Ratio et institutio studiorum Societatis Jesu;* hoc in libro agitur de *opinionum delectu*, de stabiliendis scilicet aut rejiciendis in Societate opinionibus. Arduo huic ac perdifficili adornando operi, deputavit sex lectissimos theologos, Joannem Azorium ex Hipaniâ, Gasparum Gonzales è Lusitaniâ, Jacobum Tirium è Galliâ, ex Austriâ Petrum Buzæum, è Germaniâ Antonium Guisanum, ex Italiâ Stephanum Tuccium; nonnisi biennio post, anno scilicet 1586, lucem aspexit liber ille, huncque per provincias Societatis examinandum misit Aquaviva.

In hoc tractatu, inter præscriptas theologiæ professoribus regulas, hæc ordine quarta legitur: « In theologiâ doctrinam S. Th. ut ca- « vetur quartâ parte Constitutionum cap. 14; « nostri sequantur paucis exceptis, quæ licet « sint, aut videri possent esse S. Thomæ, « etc. » Tùm quæ sint pauca illa, declaratur his verbis: « Nostri itaque non cogantur de- « fendere.... secundas causas esse propriè et « univocè instrumenta Dei; et cùm operantur, « Deum in illas primùm influere, aut eas mo- « vere. » Ibidem in præfatione ita legitur: « Visum nobis est statuere, ut nostri in theo- « logicâ facultate sequantur S. Th. doctrinam.. « sed quia durum videbatur, ita S. Thomæ « nostros adstringere, ut ab eo nullâ in re li- « ceat recedere.... placuit liberum relinquere, « ut alios graves doctores sequi possent, qui « velint, in paucis quibusdam quæstionibus « quæ subjecto liberarum propositionum ca- « talogo continentur. » In eo autem catalogo sexaginta circiter Angelicæ doctrinæ quæstiones recensentur, quæ privatorum opinationibus permittuntur.

Acceptis super dicto libro singularum provinciarum judiciis, quæ communiùs observata fuerant emendavit Claudius Generalis, trium ex supra nominatis, eum in finem usus operâ Azorii scilicet, Gonzales et Tuccii, atque anno 1591, eumdem librum rursùs per provincias misit denuò examinandum.

Hâc de re iterùm actum fuit in quintâ generali Congregatione an. 1594, sicque in eâ fuit statutum can. 9: « sequantur nostri doctores « in scholasticâ theologiâ doctrinam D. Thomæ, « juxta praxim in libro de ratione studiorum « ponendam, et à Patre Præposito generali « explicandam. »

Tandem impositam sibi à generali Congregatione provinciam, de ratione studiorum exponendâ, exsecutus est Præpositus generalis Aquaviva anno 1599, ita decernens: « Nostri « omninò in scholasticâ theologiâ S. Th. doc- « trinam, eumque ut doctorem proprium ha- « beant; ponantque in eo omnem operam ut « auditores erga illum quàm optimè afficiantur. « Non sic tamen S. Th. doctrinæ adstricti esse « intelligantur, ut nullâ prorsùs in re ab eo « recedere liceat; cùm illi ipsi, qui se Tho- « mistas maximè profitentur, aliquando ab eo « recedant; nec arctiùs nostros S. Thomæ al- « ligare par sit, quàm Thomistas ipsos. » Hæc Aquaviva, simillima iis quæ quinta Congregatio decreto 56 sanciverat anno 1594. Idem postea edixit Mutius Vitellescus anno 1617.

His de ratione studiorum paulò fusiùs enarratis, quoniam illa velut fontem et dissidiorum originem traducunt Molinæ adversarii, nunc quæ Hispanicas spectant controversias, cursim exponemus.

1° Anno 1581, Prudentius de Monte Major

Societatis Jesu theologus publicis apud Salmaticenses thesibus doctrinam de scientiâ mediâ propugnavit. Erat tunc Salmanticæ Dominicus Bannes celebris ex Ordine Prædicatorum, primariæ cathedræ moderator; hic visis Prudentii thesibus, statâ die eas disputando fervidè impugnavit, et è disputatione egressus sexdecim propositiones S. Inquisitionis Hispanicæ tribunali, suo et amicorum quorumdam nomine denuntiavit. Has sancti Officii commissarius damnavit, inquisito priùs censorio doctorum Salmaticensium judicio? sed illas Prudentio de Monte Major non tribuit Inquisitor, et ipse Prudentius eas velut sibi proprias nusquàm agnovit: *non erant hæ propositiones*, inquit Antonius de Padilla Epist. ad card. Bellarm. die 28 junii 1600, *expressè in thesibus*; nihilominùs tamen eas velut legitima thesium consectaria impugnavit Bannesius, reclamante licet Prudentio; unde postea scientiam mediam non secùs ac ante Salmanticæ propugnârunt Societatis theologi. Atque hæc fuêre initia celeberrimorum dissidiorum quæ in Hispaniâ Prædicatorum Ordinem cum Societate commiserunt.

2° Anno 1588, Ludovicus Molina, Eborensis academiæ professor, primus è societate sancti Thomæ commentator, suum celebre edidit opus de concordiâ liberi arbitrii cum gratiæ donis, etc. Commentarium est ad nonnullos primæ partis D. Thomæ articulos, de divinâ scilicet præscientiâ, providentiâ, prædestinatione et reprobatione. Vix lucem videbat opus à Bartholomæo Ferreyra Dominicano approbatum, et statim varios expertum est hostes, præsertimque Bannesium. Hic paulò ante 13 propositiones de gratiâ et libero arbitrio, seu genuinam professorum Societatis doctrinam exprimentes, detulerat ad sacram Castellæ Inquisitionem, cui præerat eminentiss. card. Quiroga archiepiscopus Toletanus; atque à quæsitoribus obtinuerat, ut assertiones illæ doceri prohiberentur, donec essent accuratiùs discussæ. Easdem assertiones ad cardinalem archiducem Albertum supremum in Lusitaniâ judicem rursùs detulit Bannesius, summâ asseveratione ipsi contestans has in libro Molinæ contineri; unde jussu cardinalis Salmanticam examinandus mittitur liber; subinde Banesii et aliorum Salmaticensium in librum Molinæ trimestres observationes in Lusitaniam perferuntur, quas viris peritissimis jussit communicari archidux. Maturo super his examine præmisso, omnibusque, quæ objecta fuerant, cum Molinæ responsionibus ritè collatis, statuerunt censores, nihil in ejus libro censurâ dignum occurrere; quapropter solemni ac contradictorio generalis Inquisitionis Lusitaniæ judicio, accedente expresso archiducis consensu, tandem absolvitur Molinæ liber de concordiâ, sub initium julii an. 1589, ejusque promulgatio concessa. Hæc constant ex epistolis ipsiusmet archiducis Alberti cardinalis, supremi in Lusitaniâ Inquisitoris, diebus 12 et 26 aprilis 1599, imperatricis Mariæ die 14 novembris 1598, atque tandem Domini Joannis de Borgia 8 junii 1601, quæ quidem omnes directæ sunt ad summum pontificem Clementem VIII.

3° Istud Molinæ opus è Lusitaniâ ad Hispanos delatum, faventibus supremis Castellæ et Arragoniæ consiliis, publicæ luci datus fuit, approbantibus Hispanis duobus theologis petro Lopio de Montoya et Joanne Villa ei excutiendo præfectis. Ita colligitur ex supplici Molinæ libello ad archiducem Albertum. Hinc denuò suscitata in Hispaniis dissidia.

4° Æstuantibus interim hinc et inde animis ac vehementi suscitatis ardore, anno 1594, die 5 martii in urbe Vallisoletanâ Antonius Padilla è Societate Jesu thesibus publicis Molinæ à Dominicanis hujus urbis læsi patrocinium suscepit. Insurrexêre in illum Dominicani hujus urbis, tum vivâ voce, tum thesibus publicè propositis; et eò usque prorupit altercatio, ut propositiones excerptæ è Molina à Dominicanis, et è Bannesio à Societatis Patribus sanctæ Inquisitionis Hispanicæ tribunali denuntiatæ fuerint. De his motibus Clementem VIII summun Pontificem certiorem fecit supremus Inquisitionis moderator.

5° Nondùm lato Inquisitionis judicio, ut crescentibus in dies per totam Hispaniam dissidiis occurreret summus pontifex, totius causæ cognitionem sibi reservavit circa initium julii ejusdem anni 1594, indicto primùm utrique parti silentio; posthàc permissâ disputatione, prohibitis tamen acrioribus notis ac censuris. Ita colligitur ex litteris nuntii apostolici in Hispaniâ Camilli Cajetani ad Provinciales Dominicanorum et Societatis Jesu, Madrito die 15 augusti an. 1594.

6° Altero Brevi dato die 10 januarii 1596, Molinæ causam ad se evocat Clemens VIII. Duplex ergo hic sedulò distinguenda Dominicanorum cum Patribus societatis controversia; generalis una, in quâ scilicet universus decertabat Ordo; hæc spectabat naturam auxiliorum

sufficientis et efficacis; altera, quæ primùm fuit privata et specialis Molinæ et Bannesio, qui sua scripta ad sacram Inquisitionem mutuò detulerant, quæque posteà generalis et totius Ordinis evasit. Priorem ad se accivit summus pontifex mense julio an. 1594, alteram verò, nonnisi decem et octo postea mensibus, scilicet mense januar. an. 1596.

7° Anno 1597, die 25 octobris, sacra Hispaniæ Inquisitio instrumenta authentica ad controversiam de Auxiliis spectantia, tribus tomis distincta, direxit ad summum pontificem Clementem VIII. Primus tomus scripta Dominicanorum complectebatur. Secundus continebat instrumenta quibus utebantur Patres Societatis ad adstruendam suam doctrinam adversùs Dominicanos. In tertio legebantur 12 censuræ et judicia quæ ex mandato S. Inquisitionis tulerant Universitates, et quidam episcopi ac doctores particulares. Inter has censuras tres erant Universitatum, Salmaticensis scilicet, Complutensis et Siguntinæ; quinque episcoporum; Doctorum quatuor. Ex iis nonnullæ favebant Molinianæ doctrinæ aliæ, ipsi adversabantur.

His munitus instrumentis, summus pontifex litem ordinari jussit, consultoribusque designatis, celebres præcepit inchoari Congregationes *de Auxiliis*, de quibus jam speciatim dicendum.

ARTICULUS II.

Congregationes de Auxiliis.

Anno 1590, supremum diem obierat Sixtus V. Ejus successores Urbanus VII, Gregorius XIV et Innocent IX, citiùs fato functi, ad sanctam Sedem evectus est anno 1592 Clemens VIII. Is est cujus jussu habitæ sunt celebres Congregationes, quæ *de Auxiliis* dictæ sunt, quia in illis exagitata potissimùm fuit quæstio, de auxilio divinæ gratiæ.

Sub initium Novembris 1597, designati sunt à pontifice consultores octo qui Molinæ librum seorsim per sese expenderent; tum subinde mutuò conferrent, ac de eodem libro judicium ferrent. Horum nomina fuerunt hæc. D. Fr. Propertius Resta de Talleacotio, episcopus Geruntinensis et Cariatensis. D. Fr. Julius Sanctutius à Monte Filatrono, episcopus Agathensis. Hi duo ex Ordine Franciscanorum ad episcopatum evecti fuerant. D. Lelius Landus Suessanus, episcopus Neritonensis. Fr. Henricus Sylvius, vicarius apostolicus Ordinis Carmelitarum. Fr. Franciscus Brusus, procurator generalis Ordinis S. Francisci. Fr. Joannes Baptista Plumbinus, procurator generalis Ordinis S. Augustini. Fr. Gregorius Nunnius Coronellus, ejusdem ordinis S. theologiæ doctor. D. Ludovicus de Creil, doctor Sorbonicus.

In horum numerum postea, absentibus Henrico Sylvio et Francisco Bruso supra nominatis, cooptati sunt. Fr. Jacobus le Bossu, *ordinis S. Benedicti, doctor Sorbonicus*. Fr. Joannes Antonius Bovius, *magister regens collegii romani Carmelitarum*. Fr. Hippolytus Masserius, *Ordinis Servorum*, postea ad episcopatum Montis Pelusii assumptus.

His præfecit pontifex eminentissimos cardinales *Ludovicum Madrutium* episcopum Tridentinum, qui concilio Trid. interfuerat, atque in ejus condendis canonibus plurimùm allaboraverat, et *Pompeium Arigonium*. Apud unum ex dictis cardinalibus semel quâvis hebdomadâ convenire jussi sunt consultores.

Isthæc celeberrima congregatio integris novem annis et octo mensibus perduravit; à die scilicet 2 februarii anni 1598 ad 28 augusti 1607, atque in quinque epochas claritatis gratiâ distribui potest; quid autem præcipui in his contigerit paucis exponendum.

Prima epocha. — Prima epocha extenditur à 2 februarii anni 1598 ad 13 martii ejusdem anni. Undecim complectitur Congregationes habitas coram selectis censoribus, præsidentibus Ludovico Madrutio et Pompeio Arigonensi.

Prima Congregatio celebrata fuit die 2 februarii; in eâ cardinalis Madrutius summi pontificis mandatum de expendendo Molinæ libro exposuit. Secunda, die 9 januarii; in eâ actum est de Molinæ scopo et principiis. Tertia, die 16 januarii; in eâ rursùs actum de Molinæ principiis. Quarta, 23 januarii; quæsitum fuit de illo principio « utrum concursus Dei generalis, sit « influxus in causas secundas, an potiùs cum « causis in earum effectus; et qualis sit Ludo« vici Molinæ de hâc re sententia. « Quinta, januarii; quæsitum, « utrum opinio Molinæ de « modo influendi per concursum Dei generalem « in actus liberi arbitrii, sit aliquâ censurâ di« gna. » Sexta, die 6 februarii; expensum fuit quid sentiret Molina de viribus liberi arbitrii cum solo concursu generali ad actus fidei, spei et charitatis. Septima, die 13 februarii, an mereatur censuram opinio Molinæ de actibus supradictis. Octava, die 20 februarii; doctrina Molinæ *de dono perseverantiæ* discussa fuit. Nona, die 27 februarii; ejusdem doctrina de efficaciâ gratiæ discussa fuit. Decima, die 6 martii; proposita quæstio, de opinione Molinæ

circa scientiam futurorum contingentium. Undecima, die 13 martii, de ejusdem opinione circa prædestinationem.

Posthæc, referente Augustino Leblanc, nec dissentiente Theodoro Eleutherio, decretorium consultorum judicium, his verbis pronuntiatum est : « Censemus è re catholicâ esse, ut liber « qui inscribitur *de Concordiâ liberi arbitrii cum « gratiæ donis*, etc, compositus à Ludovico « Molina et ejus doctrina omninò prohibeatur ; « atque idem censemus de Commentariis ejus « in primam partem sancti Thomæ, » etc.

Circa dictum de Molinæ libro consultorum judicium, Theodorus Eleutherius observat 1°, judicium illud non fuisse definitivum S. Inquisitionis judicium, sed meram duntaxat relationem et expositionem doctrinalem, sacro deinde sistendam tribunali, ut eâ expensâ, verorum tandem judicum suffragiis ad canonicam definitionem procederetur. Theologi enim, inquit, pro causâ Molinæ deputati, consultores, non judices fuerunt, litemque instruere, non dirimere potuerunt... Observat 2°, in hoc primo examine duos ex dictis consultoribus, Henricum Sylvium et Antonium Bovium Carmelitas, doctrinam Molinæ per omnia probâsse... Observat 3°, miratum pontificem tam citò de re gravissimâ dictam à consultoribus sententiam, librum maturiùs expendendum jussisse.

Undè in executionem decreti pontificii, versùs medium aprilis suas Congregationes resumpserunt consultores ; ad 22 usque novembris singulis septimanis convenêre, atque re iterùm expensâ priori suo judicio standum censuerunt, quapropter Coronello Congregationis secretario mandant ut censuram ordinet, cui postmodùm die 12 martii 1599 subscripsêre.

Interim 26 novembris 1598, Romam ex Hispaniâ appulerunt Ferdinandus Bastida et Christophorus Cobos Molinæ causam defensuri. Sanctitati supplicârunt Patres Societatis, ut sibi coram arbitris tantùm cum Patribus Dominicanis conferre liceret, si fortè totum istud negotium amicè componi posset ; votis annuit S. pontifex, iterùmque eminentissimum Madrutium disputationis moderatorem designat. Hinc novæ Congregationes quarum ordinem hîc indicabimus.

SECUNDA EPOCHA. — Secunda epocha continet Congregationes, seu veriùs amicas collationes à die 22 februarii an. 1599 ad diem 20 aprilis 1600 ; octo omninò numerantur. Habitæ sunt præside primùm solo cardinali Madrutio, cui postea adjuncti sunt cardinales Asculanus et Bellarminus, ille ex Ordine Prædicatorum, iste è Societate. Vocati sunt ex parte Dominicanorum, magister generalis Hieronymus Xaviere, Didacus Alvares, Raphael à Ripâ ; ex parte verò patrum societatis, Præpositus generalis Claudius Aquaviva, Michael Vasquez, Petrus Arrubal.

In primâ collatione habitâ die 22 februarii an. 1599, cardinalis Madrutius brevi sermone exposuit seriò cogitare S. pontificem de componendis doctrinæ dissidiis inter utrumque ordinem ; ad id opus esse, ipsum verum dissentionis cardinem clarè discernere; quare injunxit Patribus tam Dominicanis quàm Societatis, ut quamprimùm tria pararent scripta, quorum primo propriam sententiam dilucidè exponerent, altero aperirent quid in adversariorum sententiâ reprehenderent, postremò continerentur præcipua rationum momenta, tum ad adstruendam propriam sententiam, tum ad oppositam impugnandam. Post hæc dimissa est à cardinali prima hæc Congregatio.

In secundâ collatione die ultimâ februarii ejusdem anni 1599, apud card. Madrutium convenerunt prælaudati generales cum sociis. Sex Molinæ propositiones designavit magister generalis Prædicatorum, quas Ordinis sui theologis erroneas videri asseruit. Causam Molinæ tunc non agi reposuit Societatis præpositus, atque propositiones æquè censurâ dignas in Bannesio reperiri; subjunxit, velle ac jubere summum pontificem, ut de auxiliorum efficaciâ primùm tractetur; cæterùm paratum se de Molinæ sententiâ dicere, cùm primùm de naturâ auxiliorum ipsi dixissent. Collationem absolvit card. Madrutius.

Inter hæc die 4 martii congregatis coram pontifice cardinalibus sancti Officii, Madrutius retulit quid in superioribus conventibus gestum fuisset, quidve postularent Patres Dominicani, quid verò Patres Societatis. Dedit pontifex duos alios collationis arbitros, cardinales Bernarium et Bellarminum, qui unà cum Madrutio sequentibus colloquiis præessent, atque dissidentes partes ad unitatem et concordiam adducere conarentur.

In tertiâ collocatione habitâ die 29 martii 1599, convenerunt coram tribus cardinalibus utriusque Ordinis generales ac theologi. Card. Madrutius octo propositiones ex apologiâ Dominicanorum desumptas, utrique parti expendendas proposuit, ut et doctrina Molinæ discuteretur, et quid utraque pars de gratiâ sentiret, aperiretur. Sex itidem quæstionum capita de

gratiâ et libero arbitrio proposuit Bellarminus; ast quæstionibus Bellarmini respondere detrectârunt Dominicani, quin priùs Madrutii propositionibus respondissent Jesuitæ.

Novam hanc incidentem controversiam coram pontifice exposuit Madrutius in Congregatione sancti Officii ad diem 15 aprilis. Auditis omnibus, petitioni Patrum Prædicatorum annuit pontifex; jussit ergo Patres Societatis priùs respondere ad quæsita Dominicanorum, tum ipsos Dominicanos quæsitis Patrum Societatis satisfacturos.

Itaque in quinque sequentibus collationibus, tum hoc anno 1599, tum altero 1600, usque ad 20 aprilis habitis, propositiones octo, quas Dominicani obtulerant, contradictoriè expensæ fuerunt, communicatis hinc et inde cardinali Madrutio memorialibus, à Patribus Societatis contra physicam prædeterminationem, à Dominicanis verò contra doctrinam Molinæ.

Interim moritur cardinalis Madrutius 20 aprilis 1600, sicque abrumpuntur institutæ collationes; novumque instauratur libri Molinæ examen, seu potiùs primi recognitio.

Tertia epocha. — Complectitur Congregationes celebratas à die 27 aprilis an. 1600 ad 20 martii 1602 : septuaginta septem habitæ sunt, præside primum Propertio Restâ, postea verò Julio Sanctutio.

Solutis morte card. Madrutii amicis partium collationibus, Gregorius Coronellus prolixiorem libri Molinæ *de Concordiâ* censuram à se elaboratam Clementi VIII obtulit, adversùs illam quæ jubente pontifice Molinæ procuratoribus communicata fuerat. Illicò communibus libellis plurima exceperunt iidem procuratores; intercessit et præpositus generalis Societatis, supplici libello suæ Sanctitati exponens tredecim assertiones per summam injuriam Molinæ affingi, locis allegatis in quibus Molinam contrarium diserte scribere contendebat.

Talibus S. pontifex motus consuetos Molinæ censores adsciri jussit die 25 aprilis 1600, iisque tria injunxit, 1° ut maturiori examine adornatam à Coronello Congregationis secretario censuram recognoscerent; 2° ut eam semel recognitam, in breviorem formam contraherent, propriis indicatis Molinæ verbis; 3° ut illam, si in priori judicio persisterent, propriis nominibus subscriptam ad se deferrent.

His ita constitutis, convenêre consultores die 24 aprilis, atque in 20 Congregationibus usque ad diem 3 julii habitis, præside Propertio Restâ episcopo Cariathensi, post variam censuræ recensionem castigationemque, eam in longe breviorem formam redegerunt, quâ 20 duntaxat Molinæ propositiones notabantur, cùm multò plures damnarentur in prolixâ Coronelli censurâ, scilicet 60 circiter, aut, ut aliis placet 90. Consultores, uno aut altero exceptis, censuræ subscripserunt die 9 septembris, eamque ad summum pontificem 12 octobris detulêre. Molinæ procuratores aliique ejus defensores, re compertâ, rursùm conqueruntur de consultoribus, atque oblatis pontifici libellis suppliciter postulant dari sibi judices, qui suas adversùs ista censorum judicia exceptiones audirent. Hinc novæ institutæ Congregationes à pontifice. A die 25 januarii anni 1601 ad 10 novembris 47, habitæ sunt, quibus primùm præfuit Propertius Resta, sed post 24 morbo atque paulò post morte correptus, cæteris præfuit Julius Sanctutius de Monte Filatrano, et ipse quoque episcopus et consultor. Adfuêre supradicti consultores; excepto Bruso, in cujus locum suffecti sunt Joannes de Rada et Hieronymus Palenterius, ambo ex Ordine sancti Francisci. Iis in Congregationibus auditæ sunt ambæ partes ex mandato S. pontificis Clementis VIII; adfuerunt disputaturi ex parte Dominicanorum, Didacus Alvares et Thomas de Lemos : ex parte verò Societatis, Petrus Arrubal, Christophorus Cobos; et Gregorius de Valentiâ.

Dictam in 20 Molinæ propositiones censuram, exceptis Joanne Plumbino et Antonio Bovio, probârunt adhuc consultores; huicque subscripsêre die 19 Novembris an. 1601, eamque die 5 decembris S. pontifici exhibent. Verùm nec adhuc sedatæ fuerunt de consultoribus, eorumque censurâ querelæ. Iterùm conquesti sunt Molinæ defensores, se nondùm satis esse auditos, sufficienter examinatam non fuisse Molinæ doctrinam, genuinum ipsius sensum assecutos non fuisse censores, etc. Has et alias exceptionis causas fusè prosecuti sunt Societatis Patres in libello supplici universæ Societatis nomini Clemente VIII tunc temporis oblato. His motus pontifex petitioni annuit, atque Molinæ doctrinam ad novum examen revocari jussit. Cæterùm novum istud examen coram suâ Sanctitate, auditis utriusque partis theologis, habendum esse edixit, ut scilicet rem totam per se ipse cognosceret, causâque contradictoriè discussâ, pronuntiandæ juridicè sententiæ viam sibi pararet.

Epocha quarta. — Celeberrima est isthæc epocha; quartam complectitur causæ cognitio

nem ab anno 1602 ad 22 januarii anni 1605, coram Clemente VIII sexaginta octo congregationibus habitam.

Præfuit his congregationibus Clemens ipse papa VIII; assidebant duo eminentiss. cardinales supremi inquisitores, Camillus Burghesius, qui postea ad Petri cathedram sublimatus fuit Pauli V nomine, et Pompeius Arigonius. Sextæ et sequentibus congregationibus, præter dictos cardinales Burghesium et Arigonium, interfuêre etiam cardinales Asculanus, Pinellus, Sfondratus de Avila. Hæc erat tota congregatio sancti Officii, uno excepto card. Bellarmino, qui jam antea Capuam accesserat, cui diœcesi à S. pontifice præfectus fuerat. Ad 55 Congregationem vocati sunt præterea cardinales de Givry, Taberna, de Monopoli. Ad 65 card. de Bufalo. Ad 67, card. du Perron. Ad 69, cardinales Aldobrandinus, Bellarminus, Blanchettus. Ad 82, card. Zapara.

Censores episcopi quinque adfuerunt : Lombardus archiepiscopus Armachanus, Lælius Suessanus episcopus Neritonensis, Julius Sanctutius episcopus sanctæ Agathæ, Hippolytus Masserius episcopus Montis Pelusii, Basilius Pignatellus episcopus Aquilanus. Censores theologi novem : duo doctores Sorbonici, Ludovicus de Creil, Jacobus le Bossu; duo ex ordine sancti Augustini, Joannes Plumbinus, et Greg. Coronellus; duo ex Ordine sancti Francisci, Joannes de Rada, et Hieronymus Palanterius; Anastasius Brixiensis Ordinis sancti Benedicti, Antonius Bovius Carmelita, et Anselmus de Monopoli procurator Generalis Capucinorum, postea S. R. E. cardinalis.

Ex parte Prædicatorum interfuêre, Hieronymus Xaviere magister generalis Ordinis, Didacus Alvares, et Thomas de Lemos; ex parte societatis, Claudius Aquaviva, Præpositus generalis, Greg. de Valentia, Petrus Arrubal, Ferdinandus Bastida, Joannes de Salas.

Is fuit Congregationum ordo. Duodecim scripta exarari curaverat R. pontifex Clemens VIII, ad materiam Congregationibus subministrandam; discutienda Molinianæ doctrinæ capita complectebantur hæc scripta; ex iis, prout opportunum videbatur S. pontifici, expendendæ postmodùm in congregationibus propositiones extrahebantur, atque à secretariis ad consultores, Ordinum generales, et theologos pro utrâque parte disputaturos, aliquot ante Congregationem diebus deferebantur. 2° Sua utrique theologi argumenta et responsa parabant, quæ designatâ die in publicis Congregationibus de scripto recitabant; quæcumque verò in transcursu disputationis utrinque opponebantur, urgebantur aut excipiebantur, ex tempore resolvere conabantur adversæ partes. 3°. Finitâ disputatione egrediebantur foras generales cum sociis; tuncque in eâdem Congregatione recensitis coram pontifice et cardinalibus Inquisitoribus Consultorum suffragiis, ferebatur censura, sud gravissimis pœnis pontifice secretum omnibus præcipiente.

Atque istud tertium ad sextam usque duntaxat Congregationem servatum fuit; namque post Congregationem sextam usque ad ultimam, unà cum disputatione theologorum dissolvebatur tota Congregatio, dieque proximè sequenti censores designati ad censuram quæstionis die præcedenti discussæ conveniebant.

His de dignitate et ordine harumce Congregationum præmissis, jam quid præcipui in singulis actum sit, compendio hîc exhibemus.

Prima Congregatio habita fuit die 20 martii 1602. In eâ 1°, expendendæ ac judicandæ causæ dignitatem exponit Clemens VIII; 2° duos instituit Congregationis Secretarios, Gregorium Coronellum Ordinis S. Augustini, et Anastasium Brixiensem Ordinis sancti benedicti ; 3° disputant Alvares et Valentia. Secunda nonnisi elapsis tribus postea mensibus cum dimidio celebrata fuit, 8 julii ejusdem anni. In eâ et subsequentibus Congregationibus, loco Alvaresii accessit Thomas de Lemos disputaturus contra Valentiam, aliosque Molinæ defensores, Tertia habita fuit die 9 julii ejusdem anni 1602. Quarta, die 22 julii. Quinta, die 23 ejusdem mensis. Sexta, die 6 augusti. Septima, die 17. Octava, die 20. Nona, die 2 septembris. Decima, die 3 ejusdem mensis.

In his Congregationibus, jubente S. pontifice, doctrina Molinæ circa vires liberi arbitrii ad septem propositiones redacta, expensa fuit, et cum doctrinâ sancti Augustini collata Doctrinam Molinæ impugnavit Lemos ; eam verò qnoad omnia capita à censurâ saltem vindicare aggressus est Greg. de Valentia.

Circa hæc tempora contigêre supremus morbus et mors Gregorii de Valentiâ. Quæ de potenti vertigine, quam passus fuit coram Clemente VIII ab Augustino Leblanc narrantur, veluti meram fabulam sugillat Theodorus Eleutherius, eâ præsertim de causâ, quòd Secretarii Congregationum qui minutiora quæque dicta vel facta conscripserunt, imò ne ipse quidem insignis Jesuitarum adversarius Pegna,

nihil de eo meminerunt. Valentiæ suffectus est Petrus Arrubal.

Undecima Congregatio habita est die 30 septembris ejusdem anni 1602. Duodecima postridiè celebrata fuit die primâ octobris. Disceptationis in hâc et superiori Congregatione argumentum, hoc erat : « An in libris sancti Augustini legatur constitutam esse à Deo legem « infallibilem cum Christo Filio suo, ut quoties « homo solis naturæ viribus fecerit totum quod « in se est, Deus illi tribuat gratiam. » Decima tertia habita fuit die 14 novembris 1602. Decima quarta, die 19 ejusdem mensis et anni. Decima quinta, die 9 decembris. Decima sexta, die 10 decembris. Decima septima, die 16 ejusdem mensis. Decima octava et ultima anni 1602, incidit in diem 17 decembris. Decima nona habita fuit die 20 januarii 1603. Vigesima, die 21 januarii. Vigesima prima, die 27 ejusdem mensis. Vigesima secunda, die 28. Vigesima tertia, die 17 februarii. Vigesima quarta, die 18. Vigesima quinta, die 14 aprilis. Vigesima sexta, die 15. Vigesima septima, die 5 maii. Vigesima octava, die 6.

In his sexdecim postremis Congregationibus doctrina Molinæ cum Cassiani doctrinâ collata fuit ; scilicet decimâ tertiâ Congregatione propositis jussu S. pontificis 14 articulis, sigillatim postmodùm quæsitum fuit an in his Molina cum Cassiano conveniret.

Vigesima nona celebrata fuit die 9 junii ejusdem anni 1603. Trigesima, die 10 junii. Trigesima prima, die 23 ejusdem mensis. Trigesima secunda, die 24. Trigesima tertia, die 10 novembris 1603 ; in eâ loco Arrubal disputaturus accessit Ferdinandus de Bastida. Trigesima quarta, die 11 novembris. Trigesima quinta, die 18 novembris. Trigesima sexta, die 19 novembris. Trigesima septima, die 25. Trigesima octava, die 26. Trigesima nona, die 8 decembris. Quadragesima et ultima hujus anni 1603. Congregatio celebrata fuit die 9 ejusdem mensis decembris.

Anno sequenti 1604, viginti quatuor habitæ sunt Congregationes eodem præsente S. pontifice Clemente VIII et anno 1605 usque ad 22 januarii inclusivè, rursùs quatuor ; sicque usque ad mortem Clementis VIII, quæ contigit die 4 maii ejusdem anni, universim 68 coram S. pontifice solemnes celebratæ sunt Congregationes ; triginta septem duntaxat numerat Theodorus Eleutherius. In decem postremis Congregationibus agitata fuit celeberrima de scientiâ mediâ disputatio. Tria sigillatim excutienda suscepit Ferdinandus de Bastida Primum an omnia futura libera conditionata à Deo cognoscantur. Secundum, an cognoscantur certâ et infallibili cognitione. Tertium an hæc certa et infallibilis cognitio in Deo sit ante absolutum divinæ voluntatis decretum. Observavit Lemos in hoc uno tertio verti cardinem difficultatis quæ circa præsens caput Dominicanos cum Molinæ defensoribus committit.

Epocha quinta.—Ultima hæc epocha includit Congregationes sub Paulo V celebratas à die 14 septembris anni 1605 ad diem 28 augusti 1606, quo demùm tempore solutæ sunt famosæ illæ Congregationes.

Clemente VIII die 4 martii 1605 è vivis sublato, ad supremum apostolicæ Sedis fastigium sublimatus fuit 1 aprilis sequentis Alexander Medicis, dictus Leo XI, isque citiùs diem extremum clausit, 25 ejusdem mensis.

Huic sub nomine Pauli V, proximè successit die 5 Maii Camillus Burgesius, qui tot illis, quibus interfuerat, celebratis coram Clemente VIII Congregationibus, perfectam controversiæ discutiendæ ac definiendæ cognitionem hauserat. Exploratis per quatuor fermè primos pontificatûs sui menses doctorum consiliis, variisque supplicibus libellis acceptis ; tandem seriò cogitavit de resumendâ causâ, novisque instituendis Congregationibus. Septemdecim coram ipso habitæ sunt, in quibus ex professo agitata est controversia de gratiâ ex sese efficaci et physicè prædeterminante.

Prima itaque Congregatio coram Paulo V celebrata fuit die 14 septembris an. 1605. In eâ, 1° quæ hactenùs in præsenti causâ gesta fuerant compendio retulit Coronellus Congregationis secretarius. 2° Actum de modo procedendi in isto negotio. 3° Decrevit pontifex agendum de scripto in 15 capita diviso, quod pro ultimæ concertationis argumento partibus utrinque disputaturis communicari jusserat Clemens VIII, quodque manu propriâ subscripserat, in hæc verba : « An ista sit doctrina sancti « Augustini in materiâ gratiæ. Clemens VIII « papa pro proximâ Congregatione. » Secunda habita fuit die 20 septembris ; actum de dicto scripto in 15 articulos distributo. Primus in ordine dixit Ferdinandus de Bastida ; genuinam sancti Augustini doctrinam iis 5 articulis contineri fassus est, quinto duntaxat excepto, qui sic se habet : « Hæc gratia habet suam efficaciam ab omnipotentiâ Dei, et à domino « quod sua divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera quæ sub cœlo

sunt. » Bastidam excepit Thomas de Lemos, scripti auctoritatem plurimùm commendavit, illudque secundùm omnes articulos absolutissimum esse Augustinianæ doctrinæ compendium demonstrare aggressus est. Incubuit potissimùm in quinto articulo, quem à germanâ sancti Augustini doctrinâ omninò alienum esse pronuntiaverat Bastida, propter particulam *sicut,* quæ ipsi videbatur indicare similitudinem inter modum quo Deus movet voluntatem, et modum quo movet cætera quæ sub cœlo sunt. Tertia, die 21 septembris; suum de dictis articulis iudicium proferunt Consultores. Quarta, die 12 octobris in eâ generatim actum de gratiâ ex se efficaci et prædeterminante. Disputationis argumentum utriusque partis theologis transmissum, in hæc verba conceptum erat : « An Deus suâ efficaci gratiâ moveat hominis voluntatem ad actus liberos bonos, « non solùm interiùs suadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo ; sed « etiam verè et activè propriè, salvâ tamen humanâ libertate? et an talis efficax gratia convenienter ab aliquibus scholasticis, physicè « prædeterminare dicatur ? » Quinta, die 15 octobris ; latum de propositâ quæstione Censorum judicium. Sexta, die 26 octobris ; de gratiâ ex se efficaci speciatim agitur, et quidem ex sacris Scripturis. Septima, die 9 novembris ; actum de eâdem gratiâ ex se efficaci, ex mente conciliorum, ac præsertim concilii Tridentini. Octava, die 22 novembris ; actum de gratiâ efficaci, ex mente sancti Augustini. Nona, die 29 novembris ; de tribus superioribus disputationibus judicium pronuntiant Consultores. Decima, et ultima hujus anni 1605, habita fuit die 14 decembris ; actum fuit de gratiâ ex se efficaci, ex sanctis Patribus, tum græcis, tum latinis. Undecima, 3 januarii 1606, latum censorum judicium. Duodecima, die 10 januarii ; de gratiâ ex se efficaci cum Calvini erroribus collatâ disputatum fuit. Decima tertia, die 25 januarii ; actum de eâdem gratiâ efficaci, ex rationibus theologicis. Quartadecima, 1 februarii, Censores suam dixère sententiam. Decima quinta, die 15 februarii ; iterùm actum de gratiâ efficaci, ex S. Thomâ. Decima sexta, die 22 ejusdem mensis ; rursùs de eâdem, ex doctoribus scholasticis. Decima septima, die 1 martii ; de duabus præcedentibus disputationibus judicant Consultores.

Hic fuit finis solemnium illarum Congregationum, in quibus Consultores auditis priùs hinc et inde theologorum momentis censorium judicium pronuntiârunt ; patet autem præter tot congressus et collationes quibus per quatuor et ampliùs annos absente summo pontifice ventilatæ sunt arduæ ac difficiles de auxiliis quæstiones ; insuper 85 coram Clemente VIII et Paulo V solemnes ac publicas de eodem argumento celebratas fuisse Congregationes.

Quid porrò supradicti summi pontifices pronuntiaverint ; quid etiam eminentiss. cardinales de re totâ judicaverint ; quid senserint deputati à sanctâ Sede Consultores ; in quam denique partem inclinaverint celeberrimæ orbis christiani academiæ, ex dicendis articulo sequenti planum fiet.

Articulus III.

Exitus Congregationum.

Absolutis disputationibus R. pontifex Paulus V voluit ut Consultores separatim, ac nulla inter sese habitâ consultatione, hæc scriptis mandarent, 1° *quid fide in hâc de libero et arbitrio ac gratiâ efficaci materiâ tenendum esset ; quid damnandum, quâve ratione ; quâ parte ab hæreticis Catholici differant.* Tertium adjicit historicus Leblanc lib. 4, cap. 15, *quis modus in edendo pontificio diplomate servari posset.* Ut autem secretò omnia hæc peragerentur injunxit pontifex, ne, inquit, judicia et vota consultorum *quæ nullo modo divulganda censemus, alicui possent innotescere.* In executionem pontificii mandati sex fermè menses consumpsère Consultores, ab initio scilicet martii 1606, ad finem augusti ; quo tempore uniuscujusque judicia propriis sigillis munita suæ Sanctitati data sunt. Uno excepto Antonio Bovio, cæterorum omnium concors fuit, inquit idem historicus, de damnandis Molinæ opinionibus sententia.

Jussit posthâc S. pontifex, nequid ultra pro rei gravitate desiderari posset, pergit Augustinus Leblanc, ut Consultores convenirent simul, atque doctrinam pontificio diplomate sanciendam, quâ majori posset perspicuitate ac brevitate pararent ; iisque archiepiscopi Armachani ædes designavit, ubi extremæ illæ collationes haberentur. Novies convenère integro mense, nempè à die 19 octobris ad diem 19 novembris ejusdem anni 1606, atque in eâdem de damnandis propositionibus opinione firmi steterunt.

Notatas propositiones, nec satis distinctè dispositas, nec satis clarè ac breviter expressas pro bullæ pontificiæ conditione, judicavit Paulus V ; eas ergo, inquit prælaudatus histo-

ricus, denuò expendi, distinctiorique methodo ordinari jussit. In id integris octo mensibus insudatum, ad finem scilicet julii anni sequentis; sicque recognitæ propositiones, jubente pontifice, cardinalibus qui Congregationibus interfuerant, exhibitæ sunt, de iis postmodùm constituto tempore judicium laturi.

His porrò peractis, eosdem eminentissimos cardinales ad hujusce causæ cognitionem adscitos, convocavit Paulus V, die 28 augusti anni 1607, et inquisivit num expediret ultimum præsenti controversiæ finem imponere. Quid in hâc omnium ultimâ Congregatione actum, quidvè conclusum fuerit à pontifice et cardinalibus, servato inviolabilis silentii secreto, manet adhuc ignotum, nec ullis monumentis certò resciri potest. « Quid in hâc Congrega« tione deliberârint » (pontifex et Cardinales) verba sunt abbatis Leblanc, « ex Coronelli « commentariis rescire non possumus... Fuè« re qui dicerent pontificem et quinque cardi« nales pro apostolicæ definitionis promulga« tione pronuntiâsse, quatuor intercessisse. « Verùm quid certò rei fuerit probavit eventus; « Paulus enim vocatis post diem tertium præ« positis ordinum, litem omnem dato fiduciario « rescripto in suspenso posuit. » Eo in decreto S. pontifex 1° utrique parti permisit propriam defendere ac propugnare sententiam; 2° prohibuit alterutram hæreseos aut alterius censuræ notâ insimulare, donec aliter à sanctâ Sede definiretur; 3° ab eodem pontifice cautum paulò post, ne circa hanc materiam ullus typis mandaretur liber absque sanctæ Sedis licentiâ. Et hic fuit Congregationum *de Auxiliis* exitus.

Tria gravissimi momenti occurrunt hîc expendenda, quæ quidem totidem quæsitis paucis discutiemus.

Quæres itaque 1°, an finitis disputationibus *de Auxiliis* sancitum fuerit apostolicum judicium, atque lata in Molinæ doctrinam censura. Contendunt nonnulli cum historico Leblanc, lib. 4 de Auxil. cap. 15 et sequent., 1° absolutis die primâ martii 1606, Consultorum Congregationibus, rem totam cardinalium consilio commissam fuisse die 8 ejusdem mensis martii; num scilicet expediret ut decretorio sanctæ Sedis judicio finiretur controversia; atque à duodecim cardinalibus qui huic aderant Congregationi, decem pro ferendâ definitione pontificiâ pronuntiâsse; duos verò intercessisse, Perronium videlicet ac Bellarminum. 2° Paulum V. majoris partis cardinalium suffragia secutum, delineandæ bullæ pontificiæ curam Consultoribus commisisse, quam illi, ut mox notavimus, diligenti studio elaboratam S. pontifici circa finem julii anni sequent. 1607, obtulerunt; cujus transumpta ad cardinales in Congregationem Auxiliorum adscitos deferri voluit pontifex ut et ipsi constituto tempore sententiam dicerent. 3° Instructo sancitoque judicio, de solemni promulgatione actum esse; cum in finem eosdem eminent. card. denuò convocatos fuisse die 28, augusti anni 1607. E duodecim, qui superioris anni congregationi interfuerant, novem hic aderant; quinque cum pontifice cardinales pro apostolicæ definitionis promulgatione pronuntiaverunt, quatuor intercessère. Unde citato lib. de Auxiliis cap. 19, affirmatè concludit idem historicus, « diploma confectum... « bullam paratam..... judicium sancitum, so« lamque defuisse promulgationis solemnita« tem; adeò ut profectò timendum Jesuitis sit « ne ex sacris Vaticani tabulis erutum Pauli V « diploma Pontificium, successorum aliquis, « nullo alio instructo examine, denuntiet. »

Alii è contra cum Theodoro Eleutherio lib. 6 de Auxil. cap. 23, docent 1° finitis de gratiæ auxiliis disputationibus, unicam tantùm habitam fuisse die 28 augusti 1607, coram pontifice cardinalium Congregationem, servato inviolabilis silentii secreto..... 2° Bullam Pauli V, speciosè ab adversariis jactatam, prorsùs esse commentitiam; nihil aliud esse quàm rudem adhuc et minùs digestam bullæ ideam à Consultoribus proprio marte et absque ullo pontificis jussu efformatam..... 3° Quidquid sit de prætensâ illâ Pauli V bullâ, eam certè à pontifice et cardinalibus nusquàm fuisse admissam aut probatam, imò magis neglectam atque penitùs explosam ac rejectam.

Tertium istud, quod caput est, et in quo versatur difficultatis cardo, multis probant hujusce sententiæ defensores. 1° Ex ipsis rescripti verbis, quod post diem tertium ab ultimâ cardinalium Congregatione, communicari jussit Paulus V præpositis Dominicanorum et Jesuitarum; eo in decreto nullatenùs significat S. pontifex sententiam jam à se latam, instructumque judicium, sed ait duntaxat, « se suo tem« pore editurum declarationem ac determina« tionem suam; » severè interim cavet, « ne « quis partem alteram qualificare, aut censu« rare præsumat. » Ergo, etc.

2° Ex communi Epistolâ regii Hispaniarum Oratoris, Francisci Pegna, et Th. de Lemos Romæ scriptâ die 8 januarii 1608, ad Hispa-

nos episcopos, Inquisitores, cæterosque viros religiosos. In eâ sic legitur : « Certissimum est, « circa auxiliorum controversiam, nihil à S. « D. N. definitum esse; imò post reservatam « sibi determinationem, eam etiamnum animo « meditatur et tractat. » Nihil certè disertius ut commentitia ostendatur prætensa hanc in rem Pauli V bulla. Dictam Epistolam de verbo ad verbum exscribit Aug. Leblanc lib. 4 de Auxil. cap. 20, hancque semel et iterùm legisse Paulum V, et in eum quo extat modum emendâsse, ibidem testatur.

3° Quinquennio post solutas Congregationes anno 1612, Patres Dominicani pro controversiæ definitione libellum supplicem suæ Sanctitati obtulerunt; in eo altum de latâ bullâ, sancito diplomate, silentium; cùm tamen circumstantiæ loci et temporis postularent, ut illius, si quod extitisset, mentio fieret.

4° Alvares, Gonzales, Nazarius, Cabezudo, Pegna, aliique Jesuitarum æmuli, qui post finitas proximè Congregationes scripserunt, quique minutissima recensent quæ in doctrinæ Dominicanorum commendationem utcumque conducere existimabant, prædictæ bullæ nullatenùs meminerunt; nonnisi elapsis quadraginta et ampliùs annis de eâ mentio habita est; cùm scilicet Paulus V adscitique in Congregationem Auxiliorum cardinales et Consultores omnes è vivis excessissent. Hinc certè exurgit non leve suppositionis præjudicium.

5° Ut finitis disputationibus sancitum fuisse pontificium diploma demonstretur, non satis est ostendere Consultores ideam bullæ efformâsse; ostendendum foret insuper papam et cardinales instructam hanc bullam approbâsse ac confirmâsse; ut enim notum est, in romanis Congregationibus Consultorum officium est litem instruere, non dirimere; vocem habent consultativam, non decisivam; consiliarii sunt; non verò judices, eo ferè modo quo in supremis curiis advocati consultores; porrò nullo authentico monumento constare potest pontificem et cardinales elaboratam à Consultoribus bullæ ideam approbâsse; quid enim in ultimâ cardinalium Congregatione conclusum fuerit, servato inviolabili secreto, nulli unquàm revelatum fuit, *neque id*, ipso fatente abbate Leblanc, *ex Coronelli commentariis rescire possumus;* ergo, etc. Et verò, ipso historico teste, voluit S. pontifex : *ut secretò omnia peragerentur, sub pœnâ excommunicationis;* bulla ergo, si quæ lata fuit, omninò mansit occulta; ac proinde illa quæ inter Coronelli scripta refertur, tanquàm pontificium diploma immeritò obtruditur.

6° Innocent. X solemni decreto 1654, de quo deinceps, pronuntiat « autographo assertæ « Constitutionis Pauli V, aliisque assertis actis « Francisci Pegnæ, Fr. Thomæ de Lemos, » etc., quibus prædictæ bullæ historia superstruitur, « nullam esse omninò fidem adhibendam; » ergo, etc.

7° Esto sancitum fuerit pontificium diploma, ast quâ tandem ratione extundi poterit, inquit Eleutherius, potiùs Jesuitis quàm Dominicanis fuisse adversum? Equidem præjudicium erat contra Molinam, consultorum suffragium; verùm, pergit idem historicus, 1° præterquàm quòd de his Consultoribus multùm et pluries conquesti sunt Societatis Patres in libellis supplicibus Clementi VIII et Paulo V oblatis; promiserat S. pontifex controversiam non ex horum judicio, sed ex supremâ Sedis apostolicæ auctoritate, auditis utrinque partibus esse finiendam. 2° Consultorum suffragium non fuit omninò concors; sæpè à pontificibus Clemente VIII et Paulo V, ad incudem remissum, sæpè et notabiliter variatum, semper cum quâdam præproperâ festinatione latum. 3° Favebant Jesuitis contra Dominicanos, ut mox dicemus, plerarumque academiarum Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ, etc., sancita ac sacræ Congregationi submissa judicia.

Jam verò si tandem latum supponatur pontificium diploma, quis certò affirmare possit, Paulum V Consultorum suffragia tot celeberrimarum academiarum judicio prætulisse? Perperàm ergo assertivè pronuntiat historicus Leblanc, judicium sancitum fuisse cui sola desit promulgatio; « adeò ut profectò timendum « Jesuitis sit, ne ex sacris Vaticani tabulis eru« tum, Pontificum aliquis, nullo alio instructo « examine, denuntiet. »

Quæres 2°, in quam partem Consultores, Ordines religiosi, academiæ, cardinales et SS. pontifices inclinarent; Dominicanis an Jesuitis faverent. Respondeo 1° in toto Congregationum decursu Consultores omnes, exceptis Henrico Sylvio, Antonio Bovio, Baptistâ Plumbino et Episcopo Aquilano, omnes in censuram constanter propensos fuisse, adeò ut si R. pontifex judicium Consultorum sequi maluisset, profectò Molinæ librum, ejusque dogmata proscripsisset. Hoc extra dubium manere debet, in eoque consentiunt historici Leblanc et Eleutherius. Respondeo 2°, plures ordines religiosos favisse doctrinæ Patrum

Societatis. Ita disertè testantur Patres Benedicti collegii S. Vincentii Salmanticæ, in Epist. datâ 31 julii an 1600 ad Ordinis sui procuratorem generalem Romæ commorantem. Hanc Epistolam et alias Augustinianorum et Franciscanorum, quibus idem evincitur, ex integro refert Eleutherius lib. 2 de Auxil. cap. 11. Idem non obscurè colligitur ex Lemos Panopl. tom. 1, tract. 6, cap. 2, ubi de Molinæ Concordiâ hæc habet : « Liber ille novam (ut videbatur) continens doctrinam à quampluribus acceptatus « fuit, et ejus dogmata amplexata, ita ut « in communibus disputationibus publicisque « congressibus, imò et in scholis nihil aliud « audires, quàm hanc Molinæ doctrinam. » Respondeo 3°, quod spectat orbis catholici academias : 1° Quinque celebriores sunt in Hispaniâ Universitates, Complutensis, Siguntina, Hispalensis, Vallisolenata, Salmaticensis. Duas priores Molinæ favisse, ipse in suâ hist. lib. 1, cap. 19, non diffitetur Aug. Leblanc; Hispalensem et Vallisoletanam ipsi etiam Molinæ libro favisse, authenticis harumce academiarnm monumentis ostendit Eleutherius lib. 2, cap. 13.... Restat celeberrima Salmaticensis academia; hanc pro Dominicanis stetisse contendit Aug. Leblanc; negat verò Theodorus Eleutherius; alii incertum esse illius judicium censent, probabiliusque neutri parti favere.

In Germaniâ septem Universitates, ipso fatente abbate Leblanc, pro Societatis sententiis censuras et judicia Romam miserunt, Moguntina scilicet, Herpybolensis, Ingolstadiensis, Dilingana, Viennensis, Græcensis, Trevirensis; quibus accessit Mussipontana in Lotaringiâ. In Italiâ, nullam pro Dominicanis affert Aug. Leblanc; juxta Eleutherium et auctorem libri cui titulns : *Questions importantes*, Bononiensis academia pro Jesuitis stabat.

In Belgio, Lovaniensis et Duacensis academiæ, si constanter adhæserunt censuris contra Lessium et Hamelium latis, infensæ sanè erant Molinæ opinionibus; certum tamen est nonnullos in illis fuisse theologos Bannesio et præmotioni adversos. Ita Duaci Westhonus Anglus et Lovanii Malderus, qui et episcopus fuit Antuerpiensis.

Quid autem censuerit celeberrima per Europam S. Facultas Parisiensis, non omninò certum. Binas quidem abbas Leblanc adducit epistolas sub nomine Duvallii 1602, quæ si genuinæ sunt, profectò evincunt Facultatem propugnâsse præmotionem physicam; sed hæ falsi arguuntur ab Eleutherio; 1° quia Gamachæus 1, 2, q. 111, art. 6; Isambert. tract. de grat. cap. 7; Habert. Vabrensis episcopus theologiæ græcor. Patrum lib. 2, cap. 17, parag. 4; Hallerius, ipsemet Duvallius, cæteraque Facultatis lumina in scriptis publicè editis constanter rejiciunt et impugnant præmotiones physicas. Quin et illustriss. Habertus loco mox citato, de iis loquens ait : « Theologorum « catholicorum pars longè numerosior, Sorbonica præsertim cathedra et palæstra, non « aliâ graviori de causâ prædeterminationi physicæ bellum inducit, quàm metu admittendæ, per ipsius veluti porticum necessitatis. » 2° Illustriss. Rosa Sylvanectensis episcopus dùm Romæ extaret labente an. 1601, publicè et R. pontifici testatus fuit Molinæ doctrinam communiter propugnari in facultate parisiensi; imò eam ipse propugnavit thesibus publicis in actu Resumptæ 1602. 3° In actis Pegnæ, Lemos, Coronel. Bossutii, etc., nulla prædictarum epistolarum mentio habetur, quanquàm eas laudandi non semel occurrat occasio, maximè ad elevandam præfatam Sylvanectensis episcopi declarationem.

Respondeo 4°, cardinales Perronium et Bellarminum constanter favisse Jesuitis. Id certum, nec diffitetur Aug. Leblanc; ast cæteros omnes ipsis fuisse adversos contendit; quod saltem de plerisque negat Eleutherius; addit, qui in ultimâ Congregatione decretoriè pronuntiaverint cardinales, « servato inviolabilis si« lentii secreto, nulli unquàm mortalium reve« latum fuisse. »

Respondeo 5°, initio Congregationum, fatentibus Molinæ vindicibus, Clementem VIII Moliniana dogmata improbâsse; verùm contendunt sub finem disputationum, re per sese inspectâ, animum mutâsse: idque ex eo colligunt, quòd in libro Molinæ de Concordiâ, quem paucis ante mortem mensibus à capite evolvere aggressus fuerat S. pontifex; à paginâ 17 ad pag. 184, plusquàm octoginta occurrant Molinæ textus sacrâ pontificis manu subnotati, cum notulis quibusdam marginalibus; porrò, inquiunt, textus illi ac notulæ eò maximè tendunt, ut ab objecto Pelagianismi errore, Molinæ doctrina vindicetur; ergo, etc. Extat in Tabulario romano Patrum Societatis dictus Molinæ codex, quo donati sunt à Clementis nepote cardinale Aldobrandino.

Quod ad Paulum V spectat, exitu constat neutram sententiam approbâsse aut improbâsse : utrique parti permisit pontifex suam tueri

sententiam, ac vetuit alterutram hæreseos insimulare, donec aliud à sanctâ Sede decernatur; hoc certum. Universa præjudicia causæ Thomisticæ favent, si fides historico Leblanc; ast è vestigio occurrit adversæ partis historicus Eleutherius, « sanè, inquit, si de præjudiciis in hâc causâ quæstio vertitur, potiori « fortassis jure dici posset physica prædeterminatio ad tempus, donec sancta Sedes litem « diremerit, tolerata. » Nostrùm autem non est tantas componere lites.

Quæres 3°, quæ sint acta Congregationum de Auxiliis, quidve de illis judicandum. —Respondeo plurima harumce Congregationum circumferri acta aut scripta ad illas pertinentia. Præcipua sunt acta Coronelli, Bossutii, Pegnæ, Lemos, necnon autographum assertæ Constitutionis Pauli V; quid autem de illis sentiendum sit, docet decretum Innocent. X, datum die 23 aprilis an. 1654, cujus hæc sunt verba : « Cæterùm, cùm tam Romæ, quàm alibi circumferantur quædam asserta acta MSS. et « forsitan typis excusa Congregationum habitarum coram felicis recordationis Clemente « VIII et Paulo V, super quæstione *de auxiliis* « *divinæ gratiæ*, tam sub nomine Francisci Pegnæ, olim Rotæ romanæ decani, quàm Fr. « Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, « aliorumque prælatorum et theologorum, qui, « ut asseritur, prædictis interfuerunt Congregationibus; necnon quoddam autographum « seu exemplar assertæ Constitutionis ejusdem « Pauli V.... Sanctitas sua præsenti hoc suo « decreto declarat et decernit prædictis assertis Actis.... et autographo seu exemplari.... « nullam omninò esse fidem adhibendam; neque ab alterutrâ parte, seu à quocumque alio « allegari posse, vel debere. »

Clariora sunt hæc quàm ut ullâ expositione indigeant. Duo sunt quæ in hoc pontificio diplomate sanciuntur; primum, *prædictis actis nullam omninò esse fidem adhibendam;* alterum, *à nemine allegari posse, vel debere;* ex quibus concludit Eleutherius, manifestum esse, ipsomet judice S. pontifice, neminem laudatis instrumentis citra deceptionis aleam assentiri posse.

Vim argumenti elevare putat historicus Leblanc paratæ distinctionis ope. Scilicet, fatetur Pontificis decreto prædictis Actis interdictam esse fidem publicam juridicam, contentiosam, quæ nempe valere in judicio possit; ast contendit, salvâ pontificii decreti auctoritate, iisdem posse adscribi fidem humanam et historicam.

Hanc autem suam interpretationem, tum in præfatione historiæ, tum in alio deinde opusculo, cui titulus : *Réponse aux questions importantes*, pag. 433, multis confirmare conatur, præsertim verò ex decreto S. Congregationis cardinalium concilii Trid. interpretum an 1631, die 2 augusti, in quo sic statuitur : *Ex speciali S. D. N.* (Urbani VIII) *jussu mandat sacra Congregatio et præcipit, hujusmodi declarationibus* (quæ sub hujus S. Congregationis nomine circumferuntur) *tam impressis et imprimendis, quàm manuscriptis, nullam fidem esse in judicio et extra à quoquam adhibendam, sed illis tantùm quæ in anthenticâ formâ, solito sigillo... munitæ fuerint.* Quæ quidem verba ita exponenda sunt, dictas declarationes non valere ad faciendam in judicio et extra fidem certam et indubitatam, licet probabilem mereri possint. *Nullam esse fidem adhibendam; intellige*, inquit Fagnan. 1 Decret. de Constit. cap. Quoniam, *certam et indubitatam; ad minùs enim probabilem fidem merentur, si à viro fide digno referantur.* Idem sentiunt Barbosa, de Luca; aliique juris canonici interpretes; ergo. inquit auctor, cùm verba utriusque decreti, Innocentii scilicet et Urbani, simillima sint, eodem proinde sensu sunt exponenda. En, ut videtur historico, invictum pro suâ expositione et Actorum fide adstruendâ argumentum.

Verùm huic exceptioni plurima obstare advertit Theodorus Eleutherius. Obstant 1°, decreti verba, quæ generalia sunt, nihilque excipiunt, *nullam* OMNINO *esse fidem adhibendam.* Et verò, verbis immediatè sequentibus, publicam juris fidem assertis actis seorsim adimit Innocent. X, *neque à quocumque alio allegari posse aut debere.* Obstat 2° finis et scopus decreti; si enim unica duntaxat quæ in judicio valere possit juris fides exclusa dicatur Innocentii decreto, otiosum planè fuisset ac inutile; jam enim fiduciario suo decreto, Societatis de gratiâ doctrinam publicè in Ecclesiâ doceri permiserat Paulus V, et sub gravissimis pœnis vetuerat, *ne quis partem suæ oppositam aut qualificaret, aut censurâ quâpiam notaret;* neque ullus exinde fuit qui ex prætensis Congregationum actis Jesuitas in judicio convenire et damnatæ doctrinæ arguere ausus fuerit. Quis credat Innocentium X id unicè suo decreto cavisse, quod, ipso etiam tacente, nemo nisi insanissimus committere potuisset? Fatendum itaque suo decreto plus aliquid voluisse S. pontificem, quàm publicam duntaxat juris fidem assertis actis adimere; nempe, ut ipsa

decreti verba sonant, omnem *omninò*, ac proinde sive juridicam, sive historicam fidem iis eripit. Obstant 3° quæ supra retulimus quæsito 1°, momenta ad prætensam Pauli V Constitutionem falsi ac suppositionis convincendam; pleraque enim de cæteris actis idem evincunt; id inprimis, quòd nempe instrumenta illa non ante è tenebris eruta fuerint ac vulgata, quàm è vivis excessissent Paulus V, cardinales in Auxiliorum Congregationem adsciti, aliique qui interpolatores redarguere potuissent. Ex his infert Molinæ vindex, quæ circumferuntur Congregationum acta, esse « fidei ut minimùm « dubiæ atque suspectæ; taliaque quibus nemo « prudens citra deceptionis aleam assentiri pos- « sit aut debeat. »

Atque hinc sponte suâ concidunt quæ in contrarium adducit abbas Leblanc, præsertim verò ex decreto Urbani VIII circa declarationes concilii Tridentini. Namque 1°, declarationes illæ, ut mox observavimus, ante Urbani decretum fidem potuissent facere in judicio; non verò acta Congregationum de Auxiliis ante decretum Innocentii; ergo, etc. 2° Ut citatæ declarationes, inquit Fagnan. loco laudato, fidem mereantur, à viris fide dignis, minimèque suspectis referri debent; porrò acta de quibus agitur, ab infensis Jesuitarum adversariis pro rerum in istis Congregationibus à se gestarum vindiciis fuêre conscripta, atque partium studium passim spirant; ergo, etc. 3° Uti etiam supra advertimus, circumstantiæ loci, temporis, necnon personarum à quibus vulgata sunt laudata instrumenta, dubiam saltem et incertam reddunt eorum auctoritatem; immeritò ergo contendit historicus ipsa certam atque indubitatam fidem mereri.

Et hæc quidem de Auxiliorum Congregationibus breviter attigimus, ut nihil historiæ disputationum de gratiâ deesset; qui plura exoptaret, adire poterit auctores qui de eo argumento utrinque scripsêre; collegêre quæ pro utrâque parte dicta sunt, pro Dominicanis Augustinus Leblanc, pro Jesuitis Theodorus Eleutherius libris in dissertationis decursu multoties citatis.

Dissertatio undecima.

DE JANSENIO.

Maximam partis historicæ attingimus quæstionem, quæ quidem eò diligentiùs à nobis est pertractanda, quòd domesticam contineat et magno animorum æstu agitatam hâc nostrâ ætate controversiam. 1° Igitur Jansenianæ causæ historiam delineabimus; 2° critica hujusce historiæ puncta sigillatim discutiemus; 3° tandem systema Jansenii evolvemus.

CAPUT PRIMUM.

Jansenianæ causæ historia.

Animus non est integram ac cohærentem fusiori stylo exarare Jansenismi historiam; nec instituti nostri ratio, nec præfixi hujus tractatûs limites id patiuntur; brevem ergo duntaxat illius synopsim hìc exhibebimus; hancque ordinis ac claritatis gratiâ variis titulis partiemur.

Primus erit de personâ Jansenii. Secundus, de ipsius libro cui titulus, *Augustinus*. Tertius exponet ea quæ præcesserunt examen ac judicium romanum quinque Propositionum. Quartus narrabit quæ gesta sunt pendente examine ac judicio romano. Quintus denique complectetur quæ examen illud ac judicium subsecuta sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Persona Jansenii.

Cornelius Jansenius ex catholicis parentibus in territorio Leerdamensi apud Batavos natus anno 1585, Ultrajecti litteris humanioribus, Lovanii philosophiæ et theologiæ operam dedit, tum Parisios se contulit. Paulò post cum abbate San-Cyrano cum quo Lovanii amicitiam jam contraxerat, Baionam petiit, ibique collegii primarius institutus, per 12 annos cum eodem abbate novum systema circa gratiam adumbravit, quod deinceps expressit in libro cui titulus, *Augustinus*. In patriam reversus novo sanctæ Pulcheriæ collegio præficitur.

Anno 1671, laureâ doctorali donatus est in S. facultate theologicâ Lovaniensi; subinde in eâdem academiâ regius sacrarum litterarum professor institutus anno 1630. Hoc eodem anno sub ementito nomine *Alexandri Patricii Armachani*, libellum edidit cui titulus *Mars Gallicus*, in quo contra sacram regum nostrorum majestatem protervè invehitur. Anno tandem 1635, episcopus Yprensis consecratus est; et tertio ab inauguratione anno die 6 maii lue extinguitur. Morti proximus extremam et moribundam manum admovit famoso operi suo quod inscripsit *Augustinus*; illius edendi curam imposuit capellano suo, re tamen priùs communicatâ cum Liberto Fromondo et Henrico Caleno.

In tabulis suæ supremæ voluntatis, cuncta sua opera Sedis apostolicæ judicio submittit Jansenius; sic enim habet exemplar testamenti quod ipsius libro præfigitur: « Si Sedes romana aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiæ, in quâ semper vixi usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ita mea postrema voluntas. » Idem contestatus fuerat cap. 29 libri proœmialis: « Mihi constitutum est, eadem quam ab infantiâ secutus sum, sensuum meorum ad extremum spiritum usque ducem sequi romanam Ecclesiam, et beatissimi Petri in romanâ sede successorem. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque cum ipso non colligit, spargit; apud quem solum incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quidquid ab istâ Petri cathedrâ, in cujus communione à teneris vixi, et porrò vivere et mori fixum est, ab isto principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini nostri vicario, ab isto Ecclesiæ christianæ universæ capite, moderatore, pontifice, præscriptum fuerit, hoc teneo; quidquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo. » Et rursus in epilogo totius operis tom. 3, pag. 343: « Nec verò, inquit, mihi ipse arrogaverim, me nullâ ex parte ab ejus (Augustini) aberrâsse sententiâ. Homo sum, humanorum lapsuum periculis obnoxius; quæ sicut cavi quantùm potui, ita ignoscet lector ubi non potui.... Quòd si ejus obscuritas me fefellerit, maximi beneficii loco ducam, si quis aliud ex Aug. scriptis demonstraverit. Quod donec humiliter ac desideranter expecto, quidquid de rebus tam multiplicibus et arduis, non juxta meam, sed juxta sancti Doctoris mentem pronuntiavi, EX APOSTOLICÆ SEDIS ECCLESIÆQUE ROMANÆ MATRIS MEÆ JUDICIO, SENTENTIAQUE SUSPENDO, UT ILLUD JAM NUNC TENEAM SI TENENDUM, REVOCEM SI REVOCANDUM, DAMNEM ET ANATHEMATIZEM, SI DAMNANDUM ET ANATHEMATIZANDUM ESSE JUDICAVERIT. » Hactenùs Jansenius.

Utinam his non contradixisset suis in privatis ad San-Cyranum epistolis! sic enim in iis de suo opere mentem candidè aperit. Epist. 113, asserit « doctrinam, quam in sancto Augustino reseravit, omnibus stuporem incussuram. » Et epist. 16: « Non audeo, inquit, dicere quid sentio de prædestinatione et gratiâ, ne fortè antequàm omnia parata sint et matura, mihi quod aliis, accidat, Romæ damnetur, sicut damnatus fuerat Baius. » Epist. 131, ait: « se adduci non posse, ut credat opus suum à judicibus (romano nemp pontifice) approbandum unquàm fore. » Rursùs epist. 16, sic scholasticos doctores perstringit: « Ut ingenuè dicam, inquit, quid sentio, existimo post hæreticos à nemine magis quàm à disputatoribus illis scholasticis adulteratam et corruptam fuisse theologiam. » Denique de Thomisticâ doctrinâ ibidem sic loquitur: « Audeo dicere, mihi compertum esse, quòd si utraque tum Jesuitarum, tum Thomistarum schola usque ad extremum judicii diem disputatura sit, semper magis sit aberratura, cùm jam à veritate centum leucis distet. » Et paulò post: « Cùm Augustinum degusto, fastidit Thomas. »

ARTICULUS II.

De libro Jansenii cui titulus, Augustinus.

Librum suum Jansenius inscripsit *Augustinus*, quòd confidat se puram sancti Augustini doctrinam à quingentis fermè annis (ut putat lib. proœm. cap. 28 et 30, catholicis scholis ignoratam, revocare. Per viginti et duos annos, huic suo libro perficiendo totus incubuit Jansenius, atque ut Augustini mentem ac doctrinam penetraret, inquit synopsis vitæ ipsius auctor, « summo studio ac indefesso labore, decies et ampliùs universa opera Augustini, attentione acri, adnotatione diligenti, libros verò contra Pelagianos facilè trigesies à capite ad calcem evolvit; » et quidem labore ita improbo, ut ipsomet fatente Jansenio citato lib. proœmiali, *retroagere, retrocedere aliquando videretur Augustinus.* Ex quo hîc obiter observa, Jansenii systema non eâ in Augustino emicare luce, qualem fingunt Jansenii discipuli; immeritò igitur recentiores scholasticos subsannabat Yprensis, quòd in tantâ luce cæcutiissent, quandoquidem ipsemet ut Augustini doctrinam è tenebris erueret ac genuinum ipsius sensum expiscaretur, tot annis allaboravit.

Jansenii opus uno grandiori constat volumine in tres tomos distincto.

Primus octo de hæresi Pelagianâ libros complectitur. In primo, brevis texitur historia de hæresi Pelagianâ; quinque sequentibus, Pelagianorum dogmata, variique Pelagianismi status recensentur; septimo tandem et octavo speciatim agitur de Semipelagianis.

Secundus tomus quatuor continet partes. Prima unicum librum habet de ratione et auctoritate in rebus theologicis; toto illo libro

Yprensis penitùs elevat theologorum scholasticorum, et exaggerat supra modum, scriptorum divi Augustini auctoritatem; quasi in difficilioribus etiam de gratiâ quæstionibus, sancti doctoris doctrina ad fidem pertineret. Secunda unicum pariter librum habet, de statu naturæ innocentis, seu de gratiâ primi hominis et Angelorum. Tertia quatuor libros de statu naturæ lapsæ; in iis tractat de peccato originali; tum de pœnis peccati originalis; demùm de viribus liberi arbitrii post peccatum. Quarta tres complectitur libros de statu naturæ puræ; in iis totus est ut probet, statum illum pugnare cum justitiâ, bonitate ac providentiâ divinâ, hominemque non potuisse aliter creari, quàm cum gratiâ et ordinatione ad fidem supernaturalem; addit contrariam sententiam unum fuisse ex palmaribus Pelagii erroribus, atque ad Manichæismum pertinere.

Tertius tomus in duas partes dividitur. In primâ sunt decem libri de gratiâ Christi Salvatoris: hæc pars videtur finis ac scopus totius operis. Libro 1°, docet liberatricem ac medicinalem Christi gratiam, non esse naturam, neque legem aut doctrinam, sive extrinsecùs propositam, sive intrinsecùs inspiratam, neque ullam gratiam solius intellectûs, quocumque tandem nomine appelletur. Libro secundo contendit liberatricem hanc ac medicinalem Christi gratiam esse propriam voluntatis absolutè efficacem, relativè victricem, ac necessitantem; ibidem copiosè disserit de discrimine gratiæ sanitatis et medicinalis. Libro tertio, ex principiis sancti Aug. probare conatur, nullam dari in præsenti statu gratiam verè sufficientem, quin simul sit relativè victrix. Libro quarto, essentiam et varias divisiones illius gratiæ medicinalis exponit; hanc in delectatione indeliberatâ, relativâ ac necessitante positam esse, ibidem pluribus evincit. Libro quinto, tractat de variis ejus effectibus, Libro sexto et septimo, disputat de naturâ et viribus liberi arbitrii, sicque viam sibi sternit ad octavum, qui est de concordiâ gratiæ efficacis et liberi arbitrii Tandem nono et decimo disserit de prædestinatione hominum et Angelorum, et de causis utriusque. His apponitur epilogus omnium.

In secundâ parte unicus continetur liber, qui dicitur parallelum erroris Massiliensium et opinionis quorumdam recentiorum. Tria potissimùm discutit: primum, quo pacto in oppugnandâ gratuitâ prædestinatione et gratiâ ex se efficaci discrepent aut conveniant; secundum, quid discriminis inter prædestinationem et gratiam ab ipsis traditam; tertium, quibus utrique armis utantur ad prædestinationem et gratiam suam asserendam.

His tribus tomis per modum coronidis subjicitur specialis tractatu de statu parvulorum sine baptismo decedentium ex hâc vitâ, adornatus à Florentio Conrio, Hiberno, ex Ordine Minorum ad archiepiscopatum Thuamensem assumpto. In eo contendit auctor dictos parvulos damni et gehennæ pœnam pati.

Quis porrò fuerit Jansenii de hâc suâ lucubratione sensus, jam constat ex mox adductis epistolarum ad San-Cyranum extractis; idem etiam discimus et auctore vitæ ipsius: « Ipse, « inquit, huic operi unicè natum, et ubi ab« solvisset, paratissimum se mori, dictitabat. » Et paulò post: « Nec alia testamenti ejus cura « sollicitior, quàm ut fideles amicos rogaret, « ne fœtus instinctu, ut credebat, divino tot « vigiliis et laboribus à se efformatus suppri« meretur, et non veniret ad partum. » Tanta scilicet erat præconcepta de hoc inauspicato fœtu opinio, qui tot postmodùm tumultus in Ecclesiâ excitavit.

ARTICULUS III.

De iis quæ præcessêre judicium romanum de quinque Jansenii Propositionibus.

1°. Vix lucem aspexit posthumus Jansenii liber, Lovanii an. 1640 editus, cùm ingentes in Belgio motus excitare cœpit, nonnullis pro eo stantibus, aliis ex adverso contendentibus Baii imò et Calvini proscripta dogmata in eo contineri; plurimi hinc et inde editi libri controversiam exacuerunt. Re ad Sedem apostolicam delatâ, Urbanus VIII, pridie nonas martii 1642, solemni constitutione quæ incipit, *In eminenti*, hunc proscripsit librum.

Duas censuræ causas exponit S. pontifex. Prima est, quia contra decreta pontificia de non promulgandis ullis circa materiam de auxiliis operibus, Jansenii liber editus fuisset. Altera causa hæc est, quòd plurimus contineat Baii propositiones, à Pio V et Greg. XIII prædamnatas: « Cùm autem, ipsissima sunt « bullæ verba, ex diligenti ac maturâ ejusdem « libri, cui titulus *Augustinus*, lectione com« pertum fuerit, in eodem libro multas ex « propositionibus à prædecessoribus nostris « damnatas contineri, et magno cum Catholi« corum scandalo, et auctoritatis S. Sedis « contemptu..... defendi; nos huic malo op-

« portunum remedium adhibere volentes.....
« librum prædictum prohibemus. »

Ex hâc Urbani censurâ, altus Jansenianorum dolor, ac in bullam ipsam falsi expostulatio. Missi Romam à Lovaniensibus duo deputati, Synnichius et Papius, qui præsumptæ subreptionis causas aperirent; has omnes apertè falsas esse, nulliusque planè ponderis habendas, invictè constat ex dictis ubi de Baio.

2°. Dùm hæc Romæ et in Belgio agerentur; Parisiis Habertus Ecclesiæ Parisiensis theologus, postea Vabrensis episcopus, doctrinam Jansenii pari zelo et eruditione confutavit an. 1642 et 1643, tum tribus publicis concionibus, tum libro cui titulus: *Defensio fidei Ecclesiæ*. Ex alterâ parte Antonius Arnaldus, fervidus inter alios Jansenii defensor, duas pro Jansenio opposuit Apologias an. 1644 et 1645. Hoc ipso anno 1644, ut etiam loco mox citato annotavimus, Urbani Constitutio ab illustriss. Parisiensi episcopo de Gondy promulgata est, et jussu regis delata ad sacram Facultatem, quæ omnibus suis severè prohibuit ne ullas ab Urbano VIII et ejus prædecessoribus Pio V et Greg. XIII damnatas propositiones defenderent.

3°. His nonobstantibus serpebat virus ac latiùs diffundebatur; quare syndicus S. Facultatis Parisiensis D. Cornet die 1 julii 1649, plenis in comitiis requisivit ut quædam ab ipso oblatæ propositiones examinarentur et censurâ notarentur; quinque priores eæ ipsæ sunt quæ ab episcopis Gallicanis ad Innocentium X delatæ sunt. Re in deliberationem missâ, postulationi syndici annuit Facultas, ac deputatos nominavit; verùm instigante Ludovico de St. Amour, sexaginta doctores adversùs dictam concluclusionem provocârunt ad senatum. Senatûsconsulto die 5 octobris ejusdem an. cautum est, ne propositiones ad examen vocarentur, donec aliter provisum fuisset.

His in circumstantiis saniori doctorum parti consultius visum est rem totam ad episcoporum judicium transferre: « Ipsi verò præsides « nostri, » inquit Antonius Godeau in epist. quam nomine Cleri Gallicani an. 1653 congregati, scripsit ad alios per Galliam episcopos, « propter nimiam quam perspiciebant animo« rum contensionem, noluerunt per scipsos « primò ferre sententiam, sed rem totam ju« dicârunt ad summum pontificem esse remit« tendam. » Quapropter anno 1650, episcopi octoginta quinque solemni ad Innoc. X epistolæ Haberti Vabrensis manu exaratæ subscripserunt, denuntiantes ipsi famosas quinque Jansenii Propositiones et solemne de iis rogantes apostolicæ Sedis judicium.

Episcopi undecim Gallicani ex adversâ parte steterunt eidem S. pontifici declarantes sib non probari fratrum suorum reverendissimorum consilium, variis de causis, præsertim verò, « quia si propositiones illas ad examen « et ad judicium vocari expediret, judiciorum « ordo legitimus Ecclesiæ totius, tum maximè « Gallicana consuetudo postularet, ut primùm « à se majores ac difficiles quæ apud se ortæ « sunt quæstiones dispicerentur. » Atque hinc nonnulli contenderunt violatas fuisse in dictâ quinque Propositionum delatione Libertates Gallicanas. Verùm immeritò.

Namque 1°, ab episcopis primam litis apud se notæ cognitionem ad romanum pontificem sponte deferri aliquando posse et expedire, ex ipso jure canonico et ecclesiasticâ consuetudine compertum est. Ita disertè testantur episcopi Gallicani Parisiis congregati an. 1653, epist. ad Innocent. X; ita etiam habetur in Relatione Jansenismi jussu comitiorum an. 1655, exaratâ, et ab omnibus horumce comitiorum episcopis approbatâ. Porrò, quemadmodùm observat illustriss. Venciensis episcopus epist. mox laudatâ, ut in præsenti quinque Propositionum negotio, totius hujusce causæ judicium ad sanctam Sedem deferretur, postulabat et natura exortæ controversiæ, et contendentium ardor. Quæstio scilicet erat de Jansenii libro, quem Jansenius ipse morti proximus judicio R. pontificis subjecerat; de quo jam pronuntiaverat Urbanus VIII; aliunde verò periculum erat ne Janseniorum arte ac molitionibus novæ inter episcopos, quæ paulò ante inter doctores, excitarentur animorum contentiones; ergo, etc. 2° Agnovêre tandem et ipsi undecim episcopi, nihil in dictâ delatione detractum fuisse juribus episcoporum; ipsi siquidem vel præsentes comitiis subscripserunt, vel absentes non improbavêre quæcumque circa Jansenii causam gesta et decreta fuerant in comitiis an. 1653, 1654, 1655 et 1656. Quin et citatus mox Venciensis episcopus epist. ad D. de Valençay regis christianissimi in urbe oratorem, conceptis verbis asserit Diarii pag. 257: « Gallicanos antistites rem episcopatu dignissi« mam egisse, cùm ad S. pontificem examen « et judicium quinque Propositionum detule« runt. » 3° Denique in comitiis generalibus anni 1700, inter quatuor propositiones ad Jansenismum spectantes, hæc, quæ secundæ pars

est, simul cum aliis damnatur : « Episcopi « Gallicani Libertates Ecclesiæ Gallicanæ sub « earum asserendarum specie labefactârunt, « super recipiendâ Constitutione Innocentii X « contra Jansenium. » Legitima ergo fuit hæc quinque Propositionum ad S. pontificem per episcopos Gallicanos facta denuntiatio.

ARTICULUS IV.

De iis quæ pendente romano examine contigêre.

Innocentius X, acceptis ab oratore regis christianissimi octoginta quinque præsulum Gallicanorum litteris die 12 aprilis 1651, hâc ipsâ eâdem die Congregationem instituit ad examen quinque delatarum propositionum.

Constabat ista Congregatio quinque cardinalibus, longo rerum usu et experientiâ inter cæteros exercitatis. Ex his erant Julius Roma sacri collegii decanus; Bernardinus Spada, qui vivente Urbano VIII, cum Synnichio et Papio Lovaniensium deputatis, de libro Jansenii jam pluries egerat; Fabius Chigius, qui subinde fuit Alexander VII, quique ab ipsomet de St. Amour Diarii pag. 191, plurimùm commendatur. Congregationis secretarius nominatus est Albizius, assessor S. Officii; ac tredecim designati consultores; duo scilicet Dominicani, duo Augustinienses, duo Minores, duo Carmelitæ Discalceati, duo Theatini, unus Jesuita, unus Servita, et unus Capucinus.

Selecti illi cardinales per duos et ampliùs annos triginta sex celebrârunt Congregationes, quibus decem ultimis interfuit S. pontifex. In iis summâ profectò diligentiâ Jansenii causa ventilata fuit, quinque propositiones sigillatim discussæ, et Consultorum suffragia tum voce, tum scripto diligenter expensa; auditi sæpiùs ex utrâque parte deputati qui è Gallis venerant, sive ad tuendas, sive ad impugnandas Jansenii propositiones; lecta accuratè utriusque partis memorialia; ac tandem emissum est die ultimâ maii 1653 solemne decretum, quo quinque Propositiones his censuræ notis ab Innocentio X perstringuntur.

Prima prædictarum Propositionum sic se habet : *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.* Hanc declarat summus pontifex, « esse temerariam, impiam, « blasphemam, anathemate damnatam et hæ« reticam, et uti talem damnat. » Secunda : *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur.* Hæretica declaratur, et uti talis damnatur. Tertia : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Hæretica pariter declaratur. Quarta : *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Falsa et hæretica declaratur et uti talis damnatur. Quinta : *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Hanc declarat S. pontifex, « falsam, temerariam, scandalosam; et intel« lectam eo sensu, ut Christus pro salute dun« taxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, « blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati « derogantem, et hæreticam. »

Quæ autem veritatem, æquitatem ac auctoritatem hujusce pontificii judicii spectant, subinde inter critica historiæ puncta discutiemus.

ARTICULUS V.

De iis quæ subsecuta sunt Innocentii X judicium.

Anno 1653, præsules Gallicani, præside cardinali Mazzarino Parisiis congregati, solemniter ac communi omnium plausu Innocent. Constitutionem exceperunt, datis ad pontificem litteris die 15 julii, quibus et gratias referunt, et gratulantur ipsi, quòd pro suâ auctoritate *pesti grassanti, et certissimam perniciem allaturæ obstitisset.* Tam solemni judicio cui consensit universus orbis, pressi Jansenii asseclæ, ut magistri doctrinam ab errore vindicarent, eamque ex integro impunè propugnarent, novum istud effugium excogitavêre. Scilicet contra apertam rei evidentiam duo ista affirmârunt, alterum, quinque damnatas propositiones non esse Jansenii; alterum, in ipsius sensu nusquàm fuisse damnatas. Hinc prima origo famosæ distinctionis *juris et facti*, ad quam deinceps tanquàm ad optatissimum tutissimumque portum se receperunt.

Episcopos non latuit fraus tam aperta; quotquot igitur Parisiis aderant anno 1554, simul convenerunt; placuit ut Jansenii liber excuteretur, atque cum damnatis propositionibus sedulò conferretur, quibus omnibus in decem congregationibus maturè ponderatis, communi suffragio duo declarârunt, primum, *damnatas quinque propositiones reipsa extare in libro Jansenii;* alterum, *in proprio et naturali ejusdem*

Jansenii sensu fuisse damnatas. De his omnibus epistolâ datâ die 28 martii certiorem fecerunt summum pontificem, qui die 29 septembris ejusdem an. 1654, rescripsit, acceptissimum sibi esse studium ac *zelum quo apostolicam Constitutionem servari ubique curabant, per quam,* inquit, *damnata fuerat in quinque Propositionibus Cornelii Jansenii doctrina ejus libro contenta, cui titulus,* AUGUSTINUS.

Anno sequenti 1655, die 10 maii, plenis in Comitiis summo plausu exceptum fuit mox dictum Innocentii decretum. Interim eodem anno è vivis excessit Innocent. X; in ejus locum sufficitur cardinalis Chigius, cujus in examinandis Propositionibus præcipuæ partes fuerant, quique Alexander VII appellatus est.

Huic supremam dignitatem gratulati sunt episcopi nostri per epistolam die 2 septembris 1656, simulque aperiunt novas Jansenianorum artes et cavillationes in eludendis Innocentii decretis. Respondit pontifex Constitutione datâ die 16 octobris; in quâ novatorum effugia penitus interclusit, his verbis: « Cùm nonnulli « iniquitatis filii prædictas quinque propositio- « nes, vel in libro Jansenii non reperiri, vel « non in sensu ab eodem intento damnatas « fuisse, asserere magno cum Christi fidelium « scandalo non dubitent; nos qui omnia quæ « hâc in re gesta sunt attentè perspeximus; « utpote qui ejusdem Innocentii prædecessoris « jussu.... omnibus illis congressibus interfui- « mus, in quibus apostolicâ auctoritate eadem « causa discussa est eâ profectò diligentiâ, quâ « major desiderari non posset, quamcumque « dubitationem super præmissis in posterum « auferre volentes.... quinque illas Propositio- « nes in libro præmemorati Jansenii.... excer- « ptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento « damnatas fuisse declaramus et definimus. »

Summo iterum plausu Constitutionem hanc excepit clerus Gallicanus in comitiis anni 1657, datis ad cæteros Galliæ episcopos communibus eâ de re litteris die 17 martii; simulque formulam fidei instituit ab omnibus in signum obsequii et reverentiæ subscribendam, adjunctâ mentione Constitutionis Alexandri VII.

Præterea iisdem, in comitiis 1° præsules nostri rata habuerunt et confirmârunt quæcumque in causâ quinque Propositionum gesta fuerant annis 1653, 1654 et 1655. 2° Archiepiscopus Senonensis D. de Gondrin, qui an. 1654, declaraverat se ex reverentiâ duntaxat et ex condescensu, deliberatis à clero subscripsisse, ab hâc suâ priori declaratione discessit, contestans se ex conscientiâ teneri, verè et ex animo adhærere iis quæ in dictis Comitiis deliberata fuerant circa damnationem quinque Propositionum in sensu Jansenii. 3° Tandem sacræ Facultatis Parisiensis censura adversùs Arnaldum uti æquissima ibidem probata est.

Scilicet die ultimâ januarii 1656, gravi censurâ perstrinxerat S. Facultas duas propositiones extractas ex libello cui titulus: *Seconde Lettre de M. Arnaud, Docteur de Sorbonne,* etc. Prior hæc erat, « quinque Propositiones nec « esse in Jansenio, nec ejus sensu damnatas « fuisse; adeòque circa partem illam apostoli- « cæ Constitutionis, sufficere religiosum silen- « tium. » Altera hæc erat, « veritatem esse « tum ex Scripturâ, tum ex SS. Patribus in- « dubitatam, atque in personâ S. Petri mani- « festam, gratiam scilicet, sine quâ nihil pos- « sumus, justo defuisse eâ in occasione in quâ « dici non potest quòd non peccaverit. » Utramque propositionem censorio suo judicio notat S. Facultas, his verbis: « Decrevit (S. Facul- « tas) priorem propositionem quæ est facti, « *esse temerariam, scandalosam, injuriosam* « *summo pontifici et episcopis Galliæ, atque* « *etiam præbere occasionem renovandæ ex inte-* « *gro post damnationem Jansenii doctrinæ.....* « posteriorem quæ juris dicitur, esse *temera-* « *riam, impiam, blasphemam, anathemate dam-* « *natum et hæreticam.* » Cùm autem in errore pertinax maneret Arnaldus, ex albo doctorum expunctus fuit; hancque suam censuram jussit sacer ordo ab omnibus in posterum candidatis subscribi.

Circa hæc tempora plurimi prodière libelli in defensionem causæ Arnaldinæ. Tres ex illis præcipui isti fuêre: 1° *Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales.* 2° *Notæ Wendrochii in dictas epistolas.* 3° *Pauli Irenæi disquisitiones.* Tres isti libelli damnati fuêre, 1° Alexandri VII decreto die 6 septembris 1657; 2° censorio judicio quatuor episcoporum et novem S. Facultatis Parisiensis doctorum, qui omnes, dictis libris jussu regis Christianissimi accuratè expensis, declarârunt die 7 septembris 1660: *Jansenianas hæreses ab Ecclesiâ damnatas in iis libellis propugnari atque defendi.....* atque summo pontifici, episcopis, regi, præcipuis regni administris, sacræ Facultati, necnon religiosis familiis injuriosos esse. 3° Secretioris consilii decreto die 23 septemb. an. 1660 atque in hujus decreti executionem Litteræ

Provinciales die 14 octobris flammis ultricibus traditæ sunt.

Anno 1661, die 1 februarii clerus Gallicanus formulam fidei quam in Comitiis an. 1657 instituerat, de novo proposuit, jussitque ab omnibus clericis subscribi; ac declaravit se in eâ non aliam fidei definitionem inseruisse, quàm quæ in Constitutionibus Innocent. X et Alexandro VII continetur. In executionem hujusce decreti accessit regia auctoritas, quâ severè injunctum fuit die 13 aprilis ejusd. an. ut omnes dictæ formulæ subscriberent.

Hujusce porrò formulæ is est tenor : « Je « me soumets sincèrement à la Constitution « du Pape Innocent X, du 31 mai 1653, se- « lon son véritable sens qui a été déterminé « par la Constitution de notre S. Père le pape « Alexandre VII, le 16 octobre 1656. Je re- « connais que je suis obligé en conscience « d'obéir à ces Constitutions ; et je condamne « de cœur et de bouche la doctrine des cinq « Propositions de Cornélius Jansénius, con- « tenues dans son livre intitulé AUGUSTINUS, « que ces deux papes et les évêques ont con- « damnée, laquelle doctrine n'est point celle « de S. Augustin, que Jansénius a mal ex- « pliquée contre le vrai sens de ce saint doc- « teur. »

Jussu regis Christianissimi ad sacram Facultatem Parisiensem delata est prædicta fidei formula ab illustriss. Rhedonensi et Ruthenensi episcopis die 2 maii ejusdem anni : « Concordibus omninò suffragiis declaravit S. Facultas hanc fidei formulam et formulæ subscriptionem sibi maximè probari..... Quocirca unanimi consensu decrevit huic fidei formulæ subscribi à suis omnibus debere. » Hæc ipsa est quæ ex iis temporibus et etiamnum subscribitur ab his qui ad aliquem in S. Facultate gradum admittuntur.

Eodem anno 1661, cùm vicarii generales cardinalis de Retz, archiepiscopi Parisiensis in publico Mandato die 8 junii non obscurè insinuâssent, circa attributionem quinque Propositionum libro Jansenii silentium religiosum sufficere ; episcopi jussu regis Fonti-Bellaqueo extraordinariè congregati, suum de isto Mandato judicium his verbis declarârunt : « Qu'il « était manifestement contraire aux deux bulles « et décisions de foi d'Innocent X et d'Alexan- « dre VII, en ce qu'elles (ces bulles) condam- « nent d'hérésie les opinions et la doctrine de « Jansénius contenues en abrégé dans les cinq « Propositions, et plus amplement expliquées « par cet auteur dans son livre. » Quin et Alexander VII, Brevi ad eosdem vicarios generales dato die 1 augusti severâ objurgatione illos increpat, *velut temerarios, mendaces, malorum zizaniorum in agro Dominico seminatores, Ecclesiæ catholicæ perturbatores*, etc. Quapropter die ultimâ octobris ejusd. anni prius suum Mandatum revocare et emendare compulsi sunt, novumque condere quo puram et simplicem subscriptionem postulabant, et declarabant *certissimum esse tempore Innocentii X quinque Propositiones ex libro Jansenii cui titulus*, AUGUSTINUS, *extractas ac discussas fuisse, atque in ejus sensu damnatas*.

Hoc ipso anno supra memoratus archiepiscopus Senonensis D. de Gondrin purè et simpliciter subscripsit formulæ cleri Gallicani ; atque etiam die 18 junii publicum edidit Mandatum in quo absque ullâ limitatione aut distinctione declarat *quinque Propositiones damnatas esse et hæreticas in sensu Jansenii, huncque sensum discrepare à sensu sancti Augustini*.

Anno 1663, cùm illustrissimus Convennarum postea Tornacensis episcopus à rege Christianissimo in mandatis habuisset, ut pro suâ industriâ viam aliquam aperiret quâ exortæ inter theologos lites componerentur, rem proposuit nonnullis quos noverat Jansenii partibus addictissimos; hi statim condendis quinque doctrinæ articulis, qui totidem Jansenii propositionibus respondebant, incubuerunt. Doctrinales illi articuli à DD. de la Lane et Girard cæterorum nomine subscripti oblati sunt episcopo Convennarum die 24 januarii; ut verò firmior esset pax, præstitit dictus episcopus ut DD. de la Lane et Girard simul cum Patre Ferrier, et postea cum Patre Annat, convenirent de quinque articulis collocuturi, si fortè ad concordiam omnes adduci possent. Et reipsâ quinque eo fine habitæ sunt collationes, à die 25 januarii ad 18 februarii, ast sine fructu ; singuli etenim in suâ priori sententiâ firmi ac stabiles, re infectâ discesserunt.

Paulò post dicti DD. de la Lane et Girard episcopo Convennarum denuò obtulerunt die 7 junii eosdem doctrinales articulos S. pontifici transmittendos, cum declaratione quâ profitebantur nomine sociorum, suam quinque illis articulis doctrinam contineri, *seque paratos esse Constitutionibus apostolicis eam observantiam impendere, aliaque omnia præstare, quæ ab ipsis exigere voluerit S. pontifex*. Hoc

Jansenianorum instrumentum simul cum quinque articulis ad S. pontificem misit episcopus Convennarum die 19 junii.

Respondit Alexander VII Brevi dato 29 julii ad episcopos Gallicanos, in quo gratulatur ipsis quòd eorum operâ *multi in Galliis ad saniorem doctrinam inducti fuerint*. Inde colligunt Janseniani dictos articulos à S. pontifice fuisse comprobatos; ast immeritò prorsùs. Nulla siquidem quinque articulorum mentio fit in Brevi; verbis autem adductis, duntaxat attendit S. pontifex ad recensitam Jansenianorum declarationem, quâ contestabantur *se paratos esse..... omnia præstare quæ ab ipsis exigere voluerit sancta Sedes*. Verùm de his infra discutiendo critica historiæ puncta.

Fidem Sedi apostolicæ datam ut implerent, à Jansenianis postulavit rex Christianissimus; eum in finem novos quinque articulos quæstionem facti spectantes ediderunt, de quibus episcopi nostri jussu regis Parisiis congregati, ita mentem suam summo pontifici aperuerunt epist. scriptâ die 2 octobris ejusdem anni 1663: « Mirifica, inquiunt, nostrûm omnium, « quotquot aderamus, in his verbis reprehen« dendis extitit consensio. Visa sunt enim « subdola, simulatum duntaxat obsequium « præ se ferentia, mente versipelli et callidâ... « istud itaque scriptum rejiciendum tanquàm « fictum et nullatenùs catholicum. »

Supradictæ fidei formulæ à clero Gallicano institutæ, multi eo prætextu subscribere recusabant, quòd dicerent talem subscriptionem sine romanæ Ecclesiæ auctoritate non potuisse imperari; quare ut omnis tergiversationi et effugio locus præcluderetur, rogatus est S. pontifex Alexander VII ejusmodi formulam mittere ab omnibus et singulis clericis subsignandam.

Anno itaque 1665, die 15 februarii Alexander VII, regis Christianissimi et episcoporum Galliæ votis annuens, Constitutionem edidit quæ incipit, *Regiminis*; in eâ autem continetur formula fidei formulario cleri Gallicani haud absimilis. Is est dictæ formulæ tenor.

« Ego N. Constitutioni apostolicæ Innoc. X « datæ die 31 maii anni 1653, et Constitutioni « Alex. VII, datæ die 16 octobris an. 1656, « summorum pontificum, me subjicio, et « quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii « libro, cui nomen AUGUSTINUS, excerptas, et « in sensu ab eodem auctore intento, prout « illas per dictas Constitutiones Sedes apostolica damnavit, sincero animo damno ac « rejicio, et ita juro; sic me Deus adjuvet « et hæc sancta Evangelia. »

Hanc fidei formulam jubet pontifex, « ad « quælibet effugia præcludenda, omnesque « removendos obtentus, ab omnibus ecclesias« ticis.... necnon aliis quibuscumque eccle« siastici ordinis, tam regularibus quàm secu« laribus, etiam monialibus subscribi. » Pontificiæ auctoritati regia quoque accessit; mense april. ejusd. anni lata fuit celeberrima illa Declaratio in supremæ curiæ tabulis inscripta 29 ejusd. mensis, quâ cautum fuit ut subscribendæ purè et simpliciter dictæ formulæ disciplina accuratè in toto Galliæ imperio executioni mandaretur, gravissimis in refractarios pœnis impositis; præsertim verò ut eorum beneficia, dignitates, personatus et officia obtinenda aut jam obtenta, pleno jure vacantia maneant et impetrabilia.

Ita conclusis et coarctatis Jansenii defensoribus, aut subscribendum fuit, aut subeundæ pœnæ quas apostolicæ Constitutiones et regia edicta statuebant. Duas in partes universim scissi tunc fuère circa illam quæ postulabatur formularii subscriptionem. Alii rigidiores dicti, subscriptionem omninò detrectârunt, aut saltem nonnisi cum expressâ juris à facto distinctione subscribi posse contenderunt; alii verò remissiores dicti, contendebant simpliciter et absolutè subscribi posse nullâ factâ tali distinctione seu limitatione; atque isti varia excogitaverunt effugia, ut in subscribendo se immunes à perjurio exhiberent, licet Jansenii sensum animo retinerent. Effugia hæc alibi commodiùs recensebimus.

Molliorem hanc et laxiorem nonnullorum è suis opinionem summo zelo impugnavit Arnaldus quartâ parte Apologiæ monialium Portûs Regii cap. 2, 3, etc., quam sententiam dicit mendaciis, æquivocationibus ac perjuriis patentissimum aditum aperire. Et meritò quidem. Quis enim non videat ex intentione Ecclesiæ exigi ab eo qui dictæ formulæ subscribit, ut corde credat et ore confiteatur Jansenii sensum damnandum esse? Quomodò igitur simpliciter subscribendo, absque perjurio poterit eumdem sensum intùs et ex animo sanum ac orthodoxum habere?

Hæc inter Jansenii discipulos circa formularii subscriptionem extitit pugna, usque ad prætensam illam pacem quam à Clemente IX redditam arbitrantur. Invaluit siquidem ab hoc tempore, alia apud ipsos sententia, exploratum scilicet omnibus esse, Ecclesiam jam

nonnihil remisisse de illo intimo, puro ac simplici, quod hactenùs postulaverat, subscribentis obsequio et consensu; quatenùs nempe interiorem illum mentis consensum exigit duntaxat circa quæstionem juris, seu damnationem propositionum in se; quantùm verò ad quæstionem facti, seu attributionem sensûs quinque Propositionum libro Jansenii, silentium religiosum tanquàm sufficiens approbat. Hujusce opinionis fundamentum ex Brevibus Clementis IX et Innoc. XII repetunt; verùm quàm temerè et immeritò sequenti cap. demonstrabimus. Interim historiæ series resumenda.

Itaque dictæ fidei formulæ ab Alexand. XII præscriptæ, singuli in suis diœcesibus subscribebant episcopi, atque à suis subscribi curabant; et quidem sine limitatione et restrictione, aut juris et facti distinctione. Quatuor ex ipsis, scilicet Nicolaus Pavillon episcopus Alectensis, Franciscus Caulet episc. Apamiensis, Nicolaus Chouart de Buzenval episc. Bellovacensis, Henricus Arnauld episc. Andegavensis, in suis pro dictâ subscriptione publicis Mandatis, mensibus junii et julii ejusdem anni 1665 promulgatis, factum à jure distinxerunt, asserentes quæstioni juris internum fidei assensum deberi; pro facto verò quo damnatæ Propositiones libro Jansenii tribuuntur, solam exigi posse silentii reverentiam. Ea Mandata regio placito reprobata sunt die 20 julii, postea jussù Alexandri VII, inter libros prohibitos rejecta fuêre.

Quatuor illi episcopi ad postulationem regis Christianissimi illicò in jus vocati sunt ab Alexandro VII, sed eo defuncto ante causæ definitionem, variisque subinde accessoriis enascentibus controversiis, de negotio amicè componendo actum est an. 1667, sub Clemente IX, Alexandri successore. Volebat pontifex, ut quatuor episcopi sua dicta Mandata expressè revocarent; recusabant verò illi, ne quid fortè suæ auctoritati apud suos inde decederet. Medius occurrit episcopus Laudunensis, postea eminentiss. cardinalis Estræus, cum archiepiscopo Senonensi D. de Gondrin, et episcopo Catalaunensi D. Vialart.

Hanc pro suâ sagacitate illustriss. Laudunensis episcopus aperuit ineundæ concordiæ viam, « quæ supplere retractationem aliquo modo « posset; nempe, ut priori illâ subscriptione « formularii, quam vulgaverant illi episcopi « in suis diœcesibus, insufficiente judicatâ, « novam præstarent et exigerent; sicque novâ « et accuratiori hâc subscriptione, priorem « cujus nulla haberetur ratio, quasi abolitam « et irritam remansuram esse.... In id tandem « consenserunt quatuor episcopi, et convocatis « suis diœcesanis synodis, novam subscrip- « tionem imperârunt formulæ Alexandri VII, « statimque Clementi IX per litteras propriâ « manu subsignatas (die 1 septembris 1668), « testati sunt se sincerè et absque ullâ excep- « tione aut restrictione dictæ formulæ sub- « scripsisse. » Ita compositum fuisse difficile istud ac implicatum negotium, narrabat coram Innoc. XII die 4 junii an. 1693, eminentiss. Estræus pacifici consilii auctor; quique addebat, « se unum omnium optimè commemorare « posse quod gestum fuerat, cùm essem unus « ex iis tribus qui inter pontificem Clemen- « tem IX et quatuor dictos episcopos media- « toris partes agebam, simul cum archiepi- « scopo Senonensi et episcopo Catalaunensi. »

His peractis, tres pacis mediatores tum litteris pariter datis ad pontificem, tum etiam publico instrumento die 4 decembris ejusd. anni 1668, testati sunt quatuor illos episcopos, « optimâ fide egisse... eos damnâsse et à suis « damnari jussisse quinque Propositiones sin- « cero prorsùs animo, absque ullâ exceptione « aut restrictione qualicumque, in eo omni « sensu quo sunt ab Ecclesiâ damnatæ. » Idipsum testatus est et ipsemet rex Christianissimus epist. ad Clement. IX. His et aliis testimoniis monitus S. pontifex, suam quatuor episcopis benevolentiam ac paternum affectum restituit, Brevi ad ipsos dato die 19 januarii an. 1669, quòd didicisset, inquit, ipsos tandem meliora secutos consilia, « juxta præscriptum « litterarum apostolicarum... sincerè subscri- « psisse et subscribi fecisse formulario. Nam « (pergit ibidem), prædecessorum nostrorum « Constitutionibus firmissimè inhærentes, nul- « lam circa illud exceptionem aut restrictionem « admissuri unquàm fuissemus. »

Mirum profectò, quantùm hâc quatuor episcoporum reconciliatione abusi fuerint Janseniani in patrocinium religiosi, ut vocant, silentii. Asseruêre passim, in novâ subscriptione, prout in actis verbalibus synodorum Diœcesanarum continebatur, insertam fuisse restrictionem, limitationem ac distinctionem juris et facti, atque huic postremo silentii duntaxat reverentiam promisisse; quod Clementi IX ignotum non fuit; cùm igitur ad pacem admissi fuerint quatuor episcopi, concludunt solemniter à pontifice approbatam fuisse suam

de silentio religioso sententiam. Verùm immerito prorsùs id ab ipsis conclamatum fuit ; certum quippe est ex publicis instrumentis mox indicatis, eâ duntaxat conditione paci restitutos fuisse quatuor episcopos (quidquid tandem in privatis eorum actis verbalibus expressum sit), quòd *purè et sincerè absque ullâ exceptione aut limitatione* subscripserint. Sed de toto isto negotio fusiùs et datâ operâ postmodùm agemus expendendo critica historiæ puncta.

Anno 1692, subortis in Belgio novis circa subscriptionem formularii contentionibus, visum est Belgii episcopis eidem formulario aliquid addere ad omnes novatorum fraudes et cavillationes declinandas. Conquesti sunt apud S. pontificem, tunc Innoc. XII, nonnulli doctores Lovanienses de hâc additione ; missus Romam H nnebel an. 1693, qui h rum querimonias S pontifici aperiret. Breve scripsit pontifex die 6 januarii 1694, in quo post confirmatas Innoc. X et Alex. VII Constitutiones, addit, ab omnibus quidem exigendum esse ut subscribant « sincerè, absque ullâ distinctione, « restrictione, seu expositione, damnando pro- « positiones ex libro Jansenii excerptas, in « sensu obvio quem ipsamet propositionum « verba præ se ferunt ; » nihil tamen sub quocumque prætextu addendum formulario. Cùm autem ex his decreti verbis, *in sensu obvio quem verba ipsa præ se ferunt*, inferrent novatores, id unum jam ab Innocent. XII exigi, ut quinque Propositiones in seipsis duntaxat damnarentur, nullâ omninò mentione factâ sensùs Jansenii, altero Brevi ad eosdem Belgii episcopos dato 24 novemb. 1696, significavit S. pontifex se Brevi præcedenti, nullatenùs derogâsse prædecessorum suorum constitutionibus, sed ipsis potiùs firmiter inhæsisse. Verùm de his iterùm in punctis criticis.

Anno 1700, in comitiis generalibus cleri Gallicani, præside Eminentiss. card. de Noailles, quatuor propositiones circa Jansenismum excerptæ ex libro cui titulus, *Augustiniana Ecclesiæ Romanæ doctrina*, etc., damnatæ sunt, tanquàm « falsæ, temerariæ, contumeliosæ in « clerum Gallicanum, summos pontifices, et « in universam Ecclesiam, schismaticæ, et er- « roribus condemnatis faventes. » Ex his Propositionibus, prima sic se habet : « Phantasma « Jansenismi quæsitum ubique, sed nusquàm « repertum, præterquàm in laboranti quorum- « dam phantasiâ. »

Circa annum 1702, novos conatus edidêre Janseniani ut penè attritum silentii religiosi figmentum excitarent. Prodiit ex eorum officinâ libellus in quo clericus quidam inducitur, cui sacramentalis absolutio denegata fuerat, eò quòd declarâsset, « se reverà quinque Propo- « sitiones simpliciter et absolutè damnare, ac « formulæ Alexandri VII subscripsisse quidem; « nihilominùs quantùm ad quæstionem facti, « seu attributionem illarum quinque Proposi- « tionum libro Jansenii, existimare se religio- « sum sufficere silentium. » Hic celebris est conscientiæ casus, circa quem quadraginta doctores Parisienses responderunt, his verbis : « Doctores infra scripti, visâ casûs expositione, « censent, hujus ecclesiastici viri sententiam, « nec novam esse, nec singularem , nec ab « Ecclesiâ damnatam ; neque talem ut confes- « sarius possit ipsi sacramentalem denegare « absolutionem nisi eam retractaverit. « Responsionem hanc illicò damnavit S. pontifex Clemens XI, triplici decreto : primum *ad perpetuam rei memoriam*, latum fuit die 12 januarii 1703, secundum et tertium die 13 ejusdem mensis et anni, directa fuêre ad regem Christianissimum, et eminent. card. Noallium.

Eumdem casum censorio judicio perstrinxêre plerique episcopi Gallicani, præsertim eminentiss. card. Parisiensis archiepiscopus, documento Pastorali eâ de re edito 22 februarii ejusd. an. 1703. Doctores verò qui dictum conscientiæ casum approbaverant, revocatâ priori suâ sententiâ resipuerunt, uno excepto qui pro suâ contumaci resistentiâ ex albo Doctorum expunctus est judicio ac sententiâ S. Facultatis.

Die scilicet 1 septembris 1704, syndicus de laudatâ casûs responsione conquestus, communibus votis sic censuit S. Facultas : « Primò, « dictam propositionem (*il lui suffit d'avoir « une soumission de respect et de silence, pour « ce que l'Eglise a décidé sur le fait de Jansé- « nius*) adversari censuræ sacræ Facultatis « latæ die ultimâ jan. anni 1656, in epist. An- « tonii Arnaldi, et decreto ejusdem super for- « mulâ fidei, dato die 2 maii 1661... Secundò, « inhærendo prædictæ censuræ adversùs epi- « stolam Antonii Arnaldi, præfatam proposi- « tionem damnandam esse, et ut ipsam damnat « iisdem notis quibus in prædictâ censurâ « proscripta est ; nempe, ut temerariam, scan- « dalosam , injuriosam SS. pontificibus et « episcopis Galliæ, atque etiam ut præbentem « occasionem renovandæ ex integro, post « damnationem, Jansenii doctrinæ ; et in quan-

« tùm eâdem præfatâ propositione dicitur, « illud obsequium reverentiæ et silentii suffi- « cere, etiam iis qui subscribunt formulæ fidei « quæ adjunctum habet juramentum ex san- « ctione Alexandri VII ; prædictis notis hanc « etiam esse adjiciendam, nempe, quòd faveat « mendacio et perjurio... Denique, ut omnibus « magis ac magis innotescat, sacram Facultatem in docendâ sanâ doctrinâ, et asserendâ « Ecclesiæ auctoritate, constare sibi semper, « typis mandanda esse latino ac vernaculo « idiomate, præsentem Conclusionem, censu- « ram adversùs libellum, *Seconde lettre de* « *M. Arnauld*, latam ultimâ januarii 1656, et « decretum super formulâ fidei, datum 2 maii « anni 1661. » Ita S. Facultas Parisiensis.

Ne quid autem effugii superesset Jansenianis in obsequioso silentio, solemnis accessit Clementis XI Constitutio data die 16 julii 1705, quæ incipit his verbis, *Vineam Domini Sabaoth*. In eâ S. pontifex postquàm Innoc. X et Alexand. VII Constitutiones confirmavit, Clementis verò IX et Innoc. XII Brevia seu Epistolas à pravis Jansenianorum exceptionibus et interpretationibus vindicavit, declarat « hâc perpetuò vali- « turâ Constitutione, obedientiæ, quæ præin- « sertis Constitutionibus debetur, obsequioso « illo silentio minimè satisfieri ; sed damnatum « in præfatis quinque Propositionibus Jansenii « libri sensum, quem illarum verba præ se « ferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi « fidelibus ut hæreticum, non ore solùm, sed « et corde rejici ac damnari debere ; nec aliâ « mente, animo aut credulitate supradictæ « formulæ licitè subscribi posse. »

Huic Constitutioni unanimis accessit Ecclesiæ universæ consensus, inprimis verò cleri Gallicani qui in comitiis generalibus anni 1705 congregatus, hanc solemniter acceptavit, datis tum ad pontificem gratulatoriis, tum ad cæteros Galliæ episcopos encyclicis litteris, qui eamdem pariter, singuli in suis diœcesibus exceperunt ac promulgârunt. Quapropter jam causa finita est.

Fallimur, infinitæ sunt novatorum fraudes, vitiligationes, effugia ; ex iis nonnulli dictæ Constitutioni directâ fronte obstrepere ausi sunt, atque inter alios vir projectæ audaciæ ferale scriptum emisit calend. junii 1709, quo Clementis XI bullam toti Ecclesiæ denuntiat, « tanquàm subvertentem doctrinam *gratiæ quâ* « *Christiani sumus*, tanquàm resuscitantem Pe- « lagium cum suis asseclis, tanquàm objicientem Ecclesiam extraneorum scandalo, » uno verbo, dignam cui Antichristus adveniens coronam imponat ; cæteri verò protervi minùs, versipelles magis, cùm prædictæ Constitutionis supremam vim ac auctoritatem in dubium revocare non audeant, eam saltem falsis, obliquis, ac distortis interpretationibus infirmare ac elevare conantur. Verùm de his ex professo art. 5 capitis sequentis.

CAPUT II.

Discutiuntur critica historiæ puncta.

Præcipua de quibus controversia movetur puncta sunt : 1° Bulla Urbani, an sit authentica, dogmatica, ac supremam in universâ Ecclesiâ auctoritatem habeat ; 1° quinque Propositionum ad Innoc. X delatio, an fuerit legitima; nec libertatibus nostris adversa ; 3° bulla Innocent. X ; 4° quinque articuli ; 5° dicta Clementis IX pax ; 6° Brevia Innocentii XII ; 7° bulla *Vineam* Clementis XI. Primum ex his jam abundè tractavimus dissert. de Baio cap. 3 ; de altero pariter diximus in decursu historiæ art. 3 ; cætera nunc veniunt expendenda.

ARTICULUS PRIMUS.

De Innocentii X bullâ.

Celebratis, ut antea notavimus, duorum annorum spatio triginta et sex Congregationibus, tandem ultima maii anni 1653, Constitutionem edidit Innocent. X, in quâ quinque Jansenii Propositiones variis sigillatim affectas censuræ notis damnavit. Nihil non moliti sunt Jansenii sectatores ut fulmen istud Vaticanum aut infirmarent aut saltem declinarent : dixêre *in abstracto* duntaxat, *sicut jacent*, et prout præscindunt à quocumque auctore discussas ac damnatas fuisse quinque Propositiones; variis insuper adversùs pontificium decretum insurrexêre querimoniis. Tria itaque nobis præstanda sunt : 1° ostendendum quinque propositiones in Jansenii sensu, et sensum Jansenii in quinque Propositionibus discussum et damnatum fuisse ; 2° æquitas illius examinis et judicii contra obtrectatores vindicanda ; 3° summa et irrefragabilis hujusce apostolici decreti auctoritas demonstranda ; hæc sequentibus quinque Conclusionibus conficiemus.

Conclusio prima. — Quinque Propositione in romano examine discussæ sunt in sensu Jansenii.

Probatur 1° ex octoginta quinque Gallicanis episcopis qui romanum de quinque Propositionibus judicium postulant. Ii enim, in suâ ad Innocent. X epistolâ, denuntiant propositiones

non in abstracto, et sine ullo ad auctorem respectu, sed ut propositiones libri Jansenii, adversùs quem Urbanus VIII jam pronuntiaverat, et propter quem vehementissimis turbis agitatam esse Galliam asserunt; si igitur dictorum præsulum votis annuit S. pontifex (ut reipsâ ipsum annuisse declarant gratulatoriæ post acceptam Constitutionem litteræ), profectò propositiones in sensu Jansenii examinandas curavit.

Etverò eâ ipsâ ratione propositiones delatæ et discussæ sunt, quâ fuerant Facultati Parisiensi oblatæ ut discuterentur ; ast certum est ex ipsismet Jansenistis, oblatas illas fuisse tanquàm extractas ex Jansenio, ejusque sensu damnandas. Sic enim loquuntur illi in famoso scripto quod *In nomine Domini* inscribitur, quodque exaratum fuit dùm deputati à sacrâ Facultate doctores, propositiones examinabant: « Cùm nôrint omnes magistros egregios delectos esse ad thesim propositam, non ut per se sonat, sed ut jacet in Jansenio accuratiùs examinandam ; videant sedulò ne quid duriùs in eam pronuntient, quòd hâc in parte sanissimam Jansenii theologiam notet aut perstringat. » His concinit libellus cui titulus, *Quinque Propositionum de gratiâ vera et catholica expositio,* in Collectan. de St. Amour pag. 50 et 51.

Probatur 2° ex memorialibus seu scriptis ex utrâque parte exaratis dùm Romæ quinque Propositiones excuterentur. Narrat Dominus de St. Amour, Jansenianæ causæ propugnator acerrimus, Diarii parte 5, cap. 9, se vidisse et transcripsisse scriptum D. Hallier Jansenii accusatoris, cui titulus erat : *Damnatio quinque Propositionum ex Jansenii libris extractarum* ; et parte 6, cap. 5, aliud ejusdem scriptum refert in quo demonstrabatur quinque Propositiones ex libro Jansenii extractas esse, designatis et indicatis locis unde excerptæ sunt. Plura alia narrat idem de St. Amour pag. 150, 151, 159, 161, 168, 188, 209, 262, etc. quæ clarissimè efficiunt actum esse Romæ de quinque Propositionibus in sensu Jansenii notandis.

Quanquàm verò deputati pro Jansenio ipsum appellare rariùs auderent, ejus tamen doctrinam tueri se, tacito Jansenii nomine, apertè profitebantur. Quid enim aliud indicat titulus primæ Propositionis, in scripto trium columnarum sic præfixus : *Prima Propositio à loco suo dolosè avulsa?* Unde, quæso, avulsa, nisi à Jansenii libro ? Quapropter Wadinghus in suâ brevi Relatione loquens de quinque Propositionum patronis, hæc habet : « Die 19 maii anni 1653, introducti sunt quinque presbyteri Galli Sorbonici qui partes Jansenii tuebantur. »

Probatur 3° ex Consultoribus ad examen Propositionum deputatis ; ii enim, tribus duntaxat exceptis Præposito scilicet generali Augustinianorum magistro sacri Palatii, et commissario sancti Officii, tum primùm de propositionibus in sensu Jansenii vota tulêre ; quin et hi tres laudati, licet in primis Congregationibus de sensu Jansenii minimè locuti fuissent, in posterioribus subinde habitis coram R. pontifice suffragium pronuntiârunt in ordine ad Jansenium, saltem de quibusdam propositionibus. Hæc omnia discimus ex Wadingho et ex Jansenismi historiæ scriptore, utroque Jansenianis non suspecto. Iidem testantur magistrum sacri Palatii in vigesimâ septimâ Congregatione et in trigesimâ primâ genu flexo perorâsse ut ostenderet eamdem esse Jansenii et sancti Aug. ac Dominicanorum doctrinam ; ergo Consultores agebant de sensu Jansenii.

Probatur 4° ex judicio Alexandri VII, qui oculatus testis et particeps fuerat eorum omnium quæ in causâ quinque Propositionum gesta fuerant. Summus ille pontifex Brevi ad vicarios generales archiepiscopi Parisiensis dato die 1 augusti 1661, graviter ipsos increpat, quòd in Mandato publico ausi fuissent asserere, quinque Propositiones sub Innocent. X in Jansenii sensu non fuisse discussas. En verba Alexand. VII : « In quo sanè (Mandato) inprimis, non minùs temerariâ quàm mendaci narratione profertur, tempore Innoc. X non aliud factum, quàm inquisitum, an Propositiones illæ quinque de gratiâ, veræ ac catholicæ, an potiùs falsæ et hæreticæ censendæ forent; cùm eo planè tempore (ait pontifex), nedùm de propositionibus ipsis cognitio habita fuerit, verùm quòd è Jansenii libro *Augustinus* nuncupato extractæ essent, et ita in sensu ab eodem Jansenio intellectæ, damnatæ, ut nos ipsi Constitutione nostrâ 17 Kalend. novembris 1656, luculenter expressè declaravimus; » ergo, etc.

Quanti porrò ponderis sit expressum hoc Alexandri VII testimonium, nemo non intelligit. Namque (ut rectè observat auctor libelli cui titulus : *Epistola Theologi Leodiensis*, licet aliunde in Jansenianos propensus) « non erat is Alex. VII, qui seipsum existimatione apud homines ultrò spoliare voluisset, quod

« profectò fecisset, si quidpiam à verò alienum « splendidè affirmâsset; dùm ergo rem enar- « rat paucis ab annis Romæ gestam, interve- « nientibus pluribus cardinalibus, præsulibus « ac theologis, censendus est retulisse uti res « se habebat : post diuturnam igitur et gravem « discussionem, præsules et theologi judica- « verunt sensum quinque Propositionum in « Jansenio extare. » Hactenùs auctor laudatus circa medium suæ epistolæ.

Probatur 5° invicto hoc ratiocino : Quinque Propositionum in romano examine discussio facta fuit vel sensu Jansenii, vel sensu Calvini, qualis in primâ columnâ scripti de distinctione sensuum exhibetur ; at istud postremum quod contendunt Janseniani, tam absurdum est, ut nihil magis, 1° quia propositiones ab Episcopis Gallicanis delatæ fuerant, sensu Jansenii expendendæ, non sensu Calvini, de quo nulla prorsùs fuit tunc temporis excitata quæstio ; 2° prorsùs ridiculum est asserere per duos et ampliùs annos tam sollicitè, tam operosè, tam longo ac molesto examine de sensu illo inquisitum ac controversum fuisse, qui, si Jansenianis fides, obvius est ac naturalis propositionum sensus ; quique dudùm à concilio Trid. sufficienter proscriptus fuerat ; 3° denique, quia de illo agebatur sensu, qui, fatentibus Jansenianis, nonnisi à viris in theologiâ versatissimis dignosci potest ; de quo necesse erat publicâ disceptatione audiri partes dissidentes ; qui cum dogmate gratiæ à se efficacis, aliisque Thomisticæ scholæ placitis intimè conjunctus est ; qui ut apprimè notari posset, censuerat in primâ Congregatione cardinalis Spada, lustranda esse quæcumque sub Pio V et Greg. XIII, in causâ Baii, et sub Urbano VIII, in causâ Jansenii, acta fuerant ; quem denique nonnulli è Consultoribus à censurâ eximere conabantur ; porrò manifestissimum est isthæc omnia in sensum Calvinianum neutiquàm cadere posse ; ergo, etc.

Conclusio secunda. — Quinque Propositiones ab Innocent X in sensu Jansenii damnatæ fuerunt.

Probatur 1° ex ipsâ Innoc. X Constitutione die 31 maii anni 1653, quæ non obscurè indicat quinque Propositiones ad Jansenii mentem damnari. Quippe ita loquitur S. pontifex : « Cùm occasione impressionis libri cui titulus : « *Augustinus Cornelii Jansenii Yprensis episcopi,* « inter alias ejus opiniones orta fuerit præser- « tim in Galliis, controversia super quinque « ex illis ; complures Galliarum episcopi apud « nos institerunt, ut easdem propositiones « nobis oblatas expenderemus, ac de unaquâ- « que earum certam ac perpspicuam ferremus « sententiam : » postea verò quinque illas Propositiones quas Jansenii esse dixerat, Innocentius recenset et hæreticas esse declarat, ac tandem ista adjungit : « Non intendentes « tamen per hanc declarationem et definitio- « nem super prædictis quinque Propositioni- « bus factam, approbare ullatenùs alias opi- « niones, quæ continentur in prædicto libro « Cornelii Jansenii. » Hæc distinctio quinque Propositionum ab aliis opinionibus quæ in libro Jansenii continentur, manifestè innuit quinque Propositiones similiter in eodem libro contineri, et ut ejusdem libri opiniones damnari.

Non nostra est ista observatio, sed ipsiusmet S. pontificis Innocent. X, qui alloquens episcopum Lodevensem, sic ipse mentem suam exposuit : « Nonne observâsti, inquiebat, hanc « Constitutionis clausulam ; non intendentes, « etc., sanè cùm alias opiniones in libro Jan- « senii contentas nos non approbare dixeri- « mus ; ergo intelligimus propositiones damna- « tas in eodem libro contineri. » Ita rem nar- « ravit ipse episcopus Lodevensis in comitiis anni 1656, ut videre est in Actis verbalibus horumce comitiorum pag. 307. Nihil certè disertius hoc testimonio exoptari potest ; atque hìc desideranda fides Domini de St. Amour in suâ secundâ ad Diarium additione pag. 578, ubi narrationem dicti Lodevensis episcopi truncatam et mutilatam reddidit, prætermissis nempe decretoris verbis mox adductis.

Idem disertissimè testatus est Innocent. X Brevi ad Galliæ episcopos dato 29 septembris 1654, in quo ipsis summoperè gratulatur, quòd prædictam *Constitutionem ubique servari curarent*, per quam, inquit, *damnavimus in quinque propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam ejus libro contentam, cui titulus* Augustinus.

Probatur 2° ex solemni Alexand. VII bullâ editâ die 16 octobris anni 1656, quæ quinque Propositionum damnationem in sensu Jansenii factam fuisse conceptis verbis declarat : « Cùm « autem, inquit S. pontifex, nonnulli iniqui- « tatis filii prædictas quinque Propositiones « vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jan- « senii non reperiri.... vel non in sensu ab eo- « dem intento damnatas fuisse asserere magno « cum Christi fidelium scandalo non reformi- « dent : Nos qui omnia quæ hàc in re gesta

« sunt, sufficienter et attentè perspeximus, « utpote qui.... omnibus illis Congregationibus « interfuimus, in quibus apostolicâ auctoritate « eadem causa discussa est eà profectò dili- « gentiâ, quâ major desiderari non posset, « quamcumque dubitationem super præmissis « in posterum auferre volentes.... quinque il- « las Propositiones ex libro præmemorati Jan- « senii episcopi Yprensis, cui titulus *Augusti- « nus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Corne- « lio intento damnatas fuisse declaramus et « desinimus; et uti tales, inustâ scilicet eàdem « singulis notâ, quæ in prædictâ declaratione « et definitione (Innocentii X) unicuique il- « larum sigillatim inuritur, iterùm damnamus. » Nihil sanè expressius exoptari potest.

Probatur 3° ex clero Gallicano. In comitiis generalibus anni 1654, agnoscunt præsules nostri ex ipsis Innocent. X verbis invictè demonstrari quinque propositionum damnationem in sensu Jansenii factam; etenim in epist. encyclicâ ad omnes regni episcopos, postquàm observavêre res duas vanas omninò et inanes à à novatoribus affirmari; alteram quinque Propositiones non esse Jansenii; alteram damnatas esse eo in sensu qui ad Jansenium nihil pertineat, istud effugium sic occludunt: « Potest ne « enim quidquam esse absurdius, quàm tueri « id velle, cui refellendo revincendoque nihil « opus sit rationibus, nihil disquisitione etiam « mediocri, aut levi, sed solâ pontificiæ Con- « stitutionis quæ per se ipsam rem totam « apertè dirimit, lectione? » Et postea hæc addunt iidem præsules, « solam per se sufficere « Innocentii Constitutionem, ut perspectum « fiat illas quinque Propositiones verè esse « Jansenii, et damnatas esse in vero ac pro- « prio verborum sensu, et eo planè quo à « Jansenio traduntur et explicantur. » Idem declarent comitia an. 1655, 1656, 1657, 1660, 1661, etc.

Probatur 4°, testimonio eminentiss. card. d'Aguirre, cujus auctoritatem maximè commendârunt Janseniani. Hic scilicet declaravit factum Jansenii, id est, quæstionem de Jansenii sensu, tempore Innoc. X et Alex. VII diligentissimè discussam fuisse, atque ab iisdem pontificibus post maturum examen clarè definitam. Primum testatur D. de Vaucelle, aliàs Valloni, vir Jansenianis minimè suspectus, in epist. scriptâ die 5 julii an. 1690, causæ Quesnellianæ pag. 224; utrumque verò tradit ipsemet d'Aguirre tom. 3 Theolog. S. Anselm. disput. 116, sect. 4.

Probatur 5° ex retractationibus Lucæ Wadinghi, abbatis de Bourzeis et Patris Thomassini. Ita loquitur Wadinghus in suâ brevi Relatione de gestis in causâ Jansenistarum: « Quòd si aliquis ante hanc definitionem (In- « nocentii X) aliter senserit, quibuscumque « rationibus, vel quorumcumque doctorum « auctoritati innixus, nunc captivare debet in- « tellectum in obsequium fidei, sicut suadet « Apostolus. Id ipsum ego toto corde me fa- « cere profiteor, omnesque illas propositiones « supradictas in omnibus et singulis sensibus, « quibus eas condemnatas voluit SS. Inno- « cent. X condemno et anathematizo; quan- « tumvis ante hanc definitionem in aliquibus « sensibus eas sustineri posse judicaverim, si- « cut in suprascriptis meis votis explicavi. »

Ex his Wadinghi verbis sic licet arguere: Sensus quem ante dictam Constitutionem propugnabat Wadinghus erat ipse Jansenii sensus, fatentibus quippe Jansenianis, fervidus fuit ante Constitutionem Jansenii defensor; et reipsà eum in Congregationibus conatus est absolvere, atque primam propositionem ad unum legitimum sensum revocavit; porrò verbis citatis testatur idem Wadinghus, ab Innoc. X confixum fuisse hunc ipsum sensum quem ante Constitutionem propugnaverat; atque adeò disertè profitetur *se propter auctoritatem bullæ* (Innoc. X) *captivare intellectum in obsequium fidei*; ut quid autem captivâsset intellectum, si nihil retractandum et emendandum habuisset, si solus damnatus fuisset Calvini sensus, quem ipse semper detestatus fuerat? ergo, etc. Idem planè argumentum erui potest ex similibus retractationibus abbatis de Bourzeis et Patris Thomassini, circa quas consulenda est historia quinque Propositionum lib. 1, necnon defensio ejusdem historiæ pag. 190 et sequentibus. Dictam Wadinghi Relationem edidit Quesnellius lib. cui titulus: *Défense de l'Église R. contre Leydeker*, pag. 429, atque ibidem testatur ex totâ istâ Relatione verum Constitutionis Innoc. sensum innotescere.

Probatur 6° Eo sensu judicium tulit Innoc. X de quinque Propositionibus, quo ipsi delatæ fuerunt ab octoginta quinque episcopis Gallicanis; quo in romano examine à Consultoribus expensæ ac discussæ; quo denique pendente examine à partibus æmulis hinc et inde impugnatæ ac propugnatæ; atqui, ex dictis ac probatis superiori Conclusione, quinque Propositiones non Calvini sed Jansenii sensu delatæ fuêre, discussæ, atque à partibus con-

tendentibus utrinque impugnatæ ac propugnatæ ; ergo , etc.

Probatur 7° brevi isto ratiocinio : Damnatæ sunt quinque Propositiones in sensu proprio, naturali et obvio; atqui proprius, naturalis et obvius quinque Propositionum sensus, ipse est Jansenii sensus ; ergo, etc. Major constat ex ipsismet Jansenistis qui id sæpiùs confessi sunt ; ita præsertim Quesnellius citato lib. Defensionis Ecclesiæ romanæ adversùs Leydeker. Etverò, uti alibi dictum est, censura quæ pronuntiatur absque ullâ sensuum distinctione, eo ipso intelligitur proprium et naturalem propositionis sensum afficere; porrò censura in quinque Propositiones lata, absoluta est, pura ac simplex; ergo, etc. Minor autem certissima est, atque invictè probari potest, 1° quàmpluribus Jansenii textibus qui proprium et naturalem quinque Propositionum sensum clarè exhibent; 2° ex ipsâ Jansenistarum agendi ratione; 3° ex eorumdem scriptis ante Constitutionem editis. Has omnes probationes Conclusione quintâ prosequemur; impræsentiarum satis sit observâsse, in scripto *Trium columnarum*, sensum secundæ columnæ, qui erat juxta Jansenianos sancti Aug. ac proinde Jansenii sensus, dictum fuisse verum, germanum ac legitimum propositionum sensum; sensus verò primæ columnæ seu Calvini, ab iisdem dictus est alienus et extraneus, qui nonnisi malignè propositioni affingi potest; porrò manifestissimum est germanum ac legitimum propositionis sensum, prout opponitur alieno et extraneo, ipsissimum esse proprium, naturalem et obvium sensum; ergo, etc.

His omnibus addi possunt, 1° diserta testimonia Jansenianis minimè suspecta. Auctor defensionis theologorum adversùs Documentum Pastorale illustriss. Carnutensis episcopi, art. 7, pag. 245, sic loquitur : « On ne peut « nier que le pape Innocent X n'ait insinué « dans sa Constitution contre les cinq Propo- « sitions, qu'elles renfermaient la doctrine de « Jansénius. » Auctor historiæ generalis Jansenismi, tom. 2, pag. 138, idipsum clariùs tradit his verbis : « Le cardinal Pimantel par- « lant au pape, et le priant de ne rien préci- « piter, de crainte que la doctrine de S. Au- « gustin et de S. Thomas ne reçût quelque « atteinte, Sa Sainteté lui répondit que la « chose avait été soigneusement examinée en sa « présence; et qu'on avait trouvé qu'il n'était « question ni de S. Augustin, ni de S. Thomas, « ni de leur doctrine, et qu'il était nécessaire « de faire quelque chose contre le livre de « Jansénius; le pape était si prévenu contre ce « livre, disait ce cardinal, qu'il voulait qu'on « le rejetât et qu'on l'abolît. » Idem multoties narrat in Diario Dominus de St. Amour, parte 6, cap. 25 : « Le pape dit qu'il n'était question « ni de S. Augustin, ni de S. Thomas, ni de « leur doctrine, et qu'il était nécessaire de faire « quelque chose contre Jansénius. » Et cap. 27: « Sur ce que nous dîmes au cardinal Pimantel, « qu'on embrouillait encore toute l'affaire tant « qu'on pouvait, sous le nom de Jansénius qui « était devenu si odieux ; il nous dit que le pape « était aussi persuadé qu'il fallait perdre et « abolir l'ouvrage de ce prélat Les termes dont « usa ce cardinal pour nous dire la disposition « où était le pape sur cet auteur, furent ceux- « ci, que, selon la pensée de Sa Sainteté, « JANSENIUS EST REVOCANDUS, JANSENIUS EST RE- « JICIENDUS. » Ex his testibus Jansenianis minimè suspectis apertum est Innocentium X quinque Propositiones in sensu Jansenii damnare voluisse et reipsà damnâsse; hæc Jansenianorum testimonia sufficiant, plura adderemus si esset necessum, sed foret supervacaneum.

2°. Quod multò gravius est, idipsum constantissimè docuerunt celebriores orthodoxi auctores qui de isto argumento egêre; satis sit hic appellâsse illustriss. Bossuet. Integrâ ad moniales Portûs Regii epistolâ nedùm docet quinque Propositiones in sensu Jansenii damnatas fuisse, sed et totus est ut probet canonicum esse, supremum ac irreformabile, tam circa factum quàm circa jus, hujusmodi judicium. Num. 6, sic habet : « Je ne pense pas « qu'il soit beaucoup nécessaire de s'étendre « ici sur la validité de ce jugement. Il est rendu « sur une matière qui appartient au tribunal « de l'Église; il est rendu par le S.-Siége; il « est rendu avec connaissance, et le pape « Alexandre VII a déclaré à toute l'Église « l'examen exact qu'a fait son prédécesseur, « non seulement du droit, mais du fait. » Et paulò post : « Mais enfin voici ce qui résout la « difficulté. Aucun ne révoque en doute, que « la condamnation des cinq Propositions ne « soit canonique; or est-il qu'on ne peut douter « que ce qui touche le livre de Jansénius ne le « soit également, puisque l'on y voit concourir « la même puissance, les mêmes formes, le « même examen, la même acceptation, et le « consentement unanime de tous les évêques. » Et rursùs ibidem : « Il est certain qu'il y a un « jugement ecclésiastique, même sur le fait

« contesté; il est certain qu'il est souverain et « universel, puisqu'il est du S.-Siége, et ac-« cepté unanimement par tous les évêques. » Atque hinc illustriss. Mirapincensis episcopus D. de la Broüe in epist. ad eminentiss. card. de Bissy die 5 martii 1711, testatur citatum doctissimum Bossuet, sensisse ac è sacro suggestu dixisse, integrum Jansenii opus quinque famosis constare Propositionibus. En verba : « Vous prouvez parfaitement que les cinq Pro-« positions sont dans le livre de Jansénius; feu « M. l'évêque de Meaux, votre prédécesseur, « avait dit en chaire qu'elles étaient tout le « livre. »

3°. Quod cumulum addit ac omninò decretorium est, quotquot celebrata sunt Cleri Gallicani comitia in quibus de causâ Jansenianâ actum est, in iis approbatum fuit ac confirmatum quod in comitiis an. 1654 definitum fuisse antea diximus, scilicet *quinque Propositiones verè esse Jansenii, et damnatas esse in proprio verborum sensu; et eo planè quo à Jansenio traduntur.* Pariter quotquot à damnatione quinque Propositionum extitêre summi pontifices, ii prædecessorum suorum Innoc. X et Alex. VII vestigiis firmissimè inhærentes, eorumdem prædecessorum Constitutiones quibus definitum fuerat quinque Propositiones extare in Jansenio, atque in sensu ab eodem intento fuisse damnatas, confirmârunt ac innovârunt. Ita præsertim Clemens IX, Innoc. XII, Clemens XI, ut constabit ex dicendis articulis 3, 4 et 5.

Etverò manifestissimum est dictos præsules ac SS. pontifices constantissimè docuisse, Jansenismum non esse merum phantasma, sed veram ac realem hæresim Ecclesiæ fulminibus multoties et meritò protritam; porrò ita sentire et loqui, apertè confiteri est quinque Propositiones in proprio, naturali et obvio Jansenii sensu justè et meritò fuisse damnatas; ergo, etc.

Dices itaque 1°, contra primam Conclusionem : Romanus pontifex, narrante D. de St. Amour in Diario, sæpè testatus est, *nolle se omninò ut de Jansenio mentio fieret:* ergo, etc. Resp. dist. ant. : Nolle se ut mentio haberetur de Jansenio, nempe ut liber illius ab Urbano VIII damnatus vindicaretur ab errore, sicut eum vindicare tentaverant Janseniani, concedo; aliter, nego. Namque fatentibus Jansenianis, in primis Congregationibus exploratum fuit utrum Propositiones in sensu Jansenii expendendæ essent, necne; plurimi Consultores de sensu Jansenii disseruerunt; volebat contra Jansenium agere S. pontifex; et reipsâ in suâ Constitutione ipsum nominatim appellavit; ergo, etc.

Dices 2° : Card. Spada declaravit dominis de la Lane et de St. Amour, *propositiones in Congregationibus considerari precisè secundùm seipsas, abstrahendo à sensu unius vel alterius;* ergo, etc.

Resp., quandò hæc dixit card. Spada, non excludebat profectò sensum Jansenii de quo unicè tunc agebatur, teste Alexand. VII Brevi ad vicarios generales archiepiscopi parisiensis; sed varios duntaxat removet sensus Calvini, gratiæ efficacis Thomisticæ vel Molinianæ, quos Jansenii discipuli in dictis propositionibus distinguendos putabant; quibus tamen sepositis rectè ostendebat Hallerius in scripto paucis ante mensibus cardinalibus oblato, quinque Propositiones censuram mereri, ob eum naturalem et obvium sensum, quem habent in libro Jansenii. Scriptum illud refert de St. Amour Diarii parte 5, cap. 8.

Dices 3° : Vincentius de Pratis, commissarius sancti Officii, suffragium ferens circa primam Propositionem, asseruit eam propositam fuisse in abstracto, ut præscindit ab omni proferente. Idem de cunctis propositionibus dixit Wadinghus in suâ brevi Relatione; ergo. — Respondeo 1°, Vincentii de Pratis et Lucæ Wadinghi auctoritatem prævalere non posse tot certissimis quæ prolata sunt testimoniis..... 2° Idem sensus est Vincentii de Pratis et Wadinghi, ac cardinalis Spada; etverò, teste Vadingho in citatâ Relatione, commissarius S. Officii coram pontifice suffragium tulit genuflexo, totoque sui sermonis decursu probare voluit eamdem esse Jansenii et Dominicanorum doctrinam; et ipsemet Wadinghus ibidem refert se non semel Jansenii defensionem suscepisse; ergo, etc..... 3° Obvius et naturalis quinque Propositionum sensus, reverà ipse est Jansenii sensus, ut posteà ostendemus; ergo.

Dices 4° : In Diario sæpiùs citato circa primam Propositionem unicum profertur judicium in quo mentio habeatur sensus Jansenii; ergo, etc. — Respondeo 1°, saltem circa alias propositiones sensum illum ut plurimùm commemorari; 2° testatus est Dominus Vizzani sancti Officii assessor verba hæc, *in sensu Jansenii*, in sex suffragiis circa primam propositionem extare in ipso autographo dictorum suffragiorum; 3° tametsi in primâ suffragiorum declaratione solus Pater Tartaglia primam propo-

sitionem in sensu Jansenii notandam dixerit, tamen in revisione suffragiorum quæ facta est die 3 februarii anni 1653, quinque alii Consultores in suis votis hæc verba addiderunt, *in sensu Jansenii*. Hæc discimus ex Wadingho in dictâ Relatione.

Dices 3°, contra secundam Conclusionem: Innoc. X dicit de primâ propositione, quòd fuerat jam anathemate damnata; et octoginta quinque episcopi asserunt *motus illos* (circa quinque Propositiones) *sedari oportuisse concilii Trid. auctoritate;* sed hæc non possunt intelligi nisi de propositionibus in sensu Calvini; ergo, etc. Etverò, Innoc. X in bullâ ait, *declaramus;* unde non novum jus definit, sed antiquam censuram confirmat; ita D. de St. Amour in Diario.

Respondeo: Apage nænias; meritò in suâ Constitutione dicit Innoc. X primam Propositionem anathemate jam fuisse damnatam, in Baio videlicet et in Calvino; in Baio quidem eo ipso sensu quem Jansenius renovavit, sed qui in bullis Pii V, Greg. XIII et Urbani VIII, nullâ speciatim notâ percussus fuerat; in Calvino etiam prædamnata fuit. Duo siquidem docuit hæresiarcha, primum, aliqua Dei præcepta quibusdam justis verè quandoque esse impossibilia, propter defectum gratiæ hic et nunc sufficientis; alterum, omnia generatim mandata omnibus justis etiam cum gratiâ maximè efficaci semper esse impossibilia, propter necessariò adhærescentem omnibus hominis lapsi actionibus concupiscentiæ labem. Utrumque distinctis anathematibus damnatum fuit in concil. Trid. sess. 6, cap. 11, et can. 4 ejusd. sessionis; primum docuit Jansenius, non secundum.

Quod autem spectat ad verbum, *declaramus;* supina est rerum theologicarum ignorantia nescire Ecclesiam nova dogmata non constituere, sed duntaxat quæ revelata sunt juridicè declarare. Adde S. pontificem in Constitutione multoties uti verbo, *definimus*, *damnamus*.

Conclusio tertia. — Canonicum fuit et æquissimum Innocentii X de quinque Propositionibus in sensu Jansenii judicium.

Probatur: Judicium à legitimo judice latum secundùm juris formas, præhabito maturo ac diligenti examine, canonicum certè est ac æquissimum; atqui tale est Innocentii X judicium de quinque Propositionibus in sensu Jansenii; 1° latum fuit à S. pontifice, cujus præcipuæ sunt in quæstionibus fidei dirimendis partes, et cujus definitionem circa sensum Jansenii rogaverant episcopi Gallicani..... 2° Observatæ fuerunt juris formulæ; neque enim Romæ aliter solent excitatæ de religione quæstiones discuti, quàm per cardinales et consultores, quorum auditis ac ponderatis suffragiis, pontifex ex alto petitâ auctoritate pronuntiat. Ita porrò se gessit Innoc., atque eos præsertim delegit cardinales et Consultores huic officio maximè idoneos, quique Jansenianis suspecti esse non debebant: « Delectorum cardinalium « eximia merita Romæ omnium ore prædicabantur, » inquit ipsemet de St. Amour Diarii parte 4, cap. 4; de Consultoribus verò ibidem cap. 6, testatur, « neque se, neque suos de « illorum fide, solertiâ et eruditione dubitâsse, « imò, non sine læto animi sensu, ac gratiis « Deo redditis, intellexisse illos omnes in doc« trinam sancti Augustini benè affectos ac pro« pensos esse..... » 3° Maturum fuisse illud judicium constat ex eo quòd non fuerit latum *nisi post adhibitam diligentiam quâ major desiderari non potest*, ut disertè asserit testis omni exceptione major, Alexand. VII, supra relatus; ergo, etc.

Etverò, uti ratiocinatur illustriss. Bossuet, epistolâ jam citatâ, tam certa est ac indubitata canonicitas Constitutionis Innocentii circa factum quam circa jus, circa sensum Jansenii quàm circa damnationem propositionum; utrinque enim intervenit eadem auctoritas, eadem forma, idem examen, eadem acceptatio et unanimis episcoporum consensus; atqui, fatentibus omnibus, canonica est quinque Propositionum in se sumptarum censura; ergo et in sensu Jansenii. Vide quæ diximus Conclusione præced. ad finem septimæ probationis.

Tandem vel ipsæ Jansenianorum expostulationes adversùs romanum de quinque Propositionibus judicium, ipsius æquitatem nedùm infirment, imò potiùs adstruunt ac vindicant, adeò leves sunt. Non pigebit eas in unum hìc colligere, et paucis confutare.

Prima: Congregatio non respondebat nec rei gravitati, nec dignitati eorum qui ad summum pontificem confugerant, Diarii parte 6, cap. 8. Quasi quinque ex selectis sacri collegii cardinalibus, quibus præerat S. pontifex, ac tredecim inter doctissimos romanos theologos, discutiendæ rei theologicæ à nonnullis episcopis propositæ minùs idonei fuissent.

Secunda est de formâ Congregationum; postulabant Janseniani coram adversariis audiri et publicè disputare. Verùm, quàm parùm æqua fuerit hæc querimonia, constat, tum quia de lite dirimendâ nullatenùs hìc quæstio erat, pro

quâ necesse foret adversas partes audiri, sed de solis notandis propositionibus; tum quia tam multa hinc et inde circa dictas propositiones scripta fuerant et cardinalibus ac Consultoribus communicata, ut vix aliquid novi in medium adduci potuisset.

Tertia spectat denegatam in examine romano quinque Propositionum, distinctionem sensuum in quos inflecti illæ possunt. Quàm intempestiva fuerit hæc expostulatio, constat, tum quia de solo obvio et naturali propositionum sensu agebatur, qui ipsissimus est Jansenii sensus; tum quia à suis æmulis totum id habebant quod ex distinctione sensuum prætendere poterant, nempe efficacem à se gratiam illæsam remanere; id enim centies Hallerius cum suis et voce et scriptis contestatus fuerat; quin et D. de St. Amour Diarii parte 5, cap. 8, refert scriptum ab Hallerio exaratum et cardinalibus oblatum circa medium an. 1652, in quo demonstrat Hallerius, seposito sensu gratiæ efficacis quam ipsemet propriâ sententiâ tuebatur, quinque Propositiones meritò damnari ob eum naturalem et obvium sensum quem habent in libro Jansenii; tum denique quia fatente anonymo illo scholæ Thomisticæ theologo, cujus observationes in suffragia Consultorum edidit de St. Amour inter Collectanea pag. 173, omnes penè Consultores doctrinam gratiæ per se efficacis, « quæ maximè scholæ Thomisticæ « propria est, omnibus locis catholicam, or- « thodoxam et veram esse profitebantur. »

Quarta ipsam summi pontificis personam respicit: Theologus, inquiunt, non erat, et aliunde præ senectute admodùm provectâ, omninò impar sustinendo rei intricatissimæ tam arduo ac molesto examini. Verùm 1°, an adeò implicatus erat Calvini sensus, quem unum damnatum postea dixerunt Janseniani, ut difficile fuerit eum dignoscere ac notare? 2° In pontificibus cùm de fide pronuntiant, non personales animi dotes, sed ipsa potissimùm Sedis dignitas, atque Spiritûs sancti assistentia attendenda: « Nihil adversi ex Congre- « gatione pertimesco, (aiebat Sambovius Dia- « rii parte 6, cap. 17), cùm oculos converto « ad vim veritatis, assistentem pontifici spiri- « tum sanctum, et pontificis ipsius ingenii « magnitudinem. » 3° Novum non erat huic S. pontifici Jansenii negotium; jam antea sub Urbano VIII, simul cum deputatis Lovaniensibus Synnichio et Papio, in discutiendo Jansenii libro diuturnam operam collocaverat. Atque hìc mirum certè videri debet divinæ providentiæ consilium in iis pontificibus quos profligandæ Jansenianæ hæresi destinavit Pius V, qui in Baio præformatam Jansenii doctrinam primus confixit, omnium judicio doctissimus fuit ex Ordine Prædicatorum theologus, doctrinæ Thomisticæ per plures annos summâ cum laude professor; Urbanus VIII, à quo liber Jansenii nominatim damnatus fuit, in omni scientiarum genere versatissimus extitit; Innoc. verò X et Alex. VII, à quibus Janseniana dogmata distinctiùs notata sunt, maximam per seipsos, antequàm ad supremum pontificatûs apicem promoti fuissent, in eâ discutiendâ operam collocârant; primus, *Pamphilius* dictus sub Urbano VIII, alter, *Chigius* sub Innoc. X.

Quinta demùm expostulatio est de firmitate latæ definitionis; sed nonne firma est, quæ à romano pontifice fertur postulantibus ac applaudentibus episcopis loci in quibus viget error, et à cæteris expressè aut tacitè confirmatur? atqui talis est innoc. X Constitutio, ut patebit ex dicendis sequenti Conclusione; ergo, etc.

Conclusio quarta. — Summa est et irrefragabilis Constitutionis Innoc. X auctoritas.

Probatur: dogmatica apostolicæ Sedis definitio ab omnibus Christi Ecclesiis acceptata, præsertim verò ab eâ in quâ excitata est controversia, summæ est profectò ac irretractabilis auctoritatis, Idipsum disertè docent vel ipsi Janseniani: Quenellius in opusculo cui titulus; *Lettre d'un évêque à un évêque*, et in lib. qui inscribitur: *Tradition de l'Eglise romaine,* tom. 1, in Admonitione præliminari, tom. 3, pag. 330; auctor libri: *Justification du silence respectueux,* tom. 1, pag. 246. et tom 3, pag. 875 et 876. Atqui Innocentii X Constitutio circa quinque Propositiones per omnes Christi Ecclesias acceptata fuit, maximè verò à Gallicanis præsulibus apud quos exorta fuerat controversia; ut constat tum ex diserto ejusd. S. pontificis Innoc. episcopum Ledovensem alloquentis testimonio, quod refertur in actis verbalibus comitiorum an. 1655 et 1656, pag. 303 et sequent., tum ex gratulatoriâ præsulum Gallicanorum ad Innoc. X epistolâ die 15 julii 1653, in quâ asseritur dictam Constitutionem « divinâ æquè ac summâ per universam Eccle- « siam auctoritate niti, cui Christiani omnes « ex officio, ipsius quoque mentis obsequium « præstare tenentur: » tum denique ex simplici rerum gestarum narratione, quam art. 5 capitis 1 hujusce Dissertationis prosecuti sumus. Atque hinc illustrissimus Bossuet, citatâ

ad moniales Portûs Regii epistolâ, ita statuit : « Il est certain qu'il y a un jugement ecclesias- « tique, même sur le fait contesté de (Janse- « nius) ; il est constant qu'il est souverain et « universel, puisqu'il est du S.-Siege, et ac- « cepté unanimement par tous les evèques. »

Neque istud negare ausi sunt Janseniani, quinimò libentissimè agnoverunt ; atque idcircò contestati sunt nullum esse inter ipsos qui sincerè et ex animo Constitutioni Innocentii statim non obtemperaverit. Ita P. de St-Amour Diarii parte 6. cap. 21 ; Montaltius epist. ad Provinc. ; Quesnell. lib. cui titulus : *Défense de l'Eglise romaine,* pag. 430, in observatione ad Relationem Wadingh. Verùm fallacem esse et fuci ac doli plenam hujusmodi declarationem, manifestè ostendunt varia quæ ab ipsis subinde excogitata sunt effugia ad vim hujusce bullæ declinandam ; quæ quidem eò demùm tendunt ut contendant summum pontificem in proprio, naturali, et legitimo Jansenii sensu investigando deceptum fuisse, et perperàm libro Jansenii affinxisse doctrinam quinque Propositionum, atque Ecclesiam ipsam in hoc facti genere falli posse ; verùm sepositâ hìc infallibili Ecclesiæ in factis dogmaticis auctoritate, de quà suus erit alibi dicendi locus, ad præoccupanda prædicta adversariornm diverticula, quintam adjicimus Conclusionem.

CONCLUSIO QUINTA. — Decreto suo authentico et summæ auctoritatis assecutus est romanus pontifex et proscripsit proprium, naturalem et ligitimum libri Jansenii sensum.

Probatur 1 ex sanctitate Ecclesiæ fatentibus Orthodoxis omnibus ita sancta est infallibilis Ecclesia in fide, moribus et disciplinâ generali, ut quod ipsis adversetur, nec decernere, nec à fidelibus tenendum, exequendumve exigere valeat : « Ecclesia Dei (inquit S. Aug. « epist. 55, aliàs 119), quæ sunt contra fidem « vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, « nec facit. » Et epist. 54, olim 118 : « Si quid « tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita « faciendum sit disputare, apertissimæ insaniæ « esse. » Hinc sacra Facultas Parisiensis in suâ censurâ anni 1644, adversùs librum Theophili Brachet, « declarat temerarium esse atque er- « roneum et hæreticum, damnare disciplinam « et consuetudinem ecclesiasticam, ab omnibus « catholieæ communionis Ecclesiis receptam. » Id psum ultrò agnoscunt Jansenii fautores, ipse præsertim auctor libri cui titulus : *Justification du silence respectueux,* pag. 117, 119, 112, 115, 1165, 1166, etc.

Ast nullâ ratione stare posset, in adversariorum sententiâ, ista Ecclesiæ sanctitas et infallibilitas. Namque nihil iniquius certè ac bonis moribus oppositum magis, quàm sani et orthodoxi textùs damnationem juridicè imperare, ejusque subcriptionem ab omnibus Christi fidelibus interposito juramento exigere, et quidem intentâ in reluctantes gravissimâ excommunicationis pœnâ ; porrò hujusce iniquitatis, injustitiæ, imò tyrannidis, manifestè ream esse Ecclesiam necessariò confitendum erit, si, ut volunt adversarii, orthodoxa esset libri Jansenii doctina, ejusque proprium, naturalem ac legitimum sensum apostolico suo decreto assecutus non fuisset Innoc. X, siquidem Ecclesia exigens formularii subscriptionem juridicè postulat assensum huicce Innocentii decreto ; sicque catholicum, ut aiunt, libri Jansenii sensum, tanquàm hæreticum damnari, suoque judicio subscribi ab omnibus fidelibus exigit, atque renuentes anathemate percutit.

Nec vim argumenti elevat quòd reponunt nonnulli, 1° non ipsam Ecclesiam esse quæ dictam subscriptionem exigit ; 2° saltem quoad jus duntaxat, non quoad factum postulari ; 3° exigi quoad sensum, non quidem expressum in libro Jansenii, sed quem in mente habuit Ecclesia dùm librum illum proscripsit, seu, ut loquitur auctor Casûs conscient. tom. 7, pag. 40, quoad sensum *putativum,* non autem quoad *verum* Jansenii sensum, quem errore facti assecuta non est.

Quàm hæc vana sint et gratis conficta, alibi ex professò demonstrabimus ; interim satis sit impræsentiarum annotàsse, ad primum, subscriptionis legem tulisse romanos pontifices ; eadem promoventibus Gallicanis præsulibus, cæteris verò tacitè consentientibus, executioni demandata est : episcopi autem cum romano pontifice, ipsa sunt Ecclesia docens. Adde, etsi daretur, quod vel ipsâ experientiâ falsissimum esse constat, Ecclesiam subscriptionem non urgere ; certè negari non potest quin palàm ac publicè in sinu suo à primis pastoribus exigi approbet, aut saltem circa illud taceat ; at, ut mox ex S. Aug. vidimus, in his quæ sunt contra fidem aut bonos mores *nec approbat, nec tacet, nec facit Ecclesia.....* Ac secundum, Ecclesia formularii subscriptionem exigens, juridicè postulat assensum Innocentii decreto ; isto autem decreto factum perinde ac jus definitum fuit, idque docet ac probat illustriss. Bossuet. citatâ ad moniales Portûs Regii epistolâ ; « Il « certain, inquit, qu'il y a un jugement ecclé-

« siastique, même sur le fait contesté ; il est « certain qu'il est souverain et universel, puis- « qu'il est du S. Siége, et accepté unanime- « ment par tous les évêques. » Et rursùs : « Au- « cun ne révoque en doute, que la condemna- « tion des cinq Propositions ne soit canonique : « or est-il qu'on ne peut douter, que ce qui « touche le livre de Jansénius ne le soit egale- « ment ; puisque l'on y voit concourir la même « puissance, les mêmes formes, le même exa- « men, la même acceptation et consentement « unanime de tous les evêques..... » Ad tertium, ubi agitur de textu dogmatico, absurda, illusoria, noxia, et in ecclesiam plurimùm contumeliosa est ista *putativi à vero* et *proprio* sensu distinctio ex quâ sequeretur, Ecclesiam dùm rectè sentit posse malè loqui ac perversè docere, sicque in sentiendo, non in docendo infallibilem esse. Verùm, ut jam notavi, de his alibi pleniùs.

Totum istud ratiocinium paucis contraho : Ecclesia nec facit, nec approbat, nec tacet quæ sunt contra bonos mores; porrò subscriptionem formularii exigit, approbat, aut saltem tacet; hæc autem subscriptio iniqua foret et injusta, si catholica esset Jansenii doctrina, ejusque proprium sensum asseculi non essent summi pontifices, ipsaque Ecclesia; ergo, etc.

Probatur 2° ex superiori Ecclesiæ sapientiâ; Solemni Innocent. decreto circa quinque Propositionum in sensu Jansenii damnationem, ipsius successores Alexander VII, Innoc. XII, Clemens XI, etc., cardinales, archiepiscopi, episcopi, celeberrimæ orbis catholici Universitates, doctores constanter acquievêre, quidquid in contrarium conclamârint et opposuerint Jansenii fautores; porrò intolerandæ profectò est temeritatis ac superbiæ, proprium ac privatum judicium tantæ auctoritati, tantisque luminibus anteponere, ac de se ipso ita benè sentire, ut quis credat dogmatici alicujus libri sensum se meliùs esse assecutum, quàm summi pontifices, episcopi, universaque Ecclesia assecuta fuerit.

Frustra prætensam catholicitatis textûs Janseniani evidentiam obtenderent adversarii; namque ubi est supremum Ecclesiæ judicium, quæcumque in contrarium fulgere videatur evidentia, cuilibet fideli nonnisi illusoria, fucata et falsa evidentia meritò reputari debet, eaque superiori intelligentiæ quâ in suis judiciis ducitur Ecclesia omninò postponenda est. Ita illustris. Bossuet., in suâ ad Moniales Portûs Regii epistolâ; ita etiam eminentiss. card. Noallius in suo contra Casum conscientiæ Documento Pastorali 22 februarii anni 1770, his verbis; « Quelque lumière que l'on ait, il est « certain que celles de l'Église sont toujours « au-dessus de celles des particuliers, et qu'il « n'y a que cette science qui enfle qui puisse « faire croire qu'on voit mieux qu'elle. »

Etverò, proprium, naturalem et legitimum libri Jansenii sensum suo decreto assecutus est et proscripsit Innoc. X, vel dicendum Ecclesiam universam quæ jamdiù decretum illud amplexa est, à tot annis nondùm detexisse proprium illum et germanum Jansenii sensum, sed loco illius subrogâsse Calvinianum sensum in scripto Trium columnarum expressum ; atqui hoc postremum adeò evidenter falsum est et absurdum, ut nihil magis. Quis enim sanæ mentis seriò unquàm dixerit, ipsammet Ecclesiam nondùm detegere potuisse sensum in Jansenii libro, fatentibus Jansenianis, evidentissimâ luce fulgentem, quemque ipsi vel ab initio disputationum clarè perspexisse gloriantur? An ipsis solis datum est sapere et intelligere, cæteri verò mortalium, et ipsamet Ecclesia sancta hæc Christi sponsa planè cæcutit? Nonne apertissimum est integram Jansenii doctrinam ad unum utriusque delectationis indeliberatæ systema revocari, quarum superior hìc et nunc necessariò voluntatis consensum obtinet? Nonne catholici theologi istud sæpissimè observârunt, indicatis etiam locis in quibus dictum systema clarè exprimitur, ac removentur absurdi illi sensus Calviniani, quos ab Ecclesiâ damnatos et libro Jansenii adscriptos fingunt adversarii? Quis credat integram Christi Ecclesiam verum Jansenii sensum, tum ex sese, tum ex variis æmularum partium observationibus, radiis solaribus, ut aiunt Jansenistæ, clariorem, hucusque introspicere non potuisse? Apage nænias, anilesque fabulas.

Vim istius argumenti sensit nec dissimulavit auctor Apologet. pro Jans. parte 2, cap. 10, cujus textum infra adducemus ubi de constitut. Clement. XI : *Vineam Domini.* Quin et ipsemet auctor libri cui titulus: *Justification du silence respectueux,* tom. 1, pag. 182, candidè fatetur, nullam in libro Jansenii vocem usurpari, quæ ad legitimum sensum innumeris limitationibus evidentissimis non restringatur ; additque in eodem libro integra extare capita ipsis radiis solaribus clariora adversùs Calvinianum sensum in libro Trium columnarum repræsentatum ; ergo, etc.

Probatur 3° ex supremâ Ecclesiæ auctoritate; scilicet divina Ecclesiæ auctoritas, supremumque ipsius judicium cujuslibet privati quantùmcumque eruditi sensibus multùm præponderare debet, ipsumque ad verum, internum et absolutum mentis assensum determinare; id planè exigit promptissima in iis quæ ad religionem pertinent, Ecclesiæ et superioribus ecclesiasticis debita obedientia, atque præsumptio in eorum gratiam. Certè, ut passim indicant SS. Patres, præsertim verò sanctus Bernardus lib. de Dispensat. cap. 12, « obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur: quidquid ergo vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secùs omninò accipiendum quàm si præcipiat Deus. » Si quod motivum hominem ab hoc integro et absoluto obsequio eximere posset, sola sanè esset, quam putaret se habere, evidentia; verùm præter illa quæ mox diximus de legitimâ in dubium revocandi hanc evidentiam ratione, dùm scilicet supremam Ecclesiæ intelligentiam, summamque auctoritatem experitur in contrarium militantes.

Audiatur hanc in rem illustriss archiepisc. Rhemensis Le Tellier in suo pro acceptatione bullæ *Vineam Domini* Documento Pastorali, in quo sic loquitur: « Sa Sainteté n'a pas voulu souffrir qu'on répandit parmi les Fidèles des maximes, qui restreignant l'étendue de l'obéissance due à l'Église, en altèrent aussi la sincérité. Telle est la maxime qui borne au seul silence respectueux la soumission qu'on doit aux décrets de l'Église les plus solennels pour la condamnation des livres; à la faveur de ce principe, chaque particulier se mettrait en droit de préférer son sentiment à celui de l'Église, et se croirait, par l'effet d'une présomption insupportable, l'arbitre souverain du sens des livres et des écrits en matière de religion..... Son autorité et ses lumières (de l'Église) n'ont-elles pas assez de force pour déterminer à la soumission intérieure, même les plus savants théologiens? »

His unum addo: Proprius et naturalis libri Jansenii sensus, vel est clarus et apertus; vel obscurus et intricatus. Si primum, ergo acquiescendum Ecclesiæ judicio, quo definit sensum hunc hæreticum esse; in factis siquidem claris, fatente ipsomet auctore Apologiæ monialium Portûs Regii parte 4, Ecclesiæ decretoriè pronuntianti, necessariò obsequendum; si secundum, ergo iterùm acquiescendum. Namque, ut constat ex textibus mox adductis, et ratio ipsa indicat, in quæstionibus hujusmodi præsertim præsumptio est in gratiam superiorum; et quæcumque in contrarium fulgere videatur claritas, hæc ut vera evidentia nec haberi potest, nec mentem pacatam in suo assensu, militante contra Ecclesiæ judicio, reddere valet.

Allatas hactenùs probationes sic paucis contrahere licet: Si Ecclesia erravit definiendo factum Jansenii, vel ex defectu attentionis, vel ex defectu intelligentiæ, vel ex defectu sinceritatis; quilibet enim erroris et perversæ definitionis fontes ad hæc tria capita revocari possunt et debent. Primum dici nequit, neque enim potuit præceps sententiam ferre, quæ ex divini assistentiâ Spiritûs sapiens est et prudens in omnibus suis judiciis Ecclesia. Neque secundum, sensus enim clarus et apertus, ut ipsi fatentur, superiorem Ecclesiæ intelligentiam latere nequit. Non tertium, illud enim de Ecclesiâ columnâ et veritatis firmamento vel minimùm suspicari summum nefas; ergo.

Probatur 4°. Si orthodoxa sit Jansenii doctrina, ejusque proprium et naturalem sensum in quinque Propositionibus nec fuerit assecutus nec proscripserit Innoc. X, manifestè sequitur Jansenismum merum esse phantasma, nullamque veram esse ac realem Jansenianam hæresim; atqui consequens istud falsissimum est, et maximè contumeliosum in clerum Gallicanum, summos pontifices, universam demùm Ecclesiam, quæ ab octoginta et ampliùs annis Jansenii doctrinam repetitis anathematibus damnavit; ergo, etc. Atque hinc in comitiis anni 1700, damnata est ista propositio: *Phantasma Jansenii quæsitum ubique, sed nusquàm repertum, præter quàm in laboranti quorumdam phantasiâ.*

Probatur 5° ex celeberrimâ, de quâ antea diximus, sacræ Facultatis Pariensis censurâ in secundam Arnaldi epistolam. Duæ in eâ notantur propositiones, quarum prior hæc erat, *quinque Propositiones nec esse in Jansenio, nec ejus sensu damnatas fuisse.* Æquissimam hanc censuram summâ cum laude commemoravit clerus Gallicanus in comitiis generalibus anni 1656; eamdem communibus omnium votis sæpiùs confirmavit sacra Facultas, eique constanter ab omnibus suis subscribi jussit, et etiamnum subscribitur; porrò, si proprium et legitimum Jansenii sensum in suo decreto assecutus non fuisset S. pontifex, nedùm æquissima, sed è contra temeraria, iniqua, tyran-

nica dicenda foret hæc censura; ergo, etc.

Probatur 6° Apostolico suo decreto assecutus est Innocent. X ac meritò proscripsit proprium et naturalem quinque Propositionum sensum; atqui proprius et naturalis quinque Propositionum sensus, ipsissimus est totius libri Jansenii sensus; ergo, etc. Major certissimè constat ex unanimi adversariorum consensu: « Proprius « et naturalis quinque Propositionum sensus, » inquiunt Montalt. de S. Amour, Quesnell. locis antea citatis, « alienus est à sensu gratiæ ex « se efficacis Augustinianæ, atque idcircò pon« tifex eas propositiones damnavit, istique dam« nationi omnes acquievère. » Etverò, ut alibi dictum, et ex sese patet, censura quæ pronuntiatur absque ullâ sensuum distinctione, eo ipso intelligitur afficere proprium, naturalem et obvium propositionis sensum; porrò censura in quinque Propositiones absoluta est, pura ac simplex; ergo, etc. Minor autem triplici momento demonstratur. 1° Ex Jansenianorum agendi ratione, quâ constat ipsos pro certo habuisse, eumdem esse proprium et legitimum quinque Propositionum et libri Jansenii sensum. Vix etenim sacræ Facultati oblatæ fuerunt quinque Propositiones ut discuterentur et censurâ configerentur, cùm statim summo zelo contra examen illud insurrexerunt fautores Jansenii, asserentes, rem planè iniquam tentari ab iis qui *sanctissimas et inconcussas de gratiâ Christi sententias examini et censuræ subjicere conabantur;* ita lib. cui titulus: *Considération sur l'entreprise de M. Cornet*, pag. 58, et in præfat. Apolog. SS. Patrum; similiter cùm postea eædem propositiones Romam delatæ essent ut summi pontificis judicio controversia dirimeretur, nihil non moliti sunt iidem Janseniani ut examen ac futurum judicium averterent. Ut quid porrò tot molitiones totque machinationes ad removendam quinque Propositionum censuram, si eas tunc temporis in sensu proprio, naturali et obvio non tuebantur, sed ut falsas potiùs et hæreticas repudiabant Janseniani? Ut quid tandem tantis laudibus exornârunt et tanquàm suos habuerunt quatuor Consultores qui propositiones in sensu proprio et nativo excusârunt in suis suffragiis; è contra verò Consultores ac cardinales iisdem propositionibus adversantes, nec non summum pontificem et datam Constitutionem in scriptis suis lacessere et dente maligno arrodere non dubitârunt? non aliâ certè de causâ, quàm quia hâc falsâ opinione occupati erant, sensum naturalem et obvium damnatarum propositionum ipsum esse S. Augustini et Jansenii sensum.

2° Idem evincitur ex Jansenianorum scriptis ante Constitutionem; in iis siquidem quinque Propositiones in sensu proprio et naturali passim propugnârunt, atque in libro Jansenii contineri ultrò agnoverunt. Prolixiores essemus si omnia eorum eam in rem expressa testimonia producere vellemus; consulatur hist. quinque Propositionum tomo tertio elucidatione primâ, et defensio hujus historiæ pag. 181 et sequentibus, nobis unum aut alterum Jansenianorum scriptum laudâsse satis erit.

In libello cui titulus: *Quæ sit sancti Augustini auctoritas*, edito an. 1650, pag. 117, hæc habentur: « Paucis abhinc mensibus propositio« nes vero per se ac catholico sensu præditæ, « (notanda sunt hæc verba) sed quæ pravâ in« terpretatione aliò deflecti possent, quarum « aliquas constabat esse sancti Augustini, exa« minandas suffigendasque proposuit Facultatis « syndicus. Quis non videt, si probatissima « quæque et antiquissima Ecclesiæ dogmata ad « amussim hanc redigantur, nulla fore tam « certa quæ vitiosè accipi nequeant, nulla quæ « non jam à perversis ingeniis in perversos « distracta sint sensus? » Paulò ante dixerat idem auctor: « Quis verò fando audivit fuisse « unquàm hunc in Ecclesiâ morem, ut propo« sitiones per se veræ; et idoneâ auctoritate « nixæ, atque ita semper in Ecclesisâ susceptæ, « censuræ ideò subjicerentur, quòd post multa « secula à nonnullis in alienos sensus deduci « essent cœptæ? » Igitur in mente illius auctoris quinque Propositiones orthodoxum et catholicum sensum præ se ferunt, et nonnisi pravâ ac vitiosâ interpretatione ad sensus perversos distrahi possunt.

Auctor libelli qui dicitur: *In nomine Domini*, quinque Propositiones sigillatim excutit, easque in sensu proprio et naturali Jansenio adscribit, citatis etiam libris in quibus exprimuntur. De primâ propositione sic loquitur: « Habetur « apud hunc auctorem lib. 3 de Grat. Christi « cap. 13, ubi qui eam non iniquis oculis « aspexerit, solidissimis argumentis, sanissimo « sensu adductam intelliget. » Deinde eum sensum Jansenio tribuit qui est ipse naturalis sensus quem Catholici omnes primæ propositioni semper adscripserunt: « Aliud est, inquit, « asserere universali sensu, justificato legem « impossibilem esse; aliud sensu particulari et « cum additamento, justo volenti et conanti « juxta præsentes quas habet vires, mandatum

« aliquod non esse possibile; illud ut falsum « Jansenius cum Trid. synodo, istud ut verum « Jansenius cum Augustino docet. » Eodem modo circa alias propositiones disserit idem auctor, ex quibus liquet Jansenianos ante Innocent. X Constitutionem, quinque Propositiones in proprio ac naturali earum sensu propugnâsse, quem etiam verum ac legitimum esse Jansenii sensum ultrò fatebantur.

Denique, ut cætera prætermittam, idem disertè testantur Janseniani in suo famoso Trium columnarum scripto. Enimverò, tametsi (narrante Domino de St. Amour Diarii parte 8, cap. 21, pag. 458), nonnulli ex ipsis existimaverint primæ columnæ, id est, Calvini sensum appellandum esse germanum et legitimum, sensum verò secundæ columnæ, seu, ut dicebant S. Augustini et Jansenii, alienum et extraneum, qui nonnisi malignè propositioni affingi posset; alii tamen, quorum sententia prævaluit, voluerunt ut in dicto scripto sensus Calvini alienus inscriberetur; sensus verò secundæ columnæ, id est, ut ipsis videbatur, S. Augustini et Jansenii, germanus et legitimus diceretur, qui ab ipsis defendebatur, et de quo perspicuum judicium expectabant. Hinc in præambulo, seu in oratione prævià ad distinctionem sensuum, sic summum pontificem alloquuntur : « De propositionibus non in sensu « alieno ad quem trahi possent, quique à nobis « respuitur, sed in sensu legitimo qui à nobis « defenditur,.... distinctum ac perspicuum ju- « dicium expectamus. Ne igitur ullus pateat « æquivocationi locus, veros et germanos pro- « positionum sensus quos sustinemus, quàm « brevissimè ac dilucidissimè fieri potest, ex- « ponimus. » Subinde in decursu hujus scripti, in fronte primæ columnæ seu sensûs Calviniani, sic reponunt : « Sensus hæreticus qui « propositioni malignè affingi posset, quem « tamen legitimè sumpta non habet; » in fronte verò secundæ columnæ, sic legitur : « Propo- « sitio prout à nobis intelligitur ac defenditur. » Ita et sentiebant et loquebantur Janseniani in celeberrimo illo scripto nomine præsulum Gallicanorum Jansenio faventium, paucis ante latam Constitutionem diebus pontifici oblato, ut ipsi brevissimè et dilucidissimè mentem suam circa quinque Propositiones exponerent; ex quibus manifestum est, tunc temporis Jansenii doctrinam ipsis fuisse legitimum et germanum propositionum sensum.

Unum hìc sedulò observandum, Dionysium Raymundum, Paulum Irenæum, D. de St. Amour, etc., distinguere sensum proprium, naturalem et obvium propositionum, à sensu vero, germano et legitimo. Hâc positâ distinctione, aiunt 1° sensum primæ columnæ seu Calvini, fuisse proprium, naturalem et obvium; sensum verò secundæ columnæ fuisse verum, legitimum et germanum earumdem propositionum sensum. Aiunt 2°, damnatas fuisse quinque Propositiones in sensu proprio et naturali, non autem in vero et germano earum sensu. Aiunt 3°, dictæ distinctionis ope, clarum esse, sine ullâ contradictione aut variatione ab ipsis jam dici posse sensum Calvini esse proprium et naturalem propositionum sensum, quamvis in scripto Trium columnarum asseruerint sensum illum, alienum esse et extraneum.

Verùm præposterè omninò ac seriùs excogitata distinctio hæc, et ab usu loquendi prorsùs aliena. Namque 1°, nulli unquàm venit in mentem proprium et naturalem sensum distinguere à germano et legitimo. 2° Sensus proprius et naturalis nonnisi ex tribus repeti potest, nimirùm ex propriâ verborum significatione secundùm consuetum usum, ex notâ auctoris intentione, et ex antecedentibus et consequentibus; sed sensus germanus et legitimus nonnisi ex illo triplici fonte dimanare valet; ergo unum et eumdem efformant sensum. 3° Etiamsi daretur dictam distinctionem quandoque locum habere posse; ea sanè adaptari non posset laudatis verbis scripti Trium columnarum. Namque auctores hujus scripti, non modò sensum secundæ columnæ, id est, Jansenii, nuncupaverunt sensum germanum, verum et legitimum; sed etiam alium sensum, nempe Calvinianum qui in primâ exhibebatur columnâ, dixerunt alienum esse, extraneum et malignè affixum : atqui sensus germanus et legitimus prout opponitur alieno et malignè affixo, haud dubiè est proprius et naturalis; quis enim dixerit sensum germanum et legitimum oppositum alieno, esse improprium, extraneum verò, alienum et malignè affixum, esse proprium et naturalem sensum? Quænam, quæso, malignitas affingere propositionibus sensum illum qui proprius eis est, obvius et naturalis?

3° Tandem sensus proprius, naturalis et obvius quinque Propositionum vel est sensus Calvinianus, prout exprimitur in dicto Trium columnarum scripto; vel sensus Jansenii, prout ibidem in secundâ columnâ exhibetur; atqui sensus proprius et naturalis propositionum, non est Calvinianus ille sensus citato libro repræsentatus; ergo, etc. Major ultrò

fatentibus Jansenianis constat; minor autem claré liquet discurrendo per singulas sigillatim propositiones; satis sit hic primam et tertiam in medium adducere.

Prima propositio quæ, ut notant adversarii, cæterarum radix est et origo, sic se habet : *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires sunt impossibilia; deest quoque iis gratia quâ possibilia fiant;* sensus verò Calvinianus, quem ante Constitutionem malignè affixum huic propositioni agnoscebant Jansenii fautores, post Constitutionem autem, ut proprium et naturalem exhibuerunt, sic exprimitur in laudato Trium columnarum scripto : « Justis omnibus, quantumlibet volentibus et « conantibus secundùm præsentes quantas« cumque vires quæ à gratiâ magnâ et efficace « habentur, mandata Dei sunt impossibilia; « deest quoque illis semper et quamdiù vi« vunt gratia quâ possint vel unum ex man« datis Dei sine peccato adimplere. »

Quæro jam à quovis homine præjudiciis minimè occupato, an hujusmodi sensum ex adductâ propositione nudè spectatâ extundi, vel quod amplius est, ut proprium, naturalem et obvium obtrudi posse unquàm suspicatus fuisset? imò vel leviter attendenti patebit, sensum hunc primæ propositioni in multis capitaliter adversari; 1° propositio expressè de quibusdam duntaxat præceptis loquitur; expositio autem adducta de omnibus indiscriminatim mandatis. 2° Propositio agit de *hominibus justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires;* in expositione autem id extenditur *ad justos omnes quantumlibet volentes et conantes secundùm præsentes quantascumque vires quæ à gratiâ magnâ et efficacissimâ habentur.* 3° Propositio dùm asserit, *deest quoque iis* (justis conantibus secundùm præsentes, etc.) *gratia quâ possibilia fiant;* manifestè indicat, quæ quandoque in justis occurrit observandi mandata impossibilitas, fixam non esse et permanentem, sed fluentem duntaxat et transitoriam, quæ scilicet oritur ex defectu delectationis relativè victricis; juxta autem sensum Calvinianum scripti Trium columnarum, prædicta impossibilitas perpetua est et permanens, ex adhærescente concupiscentiæ labe orta; deestque illis semper et quamdiù vivunt gratia quâ possint vel unum ex mandatis Dei sine peccato adimplere. Ergo prima propositio nonnisi per vim ad Calvinianum primæ columnæ sensum detorqueri potest; ac proinde sensus ille, proprius, naturalis et obvius primæ propositionis sensus esse nequit. Verbo dicam, juxta Calvinianum primæ columnæ sensum, impossibilitas est omnium mandatorum, respectu cujuslibet justi quantùmlibet volentis, in quâlibet occasione et secundùm quantascumque gratiæ etiam efficacissimæ vires; ast hicne est obvius et naturalis primæ propositionis sensus?

Non minùs certum est Calvinianum sensum non esse proprium, naturalem et obvium tertiæ propositionis sensum. Namque nihil directiùs systemati Calviniano opponitur, quàm ipsa meriti ratio; ipse siquidem Calvinus tanquàm palmare principium statuit, omnia etiam justorum opera totidem esse lethalia peccata; atqui tertia propositio conceptis verbis nomen et rationem meriti agnoscit, tametsi circa libertatem ad meritum requisitam capitaliter erret, ergo, etc.

Probatur 7° Eum assecutus est et damnavit sensum Innoc. X, de quo solo controversia movebatur, quique ipso coram clarè exponebatur ab utriusque partis æmulis; de quo tandem perspicuum judicium proximè expectabatur; atqui ille sensus est ipsemet Jansenii sensus in scripto Trium columnarum expressus columnâ secundâ. *De propositionibus*, inquiunt Janseniani in præfatione dicti scripti, *non in sensu alieno ad quem trahi possunt, quique à nobis respuitur, sed in sensu legitimo* (id est in sensu secundæ columnæ) *qui à nobis defenditur, controversia est, deque iis sic sumptis distinctum ac perspicuum judicium expectatur;* ergo, etc. Vide quæ supra diximus Conclus. secundâ.

Probatur ultimò quàmplurimis Jansenii textibus qui proprium, naturalem et obvium quinque Propositionum sensum clarissimè exhibent; in hunc autem proprium et naturalem propositionum sensum, ultrò concedentibus Jansenistis, cadit Innocent. X censura; ergo hâcce eâdem censurâ proprius, naturalis et legitimus sensus libri Jansenii proscriptus est. Testimonia hæc infra, cap. 3, referemus, Jansenianum systema evolvendo; ubi etiam sigillatim ostendemus quinque Propositiones è Jansenii libro legitimè esse extractas, atque totidem esse necessaria relativæ ad ipsius sensum delectationis consectaria.

His omnibus adde : 1° quotiescumque Janseniani conquesti sunt summos pontifices Yprensis mentem non fuisse assecutos, hi protinùs confossi fuêre; ita constat in causâ

quinque Articulorum, pacis Clementinæ et famosi conscientiæ Casûs. 2° Quotiescumque ostenderunt dogmata Jansenii circa materiam quinque Propositionum, toties pariter damnati sunt, velut renovantes hæreticam quinque Propositionum doctrinam; ita SS. pontifices, Gallicani antistites, doctores S. Facult. Parisiensis, quorum alii propositiones damnârunt, alii libros et scripta, alii palinodiam cantare coegerunt eos qui talia propugnabant dogmata. Etverò, non aliâ certè de causâ confixi sunt libri Arnaldi, Pauli Irenæi, Wendrochii secunda ejusd. Arnaldi epistola, Expositio fidei circa gratiam, etc., quàm quòd palmare Janseniani systematis principium de duplici delectatione relativè victrici et necessariò voluntatem determinante defenderent. 3° Idem est proprius, naturalis et obvius, tum propositionum, tum libri Jansenii sensus; ita constat ex Innoc. X Brevibus an. 1694 et 1696; idem tradunt præsules Gallicani an 1654, in encyclicâ ad cæteros regni episcopos, his verbis: « Les cinq Propositions sont vraiment de Jansénius, et elles sont condamnées dans le propre sens des paroles qui les composent; lequel sens est celui-là même auquel cet auteur les enseigne, et dans lequel il les explique; » atqui non diffitentur adversarii, SS. pontifices rectè assecutos fuisse et meritò proscripsisse proprium et naturalem quinque Propositionum sensum; ergo, etc.

Ex dictis in toto isto articulo, sequitur 1°, quinque Propositiones delatas, discussas ac damnatas fuisse in vero, proprio, naturali, germano ac legitimo Jansenii sensu.

Sequitur 2°, Jansenianos Constitutioni Innoc. X nusquàm sincerè obsecutos fuisse, sive quoad questionem, ut aiunt, *facti;* sive quoad quæstionem *juris*. Quoad quæstionem *facti*, ex sese patet; quoad quæstionem verò *juris*, sic probatur: Qui verum et proprium sensum, veram et propriam doctrinam in quinque Propositionibus ab Innocent. X proscriptam pertinaciter defendere non cessârunt, ii profectò non sincerè, sed simulatè duntaxat et verbo tenùs Constitutioni Innoc. X obsecuti sunt; atqui tales fuerunt Janseniani; illi siquidem semper propugnârunt doctrinam Jansenii, verum Jansenii sensum, qui, ut Conclus. 2 et 3 demonstravimus, reverà proprius est, naturalis, obvius, germanus ac legitimus damnatarum propositionum sensus; ergo, etc.

Sequitur 3°, Jansenianos stando suis principiis, nec potuisse, nec posse Constitutioni Innocent. sincerum exhibere obsequium; namque ii persuasum habent doctrinam Jansenii sanam esse et orthodoxam, ac ipsinsmet Augustini, imò et Ecclesiæ totius circa gratiam Christi doctrinam continere.

Istâ cohærente ratione innixus inter illos recentior projectæ quidem vir audaciæ, sed animi candidioris, in lib. cui titulus: *Augustinus Yprensis vindicatus,* seu, *Apologeticus Jansenii*, parte 2, cap. 4, conqueritur adversùs confratres suos Jansenianos, quòd apertâ fronte Constitutioni Innocentii non obstitissent, sed præpostere dissimulâssent: « Hinc, inquit, prima mali labes, hinc omnia in pejus ruère... Invictâ agitur fortitudine propugnanda erat sancti Augustini doctrina sub velo quinque propositionum evidentissimè impetitâ; et pro salutaris gratiæ dogmate, in iisdem abundè satis conspicuo, certandum erat usque ad mortem, pulso omni metu temporalis et ecclesiasticæ potestatis. » Iisdem principiis insistens, Constitutionem Clementis XI, *Vineam Domini*, quâ Constitutiones Innoc. X et Alexand. VII renovantur et confirmantur, toti Ecclesiæ ferali scripto denuntiavit *tanquàm evertentem doctrinam gratiæ quâ Christiani sumus, tanquàm exsuscitantem Pelagium cum suis asseclis*, etc. Nihil recentior ille scripsit, quod cæteri omnes Janseniani ambabus ulnis assequi non debeant, ut demonstrat illustriss. archiepiscopus Cameracensis in epist. ad Quesnell. scriptâ.

Sequitur 4°, Jansenismum non esse merum phantasma, sed veram ac realem hæresim, ab iis scilicet propugnatam, qui integram Jansenii de gratiâ doctrinam sanam et orthodoxam esse contendunt.

Sequitur 5°, quod et conceptis verbis declarat clerus Gallicanus in Comitiis anni 1661, art. 3, ex iis quindecim quos ad instantiam regis edixit, eos habendos esse tanquàm hæreticos, qui quinque propositiones in sensu Jansenii hæreticas esse negant. En verba: « L'assemblée déclare qu'elle n'a mis dans sa formule pour la décision de foi, que la même décision qui est contenue dans la Constitution d'Innocent X et en celle d'Alexandre VII, savoir que les cinq Propositions qui ont été tirées du livre de Jansénius, intulé, *Augustinus*, sont condamnées d'hérésie, au sens que cet auteur les a enseignées; en sorte que les contredisants et rebelles seront tenus pour hérétiques, et châtiés des peines portées par lesdites Constitutions. »

Duobus quippe modis negari potest doctrinam Jansenii in quinque Propositionibus expressam hæreticam esse; vel præcisè quia negat quis talem doctrinam, v. g., delectationis relativè necessitantis, esse doctrinam in libro Jansenii expressam; vel quia licet fateatur contineri, negat tamen hanc esse hæreticam. Si primum, hæreticus est duntaxat præsumptivè; si secundum, hæreticus est etiam formaliter. Ratio à priori est, quia in primo casu factum duntaxat negatur; in altero autem non merum factum, sed et jus ipsum respuitur.

Porrò qui à Constitutione Innocent. X doctrinam Yprensis callentes negant quinque Propositiones damnatas esse in illius sensu, de doctrinâ in libro expressâ reipsà consentiunt; contendunt autem eam esse orthodoxam; unde, cùm fateantur quinque Propositiones esse hæreticas, eas in alienos et extraneos sensus detorquent.

Sequitur 6°, ante Constitutionem Innocent. X, controversiam fuisse de jure, non de facto. Scilicet partes æmulæ consentiebant de sensu propositionum, sed de sensûs orthodoxiâ litigabant; Jansenistæ (saltem ii quorum sententia, teste de St. Amour in Diario, prævaluit) propositiones in sensu proprio, germano ac legitimo orthodoxas esse contendebant; alii è contra cum octoginta quinque episcopis eas uti hæreticas insectabantur.

Latâ autem Constitutione totam controversiam ad meram facti quæstionem deducere conati sunt; atque asseruerunt 1°, quinque Propositiones non esse Jansenii, easque damnatas fuisse in sensu qui ad Jansenium nihil pertineat. 2° Postquàm Alex. VII declaravit quinque Propositiones in sensu Jansenii damnatas fuisse præfractè affirmârunt summum pontificem in sensu Jansenii investigando deceptum fuisse. 3°, Addiderunt Ecclesiam ipsam in hoc facti genere falli posse. Sic Janseniani pro diversis occasionibus diversas facies induerunt.

Sequitur 7°, rem penitiùs introspiciendo certum esse, etiamnum controversiam jus ipsum potissimùm spectare, uti mox diximus. Idipsum clarè testatur illustriss. Convennarum postea Tornacensis episcopus Jansenianis minimè suspectus, in epist. ad Innoc. XI, in quâ conceptis verbis asserit, « arcanum hujusce controversiæ usque ad illud tempus omninò ignotum fuisse, atque orbem christianum in eo deceptum fuisse, quòd existimaverit circa merum factum quæstionem versari. » Idipsum pluries ibidem repetit illustriss. præsul; addit mirum profectò videri, quâ ratione plerisque persuadere potuerint Jansenistæ de mero facto controversiam moveri, cùm de jure reipsà quæstio sit; ostendit postea idem episcopus, quomodò iste error ex fautorum Jansenii dissimulatione ortus fuerit; simulque ipse candidè agnoscit, quinque Propositiones, si non de verbo ad verbum, saltem quoad voces æquivalentes in libro Jansenii reperiri. Circa hoc disertissimum testimonium consule opusculum illustriss. archiepiscopi Cameracensis, cui titulus gallicè : *Autre lettre au Père Quesnel, etc.*, pag. 212, 213 et sequent. Subjungit ibidem doctiss. archipræsul eam in rem auctoritatem cardinalis Rospigliosi in suâ Relatione circa Jansenismum n. 156 et 157, ubi pariter asserit ac multis probat, in Janseniorum negotio, non de mero facto, sed de ipso jure quæstionem haberi.

ARTICULUS II.

De quinque Jansenianorum articulis.

Magna in præsenti negotio, quinque articulorum celebritas. Horum duo genera statim distingui debent, ne fortè, ut sæpè fit, confundantur. Alii quippe doctrinales fuêre; hoc est, ad exponendam prætensorum Augustinianorum doctrinam destinati; alii spectabant quæstionem facti; hoc est, naturam reverentiæ et obedientiæ quæ debetur definitionibus Ecclesiæ circa facta. Horumce omnium articulorum historiam cap. præced. texuimus.

Jam investigandum est, num reverà à S. pontifice approbati fuerint quinque articuli doctrinales, sicut præfidentiùs jactitârunt Janseniani. De solis autem doctrinalibus articulis instituitur quæstio; certum quippe est articulos facti quæstionem spectantes nusquàm fuisse approbatos, imò ubi primùm jussu regis episcopis Gallicanis oblati fuerunt, ab iis graviter fuerunt improbati, ut constat ex eorum epist. ad Alex. VII die 2 octobris anni 1663 : « Mirifica, inquiunt, nostrûm omnium, quotquot aderamus, in his verbis reprehendendis extitit consensio. Visa sunt enim subdola, simulacrum duntaxat obsequium præ se ferentia, mente versipelli et callidâ concinnata, eoque periculosiora, quòd formulæ, etc..... Istud itaque scriptum rejiciendum censuimus, tanquàn fictum et nullatenùs catholicum. » Ita judicant præsules nostri de quinque Jansenianorum articulis facti quæstionem spectantibus. His præmissis, sit

CONCLUSIO. — Fictitia est quam venditant Janseniani quinque articulorum approbatio.

Probatur 1°. Ratio ipsa temporis quo et dicti articuli Romam transmissi, et Breve summi pontificis ad Gallias delatum est, prætensæ approbationi omninò repugnare videtur. Scilicet epistola episcopi Convennarum quâ dictos quinque articulos ad Alex. VII transmisit, scripta est die 19 junii anni 1663. Breve autem summi pontificis quo dicuntur approbati illi articuli, scriptum est die 29 julii ejusd. anni; an porrò verisimile videtur intra tam exiguum temporis intervallum. Parisiis transmissos Romam articulos; indictam à S. pontifice cardinalium et Consultorum congregationem; singulos quâ par fuit curâ et diligentiâ ab ipsis discussos fuisse; ac denique S. pontificem rogatis et inspectis Consultorum suffragiis judicium pronuntiâsse? id profectò non patitur quæ omnibus nota est Romanorum in hisce rebus lenta, matura et graviùs agendi ratio. Quòd si Janseniani invidiosè olim conquesti sunt quinque Jansenii famosas Propositiones, breves quidem et simplices, non satis maturo, tametsi per duos integros et ampliùs annos examine discussas fuisse, an non ipsi hodiè lepidi sunt qui suos articulos longè magis et prolixos et implicatos, intra spatium 10, aut 12 dierum romano examine ac judicio discussos ac probatos ventitare nobis et obtrudere non erubescunt? Quàm parùm hæc secum invicem cohærent!

Probatur 2°. Si quid probaret hos articulos ab Alex. VII ut orthodoxos fuisse admissos, maximè ista Brevis verba à Jansenianis toties prædicata et ventilata : « Illud autem non mediocri gaudio animum nostrum perfudit, quòd litteris ex Galliâ recens allatis, accepimus illorum in dies crescere numerum, qui recta sapiunt, præfatis Constitutionibus sese ultrò subjicientes; illorum verò decrescere, qui à veritate auditum avertunt, et variis inanium interpretationum argumentis decepti, decretis apostolicis refragantur. Is fuit egregius sanè laborum vestrorum fructus, ut multi, iique cæterorum nomine primarii, exemplo vestro, consilio et operâ ad saniorem doctrinam inducti, eâ quâ par est, ut credimus, animi demissione sese paratissimos exhibuerint ad illa omnia præstanda, quæ ipsis à Sede apostolicâ præscribentur. » Ast in his verbis ne unum quidem apicem de approbatione quinque articulorum reperiri posse, imò nec ad illos ullatenùs respexisse summum pontificem cùm hæc scriberet, facile est demonstrare. Namque 1°, si dictos articulos præhabito examine probâsset pontifex, illos procul dubio expressè appellâsset; de iis autem silet; ergo, etc... 2° Eorum qui recta sapiunt numerum crescere non aliunde probat pontifex, quàm ex litteris episcoporum Galliæ recens acceptis; at si quinque articulos orthodoxos judicâsset, longè meliùs per seipsum, ex lectione illorum articulorum istud asseruisset..... 3° Declarat quæ sit sanior illa doctrina ad quam multi sunt inducti; videlicet quòd ipsi, *eâ quâ par est*, ut putabat, *animi demissione sese paratissimos exhibuerint ad illa omnia præstanda, quæ ipsis à Sede apostolicâ præscribentur;* quibus verbis manifestè alludebat, non ad quinque articulos, sed ad publicum instrumentum quod Janseniani episcopo Convennarum dederant Romam transmittendum simul cum quinque articulis, in quo quidem instrumento profitebantur Janseniani, « se paratos esse Constitutionibus apostolicis eam reverentiam et observantiam, quam Sedis apostolicæ majestas et summa ejus auctoritas exigit, impendere; eaque alia omnia præstituros, quæ ab ipsis S. pontifex exigere voluerit..... » 4° In eodem Brevi Gallicanos antistites hortatur Alexand. VII operi ultimam manum admovere, et procurare impensè, « ut omnes præfatis Constitutionibus apostolicis se, ut par est, subjiciant, et quinque Propositiones ex Jansenii libro excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, sincero animo rejiciant et damnent; » porrò, si judicâsset pontifex, sicut supponunt Janseniani, puram ac sanam esse articulorum illorum doctrinam, quid rursùs necesse fuisset ab eorum auctoribus exigere ut quinque Propositiones Jansenii sincero animo rejicerent et damnarent? Meritò tamen id ab ipsis postulavit Alexander, quia dictos articulos suspectos habebat, atque eos planè insufficientes intelligebat ad orthodoxam fidem exprimendam...... 5° Tandem, si illi articuli ab Alex. VII approbati sunt; cur ergo, cùm illos articulos Alex. VIII, anno 1689, iterùm obtulerunt, atque ad Innoc. XII, anno 1693, solemniter quosdam è suis miserunt, approbationem quam expostulabant obtinere non potuerunt?

Probatur 3°. Cùm Alex. VII transmissos ad se Jansenianorum articulos recepit, jam antea nonnulla Arnaldi in defensionem suæ famosæ propositionis opuscula damnaverat, in quibus illi ipsi scholasticorum, inprimis verò Thomistarum loquendi modi usurpantur, qui, fa-

tente ipsomet Quesnellio parte 2 recentioris libelli, cui gallicè titulus : *Explication Apologétique*, pag. 55, doctrinam quinque articulorum ab omni erroris suspicione liberam reddere debent; quis porrò sibi facilè persuadeat, cautum et sapientem pontificem propter involutas hujusmodi loquendi formulas voluisse doctrinam quinque articulorum sanam declarare, qui Arnaldi opuscula in quibus eædem planè insidiosæ locutiones continentur, jam prædamnaverat ?

Probatur 4° ex ipsismet celebrioribus Jansenistis, quibus prætensa quinque articulorum approbatio visa est gratis conficta. Arnaldus epist. 101 ad D. de la Lane de dicto Brevi sic loquitur : « Le seul avantage réel est celui que « nous pourrions prendre en faveur de nos articles; réservons-le pour nous défendre ou « pour quelqu'autre occasion. Mais je trouve « très dangereux de le faire valoir présentement, parce qu'il sera facile aux Jésuites de « nous l'arracher des mains, en tirant quelque « déclaration qu'on n'y a point eu d'égard, ou « se portant même à y faire donner quelque « atteinte. » Dixerat antea : « Ils disent déjà « que le pape n'a point examiné nos articles, « et qu'il n'y a aucun égard ; mais qu'il s'est « seulement arrêté à la soumission qu'on lui a « faite, et qu'ayant supposé qu'elle était sincère, pleine et entière, il avait dû tenir pour « des personnes qui se départaient de leurs « erreurs, ceux qui lui témoignaient être prêts « de faire tout ce qu'il leur ordonnerait ; et « que l'on ne peut pas conclure de là, que nos « articles soient sans erreur, quand même le « pape les aurait lûs, CE QU'ILS NIENT SANS QUE « NOUS LE PUISSIONS PROUVER. » Ibidem de eodem Brevi mentem suam candidè aperit Arnaldus, his verbis : « Le meilleur eût été d'éclater « dès que ce Bref a paru ; de le décrier comme « l'effet d'une insigne fourberie, et ayant été « apparemment envoyé de Paris, selon ce que « feu M. de Toulouse (M. de Marca) en envoya « un tout dressé sur une semblable affaire..... « de le regarder comme nul et subreptice, vu « l'injure qui y est faite à la dignité épiscopale en la personne de M. de Cominges, « et de le porter à s'en plaindre hautement « au roi. »

Ex his tria constant : Primum, quæ fuerit vera Arnaldi mens de isto Brevi, de quo postmodùm tantoperè gloriati sunt Janseniani ; illud scilicet tanquàm irritum, subreptitium, ac nonnisi insigni fraude fabricatum statim explodendum fuisse ; secundum, sincerâ fide non egisse Arnaldum ; ipse enim vivente Alex. VII, gemebat de tali Brevi, quasi veritati maximè adverso ; sed vix mortuo romano pontifice trophæa canere cœpit, et in variis scriptis probare aggressus est Alex. VII, in suo Brevi approbâsse quinque articulos, quos tamen ne quidem legisse romanum pontificem probari poterat ipso teste, ipso fatente Arnaldo ; tertium, Catholicos statim post acceptum Breve illud exposuisse de protestatione, nec potuisse unquàm Jansenianos probare illud intelligendum de articulis ; quin et iis temporibus periculosum judicabat Arnaldus de Brevi nimiùm jactitare, quòd nimirùm facile fuisset Molinistis, prætensam illam articulorum approbationem, editis in contrarium à pontifice declarationibus infirmare, ac falsam et supposititiam manifestare.

Quesnellius ipsemet in Monito quod præfixit secundæ parti suæ Apologet. explicationis, 1° fatetur Augustinianos asserere, non tam positivè quàm negativè dictos illos articulos probatos fuisse ; quo ferè modo, inquit ille, actore non probante reus absolvitur. Cùm hæc in eo Monito quod operi jam absoluto præfixum est, scribebat Quesnellius, procul dubio immemor erat dixisse se in operis discursu articulos illos expressè ac formaliter approbatos fuisse ; vel potiùs censendus est dictum hoc suum emendare voluisse, solâ negativâ approbatione contentus.

2° Nequidem affirmatè asserere audet etiam negativè probatos fuisse articulos ; ait enim tantùm ibidem, Augustinianos existimâsse sufficiens habere fundamentum asserendi eos negativè fuisse probatos ; at in rei veritate nullum prorsùs est approbationis ejusmodi fundamentum. Negativa quippe illa approbatio, judice Quesnellio, similis est illi quâ reus accusatus et non convictus absolvitur ; atqui nullus tunc temporis authenticè dictos illos articulos apud pontificem accusavit ; non profectò episcopus Convennarum qui eos velut orthodoxos transmiserat, et apud pontificem laudaverat ; nullum de eisdem præmissum examen ; ergo nulla nequidem negativa illorum approbatio, nisi fortè contendat Quesnellius, eo ipso librum aliquem ad S. pontificem transmissum negativè probari, quo ab ipso non damnatur ; si ita est, liber cardinalis Sfondrati, de quo nonnulli Gallicani præsules apud S. pontificem conquesti sunt, dicendus erit negativè probatus, quia [illegible] o scriptus.

5° Allata à Quesnellio distinctio inter positivam et negativam approbationem, quinque articulis obest potiùs quàm prosit. Namque si liber censuræ aculeis objectus, censeatur negativè approbatus, eo ipso quo non proscribitur; profectò scriptum approbationis obtinendæ gratiâ S. pontifici exhibitum, debet censeri negativè condemnatum, quandò positivè approbatum non fuit; cùm igitur, ut vidimus, quinque articuli à Jansenianis ad S. pontificem missi fuerint ut approbarentur, nullamque positivam approbationem consequi potuerint, concludendum est juxta Quesnellii principia, eos negativè potiùs condemnatos fuisse quàm negativè approbatos.

Probatur 5° auctoritate illustrissimorum episcoporum, inprimis verò Carnutensis, Noviomensis, Meldensis, etc., qui in suis Pastoralibus Documentis adversùs theologicas Juenini Institutiones, quinque articulorum approbationem omninò fictitiam et commentitiam esse demonstrârunt. Idipsum jam anno 1684 præstiterat auctor libri cui titulus gallicè : *Observations sur la nouvelle défense de la version française du N. T. imprimé à Mons*, qui quidem liber in lucem prodiit sub auspiciis illustriss. Harlæi archiepisc. Parisiensis.

Unum hic addo. Vel doctrina quinque articulorum eadem est cum doctrinâ quinque Propositionum in sensu Jansenii intellectarum; vel non. Si secundum, ergo ex articulorum approbatione suam ab errore non eximunt adversarii doctrinam; si primum, ergo approbavit Alexander VII doctrinam tum à se, tum à suis prædecessoribus variis in Brevibus et Constitutionibus solemniter explosam; quod quàm sit et in se incredibile et summo pontifici injuriosum, nemo non videt.

Dices 1° : Janseniani in tertio è quinque articulis ad factum pertinentibus non obscurè asserunt suos articulos doctrinales à S. pontifice probatos fuisse in dicto ad episcopos Gallicanos Brevi; atqui tamen ista pontificii Brevis interpretatio à clero Gallicano non fuit reprobata; ergo, etc. — Respondeo 1°, Jansenianos non ausos fuisse id affirmatè asserere, sed quasi subdubitando; sic enim habent : *Il paraît par quelques termes dudit Bref, que sa Sainteté en a été satisfaite.* Respondeo 2°, hanc Brevis interpretationem satis reprobatam censeri à clero Gallicano, eo ipso quo ab eodem clero, ut supra vidimus, quinque articuli facti quæstionem spectantes, hancque interpretationem continentes, tam graviter reprehensi et notati fuerunt.

Dices 2° : Generales cleri Gallicani procuratores in eâ quam ad singulos episcopos scripsère epistolâ die 20 octobris 1663, expressis verbis significant laudatum Breve Alex. VII esse responsionem ad quinque articulos doctrinales; ergo quæ in isto Brevi habentur de saniori Jansenianorum doctrinâ non possunt nisi ad illos articulos referri. Ita sibi plaudens objicit Quesnellius parte secundâ supra citati libri pag. 48. — Respondeo Quesnellium, ut vanum sibi erigeret triumphum, citatæ epistolæ verba truncâsse, quæ si integra retulisset, nullus superesset objectioni locus; sic enim loquuntur dicti generales procuratores : « Les « pièces que nous vous envoyons par l'ordre « de messeigneurs les prélats, vous apprendront le sujet de leur assemblée extraordinaire, et leurs résolutions sur le sujet du « Bref de N. S. P. le pape, qui est une réponse « à certains articles qui ont été envoyés ci-« devant à sa Sainteté, pour se soumettre sous « des conditions aux Constitutions de nos SS. « PP. les papes Innoc. X et Alex. VII, qui « condamnent les cinq Propositions de Cornel. « Jansénius. » Breve igitur Alex. VII ad Episcopos Gallicanos responsio est ad quosdam articulos quibus sub certis conditionibus Janseniani obsequium et obedientiam promittebant se exhibituros Constitutionibus apostolicis; atqui in doctrinalibus articulis ne vel minimum vocabulum de obedientiâ; ergo ad illos articulos non attendebant præfati procuratores, sed ad instrumentum illud seu scriptum publicum sæpiùs commemoratum, simul cum articulis doctrinalibus Romam transmissum, quo Janseniani sese ad obsequium exhibendum obstrinxerant.

Etverò, inter illa instrumenta quæ generales procuratores ad episcopos absentes transmiserunt, ut eos de rebus in comitiis anni 1663 gestis certiores facerent, extat promissi obsequii declaratio, prætermittuntur autem quinque doctrinales articuli; an verò illos omisissent, si existimâssent de iis in Brevi suo agere summum pontificem? Unum hic apprimè observandum, prædictam declarationem absque quinque articulis doctrinalibus typis edi et ad episcopos transmitti curâsse dictos Procuratores; non aliâ certè de causâ, quàm quòd ipsis persuasum foret, Breve summi pontificis ad illos quinque articulos non respicere, sed ad solam declarationem seu procurationem laudatam.

Dices 3° : Damnatus Romæ fuit atque in Indicem rejectus libellus quidam contra quinque articulos editus sub hoc titulo : *Fraus quinque articulorum* ; ergo , etc. — Respondeo non idcircò damnatum fuisse hunc libellum quòd quinque impugnaret articulos ; tunc etenim et monitum doctoris Parisiensis contra eosdem articulos Romam transmissum est , et observationes alterius magistri et professoris Sorbonici in lucem absque ullâ reprehensione editæ fuerunt , imò significavit S. pontifex , D. Parisiensis monitum sibi gratissimum et acceptissimum fuisse ; quin et ipse Clemens XI Documenta Pastoralia episcoporum Carnutensis et Meldensis , ubi prætensa quinque articulorum à Sede apostolicâ approbatio exploditur , ipsique articuli omninò rejiciuntur , non solùm non improbavit, sed etiam debitis laudibus extulit in tribus ad ipsos Brevibus. Quæ autem vera causa sit cur proscriptus fuerit libellus citatus nos latet.

Dices 4° : Episcopus Convennarum in suâ ad regem Christianissimum epistolâ supra citatâ non obscurè asserit quinque articulos ab Alex. VII approbatos fuisse , et reipsà esse orthodoxos. 2° Idem asserit episcopus Alectensis in epist. ad illustriss. archiepisc. Parisiensem de Perefixe scriptâ , die 7 novembris anni 1667. 3° Card. d'Aguirre tum in epistolâ ad D. Hennebel , tum Theolog. S. Anselm. Proleg. 5 , illos articulos tanquàm sanos approbare videtur. Denique multi celebres Thomistæ , quos inter Gonetus , eosdem articulos probaverunt ; ergo , etc. — Respondeo ad primum et secundum , vel ipso judice Quesnellio nimiùm probant illustrissimi Alectensis et Convennarum episcopi ; volunt siquidem dictos quinque articulos positivè ab Alexand. VII fuisse probatos, quos ipse Quesnellius loco antea citato fatetur negativè duntaxat fuisse approbatos. Præterea dictis episcopis opponimus Carnutensem , Meldensem , Noviomensem aliosque plures , qui prætensam quinque articulorum approbationem explodunt.

Ad tertium : 1° In nullo ex citatis à Quesnellio locis affirmat card. d'Aguirre , imò ne vel minimùm quidem innuit dictos articulos ab Alexand. VII vel VIII probatos fuisse ; tametsi gesta sub Alex. VII facilè rescire posset , et interfuisset Congregationibus sub Alex. VIII habitis , quando Janseniani ab eo postulârunt ut declararet sanam esse et à Jansenianâ longè remotam quinque articulorum doctrinam. 2° Idem eminentiss. card. citato Prolog. 5 , unde Quesnellius arguit, istud quinque articulorum auctoribus crimini vertit , quòd in illis ne verbulo quidem significent se doctrinam Jansenii rejicere ac damnare. 3° Ibidem candidè fatetur , lectis duntaxat Jansenianorum pro defensione quinque articulorum libris se in eorum gratiam propensum aliquando fuisse; verùm addit, visis postmodùm et expensis aliorum responsis , maximè verò iis quæ dicta et gesta fuerant in famosis Collationibus circa illos articulos habitis cum Patre Ferrerio , se iis plurimùm commotum fuisse, suumque suspendisse judicium , nec etiamnum proferre eò quod Innoc. XI decreto cautum esset, ne quis propositiones aut opiniones aliquas circa gratiam notaret , antequàm Sedes apostolica suum de illis protulisset judicium ; an quæso hæc sunt hominis dictos articulos probantis , aut à SS. pontificibus approbatos fuisse existimantis? Atque hæc card. d'Aguirre in eo ipso Prolog. 5 , quæ pro suâ fide ac candore suppressit Quesnellius.

Ad postremum resp. illos Thomistas deceptos fuisse ambiguis nonnullis verbis quæ Thomisticam doctrinam in speciem referre videntur, sed quæ reipsà Jansenianum occultant errorem; nihil quippe , fatentibus ipsismet Jansenistis, in his articulis continetur quod cum systemate Janseniano apprimè non cohæreat. Mirum porrò est P. Gonet. in Galliâ scribentem tam affirmatè asseruisse dictos illos quinque articulos ab Alex. VII probatos fuisse, cùm ipse P. Massoulier alter Dominicanus qui Romæ scripsit, nunquam tale quid asserere ausus fuerit.

Dices 5° : Doctrina quinque articulorum alia planè est à Jansenianâ. Istius quippè fundamentum, ut dicemus cap. sequenti , est delectatio relativè victrix ad sensum Jansenii ; atqui in quinque articulis ne verbum quidem de illâ delectatione; ergo, etc. — Respondeo 1°, si quinque articulorum doctrina distat à Jansenianâ, ex prætensâ horumce articulorum approbatione nihil in suæ doctrinæ gratiam inferre possunt Janseniani ; 2° semper contestati sunt Jansenii discipuli, se nusquàm à doctrinâ quinque articulorum recessisse ; 3° sive illorum articulorum auctores spectentur ; sive eorum libri in quibus eædem usurpantur loquendi rationes; sive denique verba ipsa ex quibus illi constant, planum omninò erit hisce articulis Jansenianum dogma exprimi, DD. Girard et Nicole inter præcipuos et fervidiores Jansenii defensores, illorum articulorum pa-

rentes fuère, uti refert auctor libelli cui titulus : *La paix de Clément IX;* quidquid in speciem magis catholicum in dictis articulis exprimitur, de verbo ad verbum repræsentatur in Disquisitionibus Pauli Irenæi, Elucidatione Dionysii Raymundi, Expositione fidei circa gratiam; citiùs verò omnes oceani aquas exhauseris, quàm hæc scripta ab erroribus Jansenii purgaveris. Quòd si ad ipsum contextum verborum horumce articulorum attenderimus, tametsi verbis valdè ambiguis concinnati, varios in sensus distrahi possint, attamen rem penitiùs introspicienti, apertum erit in illis contineri præcipuam Jansenistarum fallaciam, de distinctione scilicet potentiæ absolutæ et relativæ, in quâ ultimæ veluti Jansenismi fibræ reconduntur, et cujus ope in æquivoco perpetuò luserunt Jansenii defensores, tum in quinque articulis, tum in suis cum Patre Ferrerio Collationibus.

Callidè porrò et ad fucum faciendum, de delectatione relativè victrici siluerunt quinque articulorum auctores, ut nempe tutiùs se Thomistas fingere possent, quos notum est vim gratiæ efficacis non ex delectatione per gradus victrici, sed ex efficacissimâ et omnipotentissimâ Dei voluntate repetere, attamen nihil in his suis articulis asserunt Janseniani, quod cum doctrinâ delectationis relativè superioris optimè non cohæreat. Imò, cùm in famosis de dictis articulis congressibus, maximam argumentorum suorum vim ex modo agendi delectationis per gradus seu relativè victricis adversùs Jansenianos contorqueret Ferrerius, isti libenter admisso delectationis hujus principio, quæ inde absurda et erronea necessariò sequi demonstrabat Ferrerius, non aliter eludebant, quàm famosâ æquivocatione supradictæ distinctionis potentiæ absolutæ aut relativæ de quâ ex professò agemus, ubi de systemate doctrinæ Jansenii.

ARTICULUS III.

De pace Clementis IX.

Mirum profectò quantùm Janseniani eâ quatuor episcoporum cum Clemente IX reconciliatione, quam superbo nimis titulo, Ecclesiæ pacem nuncupavêre, abusi fuerint in patrocinium religiosi, ut vocant, silentii, quod unicè circa factum Jansenii Constitutionibus apostolicis deberi affirmant.

Duo scilicet dixêre, primum, quatuor episcopos in novâ subscriptione quæ refertur in actis Verbalibus synodorum diœcesanarum, rursùs inseruisse distinctionem juris et facti; atque illi internum et absolutum mentis assensum, huic autem reverentiam duntaxat silentii promisisse; alterum, S. pontificem Clementem IX, quatuor Episcopos ad pacem, seu ad communionem suam recepisse, quanquàm non ignoraret dictam subscriptionis ab ipsis factæ distinctionem seu limitationem; unde jactantiùs prædicârunt approbatam à Clemente IX fuisse suam de religioso silentio opinionem. Ita Janseniani in omnibus ferè scriptis ab hoc tempore exaratis, ac præsertim in duobus operibus, quorum primum gallicè inscribitur : *La paix de Clément IX*, alterum verò duobus tomis distinctum : *Relation de la paix de Clément IX*.

Compendiosam hujusce pacis historiam alibi exhibuimus; unum hîc, et quidem maximi in præsenti negotio momenti, superest investigandum, an scilicet, prætensa illa pax puræ et simplici adversetur subscriptioni formularii, faveatque religioso, ut vocant, silentio circa dogmaticum Jansenii factum. Istud pertinaciter contendunt Janseniani; cæteri verò constanter pernegant. Quidquid autem sit de privatâ quatuor episcoporum agendi ratione, quam præ reverentiâ refricare nolumus ac profundiùs scrutari, tria hîc totidem Conclusionibus probanda suscipimus, ex quibus manifestum erit nihil omninò ex hâc confidentiùs jactatâ Clementis IX pace colligi posse in patrocinium silentii religiosi.

Primum : Clemens IX reipsà existimavit quatuor episcopos sincerè, purè et simpliciter subscripsisse formulario Alexandri VII. Secundum : Non potuit summus ille pontifex aliter pro suâ prudentiâ de illis quatuor episcopis suspicari. Tertium : Etsi concederetur Clementem IX (quod tamen absque summâ tanti pontificis injuriâ supponi nequit) non ignorâsse factam à quatuor episcopis juris à facto distinctionem, adhuc tamen nihil exinde colligi posset in gratiam silentii religiosi.

Et hæc quidem ex superabundanti, ut aiunt probanda aggredimur; ruit etenim penitùs adversariorum sententia, si vel una ex dictis propositionibus vera demonstretur; quantò magis si omnium veritas adstruatur? Sit itaque

Conclusio prima. Clemens IX reipsà existimavit quatuor episcopos purè et simpliciter subscripsisse formulario Alexandri VII.

Probatur 1° ex Brevi Clementis IX ad regem Christianissimum dato die 28 septembris 1668, in quo sic loquitur : « Cum lætitiâ cognovimus

« in purâ et simplici subscriptione formularii, « quatuor illorum Episcoporum obedientiam « et obsequium. » Ex his sic arguo : Pura et simplex subscriptio formularii, in quo subscribens jurat se sincero animo rejicere ac damnare quinque Propositiones in sensu à Jansenio intento, excludit haud dubiè omnem restrictionem, limitationem ac distinctionem respectu sensûs Janseniani; atqui, quam præstiterunt episcopi subscriptionem formulario, in quo subscribens jurat, etc., eam Clemens IX existimavit puram et simplicem; ergo, etc.

Probatur 2° ex Brevi ad episcopos pacis mediatores dato die 19 januarii 1669 : « Non « sine lætitiæ sensu, inquit, pervidimus ex lit- « teris fraternitatem vestrarum.... de perfectâ « et integrâ obedientiâ nobis et apostolicæ Sedi « præstitâ per episcopos Andegavensem, Bel- « lovacensem, Apamiensem et Alectensem, « subscriptione formularii sincero animo et « juxta præscriptum litterarum apostolicarum « ab eis factâ. » Quid luculentiùs? Perfecta et integra obedientia Sedi apostolicæ præstita, subscriptio formularii juxta præscriptum Constitutionum Innoc. X et Alex. VII, non patitur distinctionem juris à facto, nec admittit restrictionem ac limitationem sensûs Janseniani quem alex. VII expressè damnandum declaravit; porrò Clemens IX talem fuisse existimavit quatuor episcoporum obedientiam et subscriptionem; ergo, etc.

Probatur 3° ex Brevi ad illos quatuor episcopos eodem anno et die : « Cum ingenti, in- « quit, obsequii nobis et huic sanctæ sedi per « vos debiti testatione significabatis (in epistolâ « nimirùm quam scripserant ad S pontificem) « vos juxta præscriptum litterarum apostoli- « carum Innoc. X et Alex. VI sincerè sub- « scripsisse et subscribi fecisse formulario in « ejusdem Alex. VII litteris edito.... Nam præ- « decessorum nostrorum Constitutionibus fir- « missimè inhærentes, nullam circa illud ex- « ceptionem aut restrictionem admissuri un- « quàm fuissemus; in præsens tamen cùm « nova et gravia isthinc accepimus documenta « veræ et totalis obedientiæ vestræ, quâ et « formulario sincerè subscripsistis, damnatis « absque ullâ exceptione aut restrictione quin- « que Propositionibus in omnibus sensibus, in « quibus à Sede apostolicâ damnatæ fuerunt... « tribuere vobis voluimus hoc paternæ bene- « volentiæ nostræ argumentum. » Quid iterùm disertius? Vera, perfecta, integra ac totalis obedientia quâ formulario absque ullâ exceptione aut restrictione sincerè subscribitur, et damnantur quinque Propositiones absque ullâ pariter exceptione aut restrictione, in omnibus sensibus in quibus à Sede apostolicâ damnatæ fuerunt, manifestè excludi ac directè opponitur partiali huic obedientiæ et limitatæ subscriptioni quam in suis Mandatis dicti quatuor episcopi præstiterant; quæ in eo posita erat, quòd respectu solius juris internam adhæsionem, et respectu facti solum silentium religiosum exhibendum esse significarent; atqui Clemens IX existimavit quatuor episcoporum obedientiam fuisse veram integram, totalem, etc.; ergo, etc.

Probatur 4° disertissimo testimonio cardinalis Rospigliosi Clementis IX nepote, in suâ totius hujusce negotii historicâ Relatione, in quâ sic loquitur n. 161 : « Sin verò asseruis- « sent episcopi nolle se pro hæreticis agnos- « cere quinque Propositiones in sensu Jansenii, « quemadmodùm ab apostolicâ Sede fuerant « damnatæ, id sanè nullatenùs ferre, neque in « re tanti momenti quidquam connivere, quin- « imò acerrimè obviàm ire statuerat. » Audis summum pontificem firmiter adhæsisse suo proposito nullam ineundi concordiam, nisi quatuor episcopi damnarent quinque propositiones in sensu Jansenii, seu quod idem est, nisi sincero animo acquiescerent definitioni pontificiæ circa dogmaticum Jansenii factum; cùm ergo quatuor episcopos ad pacem admisit Clemens IX, ignoravit profectò ab iis fuisse factam juris à facto distinctionem.

Probatur 5° omni exceptione majori teste Clementi XI in solemni Constitutione *Vineam Domini, etc.*, anno 1705 datâ, in quâ prædecessoris sui Clementis IX exponens mentem, eos severè perstringit qui illius litteras in erroris sui patrocinium advocare temerario ausu non erubescunt : « Perinde ac si, inquit, memora- « tus Clemens prædecessor, qui eisdem suis « litteris se Innoc. X et Alex. VII prædecesso- « rum Constitutionibus firmissimè inhærere, « ac à dictis quatuor episcopis veram et totalem « obedientiam, adeòque formulæ à præfato « Alex. editæ, sincerè per eos subscribi voluisse « declaravit, aliquam in tam gravi negotio ex- « ceptionem seu restrictionem, quam nullam « prorsùs se unquàm admissurum fuisse pro- « testatus fuit, reipsâ admisisset. » Clara sunt hæc, nec ullâ interpretatione indigent.

Ex iis autem quæ hactenus dicta sunt, apertè constat quæ fuerit mens R. pontificis, et quo sensu scripta Romam è Galliis missa intellexe-

rit. Neque enim aliunde meliùs ac tutiùs dijudicari potest quid in præsenti negotio senserit Clemens IX quàm ex iis publicis ac authenticis quæ in responsum dedit monumentis, aut ex personis quibus ipsius mens aperta fuit; atqui tum ex publicis in responsum datis scriptis, scilicet ex Brevibus ad regem Christianiss. ad episcopos pacis mediatores, et ad ipsosmet quatuor episcopos: tum ex personis quibus meliùs nota esse potuit Clementis IX mens, scilicet ex card. nepote Rospigliosi, et ex Clemente XI manifestè patet S. pontifici ignotam fuisse factam à quatuor episcopis juris et facti distinctionem, imò existimâsse ipsos purè ac simpliciter subscripsisse; ergo, etc.

Quid ad hæc evidentissima momenta Janseniani? inania prorsùs ac futilia. Aiunt 1°, Breve ad regem Christianissimum diu occultatum fuisse non absque mysterio, ne scilicet deprehenderetur falsum esse quod in eo asseritur de purâ et simplici quatuor episcoporum subscriptione. Ita auctor anonymus apologet. præfat. ad Relationem pacis Clemens IX.

Refellitur: 1° Diù latuerunt verbalia quatuor episcoporum acta; an indè eorum veritatem in dubium adduci paterentur Janseniani? 2° non negamus falsum esse quod in Brevi dicitur de pura et simplici quatuor episcoporum subscriptione; at nobis sufficit quòd id verum putaverit Clemens IX, sicut reverà ipsum existimâsse ex Brevi clarum est et manifestum. 3° Teste auctore mox citato, ideò suppressum fuit istud Breve in Galliis, ne scilicet crederent quatuor episcopi apud Romanos vigere hanc opinionem, ipsos sine sæpiùs dictâ distinctione subscripsisse; ergo eâ prætensâ ratione quæ ad Breve occultandum movit, constat Clementem IX existimâsse quatuor episcopos sine distinctione subscripsisse.

Aiunt 2° hæc verba, *in purâ et simplici subscriptione*, inimicâ manu fuisse Brevi adjecta; hujusce fraudis architectum esse card. Albizium, omninò verisimile conjicit auctor libri cui gallicè titulus: *La paix de Clément IX*, pag. 119.

Refellitur: 1° Putidum istud est commentum, insulsaque evasio, quæ sicut nullo nititur momento, nullâ quoque ratione solvi debet. 2° Quàm temeraria sit et Sedi apostolicæ injuriosa hujusmodi cavillatio nemo non videt; quasi verò S. pontifex, atque inprimis Clemens IX, quem ipsimet Janseniani summis laudibus extollunt, passus unquàm fuisset aliquid in suis Brevibus contra veritatem ac sinceritatem interseri, ne aliquâ ex parte de suo remisisse videretur; quis talem de tanto pontifice calumniam patienter ferat? 3° Quæ ex aliis Brevibus à nobis adducta sunt de subscriptione sincerâ et absque ullâ restrictione ac limitatione, puram ac simplicem perinde adstruunt subscriptionem.

Aiunt 3°, tunc præstitam quatuor Episcoporum subscriptionem dici posse *puram et simplicem*, quia ipsi in subscribendo, purè et simpliciter nomen apposuerant suum, nec addiderant clausulam: *Ego N. dogmatibus fidem, facto reverentiam promitto*. Ita præfatus auctor p. 120.

Refellitur 1°: Cur ergo dicta verba ab Albizio inserta? Cur suppressio Brevis? Siccine sibi stat auctor? 2° Nonne in actis verbalibus expressa erat mox dicta clausula? Quis autem dixerit eum purè ac simpliciter subscribere, qui in ipso instrumento publicè testatur, se non purè subscripturum? Hæcne usquàm fuit puræ ac simplicis subscriptionis idea? Apage nugas.

Aiunt 4°, *sinceram* subscriptionem cum *purâ et simplici* minimè esse confundendam; namque subscriptio non pura, sed limitata, et cum distinctione data, sincera est et minimè simulata; qui enim ita subscribunt, candidè et ingenuè mentem suam aperiunt. Ita auctor citatæ præfationis apologet. pag. 74 et 75.

Refellitur: Omninò ludicra est et illusoria ista responsio; etenim 1°, ex aliis verbis Brevium supra recitatis, inprimis verò ex istis: *Nam prædecessorum nostrorum vestigiis firmissimè inhærentes, nullam circa illud exceptionem aut restrictionem admissuri unquàm fuissemus*; ex istis, inquam verbis, quæ callidè dissimulat auctor anonymus, planum est summum pontificem nomine *sinceræ* subscriptionis quam à quatuor episcopis exegit, quamque ab ipsis præstitam existimavit, intellexisse puram, simplicem et sine restrictione datam subscriptionem; aliàs enim recessisset pontifex à firmo suo propositio. 2° Sincera quam laudat Clemens IX quatuor episcoporum subscriptio, perfecta dicitur, integra et totalis, atque opponitur priori eorum subscriptioni in Mandatis expressæ, et cum restrictione ac limitatione datæ; porro sincera subscriptio, quæ perfecta est, integra et totalis, quæque opponitur limitatæ ac restrictæ subscriptioni, haud dubiè pura et simplex esse debet; ergo, etc. 3° Quidquid sit de dictâ distinctione, certè in præsenti negotio locum habere nequit. Cùm enim exigitur ut quis purè et simpliciter subscribat, sincera

non potest esse subscriptio, quin sit pura et simplex ; atqui exigebatur à quatuor episcopis ut purè et simpliciter subscriberent, quod hucusque perficere recusaverant ; ergo, etc.

Aiunt 5°, citata verba, *nullam circa illud exceptionem*, etc., non referri ad subscriptionem formularii, sed tantùm ad damnationem quinque Propositionum prout in se spectantur.

Refellitur : Noverat Clemens IX Jansenianos statim post emissam Constitutionem Innocent. X, contestatos fuisse se damnare quinque Propositiones in se spectatas, sine ullâ exceptione aut restrictione ; ergo novum istud obsequium absque exceptione et restrictione, quod tandiù expectatum, tandem exhibitum fuisse confidebat S. pontifex, et quod ad impetrandam pacem exigebat, non potest ad propositiones in se præcisè spectatas duntaxat referri. Præterea, fatentibus vel ipsis Jansenii discipulis, prædicta verba referuntur ad ea quæ sequuntur in eodem Brevi ; atqui in verbis sequentibus statim mentio fit subscriptionis formularii; ergo, etc. Tandem, ibidem disertè testantur quatuor illi episcopi, se damnare quinque Propositiones in omnibus sensibus in quibus à Sede apostolicâ damnatæ sunt ; in illis autem sensibus quos proscripsit Sedes apostolica procul dubio includitur sensus Jansenii, uti ex apostolicarum Constitutionum contextu clarè liquet, et antea probavimus ; ergo, etc.

Aiunt 6°, aliud est subscribere cum *distinctione et explicatione*, et aliud cum *exceptione et restrictione ;* primum, peregerunt quatuor episcopi, non secundum. Effugium istud proponunt anonymi citati.

Refellitur futilis rursùs nova isthæc distinctio : 1° Cur tentabatur depositio quatuor episcoporum, nisi propter factam exceptionem et restrictionem ? Sed quid minùs peregerunt illi episcopi in actis verbalibus, quàm antea in publicis Mandatis? 2° Quid paulò ante prætensæ pacis consummationem ferebant rumores incerti, nisi factam à quatuor episcopis distinctionem? hæc autem erat exceptio in mente R. pontificis, quâ detinebatur ne illis pristinam restitueret benevolentiam. 3° Dictam distinctionem ut veram exceptionem rejicit Clemens XI, in solemni bullâ *Vineam Domini*, etc. Tandem audiatur Arnaldus ad moniales Portûs Regalis anxias et renuentes subscribere juxta tenorem Verbalium, tom. 2, epist. 136 : « C'est « une vérité également reconnue de tout le « monde et par vos ennemis mêmes, que ce « n'est point signer simplement le formulaire « tout tel qu'il est, que de le signer, expliqué, « modifié, restreint par l'acte même en vertu « duquel on le signe. » Quibus verbis manifestè patet, teste ipsomet Arnaldo, expressam in Verbalibus quatuor episcoporum distinctionem et explicationem, veram fuisse exceptionem et restrictionem.

Aiunt 7°, quam in probationem adducimus cardinalis Rospigliosi Relationem, nullius prorsùs esse momenti an fidei. Ita citatæ præfationis auctor pag. 642 et sequentibus, qui in omne latus se vertit ut dictæ Relationi, tanquàm supposititiæ aut saltem valdè suspectæ, omnem auctoritatem detrahat, ac ipsius fidem elevet.

Refellitur : Vel ipsi Janseniani priores adduxêre aliquod ex dictâ relatione extractum ; quid et ipsemet Quesnellius in lib. Defensionis Ecclesiæ adversùs Leydeker pag. 602 et sequentibus, datâ operâ probat extractum illud authenticum esse: et ut talem susceptum fuisse ab eminentissimis Congregationis S. Officii cardinalibus ; porrò approbare et laudare tanquàm authenticum aliquod testimonium, profectò agnoscere est authenticitatem scripti unde excerptum fuit; ergo, vel ipsi Janseniani, si suis stent principiis, debent ut genuinam agnoscere card. Rospigliosi Relationem.

Non me latet Jansenianos reponere testimonium illud à suis laudatum fuisse, tanquàm excerptum ex registro cardinalis Rospigliosi, atque ab eo registro translatum fuisse in Relationem quæ falsò eidem card. tribuitur.

Verùm 1°, gratis et absque ullâ vel levissimâ probatione supponunt hanc ejusdem textûs transmissionem ex registro in Relationem. 2° D. Hennebel qui primus istud testimonium laudavit coram eminentiss. cardinalibus in suâ tertiâ declaratione, manifestè alludit non ad registrum, sed ad Relationem ; laudat etenim numerum 163, qui est ipse Relationis locus in quo extat præfatum testimonium. Præterea opus illud, de quo loquitur, vocat librum manuscriptum à se relectum, et cardinalibus notissimum, seu, ut aiunt, per manus communicatum ; atqui hæc omnia manifestè indigitant Relationem breviorem, minimè verò registrum; quis enim credat integrum registrum in quo continentur plurima acta, memoralia, epistolæ, aliaque monumenta ad præsens negotium minimè pertinentia, omnibus cardinalibus Congregationis per manus communicatum? ergo dicendum est, scriptum cardinalibus notissimum et ab ipsis approbatum, esse ipsammet

Relationem de quâ litigamus. 3° Excepto præfationis apologet. auctore, alii scriptores Janseniani eamdem Relationem ut indubitatæ fidei monumentum, et tanquàm germanum cardinalis fœtum laudârunt; inprimis passim conceptis verbis istud asserit auctor libelli cui titulus : *Lettre à Monseigneur l'archev. de Cambrai au sujet de sa réponse à la seconde Lettre de monseigneur l'évêque de S. Pons*; 1709, pag. 16, 17, 18, etc.

Conclusio secunda. — Clemens IX, pro suâ prudentiâ, aliud suspicari non potuit, quàm quod reverà pro certo habuit, nimirùm quatuor episcopos purè et simpliciter subscripsisse.

Probatur Conclusio variis iisque decretoriis momentis.

Primum petitur ex Ludovici XIV ad Clement. IX epistolâ, in quâ rex Christianissimus, ex acceptis communibus quatuor episcoporum litteris, certiorem fecerat S. pontificem de purâ et simplici ipsorum subscriptione. Id clarè colligitur ex citato Clement. IX Brevi ; in eo etenim postquàm meminit puræ ac simplicis quatuor episcoporum subscriptionis, continuò subdit : « Quare majestatis tuæ in eâ re statim « nuntiandâ, et insigni gratulatione prose- « quendâ, studium et amorem incomparabili « cum gaudio pervidimus. » Quâ autem ratione S. pontifex à rege Christianissimo certior factus de purâ ac simplici quatuor episcoporum subscriptione, suspicari potuisset ipsos nonnisi cum restrictione aut juris à facto distinctione perinde ac antea subscripsisse ?

Secundum momentum desumitur ex ipsâ quatuor episcoporum ad Clement. IX epistolâ die 1 septembris 1668, in quâ post egregia in apostolicam Sedem observantiæ testimonia, sic loquuntur : « Cùm in exequendâ decessoris « vestri de subscribendâ fidei formulâ Constitu- « tione, Gallicani episcopi nobiscum sensibus « conjunctissimi, eam disciplinæ formam am- « plexi sint, quam Sanctitati vestræ acceptio- « rem fuisse intelleximus; nos quibus nihil est « antiquius, quàm paci et unitati consulere, et « nostram erga Sedem apostolicam reverentiam « testificari, non piguit eorum institutum « imitari. Quamobrem congregatâ, sicut illi, « diœcesanâ synodo, et imperatâ novâ sub- « scriptione, nos etiam subscripsimus; quæ « suis ipsi clericis tradiderunt, nostris tradidi- « mus; quod in apostolicas Constitutiones in- « junxerunt, injunximus, prorsùsque nos ip- « sis, ut pridem doctrinâ, ita nunc in hâc « disciplinæ formâ conjunximus. Arduum id « nobis ac perdifficile fuisse non diffitemur; non « ignaris quot malevolorum voculas excire « posset hæc disciplinæ mutatio: sed cùm col- « legæ quidam nostri ecclesiasticæ concordiæ « studiossimi, hoc et ad Ecclesiæ pacem op- « portunum, et in Sanctitatem vestram hono- « rificum, atque ipsi gratius fore significâssent, « quid non illi à nobis, his rationum momen- « tis impetrâssent ? » Ex his verbis clarè liquet non potuisse S. pontificem aliud judicare de quatuor episcopis (nisi eos æquivocationis, et insignis in re maximi momenti fraudis reos habuisset), quàm ipsos purè ac simpliciter subscripsisse, conformiter ad ea quæ de ipsis jam renuntiaverat rex Christianissimus.

Namque 1°, testantur hìc quatuor episcopi, se aliorum Galliæ episcoporum formam et disciplinam imitatos fuisse ; atqui alii episcopi, sincerè absque ullâ limitatione et restrictione subscriptionem in suis Mandatis imperaverant, et ipsi exhibuerant. Solus episcopus Noviomensis distinctionem juris à facto proposuerat ; verùm ubi mentem suam exposuit, et dixit se voluisse duntaxat excludere fidem divinam pro facto, nihil tentatum est ; ergo ex citatis verbis intelligere debebat Clemens IX quatuor episcopos sincerè et absque ullâ limitatione subscripsisse.

2° Addunt ibidem, novam hanc subscriptionem arduam ipsis fuisse ac perdifficilem ; unde porrò Clemens IX, cui ne verbalia communicarentur summâ diligentiâ curabant Janseniani, unde, inquam, summus ille pontifex subodorari potuisset ortam illam difficultatem, nisi ex mutatione prioris eorum sententiæ, ac limitatæ subscriptionis ? numquid adeò arduum erat ac per difficile, ut quod in publicis docuerant Mandatis, illud rursùs in secretis actis verbalibus referrent ?

3° Cum nihil fraudis ac doli in quatuor episcopis suspicaretur Clemens IX, sed ipsos candidè et sincerè loqui existimaret, dùm asserunt subscriptionem quam jam exhibuerant novam esse, ac suæ Sanctitati acceptiorem ; non aliud profectò judicare potuit S. pontifex, quàm ipsos novâ suâ subscriptione correxisse, quod tum in suis publicis Mandatis circa subscriptionem formularii, tum in suâ anni superioris circa eamdem subscriptionem epistolâ sanctæ Sedi displicuerat ; porrò distinctio juris à facto et sufficientiâ silentii religiosi, idipsum est quod in his scriptis potissimùm improbaverat sancta Sedes ; ergo, etc.

4° Nova hæc subscriptio ab iisdem episcopis

exhibetur velut sanctæ Sedi plurimùm honorifica, et tanquàm eximium suæ in apostolicam Sedem observantiæ testimonium. Ast id quidem verissimum, si de purâ et simplici subscriptione intelligantur adducta quatuor episcoporum verba ; sin autem de restrictâ et limitatâ subscriptione exponantur, falsissimum. Quid enim honoris S. pontifici et sanctæ Sedi, imò potiùs quantùm ipsis contumeliæ accedere poterat ex eo subscribendi genere quod hactenùs recusaverant SS. pontifices, nec ab iis poterat approbari, quin erroris, injustitiæ ac tyrannidis accusarentur in purâ ac simplici subscriptione exigendâ quæ hucusque imperata fuerat et exacta ?

His adde dictam epistolam quatuor episcoporum agendi rationem clarè non exhibuisse, sed ad minimùm, obscuram, ambiguam et æquivocam fuisse ; unde vix ad ei subscribendum adduci potuit episcopus Alectensis ; triplex eâ de re ad ipsum cursor dirigendus fuit, quemadmodùm refert auctor Relationis pacis Clem. IX, tom. 2, pag. 174 ; cùmque ad subscribendum instantiùs urgeretur, narrante altero anonymo auctore libri cui titulus : *Pax Clement. IX*, pag. 108, in hæc verba gemens prorupit dictus antistes : « Qu'il ne convenait pas à son âge, non plus « qu'à son caractère, de ne pas parler claire- « ment dans l'occasion présente, si importante « à l'Eglise. » Cessit equidem postmodùm, ac repetitis amicorum precibus commotus tandem acquievit et subscripsit epistolæ ; verùm quasi invitus ac contra propriam conscientiam ; ita testatur D. de Vaucelle epist. scriptâ die 27 martii an. 1700, his verbis : « M. d'Aleth crut, « par un sentiment d'humilité, devoir se sou- « mettre au sentiment des autres, et signer la « Lettre au pape comme elle était, quoique ce « fût avec répugnance, et contre son propre « sentiment; prévoyant bien qu'on ne manque- « rait pas de leur reprocher, qu'ils avaient « trompé le pape par des expressions ambiguës, « ou du moins qui n'étaient pas assez nettes, « ni assez claires. » Iis ergo in circumstantiis, in quibus, acceptis regis Christianiss. et episcopi Laudunensis litteris, nihil fraudis, artificiive à quatuor episcopis suspicabatur S. pontifex, imò existimabat, mutatâ agendi ratione, ut ipsi cæterique omnes prædicabant, eos sincerè, purè ac simpliciter subscripsisse; si quæ minùs clara reperiuntur epistolæ verba, ex benigno sensu interpretari ac intelligere debuit.

Litem hìc movent adversarii circa priora laudatæ epistolæ verba; aiunt nempe non legendum esse indefinitè sicut retulimus : *Gallicani Episcopi*, etc., sed (*multi Gallicani Episcopi*, etc., unde concludunt dicta verba, non ad omnes indiscriminatim Gallicanos præsules esse referenda, sed ad eos duntaxat qui in privatis actis verbalibus, ut ipsi prætendunt, distinctionem juris et facti adhibuerant. Ita sæpè citatus præfationis apologet. auctor pag. 58 ubi candidè fatetur (quod sanè observandum) suppressâ semel voce, *multi*, cætera epistolæ verba de purâ et simplici subscriptione legitimè exponi posse ; en verba : « Le retranchement « de ce mot, *multi*. brouillait tout, en don- « nant lieu de croire que ceux dont ces prélats « voulaient imiter la discipline, étaient en gé- « néral les évêques de France (ou la plupart) « qui avaient fait signer purement et simple- « ment le formulaire. »

Ad istud Jansenianorum effugium difficilis non est nec multùm operosa responsio. Namque 1°, tametsi vox, *multi*, extiterit in primâ epistolæ ideâ, eamque suis in editionibus non omiserint Jansenii discipuli, ea tamen, agente S. pontificis nuntio, postmodùm expuncta est, nec extabat in authentico exemplari quod Romam transmissum est. Id certò compertum est tum ex ipsomet nuntio qui ita sæpenumerò declaravit testibus fide dignissimis ; tum ex variis exemplaribus è nuntii registro fideliter transcriptis, in quibus dicta particula non extat ; tale est inprimis accuratissimum exemplar quod asservatur in bibliothecâ San-Sulpicianâ; tum ex alio MS. ibidem asservato, quod Romæ ex archivis sancti Officii fideliter exprimi curavit eminentiss. card. Jansonius, in eo pariter vox, *multi*, non habetur ; denique auctor anonymus loco mox citato, post multa hinc et indè prolata, tandem non obscurè innuit vocem, *multi*, prætermissam fuisse in eo exemplari quod Romam transmissum est, siquidem eo teste ibidem pag. 57, autographas quatuor episcoporum litteras Romam non transmisit nuntius, quin et scalpello eas dilaceravit, propter insertam hanc vocem, *multi*, quam æquivocam et odiosam pontifici conjiciebat; quis ergo crediderit in exemplari quod ad S. pontificem eò direxit, ipsum fatalem hanc apposuisse vocem?

Gratis dato, quod falsum esse jam demonstravimus, vocabulum controversum extitisse in exemplari Romam misso, non propterea debuisset Clemens IX, verba citata restringere ad paucos episcopos, qui, ut contendunt Janseniani, cum limitatione expressâ in secretis

Verbalibus, huic S. pontifici ignotis, subscripserat, præsertim cùm alia ejusdem epistolæ adjuncta verba nihil nisi sincerum in Sedis apotolicæ edicta obsequium viderentur spirare, et aliunde jam idem S. pontifex summæ fidei accepisset testimonia sinceræ et puræ quatuor episcoporum subscriptionis. Et sanè illustriss. Laudunensis episcopus è mediatoribus unus, postea cardinalis Estreus, non obstante præfato vocabulo, laudatæ epistolæ textum intellexit, non de quibusdam episcopis Gallicanis qui cum distinctione et restrictione subscripserant, sed de aliis universim Galliæ præsulibus; sic enim loquitur in suâ ad S. pontificem epist. scriptâ die 22 septembris an. 1668 : « Novâ necnon sincerâ subscriptione, « *aliis episcopis* consentiunt illustrissimi Alectensis, Avamiensis, Andegavensis et Bellovacensis episcopi, à quibus in subscribendâ « fidei formulâ aliquatenùs recesserant. Illud « in ommnni ad Beatitudinem vestram epis- « tolâ.... disertis verbis professi sunt. » Quid porrò hìc designant ista verba sine restrictione posita, *aliis episcopis,* nisi cæteros Galliæ episcopos universim et indiscriminatim sumptos? ergo, judice eminentiss. Estreo, quatuor episcopi in suâ ad S. pontificem epistolâ significaverant se consensisse cæteris universim Gallicanis antistitibus; quomodò igitur non eàdem ratione quatuor episcoporum mentem intellexisset S. pontifex, qui utramque epistolam, tum illorum episcoporum, tum card. Estrei, eodem fermè tempore acceperat?

3° Dato iterùm et non concesso, potuisse summum pontificem intelligere, quatuor episcopos in suâ epistolâ respexisse ad epistolam novemdecim episcoporum, uti contendunt Janseniani, nihil adhuc ipsis proficeret; in eâ siquidem novemdecim episcoporum epist. nil occurrit quod prudenter non potuerit idem pontifex benigno ac minimè suspecto sensu interpretari, uti postea demonstrabimus.

Tertium argumentum depromitur ex publico quod quatuor episcopi dederunt suæ sinceræ subscriptionis testimonio. Scilicet cùm illorum episcoporum subscriptionem nonnulli suspectam reddidissent, petiit, expressitque ab iisdem pontifex, novam testificationem eorum autographo, signoque munitam, quâ fidem facerent «se sincerè prorsus et ad sensum in Con- « stitutionibus Innoc. X et Alex. VII expres- « sum, formulæ subscripsisse, utque eidem sub- « scriberetur curâsse; » ita rem totidem verbis narrat card. Rospigliosi n. 149 suæ Relationis. Ex hoc quatuor episcoporum testimonio, sincerum illorum subscriptionem certò comprobari existimavit Clemens IX; atqui, ut supra ostendimus, sinceræ subscriptionis nomine intelligebat S. ille pontifex puram ac simplicem subscriptionem; quam silicet hactenùs postulaverat decessorum suorum Constitutionibus inhærendo, quamque Janseniani hucusque pertinaciter recusaverant; ergo, etc. Etverò, nisi expressè præmonitus fuisset Clemens IX, quomodò inducere sibi potuisset in animum, sinceram vocari eam subscriptionem quæ facta fuisset cum limitatione et exceptione hujus præcisè sensùs, qui discertè exprimitur in formulario propter quem damnandum instructum fuerat formularium, quemque qui huic subcribit, sincero animo damnare ac rejicere, solemni interposito juramento, publicè testatur? Numquid S. pontifex adeò sollicitus fuisset et anxius de subscriptione sincerâ eo duntaxat sensu quem fingunt adversarii? Nonne probè noverat Jansenianos omnes libentissimè formulam fidei subsignaturos, si modò Jansenii sensus à censurâ eximeretur? Quin et ipsimet Janseniani ad hæc usque tempora sinceram subscriptionem cum nudâ et simplici confundebant. Non aliâ quippè de causâ sinceram subscriptionem tam ardenter expetebant Catholici, Janseniani verò tam pertinaciter recusabant, nisi quia utrique hanc eodem loco cum nudâ et simplici habebant. Hinc cùm an. 1663, archiepiscopus Parisiensis Perifixius, necnon episcopi Convennarum et Laudunensis Jansenianis declarationem proposuissent in quâ sincerum promittebatur obsequium erga definitionem Innoc. X et Alex. VII circa factum Jansenii, huic declarationi subscribere omninò recusârunt Jansenii discipuli, de quo consuli potest historia quinque Proposit. lib. 5, pag. 274 et seq.

Quartum argumentum nobis subministrat ipsa episcopi Catalaunensis declaratio, quæ die 4 decembris anni 1668 Romam missa fuit ad depellendas novas suspiciones adversùs quatuor episcopos conceptas. In hâc declaratione testatur illustriss. præsul., 1° quatuor episcopos *optimâ fide egisse.* 2° Eos damnâsse et à suis damnari curavisse quinque propositiones *cum omni sinceritate, absque ullâ prorsùs exceptione seu restrictione.* 3° Demùm easdem damnâsse *in eo omni sensu quo sunt ab Ecclesiâ damnatæ;* atqui damnatio quinque Propositionum sincera, absque ullâ prorsùs exceptione aut restrictione, et eo omni sensu quo ab Ec-

clesiâ proscriptæ sunt, haud dubiè includit Janseniani sensûs damnationem, de quo potissimùm movebatur controversia, quemque solemniter proscriptum fuisse toties declaraverat Sedes apostolica ; ergo, etc.

Quintum argumentum quo præcedens confirmatur, colligitur ex illustriss. Harlæi archiepiscopi Rothomagensis ad card. nepotem epist. in quâ ex mox citatis declarationis verbis isto fermè ratiocinio demonstrat doctissimus præsul, quatuor episcopos damnare quinque Propositiones in sensu Jansenii : Duplex potest esse damnandi sensûs Janseniani modus : nimirùm vel explicitè, ipsis terminis sensum illum appellando ; vel implicitè, aliis æquivalentibus verbis eum exprimendo : hunc autem posteriorem modum amplexi sunt quatuor episcopi. Enimverò, tacito Jansenii sensûs nomine, quibusnam expressioribus et significantioribus verbis proscribi poterat idem ipse sensus, quàm absque ullâ exceptione et restrictione damnando quinque Propositiones in omni sensu in quo ab Ecclesiâ damnantur, cùm de Jansenii sensu unicè quæstio esset? Ita ferè illustriss. Harlæus, qui et ibidem plurimùm laudat præfatam declarationem, asseritque se attonitum demirari Jansenii discipulos hucusque fuisse progressos ; stupendum omninò id esse, ac instar miraculi habendum ; manifestissimum est autem hæc omnia locum habere non posse, nisi supponatur Jansenianos eò fuisse adductos, ut Propositiones in proprio et naturali Jansenii sensu interiùs et ex animo damnarent ; constans enim est apud omnes, ipsos hunc duntaxat assensum hactenùs denegâsse, semperque obtulisse silentium obsequiosum pro facto dogmatico ; ergo, etc.

Juvat hìc doctissimi hujusce præsulis verba exscribere, prout referuntur ab auctore libri cui titulus : *Relation de la paix de Clément IX*, pag. 516 et seq. : « Je l'ai lue et relue plusieurs fois (la déclaration signée de M. l'évêque de Châlons et de M. Arnauld), et je vous avoue, monseigneur, qu'elle m'a donné non seulement de la joie, mais encore de l'étonnement et de l'admiration. En effet, jamais le parti des Jansénistes n'en était venu jusque-là, et je n'ai pu m'empêcher de dire à M. de Lionne, en présence de monseigneur le nonce.... *que c'est une espèce de miracle de les avoir menés aussi avant*.... ce qui encore une fois me paraît une chose incompréhensible.... Et certes, puisque ces messieurs condamnent précisément sans distinction ni restriction quelconque les cinq Propositions dans tous les sens que l'Église les a condamnées, il n'y a plus de matière de dispute sur le sens même de Jansénius, qui a fait toute la question de la controverse présente, puisqu'ils le comprennent sans le nommer dans la règle générale, où ils se soumettent de n'excepter aucun sens particulier de cette condamnation.

« Et en effet, on peut condamner le sens de Jansénius en deux façons, où en le disant en ces propres termes, ou le disant en des termes aussi forts et aussi équivalents. Or, où trouvera-t-on des termes plus forts et plus équivalents pour dire que l'on condamne le sens de Jansénius, en ne le disant pas en propres termes, que d'assurer que l'on condamne les cinq Propositions dans tous les sens que l'Église les a condamnées, sans exception ou restriction à aucun sens particulier ? » Hactenùs illustriss. Harlæus ; non poterat sanè luculentioribus verbis asserere, ex verbis declarationis clarò colligi quatuor episcopos reipsà damnâsse quinque Propositiones in sensu Jansenii.

Hæc autem illustriss. archipræsulis epistola, ut testantur ipsimet Janseniani, unâ cum dictâ episcopi Catalaunensis declaratione Romam missa et discussa fuit ; debuit igitur pro suâ prudentiâ et æquitate S. pontifex ex utriusque scripti collatione intelligere quatuor episcopos sensum Jansenii sincerè proscripsisse. Neque enim fidem denegare potuit illustriss. archiepiscopo, quem utpote à Jansenianâ factione maximè alienum, sine adulatione vel simulatione loqui pro certo comperto habebat, et reipsà testatur cardinalis Rospigliosi n. 163 suæ Relationis, summum pontificem Rothomagensis archiepiscopi testimonio tanquàm validissimo innixum, Breve tandem suum ad quatuor episcopos direxisse.

Ex his et aliis momentis in solutione objectionum attingendis, perspicuum est Clementem IX in præsenti negotio prudenter omninò se gessisse, nihilque de obsequio Constitutionibus apostolicis debito remisisse, quod disertè testatur Clemens XI Constitutione *Vineam Domini*, cujus verba antea laudavimus.

Conclusio tertia. — Etsi daretur adversariis (quod tamen falsum esse jam demonstravimus) Clementem IX non ignorâsse factam à quatuor episcopis juris à facto distinctionem, nihil tamen exinde colligi posset in gratiam silentii religiosi.

Probatur Conclusio triplici potissimùm momento. Primum sic proponitur : Ubi agitur de solemni judicio, de publicâ pace, de mutuo contractu, solis instrumentis publicis et authenticis conditionem judicii, pacis et contractùs enuntiantibus fides adhibenda est, quidquid sit de privatâ judicis, contrahentiumve sententiâ ; nisi enim ita esset, nihil foret in civili societate ratum et fixum, omniaque judicia et fœdera nutarent atque funditùs ruerent ; atqui in omnibus publicis et authenticis quibus pax firmata est monumentis, speciatim verò in ipsomet ad quatuor episcopos Brevi, disertè testatus est Clemens IX, se non aliis conditionibus pacem et communionem ipsis restituisse, quàm quia solemniter significâssent se juxta præscriptum Constitutionum apostolicarum Alex. VII et Innoc. X, *sincerè subscripsisse et subscribi fecisse formulario ejusdem Alex. VII.* Declarat ibidem S. pontifex, prædecessoris sui de purâ et simplici subscriptione legem firmam et inviolabilem tunc et in posterum remansuram : « Nam, inquit, præ« decessorum nostrorum Constitutionibus fir« missimè inhærentes, nullam circa illud « exceptionem aut restrictionem admissuri « unquàm fueramus, etc. » Porrò adversùs hæc apostolica Brevia nusquàm reclamârunt quatuor episcopi, nec ullatenùs conquesti sunt verba quibus suum expresserant obsequium à S. pontifice perperàm fuisse exposita et intellecta ; ergo, quidquid sit tum de privatâ Clementis IX sententiâ, tum de privatâ quatuor episcoporum agendi ratione, eorumque occultis Verbalibus, nihil exinde inferri potest in gratiam religiosi, ut vocant, silentii.

Totum istud ratiocinium egregiè prosecuti sunt cardinales, archiep. et episcopi, in suâ ad regem epistolâ an. 1728, his verbis : « Le pape « Clément IX, successeur d'Alex. VII, en ren« dant ses bontés paternelles aux quatre évê« ques, a maintenu cette foi dans toute sa « force ; les actes émanés de sa Sainteté le « prouvent évidemment. » Recensitis ibidem quibusdam extractis ex Brevibus sive ad regem, sive ad episcopos pacis mediatores, sive ad ipsosmet quatuor episcopos, sic pergunt : « Les « quatre évêques n'ont pas réclamé contre ces « Brefs, et ils ne se sont jamais plaints du sens « dans lequel le pape avait pris les expressions « qu'ils avaient employées pour marquer leur « soumission. » Et paulò post : « C'est des « actes respectifs de ceux qui ont concouru à « la paix ; c'est de leurs lettres mutuelles qu'on « doit apprendre les conditions de la réconci« liation. Si les quatre prélats énoncèrent « autre chose dans des procès-verbaux qu'ils « déposèrent en leurs greffes et qu'ils tinrent « secrets ; si cette souscription que le pape, « sur la parole de ces prélats, et sur leurs « lettres, crut être sincère et sans restriction, « est exprimée dans ces procès-verbaux avec « des réserves dont ils ne parlèrent point au « pape, et dont le pape déclarait qu'il ne se « serait pas contenté ; ces actes, si opposés à « la bonne foi, ces actes, que leurs auteurs « cachèrent eux-mêmes aussi long-temps qu'ils « crurent avoir quelque orage à craindre, ne « pourraient être nommés les conditions de la « paix. Il n'y a de condition dans une paix, « que ce qui se trouve consenti par les actes « mutuellement communiqués de ceux qui la « contractent. » Hæc præsules nostri quibus manifestè tradunt et probant prætensâ Clementis IX pace, nihil omninò detractum esse de inviolabili puræ ac simplicis subscriptionis lege ; atque hujusce pacis conditiones, non aliunde quàm ex publicis actis quibus enuntiata est et firmata, esse repetendas.

Secundum sic se habet : Puræ ac simplicis subscriptionis lex ab Alex. VII solemniter lata, ab episcopis Gallicanis expressè, à cæteris verò tacitè acceptata fuerat, huicque regia accesserat auctoritas variis edictis, præsertim edicto anni 1665, 15 februarii ; quod quidem edictum omnium quod in hanc rem ferri poterat expressius est et apertius, atque in supremi senatûs tabulas relatum fuit die 29 aprilis ejusdem anni 1665. Non ergo tam sanctam ac solemnem totius Ecclesiæ legem, nullâ promulgatâ Constitutione, veris conditionibus obvelatis, privatâ auctoritate, absque manifestæ ac multiplicis et quidem insignis prævaricationis notâ immutare, infringere ac violare potuit Clemens IX, idque si attentâsset, quod asseverant Janseniani, temeritatis ac injustitiæ incusandus foret ; et consequenter nihil exinde commodi causæ suæ accederet, nec excusanda esset quatuor episcoporum agendi ratio ; aperta etenim superioris prævaricatio in probationem iniqui facti adduci nequit.

Et verò quo tandem fato fieri dicent adversarii, ut soli Clementi IX, nec solemnibus certè nec ubique promulgatis Constitutionibus, silentium religiosum, ut ipsi volunt, approbanti, major debeatur reverentia ac obedientia, quàm Innoc. X, Alex. VII, aliisque quotquot præter Clem. IX floruêre pontificibus, qui va-

riis ac solemnibus Decretis et Constitutionibus ubique notis, ubique expressè aut tacitè acceptatis, idem silentium improbàrunt ac confixerunt? Quæ, rogo, ista agendi ratio? Quàm varia, quàm incerta, quàm parùm sibi constans! An fortè errori obnoxia apostolica Sedes, quoties Jansenianis adversatur, infallibilis verò si iisdem favere videatur?

Hanc iterùm rationem indicant præsules loco mox citato, his verbis : « D'ailleurs, pour « restreindre la signature du formulaire, et « pour changer la loi prescrite par les Décrets « authentiques et solennels d'Innocent X et « d'Alexandre VII, il fallait des monuments « aussi authentiques, aussi solennels et revêtus « de la même autorité. Des actes secrets, des « titres qu'une des parties se fait à elle-même, « sans les communiquer à l'autre partie, des « restrictions que le pape exclut expressément « dans les monuments même de la réconcilia« tion, peuvent-ils être regardés comme con« tenant les vraies conditions de la paix, « comme abolissant une loi commune, que « toute l'Église avait adoptée, une loi dont le « S.-Siége n'a jamais prétendu se départir? »

Tertium momentum colligitur ex solemni Clementis XI bullâ *Vineam Domini*; quam quidem bullam authenticum esse et irrefragabile totius Ecclesiæ judicium certò constat, neque id diffitentur vel ipsimet Janseniani; hoc autem irrefragabile Ecclesiæ judiciò silentium religiosum, necnon restrictam ac limitatam subscriptionem improbari ac damnari ex ipso contextu apertè liquet. Verùm de hoc argumento ex professo et datâ operatâ integro cap. 5 sequenti.

Solvuntur objectiones. — Objicies 1° adversùs primam et secundam Conclus.: Non potuit ignorare Clemens IX, quod in solemni ad ipsum datâ epistolâ publicè testati sunt quatuor episcopi; atqui, in suâ ad Clement. IX epistolâ, clarè et apertè declarant quatuor episcopi, se cum distinctione juris à facto subscripsisse; juri fidem, facto meram silentii reverentiam promisisse; eos tamen nihilominùs ad pacem admisit S. pontifex; ergo, etc. En verba : « Nemini, Beatissime Pater, ignotum « est duplicem in hâc causâ verti quæstionem; « alteram, utrum propositiones ipsæ earum« que sensus ab Ecclesiâ damnatus, verè hæ« reticus sit; alteram, utrum prædictus sensus « reipsà apud Jansenium extet... nec minùs « certum, harum quæstionum tantùm alteram « ab alterâ distare, quantùm cœlum à terrâ, « divina fides ab humanis experimentis, anti« qua veritas à recentioribus factis. Atque « hinc consectarium illud peræquè omnes eli« ciunt, nupera illa facta, nec divinitùs reve« lata, infallibili prorsùs judicio ab Ecclesià « minimè definiri, adeòque ab iis qui bonâ « fide in iis hærent, nihil præter silentium « exigi posse, etc. »

Respondeo : Dist. min. : Apertè declarant quatuor episcopi se, etc... in primâ ad Clem. IX epistolâ, concedo; in alterâ ad eumd. pontificem epistolâ, nego. Scilicet binæ hìc sedulò distinguendæ sunt quatuor episcoporum ad Clement. IX litteræ; prior epistola scripta fuit die 28 augusti anni 1667; altera verò die 1 septembris anni sequentis 1668. In primâ, ex quâ desumuntur verba in objectione laudata, sufficientiam silentii religiosi, suaque Mandata antea, tum Romæ, tum etiam Parisiis sanctioris consilii decreto proscripta 20 julii anni 1665, comprobare conabantur. Hæc epistola plurimùm displicuit Clementi IX, qui prædecessoris sui vestigiis insistens, dictos quatuor episcopos in jus vocare decrevit, factâ eam in rem episcopis delegatis amplissimâ potestate; nec priùs ab eo destitit proposito, quàm iidem episcopi novas ad eum et obsequii plenas direxerint litteras, in quibus, ut antea vidimus, cum summâ animi demissione testabantur se mutatâ priori agendi ratione, alios episcopos Gallicanos in subscribendo imitatos fuisse.

Atque hìc obiter notanda anonymi auctoris libri cui titulus : *La paix de Clément IX*, fraus, qui in catalogo monumentorum ad Clementinam pacem spectantium, primam duntaxat quatuor episcoporum ad Clement. IX epistolam recenset, ut scilicet ita subindicet hanc pacis motivum ac fundamentum fuisse; cùm è contra ex antedictis constet ipsam plenum molestiarum ac periculi negotium illis episcopis creâsse, quod nonnisi post novas eorumdem episcoporum an. 1668 ad Clem. IX litteras compositum fuit.

Objicies 2° : Novemdecim Gallicani episcopi in suâ ad Clementem IX epistolâ manifestè adoptant doctrinam in quatuor episcoporum Mandatis expressam, atque solum silentium religiosum circa factum sufficere asseverant; atqui tamen contra hanc novemdecim episcoporum doctrinam nihil pronuntiaverit S. pontifex; ergo falsum est quòd eamdem sententiam à quatuor episcopis retractari voluerit, et eâ duntaxat conditione eos ad pacem admiserit.

Minor certa est; major autem constat ex his epistolæ verbis : « Quid in illis Mandatis (quatuor episcoporum) quod vel à catholicæ doctrinæ normâ, vel à romanæ Sedis reverentiâ tantillùm deflectat? Novum et inauditum apud nos nonnulli dogma protulerunt; Ecclesiæ nempe decretis, quibus quotidiana, nec revelata divinitùs facta deciduntur, certam et infallibilem constare veritatem, adeòque ipsa non minùs quàm revelata in Scripturis et traditione dogmata, fide esse tenenda. Hoc verò dogma, Beatissime Pater, quod ab omnibus antiquis recentibusque theologis peræquè damnatum est, ex decessoris vestri Constitutionibus, iidem qui illud invexerunt, temerè stabilire nitebantur. Huic malo ut occurrerent prædicti episcopi, oppositam huic manifestissimo errori doctrinam communissimam simul ac certissimam, in Mandatis suis exposuerunt; humana nimirùm nec divinitùs revelata facta non omnimodâ et infallibili certitudine ab Ecclesiâ definiri, adeòque in ejusmodi rebus nihil aliud ipsam à fidelibus exigere, quàm ut sua decreta reverenter, ut par est habeant. »

Addunt novemdecim præsules, hanc doctrinam à cardinalibus Baronio, Bellarmino et Palavicino assertam et traditam fuisse; tum hæc subjungunt : « Ita sentire si criminosum existimetur, non hoc proprium ipsorum, sed omnium nostrûm, imò totius Ecclesiæ crimen fuerit. » Clara sunt hæc et aperta, ex quibus constat non potuisse ignorare Clementem IX, genuinam quatuor episcoporum doctrinam circa sufficientiam religiosi silentii : attamen eos ad pacem et communionem admisit; ergo, etc. Respondeo 1°, dictam epistolam immeritò nobis opponi, 1° quia tum Romæ, tum in Galliis improbata fuit; Romæ quidem, ad hanc enim nihil rescripsit S. pontifex, atque ubi primùm eam accepit, nova direxit Brevia ad ordinandam et perficiendam quatuor episcoporum litem; pariter in Galliis promovente regio oratore D. Talon, supremi senatûs edicto 19 martii 1668, suppressa fuit simillima quam iidem novemdecim episcopi ad regem direxerant epistola.... 2° Motivum et fundamentum pacis non fuit illa epistola, imò potiùs suasio novarum procellarum, uti constat ex mox dictis.... 3° Non hìc potissimùm inquiritur quid reverà verbis laudatis expresserint aut exprimere voluerint novemdecim episcopi; sed quid in iis expressum intellexerit S. pontifex; quidve se iis intellexisse publicè significaverit; porrò, quidquid sit de legitimo hujusce epistolæ sensu, certum est ipsum verba adducta non intellexisse de religiosi silentii sufficientiâ respectu damnati sensûs Janseniani, uti mox demonstrabimus; et etiamsi ita intellexisset, privatam suam mentem nusquàm authenticè declaravit; ergo.

Respondeo 2°, novemdecim episcopos laudatâ epistolâ loqui de factis merè historicis et personalibus; facta et enim de quibus loquuntur, vocant *quotidiana* ac *merè humana*; aiunt opinionem de infallibilitate Ecclesiæ in hujusmodi factis esse *novum* et *inauditum dogma*, *ab omnibus antiquis recentibusque theologis peræquè damnatum;* denique eamdem sententiam veluti *manifestissimum errorem* exhibent, cui *universa contradicit Ecclesia;* atqui hæc omnia secundùm naturalem et obvium sensum duntaxat referuntur ad facta merè historica et personalia, non autem ad facta propriè dogmatica; ergo, etc. Etverò, quis in animum inducere potuisset, novemdecim episcopos in supplici et obsequiosâ ad S. pontificem epistolâ ausos fuisse tam atris coloribus depingere opinionem infallibilitatis Ecclesiæ in factis dogmaticis, quam ignorare non poterant à plerisque episcopis Gallicanis, à cardinalibus et theologis Congregationum romanorum, ab ipso denique S. pontifice ejusque decessoribus Innoc. X et Alex. VII disertè fuisse propugnatam?

Respondeo 3°, novemdecim episcopos quæstionem non movere de assensu debito factis dogmaticis ab Ecclesiâ definitis, sed de motivo illius assensûs; utrum scilicet fide divinâ debeat quisque intellectum hisce definitionibus subjicere. Patet autem hunc fuisse novemdecim episcoporum scopum, 1° ex ipso epistolæ contextu; *adeòque ipsa* (facta) *non minùs quàm revelata in Scripturis et traditione dogmata, fide esse tenenda.* Quid clarius? loquuntur de factis perinde credendis ac revelata in Scripturis et traditione dogmata; atqui fides hujusmodi procul dubio divina est; ergo, etc..... 2° Ex subjectâ materiâ. Scilicet manifestè hìc respiciunt novemdecim episcopi ad theses paucis antea annis Parisiis publicè propugnatas die 12 decembris 1661, de dogmatico Jansenii facto fide divinâ credendo, adversùs quam doctrinam veluti hæreticam, impiam, ac totius religionis eversivam statim insurrexerant Janseniani..... 3° Idem variis in locis disertè testatus est D. de Mont-Gallard episcopus S. Pontii, solus ex illis novemdecim superstes hujusce seculi initio, cùm quæstio denuò fuit agitata, qui proinde

solus potuit eorum mentem legitimumque epistolæ sensum explanare ; sic autem loquitur epistolâ scriptâ anno 1706 ad illustrissimum archiepiscopum Cameracensem quæ refertur tom. 5 Casûs conscientiæ , pag. 294 : « Les « vingt-trois évêques crurent que des faits non « révélés ne pouvaient pas appartenir à la foi, « et qu'on n'était pas obligé de les croire avec « la même certitude que les dogmes..... Ce fut « là, monseigneur, notre unique vue. » Ibidem pag. 324 : « Les vingt-trois évêques n'avaient « d'autre intention précise dans tout ce qu'ils « ont fait et écrit là-dessus, que d'exclure la « nécessité de la foi divine pour les décisions « de l'Eglise sur les faits non révélés, qui était « alors le systême de M. de Marca. » Rursùs pag. 348 : « M. de Péréfixe ayant déclaré, com« me il avait fait dans son Mandement avant « que nous écrivissions nos lettres au pape et « au roi, qu'on ne devait avoir qu'une foi hu« maine et ecclésiastique sur le fait de Janse« nius, nous n'avions garde de parler de sa « doctrine ; aussi, loin que l'on puisse trouver « un mot dans tout ce que nous avons écrit, qui « la combatte, les quatre évêques déclarèrent « dans leur lettre au pape, qu'on la soutenait « par de bonnes raisons. » Ex iis clarè liquet id unum intendisse novemdecim episcopos , nempe ut eam exploderent doctrinam quæ divinam pro factis perindè ac pro jure fidem exigeret.

Respondeo 4°, quidquid sit de genuino ac legitimo hujusce epistolæ sensu, summum pontificem spectatâ præcedenti novemdecim episcoporum loquendi et agendi ratione, non debuisse judicare ipsos internam circa factum Jansenii adhæsionem impugnare voluisse. Namque 1°, illustriss. de Gondrin archiepiscopus Senonensis qui novemdecim episcoporum agmen ducebat, egregia dederat anno 1656, ut antea vidimus, interni ac sinceri obsequii circa definitionem facti testimonia ; quin et anno 1661, sua faciens ipsissima formularii cleri Gallicani verba in Mandato die 18 junii dato declaraverat : « que les cinq Propositions sont hérétiques et « condamnées dans le sens de Jansenius , et « que ce sens n'est pas celui de S. Augustin. » Hæc autem publica sinceri obsequii testimonia nota profectò et explorata erant S. pontifici ; hincque haud ægrè consensit ipsum unum esse ex pacis mediatoribus..... 2° Plerique omnes è novemdecim episcopis adfuerant ac subscripserant comitiis cleri Gallicani, in quibus definitum est quinque Propositiones esse damnatas in sensu Jansenii, et à quocumque in eo sensu esse damnandas ; formulam iis in comitiis institutam promulgaverant, ipsiusque puram ac simplicem subscriptionem Mandatis publicis imperaverant..... 3° Nullus eorum in novis pro subscriptione formularii Alex. VII Mandatis in lucem editis . restrictionis vel distinctionis usum approbaverat ; porrò, vel ipsis fatentibus Jansenianis, præsertim in lib. cui titulus : *De la signature du Formulaire*, subscriptio simpliciter exhibita et imperata, secum trahit obligationem ad internum assensum circa factum in formulario contentum ; ergo, etc.

Cùm ergo in suâ epistolâ disertè testantur novemdecim episcopi , se in eâdem sententiâ versari quam quatuor episcopi in suis publicis Mandatis docuerant, spectatâ priori agendi et loquendi ratione, cui etiamnum se firmiter inhærere significabant dicti novemdecim episcopi ; prudenter existimare debuit S. pontifex, aut ipsos non probè assecutos fuisse mentem quatuor episcoporum, aut benignâ et benevolâ interpretatione ipsorum Mandata ad rectum sensum adducere conatos fuisse , ea explicando vel de factis merè personalibus, vel de factis dogmaticis fide divinâ credendis ; quam divinam fidem viginti tres episcopos duntaxat excludere voluisse, testatur multoties episcopus S. Pontii locis antea laudatis.

Objicies 3° : Motivum ac fundamentum pacis quatuor episcopis concessæ, fuit episcopi Catalaunensis declaratio die 4 decembris anni 1668 ; porrò, declaratio illa contracta est et accurata expositio doctrinæ in actis verbalibus quatuor episcoporum contentæ. Tres sunt veluti partes hujusce declarationis ; in priori, exprimitur sincerum obsequium quod quatuor episcopi definitioni juris exhibuerunt ; in alterâ, clarè ac dilucidè exponitur eorum doctrina circa sufficientiam religiosi silentii ; in tertiâ tandem, ex perfectâ doctrinæ verbalium notitiâ testatur illustriss. Catalaunensis episcopus, expressam in verbalibus doctrinam omninò conformem esse, tum præsentis declarationis, tum novemdecim episcoporum doctrinæ ; non potuit ergo Clemens IX, post acceptam hanc declarationem, ignorare veram quatuor episcoporum mentem in eorum actis verbalibus expressam.

Hæc sunt propria declarationis verba : « Ils « ont condamné et fait condamner les cinq « Propositions avec toute sorte de sincérité , « sans exception ni restriction quelconque , « dans tous les sens que l'Eglise les a condam« nées.... et quant à l'attribution de ces propo-

« sitions au livre de Jansenius, évêque d'Ypres, « ils ont encore (ces quatre évêques) rendu, « et fait rendre au S.-Siege toute la déférence « et l'obeissance qui lui est due, comme tous « les théologiens conviennent qu'il la faut rendre au regard des livres condamnés, selon la « doctrine catholique soutenue dans tous les « siècles par tous les docteurs, et même en ces « derniers temps par les plus grands défenseurs « de l'autorité du S.-Siége, tels qu'ont été les « cardinaux Baronius, Bellarmin, Richelieu, « Pallavicin, et les Pères Petau et Sirmond, et « même conformément à l'esprit des Bulles « apostoliques, qui est de ne dire, ni écrire, « ni enseigner rien de contraire à ce qui a été « décidé par les papes sur ce sujet. » Denique sit concludit dictus Catalaunensis præsul : « Nous déclarons et certifions, qu'ayant eu « communication et connaissance particulière « des sentiments des quatre évêques, et de ce « qui est contenu dans leurs procès-verbaux, « la doctrine qui est contenue dans cet écrit « est entièrement conforme à celle desdits procès-verbaux, et qu'ils ne contiennent rien de « contraire à cette doctrine. C'est aussi ma « croyance et celle des dix-neuf évêques qui « ont écrit à sa Sainteté. » Hanc autem declarationem per tres hebdomades in congregatione speciali à S. pontifice eum in finem indictâ, maturè expensam fuisse, observant anonymi sæpius citati ; ita requirente Andegavensium episcopo, disertè testatus est Catalaunensis episcopus anno 1674, die 15 decembris ; ergo, etc.

Respondeo 1°, eodem prorsùs modo exponendam esse declarationem episcopi Catalaunensis et novemdecim episcoporum epistolam ; ita ultrò fatentur Janseniani, idque ex posterioribus declarationis verbis modò adductis apertè colligitur ; atqui novemdecim episcoporum ad S. pontificem epistola de factis merè personalibus intelligenda est, aut de factis dogmaticis fide divinâ credendis, uti mox demonstravimus ; ergo, etc.

Respondeo 2°, non hìc quæstionem esse de proprio ac naturali laudatæ declarationis sensu ; sed quæritur quomodò eam intellexerit aut intelligere debuerit S. pontifex, præcipuè quoad secundam partem, quæ est de attributione quinque propositionum libri Jansenii ; porro contendimus S. pontificem dicta verba intelligere debuisse de attributione quinque Propositionum libri Jansenii, non quidem quoad sensum, quasi existimaverit quatuor episcopos noluisse pro hæreticis agnoscere quinque Propositiones in sensu Jansenii ; sed duntaxat de attributione quoad verba grammaticalia omninò eadem vel synonima, vel quoad internum Jansenii sensum, etc., uti exponit card. Rospigliosus ; ita autem sensisse Clementem IX varia demonstrant.

1° Id colligitur ex primâ parte declarationis, in quâ expressè habetur quatuor episcopos damnâsse quinque Propositiones *cum omni sinceritate, absque ullâ exceptione aut restrictione, in omnibus sensibus in quibus ab Ecclesiâ damnantur ;* atqui in solo sensu Jansenii eas damnaverat Ecclesia, de illo solo quæstio movebatur ; ergo, nisi aliquid fraudis artificiive in quatuor episcopis et tribus pacis mediatoribus suspicatus fuisset Clemens IX, non potuit quin posteriora declarationis verba benigno sensu interpretaretur de merâ attributione quoad verba, vel quoad internum animi sensum. Et verò, quo jure adversarii primam declarationis partem ex secundâ exponere conantur ; ita et nos, et quidem meliori jure, secundam ex primâ exponimus, uti ampliùs constabit ex dicendis.

2° Idem eruitur ex Relatione card. Rospigliosi n. 161, ubi sic loquitur : « curæ erat in « summâ pontifici ritè cognoscere, quid tandem continerent declarationes illæ actis verbalibus additæ. Si enim nihil ibi affirmatum « fuisset præter quàm posse pontificem falli in « quæstionibus de facto, prout supra n. 153, « explicavimus (id est, de facto merè personali, « vel grammaticali, ut postea ostendemus), « prudenti rem dissimulatione supprimendam « existimabat ; sin verò asseruissent episcopi « nolle se pro hæreticis agnoscere quinque « Propositiones in sensu Jansenii, quemadmodùm ab apostolicâ Sede fuerant damnatæ ; « id sanè nullatenùs ferre, neque in re tanti « momenti quidquam connivere, quinimò « acerrimè obviàm ire statuerat. » Teste igitur cardinale Rospigliosi, nusquàm quatuor episcopos ad pacem admisisset Clemens IX, si intellexisset eos nolle pro hæreticis habere quinque Propositiones in sensu Jansenii ; cùm igitur ad pacem eos admiserit ; necessariò dicendum est eum ex declaratione non intellexisse, quatuor episcopos noluisse pro hæreticis agnoscere quinque Propositiones in sensu Jansenii.

3° Romæ nomine facti nihil aliud intelligebatur quàm factum personale. Clarissimè id constat ex numeris 153, 154, 155, etc., citatæ Relationis card. Rospigliosi : « Tres omninò « quæstiones, inquit, de Jansenii in quinque

« Propositionibus sensu incidere poterant. « Prima, quænam illius occulta mens et cogi- « tatio fuisset, quibusque signatè verbis quin- « que Propositiones ille expressisset..... hæc « quæstio intra facti limites se tenet; quam « doctiores propterea negant definitionibus fi- « dei divinæ subjectam..... Secunda quæstio « esse posset, quid tandem ex nativâ suâ vi et « proprietate significent verba Jansenii in suo « *Augustino?* quæ..... continet controversiam « non merè de facto, at de jure. » Addit n. 57 et 58, tertiam institui posse, utrùm nempe doctrina Jansenii sit hæretica vel catholica; hancque etiam quæstionem ad jus non ad factum evidentissimè referri, ibidem observat.

Ex hâc quæstionum distinctione et expositione manifestum est Romæ tunc temporis nomine facti intellectum fuisse factum personale, prout exponitur in primâ quæstione; factum verò doctrinale, in quo agitur de sensu textûs dogmatici, ipsiusque orthodoxiâ aut hæreticitate, ad jus revocatum fuisse; non mirum itaque si Clemens IX, juxta morem tunc Romæ receptum, episcopi Catalaunensis declarationem interpretatus fuerit de factis merè personalibus, non verò de factis dogmaticis quæ ad jus à Romanis revocabantur.

Adeò certum est distinctionem juris à facto fuisse intellectam de facto personali aut grammaticali, ut Pater Liberius de Jesu, carmelita Discalceatus Romæ theologiæ professor in collegio de *Fide propugnandâ* studiorum moderator, à Quesnell. laudatus epistolâ episcopi ad episcopum, notionem hanc tanquàm indubiam obtrudat tom. 1 operis cui titulus: *Controversiæ dogmaticæ adversùs hæreses.* Eo in libro Protestanti Jansenianorum reluctationem objicienti, sic respondet: « Theologi qui Jansenistæ dicun- « tur, cum omni humilitate subjiciunt se R. « pontifici in damnatione quinque Propositio- « num, prout sonant, et secundùm quæstio- « nem juris, sed audiri postulant in quæstione « facti; an videlicet illa reperiantur in libro « Jansenii de verbo ad verbum, et an in eo « sensu intellexerit Jansenius: porrò, in quæs- « tione facti apostolica Sedes non admittitur « infallibilis judex. » Ita hic theologus apud Quesnell., ubi attributio quinque Propositionum libro Jansenii quoad verba omninò eadem, aut quoad intentionem personalem, quæstio facti nuncupatur.

4° Non alia fuit celeberrimorum cleri Gallicani comitiorum in causâ Jansenii, facti notio; attributio quinque Propositionum quoad sensum et doctrinam in iis expressam libro Jansenii, ab iis comitiis non ut mera facti, sed ut vera juris quæstio constanter habita est.

In comitiis anni 1654, sic loquuntur præsules nostri in suâ ad Innocent. X epist. 28 martii: « E veteri fidei deposito, cujus custodia « cathedræ Petri à Christo concredita est, par- « tem adimere tentant..... quinque etenim « Propositiones decretò illo proscriptas, dam- « nare se quoque profitentur, sed alio planè « sensu quàm qui à Jansenio traditus et expli- « catus est. » In Comitiis anni 1656, in epist. ad Alex. VII, de Jansenianis quinque Propositiones Jansenii libro abjudicantibus, sic iterùm loquuntur præsules Gallicani: « Ad facti « quæstionem controversiam deducere nitun- « tur, quas ingeniorum versutias verâ pruden- « tique verborum complexione infregit Breve « apostolicum; quod tricis illis syllabarum ad « umbrabiles scholarum disputationes relegatis, « decisionisque auctoritate ad juris quæstionem « restrictâ, doctrinam Jansenii, quam opere « suo explicuit, in propositionum confixarum « materiâ, pontificiâ Constitutione damnatam « fuisse declarat. » Audis tricas syllabarum quæstionem facti appellari, juris verò quæstionem restringi ad damnationem doctrinæ quam Jansenius in opere suo explicuit. Eamdem omninò juris et facti notionem tradunt comitia an. 1660, 1661, 1663, etc.

Hinc celeberrima Jansenismi Relatio jussu comitiorum anni 1656 edita, ab his et sequentibus comitiis solemniter approbata, de Constitutione Innocentii X loquens, sic habet: « Les termes (de cette Constitution) sont con- « çus en telle sorte, qu'ils font voir que la « force des décisions tombe sur la question de « droit, c'est-à-dire, sur la condamnation des « opinions que cet auteur enseigne dans son « livre intitulé *Augustinus*, sur la matière con- « tenue dans les cinq Propositions, » etc. Cùm ergo hæc esset tum Romæ, tum in Galliis facti et juris notio, non mirum si R. pontifex declarationem exposuit de attributione quinque Propositionum, non quidem quoad sensum et doctrinam, sed quoad verba duntaxat aut intentionem personalem.

5° Reipsâ Janseniani, ut mox ex Gallicanis præsulibus audivimus, ad tricas syllabarum controversiam deducere conabantur, hoc est, an verba, aut eadem omninò, aut planè synonima extarent apud Jansenium; hinc Pascalius epist. 17, ait *quæstionem hanc solis oculis dirimi*

posse , eos solos judices esse debere , atque *ipsos convincendos esse , ostendendo in libro Jansenii verba quæ in eo extare dicuntur ;* quin et ipse jam citatus Præfationis apologeticæ auctor pag. 86 et 87 , contendit , juxta definitionem summorum pontificum quinque Propositiones dicendas esse extare in libro Jansenii quoad ipsa verba , et secundùm eamdem grammaticalem significationem. Sic ille ratiocinatur : « Le formulaire d'Alexandre VII dit positivement « 1°, que les cinq Propositions condamnées « par Innocent X sont extraites du livre ; c'est « le sujet de la première décision ; et 2°, que « ces propositions extraites sont condamnées « dans le sens de l'auteur ; ce qui fait la matière de la seconde décision ; or , il est évident que la première est inutile, si ce pape « n'a pas voulu dire que les propositions ne « sont pas grammaticalement dans le livre ; la « seconde suffisait , s'il a seulement voulu marquer que le sens des propositions y est , et « que c'est celui qui est condamné par Innocent X. Le pape a donc voulu dire l'un et « l'autre. » Et paulò post : « Que l'on tourne « et retourne tant que l'on voudra ces paroles, « on ne pourra jamais empêcher qu'elles ne signifient que les cinq Propositions sont en « propres termes dans Jansénius, d'où l on dit « qu'elles ont été extraites, qu'elles ont le « même sens dans les cinq Propositions et dans « le livre , et que les paroles qui sont les mêmes , « ont et présentent aussi le même sens. C'est « tout cela qui a été défini par Alexandre VII. » Prudenter ergo existimare potuit Clemens IX, quatuor episcopos locutos fuisse de hujusmodi attributione quoad verba, vel eadem , vel synonima.

Jam verò attributio propositionum quoad verba omninò eadem , vel synonima seu grammaticaliter æquipollentia, plurimùm differt ab attributione quantùm ad sensum duntaxat, quam solam definivit Ecclesia. Ad priorem requireretur ut verba ipsa propositionum , aut alia planè idem significantia in libro Jansenii continerentur ; eo modo quo ista propositio : *Interiori gratiæ Christi nunquàm resistitur* , in hâc propositione continetur : *Interior Christi gratia suo nusquàm frustratur effectu ;* ad posteriorem verò attributionem sufficit quòd ex variis libri principiis ac propositionibus idem dogma eliciatur ; sicuti dicta propositio : *Interiori gratiæ Christi nunquàm resistitur* , colligitur ex his Jansenii principiis : *Nulla est propriè dicta Christi gratia , nisi delectatio cœlestis ; modus agendi delectationis relativus est , seu per gradus ; delectatio superior necessariò vincit inferiorem.* Respectu prioris attributionis, circa quam nihil pronuntiavit Ecclesia , religiosum duntaxat silentium à quatuor episcopis exhiberi consensit S. pontifex ; nusquàm verò respectu posterioris.

6° In hâc benignâ doctrinæ quatuor episcoporum expositione firmabatur Clemens IX, tum ex posteriori agendi et loquendi ratione horumce quatuor episcoporum de quo diximus inter probationes... tum ex ultimis citatæ declarationis verbis, in quibus episcopus Catalaunensis cujus fides suspecta non erat S. pontifici, quique purè ac simpliciter subscripserat formulario cleri Gallicani, disertè asserit se idem sentire cum quatuor episcopis... tum maximè ex epistolâ illustriss. Harlæi , quâ potissimùm motus fuit ad pacem concedendam, teste card. Rospigliosi in Relatione.

Etverò declaratio simul cum epistolâ illustriss. Harlæi præponderabant in mente R. pontificis rumoribus divulgatis, juxta ipsummet fragmentum Relationis à Quesnellio laudatum; sed rumores divulgati non erant nisi de factâ distinctione juris à facto dogmatico ; ergo videbantur R. pontifici declaratio et epistola exsufflare hos rumores.

Robur istius argumenti sensit D. du Vaucel, unde Quesnellio suadebat ut supprimeret articulum istum Relationis cardinalis nepotis quam laudaverat ; verùm præterquàm quòd jam res infecta esse non poterat, extabat aliunde Breve ad quatuor episcopos idem significans, alioquin nec probare potuissent Clementem IX vidisse hanc declarationem.

7° Denique, quod ritè observandum, in secundâ declarationis parte, de quâ hîc quæstio, mentio non fit de attributione quinque hæresum, nec sensûs quinque Propositionum, nec etiam facti in formulario expressi, quemadmodùm in verbalibus quatuor episcoporum actis legebatur, sed purè ac simpliciter de attributione quinque Propositionum libro Jansenii ; porrò hæc loquendi ratio suâpte naturâ congruentiùs significare videtur, propositiones quoad ipsissima verba, aut saltem æquivalentia ac synonima, eo in libro reperiri.

Ex his omnibus manifestè patet, debuisse aut saltem prudenter potuisse S. pontificem secundam declarationis partem, de facto merè personali interpretari ; idque sive habeatur ratio contextûs ipsiusmet declarationis ; sive recepta tunc temporis Romæ et Parisiis facti

notio, sive demùm extrinseca spectentur card. Rospigliosi, illustriss. Harlæi, aliorumque testimonia.

Respondeo 3°, hìc recurrere supra adductas solutiones. 1° Clemens IX, pacem concedendo quatuor episcopis, puram ac simplicem subscriptionem ab ipsis exhibitam fuisse, in authenticis pacis instrumentis clarè significat; nec aliâ ratione pacem fuisse concessurum ibidem declarat; utrumque apprimè noverunt quatuor episcopi, nec tamen ullatenùs reclamârunt; ergo, etc... 2° Hypothesis adversariorum ipsis omninò inutilis, Clementi autem IX meritissimo pontifici plurimum injuriosa; tum quia splendidi mendacii reus constitueretur: publicè enim et in facie Ecclesiæ, idque in re gravissimi momenti, testatus fuisset, cujus contrarium pro certo tenebat; tum quia totius Ecclesiæ legem, cujus executionem urgere debuisset, infringere attentâsset... 3° Quidquid sit, Clemens XI. applaudente universali Ecclesiâ, religiosi silentii sufficientiam, solemni Decreto *Vineam Domini,* etc. an. 1705, confixit. Verùm de his consule quæ supra dicta sunt conclus. tertiâ.

His addunt nonnulli cum illustriss. S. Pontii episcopo antea citato, quatuor episcopos secundâ declarationis parte merum eatenùs silentium obtulisse, quòd nollent facta etiam dogmatica in articulos fidei ab Ecclesiâ erigi posse; non autem quòd Jansenii factum inficiarentur, ipsique quamcumque, etiam ecclesiasticam fidem denegandam esse contenderent; vide quæ diximus responsione tertiâ ad secundam objectionem.

Instabis 1°: Publica quatuor episcoporum Mandata, aliaque plurima Jansenianorum scripta Romæ expensa ac damnata, distinctè quæstionem facti exprimebant, eamque restringebant ad attributionem hæretici sensûs Jansenii libri; nec id potuit ignorare S. pontifex; non debuit ergo nec prudenter potuit secundam declarationis partem de facto merè personali interpretari.

Respondeo negando conseq. Namque 1°, plerumque etiam nomine facti, Janseniani factum merè personale intellexerant, ut supra ostendimus; quin et eo sensu in præsenti controversiâ accipi, disertè testati fuerant præsules Gallicani tum epist. ad Alex. VII, anno 1656, tum in suâ Relatione antea laudatâ. 2° Gravissima momenta superiùs adducta summo pontifici persuadebant, quidquid antea dixissent, quatuor episcopi, tandem eò adductos fuisse, ut factum Jansenii circà quod silentium religiosum sufficere contendebant, restringerent ad factum merè personale.

Instabis 2°: Censura librorum haud dubiè revocatur ad factum doctrinale; atqui in dictâ declaratione debitum Ecclesiæ circa libros pronuntianti obsequium, ad merum silentium restringitur, ut scilicet nihil scribatur, doceaturve adversum; hancque esse cardinalium Bellarmini, Baronii, Richelii et Palavicini ibidem asseritur, quos quidem cardinales circa facta dogmatica unicè silentium exigere, duodecim ab hinc annis perpetuò clamitabant Janseniani; ergo, etc. — Respondeo 1°, recurrere mox adductas solutiones; 2° censura librorum ut plurimùm fit cum appellatione auctorum, vel cum attributione quarumdam propositionum libris damnatis, adeòque factum personale includit: ergo nihil obstabat quominùs hæc declarationis verba, de factis personalibus intelligeret Clemens IX.

Quod additur ex cardinalibus Bellarmino, Baronio, etc., magis nocet adversariis quàm ipsis faveat; tum quia de solis personalibus factis locutos fuisse, alibi demonstrabimus; tum quia, quod inpræsentiarum sufficit, teste card. Rospigliosi citatæ Relationis n. 155, certum est Romæ horumce cardinalium doctrinam de hujusmodi factis expositam fuisse.

Instabis 3°: Si acta verbalia quatuor episcoporum vidisset Clemens IX, hosque nihilominùs episcopos ad pacem admisisset, procul dubio eo ipso religiosum silentium approbâsse censendus fuisset; atqui, in declaratione silentium illud non minùs disertè exprimitur quàm in verbalibus; ergo, etc. — Respondeo negando min.; plurima enim sunt verbalia inter et declarationem discrimina, quæ benignam de factis personalibus interpretationem à verbalibus penitùs excludebant. 1° In his postquàm quatuor episcopi declarârunt quinque Propositiones damnandas esse in eo omni sensu quem Ecclesia proscripsit, mox excipiunt sensum illum quem vocant *doctrinam SS. Augustini et Thomæ de gratiâ ex sese efficaci;* atqui notum erat sensum illum in stylo Jansenianorum, ipsummet esse Jansenii sensum de gratiâ relativè per gradus necessariò victrici; ergo, etc... 2° In iisdem verbalibus factum ad quod refertur silentium religiosum, non vocatur simpliciter factum, vel attributio propositionum libro Jansenii, sed nuncupatur, *factum in formulario;* porrò factum quod in formulario expressit et ab omnibus subsignari voluit Clemens IX, non

est factum personale, sed dogmaticum ; nempe attributio hæretici sensûs quinque Propositionum libro Jansenii... 3° In verbali episcopi Alectensis id expressè legitur, quo uno integrum silentii religiosi systema stat, nempe, *neminem vi solius auctoritatis judiciorum Ecclesiæ teneri ad assensum circa facta quæ respiciunt sensum auctorum aut eorum librorum ;* at nihil tale habetur in declaratione ; ergo, etc.

Præterea, si Verbalia vidisset Clemens IX, ex iis intellexisset novam quatuor episcoporum subscriptionem non fuisse puram et simplicem, sed relativam ad distinctionem in actis verbalibus expressam ; proindeque restrictam ac limitatam ; in his etenim primùm legebatur dicta juris à facto distinctio; postea exscribebatur formularium ; demùm subjiciebantur subscriptiones ; ast ex solâ declaratione rem ita habere non potuit dignoscere S. pontifex.

Potuit ergò Clemens IX arbitrari quatuor episcopos primò subscriptionem puram et simplicem exhibuisse ; postea verò mentem suam in actis verbalibus fusiùs declarâsse ; et reipsà rem ita gestam fuisse narrabant epistolæ tunc temporis Româ scriptæ, uti refertur pag. 81 Apologet. Præfationis jam citatæ ; hic autem posterior subscriptionis modus S. pontificem multò magis ad pacem inducere debuit, quàm prior in actis verbalibus renovatus, quemque idcircò quatuor episcopi omni curâ occultârunt.

Objicies 4° : Illustrissimus Harlæus Rothomagensis, postea Parisiensis archiepiscopus, in suâ ad card. Rospigliosi epistolâ superiùs citatâ, clarissimè exponit ac approbat quatuor episcoporum doctrinam in eorum verbalibus expressam. Asserit 1°, quatuor episcopos purè ac simpliciter non subscripsisse. 2° Ecclesiam non esse infallibilem in damnatione librorum ; cùm sæpiùs diversis temporibus proscripti fuerint, postmodùm verò approbati. 3° Ecclesiam non posse hâc in parte aliud obsequium exigere, quàm quod exhibuerant quatuor episcopi, unicum nempe religiosum silentium ; manifestissimè itaque cognovit card. Rospigliosi et per eum Clemens IX, genuinam ac legitimam dictorum episcoporum doctrinam.

En epistolæ verba : « A moins de signer le « formulaire purement et simplement et en « aveugle, il ne se peut rien ajouter à la sou« mission qui est rendue par là au S. Siége « (par les quatre évêques). » Et paulò post : « Hors de souscrire purement et simplement « le formulaire d'Alex. VII, comme nous avons « toujours fait ; pour peu que l'on vienne à « expliquer ce que l'on entend par cette signa« ture qui est ordonnée, je ne vois pas que « dans les maximes de la plus sévère théologie « l'on puisse exiger plus de croyance ni plus « de soumission d'un évêque ou d'un autre « docteur catholique.

« D'autant plus que selon la pensée des plus « habiles théologiens de l'Eglise, et des plus « illustres défenseurs du S.-Siége, tels qu'ont « été les cardinaux Baronius, Bellarmin, du « Perron, Richelieu et... les Pères Petau et « Sirmond, l'Eglise n'a jamais cru que ses ju« gements soient infaillibles sur la condamna« tion des livres, qui souvent ont été anathé« matisés dans un siècle où ils faisaient du « bruit, et justifiés dans d'autres où ils étaient « étouffés », ergo etc.

Respondeo, mirum profectò quòd Janseniani hanc epistolam in medium producere ausi fuerint, quæ ipsis apertè adversatur, ut constat ex ante dictis inter probationes ; quæ autem è dictâ epistolâ opponuntur, de factis personalibus, aut etiam dogmaticis fide divinâ credendis, exponenda sunt ; neque illa, quod capitale est, pro suâ æquitate ac prudentiâ aliter interpretari potuit Clemens IX. Namque 1°, ex professo ibidem docet et probat illustrissimus archipræsul, stando verbis declarationis dubitari non posse quin quatuor episcopi sincerè damnaverint sensum Jansenii ; atqui sincerè damnare Jansenii sensum, haud dubiè est interiùs adhærere definitioni circa dogmaticum Jansenii factum ; ergo, etc... 2° Miratur Harlæus hucusque progressos fuisse Jansenianos, stupendum id vocat, atque instar miraculi ; existimabat ergo eò tandem adductos fuisse, ut dogmatico Jansenii facto verum et internum exhibuissent assensum ; si enim de uno duntaxat religioso silentio agatur, nec admirationi, nec jactitando miraculo locus fuisset ; ut enim observat Quesnell. libro cui titulus : *Relation de la paix de Clém. IX*, tom. 2, pag. 518, *ce miracle n'étoit pas nouveau, et on avoit cent fois offert cette même déclaration, ou d'autres équivalentes....* 3° Probè noverat Clemens IX, illustrissimum Harlæum semper fuisse à Jansenianorum placitis maximè alienum ; noverat ipsum interfuisse et simpliciter subscripsisse comitiis 1660, 1661, etc., in quibus pluries statutum fuerat unumquemque teneri ex animo damnare in sensu Jansenii, etc. ; ergo.

Cum ergo asserit illustriss. Harlæus, quatuor episcopos non subscripsisse purè et simpliciter,

ita loquitur per exclusionem cujuscumque explicationis aut exceptionis circa facta, non quidem dogmatica, sed personalia duntaxat, circa quæ unicè cadere expositiones quatuor episcoporum existimabat illustriss. archipræsul; similiter cùm addit, Ecclesiam non esse infallibilem in censurâ librorum, ac proinde non posse hâc in parte aliud obsequium exigere præter silentium; id intelligendum de damnatione librorum in ordine ad internam auctorum mentem, aliasque merè historicas et personales librorum vel auctorum quæstiones. Verùm de his alibi fusiùs.

Objicies 5° : Archiepiscopus Parisiensis Harduinus de Péréfixe, moniales Portûs Regii ad participationem Sacramentorum admisit mense februario anni 1669, factâ subscriptione juxta declarationem episcopi Catalaunensis; porrò jam ab anno 1665, à Sacramentis illas excluserat idem archipræsul, ob detrectatam puram et simplicem Alex. VII formulario subscriptionem; ergo, etc. Respondeo 1°, quid, quæso, hæc ad mentem Clementis IX? quid hæc ad pacem jam factam et ratam? 2° In ipso restitutionis Mandato revocat illustriss. archipræsul quæ supra expendimus Clementis IX verba : *Dictorum Innoc. X et Alex. VII Constitutionibus firmissimè inhærentes, nullam exceptionem aut restrictionem admissuri unquàm fuissemus;* existimavit ergo silentium quod promittebatur, non in dogmaticum factum ab Alex. VII expressè definitum, sed in personalem Jansenii sensum unicè cadere.

Eadem responsio adhibenda simili restitutioni D. Dorat doctoris Parisiensis peractæ mense februario ejusdem anni; necnon subscriptioni quam anno 1675 exhibuit D. Vibet, quamque præsente et urgente archiepiscopo Parisiensi ratam et acceptam habuit Constantiensis episcopus.

Objicies 6°, numisma jussu Regio insculptum ut in Luparæ fundamentis includeretur, quo constat Parisiis cognitum fuisse quid contineretur in verbalibus; ergo. Respondeo 1°, quæstionem non esse quid cognitum fuerit Lutetiæ, sed quid Romæ. 2° Quid ex illo numismate extundi potest? nihil certè, nisi regem voluisse quatuor episcopos in gratiam apud R. Pontificem restituere; uti constat ex inscriptione numismatis. 3° Tandem et rex ipse tale improbavit numisma; ita testatur auctor historiæ quinque Propositionum.

Objicies 7° : Edictum Ludovici Magni datum die 30 maii anni 1676, in Castris propè Ninivam Flandrorum, in quo sic legitur : « La condescendance que le S.-Siége a eue avec beaucoup de prudence, en admettant quelques signatures du formulaire avec quelques explications plus étendues, en faveur de quelques particuliers seulement, et pour les mettre à couvert de leurs scrupules, et des peines portées par les Constitutions, » etc. Porrò condescensus ille seu indulgentia S. pontificis, de quâ loquitur edictum regium, non respicit factum merè personale; de hoc etenim ante et post pacem, unicuique licuit et etiam nunc licitum est quod voluerit opinari; non respicit etiam jus ipsum, cui sincerè et ex animo adhærere constanter professi sunt quatuor episcopi; restat ergo ut versetur circa factum doctrinale, seu attributionem sensûs hæretici quinque Propositionum libri Jansenii, quatenùs scilicet quatuor episcopis permisit ut inter subscribendum secernerent jus à facto, huicque merum silentium exhiberent.

Respondeo, imprudenter sanè Jansenianos hocce regis edictum nobis opponere, cùm ipsis directè adversetur. Namque 1°, in eo irritum fit, prorsùsque abolitur Mandatum episcopi Andegavensis datum die 6 maii ejusdem anni 1676, in quo conceptis verbis asserebatur sufficere silentium religiosum circa factum dogmaticum Jansenii, hancque fuisse Clementis IX mentem; rescinditur autem Mandatum illud, tanquàm adversum Constitutionibus apostolicis receptis et approbatis. 2° Inobedientiæ arguitur præsul ille ac violatæ pacis; eâque abuti asseritur, dùm contendit hanc in distinctione juris à facto fundatam fuisse. 3° Tandem jubetur ut nullâ hujusce Mandati habitâ ratione, puram ac simplicem formularii subscriptionem exigeret Cancellarius Universitatis Andegavensis.

Hinc Quesnellius epist. ad amicum an. 1697, quam legere est in Biblioth. Regiâ, *funestum* vocat illud regis decretum, *quo durè admodum vexatur episcopus, cujus unicum crimen erat solam disciplinæ subjectionem exigere pro facto Jansenii :* addit insuper, *in eo distinctionem juris à facto contrariam dici Constitutionibus apostolicis, comitiis cleri, Declarationibus regiis, atque haberi velut audax ac perniciosum facinus;* demùm concludit, *hanc pacem funditùs ruere, tum hocce sanctioris consilii decreto, tum ex praxi quâ ubique fermè exigitur subscriptio pura et simplex.*

Porrò R. Pontificis condescensus cujus meminit edictum, non versatur, uti contendunt adversarii, circa factum dogmaticum, seu at-

tributionem sensûs hæretici propositionum libri Jansenii, sed si gestis in causâ quatuor episcoporum et terminis citati edicti inhæreamus, videtur intelligendus de tolerantiâ quâ permisit pontifex quatuor episcopos subscribere cum expositione diffusâ, promittendo duntaxat silentium obsequiosum pro facto, in mente Clementis IX personali vel grammaticali; dissimulare quippe circa hæc volebat R. pontifex; at circa factum dogmaticum ferre non poterat, sed obviam ire firmiter statuerat, ut antea ex card. Nepote audivimus.

Neque valet quod additur in objectione, liberum semper cuilibet fuisse de merè personali aut grammaticali Jansenii facto pro nutu suo opinari; neque circa istud quidquam à summis pontificibus fuisse usquàm definitum. Namque 1°, aliud est pro libitu suo opinari circa factum merè personale; aliud distinctionem et explicationem inter subscribendum inserere: esto quòd prius licitum fuerit, certè non posterius; hæc etenim cum distinctione subscribendi licentia, plurimùm haberet periculi; inde non pauci sensum Jansenii censuræ subducere tentarent, quod contigit temporibus dicti Andegavensis episcopi. 2° Quando certus quidam sensus ex libri totius consilio et serie colligitur, meritò præsumitur hunc fuisse internum auctoris sensum, nisi supponatur auctor aut ignarus, aut malignus, qui receptam verborum significationem vel ignorat, vel aliò inflectit; atqui Janseniani profectò nec inscitiæ, multò minùs malæ fidei Jansenium incusarent; ergo, etc., ac proinde non levis erat R. pontificis erga quatuor episcopos indulgentia, quòd subscribere permisisset declarando se nec personalem Jansenii sensum attingere, nec teneri quemquam ad credendum quinque Propositiones quoad verba omninò eadem aut grammaticaliter æquivalentia in Jansenii libro extare. Adde simili declaratione non obscurè innui, dubium saltem esse num personale factum definire voluerint summi pontifices, quod certè ab ipsorum mente omninò alienum fuit.

Objicies ultimò: Verisimile non est, imò impossibile unum Clementem IX ignoràsse quod omnibus notum et perspectum erat; atqui jam ante completam pacem publicè evulgatum fuerat quatuor episcopos in secretis verbalibus jus inter et factum distinxisse, eosque respectu facti, unam religiosi silentii observantiam præstitisse et à suis postulàsse. Ita ferebant disseminati nuntii Amstelodamenses ad diem 1 novembris 1668; ita quoque expressè declaraverant canonici Apamienses in contestatâ denuntiatione factâ die 22 septembris ejusdem anni; denique hoc ipsum haud dubiè ubique enarrârunt sexcenti circiter viri ecclesiastici qui synodis quatuor episcoporum adfuêre, et quibus nullum eâ de re secretum injunctum fuerat; ergo, etc. Ita anonymi antea citati.

Respondeo: Equidem publici rumores ferebant quatuor episcopos distinxisse jus inter et factum: verùm præterquàm quòd ex illis rumoribus certò dignosci non poterat, quid illi nomine facti intellexissent, non debuit S. pontifex in re tanti momenti extrinsecis illis relationibus fidem adhibere, nec incœptum pacis negotium abrumpere; ad summum novas inquisitiones, novasque declarationes exigere debuit ab iis qui negotium illud tractabant, idque revera præstitit, et obtinuit testimonia quatuor episcoporum supra memorata, quibus postea accessit declaratio episcopi Catalaunensis, necnon illustriss. Harlæi epistola; ex his authenticis instrumentis judicavit Clemens IX, non autem ex incertis illis nuntiis, quibus ab omnibus levissima habetur fides.

Huic nostræ responsioni omninò consentit cardinalis nepotis Relatio numeris 149, 150, inprimis 163, ubi conceptis verbis asserit, «visum fuisse pontifici, ex declaratione episcopi «Catalaunensis.... ex legitimâ fide quam quatuor episcopi fecerant nuntio, suæ in sanciendâ adjectis nominibus formulâ sinceritatis; èque luculentis D. Lionæi, et archiepiscopi Rothomagensis, aliorumque testimoniis «argumentum constari longè usquequàque validius contrario quovis rumore, quem de actis verbalibus incerti libelli et privatæ dissipaverant litteræ. Quapropter tum regiæ vocis pondere subnixum, tum prædictorum «auctorum perquàm gravibus et repetitis testificationibus inductum non potuisse jam «diutiùs ambigere de plenâ episcoporum obedientiâ et sincero in admittendâ formulâ «animo, eosque ideò in suam gratiam restituendos duxisse.»

Leve est quod in objectione additur de canonicorum Apamiensium protestatione; namque fatetur ipsemet auctor apologet. Præfat. pag. 66 et 67, non ab omnibus, sed à quatuor duntaxat Apamiensibus canonicis factam fuisse; additque, neque ex hoc scripto, neque ex ullo alio instrumento probari posse hanc Romæ denuntiatam fuisse.

Quod spectat ad alios viros ecclesiasticos qui synodis adfuerant, 1° cùm nullum exemplar

actorum verbalium habuerint, sed post simplicem eorum lectionem subscripserint, vix illi accuratè ac distinctè referre poterant ea quæ in actis illis continebantur; aut saltem gravis esse poterat suspicio, eos verum et germanum sensum non omninò assecutos fuisse; 2° prorsùs falsum est quod fert objectio, nullum ipsis secretum injunctum fuisse; si enim ita esset, quid tot susceptæ molitiones ne verbalia cuiquam communicarentur? Ut quid quatuor episcopi tantâ curâ effecissent ut ad synodos non vocarentur ii quorum fides ipsis suspecta videbatur? Ut quid denique episcopus Alectensis epist. ad D. de S. Laurens datâ die 14 octobris 1668, adeò sollicitè sese purgat ab eo quod ipsi impositum fuerat, nempe quòd evulgari permisisset quæ in suâ synodo gesta fuerant? Hæc latè prosequitur auctor historiæ quinque Propositionum tom. 2 recentioris editionis pag. 186, 187 et sequentibus.

Cæterùm quanquàm evidentissima sint quæ hucusque adduximus ad demonstrandum cognitam non fuisse à Clemente IX clandestinam quatuor episcoporum in suis verbalibus juris à facto distinctionem; atque adeò nullatenùs à pontifice approbatum fuisse religiosum, ut vocant, silentium; aliud tamen, et quidem urgentius ad hominem hìc occurrit argumentum desumptum nempe ex præcipuorum Jansenistarum consensu, qui in suis privatis ad amicos colloquiis et epistolis candidè confessi sunt, nihil incertum ac dubium magis quàm quod ipsi palàm, velut certissimum et indubitatum nobis perpetuò obtrudunt.

Eam in rem instar omnium audiatur D. du Vaucel aliàs Valloni, Romæ Jansenianorum actor, cui proinde ipsorum sensa apprimè nota erant; in hæc verba scribit ad Quesnell., die 2 junii 1696 : « Tout ce qu'on allègue de la paix « telle quelle, faite en 1668, ne conclut rien, « qu'en supposant qu'on a su à Rome, que la « distinction du droit et du fait était dans les « procès-verbaux des quatre évêques, de la « même manière qu'elle était dans leurs Mandemens condamnés à Rome, et pour lesquels « on voulait procéder à leur déposition : OR « C'EST CE QUE LES ACTES QUE L'ON RAPPORTE NE « PROUVENT PAS; surtout l'extrait du card. Rospigliosi prouve plutôt le contraire. » Nihil certè luculentius; loquitur autem fervidus ille Jansenii defensor de eo ipso Relationis extracto quod uti maximè anthentico inseruerat Quesnellius pag. 604 suæ Defensionis Ecclesiæ romanæ adversùs Leydeker.

Pergit ibidem Valloni, et probat ratione quam antea attigimus, extractum illud ostendere potiùs notam non fuisse juris à facto distinctionem in verbalibus expressam : « Les « certificats qu'on dit dans cet extrait devoir « l'emporter sur *des mémoires et les bruits particuliers,* donnent l'idée que Clément IX et « son conseil N'ONT POINT SU AU VRAI CE QUE « CONTENAIENT LES PROCÈS-VERBAUX, ou du moins « qu'ils ont fait semblant de ne le point savoir; « et que quand on dit dans cet extrait et dans « la lettre du pape aux quatre évêques, qu'ils « ont signé sincèrement le formulaire, l'on « entend qu'ils ont signé sans la distinction « marquée dans leurs Mandemens. » Nihil iterùm luculentius disertâ hâcce Vallonii confessione, quam ab ipso sola veritatis evidentia extorquere potuit.

Addit hanc esse non suam duntaxat, sed et aliorum sociorum mentem; demùm suadet Quesnellio ut supprimeret extractum, sicque concludit : « Cette réflexion a paru bien solide à « M. Alberti et à Dom Luigi; et ayant lu cet ex« trait du card. Rospigliosi, ils seraient d'avis « que vous l'ôtassiez en faisant un carton, si « vous êtes encore à temps pour cela. » Et in aliâ ad eumdem Quesnell. epist. mense julio ejusdem anni 1696, sic rursùs mentem suam aperit : « Il restera toujours quelque obscurité « et quelque embarras, pour la paix de 1668, « parce qu'il ne paraît pas assez clairement « qu'on ait fait entendre à Clément IX, que « les quatre évêques ne changeaient point dans « leurs procès-verbaux la substance de leurs « Mandemens condamnés à Rome. » Narrat ibidem, quàm difficile fuerit Alectensem episcopum adducere ad subscribendum epistolæ Romam missæ, quòd scilicet prævideret futurum ut postmodùm fraudis, artificiive arguerentur quatuor episcopi, quòdque perplexis et ambiguis loquendi rationibus S. pontificem decepissent; verba alibi laudavimus.

Ex his clarissimè liquet, ipsismet fatentibus Jansenianis, probari non posse notum romano pontifici fuisse verbalium tenorem; imò potiùs contrarium evinci; ergo, etc.. Atque hinc alter Jansenianus scriptor epist. ad archiepiscopum pag. 17, postquàm multis ostendere conatus fuit, nequidem cum expositionibus et interpretationibus constitutionem *Unigenitus* acceptandam esse, sic demùm concludit : « Ce « serait le second tome des procès-verbaux de« meurés cachés dans les greffes des quatre « évêques, qui n'ont pas empêché que leur

« signature n'ait été regardée depuis comme « pure et simple. Il n'est rien tel pour des « évêques, et dans les matières de foi, que de « marcher droit. »

Juvat hic audire quid de toto hocce negotio liberius quidem, sed ingenuè ac sincerè scripserit Jansenii panegyrista in apologiâ suæ panegyreos pag. 12. Ait 1°, se desiderâsse totam negotiationem istam, propter honorem virorum inclytorum, qui in illâ partem habuêre, urbano silentio sepelire; dein ostendit negari non posse quin quatuor episcopi nudam et simplicem formularii subscriptionem dederint, aut saltem dedisse significaverint; postea quibusdam interjectis probat præmissam episcopi Catalaunensis declarationem omninò ambiguam, non potuisse impedire quominùs subscriptio formularii habenda esset pro clarâ et evidenti affirmatione facti : « Ad hæc, inquit, « dùm tali declarationi immediatè subjicitur « formula ab Alexand. VII concinnata, quæ « nullis unquàm machinis evidentissimam FACTI « assertionem à se excutiet, eidemque formulæ « NUDÈ SUBSCRIBITUR; quid aliud agitur quàm « vel declarationem ambiguam ad claram FACTI « affirmationem reducere; vel si quam aliam « vim habebat, contrariâ subscriptione velut « convulsam, irritam ac cassam reddere? Utor « ancipiti hâc enuntiandi periodo; quia reverâ « declaratio per se considerata, facti veritatem « non it inficias. »

Demùm sic concludit : « Non est itaque cur « nos jam tanta occupet admiratio, quòd pon« tifex in Brevi suo gratulatorio ad episcopos « memoratos rescribat : CUM NOVA ET GRAVIA « ISTHINC ACCEPIMUS DOCUMENTA VERÆ AC TOTALIS « OBEDIENTIÆ VESTRÆ, QUA ET FORMULARIO SINCE« RÈ SUBSCRIPSISTIS, ET DAMNATIS ABSQUE ULLA « EXCEPTIONE AUT RESTRICTIONE QUINQUE PROPO« SITIONIBUS, IN OMNIBUS SENSIBUS IN QUIBUS A « SEDE APOSTOLICA DAMNATÆ FUERANT, etc. At « quis non obstupescat congratulationem talem « à viris illustribus silente submissione recipi, « si, ut par est credere, nullam facto Jansenia« no fidem et assensionem in animo impressam « gesserint? Sane quidem qui IN OMNIBUS SEN« SIBUS, IN QUIBUS A SEDE APOSTOLICA DAMNATÆ « FUERANT, propositiones damnat, ille utique « et illas damnat in ipso puro puto sensu à « Jansenio scribente intento; nam is hactenùs « solus et unicus solemni eloquio pontificio « profligatus est. » Hactenùs professus ille Jansenista, hàc in parte perfectè consentiens cum D. du Vaucel, quòd scilicet ex actis Romam missis, speciatim verò ex celebri declaratione, notum esse non potuerit R. pontifici quatuor episcopos jus à facto distinxisse, huicque unam silentii reverentiam exhibuisse.

Ante quàm huic controversiæ finem imponamus, non abs re erit colligere, atque servatâ chronologicâ notâ ex ordine recensere varia quæ hùc usque adduximus momenta ad causam quatuor episcoporum utcumque spectantia; ex his non modica lux præsenti argumento affulgebit.

1° Itaque anno 1665, die 15 februarii, edita fuit ab Alex. VII Constitutio in quâ continetur formula fidei circà quinque Jansenii Propositiones subscribenda. 2° Eodem anno, mense aprili, in hujusce Constitutionis executionem lata est regis Christianissimi Declaratio, quæ 29 ejusdem mensis requirente oratore regio D. Talon, in supremæ curiæ tabulas perscripta est. 3° Dictæ Constitutioni purè ac simpliciter subscripsère Præsules omnes Gallicani, quatuor duntaxat exceptis, Alectensi scilicet, Bellovacensi, Andegavensi et Apamiensi, qui in suis publicis Mandatis jus à facto distinxêre. 4° Secretioris concilii decreto rescissa fuère dicta Mandata die 20 julii; simul et Romæ in librorum prohibitorum indicem relata. 5° Die 28 augusti 1667, prima quatuor episcoporum ad Clementem IX dirigitur epistola, in quâ post gratulatam ipsi supremam dignitatem, suorum Mandatorum doctrinam vindicare conantur. 6° Epistola novemdecim episcoporum ad S. pontificem scripta die 1 decembris ejusdem anni in gratiam quatuor episcoporum. 7° Eodem tempore simillima ab iisdem novemdecim episcopis ad regem Christianissimum directa epistola; hæc supremi senatûs judicio supressa fuit die 19 martii 1668. 8° Die 25 aprilis 1668, quatuor episcopi encyclicam ad cæteros Galliæ episcopos scripsère epistolam, in quâ ipsos hortabantur ut suæ causæ patrocinium susciperent; hæc 4 julii ejusdem anni sanctioris consilii placito abolita fuit. 9° Die 1 septembris ejusdem anni, secunda quatuor episcoporum ad Clementem IX epistola; in eâ testantur se in exequendâ Alex. VII Constitutione, usos fuisse novâ subscriptione, quod ipsis arduum fuisse ac perdifficile declarant. 10° Synodi quatuor episcoporum in quibus edita fuère verbalia et præstita subscriptio; synodus Bellovacensis celebrata fuit die 14 septembris; Andegavensis die 15; Alectensis et Apamiensis die 18 ejusdem mensis; quid discriminis occurrat in his verbalibus alibi annotavimus.

Unum hic observandum, quatuor episcoporum epistolæ diem antiquiorem appositam fuisse quàm verbalibus, etsi tamen de iis mentio fiat in epistolâ.

11° Die 22 ejusdem mensis et anni, illustrissimi Laudunensis postea eminentiss. Estræi, tum ad R. pontificem, tum ad card. nepotem epistola, circa quatuor episcoporum subscriptionem. Eodem die, canonicorum Apamiensium denuntiatio adversùs novam formularii subscriptionem. 12° Die 28 Breve Clementis IX ad regem Christianissimum circa reconciliationem quatuor episcoporum. 13° Die 23 octobris, Placitum regium ad componendam controversiam, et intentatam in quatuor episcopos litem dirimendam. 14° Die 27 ejusdem mensis, regis ad quatuor episcopos epistola. 15° Mense novembri, quatuor episcoporum testimonia de suâ omnimodâ in subscribendo sinceritate. 16° Die 3, juxta alios 4, decembris, declaratio nomine Mediatorum formata et Romam missa, de doctrinâ in verbalibus expressâ.

17° Die 5 ejusdem mensis, illustrissimi Harlæi ad S. pontificem de eodem argumento epistola. 18° Die 19 Januarii anni 1669, Breve Clementis IX ad quatuor episcopos pro reconciliatione. 19° Eodem die et anno, aliud Breve ad tres pacis mediatores. 20° Mense februario ejusdem anni, illustriss. de Perefixe archiepiscopi Parisiensis Documentum Pastorale in gratiam monialium Portûs Regii. 21° Mense martio, D. Dorat doctor Sorbonicus, parochus de Massy, oblato supplici libello quo testabatur se in omnibus adhærere supradictæ declarationi, ab eodem archiepiscopo ad pacem admissus est. 22° Anno 1674, die 15 decembris, litteris consignata testificatio illust. episcopi Catalaunensis circa dictam nomine mediatorum declarationem. 23° Anno 1675, mense maio, D. Vibet pastor Normannus ab episcopo Constantiensi coram Parisiensi archiepiscopo ad pacem admissus est iisdem conditionibus ac paulò antea D. Dorat. 24° Anno 1676, die 6 maii, Mandatum Andegavensis episcopi de non subscribendo absque præmissâ juris et facti distinctione. 25° Decretum Ludovici Magni die 30 maii ejusdem anni, quo dictum Andegavensis episcopi Mandatum rescissum fuit.

Quæ hîc ex ordine recensuimus, ex parte extracta sunt ex collectione jussu Andegavensis episcopi adornatâ an. 1677, cui titulus : *Recueil des pièces qui justifient la vérité de ce qui s'est passé dans la paix qui a été donnée.... par Clément IX en* 1668. Hæc autem collectio ab eodem episcopo Andegavensi Romam transmissa est circa an. 1678, cum prolixâ ad Innoc. XI epistolâ, sub hoc titulo : *Epistola illustriss. Andegavensis episcopi ad SS. D. Innocent. XI, pontificem maximum,* PRO CLEMENTINÆ PACIS AC SUBSCRIPTIONIS EXPLICATIONE AC DEFENSIONE.

ARTICULUS IV.

De Brevibus Innocentii XII.

Cùm Belgarum episcopi quædam adjecissent verba formulario ut clariùs adhuc determinaretur sensus prædictæ formulæ, conquerentibus multis de tali additamento, missi ex utrâque parte fuerunt ad Innoc. XII deputati. Duo scripsit Brevia S. pontifex ; primum die 6 februarii anni 1694; alterum, die 24 novembris 1696. Trophæa statim decantârunt Janseniani, præsertim de primo Brevi ; jure an immeritò nunc expendendum.

CONCLUSIO. — Ex Brevibus Innocentii XII ad Belgii episcopos scriptis nihil prorsùs colligi potest in gratiam silentii religiosi circa factum Jansenii.

Probatur 1° ex priori Brevi in quo sic legitur : « Constitutionibus Innoc. X et Alexand. « VII, exemplo prædecessorum nostrorum firmiter inhærentes, easque in suo robore fuisse « et esse declarantes, fraternitatibus vestris « mandamus, ut contra omnes et quoscumque « cujuslibet statûs, gradûs et conditionis existant, qui ausu temerario prædictas quinque « Propositiones sic damnatas in Constitutionibus Innoc. X et Alex. VII, publicè vel privatim.... defendere præsumpserint, procedatis. » Et paulò post : « Quare præcipimus, « ut, quemadmodùm ii qui ad juramentum « adigendi sunt, illud præstare debeant sincerè, absque ullâ distinctione, restrictione, « seu expositione; damnando eas propositiones « ex libro Jansenii excerptas, in sensu obvio « quem verba ipsa præ se ferunt, prout sensum illum damnârunt SS. pontifices prædecessores nostri », etc. Ex his sic arguo : Ille profectò sensum Jansenii à censurâ non eximit, imò potiùs ipsum specificè damnat, qui asserit 1°, se firmiter inhærere Constitutionibus Innoc. X et Alex. VII, easque in suo robore fuisse et esse; 2° quinque Propositiones ex libro Cornelii Jansenii fuisse excerptas, sicque damnatas; 3° juramentum in formulario expressum fieri debere absque ullâ distinctione, restrictione vel expositione; atqui ita disertis

verbis declarat Innoc. XII, in dicto Brevi; ergo, etc.

Probatur 2° ex altero Brevi ad eosdem episcopos dato 24 novembris 1696 : « Non sine « admiratione intelleximus, inquit S. Pontifex, nonnullos in istis diæcesibus reperiri, « qui verbis et calamo ausi fuerint affirmare, « supradicto nostro Brevi alteratam seu re« formatam esse Constitutionem Alex. VII, « 16 octobris anni 1656 editam, necnon for« mularium ab ipsomet pronuntiatum; cùm « dicto Brevi utrumque specificè confirmetur, « et omninò intenderimus et intendamus « iisdem adhærere, et nequaquàm sinere ut « aliquid addatur vel dematur à prædicto for« mulario, illud quovis modo alterando in « aliquâ ejus minimâ parte, sed quod in omni« bus et singulis ejusdem partibus uti manda« vimus, mandamus etiam ad amussim obser« vari. » Ex iis sic : Qui Alex. VII Constitutionem circa quinque Propositiones in sensu Jansenii damnandas specificè confirmat, necnon formularium ab eodem pronuntiatum, in quo qui subscribit, interposito juramento declarat se quinque Propositiones ex Jansenii libro excerptas et in sensu ab eodem auctore intento, sincero animo damnare ac rejicere; qui, inquam, dictam Constitutionem et formularium confirmat, ille certè Jansenii sensum sub anathemate concludit, nec proinde ullatenùs favet silentio religioso : atqui ita Innocent. X, in hoc postremo brevi; ergo, etc.

Non potuêre Janseniani non fateri posteriori hocce Brevi funditùs everti quidquid præsidii ac commodi ex priori speraverant; hinc ista eorum propositio n. 3, inter 127, à clero Gallicano in comitiis anni 1700, proscripta : « ali« quam huic malo medicinam attulisse vide« batur Innoc. XII in Brevi suo 6 feb. 1694..... « Verùm mitigationem illam præsumptam non « parùm extenuavit Brevi 24 novembris 1696, « ubi pontifex disertè negat Constitutionem « aut formularium Alex. VII Brevi sua alte« rata aut reformata in aliquâ ejus minimâ « parte. »

Probatur 3° ex Clemente XI, qui in suâ Constitutione *Vineam Domini*, etc., graviter perstringit eos qui dicta Innoc. XII Brevia *in erroris sui patrocinium*, (silentii scilicet religiosi) *advocare, temerario planè ausu, non erubescunt* : obvium autem quinque Propositionum sensum, in quo damnatas fuisse propositiones significat Innoc. XII, ibidem interpretatur Clemens XI, *de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac à prædecessoribus Innoc. X et Alex. VII damnatus fuit*; ergo, etc.

Probatur 4° ex eminentiss. de Laureâ, quem summoperè laudant, atque etiam inter suos numerare non dubitant Janseniani. Is Consultoris partes egit, cùm quæstio juris et facti sub Alex. VII et Clemente IX Romæ expendebatur, et deinceps ejusdem causæ explicator fuit sub Innoc. XII. In suo autem Voto Mechliniæ typis dato anno 1697, tria docet doctissimus ille cardinalis, 1° sensum quem exprimit liber Jansenii esse objectum definitionis pontificiæ : « Alexander VII, inquit, definivit dogma quod « exprimunt et significant verba illa quæ dicit « Jansenius. » 2° Docet sensum hunc esse dogma seu veram juris quæstionem : « Definitio Alex. « VII, ait ibidem, damnans propositiones in « sensu Jansenii, reipsà est juris quæstio. » 3° Idipsum probat isto ratiocinio : « Tunc dici« tur quæstio aliqua juris, quando judicatur « per conformitatem aut difformitatem cum « jure : ast definitio Alex. VII, damnans pro« positiones in sensu Jansenii talis fuit; quia « scilicet sensus earum contrarius est juri di« vino in sacrâ Scripturâ expresso; ergo per« tinet ad quæstionem juris. »

Cùm ergo eminentiss. ille auctor, cui, fatentibus etiam Jansenistis, optimè perspectus erat utriusque supradicti Brevis sensus, in eâ fuerit sententiâ, dicendum profectò nihil penitùs erui posse ex illis Innoc. XII decretis in gratiam religiosi, ut vocant, silentii; imò potiùs validè impugnatur mox indicato doctissimi cardinalis ratiocinio : Merum silentium certè non sufficit circa dogma, circa veram juris quæstionem; atqui sensus quem exprimit et significat textus Jansenii, vera est juris quæstio, verum dogma; ergo, etc.

Probatur 5° ex vanitate momentorum quæ in contrarium opponunt adversarii; hæc etenim futilia omninò sunt ac nullius roboris, uti vel leviter attendenti patebit.

Aiunt 1° : Prohibuit R. Pontifex additiones archiepiscopi Mechliniensis quæ determinabant damnationem ad sensum Jansenii. — Refellitur : Quid in gratiam suî exinde eruere possint Janseniani, non video. Prohibitionis siquidem causam exponit Innoc. XII, in priori Brevi, his verbis : « Cùm ad summum pontificem « duntaxat pertineat sensum, quem in his pro« positionibus damnaverit, et ut damnatum à « fidelibus credi censuerit, declarare. »

Aiunt 2° : In priori Brevi simpliciter præci-

pitur ut damnentur propositiones *in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt;* ergo sensus à Jansenio intentus, in mente RR. pontificum est ipse sensus propositionum obvius, sive Jansenius eas sic intellexerit, sive non. — Refellitur : 1° mutilatur textus, sic enim legitur : « Damnandas esse « propositiones ex libro Jansenii excerptas in « sensu obvio, quem ipsamet propositionum « verba præ se ferunt, prout sensum illum « damnârunt SS. pontifices prædecessores « nostri; » Innoc. scilicet X et Alex. VII. 2° In utroque Brevi disertè testatur Innoc. XII, *se firmiter inhærere Innoc. X et Alex. VII Constitutionibus, easque in robore fuisse et semper esse;* in posteriori verò declarat, se nullatenùs velle minuere vel in minimâ parte formularium, quod integrum semper et firmum debet permanere. 3° Dicit sensum obvium propositionum esse relativum ad sensum obvium formularii; sed sensus obvius formularii est sensus à Jansenio intentus; ergo, etc.

Itaque cùm Innocent. X quinque Propositiones in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, damnatas esse pronuntiavit; id intelligendum de ipsomet obvio sensu quem in Jansenii libro habent, quem homini intelligenti, spontè et naturaliter exhibet dictus Jansenii liber, quive ab eodem Jansenio intentus meritò præsumitur; sicque significat Innoc. XII obvium quinque Propositionum in se sumptarum sensum, esse ipsummet libri Jansenii sensum quem damnavit Alex. VII. Hanc fuisse legitimam Innoc. XII mentem expressè declarat Clemens XI, Constitutione *Vineam Domini,* etc.; cujus verba paulò antè retulimus.

Aiunt 3° : In priori Brevi prohibetur *ne ullâ ratione quisquam vagâ istâ accusatione et invidioso nomine Jansenismi traducatur;* in posteriori verò jugiter Jansenistæ dicuntur *prætensi;* quasi nulli sint, ita duntaxat dicantur. — Refellitur : Ad primum, dico detrahi posteriora Brevis verba, quæ si restituantur, nedùm evanescit difficultas, sed etiam ex eo urgentur adversarii : sic enim protinùs subjicitur, *Nisi priùs suspectum esse constiterit aliquam ex his* (Jansenii) *propositionibus docuisse aut tenuisse.* Ad secundum, vox ista, *prætensi,* hic non significat fictos Jansenistas, sed eos qui ut tales prætenduntur; hoc est, denuntiantur, declarantur, deferuntur; hunc esse verum sensum, manifestè patet ex distinctione quam pontifex adducit Jansenistarum in internos seu occultos, qui nullo actu externo se manifestant, et in externos; utrosque pontifex *prætensos* appellat; an verò externos illos, qui, ut ibidem loquitur Innoc. XII, *voce aut scriptis edunt proprios sensus apostolicarum Constitutionum sensui dissentaneos,* prætensos, id est, fictos seu falsos appellaret, quos tamen jubet ad rigorem juris puniri? Quis tam insulsam contradictionem in uno et eodem loco pontifici tribuere ausus fuerit?

Quæcumque hîc diximus de utroque Brevi Innoc. XII, non illibenter admittit et amplectitur Jansenii panegyrista : « Audio, » inquit in Prologo galeato Panegyreos Jansenianæ pag. 58, « plures existere qui ut sese laqueis peri« culosæ jurationis expediant, eo temporis ar« ticulo quo formularium sine restrictione ullâ « jurejurando firmant, per reservationem men« talem apud animum suum mussitent, JUXTA « MENTEM PONTIFICIS, hoc est, juro in formu« lario juxta mentem Innoc. XII, qui........ « Alexandrinæ bullæ, ac formalarii inde pro« manati duritiem, quâ parte factum continet, « mitigavit. Sed jam supra ostensum est præ« textus illos speciosos per Breve 24 novembris « 1696, subsecutum non obscurè rescissos esse « et vanos redditos. Etenim Breve illud dis« tinctissimè bina imperat : nimirùm et DAM« NARI QUINQUE PROPOSITIONES IN SENSU OBVIO; « et damnari easdem habito respectu obvii « sensûs dicti formularii; qui postremus certè « obvius sensus, nisi omnium oculos configere « velis, juxta receptum à totâ hominum socie« tate loquendi morem, factum ipsum verbis « vehementissimis ac splendidissimis ingerit. » Et paulò post sic prosequitur : « Atque ut om« ninò sincerè ac liberaliter agam, fateri « compellor nequidem placuisse mihi unquàm « opinionem istam, quæ vel ex ipso primo « Brevi 6 febr. 1694 edito..... aliquid mitiga« tionis circa factum exsculpere tentavit; « semperque apud me existimavi, illud ipsum « Breve facto Janseniano stabiliendo potiùs « quam diruendo favere. » Idem tradit et dilucidè ac invictè demonstrat in apologiâ dictæ Panegyreos pluribus in locis, ac tandem pag. 19 sic concludit : « Fixum igitur invictumque « maneat, Janseniani factâ assertionem tum « Constitutione tum formulario Alexand. VII « clarissimè ac validissimè contineri. Æquè « fixum invictumque maneat, eamdem Consti« tutionem ac formularium ab Innoc. XII SPE« CIFICÈ CONFIRMARI, NEQUE REFORMARI AUT « ALTERARI IN ALIQUA VEL MINIMA EJUS PARTE;

« id quippe manifesta verba Brevium discertè « ferunt. «

ARTICULUS V.

De Clementis XI bullâ Vineam Domini, *etc.*

Ut vis argumentorum quæ adversùs sufficientiam silentii religiosi ex istâ bullâ deducuntur, clariùs pateat; nonnulla ex antedictis paucis hic sunt recolenda.

1°. Anno 1701, prodiit percelebris conscientiæ Casus, cujus hic erat primus articulus: « Virum quemdam ecclesiasticum damnare « quinque Propositiones purè et simpliciter in « omnibus sensibus in quibus ab Ecclesiâ pro- « scriptæ sunt, etiam et in sensu Jansenii *eo « quo Innoc. XII reposuit modo, Brevibus datis « ad Belgarum episcopos;* » ast quantùm ad quæstionem facti, seu attributionem illarum quinque Propositionum libro Jansenii, eumdem virum existimare, « meram silentii et re- « verentiæ subjectionem sufficere. » En ipsissima verba: « Il croit qu'il lui suffit d'avoir « une soumission de respect et de silence à ce « que l'Église a décidé sur ce fait. » Responsum dederunt quadraginta doctores Parisienses, « hujus ecclesiastici viri sententiam talem non « esse, ut Confessarius possit ei denegare sa- « cramentalem absolutionem nisi eam retracta- « verit. »

2°. Triplici decreto dictam Casûs responsionem damnavit Clemens XI. Primum, *Ad perpetuam rei memoriam,* latum fuit die 12 febr. anni 1703; alterum ad regem directum fuit; tertium ad eminentiss. card. Noallium die 13 ejusdem mensis et anni.

3°. Benè multi Galliarum episcopi publicis Mandatis ac Documentis Pastoralibus adversùs eamdem Casûs responsionem insurrexêre, præsertimque eminentiss. Noallius die 22 februarii ejusdem anni, quo agente omnes, uno excepto, doctores quam dederant responsionem scripto revocârunt.

4°. Non episcopi modò, sed et theologicæ Facultates stylum suum exacuêre adversùs dicti Casûs doctrinam. Ita facultas Lovaniensis judicio doctrinali dato die 10 martii 1703, Facultas Duacena in suo itidem judicio doctrinali die 10 feb. 1704, ipsa denique Facultas Parisiensis die 1 septembris anni 1704, censuit, dictam Casûs propositionem, *qu'il suffit d'avoir une soumission de silence, pour ce que l'Eglise a décidé sur le fait de Jansénius,* adversari censuræ sacræ Facultatis latæ die ultimâ Januarii anni 1656, eamque damnandam esse, nempe *ut temerariam, scandalosam, injuriosam summis pontificibus et episcopis Galliæ, atque etiam ut præbentem occasionem renovandæ ex integro Jansenii doctrinæ;* etc.

5° Tot universitatum judiciis, episcoporum decretis, necnon pontificiis diplomatibus, finiri profectò debuissent controversiæ; verùm non quievêre Jansenii patroni; adversùs pontificia præsertim decreta reclamârunt, quòd moribus nostris non satis essent accommodata; hinc plurimi Gallicani antistites rege favente summum pontificem rogârunt, ut pro eâ quâ pollet auctoritate, serpens virus reprimeret, decretoriè ac solemniter pronuntiando circa religiosi silentii insufficientiam; votis annuit Clemens XI, datâ celebri Constitutione *Vineam Domini.*

Hæc autem Constitutio dogmaticum est, supremum et irrefragabile totius Ecclesiæ judicium. Ita expressè statutum variis in comitiis cleri Gallicani; id etiam sæpiùs declaravit rex Christianissimus, speciatim verò in responso ad postulata comitiorum cleri anni 1723, hoc certum, hoc inconcussum manere debet; ita cuncti docent episcopi qui constitutionem hanc expressè aut tacitè acceptârunt nullo prorsùs reclamante: ita tenent omnes fideles; ita prædicant vel ipsimet ardentiores Jansenii sectatores, unum si excipias, feralis libelli auctorem, qui ausu nefando supremum hoc ecclesiæ judicium, huic eidem Ecclesiæ denuntiare veritus non est.

Agnoscunt itaque Janseniani bullam *Vineam Domini,* etc. velut regulam certam, infallibilem cui omnes fideles sincerum cordis et mentis obsequium præstare tenentur; ast de illius sensu, de definitionis mente disputant; voluntque indamnatum adhuc remanere religiosum pro dogmatico Jansenii facto silentium. Hæc ergo sola manet quæstio tractanda, utrum nempe præfatâ bullâ merum silentium circa dogmaticum factum uti insufficiens reprobatum fuerit; seu utrum fidelis possit adhuc innoxiè existimare, hæreticum esse proprium ac naturalem libri Jansenii sensum.

Ex unius hujusce quæstionis solutione religata pendet tota de Jansenismo controversia; cùm enim dicta Constitutio dogmaticum sit ecclesiæ judicium, si hocce decreto obsequiosum silentium, insufficiens pronuntiatum fuerit; ergo, aut homo Ecclesiæ jugum excutiat necessum est, aut corde et animo damnet ipsum Janseniani libri sensum, sicque judicio sæpiùs lato causa finita erit; ut ergo isthæc gravissimi momenti solvatur quæstio; sit

Conclusio. — Bulla *Vineam Domini* decretoriè pronuntiat ac definit expressè, silentium, ut vocant, religiosum, prorsùs insufficiens esse circa dogmaticum Jansenii factum.

Palmarem istam Conclusionem efficacissimis quinque argumentis demonstrabimus. Primum desumitur ex scopo et occasione bullæ. Secundum ex ipsius tenore ac contextu. Tertium, ex judicio Gallicanorum præsulum dictam bullam acceptantium. Quartum, ex querelis defensorum Jansenii. Quintum tandem, ex vanitate effugiorum quibus nituntur ostendere se nullatenùs hâc Constitutione fuisse damnatos.

Primum momentum. — Clemens XI bullâ *Vineam Domini* solemniter perstringit ac damnat obsequiosum silentium in dicto conscientiæ Casu expositum ac approbatum; atqui manifestissimum est silentium illud unicè circa ipsummet dogmaticum Jansenii factum versari; ergo, etc.

Minor omninò constat; tum ex ipsissimis ejusdem Casûs verbis paulò antea recensitis; tum ex disertâ adversariorum confessione; ita passim testatur auctor historiæ Casûs, præsertim tom. 1 et 6. Hinc D. du Vaucel, epist. ad Quesnell. 5 febr. 1703, asserit *subsistente conscientiæ Casu evanescere Jansenismum, merumque evadere phantasma;* addit verò Quesnell. epistolâ ad eminent. Noallium quæ refertur Causâ Quesnell. pag. 412, *eodem Casu damnato, illustrem Clementis IX pacem funditus ruere;* ex quibus patet dicto Casu adstrui sufficientiam silentii circà factum, quod solum admittere profitebantur Jenseniani, quodque à Clemente IX probatum fuisse prædicabant; ergo.

Major verò in quâ solâ cavillantur adversarii, pariter certissima est, multisque modis invictè demonstratur 1° ex dictis initio hujusce articuli, quibus liquet Casûs conscientiæ resolutionem propriè dictum fuisse et unicum ferendæ bullæ motivum, unicam occasionem; 2° ex fine et concilio eorum qui romanum pontificem ad ferendam bullam induxerunt; eorum mens fuit, ut dictus conscientiæ Casus, variis summi pontificis Brevibus et episcoporum Mandatis jam confixus, tandem solemni Constitutione decretoriè damnaretur; ita delarat mox citatus auctor anonymus tom. 6, parag. 27, his verbis: « Ils avaient principalement en vue « de faire flétrir la suffisance du silence respec« tueux.....Ils crurent donc qu'il était néces« saire de solliciter une Constitution qui fût re« vêtue de toutes les formes d'une décision « solennelle, qui pût être acceptée et publiée « dans le royaume, et qui autorisât enfin la « condamnation que plusieurs évêques avaient « déjà faite des principes établis dans le Cas de « conscience touchant la soumission due aux « faits décidés par l'Eglise. »

Eum in finem, pergit anonymus, agentibus Galliæ episcopis Romam missæ sunt duæ propositiones, quarum prima sic erat: « Ad obe« dientiam sedi apostolicæ debitam non requi« ritur ut quis sensum libri Jansenii, in quin« que famosis Propositionibus interiùs ut hære« ticum damnet; sed satis est, si eâ de re « obsequiosum silentium teneat. » Altera verò: « Formulæ ab alex. VII præscriptæ licitè sub« scribere potest, qui interiùs non judicat Jan« senii libro hæreticam doctrinam contineri. » Duæ autem istæ propositiones, doctrinam Casûs manifestè exprimunt, eamque sanè illis exprimi curaverant harum denuntiatores viri alioquin sagaces nec obtusi ingenii: ergo, cùm easdem proscribat propositiones Clemens XI, universâ ipsi applaudente Ecclesiâ, sequitur damnatam manere supremo et infallibili judicio, silentii obsequiosi sufficientiam circa factum Jansenii.

3° Idem constat ex iis quæ Romæ gesta sunt, dùm prædictarum pendebat examen propositionum. Nempe properantibus ad judicium censoribus, Arnaldus Deschamps, Lovaniensis Baccalaureus, tàm suo quàm D. Hennebel, aliorumque plurium Lovaniensium doctorum nomine, duplex congregationi obtulit memoriale, utrumque autem habetur apud eumdem anonymum loco mox citato. In primo hæc leguntur: « Consonum haudquaquàm videretur, « si inauditis D. Hennebel et theologis Lovani« ensibus, quorum causa in harum propositio« num examine agitur, à sanctâ Sede ad peti« tionem episcoporum Galliæ, dictæ proposi« tiones damnarentur; » in altero autem, nihil non molitur orator Lovaniensis ut duarum damnationem propositionum avertat, quia, ipso fatente, eodem judicio proscripta manere debebant et doctrina et scripta horumce Lovaniensium theologorum; sed hi pro solâ militabant sufficientiâ silentii obsequiosi circa factum Jansenii, hæc unica doctrinæ illorum summa; ergo, cùm nonobstantibus memorialibus damnatæ fuerint propositiones Constitutione *Vineam Domini*; damnata quoque fuit, ipso fatente Jansenianorum oratore, sufficientia silentii religiosi pro facto Jansenii.

4° Idem rursùs constat ex ipsis bullæ verbis, in quibus habentur et occasio et scopus defini-

tionis; sic autem utrumque exprimitur: « cùm « inquieti homines..... docere non sunt veriti, « ad obedientiam Constitutionibus apostolicis « (Innoc. X et Alex. VII) debitam, non re- « quiri ut quis Janseniani libri sensum in « quinque propositionibus damnatum, interiùs « ut hæreticum damnet; sed satis esse, si eâ « de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silen- « tium teneatur.... hinc est quòd nos ad op- « portunum et efficax tam exitiali morbo re- « medium adhibendum excitati, » etc. Hic sanè alludit R. pontifex ad Casûs conscientiæ resolutionem; perstringit ergo Clemens XI silentium in dicto casu expositum et probatum.

5° Tandem id clarè colligitur ex ipsâ præsentis controversiæ naturâ. De eo siquidem silentio loquitur S. pontifex, ac circa illud pronuntiat, de quo unicè tunc temporis movebatur quæstio; ast tunc quæstio erat duntaxat de obsequioso circa Jansenii factum silentio; istud à Jansenianis summo ardore propugnabatur, ab eorum verò æmulis impugnabatur; theologicis censuris, episcopalibus decretis, necnon pontificiis diplomatibus sæpiùs confixum fuerat; verùm his nonobstantibus, variis effugiis isthæc decreta eludere conabantur; adeòque ad summum pontificem delata fuerat controversia ut eam decretoriè dirimeret; ergo, etc.

Et certè non frustra feruntur decreta Ecclesiæ, loquitur illa et definit non incassum et ex quâdam suas definitiones multiplicandi prurigine, sed necessitate cogente, ad coercendas hæreses, ad sedandos tumultus novis excitatos opinionibus. Sed quæ novæ spargebantur opiniones? Quæ hæresim sapiebant aut favebant ipsi? nulla potest assignari doctrina his insignita characteribus quam suâ Constitutione voluerit damnare romanus pontifex, præter solam de sufficientiâ silentii obsequiosi pro facto Jansenii sententiam; hæc unica occurrit in toto christiano orbe tunc temporis disseminata doctrina, quæ possit haberi velut bullæ objectum; hæc ergo unica de religioso silentio circa Jansenii factum doctrina subditur præsenti fulmine Vaticano totiusque Ecclesiæ. Totum istud ratiocinium versant ac fusiùs prosequuntur card. archiep. et episcopi Gallicani Parisiis anno 1728, congregati in suâ ad regem epistolâ pag. 76 et sequent.

Secundum monumentum. Monumentum istud, quod quidem capitale est, ex ipsomet bullæ tenore eruitur, pluraque complectitur. 1° Quidem Clemens XI, disertè negat approbâsse Clementem IX distinctionem juris à facto; quin et addit ipsum *veram et totalem obedientiam*, sinceram *absque ullâ exceptione et restrictione* subscriptionem à quatuor episcopis exegisse. Unde sic arguo: illam hâcce Constitutione stabilit Clemens XI doctrinam, quam tribuit Clementi IX, et cujus contrariam ab ipso removet; atqui insufficientiam silentii obsequiosi circa Jansenii factum ipsi attribuit, doctrinam verò sufficientiæ ejusdem silentii ab eo removet; ergo, etc.

2° Testatur Clemens ibidem, « non defuisse, « nec adhuc desse homines veritati non acquie- « scentes, qui variis distinctionibus seu potiùs « effugiis Ecclesiam turbantes, tum Clemen- « tis IX, tum Innoc. X Brevia in erroris sui « patrocinium advocare, temerario planè ausu « non erubescant. » Adversùs tales viros insurgit pontifex vehementi oratione, horum se docet velle occludere effugia, convellere errores, vanas exsufflare distinctiones; sed quinam sunt illi qui Brevia Clementis IX et Innoc. XII, in suarum probationem distinctionum afferunt? nullos sanè reperire est, præter illos qui sufficientiam silentii obsequiosi pro facto Jansenii ex illis Brevibus nituntur propugnare; ergo hanc sufficientiam reprobat Clemens XI.

Ibidem asserit Innocentium XII, nomine sensûs obvii quinque Propositionum, intellexisse sensum quem in Jansenii libro habent propositiones, quive ab eodem Jansenio intentus, ac ab Innoc. X et Alex. VII damnatus fuit; porrò hæc interpretatio directè adversatur, ut patet, doctrinæ silentii religiosi circa factum Jansenii; ergo, etc.

3° Ex integro recensitis Innoc. X et Alex. VII Constitutionibus, hæc habet Clemens XI: « Primò præinsertas Innoc. X et Alex. VII præ- « decessorum Constitutiones, omniaque et « singula in eis contenta auctoritate apostolicâ « tenore præsentium confirmamus, approba- « mus et innovamus; » sed constat præfatos pontifices damnâsse et voluisse à singulis fidelibus damnari quinque Propositiones in sensu Jansenii; ita enim eas ab Ecclesiâ damnatas fuisse, disertè testatur in suâ priori Constitutione anni 1656 Alex. VII, et in posteriori anni 1665, promulgatum fuit formularium, imperataque illius subscriptio, quâ quisque interposito solemni juramento quinque Propositiones uti hæreticas in sensu Jansenii purè ac simpliciter damnat ac rejicit; ergo renovando prædecessorum suorum Constitutiones, Clemens XI vult ut omnes fideles damnent

corde et animo ipsum Jansenii sensum; ac proinde insufficiens judicavit silentium religiosum circa dogmaticum Jansenii factum.

4° Non solum renovat idem pontifex prædecessorum suorum Constitutiones, verùm etiam ipsas à variis adversariorum distinctionibus seu potiùs effugiis vindicat; ac postmodùm sic decernit: « Hâc nostrâ perpetuò « valiturâ Constitutione, obedientiæ, quæ præ« insertis apostolicis Constitutionibus debetur, « obsequioso illo silentio minimè satisfieri; « sed damnatum in quinque præfatis proposi« tionibus Janseniani libri sensum, quem illa« rum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab « omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non « ore solùm, sed et corde rejici, ac damnari « debere..... declaramus, decernimus, statui« mus et ordinamus. » Non potuit certè pontifex prætensam religiosi silentii sufficientiam significantioribus verbis explodere. Scilicet expressè declarat hâc suâ perpetuò valiturâ Constitutione, ad veram christiani hominis obedientiam constitutionibus apostolicis debitam, necessariò requiri, ut ille non ore solùm, sed et corde rejiciat ac damnet ut hæreticum Janseniani libri sensum; ergo, vi illius definitionis, tenetur quisque fidelis ad credendum, hæreticum esse Jansenii sensum; ac proindè, etc.

5° Ibidem decretoriè pronuntiat Clemens XI, « non aliâ mente, animo aut credulitate for« mulario subscribi licitè posse, nisi damnatus « in quinque propositionibus Janseniani libri « sensus, non solùm ore, sed et corde rejicia« tur ac damnetur; » ex hâc autem definitione hoc invictum exurgit argumentum: Ecclesia præcipit vi bullæ Alexandrinæ, ut omnes quicumque illi sint fidelium magistri subscribant formulæ prædictæ; nempe ut pia mater certa de fide magistrorum, certa quoque sit de discipulorum fide; atqui Clemens XI expressè pronuntiat neminem posse subscribere formulæ, nisi corde et animo credat sensum libri Jansenii esse hæreticum; ergo omnes credere debent sensum ipsum libri Jansenii esse hæreticum; et istud definit Clemens XI, universâ approbante Ecclesiâ.

Tertium momentum. — Tertium momentum deducitur ex acceptatione præsentis bullæ factâ à clero Gallicano in comitiis generalibus anni 1705; tunc enim conditum fuit instrumentum Pastorale ad Constitutionis prædictæ acceptationem, quod suum fecère plerique Galliarum episcopi; hæc autem leguntur in præfato instrumento: « Nous avons vu avec une « véritable douleur les efforts que des esprits « inquiets ont fait depuis quelques années pour « renouveler les contestations sur le Jansénis« me, et pour affaiblir par des écrits remplis « de fausses et dangereuses maximes, l'autorité « des Constitutions des souverains pontifes.... « Il est vrai qu'on ne vit pas plutôt paraître « ces nouveaux écrits dans le diocèse de Paris, « qu'ils y furent en même temps condamnés, « et ensuite dans quelques autres diocèses. « Mais pour ôter toute occasion de rappeler « les erreurs proscrites par l'Eglise..... il fal« lait que la même autorité qui avait condam« né dans la naissance des contestations les « cinq Propositions extraites du livre de Jan« sénius, condamnât encore aujourd'hui les dé« tours et les subtilités que l'on avait inventées « pour mettre la doctrine de ce livre à couvert « des censures de l'Eglise. Pierre a donc parlé « par la bouche de son digne successeur....... « sa Sainteté prononce en termes exprès, QUE « NE PAS CONDAMNER INTÉRIEUREMENT COMME HÉRÉ« TIQUE LE SENS DU LIVRE DE JANSÉNIUS, CONDAM« NÉ DANS LES CINQ PROPOSITIONS, MAIS PRÉTEN« DRE QUE LE SILENCE RESPECTUEUX SUFFIT, CE « N'EST PAS RENONCER A L'ERREUR, MAIS LA CACHER; « CE N'EST PAS OBÉIR A L'ÉGLISE, MAIS S'EN MO« QUER...... A ces causes..... nous déclarons « que l'on ne satisfait point par le silence res« pectueux à l'obéissance qui est due aux Cons« titutions des souverains pontifes Innoc. X « et Alexandre VII; QU'IL FAUT S'Y SOUMETTRE « INTÉRIEUREMENT, REJETER NON-SEULEMENT DE « BOUCHE, MAIS MÊME DE COEUR, ET CONDAMNER « COMME HÉRÉTIQUE LE SENS DU LIVRE DE JANSÉ« NIUS, CONDAMNÉ DANS LES CINQ PROPOSITIONS. »

Ex his clarè constat, quodnam sit, judicibus Gallicanis præsulibus, objectum silentii illius obsequiosi, quod velut insufficiens rejicitur à Clemente XI. Non aliud sanè reperiri potest præter factum Jansenii; siquidem non aliud noverant episcopi in Galliis prædicari, non aliud damnaverat eminentiss. Parisiorum antistes, non aliud proscripserant alii episcopi in suis diœcesibus; atqui illud idem est ex præsulibus Gallicanis, quod respuit velut sufficiens Clemens XI, illud idem cum ipso respuunt et illi; ergo, si mens et sensus bullæ ab episcopis efflagitatæ, ab ipsis repeti debent, ut de facto repetenda sunt, damnata est hâc solemni Constitutione silentii obsequiosi sufficientia; atque hinc in illius Mandati judicato conceptis verbis pronuntiant præsules nostri, *non ore solùm, sed*

et corde rejiciendum ac damnandum ut hæreticum sensum libri Jansenii, in quinque Propositionibus damnatum. Videantur adhuc epistola encyclica comitiorum ad Galliarum episcopos, et epistola ad S. pontificem, in quibus clariùs, si tamen fieri potest, eamdem adstruunt veritatem. Utraque hæc epistola habetur in novâ collectione Commentariorum cleri Gallicani tom. 1, pag. 398.

Nonnulli fuère episcopi qui aut huic laudato Pastorali instrumento quædam addidère, aut novum ipsi ediderunt; omnes autem idem prorsùs testantur: quædam ex illis excerpta hic retulisse satis sit. Eminentissimus Noallius Mandato encyclico addidit hæc verba : « C'est la « doctrine que nous avons déja enseignée par « notre ordonnance du 22 février 1703, et nous « avons la consolation de la voir en tout conforme « à la Constitution de notre S. Père le pape. » Docuerat autem ille insufficiens prorsùs esse silentium obsequiosum pro facto Jansenii; ergo, etc. Ita disertè testatur Jansenianis minimè suspectus auctor in historiâ Casûs conscientiæ tom. 8, observatione duodecimâ in Mandatum ejusdem cardinalis pro acceptione Constitutionis *Vineam Domini* : « M. le cardinal, in« quit, est allé plus loin que le pape. Car en « supposant même que le pape impose l'obli« gation de croire le fait, du moins il est tou« jours constant qu'il se renferme dans ce fait, « et qu'il n'établit aucune maxime générale « qui puisse être tirée à conséquence à l'égard « des autres faits. Mais M. le cardinal ne se res« serre point dans le simple fait de Jansénius; « il embrasse tous les faits, et décide, que l'E« glise a droit d'exiger que l'on croie tout ce « qu'elle peut décider en matière de faits. »

Illustrissimus le Tellier archiepiscopus Rhemensis idem expressiùs tradit, his verbis : « La « maxime qui borne au seul silence la soumis« sion que l'on doit aux décrets de l'Eglise les « plus solennels pour la condamnation des li« vres...... restreint l'étendue de l'obéissance « due à l'Eglise, et en altère la sincérité ; à la « faveur de ce principe, chaque particulier se « mettrait en droit de préférer son sentiment « à celui de l'Eglise, et se croirait par l'effet « d'une présomption insupportable, l'arbitre « souverain du sens des livres et des écrits en « matière de religion ; avec les déguisements « de cette trompeuse doctrine, bien loin de re« noncer à l'erreur, on la cacherait ; on cou« vrirait le mal, et on ne le guérirait point; « on se jouerait enfin de l'Eglise au lieu de lui « obéir. Son autorité et ses lumières n'ont-elles « pas assez de force pour déterminer à la sou« mission intérieure même les plus savants « Théologiens ? » Hactenùs illustriss. archipræsul, quibus non modò docet damnatum fuisse à Clemente XI obsequiosum silentium circa factum Jansenii, sed et invictè confutantur quæ speciosa magis in illius patrocinium ab adversariis allegantur ; deinde totidem verbis concludit, *corde et animo damnandum esse ut hæreticum libri Jansenii sensum, quem quidem sensum ipsamet quinque Propositionum verba præ se ferunt.*

Illustrissimus Castrensis in judicato sui Mandati sic pronuntiat : « Nous déclarons que pour « satisfaire à l'obéissance qui est due aux Con« stitutions des souverains pontifes Innoc. X « et Alex. VII, il ne suffit pas de s'y soumettre « seulement pour ce qui regarde le dogme, « en gardant un silence respectueux sur le fait « de Jansénius, mais qu'il faut rejeter de « cœur comme de bouche, et condamner « comme hérétique le propre sens de cet au« teur, qui a été condamné dans les cinq Pro« positions, sans recourir à cette fameuse dis« tinction du fait et du droit, qui n'avait été « inventée que pour éluder la force des Con« stitutions, et qui, si elle avait lieu, pourrait « servir de prétexte pour défendre les plus « mauvais livres. » Non poterat clariùs ille præsul figere objectum silentii obsequiosi quod hâc Constitutione insufficiens declaratur.

Mons Pessulanus et Sanitiensis episcopi idem declarant in suis Mandatis pro acceptatione dictæ bullæ *Vineam Domini* : in his leguntur decretoria hæc verba : « Nous déclarons que « l'on ne satisfait point par le silence respec« tueux à l'obéissance qui est due aux Consti« tutions des souverains pontifes Innoc. X et « Alex. VII ; qu'il faut rejeter non seulement « de bouche, mais même de cœur, ET CON« DAMNER COMME HÉRÉTIQUE LE SENS DU LIVRE DE « JANSÉNIUS CONDAMNÉ DANS LES CINQ PROPOSI« TIONS. »

Tandem, ut cæteros ommittam, episcopus S. Pontii, unus ex novemdecim tempore quatuor episcoporum et Clementis IX, solus ex illis superstes, sic suam absolvit instructionem præsentis bullæ occasione datam : « Je suis « persuadé que les vingt-deux évêques étaient... « si remplis de respect pour le S.-Siége, que « s'ils étaient en vie, ils recevraient aussi bien « que moi la bulle de N. S. P. le pape, où il

« ne s'agit d'aucun dogme, mais seulement du « fait de Jansénius. Je reçois donc, » etc. Sic ille dùm vult bullâ *Vineam Domini*, non fuisse generatim definitum quo motivo teneantur fideles assentiri definitionibus Ecclesiæ circa facta, agnoscit tamen expressè ab illâ exigi internum mentis assensum pro facto Jansenii.

Quartum Momentum. — Quartum istud momentum repetitur ex querelis defensorum Jansenii; ubi enim pervulgata fuit bulla, eam dicteriis lacessere, ac cavillationibus variisque effugiis eludere conati sunt; ut quid autem ista agendi ratio? an ita reclamâssent, nisi ipsis persuasum fuisset dictâ Constitutione obsequiosum silentium circa Jansenii factum specificè damnari.

Has omnes Janseniorum querelas et expostulationes disseminavit in suâ Casûs conscientiæ historiâ, præsertimque tom. 6 anonymus auctor jam multoties appellatus. Sic paragr. 27 : « Il est certain que sous un autre pape « moins prévenu et moins partial pour les Jé« suites, les choses se seraient passées ainsi ; » id est, non fuisset lata Constitutio. Paragr. 28 : « La bulle ayant été envoyée en France, « .... on ne parut convenir que d'une seule « chose, c'est qu'elle était obscure et ambiguë, « et que depuis le commencement jusqu'à la « fin, on y voyait des marques de la préven« tion et de la passion des Molinistes qui l'a« vaient sollicitée ; » et infra, n. 30 : « On « ne voyait dans cette nouvelle Constitution « aucune ombre d'un jugement canonique ; il « n'y paraissait point qu'on eût écouté per« sonne, qu'on eût rien examiné, qu'on eût « rien éclairci. On y voyait seulement beau« coup d'injures et de malédictions prononcées « en l'air contre des personnes qu'on n'avait « convaincues d'aucune erreur.... Une autre « réflexion était que la bulle renfermait plu« sieurs clauses insolites et contraires à la doc« trine de l'Eglise de France, etc.» Hæc ille, sicque mentitur iniquitas sibi ; etenim se subdit suosque exhibet subditos Constitutioni latæ, violatis omnibus canonum legibus ac formis, læsis Ecclesiæ Gallicanæ juribus, læsâ et illius libertate. Verùm si lex est informis et iniqua, cur ei se subdunt? si justa, si veritatem docet, cur conqueruntur?

Deinde contestantur latam fuisse bullam ab homine Jesuitis prorsùs devoto, illam ab initio ad calcem se prodere velut apertum Molinistæ factionis fœtum ; ergo damnat velut insufficiens silentium obsequiosum pro facto Jansenii ; hæc enim damnatio votorum summa erat Jesuitis et episcopis quod sub nomine Molinistarum traducere non dedignatur anonymus auctor ; ac proinde et ipsi Janseniani, ipsismet fatentibus, ore, corde et animo teneantur damnare Jansenii librum. Sic sibi contradicunt, dùm obsequium pollicentur, et legis æquitatem vellicant; scilicet lege latâ in illam insurgere timuerunt, nec cordis dolorem, et ex eo profluentes gemitus abscondere valuerunt ; hinc querelæ sociantur obsequio, obsequium fundatur variis in effugiis genuinum bullæ sensum omninò evertentibus.

Multò candidiùs locutus est auctor anonymus antea citatus, libro cui titulus : *Apologeticus Jansenii*, parte 2, cap. 10. De istâ Clementis XI bullâ agens, sic contubernales suos Jansenianos compellat : « Ne, quæso, claudamus « oculos ad perspicuam lucem ; ne cavillemur « vitiligationibus insulsis ac frigidis ; fateamur « mala gentis nostræ ; et quoniam vulnus ca« pitis, erumpente per omnes fascias sanguine, « diutiùs celari non potest, missis ambagi« bus dicamus ingenuè quod habet res... Quid « æmulorum nostrorum victorias extenuare « nitimur.... nobis per rancida et obsoleta « diverticula inutiliter obluctantibus?.... Pro« fectò cuncta hactenùs ad votum adversario« rum nostrorum succedere ; et Molinæ eve« hendo, deprimendoque Augustino, extre« mam quasi manum hâc Clementis XI, Con« stitutione appositam esse, maturus harum « disceptationum arbiter satis superque capiet.» Sic ille ; subinde adductis disertissimis Clementinæ Constitutionis verbis probat, genuinum Jansenii sensum hâcce bullâ, confixum fuisse ; et paucis interjectis, sic pergit : « Si ergo per« petuemus adhuc tricari, quis sit ille damna« tus propositionum sensus, et illius clario« rem explanationem à Romanâ curiâ postu« lare ; nonne jure meritissimo, ut importuni « arcendi sumus? nimirùm qui jamdudùm « quæsitus est sensus, in ipso libro ad quem « mittimur, omnibus qui tantùm latinè cal« lent, instar jubaris meridiani splendet et « radiat. »

Denique cap. 7, sub finem, sic rursùm de Clementis XI Constitutione loquitur : « Sed « quid ego hisce argumentationibus legentium « aures lasso, cùm jam denique Clementem « XI expressè ac dilucidè declarantem habea« mus, propositiones in ipsomet obvio sensu, « quem in Jansenii libro habent, fuisse à suis « prædecessoribus condemnatas ? Neque enim

« certior nobis alius in orbe christiano testis « adiri potest, per quem eorumdem prædecessorum vera mens Ecclesiæ catholicæ innotescat. » Non potuit auctor ille clariùs ac vehementiùs genuinum Constitutionis Clementis XI sensum demonstrare contra vanas Jansenianorum cavillationes.

Atque hinc idem, aut si quis alius e Jansenianis procacissimus scriptor dictam Constitutionem toti Ecclesiæ denuntiare veritus non est, quòd nempe per eam omnia suorum propugnacula funditùs everti clare ac perspicuè cerneret; sic enim loquitur in protervo illo scripto cui titulus : *Denuntiatio solemnis bullæ Clementinæ*, etc. : « Clementina Constitutio, « Alexandrinam definitionem renovans, simul « vias omnes intercipit, et effugia obstruit, « quibus Yprensium antistitis patroni hactenùs, « sivè ipsam Alexandri bullam in mitius tra- « here, sive gratiam divinâ virtute suâ QUÆ- « CUMQUE VOLUERIT efficientem, à damnatione « pontificiâ eripere satagerunt.... FACTI et JU- « RIS quæstio, quâ viri celebres doctrinam sa- « nam hactenùs servabant incolumem, per « Clementem rejecta, abolita, exsufflata est; « silentium obsequiosum æterno silentio sepe- « liendum, concertatio de sensu obvio, quem « ipsamet propositionum verba præ se ferunt, « evanuit, excessit, evasit. Ipsemet individuus « Janseniani libri sensus interno abnutu ut « hæreticus proscribendus est, nec ore solùm, « sed corde damnandus; et qui aliâ persua- « sione famosæ formulæ licitè subscribi posse « autumat, impudentiâ teter, naturali hones- « tate orbus, et christianâ sinceritate exutus, « te, ô sancta mater! jurejurando decipit ac « deludit. » Vides quàm rectè ostendat auctor Clementinâ Constitutione genuinum ac legitimum Jansenii sensum damnatum fuisse, omniaque diverticula quibus elabi conantur Jansenianis fuisse prærepta. Consuli potest erudita epistola quam circa hanc denuntiationem ad Quesnell. scripsit illustriss. archiepisc. Cameracensis.

QUINTUM MOMENTUM. — Quintum et ultimum momentum desumitur ex effugiis quibus Janseniani nituntur ostendere se nullatenùs hâc Constitutione fuisse damnatos; sed quàm futiles tam frustraneos esse eorum conatus in promptu est ostendere. Omnes horum argutias summo collegit studio anonymus pluries citatus tom. 6 Historiæ Casûs paragr. 28; præcipuas ac speciosas magis hic referemus ac solvemus.

Aiunt 1°, quosdam in Galliis extitisse qui eos Romæ denuntiaverint, velut renuentes damnare errores ab Ecclesiâ in quinque Propositionibus proscriptos; silentium ergo, quod reprobat Clemens XI, non merum factum, sed jus ipsum spectat. Respondeo : Constat tempore latæ Constitutionis Clementinæ, à quinquaginta annis aut circiter Jansenianos semper prædicâsse se damnare cunctos errores ab Ecclesia proscriptos in quinque propositionibus; hoc omnibus notum erat; nullus ergo asserere potuit eos nullatenùs rejicere errores quinque Propositionum, nec ipsis fidem adhibuisset romanus pontifex; nulla insuper auctoritate evincere valent adversarii hoc Romæ fuisse nuntiatum; et sicut gratis figmenta sua produnt, ita hæc gratis respuuntur. Cæterùm etsi prætenderent Jansenii defensores, se sincerè damnare errores in quinque Propositionibus confixos; cùm tamen Ecclesia iterato multoties judicio reipsà damnaverit in quinque Propositionibus genuinam Jansenii doctrinam, hancque proscribere detrectarent Janseniani, meritò ad S. pontificem deferri potuerunt veluti renuentes rejicere errores præcisè ab Ecclesiâ proscriptos, nec injusta tunc haberi potest accusatio.

Aiunt 2°, silentium quod à Clemente XI rejicitur, illud est quo mediante *non deponitur error, sed absconditur*; *vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiæ illuditur, non paretur;* atqui tale non est silentium quod pollicentur Jansenii defensores, illud siquidem conjungitur cum sincerâ damnatione cunctorum errorum ab Ecclesiâ rejectorum; ergo, etc. Respondeo negando min.; cùm enim Ecclesiæ definitiones ad sensus alienos detorquentur, subtrahiturque ille solus qui est objectum definitionis; quidquid in contrarium clamitent talis sensûs defensores, silentium, non internum mentis assensum promittentes, silentio justè dicuntur errorem tegere non deponere, nec cum sincerâ erroris damnatione conjungitur tale silentium; atqui sic se habet obsequiosum silentium quod circa dogmaticum Jansenii factum prætendunt adversarii; ergo, etc. Colligitur isthæc responsio ex Mandato Pastorali archiepiscopi Rhemensis pro acceptatione bullæ *Vineam Domini*; verba antea laudavimus argumento tertio.

Etverò, si, ut definit Ecclesia, verè hæreticus est proprius Jansenii sensus; qui renuit illum damnare, solumque pollicetur silentium, is verè non deponit errorem, sed silentii pallio

velat et abscondit; hinc post verba bullæ objecta, immediatè subjicitur: « Et lata demùm « filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam « silentio hæresim, dùm ipsam Jansenii doc- « trinam, quam ab apostolicâ Sede damnatam « Ecclesia universalis exhorruit, adhuc inte- « riùs abjicere, et corde improbare detrectant. » Ex his manifestè patet, silentium quo absconditur ac fovetur error et hæresis, quodque à Clemente XI rejicitur, illud esse quo quis *ipsam Jansenii doctrinam interiùs abjicere et corde improbare detrectat;* atqui hujusmodi silentium, ipsissimum est quod obsequiosum ventitant Janseniani; ergo, etc.

Aiunt 3°: Eo tandem reducitur romani pontificis Constitutio, ut definiat *ad exhibendam viri orthodoxi obedientiam Constitutionibus apostolicis debitam non sufficere silentium obsequiosum;* ast hoc ipsum fatentur et agnoscunt Janseniani. Scilicet, inquiunt illi, Constitutiones apostolicæ duo includunt, jus et factum; silentium autem pro jure non sufficit, requiritur quippe internus mentis assensus, dogmatibusque definitis fides debetur; ergo, etc. — Respondeo: Duo quidem includunt Constitutiones apostolicæ, jus scilicet et factum; juri, non facto debitum esse internum mentis assensum contendunt Janseniani; Clemens autem XI ipsum etiam factum debere esse objectum hujusce assensûs disertè declarat loco citato, his verbis: « Obedientiæ quæ Constitutionibus apos- « tolicis debetur, obsequioso silentio minimè « satisfieri; sed damnatum in quinque Pro- « positionibus Jansenii libri sensum.... ab om- « nibus Christi fidelibus ut hæreticum, non « ore solùm, sed et corde rejici, ac damnari « debere; » ergo Janseniani libri sensus, in quo quæstionem facti reponunt adversarii, ut hæreticus corde damnari debet. Scilicet consentiebant omnes, quinque Propositiones esse hæreticas, supervacaneaque extitisset Ecclesiæ definitio circa istud punctum; tota quæstio erat, an essent hæreticæ in sensu Jansenii; negabant Yprensis sectatores; contendebant cæteri; hanc dirimere controversiam prædictâ Constitutione intendit R. pontifex. Finitam fuisse litem hoc Ecclesiæ romanæ judicio, intellexerunt episcopi Gallicani, idque constat ex solâ terminorum inspectione, cùm illorum vi teneatur quilibet damnare et corde rejicere sensum Janseniani libri; ergo definitio cadit in factum, non quòd jus excludat, sed quia de illo consentire videbantur omnes, et tota altercatio movebatur circa dictum Jansenii sensum.

Aiunt 4° Clementem XI unum definire, alterum verò supponere. 1° Definit propositiones esse damnandas in sensu quem verba præ se ferunt; 2° supponit sensum propositionum obvium esse Jansenii sensum, quod ante ipsum supposuerant Innoc. X et Alex. VII; nihil ergo Clementis bulla decretoriè pronuntiat circa factum. — Respondeo, merum istud esse ac vanum effugium ad vim bullæ *Vineam Domini* elevandam propositum. Audiantur cardinales, archiep. et episcopi Gallicani in præfatâ ad regem epistolâ anni 1728: « Ce n'est point par « supposition que les bulles ont parlé du fait; « ce n'est point par une simple supposition « qu'elles énoncent que les cinq Propositions « sont tirées du livre de Jansénius, et con- « damnées au sens de son livre. » Idque confirmant ex disertissimo illustriss. Bossuetii testimonio antea laudato, ex epistolâ ad moniales Portûs Regii in quâ conceptis verbis asserit: « Alexandre VII a déclaré à toute l'Église l'exa- « men exact qu'a fait son prédécesseur Inno- « cent X non seulement du droit, mais du « fait. » Demùm sic concludunt præsules nostri: « C'est cette loi que Clément XI renouvela « par sa bulle de 1705, et dont il ordonna « l'exécution. Est-il permis de réduire à une « simple supposition, ce qui est l'objet précis « de la loi? » Nihil certè expressius.

Etverò, Clemens XI hâc ipsâ suâ bullâ totus est ut apostolicas Innoc. X et Alex. VII Constitutiones ex integro confirmet ac renovet; vult ut formula ab Alex. præscripta purè ac simpliciter subscribatur; expressè pronuntiat juxta Innoc. XII, propositiones *de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent*, esse exponendas; hâcque occasione datâ operâ sugillat distinctionem duplicis ac diversi sensûs obvii, unus qui esset relativus ad ipsa propositionum verba, alter verò ad Jansenii librum; perperam ergo fingunt adversarii, ex merâ suppositione pronuntiâsse Clementem XI, obvium ac damnatum quinque Propositionum sensum, ipsissimum esse Janseniani libri sensum.

Aiunt tandem 5°, proprium Jansenii sensum cautè secernendum esse à sensu quem putat S. pontifex esse Jansenio proprium; quem tribuit Augustino Yprensi Clemens XI sensum, ille est hæreticus; qui genuinus est Jansenii sensus, ille est catholicus, orthodoxus et jugiter extitit intactus, cùm sit ipsemet Augustini sensus, solamque sonet gratiam à se efficacem et prædestinationis gratuitæ doctrinam. Ita subtiliores Jansenistæ. Effugium

istud refert et approbat auctor anonymus Historiæ Casûs conscientiæ tom. 7, pag. 40, his verbis : « Equivoque triviale du SENS DE JANSÉ« NIUS, dont on demande l'eclaircissement « depuis soixante ans.... Si on entend la pro« position du SENS PUTATIF de Jansenius, elle « est fausse, hérétique, et bien condamnée. « Si on l'entend du VRAI SENS de Jansenius, « elle est plus que probablement vraie, et on « ne peut la condamner sans condamner la « doctrine de la grâce efficace par elle-même. »

Respondeo 1° : Protervæ subtilitatis fœtus est hæc distinctio, *sensûs putativi, et sensûs proprii :* quem putat Ecclesia esse sensum Jansenii, ille reipsà ipsius est, ut demonstravimus supra, art. 1 hujusce capitis, et ampliùs constabit ex dicendis sequenti capite. 2° Oculatioresne sunt Yprensis sectatores ipsâmet Ecclesiâ, aut ipsisne inest ardentior veritatis zelus, probatiorque cordis fides? Jam ab octoginta et ampliùs annis conqueruntur Ecclesiam non intellexisse Jansenii librum, et pia mater, sedula veritatis indagatrix, anathemata ingeminat, in eos velut in rebelles insurgit; potestne iterata vibrare fulmina nullâ præviâ veritatis inquisitione? aut ipsam non valetne detegere? absit à quolibet sincero fideli tanta in optimam matrem injuria. 3° Quoties genuinus ille Jansenii sensus propugnatus fuit, toties fulmine percussus abiit; illum exposuit Baius, et triplici bullâ damnatus fuit; exposuêre illum Quesnellius, Arnaldus, Gerberonius et alii plures quos damnârunt episcopi; nusquàm ab Ecclesiâ approbatus, multoties ab episcopis rejectus, is est Jansenii sensus quem ut purum, ut orthodoxum propinant adhuc ejus defensores, qui per fas et nefas eum Ecclesiæ definitionibus, levioribus argutiis subducere conantur. 4° Summa erat Clementis XI tempore facilitas verum Jansenii sensum dignoscendi; viam paraverat Baius; multiplicatis Ecclesiæ Romanæ definitionibus ac prævio examine latis facilior ad veritatem patebat aditus; eam cuilibet obviam præstabant Jansenii defensores innumeris libellis; ipsa Gallicanos præsertim episcopos, quorum manibus prædicti terebantur libelli, latere non poterat; ipsi tamen cum R. pontifice exigunt ut proprius damnetur Jansenii sensus; ergo, etc. 5° Tandem duplici duntaxat prætextu niti potest *putativi* à *vero et proprio* Jansenii sensu distinctio; vel non intellectum à summis pontificibus, vel nec adhuc lectum Jansenii librum; at utrumque absurdum perinde est ac injuriosum meritissimis pontificibus totique Ecclesiæ : quod ex sese patet, invictèque demonstrat auctor anonymus Apologetici pro Jansenio parte 2, cap. 10. Hujus ratiocinium, quod sane decretorium omninò est, adductis propriis ipsius verbis hic exhibeo : « De priori ef« fugio, inquit, ad librum provoco; qui tantâ « perspicuitate, et tam crebrâ dogmatum « tradendorum repetitione, denique et tam « indissolubili universæ doctrinæ concatena« tione conscriptus est, ut illius doctrina ho« minem sanæ mentis, et tantilli ingenii, nisi « quâdam magicâ fascinatione perstrictus sit, « haud queat fugere. Quis ergo crediderit, « pontificem, (Clementem XI), qui politioris « litteraturæ cultor et amator audit, potuisse « cæcutire in hauriendo significatu libri, qui « cunctis obvius, disertus et clarus est? »

Pergit anonymus : « An ergo posteriorem « evadendi viam captabimus, ac dicemus ip« sum librum Jansenianum à Clemente pro« priis oculis non inspectum?.... Verùm, ut « post tot annorum dissidia, post incensam « per annos 70 rempublicam christianam, post « tam acres conflictationes in hâc causâ initas, « post millenas scriptiones pro Jansenii inno« centiâ exaratas, post infinitas preces, pos« tulationes, obtestationes, querimonias ad « tribunal pontificium de eâdem innocentiâ in« terjectas, Clemens XI..... Jansenii librum, « iis saltem non adeò prolixis locis, quibus de « quinque Propositionibus ex professo tractat, « nec adhuc legerit aut inspexerit; tam est « prodigio et monstro simile, ut nemo poste« rorum nobis, non aio id affirmantibus, sed « vel jurantibus, crediturus sit. Quis enim « benè mentis compos in animum inducere « queat suum, ut judex ecclesiasticus, primæ « Sedis antistites, supremus inter præsules « controversiarum arbiter, post acerrimas 70 « annorum lites, de damnato quinque Propo« sitionum sensu.... ad sopiendam momento« sissimam controversiam illam prosiliat, et « illum ipsum non alium quàm Janseniani libri « esse definiat, Jansenio non inspecto? »

Et paulò post, utrumque simul effugium impugnans, scitè observat quòd si valerent dicta effugia, « planè nutarent ac labarent omnia, « quæ quondàm à romanis pontificibus, et « quibuscumque præpositis ecclesiasticis, ad« versùs errores planissimos, vel auctores « manifestò heterodoxos constituta sunt, aut « imposterùm statuenda. Quia semper (inquit) « valebit exceptio, quòd errores vel scriptores

« illos propriâ indagine non cognoverint, sed « mendaci æmulorum accusatione delatos, « nullâ præviâ examinatione proscripserint... « Quid hoc est aliud, quàm universam præcipiendi et obediendi normam, in regno Christi, « succisis nervis evertere ac profligare? » Demùm sic concludit : « Exsufflemus illa vana « effugia; et pro comperto ponamus, quòd « Constitutiones pontificum eâ vi et auctoritate « polleant, quâ testimoniis publicis insignita « veniunt; et nisi maturè ut spuriæ, suppositiliæ, vel confictæ publicis vicissim decla« rationibus revocentur, veluti profectæ ab iis, « quorum titulos gestant, existimandæ sint; « nec nisi post diligentem operam, in causâ « controversâ adhibitam, fuisse conditæ et « evulgatæ. »

Istud Janseniani scriptoris argumentum validissimè probat, non sine maximâ absurditate negari posse quin Clemens XI legerit et probè intellexerit Jansenii librum; nec proinde quin idem pontifex (cum universâ Ecclesiâ quæ ejus et præcedentium SS. pontificum circa Jansenismum Constitutiones approbavit) nomine sensûs Janseniani verum ac germanum Yprensis sensum proscripserit.

Ubi obiter observa, non valere Jansenianos proprium ac legitimum Jansenii sensum à damnatione eximere, nisi tribuant SS. pontificibus, cunctisque episcopis, aut stupendam culpabilemque inertiam, aut sensus planè obtutos qui verum Yprensis sensum luce evidentissimâ conspicuum deprehendere non potuerunt; sicque sanctis Dei ministris per totum orbem diffusis, aut crimen aut crassam ignorantiam exprobrant; nec enim tueri se valent, nisi augusto primorum pastorum collegio se vel sanctiores vel doctiores exhibeant.

Duo supersunt Jansenianorum effugia quæ retulisse, refutâsse est. Primum istud est : Clemens XI bullâ *Vineam Domini* solemnem Clementis IX pacem neutiquàm rescindit aut delet, imò potiùs eam renovat ac confirmat; atqui præcipuum Clementinæ pacis fundamentum fuit distinctio juris à facto, atque religiosi silentii sufficientia; ergo, etc. Verùm 1°, mera est petitio principii, sicque in adversarios retorqueri potest : Illud non approbavit silentium Clemens IX, quod improbat Clemens XI; atqui, etc.; ergo. 2° Falsum ex antedictis Clementem IX approbâsse merum silentium circa dogmaticum Jansenii factum. 3° Si pax Clementina et bulla *Vineam* sibi invicem adversarentur, deserenda sanè potiùs esset pax illa, et adhærendum bullæ, quæ, fatentibus adversariis, manifesta est totius Ecclesiæ lex.

Secundum sic est : Clemens XI bullâ *Vineam Domini* nihil pronuntiat circa infallibilitatem Ecclesiæ in factis dogmaticis; atqui assensus interior prudenter exhiberi nequit hujusmodi factis absque dictâ infallibilitate; ergo, etc. Verùm quid indè? Agebatur tunc temporis de assensu debito dogmatico Jansenii facto, non de motivo hujus assensûs; non mirum ergo si istâ quæstione prætermissâ, priorem duntaxat definierit Clemens XI. 2° Vel potest exhiberi assensus internus dogmatico facto absque auctoritate infallibili proponente, vel non; quidquid dixerint, premuntur adversarii. Si primum, ergo falsa minor argumenti propositi; si secundum, ergo, cùm directè pronuntiaverit pontifex, Janseniani libri sensum ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum rejici ac damnari debere, exinde sequitur saltem indirectè pronuntiâsse circa Ecclesiæ infallibilitatem in factis dogmaticis. 3° In hujusmodi factis dogmaticis cujus subscriptionem exigit Ecclesia, ut in facto Jansenii, tria sunt sedulò distinguenda, 1° dogmatici textûs interpretatio; 2° ipsius qualificatio; 3° ejusdem textûs à fidelibus, etiam sub juramento, damnandi aut approbandi propositio. Etsi autem absolutè supponeretur fallibilis Ecclesia (quod certè dici non potest) circa duo priora, nusquàm tamen providente Spiritu sancto ullatenùs errare posset circa tertium; capitaliter enim Ecclesiæ sanctitati repugnat, quòd possit sub anathematis pœnâ universos adigere fideles ad damnandum, interposito insuper juramento, textum qui foret orthodoxus, aut vice versâ approbandum qui foret hæreticus. Verùm de his in tract. de Ecclesiâ, ubi de factis dogmaticis.

Cæterùm, antequàm præsentem absolvamus controversiam, observa 1°, definitionem de insufficientiâ silentii religiosi circa proprium ac naturalem Janseniani libri sensum, esse propriè dictum judicium dogmaticum, circa veram juris quæstionem, circa quam neutiquam errare posse Ecclesiam, concors est orthodoxorum doctrina.

Observa 2°, quas tradiderant regulas Alex. VII et Innoc. XII, ad discernendum proprium ac genuinum quinque Propositionum sensum ab Ecclesiâ damnatum, paucis his verbis in suâ Constitutione complexum fuisse Clementem XI. Asserit 1°, *quinque Propositiones ex memorato libro Jansenii excerptas, in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præ se*

ferunt, damnatas fuisse; en regula ab Alex. VII proposita in utràque suâ Constitutione annor. 1656 et 1665. Asserit 2°, obvium illum propositionum sensum intelligendum esse, *de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac à præfatis Innoc. X et Alex. VII damnatus fuit;* en altera regula ab Innoc. XII tradita in Brevibus annor. 1694 et 1696, de quibus antea diximus.

Observa 3°, ex his sequi, judice ipsâmet magistrâ veritatis Ecclesiâ quæ Clementis XI Constitutionem approbavit, proprium ac naturalem quinque Propositionum sensum, reipsâ eumdem omninò esse cum proprio et naturali Janseniani libri sensu, seu doctrinâ in eo expressâ.

Jam quæ in hocce articulo paulò uberiùs dicta sunt, sic paucis contraho.

Bulla *Vineam Domini* judicium est irreformabile, dogmaticum, supremum totius Ecclesiæ, ab illius capite et centro dimanatum, cunctorum orbis episcoporum consensu probatum et firmatum; hoc certum, hoc inconcussum manere debet; ita cuncti docent episcopi; ita tenent omnes fideles; ita prædicant ardentiores etiam Jansenii sectatores. Atqui hâc bullâ definitum est insufficiens esse silentium obsequiosum pro dogmatico Jansenii facto, et quemlibet fidelem teneri ad corde rejiciendum libri Janseniani sensum; istud demonstravimus toto præsentis articuli decursu: 1° ex scopo et occasione bullæ; 2° ex ipsius tenore ac contextu; 3° ex judicio Gallicanorum præsulum dictam bullam acceptantium; 4° ex querelis ac dicteriis quibus eam impetere ac lacessere non cessârunt; 5° ex vanitate effugiorum quæ ipsi excogitârunt ut prætensum eidem bullæ obsequium suæ possent conjungere doctrinæ; ergo, aut exeundum de Ecclesiâ, aut corde et animo damnandus proprius et naturalis libri Jansenii sensus; sicque vel unico hocce pontificio diplomate finita est controversia quæ tamdiu Gallicanam divexat Ecclesiam.

CAPUT III.

De systemate Jansenii.

Integrum hîc Jansenii systema exhibere, nec exigit scopus, nec vult animus, nec sinit nimia jam præsentis voluminis moles. Illud considerabimus duntaxat relativè ad famosas quinque Propositiones, exponemusque 1°, principia hujusce systematis; 2° agemus de illius consectariis, seu de famosis quinque Propositionibus; 3° discrimina systematis Jansenii a cæteris systematibus paucis aperiemus. Cæterùm quæ hic prætermittere cogunt præfixi hujusce historicæ partis limites, suis deinceps locis expendemus in dogmaticâ parte, præsertim ubi de gratiâ ex sese efficaci.

ARTICULUS PRIMUS.

De principiis systematis Jansenii.

Universam Jansenii doctrinam circa gratiam, ad unum delectationis relativè victricis caput, revocandam esse, res est certissima, idque constanter affirmârunt quotquot hactenùs extitère Jansenii sectatores; hoc unum ipsi palmare dogma est, cum quo cætera nexu indissolubili cohærent ac connectuntur; quo stante, stant; quo everso, evertuntur. Capitale istud principium nunc operosiùs expendendum occurrit ac enucleatiùs evolvendum; quod ut certo ordine perficiatur, plurima nobis sunt investiganda.

Inquiremus itaque 1°, quid sit in mente Jansenii delectatio; 2° quotuplex sit; 3° quænam ejus necessitas; 4° quæ sit ipsius virtus ac modus agendi; 5° quæ vires voluntatis sub delectatione relativè victrici; seu de famosâ Jansenianorum distinctione potentiæ in absolutam et relativam; 6° an delectatio victrix ac superior totius Janseniani systematis basis sit ac fundamentum; 7° tandem, quod ex præcedentibus colligetur, contractam ejusdem systematis delineationem exhibebimus. Singula distinctis titulis prosequemur.

§ 1. *Natura delectationis.*

Delectatio ex Jansenio lib. 4 de gratiâ cap. 2, est vitalis et indeliberatus animi motus, quo voluntas fertur in aliquod objectum tanquàm sibi conveniens ac jucundum. Ita totidem fermè verbis loco mox citato: « Delectatio cœlestis, « inquit, secundùm Augustini mentem, est « actus vitalis et indeliberatus animæ, et qui- « dem amoris ac desiderii, præcedentis con- « sensum ac delectationem illam quæ et quies « animi et gaudium dicitur. »

§ 2. *Divisio delectationis.*

Delectatio generatim dividitur 1° in indeliberatam et deliberatam. Indeliberata, ea est quæ rationis advertentiam et consensum voluntatis antevertit; deliberata verò illa dicitur, quæ utrumque includit aut sequitur. Scilicet, juxta Jansenium cap. 11, libri 4, de gratiâ, indeliberati primùm motus in bonum jucundum, qui sunt ipsissima indeliberata delectatio, deliberatos subinde producunt, in quibus delectationem deliberatam sitam esse conten-

dit. Dividitur 2° in cœlestem et terrenam ; illa ad bonum trahit ac sollicitat ; ista verò ad malum. Dividitur 3° in victricem, quæ plenum ac perfectum voluntatis consensum exprimit ; et victam, quæ consensu illo pleno ac perfecto privatur, licet deliberatum quidem sed imperfectum semper obtineat. Dividitur 4° in victricem absolutè ; quæ consensum voluntatis ex naturâ suâ miris et ineffabilibus modis obtinet (hæc autem non arridet Jansenio) ; et victricem relativè, quæ eumdem obtinet præcisè ob graduum superioritatem. Dividitur 5° in delectationem intellectualem, et sensibilem. Intellectualis seu spiritualis, est motus animi indeliberatus in objectum sibi conveniens, quatenùs solâ perceptione attingitur ; eaque delectatio in superiori duntaxat animæ parte residet. Sensibilis verò, ipse est indeliberatus motus in objectum sibi conveniens, prout quâdam saltem ratione sensibile exhibetur ; isque motus in solâ inferiori parte jacet, in eâque vires suas exerit.

Circa capitalem hanc in systemate Janseniano delectationis divisionem, adverte 1°, motum indeliberatum in objectum conveniens solâ pereeptione apprehensum, esse quid omninò idem cum amore indeliberato; isque dicitur delectatio, quòd facillimè moveatur voluntas circa ea objecta in quæ motibus indeliberatis fertur; de illâ intellectuali ac spirituali delectatione exponunt Janseniani celeberrimum istud S. Augustini pronuntiatum, in caput 5 Epistolæ ad Galat. : *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necessum est.*

Adverte 2°, declarationem intellectualem re distingui, et posse imò et quandoque reipsà separari à delectatione sensibili; quod constat, tum experientiâ justorum, in quibus ardentissimus officii amor sæpè conjungitur cum ariditate, summoque tædio; sic Apost. de seipso loquens, 2 Cor. 1, sic habet : *Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere....* Tum quia vividior est aliquando amor et motus indeliberatus in objectum conveniens, quàm sensibilis delectatio ex eo percepta.... Tum denique quia vel intellectualis et sensibilis delectatio sunt duæ distinctæ ac disparatæ modificationes; vel sensibilis est modificatio delectationis intellectualis. Si primum, possunt esse sine se invicem, ac proinde re distinguuntur; si secundum, cùm res modificata possit esse absque modo, intellectualis delectatio poterit esse absque sensibili; ac consequenter rursùm ab ipsâ distinguitur.

Adverte 3°, in cœlestem cum spirituali, nec terrenam cum sensibili delectatione esse promiscuè sumendam. Cœlestis delectatio, est supernaturalis et indeliberatus boni et recti amor ; is autem intellectualis est et spiritualis ut plurimùm delectatio ; ast quandoque etiam sensibilis est, juxta illud Psalmi 83 : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Terrestris similiter delectatio, inordinatus est et indeliberatus creaturæ amor; is autem, etsi ut plurimùm sensibilis, quandoque tamen potest esse spiritualis ; talis fuit, juxta Jansenium lib. de Grat. primi hominis et Angelorum, tentatio quâ primus homo et Angeli ex nimiâ propriæ excellentiæ complacentiâ peccârunt. Etverò delectationem cœlestem quandoque etiam sensibilem esse, clarè docet Jansenius lib. 6, cap. 5, his verbis : « Indeliberati illi (cœlestis et « carnalis delectationis), motus, secundùm Au« gustini mentem, non in ipso mentis apice qui « illis supereminet, sed in inferiori ejus quâ« dam parte tumultuantur, ipsumque volun« tatis apicem ad se, sive in malo sive in bono « blandiendo, aut aliter afficiendo trahunt, « aut retrahunt. »

Supra adductas delectationis divisiones sæpius inculcat Yprensis libris de Gratiâ Christi, præsertim libro 4, De indeliberatâ sive cœlesti, sive terrenâ delectatione hîc duntaxat sermo; dicturi postmodùm ex professo de delectatione deliberatâ in secundâ parte hujusce tractatûs.

§ 3. *Necessitas delectationis.*

Circa necessitatem delectationis tria docet Yprensis. Docet 1°, voluntatem humanam per primum Adami peccatum amisisse activas liberi arbitrii vires, quibus pro nutu suo ad alterutram partem circa actiones moraliter bonas aut malas (nam respectu actionum merè naturalium, uti pedem vel manum movere, activam indifferentiam agnoscere videtur lib. de Grat. primi hominis et Angel. cap. 9) sese flectere ac determinare possit. Istud est palmare Jansenii principium, quod passim inculcat, inprimis lib. 2 de Grat. Christi cap. 3, ubi sic loquitur : « Unde liquet quamdiù Angeli et « primus homo in illâ felici arbitrii libertate « steterunt, penès ipsorum arbitrium fuisse « nutum illum supremum quo voluntas in hanc « vel illam partem, sive benè, sive malè vo« lendo flecteretur ; nutus enim ille liberrimus « erat voluntati. » Et paulò post : « Hic nutus, « hic flectus, sèu ista suprema nuendi flecten« dique potestas, quâ sese utrinque in bonum

« aut malum humanâ libertate ac dominatione « librabat, supplicio non minus cadentium « quam stantium remuneratione prorsus amissa « est. » Ibidem cap. 12 : *Vulnus*, inquit, *in ipsis volendi cardinibus inflictum est;* idem repetit lib. 3, cap. 2. lib. 7, cap. 2. etc.

Et certe. lib. 4 de Grat. Christi, cap. 7, contendit Jansenius Adamum peccavisse absque ullâ prævià delectatione indeliberata ; nos verò non posse peccare, nisi tali delectatione provocemur ad peccatum ; atqui ad hanc absurditatem non aliâ ratione ductus fuit novus ille gratiæ doctor, quam quia arbitrabatur voluntatem in præsenti statu in pœnam peccati originalis orbatam fuisse virtute sese flectendi ad opposita ; ergo, etc.

Docet 2°, in locum liberi arbitrii successisse duplicem delectationem, terrenam scilicet, et cœlestem, quæ pro diversis gradibus suis, voluntati conferunt diversos gradus potentiæ ut sese flectat ac determinet ; adeo ut præsente debili duntaxat et infirmâ delectatione, aliquam sed debilem habeat voluntas virtutem sese determinandi, quæ necessario vincitur nisi ope delectationis superioris invicta et insuperabilis evadat : secundum hoc doctrinæ Jansenianæ caput manifestè constabit ex testimoniis paragrapho sequenti referendis.

Docet 3°, tantæ nunc necessitatis esse victricem delectationem, ut absque illâ voluntas veluti torpens et mortua nihil omnino sive boni sive mali amplecti possit. Istud ex primo Jansenii principio mox exposito, clarè sequitur ; idque infinitis propemodùm locis tradit Yprensis : « Ex quo fit inquit lib. 4 de Grat. cap. 7, « ut si illa desit, voluntas veluti torpens ac « mortua nihil omninò boni amplecti possit ; « quemadmodùm etiam è contrario, nihil in « carnalibus diligendis prosequi potest, nisi « quod eam antea delectaverit. » Et paulò post : « Delectatio illa est animo instar olei aut « pinguedinis cujusdam, sine quâ cardo vo« luntatis torqueri aut moveri nullo pacto ad « bonum potest. »

Plura in re apud Jansenianos certâ et constanti, quam eorum nullus negavit, referre testimonia planè superfluum foret.

Quæres quas in mente Jansenii vires per peccatum amiserit voluntas : quasve ex delectatione recuperet ac mutuetur. Antequam respondeam, adverte 1°, variis modis sumi posse voluntatis vires, 1° pro merâ duntaxat ac passivâ in utramque partem flexibilitate, qualis est bilancis flexibilitas, quæ in eam semper ac necessariò inclinatur partem in quâ majus aggravat pondus ; 2° pro viribus activis vitalibus physicis ac merè mechanicis ; seu, ut loquitur Jansenius loco mox citato, pro viribus torpore quodam et languore otiosis ac veluti mortuis, nec ad actum, ut ita dicam, applicabilibus nisi virtute superioris delectationis ; 3° pro viribus activis formaliter sumptis, hoc est ad actum applicabilibus absolute duntaxat, nullo scilicet habito respectu circumstantiarum, actualis præsertim ex adverso titillantis hic et nunc majoris delectationis ; 4° pro viribus illis activis formaliter sumptis, et ad actum applicabilibus etiam relative ad circumstantias et ad oppositam actualem hic et nunc prementem delectationem ; 5° sumi potest pro viribus activis formaliter simul et electivis ; seu, pro virtute activâ, incompletâ tamen in actu primo, quâ voluntas ad alterutram partem sese flectere, movere ac determinare potest ; talis est facultas amandi vel non amandi Deum ut auctorem gratiæ in homine nondùm gratiâ instructo ; hæcque coincidere videtur cum potentiâ obedientiali activâ ; 6° sumi iterum potest pro eâdem facultate electivâ in actu primo completâ, uti facultas amandi vel non amandi Deum in voluntate, cùm illa gratiâ sufficienti donatur ; 7° tandem pro facultate electivâ tum in actu primo, tum in actu secundo completâ ; sicuti potentia ad eumdem amorem, in homine gratiâ efficaci instructo.

Adverte 2°, duplicis generis esse delectationem, nempe superiorem seu magnam ; et inferiorem seu parvam.

Adverte 3°, duplicis generis distinguendam esse potentiam, absolutam scilicet et relativam ; utriusque notionem ex professo dabimus paragr. 5. His positis,

Respondeo 1°, Jansenium in præsenti statu ultrò agnoscere vires independentes à delectatione primo et secundo sensu. Respondeo 2°, non admittere, nec in suo systemate agnoscere posse vires activas tertio et quarto sensu independentes à delectatione. Respondeo 3°, eo in systemate voluntatem ex delectatione mutuare vires formaliter activas ; absolutas quidem ex delectatione inferiori ; relativas verò ex relativè et per gradus superiori ; ast vires verè et propriè electivæ, seu activè ac relativè flexibiles in utramque partem extinctæ omninò fuêre in systemate Jansenii ; neque illas ex delectationibus repetere potest voluntas ; namque potentia relativa, ut mox dicemus, semper et necessariò est cum actu conjuncta ; et omnis

potentia quæ non est cum actu conjuncta, nequidem cum ipso conjungi potest.

Constant hæc ex dictis, et ampliùs patebunt ex dicendis præsertim paragr. 5.

Unum hic superest observandum, non ita sibi constare Jansenium, unde repetenda sit utriusque delectationis necessitas. Lib. 4 de Grat. Christi, cap. 9, ex professo docet et probat, eam *non ex naturâ voluntatis, sed ex ejus peccato proficisci;* verùm suì immemor, lib. 7, cap. 2 et 5, contrarium tradit; docet si quidem illud quo volitiones sunt *in nostrâ potestate*, esse quid voluntati superadditum: « Nam si nihil aliud est (ait citato cap. 2), « præter ipsam potentiam voluntatis, nulla « ratio est cur beati Angeli, et (quod absit) « Deus ipse jam peccare non possit.... Dico « igitur, aliquid omninò esse præter nudam « facultatem voluntatis; quod eam facit velle « vel nolle, quo omninò absente fit impotens, « præsente potens, sive ad bonum, sive ad « malum. » Quid sit autem illud voluntati superadditum, statim aperit Yprensis sequenti cap. 5, his verbis: « Nihil aliud existimamus « quam..... delectationem, seu delectabilem « objecti complacentiam, esse id quod tantam « potestatem in liberum arbitrium habet, ut « eum faciat velle vel nolle, seu, ut eâ præ- « sente actus volendi sit reipsâ in ejus potes- « tate, absente non sit. » Cæterum, quidquid sit de illius sententiâ, sufficit ut in præsenti rerum infelici conditione utramque delectationem ut absolutè necessariam eligat.

§ 4. *Virtus et modus agendi delectationum.*

Modus agendi delectationis in systemate Jansenii relativus est et quasi mechanicus; unde 1°, voluntas semper sequitur majoris delectationis impulsum; 2° necessariò illum sequitur; 3° necessitas illa non est absoluta, sed merè relativa.

Primum expressè docet Jansenius lib. 8 de Grat. Christi cap. 2: « Delectatio victrix, in- « quit, quæ Augustino est efficax adjutorium, « relativa est. Tunc enim est victrix quando « alteram superat: quòd si contingat alteram « ardentiorem esse, in solis inefficacibus desi- « deriis hærebit animus, nec efficaciter un- « quàm volet quod volendum est. » Dixerat superiùs lib. 4, cap. 10: « Cùm nulla sit gra- « tia operandi præter istam suavitatem Dei, « nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes re- « rum creatarum cesserint, vel peccabitur, « vel alternante delectationum fluctu, in medio « remanebitur; sin autem ista superaverit, « jam sine dubio benè voluntas operabitur. »

Secundum non minùs constanter tradit: « Quando, inquit lib. 4 de Grat. cap. 6, cum « terrenarum rerum tentationibus ac delecta- « tionibus dimicamus, nisi major fuerit delec- « tatio cœlestis quam terrena.... fieri non po- « test quin propriæ voluntatis infirmitate vin- « camur. « Et cap. 9: « Conflictus ille delec- « tationum sopiri non potest, nisi altera alteram « delectando superaverit... Quod enim ampliùs « delectat, secundùm id operemur necesse est; « vigente enim delectatione carnali, impossi- « bile est ut virtutis ac honestatis consideratio « prævaleat. » Similia repetit infinitis aliis in locis.

Observanda hìc manet relativa delectationum mechanica, quæ superior trahit et quidem necessariò voluntatem, quæ inferior inefficacia tantùm elicit desideria, ut ait citato lib. 8, cap. 2, quòd si æqualibus militent viribus, jam in medio hæret animus in neutram partem inclinatus. Bilancem diceres stateram, modò declinantem, modò assurgentem, aut utroque latere æquè suspensam, juxta cæcas mechanicasve staticæ leges, pro auctis vel imminutis respectivis ponderum viribus.

Tertium, nempè necessitatem quam imponit delectatio non esse absolutam sed relativam, constat tum ex modo agendi delectationis, qui juxta Jansenium relativus est; tum ex jam dicendis de potentiâ absolutâ et relativâ.

§ 5. *De potentiâ absolutâ et relativâ.*

In hâc famosâ distinctione totius Janseniani systematis quasi medulla et ultimæ veluti fibræ reconduntur; hæc fœcundissima radix æquivocationum omnium, quibus catholicorum argumenta declinare, ac Ecclesiæ censuris subducere se, verbis in speciem catholicis, conati sunt Jansenii defensores: juvat ergo de hâcce distinctione paulò uberiùs pertractare.

Observandum itaque 1°, in systemate Jansenii duplicem sedulò distinguendam esse, sive ad bonum, sive ad malum, potentiam; absolutam scilicet, et relativam. Potentia absoluta est ea quæ delectationi competit attentâ ejus naturâ, et præcisis subjecti circumstantiis, maximè gradibus adversantis hìc et nunc alterius delectationis; seu ea est quâ voluntas actum in se præcisè spectatum potest operari. Potentia relativa ea est quæ competit delectationi, etiam habito respectu ad alteram

hic et nunc ex adverso militantem; seu est ea quâ voluntas potest actum hic et nunc operari.

Observandum 2°, potentiam absolutam semper esse ab actu sejunctam, imò nec cum eo hic et nunc conjungi posse; tum quia gratia quâ datur absoluta illa potentia, à voluntate Dei antecedente procedit, quæ totaliter abstrahit à circumstantiis; tum quia ex delectatione inferiori oritur, quæ superiorem vincere non potest. E contra verò ex lege contrariorum, potentia relativa semper et necessariò cum actu conjungitur; ipsa siquidem ex voluntate consequente procedit, et ex delectatione superiori quæ inferiorem sibi necessariò subjicit.

Observandum 3°, in eodem Jansenii systemate, superiorem delectationem, eamque solam, veram ac relativam conferre potentiam ad agendum. Hinc 1°, implicant simul et ex utrâque parte vires relativæ, 2° in conflictu duarum delectationum æqualium, stat ad utrumque potentia absoluta, nulla relativa; 3° illud solum possumus verè quod agimus, et omnis vera potentia est semper cum actu conjuncta; unde Jansenius promiscuè sumit, simulque confundit hæc verba, *dat posse, dat velle, dat agere.*

Observandum 4°, multiplici sensu illusorio potentiam dici posse relativam, 1° in ordine ad præsentem statum naturæ lapsæ;.... 2° in ordine ad concupiscentiam generatim sumptam;..... 3° in ordine ad concupiscentiam hîc et nunc vigentem, quatenùs scilicet inferior delectatio cœlestis stat sub ardentissimâ concupiscentiâ, ipsamque suo modo oppugnat, nec inde suarum aliquid virium deperdit;..... 4° dici etiam potest relativa in ordine ad vincendam eamdem urgentem hîc et nunc concupiscentiam, sed remotè tantùm et inchoatè; quatenùs scilicet tres gradus gratiæ, v. g., potentiam inchoatè conferunt ad vincendos quinque concupiscentiæ gradus. Hi omnes sensus abusivi prorsùs sunt, illusorii ac insufficientes; nemo enim non videt potentiam merè absolutam, his omnibus sensibus dici posse relativam.,.. vel potentiam his duntaxat sensibus relativam, omninò cum absolutâ coincidere.... 5° denique multò magis abusivè à nonnullis appellatur potentia relativa, ipsa passiva voluntatis in utramque partem flexibilitas; vel capacitas boni infiniti eidem insita, quâ fit ut solo bono infinito satiari possit; vel mera recipiendæ majoris ac superioris delectationis facultas.

Observa 5°, Jansenianos variis nominibus ac speciosis titulis suam absolutam potentiam insignire; quæ, ne fraudi sint, pauca ex his, cæteris idem planè significantiibus, hîc indico. Appellant 1°, potentiam antecedentem, quia præscindit à circumstantiis subjecti; 2° potentiam in sensu diviso, nempè circumstantiarum subjecti; 3° potentiam à delectatione inseparabilem; 4° potentiam ex se completam, quæ in actum erumperet, nisi opposita concupiscentia fortiùs obsisteret; 5° ut cætera omittam, potentiam expeditissimam, perfectissimam, sufficientissimam, etc., absolutè scilicet non relativè; ex lege verò oppositorum, potentiam relativam contrariis planè nominibus designant.

His præsuppositis, duo summi momenti occurrunt expendenda, primum, an Jansenius sub inferiori delectatione cœlesti, v. g., absolutam ad opus bonum potentiam agnoverit; secundum, an etiam admiserit relativam. Hæc ut enucleatiùs discutiantur, ea sigillatim discutiemus.

Utrum Jansenius admiserit potentiam absolutam. — Qui Innocentii X et Alex. VII Constitutionibus debitam præstitisse obedientiam videri volunt, nec tamen à Jansenii systemate quali modò exposuimus recedere, ii potentiam absolutam à Jansenio agnitam fuisse constanter negant; eo nempe consilio ut ipsi hanc duntaxat potentiam (quæ delectationis relativè victricis systemati neutiquàm adversatur, imò ipsi essentialis est) admittant, eoque nomine à Janseniano systemate alienos sese exhibeant; contra illos sit

Conclusio. — Jansenius in voluntate inferiori delectatione, v. g., cœlesti instructâ ultrò agnovit absolutam, sensu mox exposito, ad opus bonum potentiam.

Probatur 1° Conclusio ex ipsomet Jansenio variis in locis. 1° Disertè asserit lib. 2 de Gratiâ Christi, cap. 27, « multos divinitùs mente « collustrari, imò verò et in ipsâ voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab « ejus internâ suasione et inclinatione dissen- « tiunt; » audis voluntatem ex Jansenio dissentire suasioni et inclinationi gratiæ parvæ; ipsa ergo confert absolutam ad opus bonum potentiam. 2° Lib. 3, cap. 13, ex quo de verbo ad verbum desumpta est prima propositio damnata, manifestè agnoscit Yprensis potentiâ duntaxat relativâ carere justos de quibus loquitur; quid enim sibi volunt voces istæ, *justis volentibus et conantibus secundum præsentes quas habent vires; aliqua Dei mandata sunt im-*

possibilia? nisi illos justos destitui gratiâ quâ præcepta Dei relativè ad concupiscentiam hic et nunc prementem, possibilia fiant; etsi in se absolutè eisdem possibilia sint vi gratiæ cum quâ adversùs oppositam delectationem hic et nunc volunt et conantur. 3° Idem clarè colligitur ex citato lib 8, cap. 2: « Delectatio victrix, inquit, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est; tunc enim est victrix quando alteram superat. Quòd si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus. » Ergo gratia parva ex naturâ suâ tendit ad uberiorem effectum quem haberet, nisi obstaret superior hic et nunc urgens concupiscentia; proindeque per illam verè confertur potentia absoluta. Etverò, quid sunt inefficacia ista desideria? nisi potentia quædam absoluta, quæ propter dominantem oppositam delectationem plenum ac deliberatum obtinere nequit consensum ad quem ex sese tendit ac ordinatur. 4° Expressè fatetur Jansenius lib. 8, cap. 20, voluntatem superiori instructam delectatione contrarium opus efficere posse: « Quemadmodum, inquit, qui sub gratiâ ad opus bonum determinante operatur, simul etiam peccare potest; ita quoque è contrario, qui istâ gratiâ destituitur, et peccandi tentationibus quatitur, potest benè facere. » Ibidem paulò antea dixerat, « perfectissimam peccandi potestatem voluntati inesse, non solùm quandò gratiæ delectatione caret, sed etiam quandò intimâ ejus suavitate efficaciter trahitur. » Ex his sic Potentia quâ voluntas superiori instructa delectatione contrarium opus efficere potest, vel est absoluta, vel relativa; nullum datur medium; porrò non est relativa, etiam juxta adversarios; ergo restat ut sit absoluta. 5° Passim inculcat Yprensis se gratiam parvam admittere; et lib. 3 de gratiâ Christi, cap. 1, Thomisticam gratiam sufficientem admitti posse confitetur; ibidem cap. 3, Molinianam solam aut congruam Suaresianam directè et expressè explodit; ergo, etc.

Probatur 2° ex celebrioribus Jansenii discipulis. Arnaldus in suâ dissert. de Gratiâ efficaci parte 2, art. 4: « Si de aliquo justo, inquit, cui gratia efficax in aliquâ tentatione desit, quæratur an sine gratiâ efficaci ad vincendam tentationem necessariâ, quam supponimus ipsi defuisse, tentationem vincere potuerit; tunc ex communi omnium loquendi ratione respondebitur, non quidem absolutè, sed in illâ hypothesi, sine hâc gratiâ non potuisse. » Audis justum illum potuisse absolutè tentationem superare, ast non potuisse in illâ hypothesi, hoc est, relativè ad superiorem concupiscentiæ delectationem.

Utrumque ibidem parte 3, art. 5, illustrat familiari ignis exemplo: « Quemadmodùm, inquit, omnis ignis urendi vim et potestatem habet, non tamen quidvis urendi, v. g., auri liquefaciendi, vel lapidis in calcem redigendi; ita ut si de igne generatim quæratur, an possit urere, absolutè respondendum sit posse; sed si quæratur utrum exiguus ignis possit lapidem in calcem redigere, vulgò non posse respondebunt; sic omnis charitas vel exigua, potestas est bonorum operum; et si quæratur, utrum qui bonam voluntatem habet, possit benè agere, posse procul dubio respondendum est; non tamen omnis bona voluntas ad quidvis efficiendum sufficit, ut non aliquando pleniorem voluntatem requirat. » Nihil clarius ac disertius proferri potest ad exprimendam simul potentiam absolutam cum impotentiâ relativâ.

Paulus Irenæus potentiam illam absolutam disertissimè exponit variis in locis. Disquisit. 2, art. 5: « Quamobrem, inquit, ne quis mihi de illâ negotium facessat, profiteor illam me locare in summo gradu, dummodò nunquàm ex illo gradu in actum ullum prodeat sine efficaci Dei auxilio. » Disquisit. 3, art. 22, asserit eam esse *sufficientem, sufficientissimam, completam, completissiman, plenam, plenissimam, expeditam, expeditissimam.* Et Disquisit. 4, art. 5, Annatum alloquens, sic habet: « Cùm expeditissimas, completissimas, sufficientissimas, proximas potentias, sine efficaci auxilio nunquàm in actum suum prodeuntes plenis manibus in sinum tuum congerebam, nemo Augustinianorum reclamavit, aut me questus est liberaliorem esse quàm par erat. » Magnificis his titulis quibus exornat potentiam quam confert gratia parva, significat Paulus Irenæus, potentiam non quidem relativam, quæ Janseniano systemati capitaliter adversatur, sed unam duntaxat potentiam absolutam et abstractam.

Dionysius Raimundus eamdem potentiam agnoscit et commendat in libro cui titulus: *Elucidatio circa factum et sensum Jansenii.* Quartâ parte cap. 2, art. 4, asserit 1°, gratias illas parvas ad opus perfectum ordinari ex voluntate Dei, non quidem absolutâ et consequente, sed antecedenti quæ abstrahit à circumstantiis; 2° illas semper ex se tendere ad id quod bo-

num est ; 3° continere in se omnem vim activam, seu principium boni operis effectivum ; quod reipsà perficeret, si minor foret oppositæ cupiditatis resistentia. Quæ tria potentiam absolutam manifestè designant.

In Relatione colloquiorum an. 1663, à Jansenianis editâ, sic legitur : « In doctrinâ Jansenii, voluntatem quidem majori delectationi necessariò cedere ; sed neutiquàm inde consequens esse, tolli dissentiendi potentiam ; quia ut illam potentiam voluntas habeat, sufficit ut dùm concupiscentiæ allicienti actu obsequitur, auxilium habeat ex se sufficiens ad actum contrarium. » Cæcus sit qui hic non deprehendat potestatem absolutam.

Denique, ut cæteros omittam, Sambovius qui, teste Paulo Irenæo, *enucleatiùs sensum Augustinianorum aperuit*, tractatu de gratiâ disput. 5, ait facilè intelligi posse, quâ ratione gratiæ resistitur vel non resistitur, si tria supponantur 1° *Quòd omnis gratia voluntatis est delectatio victrix* ; 2° *quòd non est victrix nisi comparatè* ; 3° *quòd eodem modo de hâc re philosophandum sit, quo physici de actione et reactione*. Nihil luculentius.

Probatur 3° ex ipsismet Janseniani systematis visceribus. 1° Eam certè admisit Jansenius in gratiâ parvâ potentiam, quam natura ipsa, notio et idea gratiæ necessariò includit ac importat ; atqui idea gratiæ, etc. Quid enim est gratia? nisi cœlestis motio, impulsio, excitatio, auxilium, adjutorium voluntatis ad bonum ; an verò concipi istud potest absque illâ absolutâ quam continet ac confert ad opus bonum potentiâ ? ergo, etc. 2° Eam agnovit potentiam quæ tam intima est et essentialis Janseniano systemati, ut eo stante nullâ omninò ratione negari possit ; ast talis est potentia absoluta. Namque in eo systemate gratiæ delectatio ex se et ex naturâ suâ nec victrix est nec victa ; sed victrix est aut victa pro majori vel minori numero graduum, adeò ut solâ decrescente oppositâ delectatione, quæ victa fuerat, victrix evadat, nullâ ex parte suî factâ mutatione ; hoc autem nec esse nec concipi potest, quin in delectatione inferiori admittatur potentia absoluta, par actui efficiendo ; ergo, etc. 3° Gratia quæ ex naturâ suâ et ex voluntate Dei antecedente tendit et ordinatur ad opus perfectum, quæ in se continet omnem vim activam boni operis quod reipsà perficeret nisi major obsisteret opposita concupiscentiæ delectatio ; quæ initia bonæ voluntatis, seu actus deliberatos imperfectos semper in nobis producit, ea certè gratia quamdam benè agendi potentiam et virtutem, saltem absolutam, largitur ; atqui talis est ex Arnaldo, Dionysio Raimundo, Sambovio, etc., locis mox citatis, cœlestis delectatio inferior, seu parva Jansenii gratia ; ergo, etc.

Dices 1° : Sæpiùs docet Jansenius 1°, delectationem relative victricem esse unicum pondus quo voluntas nunc sive ad bonum sive ad malum determinari possit ; 2° sub dominante delectatione veram esse in voluntate ad actum oppositum impotentiam ; 3° in conflictu duarum delectationum voluntatem necessariò sequi majorem ac victricem ; ita lib. 4 de gratia Christi cap. 7, 9, 10 ; lib. 7, cap. 3, etc. ; ergo absente delectatione superiori, nequidem absolutam agnovit Jansenius ad agendum potentiam. — Respondeo has omnes Yprensis loquendi rationes exponendas esse de impotentiâ aut necessitate, non quidem absolutâ, ut abundè constat ex dictis : sed relativâ, uti mox exponemus ; unde isthæc omnia sequentem nostram Conclusionem adstruunt, præsentem verò neutiquàm infirmant.

Dices 2° : Jansenius lib. 2 de gratiâ Christi, cap. 2, et lib. 3, cap. 15, contendit sine delectatione superiori, « tam impossibile esse voluntati ut benè velit et operetur, quàm homini cæco ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur, vel avi ut volet sine alis. » Quæ profectò comparationes eò tendunt, ut à voluntate quamcumque excludant benè agendi facultatem, absente gratiâ efficaci ; ergo, etc. — Respondeo adductas comparationes in eo duntaxat valere, quatenùs excludunt actum secundum, aut etiam actum primum seu potentiam relativam ad actualem hìc et nunc vigentem oppositam delectationem ; ast absolutam nullatenùs removent potentiam. Ita discipuli magistrum interpretantur ; audiatur Paulus Irenæus Disquisit. 2, art. 5 : « In omni comparatione, inquit, non omnia similia sunt ; sufficit ut illa inter se conveniant, quæ inter se comparantur. Jam verò justus cum cæco gratiâ efficaci destituto dupliciter potest comparari. Primò si spectentur potentiæ in actu primo : sic nulla inter utrosque similitudo..... cæcus enim caret internâ videndi virtute ; justus pollet interiori facultate boni agendi (absolutâ scilicet, non autem relativâ), etiam actuali, si vult et conatur. At si spectentur istæ potentiæ in actu secundo, tunc in eo planè conveniunt, quòd sicut cæcus videre actu et effectivè non

« potest, ita justus benè agere sine efficaci gra- « tiâ actu et effectivè non potest. » Deinde probat ex Jansenio allatas comparationes spectare potentiam duntaxat in actu secundo, non in actu primo. Paulo Irenæo concinit Dionysius Raimundus primâ parte, cap. 1, art. 6.

Dices : 3° : Jansenius omnem omninò respuit gratiam purè sufficientem, eamque lib. 3 de Gratiâ Christi, cap. 3, revocat ad gratiam Pelagianam ; inde est quòd multi ex nostris dùm Jansenium refellunt, eum accusare videantur, quasi omnem penitùs negaverit in justo, absente gratiâ efficaci, potentiam ad observandum mandatum ; ergo, etc. — Respondeo 1°, Jansenium loco citato solam Molinianam, ut vocant, seu versatilem directè explodere gratiam sufficientem ; imò, cap. 1 ejusdem libri 3 ; loquens de gratiâ sensu Thomistico sufficienti, profitetur quòd *Augustinus fortassè talem gratiam non difficulter admitteret* ; 2° negari non potest quin gratiam aliquam parvam admiserit quæ de se est principium boni operis, ac semper efficax alicujus parvi et imperfecti effectûs ; idipsum clarè ostendit vel ipse primæ propositionis contextus, ibi enim loquens de justis dùm peccant, supponit eos velle et conari ; velleitates autem illæ et debiles conatus, nonnisi ex gratiâ parvâ proficisci possunt. 3° Potentia quæ relativa non est, sed merè absoluta et abstracta à præsentibus subjecti circumstantiis, nihil ad usum et exercitium boni operis conferre potest, ac proinde perinde est ac si quælibet potentia negaretur ; non mirum ergo si nonnulli è nostris Jansenium confutaverint quasi omnem prorsùs potentiam è voluntate rejecerit absente delectatione superiori, omnemque pariter gratiam distinctam à gratiâ actionis et ex sese efficaci.

Utrum Jansenius admiserit potentiam relativam. — Sunt qui ut Jansenium à censurâ eximant, asserere non dubitant ipsum in justis dùm peccant, agnovisse veram et expeditam etiam relativè ad præceptum adimplendum potentiam, saltem remotam ; contra quos sit

Conclusio. — Jansenius in ipsâ voluntate inferiori duntaxat delectatione instructâ nec agnovit, nec in suo systemate agnoscere potuit veram ac relativam, sensu antea exposito, ad opus bonum potentiam.

Probatur 1° disertis Jansenii testimoniis. Lib. 2 de Gratiâ Christi, cap 4, de delectatione superiori loquens, sic habet : « Tantæ necessi- « tatis est, ut sine illâ non possit effectus fieri, « tantæque efficaciæ, ut hoc ipso quo datur, « continuò fiat. Dat enim simul et posse et « operari. » Undè sic : Qui docet delectationem superiorem tantæ necessitatis esse ut sine illâ effectus fieri non possit, tantæque efficaciæ ut eo ipso quo datur continuò effectus fiat ; qui insuper addit, illam dare simul et posse et operari, ille certè nec agnoscit nec agnoscere potest veram ac relativam ad operandum potentiam in voluntate destitutâ delectatione superiori ; atqui conceptis verbis tradit Jansenius, etc. ; ergo. Lib. 3 de Gratiâ Christi, cap. 15 : « Est enim, ait Jansenius, paradoxum in « principiis sancti Augustini, quòd charitas « quamvis minima sufficiat ad quamcumque « tentationem superandam, vel quacumque « præcepta sine transgressione servanda ; » ergo ex Jansenio, voluntas hominis justi sub actuali ardentiore concupiscentiâ absente gratiâ efficaci, hìc et nunc, seu relativè expedita non est, ut possit tentationem superare et observare mandatum ; ac vicissim sub motione gratiæ victricis, expedita non est relativè ad malum. Lib. 4, cap. 9 : « Conflictus ille delectationum, « inquit, sopiri non potest, nisi altera alteram « delectando superaverit, et eò totum animæ « pondus vergat. Quod enim ampliùs delectat, « secundùm id operemur necesse est. Vigente « enim delectatione carnali, impossibile est ut « virtutis ac honestatis consideratio prævaleat. » Audis vigente carnali delectatione impossibile esse ut virtutis et honestatis consideratio prævaleat ; non ergo tunc stat relativa ad opus bonum potentia ; idem porro dicendum sub dominante cœlesti delectatione, non stare scilicet expeditam ac relativam ad opus malum facultatem ; et verò, prævenientem ac indeliberatam majorem delectationem necessariò sequitur voluntas ; *quod enim ampliùs delectat, secundùm id operemur necessum est*. Lib. 7, cap. 5, idem luculentiùs inculcat his verbis : « Jus- « titiæ vel peccati delectatio est illud vinculum « quo liberum arbitrium in justitiâ vel peccato « ita firmiter ligatur et retinetur, ut quamdiù « isto stabiliter possidetur et constringitur, ac- « tus oppositus sit extra ejus potestatem, ita « videlicet ut arbitrium non liberatum eum « velle non possit. » Non potuit certè significantioribus verbis, sub dominante delectatione, relativam ad oppositum potentiam excludere. »

Denique, ut infinita hujusmodi prætermittam, lib. 8, cap. 3, de superiori delectatione sic habet : « Adjutorium illud cœlestis delecta- « tionis..... facit ut velis, et sine illâ velle non

« possis : facit etiam ut ardentiùs velis, et sine « illâ ardentiùs velle non possis ; facit etiamque « ut necesse sit animum istud sequi, et secun- « dùm illud operari quod ampliùs delectave- « rit. » Superfluum foret alia hic coacervare testimonia ; nihil his clariùs exoptari potest. Consuli possunt quæ antea retulimus paragr. 3 et 4 et quæ postmodùm referemus paragrapho sequenti.

Probatur 2° ex præcipuis Jansenii defensoribus ; consule Arnaldi, Pauli Irenæi, Dionysii Raimundi, etc., testimonia Conclusione superiori adducta, quibus addi possunt 1° auctor scripti quod dicitur *In nomine Domini*, pag. 20, sic habet : « Existimo duplicem esse necessi- « tatem, conditionatam alteram, alteram abso- « lutam. Conditionata est quæ ad bonum de- « terminat, per inconstantem et amissibilem « gratiam, ut in fidelibus sanctis ; absoluta est « quæ ad bonum determinat, per immortalem « et inamissibilem gratiam, ut in Angelis et « Beatis. Prior dicitur conditionata, quòd gra- « tiâ adsistente vel absistente bonum vel « malum possimus simpliciter velle ; posito « tamen quòd absit gratia, jam non possimus « nisi bonum velle. » Vides, præsente gratiâ, voluntatem simpliciciter quidem seu absolutè posse malum operari ; at relativè non posse ; similiter absente gratiâ efficaci, absolutè et simpliciter posse ex gratiâ parvâ bonum operari ; sed relativè ad majores cupiditatis vires non posse. 2° Auctor libri cui titulus : *Conformité de Jansénius avec les Thomistes,* parte 2, pag. 20 : « Dominante, inquit cœlesti gratiâ et « de cupiditate victrice; cupiditas satis virium « non habet (relativè scilicet) ut voluntatem « ad illicita pertrahat, quanquàm eam possit « pertrahere (absolutè). » Unde planè consequens, est, vice versâ sub dominio cupidatis, gratiam parvam non satis virium habere ut majorem hîc et nunc titillantem concupiscentiam vincat, licet eam vincere possit : nempe absolutè et factâ præcisione majoris illius resistentiæ. 3° Sambovius unus ex præcipuis Jansenii patronis citatâ jam disput. 3, tractat. de gratiâ, *Major enim est*, inquit, *resistentia concupiscentiæ quàm virtus gratiæ parvæ ;* dixerat ibidem loquens de relativâ agendi gratiæ et concupiscentiæ virtute, *eodem modo de hâc re philosophandum esse, quo physici de actione et reactione ;* ergo delectatio quasi ex mechanicâ lege voluntatem movet ac rapit sive ad bonum, sive ad malnm, prout cœlestis vel terrena præponderat ; ac proinde relativam ad oppositum potentiam excludit ; et verò, ut advertit alter delectationis relativè victricis vindex acerrimus, « hæc est in omni statu, immobilis divi- « næ providentiæ lex constituta, ut actio ex « proportione majoris inæqualitatis oriatur, « quâ agens sibi subjiciat passum, et major « vis vincat minorem. »

Probatur 3° variis momentis theologicis ex ipsismet Janseniani systematis visceribus depromptis.

Primum : Potentia relativa capitaliter repugnat Janseniano systemati, hâcque præcisè positâ, totum ruit ac funditùs subvertitur. Namque 1°, in systemate Janseniano, voluntas omnes vires suas (hic loquimur de viribus activis formaliter sumptis, hoc est, ad actum applicabilibus) mutuatur à delectatione ; ita colligitur ex dictis tertio paragrapho.... 2° In eodem sytemate vires delectationis desumuntur ex gradibus, pro majori enim vel minori numero graduum, delectatio victrix est aut victa, superior vel inferior : ita constat ex quarto Paragrapho... 3° Quod exinde sequitur, delectatio gradibus inferior, viribus quoque inferior dicenda est : ac proinde majorem oppositam delectationem superare nequit : paradoxum est enim in eo systemate, in quo vis agendi utriusque delectationis relativa est et quasi mechanica, ut minor vis vincat majorem. Ex iis evidens est voluntatem superiori instructam delectatione non habere potentiam relativè expeditam ad oppositum, seu non posse non operari id ad quod majori illâ delectatione inclinatur. Ratio est aperta : voluntas siquidem in præsenti statu omnes vires suas desumit ex delectatione; porrò, ex dictis superior delectatio sibi necessariò subjicit inferiorem, nec minor vincere potest majorem; ergo voluntas superiori instructa delectatione, non potest relativè, etc. Atque hinc Jansenius citato cap. 5 libri 7 de Gratiâ Christi, loquens de delectatione superiori, ait : *Quamdiù isto vinculo constringitur* (voluntas), *actus oppositus est extra ejus potestatem.*

Secundum, quo præcedens confirmatur, sic proponitur : In sytemate Janseniano, utraque delectatio, ex quâ jam voluntas omnes vires suas mutuatur, agit ex virtute relativâ quasi mechanicè, et de eâ ratiocinandum est, sicuti de actione et reactione in physicis; atqui, in tali profectò systemate voluntas inferiori duntaxat instructa delectatione impar est superiori debellandæ ; ergo, etc. Etvero, si in dictâ hypothesi, voluntas foret ad utrumque relativè ex-

pedita, vel ex sese et independenter à delectatione vires illas activas et electivas haberet; vel eas mutuaretur à minori delectatione; primum repugnat primo et capitali Jansenii principio, uti vidimus supra, paragr. 3; alterum ex Jansenio paradoxum est: in principiis etenim sancti Augustini, inquit, nec fieri nec concipi potest quòd minor delectatio satis virium habeat ad majorem hìc et nunc vincendam.

Tertium : Omnis potentia relativa in systemate Janseniano, est semper et necessariò juncta cum actu; atqui implicat in terminis dari potentiam ad opposita ex utrâque parte semper et necessariò juncta cum actu; ergo, etc. Minor patet; major autem certa est quoad utramque partem. 1° Potentia relativa semper est juncta cum actu, in systemate Jansenii, quia procedit ex voluntate Dei consequente, cujus est attendere ad circumstantias; hæc autem voluntas, omnibus fatentibus, semper est efficax. 2° Non solùm semper, sed et necessariò actui conjuncta est potentia relativa, utpote cùm oriatur à delectatione superiori, quæ docente Jansenio, *tantæ necessitatis est, ut sine illâ effectus fieri non possit; tantæque efficaciæ ut..... det simul et posse et operari;* ergo, etc.

Quartum: In systemate superioris delectationis Jansenianæ, ubi militant delectationes viribus inæqualibus, cœlestis, v. g., cum duobus gradibus; carnalis verò cum quinque; voluntas sub hâc duplici et inæquali motione posita, se habet, quasi nulla esset delectatio cœlestis, solâque impelleretur carnali delectatione in ipsam cum tribus gradibus agente; atqui voluntas tribus excitata concupiscentiæ gradibus, omnique ex adverso destituta cœlesti delectatione, nullatenùs bonum operari potest, multò minùs relativè; est enim delectatio, juxta Jansenium citato sæpiùs lib. 4, cap. 7, 9, 10, etc., unicum pondus quo voluntas nunc, sive ad bonum sive ad malum inclinari potest; ergo, etc.

Quintum tandem sic proponitur : Ille non admisit in voluntate vires relativas ex gratiâ parvâ seu delectatione inferiori, qui docet nullam dari gratiam verè et merè sufficientem, *sed eam esse vel efficacem, vel ita inefficacem; ex quâ operatio nequidem sequi possit;* atqui ita conceptis verbis Jansenius lib. 4 de gratiâ Christi, cap. 10; ergo, etc. Lux et robur accedent huic argumento ex dicendis paragrapho sequenti.

Dices 1° : Jansenius et Janseniani locis antea citatis sæpiùs profitentur sub motione superioris delectationis cœlestis, v. g., completissimam, expeditissimam perfectissimam inesse voluntati peccandi potestatem; et vice versâ, titillante concupiscentiâ ardentissimâ, voluntatem gratiâ parvâ instructam, retinere perfectissimam ad bonum agendum potentiam, et quidem in summo gradu, dummodò nunquàm ex illo gradu in actum ullum prodeat sine efficaci Dei auxilio; ergo, etc. — Respondeo. Facilis est solutio ex antedictis : quippe, ut demonstravimus, magnificis illis ac speciosis verbis solam obtrudunt Janseniani potentiam absolutam à circumstantiis oppositæ actualis majoris delectationis abstrahentem; quæ quidem potentia in quocumque gradu reponatur vana est, futilis, et ad salvandum in homine liberum arbitrium prorsùs inutilis, cùm præceptum non extet de actione in abstracto, sed de actione hìc et nunc et in præsentibus circumstantiis ponendâ.

Dices 2° : Ex Jansenio homo gratiâ parvâ instructus certissimè bonum operaretur *si vellet, ac plenè et fortiter vellet;* ergo talis gratia verè relativam confert ad opus bonum potentiam. — Respondeo, ridiculè prorsùs ac illusoriè istud opponi. Equidem bonum operaretur voluntas si fortiter vellet; ast in iis circumstantiis in quibus dominatur concupiscentia, plenè ac fortiter velle non potest; delectatio siquidem superior, inquit Jansenius citato lib. 8 de gratiâ Christi, cap. 3, *facit ut velis, et sine illâ velle non possis; facit ut ardentiùs velis, et sine illâ ardentiùs velle non possis.* Magistrum sequuntur discipuli Arnaldus, Paulus Irenæus, Dionysius Raimundus, etc., pressiùs verò Abbas de Bourzeis in epist. ad episcopum scriptâ pag. 68, dicens, *gratiam eo sensu rejici posse, quoniam abjiceremus si vellemus; non posse verò, quoniam velle non possumus;* et verò : si voluntas fortiter vellet, jam non ipsa concupiscentia, sed gratia superior foret, quod est contra hypothesim.

Dices 3° : Gratia parva ex Jansenio lib. 2, de gratiâ Christi cap. 27, *est majoris gratiæ provocativa;* ergo verè est ac relativè sufficiens saltem mediatè. — Respondeo merum esse effugium præcedenti consimile. Quomodò enim gratia parva dici posset majoris gratiæ provocativa? An propter debiles et imperfectos voluntatis motus quos producit? verùm illos motus semper operatur, nec tamen gratiam magnam semper advocat. An quòd majorem gratiam obtineret, nisi voluntas contumaciùs obsisteret? Ita est, sed voluntas propter ardentiorem concupiscentiam non potest tunc non

resistere ; adeòque in illis circumstantiis gratia parva non potest majorem provocare.

Dices 4° : Gratia parva Jansenii nullâ factâ ex parte sui intrinsecâ mutatione, aut novâ additione, per solam oppositæ concupiscentiæ imminutionem potest fieri efficax ; non ita gratia sufficiens Thomistica ; ergo, etc.—Respondeo negando conseq. ; gratia quippe sufficiens Thomistica, veram et expeditam, saltem mediatam, confert potentiam, ad vincendam quamcumque actu prementem concupiscentiam : *Minima gratia*, ait S. Thomas, parte 3, quæst. 70, art. 4 in corp., *potest resistere cuilibet concupiscentiæ, et vitare omne peccatum mortale ;* ast istud in principiis S. Augustini paradoxum videtur Jansenio lib. 3 de Gratiâ Christi cap. 15, atque hinc patet disparitas.

Dices 5° : Gratia parva in se continet omnem vim activam seu principium effectivum boni operis ; quòdque illud non producat, non oritur ex defectu virtutis effectivæ, sed ex liberà subjecti resistentiâ ; ergo, etc. — Respondeo ad primum, dist. : In se continet principium effectivum boni operis, absolutè et abstrahendo à circumstantiis, concedo ; relativè ad pulsantem hic et nunc actualem concupiscentiam, nego..... Ad secundum pariter dist. : Quòd gratia parva opus non producat non oritur ex defectu virtutis sufficientis, absolutè, concedo; relativè, nego : ubi enim modus agendi relativus est ac quasi mechanicus, minor delectatio majorem superare nequit... Ad tertium dico dominante cupiditate resistentiam gratiæ parvæ liberam non esse, sed relativè necessariam. Ubi adverte, aliud esse servare potentiam in aliquibus circumstantiis, et debellandæ præsenti generatim concupiscentiæ ; aliud verò servare potentiam relativè ad circumstantias et in ordine ad actualem hic et nunc tot gradibus pulsantem concupiscentiam ; prius convenire potest abstractæ et absolutæ potentiæ, posterius verò nonnisi relativæ.

Ex dictis in toto isto paragrapho sequitur 1°, errorem Jansenianum minimè consistere in negandâ absolutâ ad observandum mandatum potentiâ, in justis solâ gratiâ parvâ instructis, absente efficaci ; imò, se idem hâc in parte cum Thomistis et sentire et loqui profitentur Janseniani omnes. Sequitur 2°, ad errorem declinandum necessum esse fateri, homini justo, absente gratiâ efficaci, inesse ex sufficienti gratiâ, potentiam relativè proportionatam ad actualem ejus concupiscentiam, ut eam nempe superare possit. In eo enim præcisè positus est error Jansenii et discipulorum ejus, quòd negent talem potentiam relativam ; nisi etenim in eo reponatur Jansenianus error, dicendum profectò, quod in comitiis anni 1700 damnatum fuit, Jansenismum merum esse ac evanidum phantasma. Sequitur 3°, hanc unam absolutæ et relativæ potentiæ distinctionem, communem esse veluti clavim quâ aditus ad intimos Jansenismi recessus aperitur, filum sine quo è labyrinto effugiorum et fallaciarum quibus Janseniani pontificias de quinque Propositionibus censuras eludere conantur, extricare se nemo unquàm poterit. Hâc etenim unicâ distinctionis æquivocatione sese involventes, audacter et jactantiùs quinque damnatas Propositiones verbo damnant, ac reipsâ tuentur. Asserunt 1°, justis non esse impossibilia Dei mandata, impossibilitate scilicet absolutâ, non autem relativâ ; 2° Gratiæ interiori resisti, nempe quoad effectum perfectum quem habere potest absolutè, at non relativè ; 3° à libertate excludi necessitatem, nimirùm absolutam, non relativam, etc. Ita Janseniani vel unius vocis æquivocatione Ecclesiæ decreta elevant.

§ 6. *An delectatio superior Janseniani systematis basis sit ac fundamentum.*

Conclusio. — Delectatio superior seu relativè victrix, prout hactenùs exposita fuit, Janseniani systematis basis est ac fundamentnm.

Probatur 1°. Ex Jansenio delectatio superior seu relativè victrix, gratia victrix, gratia medicinalis, adjutorium *quo*, idem omninò significant; ita ex professo docet et probat lib. 4 de Gratiâ Christi, cap. 1 et sequentibus; atqui, ex eodem Jansenio, necessitas adjutorii *quo* in præsenti statu, ejusque distinctio ab adjutorio *sine quo*, est fundamentum totius doctrinæ Augustinianæ ; ergo, etc.

Minor certa est quàmplurimis ejusdem auctoris testimoniis. Lib. de gratiâ primi hominis et Angelorum cap. 17 : « Hæc est, inquit, (distinctio adjutorii *quo* et *sine quo*) vera clavis, quâ « aditus in scripta sancti Augustini aperiendus « est, sine quâ qui ea molitur ingredi, velut « cæcus palpabit in meridie..... qui verò jacto « isto fundamento, distinctionem illam velut « filum in labyrintho scriptorum ejus secutus « fuerit, mirabilis ei occurrit contextus rerum; « respondent extrema primis, media utrisque, « omnia omnibus. » Similia repetit lib. 2 de Gratiâ Christi, cap. 9, et lib. 7, cap. 6. Hinc auctor Synopseos vitæ Jansenii refert eum dicere solitum, « omnia pendere ab uno primo

« principio, unde tota doctrinæ Augustini de « gratiâ catena devincta esset ; et hinc factum, « ut qui eò aberrant, extra viam et spem inve- « niendæ veritatis vagentur. Unde subridebat « potiùs, non mirabatur quòd contrariarum et « diversissimarum opinionum scholastici, om- « nes tamen Augustinum ad se traherent, quia « unus hunc, alter istum annulum medium « catenæ arriperent, nemo teneret primum « illum et capitalem ; » hic autem primus et capitalis annulus, in mente Jansenii, ipsa est profectò delectatio relativè victrix, quam variis nominibus, gratiæ medicinalis, adjutorii *quo*, adjutorii actionis, etc., insignitam exhibet et inculcat in singulis fermè operis sui paginis.

Probatur 2° ex perfectâ omnium Jansenistarum hanc in rem consensione : nullum etenim ex his qui pro defensione Jansenii scripserunt, reperies, qui pro illâ superiori delectatione tanquàm basi ac fundamento totius magistri sui systematis, strenuè non decertârit. Constat id ex pluribus testimoniis inferiùs recitandis ; unum hîc abbatis de Bourzeis protulisse satis sit : « Nobis sufficit, inquit, collat. « 4, cap. 30, quòd hæc sola veritas nobis con- « cedatur ; nimirùm quoties gratiæ Dei con- « sentimus, id oriri semper ex eo quòd rectus « amor quem Deus nobis inspirat, viribus su- « perior est perverso amori ; et quia viribus « superior est, idcircò eum certissimè supera- « re. » En palmaris veritas Jansenianis omnibus gratissima, quam in suis scriptis millies repetunt, et ad cujus defensionem omnia studia sua viresque convertunt, quòd scilicet probè noverint primum hunc esse capitalem annulum ex quo cætera dependeant.

Probatur 3° ex dictis in præsenti articulo, præsertim ex paragraphis tertio et quarto, in quibus de necessitate et agendi modo delectationis actum est, et ex dicendis postmodùm ; quæ quidem fermè omnia eò collimant ut demonstrent relativam delectationem totius Janseniani systematis basim esse ac fundamentum. Verùm quid plura ? ex solâ Jansenii libri inspectione, ubi singulis paginis delectationem victricem ad nauseam usque celebrat, clarè patet, quanti illam faciat, eamque ab ipso habitam et esse de facto totius sui systematis basim ac fundamentum.

§ 7. *Janseniani systematis contracta delineatio.*

Ex adductis aliisque similibus Jansenii ac discipulorum ipsius testimoniis genuinam ejus doctrinam colligere operosum non erit.

Docet 1°, voluntatem per peccatum primi parentis liberum amisisse arbitrium, id est, vim sese flectendi pro nutu suo ad opposita ; 2° delectationem unicum esse pondus quo jam ad agendum applicari ac determinari potest voluntas ; 3° duplicis duntaxat speciei esse delectationes, terrenam scilicet, quæ ad malum, et cœlestem, quæ ad bonum impellit ; 4° illas delectationes agere per gradus in invicem, ita ut superior semper vincat minorem ; 5° voluntatem non solùm semper sed et necessariò sequi majoris delectationis impulsum ; juxta illud sancti Augustini à Jansenio ejusque asseclis toties decantatum : *secundùm id operemur necesse est, quod ampliùs nos delectat :* 6° necessitatem illam non esse absolutam, sed relativam, id est, in præsentibus circumstantiis, seu dominante ad unum delectatione, voluntatem non posse hîc et nunc aliter agere, licet possit in aliis circumstantiis, si nimirùm, aut ista imminueretur, aut altera augeretur delectatio, sicque quæ antea erat inferior evaderet superior, et vice versâ ; 7° quamlibet delectationem aliquem semper obtinere effectum deliberatum ; perfectum quidem, si sit snperior ; imperfectum verò, si inferior ; unde omnis delectatio efficax est, licet non omnis sit victrix.

Atque ita in illo systemate, voluntas se habet instar bilancis, delectationes verò instar ponderum ; etenim vis utriusque delectationis tota relativa est, et quasi ex mechanicâ lege voluntatem movet ac rapit, sive ad bonum, sive ad malum ; si major fuerit vis gratiæ, quàm concupiscentiæ : necesse erit bene voluntatem operari ; è contra male, si viribus prævaluerit concupiscentia : *Tunc enim major est concupiscentiæ resistentia,* inquit unus ex præcipuis Jansenii defensoribus, *quàm virtus gratiæ parvæ* ; atque *hæc est,* ait alter Jansenianis non suspectus, *in omni statu, immobilis divinæ providentiæ lex constituta, ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, quâ agens sibi subjiciat passum, et major vis vincat minorem ;* sicque non voluntas delectationibus, ut in systematibus Catholicorum, sed delectationes voluntati dominantur, atque de obtinendo voluntatis consensu in se invicem decertant, eumque ob graduum seu virium præpollentiam necessariò eliciunt ac consequuntur.

ARTICULUS II.

De consectariis Janseniani systematis.

Duo expendemus in hoc articulo, primum, quodnam sit principium ex quo sponte ac neces-

sariò fluant quinque Propositiones; secundum, de iisdem sigillatim Propositionibus agemus.

§ 1. *An delectatio superior, seu relativè victrix Janseniana, basis sit, fundamentum ac principium ex quo quinque Propositiones necessariò fluant.*

Quam delectationem ultrò agnoscunt Yprensis sectatores, velut systematis magistri basim, eamdem esse principium ex quo sponte fluant quinque propositiones obfirmatè negant; hinc demonstrandum hìc speciatim suscipimus, unum et idem esse Propositionum et systematis fundamentum, ac proinde quas assertiones admittunt ut hæreticas, eas ut totidem consectaria ex primis Jansenii principiis necessariò profluentia rejicere debere. Sit itaque

Conclusio. — Delectatio superior, seu relativè victrix Janseniana, fons est, radix et origo ex quâ quinque Propositiones necessariò dimanant.

Probatur 1°. Delectatio relativè victrix est basis et fundamentum totius libri ac systematis Janseniani, ut constat ex dictis paragrapho 6 superioris articuli; atqui quinque Propositiones sunt primariæ assertiones quas stabiliendas toto libro suscipit Jansenius, ut mox evincemus probatione secundâ, et ampliùs constabit ex dicendis circa unamquamque Propositionem; imò et sunt totus Jansenii liber, ut tradit illustrissimus Bossuet., teste Mirapincensi episcopo D. de la Broue, epist. ad eminent. Card. de Bissy, die 5 martii anni 1711; verba antea laudavimus; ergo, etc.

Probatur 2°, quia quinque famosæ Propositiones, cæteraque omnia quæ in suo grandiori volumine circa gratiam docuit Yprensis, ad hæc duo universim capita revocari possunt, nempe, exclusionem gratiæ verè et merè sufficientis, et necessitatem benè agendi sub motione gratiæ victricis; atqui hæc duo à delectatione superiori spontè ac necessariò fluunt, ut probabimus argumento tertio, eaque ex eâdem delectatione superiori et relativâ, tanquàm ex nativo principio, datâ operâ deduxit Jansenius.

Primum quidem lib. 4 de Gratiâ Christi cap. 10, his verbis: « Hinc etiam claret, cur Augustinus omnem omninò gratiam purè sufficientem, sive ante fidem, sive etiam post fidem auferat. » En corollarium cujus principium statim assignat Yprensis: » Ratio perspicua est, inquit, quia cùm ei (Augustino) nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur; sin autem ista superaverit, jam sine dubio benè voluntas operabitur: quod enim ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est; sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax, vel ita inefficax, ex quâ operatio nequidem sequi possit, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur. »

Secundum, nempe necessitatem operandi bonum sub motione gratiæ victricis; ex eâdem superiori delectatione colligit Yprensis, jugiter abutendo his sancti Augustini verbis: *Quod enim ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*; id videre est in testimonio mox allato, et aliis sexcentis locis; unde lib. 7 de Gratiâ Christi cap. 5: « Justitiæ vel peccati delectatio, inquit, est illud vinculum quo liberum arbitrium in justitiâ vel peccato ita firmiter ligatur; ut quamdiù isto stabiliter constringitur, actus oppositus est extra ejus potestatem; ergo, etc.

Probatur 3°, invicto isto ratiocinio ad geometricam methodum redacto. Scilicet 1°, proponemus principia seu axiomata; exinde quasdam propositiones tanquàm geometrica theoremata demonstrabimus; demùm famosas quinque Propositiones velut totidem corollaria inde necessariò sequi planum efficiemus.

Principia.— Primum: Omnes voluntatis vires activæ simul et electivæ, seu vires sese flectendi ac determinandi sive ad bonum sive ad malum, in præsenti statu nonnisi ex delectationibus oriuntur. Secundum: Vis agendi delectationum relativa est, seu repetitur à superioritate graduum; adeò ut delectatio gradibus superior, viribus quoque superior dicenda sit. Tertium: Delectatio superior inferiorem necessariò vincit, et inferior non habet satis virium, nec vim agendi relativè proportionatam alteri debellandæ.

Ista constant ex dictis superiori articulo paragraphis 3, 4 et 5.

Theoremata.—Primum: Gratia efficax seu victrix Janseniana infert necessitatem ad bonum.

Probatur: Gratia efficax seu victrix est delectatio superior cœlestis; atqui talis delectatio infert necessitatem. Namque ex principio seu axiomate primo, voluntas nunc omnes vires suas electivas sive ad bonum sive ad malum, nonnisi à delectationibus mutuatur: ex principio autem secundo et tertio delectatio inferior non habet vires sufficientes vincendæ de-

lectationi superiori, imò potiùs ab illâ necessariò vincitur ; ergo, etc.

Secundum : Concupiscentia superior infert necessitatem ad malum.

Probatur adductâ mox ratione : Concupiscentia superior est delectatio terrena superior; atqui ex dictis delectatio superior infert necessitatem ; ergo , etc.

Tertium : Nulla datur gratia verè sufficiens distincta à victrici.

Probatur : Gratia verè sufficiens ea est quæ dat potentiam relativam ; atqui , in systemate Janseniano , nulla datur gratia distincta à victrici quæ conferat potentiam relativam. Quippe gratiæ delectatio vel est superior terrena delectatione, vel inferior. Si primum, necessariò rapit plenum ac perfectum voluntatis consensum , ex theoremate primo ; sicque victrix est et efficax : si secundum , nequidem eum hic et nunc obtinere potest, cùm non habeat satis virium ad debellandam superiorem oppositam concupiscentiam , ex principio secundo et tertio , sicque non erit verè sufficiens; ergo, etc.

Ex his tribus theorematibus quinque Propositiones uti totidem consectaria facili negotio deduci possunt.

Corollaria. — Primum corollarium : *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires , sunt impossibilia , deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.*

Probatur : Mandata iis sunt impossibilia , secundùm præsentes quas habent vires, quibus deest gratia verè ac relativè sufficiens ; atqui justis nonnunquàm, tametsi velint et conentur, deest gratia verè et relativè sufficiens. Nam justi illi quandoque peccant ; atque adeò tunc carent gratiâ efficaci : porrò ex theoremate tertio nulla datur verè sufficiens ab efficaci seu victrici distincta ; ergo , etc.

Secundum : *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur.*

Probatur : Resistere gratiæ est eam frustrare effectu quem possit habere iis in circumstantiis in quibus datur ; hæc est resistentiæ propriè dictæ vera notio, hic est receptus loquendi modus, quidquid contra garriant Janseniani ; vanas eorum adversùs hoc principium evasiones postea excutiemus ; atqui ejusmodi effectu privari nequit gratia. Vel enim est inferior, vel superior, vel æqualis... Si primum, necessariò habet effectum ex theoremate primo..... si secundum, caret profectò effectu, sed quem tunc non potest habere, reluctante nimirùm concupiscentiâ superiori , quæ voluntatem ad malum necessitat, ex theoremate secundo... si tertium, nempe si gratia est æqualis concupiscentiæ, *alternante delectationum fluctu , in medio remanebitur,* ait Jansenius supra citatus; neque usquàm voluntas ad unam partem sese inclinare poterit, defectu nimirùm superioris delectationis ; ergo , etc.

Tertium : *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate , sed sufficit libertas à coactione.*

Probatur : Homo in statu naturæ lapsæ per majorem gratiæ delectationem necessitatur ad bonum, et per ardentiorem concupiscentiæ delectationem necessitatur ad malum, ex theoremate primo et secundo; atqui homo operando bonum (si cæteræ ad meritum adsint requisitæ conditiones), meretur ; demeretur verò operando malum ; ergo , ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas à necessitate , quod erat demonstrandum.

Quartum : *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad initium fidei ; et in hoc erant hæretici , quòd assererent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*

Probatur : Semipelagiani in eo erant hæretici , quòd ad initium fidei negarent veram Christi gratiam ; atqui nulla est vera Christi gratia , præter illam cui voluntas non possit resistere , seu quæ necessitet. Namque nulla est vera Christi gratia , nisi quæ verè sufficiat ad bonum ; nulla est verè sufficiens , nisi sit efficax , ex theoremate tertio ; denique nulla gratia est efficax , nisi necessitet , ex theoremate primo ; ergo nulla est vera Christi gratia nisi quæ necessitet; cùm ergò in eo hæretici fuerint Semipelagiani , quòd negarent veram Christi gratiam , sequitur ipsos in eo fuisse hæreticos , quòd assererent gratiam talem esse cui voluntas posset resistere vel obtemperare; quod erat probandum.

Quintum : *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.*

Probatur : Semipelagianum est asserere veram Christi gratiam talem esse cui voluntas possit resistere vel obtemperare , ex collorario præcedenti ; porrò , qui asserunt Christum pro omnibus mortuum fuisse , ii necessariò admittunt veras Christi gratias quibus voluntas possit resistere , imò quibus plerique de facto re-

sistunt; siquidem contendunt Christum morte suâ omnibus promeruisse gratias vere sufficientes cum quibus tamen multi damnantur; ergo, etc.

Dices : Nonnulli è recentioribus systema delectationis relativè victricis propugnant, qui tamen in suspicionem Jansenismi venire neutiquàm possunt, quem datâ operâ refellunt, atque quinque Propositiones in sensu obvio et naturali tanquàm hæreticas rejiciunt ac damnant; ergo systema delectationis superioris distat à Janseniano systemate, nec ex eo necessariò dimanant quinque famosæ Propositiones. — Respondeo : Recentiores illi qui nobis opponuntur, vel purum Jansenii systema hactenùs expositum propugnant, vel illud utcumque emollire ac temperare conantur. Si primum, ab errore Janseniano excusari non possunt, quantumcumque quinque Propositiones rejicere se ac damnare contestentur. Ratio est, quia cùm aliqua conclusio per necessariam et intimam connexionem ex principio deducitur, vel deserendum principium, vel admittenda conclusio; et qui priori retento istam negat, sibi ipsi apertè contradicit, ac re ipsâ admittit quod verbis rejicere videtur : porrò, ex modò demonstratis, doctrina quinque Propositionum necessariò fluit ex principio delectationis superioris Jansenianæ; idque candidè fassus est ipsemet systematis parens Yprensis, qui easdem propositiones tanquàm totidem conclusiones ex illo principio deduxit, uti constat ex dictis, et rursùs postea evincemus; ergo, etc.

Si secundum, 1° assignent prætensas discriminis rationes; videant autem ne in quibusdam duntaxat vocibus positæ sint, aut in rejiciendis tantùm durioribus quibusdam loquendi rationibus Janseniano systemati minimè essentialibus, quibus etiam sublatis totum nihilominùs systema integrum perseverat..... 2° docent prædicti auctores, tunc gratiam esse insuperabiliter efficacem, quando viribus superior est concupiscentiâ, et quia viribus est superior, idcircò certissimè superare; atqui hæc est ipsa doctrina pro quâ, omnibus aliis neglectis, tanquàm pro aris et focis semper decertârunt omnes quotquot hactenùs extiterunt Jansenii patroni : « Nobis enim sufficit, » inquiebat abbas de Bourzeis antea citatus in lib. cui titulus : *St. Augustin victorieux*, etc., collat. 4, cap. 30, « quòd hæc sola veritas no- « bis concedatur, nimirùm quoties gratiæ Dei « consentimus, id oriri semper ex eo quòd « rectus amor quem Deus nobis inspirat, viri- « bus superior est perverso amori; et quia vi- « ribus superior est, idcircò eum certissimè « superare; » hoc uno retento principio testatur ibidem memoratus abbas, se cum Congruistis admissurum quamcumque voluerint potentiam resistendi gratiæ victrici; ergo, etc... 3° gratia certò et infallibiliter efficax ex virium superioritate, seu ob virium præpollentiam, quocumque tandem modo exponatur, non potest non esse necessitans, siquidem supponit in voluntate vires inferiores, ac proinde veram resistendi impotentiam. Etenim omninò repugnat ac physicè impossibile est, ut vires superiores quæ agunt ut superiores vincantur ab inferioribus; aliàs necesse foret ut inferiores agerent ultra suæ activitatis gradus; atqui, in dicto recentiorum systemate, vires gratiæ relativè victricis agunt in voluntatem ut superiores, cùm gratia illa per ipsam virium superioritatem invincibiliter voluntatem determinet; ergo, etc.

Etverò, discrimen quod proponunt dicti recentiores suum inter et Jansenii systema futile omninò est ac infirmum; in hoc nempe situm est, quòd nunc in voluntate vires activas independentes à delectatione sese admittere profiteantur, cum quibus iis junctis quas à delectatione inferiori mutuatur, potest voluntas, etiam potentiâ relativâ vincere majorem delectationem, licet id nusquàm accidat; è contra verò in systemate Jansenii amissa est in præsenti statu per primum Adami peccatum omnis activa voluntatis indifferentia, et paradoxum planè est ut voluntas minori instructa delectatione majorem superet; discrimen istud, ut dixi, infirmum omninò est.

Namque 1°, vires illæ quas admittere se profitentur, passivæ tantùm dici debent; non autem formaliter et ad utrumlibet activè ac relativè flexibiles; namque independenter à delectatione vires hujusmodi electivæ et suî ipsius determinatrices (quales tamen ad veram libertatem requiruntur), agnosci non possunt in dicto novatorum systemate, in quo omnis electio et determinatio à majori oritur delectatione.

2°. Vires illæ quæ supponuntur residuæ in voluntate, admitti tantùm possunt respectu mali aut respectu boni ordinis duntaxat naturalis; quis enim citra Pelagianismi notam dicere ausit, voluntatem in præsenti statu propriè activas ac electivas vires habere ad bonum supernaturale independenter à gratiâ? Igitur

quod spectat bonum supernaturale, de quo præcipua hic movetur quæstio, nihil distat systema istud à systemate Jansenii.

3°. Sed supponantur vires illæ et activæ simul et electivæ in ordine ad bonum supernaturale, idem recurret argumentum quod contra Jansenium alibi protulimus. Vel enim vires illæ junctæ cum minori delectatione, æquales sunt viribus majoris delectationis, vel inferiores, vel superiores. Si primum, nihil ergo agi poterit; si secundum, necessariò majori adhærebitur delectationi; si tertium, minor delectatio effectum necessariò obtinebit.

4°. Non potest Deus in illo systemate certò cognoscere certitudine metaphysicâ futuras ac liberas humanæ voluntatis actiones. In quo enim eas certò cognosceret? non in scientiâ mediâ, nihil enim est à quo magis abhorreant dicti systematis defensores, quàm ab usu hujusce scientiæ; non in naturâ delectationis, delectatio etenim ex naturâ suâ certam non habet connexionem cum effectu certissimè obtinendo; non in ipsâ tandem ejusdem delectationis superioritate, si enim aliunde quàm ex delectatione vires habeat voluntas, supponi potest præsente delectatione superiori adesse in voluntate virium æqualitatem ad resistendum, ac proinde meritò pariter supponi poterit, delectationem superiorem aliquando privari suo effectu; ergo, etc.

5°. Multi extant Jansenianorum libri, in quibus ea ipsa quæ mox recensuimus, superioris delectationis consectaria negantur, qui tamen damnati sunt, eà certè de causâ quòd systema delectationis relativè per gradus victricis contineant, quo retento, dicta consectaria, verbo tenùs rejici possunt; tales sunt libri Pauli Irenæi, Dyonisii Raimundi, Wendrokii, etc. Nullus autem est è Jansenistis qui vires volendi præcisè et quasi materialiter sumptas, à delectationibus independentes, ac de se sufficientes et proportionatas quibuslibet tentationibus vincendis, non admittat, dummodò vires illæ dicantur otiosæ ac steriles, nec ad actum applicabiles nisi virtute superioris delectationis; imò ipsemet Jansenius hujusmodi vires disertè agnoscit testimoniis antea adductis, aliisque multis similibus, in quibus impotentia voluntatis non repetitur à virium omnium defectu, sed ex infirmitate et impedimentis quæ obstant quominùs voluntas omnes vires suas exerat, donec per delectationem liberetur; ita lib. 4, cap. 7 et 9, et lib. 7, cap. 2, etc.

Cæterùm, de delectationis relativè victricis emollito systemate dicetur secundâ parte, ubi de variis circa naturam et modum agendi gratiæ efficacis systematibus.

§ 2. *De quinque Propositionibus.*

Quinque Propositiones in sensu obvio, proprio et naturali hæreticas esse et legitimè fuisse damnatas fatentur omnes; ast quis sit ille sensus, et utrum eas in illo sensu docuerit Jansenius, negant ipsius sectatores, reclamantibus cæteris omnibus. Posset uno verbo dirimi ista quæstio ex antedictis capite 2, paragr. 2, conclus. 2, 3 et 4. Scilicet ibi demonstratum est summâ et irrefragabili Ecclesiæ auctoritate quinque Propositiones in sensu Jansenii, et sensum Jansenii in quinque Propositionibus damnatum fuisse; quinque ergo Propositiones extant in libro Jansenii quoad sensum proprium ab Ecclesiâ damnatum, nec fieri omninò potest ut à Jansenianâ doctrinâ diversus sit ille sensus, quem ut propriam et germanam Jansenii doctrinam proscripsit Ecclesia; unde, *causa finita est,* inquiunt, præsules Gallicani in epistolâ encyclicâ an. 1663, die 2 octobris, *nihil deliberandum super est circa sensum quinque Propositionum ex Jansenii libro extractarum, cùm illæ à romano pontifice et Galliæ episcopis, cæterisque aliarum regionum antistibus proscriptæ fuerint in sensu Jansenii.*

Verùm ut novæ sententiæ patronos quaquâversùm revincamus, aliis momentis rem eamdem nunc probandam aggredimur, abstrahendo à mox dictâ Ecclesiæ definitione; idque ut efficaciter conficiamus, eâ ipsâ methodo quam in præsenti negotio usurpari volunt Paulus Irenæus, Dionysius Raimundus, aliique Janseniani; tria hìc inquirenda suscipimus agendo de singulis sigillatim propositionibus.

Primum, quis sit proprius et naturalis uniuscujusque propositionis sensus. Secundum, utrum eam docuerit Jansenius. Tertium, dogma catholicum errori damnato oppositum.

Prima propositio.—*Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.*

Quæres 1°, quis sit proprius ac naturalis primæ hujusce Propositionis sensus.—Respondeo proprium sensum hunc esse: Aliqua Dei mandata justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent *ex gratiâ parvâ* vires, sunt impossibilia, *comparatè ac relativè ad eorum majorem hìc et nunc titillantem concupiscentiam;* deest quoque illis gratia, sive ac-

tionis quâ possibilia fiant *immediatè*, sive orationis quâ possibilia fiant saltem *mediatè*.

Sensus autem alieni, huic propositioni malignè affixi, hi sunt : 1° justis omnibus quantumlibet volentibus et conantibus secundùm præsentes quantascumque vires quæ à gratiâ magnâ et efficace habentur, mandata Dei sunt impossibilia...... 2° Deest justis semper et quamdiù vivunt, gratia quâ possint vel unum ex Dei mandatis sine peccato adimplere.. 3° Justis deest gratia quâ absolutè et seorsim à tali gradu concupiscentiæ possibilia sint Dei mandata.

Hos autem posteriores sensus esse reipsâ extraneos, priorem verò à nobis allatum proprium esse, constat 1° ex ipso propositionis contextu ; singulis enim vocibus manifestè determinatur prima Propositio ad hunc, quem indicavimus, particularem, atque impossibilitatis duntaxat relativæ sensum. Nam 1°, hi duo termini, *hominibus justis*, ad aliquos justos necessariò restringuntur ; tum istis vocibus, *aliqua Dei præcepta* ; tum his verbis, *volentibus et conantibus:* neque enim omnes justi volunt et conantur......2°, quod maximè observandum est, vox, *impossibilia*, de relativâ duntaxat impossibilitate exponenda est, quod colligitur, tum quia immediatè præcedit hæc restringens particula, *secundùm præsentes quas habent vires;* id est, *hic et nunc ;* quod sanè non obscurè indicat, non impossibilia fore mandata in aliis occasionibus in quibus justorum illorum vires augerentur ; tum quia statim additur hæc rursùs altera particula limitativa *deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant*.

Constat 2° ex ipsismet jansenianis : abbas de Bourzeis in scripto quod dicitur, *In nomine Domini*, de primâ Propositione verba faciens, sic loquitur : « Aliud est asserere universali « sensu justificato legem impossibilem esse ; « aliud sensu particulari et cum additamento « justo volenti et conanti, juxta præsentes quas « habet vires, mandatum aliquod non esse pos- « sibile ; illud ut falsum Jansenius cum trid. « synodo negat ; istud ut verum, Jansenius « cum Augustino docet. » Inde est quòd auctor libri cui titulus: *Chimère du Jansénisme*, pag. 135, 182, disertè agnoscit, « naturalem primæ pro- « positionis sensum ab Ecclesiâ damnatum « restringi ad quosdam justos......nec usquàm « à Jansenio assertum fuisse Calvinianum sen- « sum necessitatis peccandi in omnibus actio- « nibus. » Idem clarè colligitur ex famoso Trium columnarum scripto, de quo vide quæ diximus cap. 2 præsentis Dissertationis, art. 1. conclus. 5, argumento 6.

Constat 3° ex scripto D. Hallerii relato Diarii pag. 284 et seq., in quo prima Propositio disertè explicatur sensu antea exposito, his verbis : « sensus est, mandata Dei hominibus justis « qui præcepta divina transgrediuntur, esse « impossibilia defectu auxilii sufficientis quo « possint eadem adimplere, vel necessariam « ad ea implenda gratiam impetrare. »

Quæres 2°, an Jansenius primam Propositionem reipsâ docuerit.—Respondeo affirmativè. Probatur : Exstat totidem verbis expressa apud Jansenium lib. 3 de Gratiâ Christi, cap. 13, ubi sic habet : « Hæc igitur omnia plenissimè pla- « nissimèque demonstrant, nihil esse in sancti « Augustini doctrinâ certius ac fundatius, quàm « esse præcepta quædam, quæ hominibus non « tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, sed « et fidelibus quoque et justis, volentibus ac « conantibus secundùm præsentes quas ha- « bent vires, sunt impossibilia deesse quoque « gratiam quâ possibilia fiant. »

Falsò autem ac immeritò obtendunt Janseniani, primam illam Propositionem *à loco suo dolosè avulsam ac exhibitam fuisse*, aliumque in Jansenii textu habere sensum ab eo quem inde extracta præ se ferre videtur. Namque, ut jam probavimus, proprius propositionis sensus est, justis aliquibus secundùm præsentes quas habent vires, id est, relativè ad majorem concupiscentiæ delectationem quâ premuntur, impossibilia esse Dei mandata defectu gratiæ verè hic et nunc sufficientis ; hunc porrò sensum proprium esse ac naturalem libri Jansenii, manifestè liquet, 1° ex antecedentibus et consequentibus. Ante citata propositionis verba dixerat Jansenius : « Ex hâc indubitatâ doc- « trinâ quædam non parvi momenti ad hanc « rem spectantia inferuntur et clarescunt. « Primum quidem, esse quædam homini præ- « cepta secundùm statum et vires in quibus « constitutus est, impossibilia...... Secundùm, « non adesse semper gratiam quâ possimus, « hoc est, quâ eadem illa præcepta implere « sufficiamus..... Tertium, hanc impotentiam « reperiri non solùm in excæcatis et obduratis « et infidelibus, sed etiam in fidelibus et justis, « qui fidem Christi, et justitiæ charitatem sus- « ceperunt.... Quartum, hanc impossibilitatem « fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt « præcepta facere, sed etiam quando volunt ; » quæ quatuor capita postquàm fusè prosecutus est Yprensis, tanquàm consecutionem col-

ligens, addit citata primæ Propositionis verba; quibus statim subjungit: « hoc enim sancti Pe« tri exemplo, aliisque multis quotidiè manifes« tum esse, qui tentantur ultra quàm possint « sustinere. » Et versùs finem ejusdem capitis, totus est ut ostendat quandoque deesse justis ipsis gratiam orationis quâ uberius auxilium ad mandatum observandum necessarium impetrari possint; ac demùm concludit, « non ali« ter verum esse, quòd Deus non jubeat im« possibilia, nisi quia quæcumque jubet, « hominis voluntate per omnipotentem Dei « gratiam adjutâ fieri possunt. » Vides quàm benè cohæreat mox expositus primæ Propositionis sensus cum iis quæ antecedunt et sequuntur in laudato Jansenii textu, hancque esse firmam ac constantem ipsius doctrinam, aliquibus justis, secundùm præsentes quas habent vires, id est, relativè ad præsentes gratiæ vires, impossibilia esse quædam Dei mandata.

2° Idem colligitur ex præcipuis Jansenii defensoribus qui dictum sensum Jansenio disertè adscribunt; vide scriptum quod dicitur: *In nomine Domini,* scriptum *Trium columnarum,* etc.; verba mox retulimus.

3° Istud idem rursùs eruitur ex ipsis Janseniani systematis visceribus. Nam justi de quibus hìc agitur, ii sunt qui volentes et conantes secundùm præsentes quas habent vires servare mandata, illa tamen transgrediuntur; atqui justis illis, Jansenii principiis stando, mandata hæc relativè sunt impossibilia, et deest gratia quâ itâ possibilia fiant. 1° Ipsis sunt relativè impossibilia; nequeunt enim ipsis eâ ratione possibilia fieri, nisi ex superiori delectatione cœlesti, ex dictis paragr. 3. 4 et 5, superioris articuli; atqui delectatio superior in illis justis cœlestis non est, sed carnalis, quâ alliciuntur ad transgrediendum præceptum; ergo, etc. 2° Deest illis gratia quâ præcepta fiant hìc et nunc possibilia; eam quippe non habent ex dictis; nec possunt eam accersere per orationem, volunt enim et conantur, ac proinde orant, secundùm præsentes quas habent vires; atqui tamen gratiam non obtinent, cùm transgrediuntur mandatum; ergo quam habent gratiam, ea non dat vires orandi sicut oportet, et Deus *ipsis subtrahit auxilium suum*, inquit Jansenius, *sinens eos cadere.* Denique ex dictis et probatis loco mox citato, Jansenius justis gratiâ efficaci destitutis denegat potentiam relativam adimplendi præcepta, omnemque aliam potentiam in quocumque gradu in ipsis libentissimè admittit: porrò, ex istâ doctrinâ manifestissime sequitur, justis quoties divina mandata transgrediuntur, ea ipsis verè esse impossibilia secundùm præsentes quas habent vires, defectu scilicet gratiæ relativè victricis, quæ sola in systemate Janseniano relativam ad opus bonum confert potentiam; ergo, etc.; atque ex his constat Jansenium non solùm docuisse primam Propositionem, sed nec aliam doctrinam suis stando principiis tradere potuisse.

Omnes quæ hìc proponi possent objectiones maximâ ex parte jam dissolutæ sunt loco mox citato; quæ enim asserunt Janseniani ut probent magistrum suum non negavisse possibilitatem mandatorum Dei, ac proinde primam non admisisse Propositionem, ea nihil aliud efficiunt nisi possibilitatem abstractam et absolutam ab eo admissam fuisse; quæ verò ostendere videntur omnem omninò possibilitatem ab ipso fuisse rejectam, illa solam potentiæ relativæ exclusionem demonstrant; atque inde non parùm corroboratur nostra responsio, quòd nimirùm eâ positâ in sensu Janseniano omnia plana sint et facilia, atque ex seipsis corruant quæcumque objici possent. Si quod tamen supersit quod novâ elucidatione illustrari queat, postea expendemus, præsertim ad Propositionem tertiam.

Unum hìc prætermittere non possumus palmare Jansenianorum effugium quod perpetuò obtrudunt, ut evincant Jansenium primam non docuisse Propositionem: Justi, inquiunt, dùm peccant, fatente Jansenio, citato cap. 13 libri 3 de Gratiâ, possent servare mandata *si vellent,* nec ea transgrediuntur nisi quia volunt; ergo impotentia quam in illis agnoscit Jansenius, est voluntaria, moralis et mera difficultas, non impotentia verè et propriè dicta, physica et involuntaria. — Respondeo, equidem justos illos posse servare mandata *si plenè perfectèque velint;* verùm ista velle non possunt. Audiatur Jansenius eodem capite: « Non est « satis velle vel nolle, ut magna quædam præ« cepta impleantur, tentationesque superentur, « sed..... opus est, ut ardenter et fortiter velit, « quod non est semper in hominis potestate. « Talis enim ardor vel fortitudo voluntatis, « non ex solâ libertate hominis proficiscitur, « aut haberi potest, sed ex delectationis ma« gnitudine, quæ ideò cœlitùs inspirari debet. » Ludunt itaque et Jansenius et illius defensores, dùm asserunt justos illos posse mandata servare *si velint,* eorumque proindè impotentiam merè esse voluntariam. Namque 1°, si Angelis et Adamo defuisset *adjutorium sine quo*, non uti-

que suâ culpâ cecidissent ex S. Aug. et ipsomet Jansenio ; atqui tamen verè de iis diceretur ex eodem Jansenio, possent perseverare *si vellent ;* ergo , etc..... 2° Pari ratione dici posset , ut Jansenii exemplis utar , dæmones et damnatos posse Deum diligere *si velint* , posse beatos Angelos , et (quod absit) Deum ipsum peccare *si velint ;* at quàm hæc absurda sint nemo non videt..... 3° Si valeat Janseniana cavillatio, expressioribus conciliorum circa libertatem definitionibus facile illuditur; etenim Manichæi, Wicleffitæ , Lutherani , Calvinistæ, aliique infensissimi libertatis adversarii , licet à suis interiùs non recederent principiis , libentissimè tamen exteriùs confiterentur , hominem posse semper bonum agere *si velit*..... 4° passim præfatâ voluntariæ impotentiæ notione abusi sunt hæretici. Ita Wiclef. teste Valdensi lib. 1 doctrinalis art. 1 , cap. 15, cui titulus est : *Contra subterfugium illud Wicleffi : Potest Deus si velit.* Eodem cavillo utitur Lutherus lib. de servo arbitrio ; necnon et ipse Calvinus in caput 12 Ezechiel. Audiatur insignis inter Calvinistas Moses Amyraldus in defens. opinionis Calvini de reprobat. pag. 213 , ibi ex Calvino exponens quomodò mandata Dei sunt impossibilia , sic habet : « Qui Romanam Ecclesiam sequuntur, « solent non tam refellere , quàm calumniari « nostram opinionem ; sic enim eam interpre- « tantur , quasi statueremus peccatoribus im- « possibile esse Deo obedire , eâdem impossibi- « litate quâ non possunt cœlum sistere , ter- « ram movere , aut per aera volare. » Atque ubi impiam hanc expositionem à Deo amoliri conatus est , sic respondet : « Qui alas non « habet , volare non potest , etiamsi maximè « vellet ; et qui Alpes aut Pyræneos montes loco « movere conaretur , etsi omnes corporis ner- « vos intenderet, et omnibus voluntatis viribus « conniteretur , non posset ; at si peccatores « fortiter obedire Evangelio vellent , jam fe- « cissent..... Quamobrem impotentia volandi « per aera in iis in quibus natura alas negavit, « oritur ex defectu facultatis naturalis , sine « quâ id fieri non potest ; at impotentia Christo « obediendi in peccatoribus , ex malâ voluntate « oritur. » Subinde docet , illam non istam impotentiam à peccato excusare ; tum diserta hanc in rem Calvini verba allegat in citatum caput 12 Ezechielis.... 5° Tandem, quod non est possibile nisi sub conditione impossibili , absolutè dici non potest possibile ; istud ex sese patet , atque ita post S. Aug. expressè tradit S. Thom. quæst. 16 de malo art. 5 ; atqui , juxta Jansenium , justi , dùm peccant , hìc et nunc non possunt plenè ac perfectè velle , ob præponderantem scilicet carnalem delectationem ; ergo , etc.

Impotentia ergo quam Jansenius admittit in justis qui peccant (quam tum ipse , tum ejus discipuli appellant *voluntariam , moralem , conditionatam , consequentem , mutabilem , relativam , partialem , inadæquatam ,* quandoque etiam meram difficultatem), hæc , inquam , impotentia , verè involuntaria est , utpotè quæ prævertat omnem rationis consensum ; physica est , *ex defectu virium promanans* , ut ipse docet Yprensis toto hic citato cap. 130 , absoluta , demùm antecedens , immutabilis , totalis , adæquata , propria , vera et realis meritò dici potest , quia oritur ex prævià ac indeliberatâ delectatione superiori , quæ , ut loquitur Jansenius , non est in potestate voluntatis , ut eam nempe habeat vel rejiciat ; et quæ deliberatum ac perfectum voluntatis actum necessariò producit , cùm necesse sit ex Jansenio , voluntatem secundùm id operari quod eam magis delectat.

Atque hinc patet impotentiæ voluntariæ definitionem , quam millies asserunt Jansenius et ipsius discipuli ; scilicet : *L'impuissance volontaire consiste à ne pouvoir faire une chose , parce qu'on ne veut pas la faire* , etc. , tanquàm absurdam , illusoriam, cunctisque circa libertatem renovandis erroribus aptissimam , omninò rejiciendam esse.

Quæres 3°, quis sit sensus catholicus errori primæ Propositionis oppositus. — Respondeo, ex dictis facilè colligi sensum hunc esse, justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent ex gratiâ vires, mandata Dei non sunt impossibilia, nec deest illis saltem gratia orationis quâ possint uberius impetrare auxilium, ut mandata hìc et nunc adimplere valeant; seu, quod in idem recidit, justi, urgente præcepto, eâ instructi sunt gratiâ, quâ relativè ad actualem hìc et nunc titillantem concupiscentiam, illorum voluntas potest et istam superare, et mandatum observare; aut ad utrumque præstandum auxilium impetrare.

Expressa est Apostoli doctrina 1 Corinth. 10 : *Fidelis est Deus ,* inquit, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis , sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* Hæc etiam est doctrina concilii Trid. sess. 6, cap. 11 : *Deus impossibilia non jubet , sed jubendo monet , et facere quod possis , et petere quod non*

possis, et adjuvat ut possis. Idem docet S. Augustinus pluribus in locis, præsertim lib. de Naturâ et Gratiâ cap. 69 : *Eo ipso*, inquit, *quo firmissimè creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus.*

Cùm ergo alibi tradit S. doctor, gratiam parvam imparem esse debellandæ validiori concupiscentiæ, sensus ejus non est, gratiam illam nullatenùs posse fortiorem superare concupiscentiam; sed tantùm eam non posse immediatè ac proximè, licet possit orando impetrare adjutorium, ut actu illam vincat.

Secunda propositio. — *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur.*

Quæres 1°, quis sit proprius secundæ Propositionis sensus. — Respondeo sensum hunc esse, nullam dari in præsenti statu interiorem Christi gratiam, quæ privetur eo effectu quem habere potest relativè ad concupiscentiam hìc et nunc titillantem.

Huic expositioni favet ipse propositionis contextus. Namque juxta communem et ab omnibus receptum loquendi morem, resistere alicui (cùm agitur de actibus humanis ac liberis) non significat tantùm non agere id ad quod alius nos movet et excitat; sed ita hoc non agere, ut verè istud hìc et nunc operari possimus relativè ad ingruentes his in circumstantiis difficultates; neque enim quispiam dixerit amicum amico aliquid efflagitanti, et subditum prælato aliquid imperanti, resistere, quando rem ipsam petitam vel præscriptam, ideò tantùm non exequuntur, quòd eam in illis in quibus versantur rerum adjunctis, peragere non valeant; atque ille profectò iniquus foret, qui in viros tali impotentiâ laborantes inveheretur, quasi infidelitatis vel inobedientiæ rei existerent; ergo resistere gratiæ, juxta vim vocis, propriè significat eam privare effectu quem hìc et nunc habere potest. Eidem expositioni prælusit Hallerius in scripto sæpiùs laudato, his verbis : « Sensus (secundæ Propositionis) est, « in statu naturæ lapsæ nullam esse gratiam « Christi actualem internam in voluntate resi« dentem, cui voluntas humana de facto dis« sentiat. »

Proprius itaque dictæ propositionis sensus non est, 1° « interiori gratiæ in statu naturæ « lapsæ eatenùs nunquàm resisti, quatenùs vo« luntas hominis respectu gratiæ merè passivè « se habet, et velut inanime quoddam nihil « omninò agit, nec cooperatur. » Sensum hunc nonnisi malignè affingi posse secundæ Propositioni ultrò confitentur Janseniani in suo Trium columnarum scripto. 2° Sensus non est, quòd concupiscentia semper oppugnet gratiam, eique reluctetur; eâ etenim ratione, gratiæ quantùmcumque victrici et efficaci etiam resistitur; siquidem concupiscentia carnis semper luctatur cum spiritu, ac sub quolibet gratiæ etiam efficacissimæ motu dantur renitentes cupiditatis motus. 3° Sensus etiam non est, quòd gratia eum omnem semper assequatur effectum ad quem movet et ex propriâ suâ naturâ tendit, quemque absolutè operari potest; potest enim, ex dictis in systemate Jansenii, gratia parva ad opus bonum movere, illudque ex sese operari posse, quod tamen nusquàm obtinet ob validiorem ex adverso repugnantem concupiscentiam.

Quæres 2°, utrum hanc secundam Propositionem docuerit Yprensis. — Respondeo, eam reipsà multoties docuisse, quod quidem probatur 1° plurimis Jansenii testimoniis; lib. 2 de Gratiâ Christi cap. 24, lib. 3, cap. 5 et 17, lib. 4, cap. 7 et 10, et lib. 10, cap. 7; at nullibi eam doctrinam apertiùs tradit quàm citato lib. 2 de Gratiâ Christi, cap. 25, cujus titulus est, *Efficacissima ejus* (gratiæ scilicet) *natura declaratur, ex eo quòd nulla prorsùs effectu caret, sed eum in omnibus quibus datur infallibiliter operatur.* Quod idem repetit initio capitis, et paulò post addit : « Apud Augustinum gratia et opus bo« num ita reciprocantur, ut quemadmodùm ex « gratiâ datâ mox effectum operis subsecutum « inferre solet; ita vice versâ, ex defectu ope« ris, gratiam non esse datam. Quo ratioci« nandi modo indicatur gratiam tanquàm cau« sam, et operationem voluntatis bonam, velut « effectum, esse, ut philosophi loquuntur, « convertibiles, et à se mutuò inseparabiles. » Et rursùs quibusdam interjectis : « Sicut signi« ficat Augustinus, hoc ipso, quo data est ho« mini gratia, mox effectum sequi; sic è con« trario negativè subindè ratiocinando docet, « hoc ipso quo effectu homo destituitur, nul« lam ei gratiam collatam esse, sed solo Pela« gianæ gratiæ adjutorio, hoc est, lege, doctri« nâque ad operationis præceptæ justitiam « niti. » Ex his perspicuum est, omnem Christi gratiam in sententiâ Jansenii esse prorsùs inseparabilem à suo effectu, et consequenter nulli gratiæ resisti, seu nunquàm impediri à productione sui effectûs; porrò ex dictis et pro-

batis ubi de potentiâ absolutâ et relativâ, ista intelligi nequeunt de effectu quem gratia potest absolutè habere; ergo necessariò debent intelligi de effectu quem producere valeat relativè ad actuales concupiscentiæ gradus.

Probatur 2° ex unanimi discipulorum Yprensis doctrinâ, qui dicto sensu secundam Propositionem interpretantur, hancque expositionem magistro suo constanter attribuunt. Recole quæ superiori articulo paragrapho 5, laudavimus eorum verba; unum aut alterum testimonium hìc addidisse sufficiat. Arnaldus, Apologiâ 1 pro Jansenio sic habet pag. 87 : « La grâce « efficace est la seule que saint Augustin recon« naisse après la chute d'Adam. » In eumdem sensum loquitur auctor libri cui titulus : *Réponse d'un docteur à M. Chamillart;* sic loquitur pag. 13 : « C'est une grande injustice d'obliger « M. Arnauld pour être catholique de tenir « pour une vérité indubitable, qu'on résiste vé« ritablement à la grâce de Dieu..... Saint Au« gustin a réfuté cela comme une erreur au « livre de la correction et de la grâce, où il « enseigne, que toutes les fois que Dieu touche « le cœur de l'homme pour lui faire produire « quelque bonne action, l'homme la produit « infailliblement. » Idem passim tradunt alii Jansenii asseclæ.

Probatur 3°. Non solùm docuit Yprensis secundam Propositionem, sed nec aliam doctrinam tradere potuit suis stando principiis. Etenim resistere gratiæ, est eam privare eo effectu quem habere potest relativè ad circumstantias in quibus datur; atqui nulla est in systemate Jansenii gratia quæ eo privetur effectu. Nam hìc recurrit argumentum quod sæpiùs proposuimus; scilicet, vel motus delectationis cœlestis superior est motui delectationis carnalis, vel inferior, vel æqualis; porrò utrumlibet ex his asseratur, etc., ergo.

Dices : Jansenius præter gratiam efficacem sæpiùs agnoscit gratiam quam parvam appellat; atqui parvæ illi gratiæ ab efficaci distinctæ, profectò resistitur; ergo, etc. Respondeo nego min., quippe parva Jansenii gratia eum semper effectum obtinet quem habere potest relativè ad præsentes subjecti dispositiones; cùm enim ipsa sit concupiscentiâ inferior, non potest plenum ac perfectum voluntatis consensum hìc et nunc elicere, sed imperfectum tantùm; hunc autem imperfectum consensum parva gratia semper elicit, fatente Jansenio lib. 2 de Gratiâ Christi cap. 27; postquàm enim sibi objecit, « multos divinitùs mente collustrari, « et in ipsâ voluntate motibus divinæ gratiæ « percelli, qui tamen ab ejus internâ suasione « et inclinatione dissentiunt; » sic respondet : « Considerandum est, multiplices esse divinæ « gratiæ effectus, quemadmodùm et volunta« tis; est enim velle perfectum, quod Augus« tinus posse vocat; est et imperfectum, quod « velleitatem appellare solent: et hoc ipsum « diversos gradus habet, donec ad ipsam pri« mam tenuissimamque boni complacentiam « veniatur. Hæc ergo primus est cœlestis il« lius roris effectus, quem ut minimùm in « omnibus operatur, quibus eum infundit « Deus. » Postea asserit Yprensis gratiam illam parvam per quam velleitates excitantur, *nullo modo sufficere ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, ut speret, ut oret, ut credat*; ergo putat ipsam quidem eo effectu vacuam esse quem non potest hìc et nunc habere, licet eum omnem semper obtineat quem sortiri potest relativè ad præsentes subjecti dispositiones.

Ex his patet (quod observa), in systemate Jansenii, omnem gratiam semper esse efficacem, utpote quæ semper operetur effectum quem hìc et nunc operari potest; at omnis non est victrix, quia omnis non superat actualem oppositam concupiscentiam.

Quæres 3°, quis sit sensus catholicus errori secundæ Propositionis oppositus. Respondeo: Ex genuino ac erroneo secundæ Propositionis Jansenianæ sensu facilè colligitur, hunc esse oppositum ac catholicum sensum, nempe, in statu naturæ lapsæ, quamlibet gratiam interiorem non eum omnem semper obtinere effectum, cujus capax est relativè ad oppositam concupiscentiæ delectationem; quod quidem dogma pluribus demonstrabitur, ubi de naturâ et existentiâ gratiæ sufficientis.

Dices : Omnis gratia interior semper illustrat intellectum ac movet voluntatem; ergo suum semper obtinet effectum, ac proinde ipsi nusquàm planè resistitur. Respondeo 1°, in sententiâ eorum qui dicunt gratiam formaliter et essentialiter esse illustrationem mentis et voluntatis motionem, nego consequens: sic enim illustratio et motio non sunt effectus gratiæ, sed ipsamet ejus natura; ita sentiunt Suarez, Bellarminus, Meratius et alii plerique. 2° In sententiâ illorum qui cum Lemosio, Alvare, etc., existimant, « gratiam formaliter non « esse actum vitalem indeliberatum, sed mo« tionem Dei ordine causalitatis antecedentem « actum nostrum vitalem ordinis supernatura-

« lis; » distinguo consequens: gratia aliquem effectum saltem indeliberatum semper operatur, concedo; effectum deliberatum, ad quem ultimatè ordinatur et ad quem relativam confert potestatem, nego; ac proinde quandoque propriè resistitur gratiæ. *Gratia sufficiens*, ait Alvares lib. 8 de Auxil. disput. 76, n. 6, *est quidem sufficiens comparatione conversionis perfectæ, licet sit semper efficax respectu alicujus effectûs*, indeliberati scilicet, ut tradit idem Alvares n. 3, disput. 80.

Tertia propositio. — *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

Quæres 1°, quis sit proprius ac naturalis tertiæ Propositionis sensus. — Antequàm respondeam, observandum 1°, quid et quotuplex sit libertas. Libertas generatim idem est ac immunitas. Triplex autem vulgò distinguitur immunitas; hinc et triplex libertas. Prima, à peccato et miseriâ. Secunda, à coactione. Tertia, à necessitate. De primâ nulla hîc difficultas. Secunda est immunitas à vi externâ contra voluntatis propensionem; dicitur libertas spontaneitatis. Tertia est immunitas ab omni necessariâ ad unum determinatione; dicitur libertas indifferentiæ; hæcque accuratè definitur, vis electiva, vel, facultas suorum actuum domina, vel, facultas quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere vel non agere, relativè et in sensu composito eorum omnium quæ se tenent ex parte actûs primi.

Rursùs hæc indifferentiæ libertas duas quasi species sub se continet; altera dicitur libertas contradictionis seu exercitii, quæ est facultas activè indifferens ad ea quæ sunt contradictoriè opposita, qualia sunt agere vel non agere; altera contrarietatis seu specificationis, quæ est ad duo contraria, v. g., ad amorem et odium. Addunt nonnulli tertium libertatis membrum, quod diversitatis seu disparitatis vocant; eaque libertas est facultas sese determinandi ad varios actus intra eamdem speciem, scilicet ad hoc vel illud bonum; ad hoc vel illud malum.

Observandum 2°, quid et quotuplex necessitas. Necessitas hîc, nihil aliud est quàm determinatio ad unum. Triplex potissimùm distinguitur, una coactionis, altera naturalis, tertia simplex. Necessitas coactionis seu violentiæ, fit à principio extrinseco, reluctante passo. Necessitas naturalis est essentialis ad unum determinatio orta ex principio intrinseco naturali, qualis est necessitas in omni ente intellectuali amandi beatitudinem in genere. Denique necessitas simplex, est invincibilis et insuperabilis determinatio ad unum, orta ex principio extrinseco, qualis est necessitas agendi sub delectatione superiori in systemate Jansenii. Dicitur à Jansenianis, voluntaria; quia voluntas tali determinationi spontè obsequitur, tametsi necessariò.

Hæc autem necessitas alia est immutabilis, permanens et invariabilis, qualis est in Beatis ut Deum ament; alia mutabilis et transiens, qualis est ea de quâ potissimùm agitur in tertiâ Propositione Jansenii. Rursùs necessitas simplex, mutabilis, alia est absoluta, quæ qualemcumque etiam absolutam ad oppositum potentiam excludit; alia relativa, quæ relativam duntaxat resistendi potestatem removet; tandem alia est specificationis ut ad bonum vel malum in genere; vel exercitii ut ad hoc bonum vel hoc malum. His præmissis,

Respondeo, proprium et naturalem tertiæ Propositionis sensum hunc esse; videlicet, ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri immunitatem à necessitate, saltem simplici, voluntariâ, mutabili ac relativâ; sed sufficere libertatem à coactione.

Probatur: Quando terminus aliquis generalis est ac indefinitus, tunc accipi debet pro omnibus speciebus sub ipso contentis, si nullâ aliâ voce restringatur: atqui in dictâ propositione, vox ista, *necessitas*, est terminus generalis qui in se complectitur omnes species necessitatis propriè dictæ, ac proinde etiam Jansenianam necessitatem simplicem et mutabilem, quæ veram et relativam ad oppositum potestatem excludit: aliunde verò nulla est ratio cur terminus ille restringatur ad unam duntaxat naturalem, aut simplicem ac immutabilem necessitatem, cùm sola coactio in allatâ propositione restringatur; ergo, etc., ac proinde proprius tertiæ Propositionis sensus est, libertatem requisitam in præsenti statu ad merendum et demerendum, non exigere immunitatem à necessitate saltem simplici, mutabili ac relativâ.

Confirmatur nostra interpretatio ex sæpiùs laudato Hallerii scripto, in quo sic habetur: « Tertia Propositio: *Ad demerendum*, etc..... « Sensus est, ut actio quæ meritoria vel deme- « ritoria est libera censeatur, non requiritur « ut fiat cum indifferentiâ, sed sufficit modò

« voluntariè et sine coactione fiat. Hæc autem « sententia (pergit Hallerius) eadem est ac Cal« vini, qui nunquàm eo sensu negavit liberum « arbitrium, quasi actiones nostræ voluntatis « non essent voluntariæ; sed eo sensu, quòd « negaret nobis inesse indifferentiam ad utrum« libet. »

His verbis errorem tertiæ Propositionis in eo collocat Hallerius, quòd ad meritum vel demeritum necessariam neget activam indifferentiam; porrò activæ indifferentiæ nomine ex omnibus orthodoxis nihil aliud significatur quàm potestas agendi vel non agendi hic et nunc expedita, seu immunis ab omni necessitate, etiam mutabili et relativâ; ergo, etc.

Proprius itaque tertiæ Propositionis sensus non est, solam necessitatem naturalem, qualis est necessitas in omni ente intellectuali amandi beatitudinem in genere; vel solam necessitatem involuntariam, qualem experimur in motibus primò primis et indeliberatis; vel solam voluntariam simul et perpetuam ac immutabilem, qualis est in Beatis amandi Deum; vel solam antecedentem, hoc est, quæ antecedit et rationis advertentiam et gradum superiorem actualis concupiscentiæ; vel solam absolutam, hoc est, quæ qualemcumque etiam abstractam ad oppositum potentiam excludit, proprius, inquam, sensus non est, has duntaxat necessitatis species officere libertati ac merito hominis lapsi, et in quibusdam hujusce statûs meritoriis aut demeritoriis actionibus reperiri; hi omnes sensus prorsùs alieni sunt et extranei, atque ad eximendam à censurâ tertiæ Propositionis Jansenii doctrinam gratis excogitati; certum etenim est dictas necessitatis species à Jansenio disertis verbis excludi tanquàm alienas à libertate, ut nunc est; solamque ab ipso admitti necessitatem simplicem, mutabilem et relativam, ut mox evincemus.

Quæres 2°, an tertiam Propositionem docuerit Jansenius. Antequàm respondeam nonnulla sunt in antecessum præmittenda ad perfectam Janseniani de libertate systematis intelligentiam planè necessaria. Observandum itaque 1°, distinguendum esse, ex Jansenio, inter essentiam libertatis, et statum ipsius; seu inter libertatem genericè sumptam, prout nempe communis est Deo, Angelis, et homini tum lapso, tum innocenti; et libertatem specificè, seu quatenùs propria est hominis lapsi et viatoris: « Inter actum liberum et statum liber« tatis, » inquit lib. 6 De gratiâ Christi, cap. 34, « permagna differentia est; aliter Deus, « aliter Beati, aliter Angeli viatores et primus « homo, aliter homines reparandi, aliter Chri« stus Dominus in viâ constitutus liber fuit. »

Observandum 2°, essentiam libertatis ex Jansenio, in uno voluntario, tametsi necessario, consistere, nec aliud essentialiter postulare. Passim et apertissimè istud tradit lib. 6 de Gratiâ Christi cap. 3, 4, 5, etc. « Voluntas seu vo« litio (inquit cap. 5) et libera voluntas idem « sunt, sicut velle et libere velle; et impossi« bile est, ut velle non sit liberum. » Et rursùs: « Libera est voluntas, hoc est volitio, ratione « sui, quia est essentialiter libera; implicat « enim contradictionem ut voluntas non sit « libera, sicut implicat ut volendo non velimus. » Ratio est, quia in mente Jansenii actus formaliter constituitur liber, quia est in nostrâ potestate, quod fit cùm volumus, et cùm nolumus non fit; hinc ibidem cap. 4, relatis pluribus S. Augustini locis, hæc habet: « Quapropter ex « hâc doctrinâ toties iteratâ patet, ut cogno« scamus utrum aliquid in nostrâ potestate, seu « liberum nobis sit, hoc intuendum esse, « utrum fiat quando volumus: si enim fiat « quandocumque volumus, et non fiat quando « nolumus, liberum est; si verò cùm volumus, « non fiat, vel si nolumus, fiat, certissimum « est, non esse nobis liberum, quia non est « in nostrâ potestate. »

Voluntarium porrò illud in quo essentiam libertatis reponit Yprensis, debet esse deliberatum, hoc est, ex advertentiâ rationis, et cum inclinatione ac complacentiâ voluntatis; deliberatio enim in mente Jansenii, meram duntaxat objecti cognitionem ac complacentiam importat; unde determinationem tametsi necessariam, modò ex præviâ cognitione fiat, liberam esse contendit. Ita clarè mentem suam explicat lib. 7 de gratiâ Christi, cap. 3: « Lu« stratis diligenter fundamentis Augustini, in« quit, quibus tota doctrina de arbitrii libertate « nititur, nihil aliud existimamus quàm cogni« tionem ac delectationem, seu delectabilem « objecti complacentiam esse id quod tantam « potestatem in liberum arbitrium habet, ut « eam faciat velle vel nolle; seu, ut eâ præsente « actus volendi sit reipsâ in ejus potestate, ab« sente non sit. » Hinc cap. 36 libri 6 de Gratiâ, docet improvisos voluntatis motus esse voluntarios, nec tamen esse liberos: « Deest « quippe illis, inquit, id quod præcipuum est, « quia non sunt in potestate hominis, non su« mus eorum domini, fiunt sine plenâ rationis « advertentiâ, profluunt invitâ repugnanteque

« voluntate; quæ singula essentialiter repu- « gnant libertati. » Ex his liquet, libertatem et deliberationem ex Jansenio nihil aliud essentialiter postulare, quàm advertentiam ex parte intellectûs, et inclinationem ac complacentiam ex parte voluntatis.

Observandum 3°, ex dictis manifestè sequitur 1°, in systemate Jansenii uniformem esse in omni agente libero formalem ac essentialem rationem libertatis, diversum verò ipsius statum; ipsissima sunt Jansenii verba lib. 6 de Gratià Christi cap. 34 : « Liberum arbitrium, « inquit, in omnibus sive beatis sive damnatis, « sive viatoribus, sive Deo, sive creaturà, uni- « formem libertatis rationem obtinet, etsi dif- « formem statum. » Scilicet essentialis ratio libertatis, juxta Jansenium, consistit, ut mox vidimus, in voluntario deliberato, tametsi necessario; hæc autem necessitas varia est pro vario statu agentis liberi; immutabilis et perpetua ad bonum in Deo, in Christo, in Beatis; perpetua et invariabilis ad malum in damnatis; in hominibus autem viatoribus, nec perpetua nec immutabilis est, sed variabilis et quodammodò flexibilis ad bonum et malum : « Homi- « num viatorum, inquit loco mox citato, non « solùm coactionis expertem esse libertatem, « sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ; « hoc est, eam ad utrumque esse indifferentem « (id est flexibilem) fatemur perlibenter. »

Sequitur 2°, solam coactionem (sub cujus nomine, ut advertit Paulus Irenæus, comprehenditur etiam naturalis illa necessitas quæ omnem rationis advertentiam excluderet), essentialem libertatem perimere. Stat ergo, ex Jansenio, integra libertatis essentia cum necessitate simplici, etiam immutabili et absolutâ; id disertis verbis tradit cap. 38 lib. 6 de Gratià Christi : « Non obstante immutabili necessitate, « inquit, posuerunt (antiqui Scholastici et scri- « ptores usque ad Augustinum) omnem omninò « rationalem voluntatem (hoc est voluntatis « motum) et liberam et electivam objecti sui, « solâ exclusâ violentiæ coactionisque neces- « sitate. »

Sequitur 3°, generationem Filii in divinis, processionem Spiritûs sancti, amorem beatificum, omnem denique actum ex rationis advertentiâ et voluntatis inclinatione elicitum, quantâcumque necessitate aliunde fiat, eo ipso voluntarium, deliberatum ac liberrimum esse; illius domini sumus; est in potestate nostrâ; fit cùm volumus, et si nollemus non fieret; omnes è contra actus qui prævertunt rationis consensum et advertentiam, non sunt liberi; nobis quippe invitis, aut saltem non volentibus fiunt; tales sunt motus primò primi.

His præsuppositis, jam ut præcedenti quæsito fiat satis,

Respondeo 1°, Jansenium in præsenti statu naturæ lapsæ admisisse immunitatem à necessitate tum coactionis, tum naturæ, tum etiam à necessitate simplici, perpetuâ ac immutabili. Ita totidem penè verbis docet Jansenius citato cap. 34 lib. 6 de Gratiâ Christi. Etverò, cùm delectationum conflictum admittat, negat consequenter necessitatem immutabilem et invariabilem, et quamdam agnoscit indifferentiam, seu flexibilitatem ad bonum et malum, sed non immunem à vi ad unum invincibiliter hìc et nunc determinante, ut jam dicturi sumus.

Respondeo 2°, Jansenium in præsenti naturæ lapsæ statu non admisisse immunitatem à necessitate simplici mutabili et relativâ. Namque ille non admisit immunitatem à necessitate simplici, mutabili et relativâ, qui sub delectatione superiori ad unum, nonnisi absolutam ad oppositum potentiam agnovit, nec stando suis principiis relativam agnoscere potuit; atqui ita docuit Jansenius, ut abundè constat ex dictis ubi de potentiâ absolutâ et relativâ; ergo, etc.

Respondeo 3°, Jansenium docuisse, libertatem hujus statûs ad merendum vel demerendum necessariam, unam duntaxat excludere coactionem aut naturalem necessitatem, non verò simplicem necessitatem, saltem mutabilem ac relativam. Hoc unico puncto tota stat Jansenii de libertate doctrina, ideòque paulò fusiùs istud demonstrandum.

Probatur itaque 1° disertis Jansenii testimoniis. Primum petitur ex lib. 6 de gratiâ Christi cap. 24, ubi suam sub nomine sancti Thomæ sententiam profert Yprensis, his comprehensam capitulis : « Clarissimis verbis multisque modis « docuit S. Thomas 1°, arbitrium hominis di- « ctum esse liberum, quia non cogitur... 2° « Necessitatem simplicem voluntatis non repu- « gnare libertati; hancque S. Augustini senten- « tiam esse tradit... 3° Sæpè docet arbitrium « liberum idcircò non esse amissum per pecca- « tum, quia remansit liberum à coactione, « quamvis sit peccati servum... 4° Docet Magi- « strum Sententiarum et S. Bernardum, « quando necessitatem removent à libero arbi- « trio, de necessitate coactionis loqui... 5° Opus « esse laude vel vituperio dignum, meritorium vel « demeritorium, ex hoc quòd est voluntarium,

« spontaneum, non coactum, tametsi determi- « natum ad unum. » Hic sanè loquitur Jansenius de præsenti statu, cùm loquatur de libero arbitrio post peccatum Adami; atqui vult eò loci liberum illud arbitrium, et consistere in solo voluntario, et sufficere ad meritum et demeritum; ergo, etc.

Secundum eruitur ex cap. 34 ejusdem libri: « Neque enim, inquit, quisquam spero, ita « desipuerit, ut hominem etiam viatorem li- « bertatem amissurum putaret, si liberrimâ « et liberatrice charitate in humanum libera- « retur et firmaretur arbitrium, ut quod Beatis « jam in præmium retributum est, in hâc « vitâ constitutus ampliùs jam peccare non « posset. » Apertè hic loquitur Jansenius de libertate hujusce statûs, seu de libertate hominis viatoris, quam contendit integram fore et ad merendum sufficientem, etiamsi ampliùs, sicut Beati in cœlo, peccare homo non posset, nec à bono agendo cessare.

Tertium desumitur ex lib. 8 cap. 15: « Quæ « manifestissimè clamant, inquit, gratiam « quamcumque efficacem, etiam talem qualis « in cœlo cum summâ delectatione dabitur, « nullo modo tollere libertatem, quia non tol- « lit voluntatem, hoc ipso videlicet quo eam « non cogit aut invitam rapit; sic enim diligit « Deum, ut velit se diligere, et ideò in « actu volendi seipsum movet et sibi domina- « tur, et pro tanto dicitur liberum. » Pressiùs idem repetit cap. 17: « Si etiam in hâc vitâ « Dei inspiratio tam stabiliter ac delectabiliter « Deo operante inhæreret voluntati, ut eam « non posset abjicere, felicissimum, fortissi- « mum, liberrimumque meritò diceretur atque « esset arbitrium. » Cæcutiat necessum est qui non videat Jansenium hîc loqui de libertate sicut et de gratiâ præsentis statûs. Pervolvantur libri 6 et 7 de Gratiâ Christi et liber 8 à capite 5 usque ad calcem, et planè cæcus sit oportet, quicumque singulis fermè paginis eamdem hanc expressam non inveniet doctrinam.

Unum hîc luculentum ejusdem auctoris testimonium prætermitti non debet, lib. 4, de statu naturæ lapsæ, cap. 24: « Sic ergo, in- « quit, etiamsi et hîc (hoc est in præsenti « vitâ) ille perversus amor suî, in quem ex « Dei dilectione creatura rationalis lapsa est, « et in quo ex justissimâ Dei damnatione per- « severat, et ex quo omnis actus vel omissio « damnatæ voluntatis fluit, firmissimè adhæreat « voluntati, imò etiamsi non solùm specifi- « catione, ut nunc est, sed etiam exercitio, « quemadmodùm amor beatificus esset neces- « sarius, non tamen ex Augustino desineret « esse liber. » Notanda sunt ista verba, *etiamsi et hîc*, et ista alia, *ut nunc est*, quibus manifestè ostendit Jansenius, se de libertate hominis lapsi loqui.

Ut vim horumce textuum elevent Paulus Irenæus Disquis. 6, art. 3, Dionysius Raimundus parte 1, cap. 4, aliique Jansenii defensores, reponunt Jansenium in dictis locis loqui non de libertate hujus statûs ad merendum et demerendum necessariâ, sed de libertate duntaxat genericè et essentialiter sumptâ. Verùm 1°, reclamant ipsissima textuum laudatorum verba..... 2° De hâc ipsâ profectò libertate egit Jansenius, quam Manichæi nimiùm deprimebant, Pelagiani verò plus æquo extollebant, quam egregiè sanctus Augustinus adversùs primos vindicavit, et adversùs alios intra debitos fines compescuit; quam denique Jansenius ipse ex SS. Augustino et Thomâ, cum gratuitâ prædestinatione et efficaci gratiâ conciliare conatus est; atqui nemo non videt isthæc omnia pertinere ad libertatem propriam hujus statûs, non verò tantùm ad libertatem universim ac genericè sumptam; ergo.... 3° Quis facilè sibi persuadeat, Jansenium unicè de libertate generatim et abstractè sumptâ, quæ parùm vel nihil ad institutum suum conducebat, egisse; non verò de libertate hujus statûs ad merendum et demerendum necessariâ, de quâ potissimùm, seu potiùs unicè erat quæstio, ex quâ laus et vituperium actionum nostrarum pendet? ergo.

Probatur 2° ex præcipuis Jansenii discipulis qui eamdem magistro suo doctrinam adscribunt. Auctor solemnis scripti, *In nomine Domini*, pag. 24, sic habet: « Quoad Yprensis hâc « in parte (circa tertiam Propositionem) sen- « tentiam, vide ab ipso Augustini, aliorum- « que Patrum omnis ætatis, tùm præcipuo- « rum theologorum congesta loca innumera, « quibus evincit invictissimè solam libertatem « à coactione ad veram libertatem, et proinde « ad meritum necessariam esse. » Arnaldus Apologiâ pro sanctis Patribus pag. 1044: « De- « puis la désobéissance criminelle, qui a per- « du toute la nature, afin que les hommes « soient coupables en se laissant aller aux ten- « tations, qui les portent à violer la loi de « Dieu, il suffit qu'ils ne s'y laissent aller que « par leur propre volonté sans que personne « les y contraigne. » Paulus Irenæus Disquisit. 6, pag. 254: « Hoc tantùm docuit Janse- « nius, inquit, 1°, libertati in genere solam

« repugnare coactionem, quatenùs hâc etiam « comprehenditur necessitas naturalis. » Idem tradunt Dionysius Raimundus, Sambovius et alii passim Jansenii patroni.

Probatur 3° variis momentis theologicis : 1° Manifestè sequitur ex primâ Jansenii Propositione, ipsum censuisse ad merendum et demerendum non requiri immunitatem à necessitate mutabili et relativâ. Docet siquidem justis quibusdam secundùm præsentes quas hic et nunc habent vires, mandata verè esse impossibilia, et tamen eos peccando demereri; cohærenter ergo affirmare debuit, ad demerendum non requiri immunitatem à necessitate mutabili et relativâ : porrò ex eodem Jansenio b 4 de statu naturæ lapsæ, cap. 24, eadem rsùs est, quantùm ad libertatem, ratio riti et demeriti ; ergo, etc. 2° Apertè colligitur eadem doctrina ex systemate delectationis relativè victricis ad sensum Jansenii ; hæc etenim infert necessitatem relativam, cùm ex Jansenio lib. 7 de Gratiâ Christi cap. 5, positâ delectatione superiori actus oppositus sit extra hominis potestatem, ita videlicet ut eum hic et nunc velle non possit ; atqui tamen homo obsequium præstans delectationi victrici meretur aut demeretur, non diffitente eodem Jansenio ; ergo. 3° Triplex est tantùm indifferentia, nempe contrarietatis seu specificationis, contradictionis seu exercitii, et denique disparitatis seu diversitatis : atqui nullam ex his admisit aut admittere potuit Jansenius in suo systemate. Namque quælibet indifferentia essentialiter pugnat cum eo systemate, in quo voluntas invincibiliter ac necessariò sequitur impulsum majoris delectationis indeliberatæ ; atqui ita est in Janseniano systemate, in eo etenim necessum est ut secundùm id operemur quod ampliùs delectat; et paradoxum est quòd minor delectatio vincat majorem oppositam ; ergo, etc. Nulla ergo in systemate Jansenii vera occurrit necessitas, nulla proinde vera ac propriè dicta indifferentia ; ac per consequens homo meretur vel demeretur per actus immunes tantùm à coactione.

Ex his sequitur, Jansenium docuisse tertiam Propositionem. Namque ex dictis, proprius ac naturalis tertiæ Propositionis sensus est, ad merendum et demerendum non requiri immunitatem à necessitate saltem simplici, mutabili ac relativâ ; atqui iterùm ex dictis, istam tradidit doctrinam Yprensis, nec aliud stando suis principiis docere potuit ; ergo, etc.

Dices 1°, cum Paulo Irenæo, Dionysio Raimundo et aliis Jansenii apologistis : Locis citatis Jansenius agit non de libertate hujusce statùs, sed tantùm de libertate generatim consideratâ ; ergo nihil ex iis concludi potest. Sic ratiocinium istud premit Paulus enæus Disquisit. 9, art. 4 : « Genus enim, quit, præ« scindit quidem à speciebus, sed tamen in « speciebus est.... Generica illa libertas quam « tractat et evolvit Jansenius, ut in Deo et in « Beatis, sic etiam in homine lapso est, nec « involvit etiam in homine lapso indifferentiam « quatenùs libertas est, sed illam aliunde in« dividuo nexu habet adjunctam, quatenùs « libertas est hominis lapsi et viatoris ; sicut « sentiens cùm non involvat in se rationem, « eam tamen quatenùs in homine est, indivi« duo nexu habet annexam. » — Respondeo negando ant.; loquitur Jansenius de libertate tum genericè, tum specificè spectatâ, uti abundè probavimus ; et ab ipsâ sub hoc utroque respectu veram excludit indifferentiam ; unde otiosum planè est ac futile Pauli Irenæi ratiocinium. Falsò supponit nos idcircò concludere Jansenium è libertate hujus statùs exclusisse indifferentiam, quia illam excludit à libertate genericè spectatâ ; non ita est, sed ex ipsis Jansenii verbis et principiis demonstramus, eum reipsâ ex libertate hujus statûs activam exclusisse indifferentiam seu immunitatem à necessitate.

Dices 2° : Ex iis ipsis Jansenii testimoniis quæ laudavimus, constat eum loqui ex hypothesi metaphysicâ non existente ; semper enim usurpat particulas conditionales *si*, *etiamsi*, *licet;* porrò, inquit loco citato Paulus Irenæus, à vero prorsùs alienum est, SS. pontifices voluisse tertiam Propositionem hoc sensu, et in eâ suppositione metaphysicâ damnare ; hæc enim quæstio sic spectata, pergit ibidem, *philosophica potiùs est quàm theologica, et nominis plus fortassè quàm rei;* ergo, etc. — Respondeo, equidem hypothesim ex quâ Jansenius loquitur, metaphysicam esse nec existentem, quâ parte supponit quòd homo mereretur in præsenti vitâ, etiamsi necessitate immutabili laboraret ; verùm aliâ ex parte quâ supponit liberum hominis viatoris arbitrium mutabili duntaxat ac relativâ necessitate constrictum, adhuc posse mereri vel demereri, non metaphysica est, sed vera et realis Jansenii hypothesis ac doctrina, cujus palmare principium est, necessum esse operari secundùm id quod ampliùs indeliberatè delectat.

Dices 3° : Multoties agnoscit Jansenius in

præsenti statu extare non solùm libertatem à coactione et à necessitate immutabili atque invariabili, sed insuper agnoscit indifferentiam tum specificationis, tum exercitii. Sic lib. 6 de Gratiâ Christi, cap. 34 : « Hominum viatorum, inquit, non solùm coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis « immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad « utrumque indifferentem esse, fatemur perlibenter. » Idem expressiùs tradit lib. 8, cap. 20, his verbis : « Liberum arbitrium ante gratiam, quemadmodùm etiam sub gratiâ, indifferentiam contrarietatis et contradictionis « habet ; » ergo, etc.

Respondeo, indifferentiam illam quam lubens admittit episcopus Yprensis, non esse veram ac propriè dictam indifferentiam, facultatem scilicet activè et relativè expeditam ad agendum et non agendum, quo sensu ab Orthodoxis intelligitur (hæc enim indifferentia ex antedictis capitaliter multisque modis pugnat cum Janseniano systemate); sed esse meram quamdam flexibilitatem, seu capacitatem varias subeundi delectationes, aut absolutam duntaxat ad utrumlibet potentiam ; non alio sensu indifferentiam à Jansenio admitti, constat vel ex ipsis locis quæ nobis opponunt adversarii.

In priori loco non dicit simpliciter voluntatem esse immunem à necessitate, sed à necessitate immutabili ; hincque colligit voluntatem esse indifferentem, quo clarè indicat Yprensis, indifferentiam hujus statùs in hoc duntaxat positam esse, quòd voluntas nostra modò ad bonum, modò ad malum flecti possit : idem apertiùs declarat verbis immediatè sequentibus : « Eadem quippe est, inquit, ratio libertatis in omnibus istis actionum et cessationum « generibus, sive voluntas ita in alterutram « partem fixa sit, ut non possit velle nisi vel « tantùm bonum, vel tantùm malum ; vel ita « indifferens, ut adhuc in utramque partem « flecti queat. »

Idem docet in posteriori loco, ubi probat nobis semper inesse perfectissimam peccandi potentiam, quia quamdiù hìc vivimus auferri non potest ex nobis concupiscentia quâ animus mutari potest et flecti ad malum : « Hoc ergo « modo, inquit, sentit Augustinus, sub gratiâ « manere peccandi potestatem, quia præter « naturalem flexibilitatem ad malum, manet « etiam concupiscentia, per cujus tentationes « animus mutari potest. » Et paucis interjectis addit, semper remanere potentiam benè agendi, quantâcumque voluptate trahatur voluntas, « quia nempe manet in arbitrio, non solùm « fides et habitus boni in fidelibus ; sed in infidelibus etiam illa saltem naturalis flexibilitas seu capacitas, quâ liberum arbitrium credere, sperare, ac Deum diligere potest. »

Hæc omnia clarè demonstrant indifferentiam à Jansenio admissam nihil aliud esse quàm naturalem flexibilitatem voluntatis ad bonum et malum, aut absolutam duntaxat ad utrumlibet potentiam quae in actum hìc et nunc erumpere nequit ; hæc autem indifferentia nihil certè juvat ad salvandam libertatem ; quid enim prodest homini, si absolutè duntaxat, non in præsentibus circumstantiis mandatum observare possit.

Dices 4° : Jansenius non negavit indifferentiam judicii ; siquidem docet, etiam positâ delectatione superiori ad aliquod objectum prosequendum determinante, subesse semper in illo objecto varias species mali ab ipsius prosecutione de se retrahentes, ad quas intellectus non solùm potest attendere, sed etiam actu et de facto aliquando attendit ; quod quidem sufficit ad indifferentiam judicii ; atqui ubi adest indifferentia judicii, ibi necessariò occurrit libertas ; est enim hæc judicii indifferentia radix libertatis ; ergo. — Respondeo 1°, negando Jansenium admisisse indifferentiam judicii. Nam per judicium indifferens intelligitur judicium proponens objectum, non ut necessariò amandum aut fugiendum, sed ut indifferenter eligibile : porrò, licet subsint in objecto species illæ mali de se retrahentes ab ipsius prosecutione ad quas actu attendit intellectus, non tamen propterea formatur judicium proponens objectum ut indifferenter eligibile, sed intellectus determinatur ad judicandum objectum esse necessariò prosequendum ; delectatio enim superior indeliberata, ex Jansenio lib. 6 de Gratiâ Christi, cap. 33, veluti quodam vinculo in objectum amandum ita figit animum, ut ne ad momentum quidem ab eo separari velit, neque rationibus retrahentibus ullatenùs afficiatur ; nulla ergo in systemate Jansenii vera reperitur judicii indifferentia. Respondeo 2°, indifferentiam judicii ex Jansenio radicem non esse libertatis. Equidem in systemate Thomistico illa judicii indifferentia radix est libertatis ; ast longè aliter sentiendum in systemate Jansenii, in quo voluntas ita parùm subjacet judicio intellectûs, ut etiam positâ visione beatificâ peccare posse, imò peccaturum Beatum asserat Jansenius, si voluntas Beati terrenâ delectatione titillaretur : *Qui diligentis impetus,*

inquit lib. 4 de Gratiâ Christi cap. 8, *si adulterinæ cujusdam delectationis permixtione laxaretur, mens illa beata iterùm refrigescendo tenebresceret et peccaret.* Unde eodem libro cap. 8 et 9, cohærenter negat Beatorum impeccabilitatem oriri ex visione beatificâ.

Dices 5° : Amplitudo et universalitas voluntatis quâ fit ut nullo prorsùs creato objecto plenè satiari possit, altera est libertatis radix ; atqui hancce amplitudinem nec negavit, nec negare potuit Yprensis ; nullum etenim est objectum ad quod voluntas feratur, quòd ita vires ejus exhauriat, ut non supersit aliqua, ut ita dicam, voluntatis pars, quâ se ad aliud objectum convertere valeat ; ergo, etc. — Respondeo 1°, dictam voluntatis amplitudinem quâ fit ut nullum objectum creatum capacitatem ejus exhaurire possit, non esse in mente Jansenii, radicem libertatis ; ipse siquidem lib. 7 de Gratiâ Christi cap. ultimo, multis impugnat eorum sententiam qui ex tali amplitudine, liberi arbitrii libertatem repetunt : « At verò, « inquit, quòd Augustinus docere velit in illâ « formalitate amplitudinis, universalitatis, infi« nitatis, sitam esse arbitrii libertatem.... infi« cias ire nequeo, ita mihi novum visum esse, « ut octodecim circiter annorum labores, qui« bus Augustini scripta volvo et revolvo ad « veram notitiam libertatis assequendam, nus« quàm mihi in mentem venerit hujusmodi « aliquid Augustinum indicare potuisse. » Respondeo 2°, equidem voluntatem non totam et totaliter per delectationem superiorem rapi, sed majorem duntaxat ipsius partem ; ast istud sufficit ut juxta cæcas necessariasve staticæ leges, in eo systemate pondus animæ in eam necessariò partem vergat, in quam major ac abundantior præponderat delectatio.

Dices 6° : Jansenius ejusque discipuli agnoscunt in ipsâ voluntate vires quodammodò infinitas ; porrò, quantùmcumque sit in hâc vitâ gratiæ aut concupiscentiæ delectatio, semper finita est, nec proponit nobis objecta nisi finito modo ; unde fit ut nulla hujus vitæ delectatio, totam voluntatis capacitatem implere valeat, sed partem duntaxat, et consequenter activam ac infinitam semper ad alia objecta potentiam relinquat ; quippe finiti potentiæ gradus detracti ex potentiâ infinitâ, hanc relinquunt semper infinitam ; ergo nulla vera ac propriè dicta occurrit necessitas in systemate Janseniano. Ita passim auctor scripti cui titulus : *De l'injuste accusation du Jansénisme*, præsertim pag. 189 et sequentibus ; ita pariter auctor Theologiæ cui titulus : *Æthica amoris*, tom. 2, pag. 452, 455, aliique passim posteriores Janseniani. — Respondeo distinguo antec. : Agnoscunt vires quodammodò infinitas, vires, inquam, planè otiosas, steriles et veluti passivas ; quæ nihil aliud sunt quàm vires volendi quasi materialiter sumptæ, et quæ non valeant sese in actum exerere nisi ope delectationum, concedo ; vires activas, electivas et suî ipsius determinatrices, quales ad veram libertatem necessariò requiruntur, nego.

Scilicet, juxta mox citatum auctorem *De l'injuste accusation*, etc., duo sunt accuratè secernenda ; nempe amor boni generatim, et vis quâ flectitur ac inclinatur ille amor ab uno objecto ad aliud. Amor boni generatim independens est à delectationibus, et præsente quâcumque delectatione retinet activitatem quamdam aliquo sensu infinitam ad alia objecta ; at vis flectendi illum amorem ab uno objecto ad aliud valdè finita est, neque excedit vires delectationum à quibus omninò pendet ; unde fit ut ubi occurrit inferior delectatio, ibi virtus flectendi amorem sit quoque inferior, ac relativè insufficiens ; et è contra, ubi delectatio est superior, ibi amor invincibiliter determinatur ad objectum quod delectat. Hâc unâ distinctione deteguntur ac præcaventur novæ molitiones Jansenianorum qui præfati auctoris explicationem ut plurimùm amplectuntur, et cum ipso asserunt se admittere veram, realem, et quodam sensu relativam benè agendi potentiam, etiam sine gratiâ ; hancque potentiam omnibus hominibus communem esse, et essentialem, idque ad fidem pertinere.

Dices 7° : Necessitas quam inducit delectatio superior, non est physica, antecedens, involuntaria, absoluta et totalis ; sed moralis duntaxat, consequens, voluntaria, relativa et partialis : porrò necessitas hujusmodi neutiquàm officit libertati ; ergo, etc. — Respondeo : Quidquid sit de nomine quo insigniri debet ista necessitas, dicatur physica vel moralis, antecedens vel consequens, etc., pro diversitate sensuum quibus voces illæ usurpantur ; semper stat, quod caput est, necessitatem illam veram et realem esse. Ea etenim necessitas vera est, realis ac propriè dicta, quæ oritur ex delectatione præviâ indeliberatâ, quæ non est in potestate voluntatis, ut eam nempe habeat vel rejiciat, et quæ actum voluntatis deliberatum necessariò producit, ita ut eâ positâ actus oppositus hîc et nunc sit extra hominis potestatem ; porrò talis est necessitas quam infert

delectatio relativè victrix ad sensum Jansenii; ergo, etc. Verùm exactè loquendo, necessitas illa antecedens est physica, et involuntaria, ut patet ex dictis; nec nisi abusivè à Jansenianis appellatur consequens, voluntaria et moralis.

Ex his quæ hucusque circa tertiam Propositionem dicta sunt, facilè colligitur totam Jansenii de libertate doctrinam ad hæc tria generatim capita revocari posse, quæ semel rectè perspecta, statim evanescunt varia adversariorum effugia. Docet 1°, essentiam libertatis in uno voluntario consistere; unde in Jansenii systemate, id omne quod voluntariè fit, hoc est cum advertentiâ rationis et inclinatione voluntatis, essentialiter est liberum. Docet 2°, hominem in præsenti naturæ lapsæ statu immunem esse à necessitate coactionis, à necessitate naturali, et etiam à necessitate simplici, immutabili et absolutâ; non autem à necessitate simplici voluntariâ, mutabili ac relativâ; hoc est, vis quæ nunc dominatur voluntati non est unica, sed alteram experitur contrariam, quo fit ut voluntas flecti possit modò in bonam modò in malam partem pro vario delectationum conflictu; hinc amor quo constanter prosequimur nostram beatitudinem, etsi essentialiter liber, propriâ ad statum nostræ libertatis conditione caret.

Docet 3°, immunitatem ac indifferentiam quam admittit, qualiscumque illa sit, merè esse accidentalem merito et demerito hujus statûs, et solam rationem genericam libertatis in nudo voluntario positam requiri et sufficere ut mereri possimus; unde lib. 7 de Gratiâ Christi, cap. 9, conceptis verbis affirmat, *non solùm in explicandâ majori libertate Beatorum, sed etiam quâcumque præsentis vitæ* (ac proinde etiam libertate hujus statûs ad meritum et demeritum requisitâ), *non esse vestigium ullum, quòd unquàm Augustinus de indifferentiæ libertate ad eligendum hoc vel illud bonum cogitâsse videatur.*

Hinc ex hypothesi quâdam metaphysicâ et non existente, si homo in hâc vitâ, ex tali gratiâ qualis in cœlo dabitur, jam ampliùs peccare non posset, et ad Deum amandum necessitaretur, adhuc tamen daretur locus merito; unde in Yprensis doctrinâ, Beati sufficienti ad merendum libertate gaudent, damnati verò sufficienti ad demerendum; ac reipsà mererentur illi, demererentur isti, nisi obstaret quòd in termino positi sunt extra viam.

Primum Jansenianæ doctrinæ caput, utrùm nempe generica libertatis ratio in uno voluntario sita sit, an insuper postulet indifferentiam; esto dici possit philosophica potiùs quàm theologica quæstio; hâc enim in parte nonnulli orthodoxi theologi, inter quos et ipsemet Scotus in 2, dist. 6, quæst. 2, Jansenio consentiunt.

Duo verò posteriora Jansenii dogmata, totidem continent præcipuos ac capitales errores. Error est, isque palmaris, asserere voluntatem in præsenti statu immunem non esse à vi modò ad unum, modò ad aliud invincibiliter ac necessariò hîc et nunc determinante; error itidem est asserere talem immunitatem in præsenti statu non requiri ad merendum et demerendum; ac proinde licet necessitatem mutabilem et relativam à præsenti statu excluderet Jansenius, quod falsum esse satis superque probatum est, non idcircò à tertiæ Propositionis censurâ eximi posset, cùm talem necessitatem crediderit cum merito et demerito in præsenti statu naturæ lapsæ componi posse.

Quæres 3°, quis sit sensus catholicus errori tertiæ Propositionis oppositus. Respondeo: Cùm error tertiæ Propositionis in eo sit, hominem in præsenti statu liberum non esse à necessitate simplici, voluntariâ, mutabili ac relativâ; nec ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ requiri talem libertatem; consequenter veritas catholica huic errori opposita hæc est, hominem in præsenti statu immunem esse à dictâ necessitate simplici, mutabili ac relativâ; eamque immunitatem ad merendum et demerendum in præsenti naturæ lapsæ statu necessariam esse.

Quarta propositio. — *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*

Quæres 1°, quis sit proprius ac naturalis hujusce propositionis sensus. Respondeo proprium sensum hunc esse: Semipelagiani admiserunt prævenientis gratiæ interioris necessitatem, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quòd rejectâ Christi gratiâ efficaci, hoc est, delectatione relativè victrici, assererent gratiam talem esse, ut voluntas sub illius motione servaret veram indifferentiam activam, seu potestatem consentiendi ac dissentiendi gratiæ, immunem ab omni necessitate antecedenti, etiam simplici, voluntariâ, mutabili ac relativâ. Hunc esse naturalem ac legitimum quartæ Propositionis sensum, facilè colligitur ex dictis exponendo secundam et tertiam Propositionem.

Hunc profectò sensum exponit Hallerius in scripto sæpiùs laudato, cùm quartam explanans Propositionem, sic habet : « Quæritur utrum « gratia in statu naturæ corruptæ talis sit, ut « necessitatem inferat voluntati, adeò ut ei non « possit dissentire ; quod nullus Catholicus un- « quàm admisit.... Hæc propositio, supposità « aliarum falsitate, necessariò debet falsa ju- « dicari. Nam 1°, si impossibilia nunquàm sunt « Dei mandata justis defectu gratiæ sufficien- « tis cui actu resistunt, sequitur gratiæ posse « resisti ; nam ab actu ad posse valet conse- « quentia. 2° Si certum sit ad meritum requiri « indifferentiam ; cùm actio quâ gratiæ con- « sentimus, sit meritoria ; sequitur consensum « ei præberi cum indifferentiâ ; ac proinde « cum potentiâ dissentiendi. »

Quæres 2°, utrum quartam Propositionem docuerit Jansenius. Respondeo utramque quartæ Propositionis partem docuisse Jansenium. 1° Jansenium priorem quartæ Propositionis partem docuisse, constat variis Jansenii textibus. Lib. 8 de hæresi Pelagianâ cap. 6, sic habet : « Indubitatum esse debere sentio, quòd « Massilienses præter prædicationem, atque « naturam, veram etiam et internam et ac- « tualem gratiam, ad ipsam etiam fidem (seu, « ut dixerat cap. ultimo libri 7, ad primas « credendi, sperandi, diligendique volunta- « tes) necessariam esse fateantur. » Et lib. 2 de Gratiâ Christi cap. 15 : « Prior (Massilien- « sium) error erat, quòd initium fidei, oratio- « nem, gemitus ac desideria et hujusmodi ex « nobis, hoc est, ex libero arbitrio prosilire « censerent ; et tamen gratiam etiam actua- « lem in eorum opinione fuisse ad istos actus « necessariam, cujus influxus in eorum li- « bero relinqueretur arbitrio ; et hoc eos aper- « tissimè docuisse, jam supra latè patefeci- « mus. » Citat ad marginem caput 12 ejusdem libri, et librum 8 de hæresi Pelagianâ cap. 6, 7, etc. ; clara sunt hæc, nec ullâ explicatione indigent. 2° Alteram quartæ Propositionis partem pariter tradidisse Jansenium, plurima evincunt ejusdem auctoris testimonia. Citato mox cap. 6 lib. 8, de hæresi Pelagianâ, sic loquitur : « In hoc igitur propriè Massi- « liensium error situs est, quòd aliquid pri- « mævæ libertatis reliquum putant, quo sicut « Adam, si voluisset, poterat perseveranter « operari bonum, ita lapsus homo saltem « credere posset si vellet ; neuter tamen « absque interioris gratiæ adjutorio, cujus « usus vel abusus relictus esset in unius- « cujusque arbitrio et potestate. » His planè similia docet notâ 42 Paralleli et alibi sæpè.

Hanc esse constantem Yprensis doctrinam clarè colligitur ex lato illo discrimine quod statuit gratiam sanitatis inter et medicinalem ; in eo scilicet « quòd gratia sanæ voluntatis in « ejus libero relinqueretur arbitrio, ut eam si « vellet desereret, aut si vellet, uteretur ; « gratia verò lapsæ ægrotæque voluntatis « nullo modo in ejus relinqueretur arbitrio. » Ita totidem verbis lib. 2 de Gratiâ Christi cap. 4, unde addit ibidem, « tantæ necessitatis esse « (gratiam medicinalem) ut sine illâ non pos- « sit effectus fieri ; tantæque efficaciæ, ut hoc « ipso quo datur, continuò fiat ; dat enim si- « mul et posse et operari. »

Etverò, postquàm asseruit Jansenius, Semipelagianos agnovisse necessitatem gratiæ ad initium fidei, debuit quoque docere hanc quartam Propositionem ; errabant enim Semipelagiani circa gratiam necessariam ad initium fidei ; ergo semel posito quòd ad illud gratiam interiorem exigerent, in eo tantùm errare poterant quòd eam libero permitterent arbitrio ; agnitâ quippe semel illius necessitate, solus restat illius operandi modus circa quem error versari potest.

Quæres 3°, quis sit sensus catholicus errori quartæ Propositionis oppositus. Respondeo, catholicum sensum, hunc esse : Semipelagiani non admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei ; et in hoc non fuerunt hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. Probatur, quia sensus ille contradictoriè est oppositus sensui erroneo quartæ Propositionis : ergo est catholicus.

Quinta propositio. — *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Quæres 1°, quis sit proprius ac naturalis quintæ Propositionis sensus. Ut huic quæsito fiat satis, referenda sunt Hallerii in præsenti negotio verba : « Duo quæruntur circa hanc « propositionem, » inquit in suo scripto Diar. pag. 285, « 1°, quid de eâ sentiendum, quate- « nùs notam hæresis affingit communi catho- « licorum theologorum sententiæ, quæ asse- « rit Christum pro omnibus omninò mortuum « esse : » quam propositionis partem, Ecclesia declarat *esse falsam, temerariam, scandalosam ;* « 2° Quatenùs ex mente Jansenii Christus non « pro omnibus, sed pro prædestinatorum sa-

« lute tantùm mortuus est ; ita ut omnibus « reprobis negata sint auxilia sufficientia quibus possint salvari ; » cujus propositionis partem *intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit*, Ecclesia declarat *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam.*

Proprius itaque et naturalis sensus hujus Propositionis quoad utramque partem spectatæ iste est, nempè, Semipelagianum est dicere, Christum mortuum fuisse eâ intentione ut omnibus omninò hominibus gratias verè sufficientes, quibus hìc et nunc salvari possint, promereretur ; ac Christus pro salute solorum prædestinatorum mortuus est, ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia verè et relativè sufficientia ad salutem obtinendam. Sensum hunc claré ac nitidè repræsentant, tum ipse propositionis contextus, tum Hallerii verba hic descripta, ad quæ manifestè alludit Innoc. X, in suâ Constitutione ; tum denique series propositionum ad invicem spectatarum. Namque supposito semel quòd interiori gratiæ in præsenti naturæ lapsæ statu nusquàm resistatur, ut fert secunda Propositio ; vel si error Semipelagianus in eo situs est, quòd assererent talem esse gratiam cui voluntas posset obtemperare vel resistere; si, inquam, ita sit, manifestè sequitur, Semipelagianum esse asserere, aliis quàm prædestinatis concedi gratias verè sufficientes ad salutem; ac per consequens pro salute, non omnium omninò hominum, sed solorum prædestinatorum mortuum esse Christum.

Tricantur hìc Janseniani circa verba quibus utitur S. pontifex in suâ Constitutione. Aiunt scilicet particulam *duntaxat* referri non debere ad vocem, *prædestinatorum*, sed ad præcedentia vocabula, *pro salute ;* adeòque propositionis sensum non eum esse quem dicimus, nempe Christum pro solorum prædestinatorum salute mortuum esse; sed potiùs Christum non pro aliâ re mortuum esse quàm pro salute prædestinatorum, qui posterior sensus, inquiunt, hæreticus est, et meritò proscriptus, quia significat Christum nequidem mortuum esse pro temporalibus gratiæ donis quibus nonnulli reprobi in hâc vitâ exornantur.

Verùm puerilis est et insulsa nimis ista argutiola. Namque ab omni prorsùs ratione alienum est fingere, quòd Innoc. X, in suâ Constitutione, damnatum exhibuerit sensum de quo nulla erat quæstio ; sensum jampridem decretorio judicio confossum ; sensum denique à Jansenio ejusque discipulis manifestissimè rejectum ; hæc tamen dicenda forent si vera esset Jansenianorum suppositio. Ille etenim sensus quem ut proprium et à S. pontifice damnatum obtrudunt, ipsa est mera Calvini hæresis, nimirùm pro solâ salute prædestinatorum mortuum esse Christum, adeòque solos prædestinatos verâ fide et justitiâ exornari ; porrò sensus ille à nullo in controversiam adductus legitur tempore Innoc. X ; jamdudùm in Calvinistis profligatus fuerat à concilio Trid. ; demùm à Jansenio sæpiùs reprobatur disertis et expressis verbis ; eumdem apertissimè rejiciebant Jansenii defensores variis in locis, præsertim scriptis *Trium columnarum* et *In nomine Domini ;* ergo, etc.

Etverò eum ipsum sensum in suâ Constitutione damnat Innoc. X, quem expendendum et proscribendum, tanquàm Jansenianam opinionem, proposuerat Hallerius ; ad illius enim verba manifestè respicit S. pontifex in censurâ quintæ Propositionis ; sensum quem ut catholicum propugnabant Jansenii discipuli, ut heterodoxum verò impugnabant eorum æmuli : atqui ista apprimè conveniunt sensui quem mox exhibuimus, neutiquàm autem cadere possunt in eum quem repræsentant Janseniani, ut ex sese patet ; ergo, etc. Certè Janseniana expositio apertè continet sensum planè distinctum ab eo quem dictus Hallerius repræsentat, ut liquet ex ejus verbis supra adductis, in quibus non exprobrat Jansenio quòd reprobis deneget justitiam temporalem, et gratiæ dona ad quædam bona opera perficienda, sed quòd illis deneget media verè et relativè sufficientia quibus possint salvari ; ergo.

Denique infirmum omninò est ac nullius roboris quod opponunt adversarii ut suam adstruant expositionem; juxta vim sermonis latini, inquiunt, vox exclusiva, *duntaxat,* afficit verbum quod antecedit, non illud quod sequitur. Infirmum, inquam, illud est; etenim particulam, *duntaxat,* antecedentia verba plerumque spectare, variis exemplis unicuique obviis facilè constat. Unum hìc referre sufficiat : sic, v. g., de homine in regiones exteras transmisso ut solos Galliæ captivos redimat ; ex usu consueto dici potest : Iste pro redemptione duntaxat captivorum Gallorum missus est ; neque tamen ista loquendi ratio significabit hominem ita missum fuisse pro redemptione captivorum, ut pro nullâ aliâ re missus fuerit, sed potius sensus erit eum pro solis Gallis, et non pro aliis captivis redimendis deputatum fuisse; quo exemplo manifestum est, particulam exclusivam *duntaxat ,* in verba subsequentia ali-

quando cadere; cùm ergò dicta particula, modò antecedentia, modò subsequentia verba afficiat, nihil profectò certi ex usu latini sermonis colligi potest.

Ex aliis itaque certis ac indubitatis regulis dijudicandum ad quid referri debeant voces illæ exclusivæ. Philosophi et theologi tres eâ de re communi consensu tradunt regulas, quibus usi fuère SS. Patres ad vindicanda religionis nostræ mysteria adversùs hæreticorum cavillationes et effugia.

Prima regula est: Cùm particula exclusiva afficit subjectum, tunc modificat totam propositionem, eamque reddit absolutè exclusivam, hoc est, excludit omnia alia subjecta à participatione prædicati talis propositionis; v. g., quando dicitur: *Duntaxat Deus est æternus; duntaxat homo est rationalis,* sensus harum propositionum est, æternitatem Deo soli, rationalitatem verò homini soli competere.

Secunda regula: Quando particula exclusiva afficit prædicatum, excludit omnia alia prædicata à subjecto: v. g., si diceretur: *Deus est duntaxat æternus,* sensus esset, nullum aliud attributum Deo competere præter æternitatem; pariter, si diceretur: *Homo est duntaxat rationalis,* sensus esset, hominem esse rationalem, ita ut nullum aliud attributum ei competeret. Ubi adverte, particulas exclusivas, sive afficiant subjectum, sive afficiant prædicatum, nusquàm excludere ea quæ essentialia sunt vel necessariò connexa cum prædicato aut subjecto; sìc in his propositionibus: *Tantùm diligo salutem,* non excluduntur media ad salutem assequendam necessaria; *Deus est æternus tantùm,* minimè excluduntur ea attributa, eæ perfectiones quæ Deo quatenùs æterno competunt.

Tertia regula: In unaquâque propositione, quâcumque tandem ratione termini disponantur, *id de quo dicitur aliud,* semper appellatur subjectum propositionis; illud verò *quod dicitur de alio,* attributi rationem semper obtinet; sìc in istâ propositione, inquit auctor libri *De l'art de penser,* part. 2, cap. 9: *Turpe est obedire libidini;* turpe, est id quod dicitur de alio, quodque ideò attributum est propositionis, etsi habitâ duntaxat ratione dispositionis terminorum, videatur esse illius subjectum. Similiter in quintâ Propositione Jansenii: *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus est;* mors Christi est id quod dicitur de alio, ac proinde est attributum propositionis; cætera autem propositionis verba sunt illius subjectum, cùm sint id de quo affirmetur mors Christi. Prædictas regulas referunt et explicant S. Thomas, part. 1, quæst. 31, art. 3, ad secundum, et art. 4, in corp.; Salmaticenses de Trinit. ad dictam S. Thomæ quæst.; Natalis Alex. Hist. Eccles. seculi 14, dissert. 12; Complut. Institut. ad Logicam lib. 3, cap. 10; auctor libri cui titulus: *L'art de penser,* parte 2, cap. 8.

His præsuppositis, facile est demonstrare proprium quintæ Propositionis sensum ab Innoc. X damnatum, hunc esse quem supra retulimus; scilicet, Christum mortuum esse pro salute solorum prædestinatorum. Nam ex primâ regulâ mox assignatâ, quandò particula exclusiva *duntaxat* afficit subjectum, tunc modificat totam propositionem, eamque reddit absolutè exclusivam, hoc est, excludit omnia alia subjecta à participatione attributi propositionis; atqui in dictâ propositione: *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus est,* vox exclusiva *duntaxat* afficit hæc verba: *Christus pro salute prædestinatorum,* quæ verba ex tertiâ regulâ sunt subjectum propositionis, quia sunt id de quo affirmatur mors Christi; ergò, juxta vim regulæ, omnia alia subjecta, præter solam prædestinatorum salutem, debent excludi à participatione mortis Christi, quæ est attributum dictæ propositionis; ac per consequens pro nullius reprobi salute mortuus est Christus; et iste est sensus quem tanquàm hæreticum à summis pontificibus confixum fuisse, supra ostendimus.

Perperàm ergo contendunt adversarii, in memoratâ propositione vocem *duntaxat,* referendam esse ad verbum quod antecedit, *salute,* non ad illud quod sequitur, *prædestinatorum:* perperàm, inquam, ita pertendunt; tum quia gratis imò et falsò id ab ipsis dictum, ut probavimus; tum quia, ut patet ex mox dictis, non ex eo desumenda est vera vocis exclusivæ significatio, sed ex variâ ipsius dispositione, prout nempe subjectum aut prædicatum afficit.

Ex his sequitur, varias istas propositiones, *Duntaxat Christus pro salute prædestinatorum mortuus est;* vel: *Christus duntaxat pro salute prædestinatorum mortuus est;* vel: *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus est;* vel: *Christus pro salute prædestinatorum duntaxat mortuus est;* eumdem omninò habere sensum, ac perinde vitiosas esse; in iis enim omnibus, vox exclusiva se tenet ex parte subjecti; ac proinde quorumlibet aliorum salutem præter prædestinatorum salutem excludit à

participatione mortis Christi; quæ in iis propositionibus attributi rationem obtinet. Ex lege contrariorum idem proportione servatâ dicendum de his propositionibus : *Christus mortuus est duntaxat pro salute prædestinatorum;* vel : *Pro salute duntaxat prædestinatorum;* vel : *Pro salute prædestinatorum duntaxat;* in his enim propositionibus particula exclusiva, utpote cùm afficiat attributum, excludit à subjecto omnia alia attributa præter istud, quòd scilicet sit mortuus pro salute solorum prædestinatorum, quod profectò est hæreticum.

Regerunt adversarii : Præfatæ propositionis ab Innoc. damnatæ, triplex omninò legitur gallica versio ab episcopis nostris elaborata ; prima anno 1653, statim à bullâ latâ ; in eâ versione verba ista : *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit,* sic gallicè reddita fuêre : *Et étant entendue en ce sens que J.-C. soit mort pour le salut seulement des prédestinés.* Eamdem versionem, suam fecère præsules Gallicani an. 1656, occasione bullæ *Ad Sacram.* Alex. VII, et an. 1705, occasione bullæ *Vineam Domini* Clementis XI. Secunda versio est eorumdem episcoporum an. 1656, in epistolâ ad reginam; quintam Propositionem Jansenii sic interpretantur : *Ce serait une impiété et une hérésie de dire, que J.-C. n'ait donné son sang que pour le salut des seuls prédestinés..* Tertia tandem habetur in actis verbalibus comitiorum anni 1713 et 1714 ; in his sic legitur : *Dire que J.-C. n'est mort pour le salut que des seuls prédestinés, c'est précisément le sens hérétique condamné dans la cinquième Proposition de Jansénius.*

Ex variis his versionibus duo colligunt Jansenii defensores, primum, duas priores sibi omninò favêre; in iis enim, inquiunt, non obscurè indicatur, particulam *duntaxat,* unicè cadere in vocem quæ antecedit, *salute;* adeòque sensum propositionis hunc esse, Christum pro nullâ aliâ re mortuum fuisse quàm pro salute prædestinatorum; quem sensum uti hæreticum ultrò rejiciunt Janseniani. Secundum, fatentur equidem tertiam interpretationem sibi adversari, ast nihil exinde contra ipsos erui posse contendunt, cùm dicta interpretatio duabus prioribus et antiquioribus præsulum Gallicanorum interpretationibus directè adversetur; in his enim, ut diximus, particula exclusiva afficit vocem hanc *salute;* in illâ verò cadit in istam aliam vocem, *prædestinatorum;* ergo, etc. Ita inter alios auctor *Examinis theologici,* tom. 3, pag. 322 et 323.

Respondeo tres illas interpretationes, etsi ordine et dispositione verborum à se invicem nonnihil dissimiles, reipsà tamen eumdem omninò sensum reddere, et ex adverso pugnare cum Jansenianâ expositione; quod ut pateat, adverte in dictis præsulum nostrorum interpretationibus, verba ista : *Christus pro salute duntaxat prædestinatorum,* subjectum esse propositionis, verba autem quæ sequuntur, scilicet *mortuus est,* illius esse prædicatum; quia mors, est id quod de Christo affirmatur respectu salutis prædestinatorum ; ut ergo termini harumce interpretationum in ordine naturali restituantur et subjectum ante prædicatum collocetur, sic essent reddendæ propositiones : *Jésus-Christ pour le salut seulement des prédestinés est mort; c'est une impiété de dire que Jésus-Christ n'ait que pour le salut des seuls prédestinés donné son sang; c'est une hérésie de dire que Jésus-Christ pour le salut des seuls prédestinés n'est mort.* Verùm quia hæ loquendi rationes duriores sunt, nec satis fluentes; ideò nativo ac congruentiori modo juxta vim gallici sermonis, pro positiones sic reddiderunt præsules nostri : *Jésus-Christ est mort pour le salut seulement des prédestinés; Jesus-Christ n'est mort que pour le salut des seuls prédestinés; Jésus-Christ n'est mort pour le salut que des seuls prédestinés.*

Ex his liquet tres memoratas interpretationes quoad sensum simillimas esse, et errori Janseniano directè adversas. Ad hoc enim satis est, quòd in illis omnibus vox exclusiva, *duntaxat,* se teneat ex parte subjecti; sicque ex primâ regulâ totas modificet propositiones, easque absolutè reddat exclusivas, ac proinde salus omnium aliorum quàm prædestinatorum removeatur à participatione mortis Christi, quæ est attributum propositionis; atqui ita se res habet, ut manifestè colligitur ex regulis et annotationibus antea præmissis; ergò, etc.

Quæ hucusque retulimus ad vindicandas præsulum Gallicanorum interpretationes mirum in modum confirmantur, ex iis quæ antea diximus, præsertim ex comitiis an. 1653, 1655, 1656, 1657, 1660, 1661, etc., ad demonstrandum quinque Propositiones in proprio et naturali sensu fuisse damnatas, eumque ipsissimum esse genuinum Jansenii sensum.

Innumera porrò alia effugia, tricas, vitiligationes circa quintam hanc Propositionem à Jansenianis excogitata, abundè expendimus ac discussimus in tract. de attributis, ubi de voluntate Dei et morte Christi pro salute omnium. Consule.

Quæres 2°, an quintam propositionem docuerit Jansenius. —Respondeo affirmativè. Totus quippe est lib. 3 de Grat. Christi, cap. 21, ut eam inculcet; mortem enim Christi sibi objicit velut fontem gratiæ sufficientis omnibus concessæ: huic autem objectioni ut faciat satis, triplicem affert responsionem. Prima est, idem argumentum ad nauseam usque à Pelagianis, præsertimque Massiliensibus, fuisse inculcatum; secunda est, ut ait, sancti Prosperi, admittitque mortuum fuisse Christum pro omnibus *sufficienter*, quia pretium oblatum et solutum fuit sufficiens ad redimendos omnes; non *efficienter*, quasi omnibus gratias promeruerit. Verùm, cùm positâ hâc responsione, Christus dici possit mortuus pro diabolo, eam minùs probat Yprensis, et tertiam affert S. Augustini S. Prospero doctioris et antiquioris, juxta quam Christus dicitur mortuus, non quidem pro omnibus nullo prorsùs excepto, sed pro *omnibus*, id est, *electis;* aut pro omnibus hominum generibus, quia ex singulis generibus quidam sunt electi; vel tandem pro *omnibus,* quia ii pro quibus sanguinem fudit, per cunctas nationes et universum terrarum orbem sunt diffusi; hæc totius præfati capitis summa manifestè evincit Jansenium hanc quintam docuisse Propositionem.

Hinc ibidem quintam Propositionem totidem penè verbis tradit: « Nec enim, inquit, juxta « doctrinam antiquorum pro omnibus omninò « Christus passus aut mortuus est, cùm hoc « potiùs tanquam errorem à fide catholicâ ab- « horrentem doceant esse respuendum. » Et rursùs, in fine ejusdem capitis: « Nam illa ex- « tensio tam vaga modernorum scriptorum, « non alio ex capite, quàm ex istâ generali et « indifferenti voluntate Dei erga salutem om- « nium, et ex illâ sufficientis gratiæ omnibus « conferendæ præparatione fluxit; quorum « utrumque Prosper, Augustinus, Fulgentius « et antiqua Ecclesia, velut machinam à Se- « mipelagianis introductam repudiavit. » His testimoniis, imò et integro capite quod fuisset exscribendum, clarè tradit Yprensis, Semipelagianum esse dicere Christum pro omnium et singulorum salute sanguinem fudisse.

Non minùs perspicuè docet eodem capite, Christum pro æternâ solorum prædestinatorum salute mortuum fuisse: « Quæ sanè, inquit, « cùm in Augustini doctrinâ perspicua, certa- « que sint, nullomodò principiis ejus consenta- « neum est, ut Christus Dominus, vel pro « infidelium in infidelitate morientium, vel pro « justorum non perseverantium æternâ salute « mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum « redemptionem dedisse, Patrem oràsse sen- « tiatur. Scivit enim quoquisque jam ab æterno « prædestinatus erat, scivit hoc decretum ne- « que ullius pretii oblatione mutandum esse, « nec seipsum velle mutare. Ex quo factum est « ut juxta S. doctorem, non magis Patrem « pro æternâ liberatione ipsorum, quàm pro « diaboli deprecatus fuerit. » Nihil certè expressius hanc in rem proferri aut expectari potest.

Etverò, suis stando principiis, aliter docere non potuit Yprensis. Etenim pro quorum salute mortuus est Christus, iis conferuntur gratiæ verè sufficientes ad salutem obtinendam; sed in systemate Jansenii nullæ sunt gratiæ verè sufficientes, nisi victrices ac efficaces, ex multoties dictis; idque conceptis verbis tradit lib. 4, cap. 10, et si tales agnoscerentur sufficientes gratiæ, cùm non omnes salventur, illis humana voluntas posset resistere vel obtemperare ad nutum, quod Semipelagianum est ex quartâ Propositione; ergo, etc. « Omnibus verò illis, « inquit, citato cap., pro quibus sanguinem « fudit, et quatenùs pro eis fudit, etiam suffi- « ciens auxilium donat, quo non solùm possint, « sed etiam reipsâ velint et faciant, id quod « ab eis volendum et faciendum esse docuit. »

Cæterùm, etsi constantissimè neget Yprensis Christum pro aliorum quàm prædestinatorum æternâ salute mortuum fuisse, non diffitetur tamen Christum morte suâ quibusdam reprobis promeruisse temporaneas quasdam gratias, quibus ad temporalem fidem et justificationem pervenirent: « Pro his, inquit citato capite, « Qui à fide et charitate deficientes in iniquitate « moriuntur, in tantum mortuus est, et in tan- « tum rogavit Patrem, in quantum temporali- « bus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exor- « nandi sunt. » Et paulò post: « Sed si quid « pro illis (qui fidem sine charitate, vel chari- « tatem sine perseverantiâ recipiunt) rogavit « Patrem, pro temporalibus quibusdam justitiæ « effectibus rogavit, et pro iisdem obtinendis « obtulit pretium, fuditque sanguinem suum. »

Quæres 3°, quis sit sensus catholicus errori quintæ Propositionis oppositus. — Respondeo, ex dictis circa hanc propositionem facilè colligi, sensum hunc esse, 1° *falsum esse, temerarium ac scandalosum dicere,* Semipelagianum esse [illegible]nare quòd Christus eâ intentione mortuus sit, ut omnibus omninò hominibus promereretur gratias quibus salutem verè possint

operari; 2° *impium, blasphemum, contumeliosum, divinæ pietati derogans, et hæreticum esse* affirmare Christum pro æternâ solorum prædestinatorum salute sanguinem fudisse, ita ut omnibus omninò reprobis negata sint auxilia quibus vere possint salvari.

Hìc explicit editio 1735; quæ sequuntur ex editionibus 1748 et 1755 deprompta sunt.

De discrimine systematis Janseniani à systematibus præmotionis physicæ, et delectationis absolutè victricis. — Solent Jansenii sectatores, ut omnem à se erroris suspicionem amoveant, Thomisticæ, ut aiunt, aut Augustinianæ Scholæ discipulos se profiteri; ac constanter affirmare Yprensis systema à catholicis harumce Scholarum systematibus nullatenùs differre: quantùm autem præsens hæc assertio sit à veritate aliena, paucis hic conabimur evincere.

Conclusio prima. Jansenii systema à Thomistico longè latèque distat. Probatur plurima recensendo discrimina quæ claritatis causâ ad varias classes reducemus.

Primum discrimen. — Primum discrimen petitur ex generalibus quibusdam momentis. 1°, ipsemet Jansenius pluribus in locis, præsertim lib. 8. de gratiâ Christi, cap. 2 « varia discri« mina profert inter adjutorium Dei medicina« le, et prædeterminationem physicam, prout « à defensoribus ejus traditur. » Hic est capitis titulus; quo semel posito, pergit, et octo recenset atque assignat discrimina: undè concludit defensores præmotionis physicæ, se magis Aristotelicos quàm Augustinianos demonstrare: « Nam, inquit, prædeterminatio sic asserta... « universam ejus, (S. Aug.) doctrinam inex« plicabili confusione perturbat. » 2°, celebriores Jansenii discipuli idipsum candidè professi sunt. Ita Arnaldus in falsâ defensione Constitutionis Innoc. X. D. de S. Amour in Diario, parte 6, cap. 13, pag. 418. Quin et ipse auctor Generalis historiæ Jansenismi, tom. 1, pag. 504, testatur unionem sæpiùs tentatam fuisse Thomistas inter et Jansenianos, verùm infelici exitu; utpote cùm *placitis et loquendi rationibus à se invicem dissiderent.* 3°, Schola Thomistica à Jansenianis erroribus alienam se semper exhibuit: Cajetanus enim, Ledesma, Lemos, Alvares, Joannes à S. Thomâ, etc., gratiam suam physicè præmoventem ex parte actûs secundi tenere se constanter asseverant, quo uno à Jansenii placitis in immensum distant: huic plurimi ex Thomistis discrimen quod occurrit Thomisticum inter et Jansenianum systema ostenderunt; ita Guyartius, Gonetus, etc., editis hanc in rem dissertationibus.

Secundum discrimen. — Secundum istud discrimen eruitur ex parte gratiæ sufficientis. 1°, Thomistæ nomen gratiæ sufficientis tanquam sensu theologico proprium, imò post enatas Lutheri et Calvini hæreses necessarium amplectuntur: non ita profectò Jansenistæ: hinc procax illa dicacitas, quâ et nomen gratiæ sufficientis et rem nomine significatam respuunt. Ita Arnaldus epist. 1, pro Jansenio, et Montalt. epist. 2, ad Provincialem. 2°, Thomistæ gratiam sufficientem admittunt ac necessariò admittendam decernunt, ut justis possibilia sint Dei mandata, et ut explicetur quomodò rei sint qui ea transgrediuntur; è contra verò Janseniani, non aliâ de causâ gratiam suam parvam agnoscunt, quàm ut assignent aliquod principium debilium illorum conatuum ad bonum, qui in his ipsis qui malè agunt, deprehenduntur; minimè verò eam necessariam esse ad explicandam possibilitatem mandatorum Dei. Ita Arnaldus in defens. Constit. Innoc. X. pag. 103; auctor recentior libri cui titulus: *De l'injuste accusation du Jansénisme*, pag. 38, 39, etc., et alii passim. 3°, gratia parva Jansenii formaliter consistit in illustratione intellectûs, et indeliberatâ motione voluntatis; gratia verò sufficiens Thomistica non est formaliter actus indeliberatus, sed quid ipsi prævium ejusque causa. 4°, gratia parva Jansenii semper producit deliberatos quosdam actus imperfectos, velleitates scilicet, infirma desideria, etc.; gratia verò sufficiens Thomistarum, non ita: de quo consule Alvares lib. 8, de Auxil. lib. 8, disp. 71, et Dionys. Raimund. 1 parte cap. 3, art. 4. 5°, præcipua ac planè decretoria discriminis ratio, ea est, quòd gratia parva Jansenianorum non confert potentiam expeditam relativè ad majorem actualem oppositam concupiscentiæ delectationem; è contra verò, juxtà Thomis-

tas, auxilium sufficiens confert voluntati vires relativè expeditas ad vincendam quamcumque concupiscentiam et ad bonum perficiendum.

Primam hujus discriminis partem latè prosecuti sumus, ubi de potentiâ relativâ. Etverò conceptis verbis tradit Yprensis citato lib. 3, de gratiâ Christi cap. 15, « paradoxum esse in « principiis S. Aug. quòd charitas quamvis mi« nima sufficiat ad quamcumque tentationem « superandam. »

Secunda verò pars quæ ad Thomistas attinet, variis demonstratur argumentis. Primum desumitur ex isto S. Thomæ principio 3 parte quæst. 62, art. 6 ad 3, et quæst. 70, art. 4: « Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ; » palmari autem huic principio, cui omnes ad unum subscribunt Thomistæ, agentes de gratiâ actuali, invictè adstruitur relativa gratiæ sufficientis Thomisticæ potentia. Secundum sic conficitur : Gratia sufficiens, docentibus Thomistis Cajetano, Medina, Alvares, etc., confert potentiam ad vincendas quascumque etiam gravissimas tentationes, proindèque ad resistendum terrenæ cuilibet delectationi quantumcumque præpollenti : porrò potentia par ac proportionata vincendæ cuilibet tentationi, cuilibet terrenæ delectationi, eo ipso verè ac propriè est relativa; ergo, etc. Tertium sic est : Gratia efficax ac physicè præmovens, ut mox dicemus ex Thomistis, nec diffitetur Jansenius, se tenet ex parte actûs secundi, ac proindè supponit potentiam omninò completam in ratione potentiæ; ast si ita sit, manifestè sequitur, gratiam sufficientem Thomisticam, completam ac relativam ad opus bonum conferre potentiam. Etverò gratia sufficiens Thomistica, nullâ factâ ex parte sui mutatione, exerit in actum per solam præmotionis physicæ accessionem, quæ nihil immutat in ipsâ potentiâ; ergo.

Tertium discrimen. — Discrimen istud spectat gratiam efficacem. Namque 1°, præmotio physica, quæ Thomistis est gratia efficax, se habet, fatente ipsomet Jansenio, instar concursûs cujusdam generalis in ordine supernaturali. Unde 1°, datur ad exigentiam creaturæ; 2°, se tenet ex parte actûs secundi; 3°, eâ accedente nulla fit ex parte potentiæ mutatio : hæc autem omnia omninò diversa sunt in systemate Janseniano. Nam primò, delectatio relativè victrix non datur ad exigentiam creaturæ : justis enim etiam volentibus plerumque denegatur; secundò, se tenet ex parte actûs secundi, dat simul posse et agere; tertiò, eâ accedente fit ex parte potentiæ mutatio : de non expeditâ evadit expedita ac relativè proportionata.

2°, Præmotio physica Thomistarum supponit indifferentiam voluntatis; datur enim ad illam tollendam ; delectatio autem victrix Janseniana, eam excludit : « Tantùm abest, inquit « Yprensis citato cap. 2, lib. 8, de gratiâ « Christi, gratiam Christi propter indifferen« tiam voluntatis esse necessariam, ut potiùs « propter amissam indifferentiam ejus et prop« ter servitutem ac depressionem ejus sub libi« dinibus necessaria sit. »

3°, Præmotio physica, juxta eosdem Thomistas, in quibuscumque circumstantiis est efficax, nec à superioritate, aut inferioritate virium, ejus pendet efficacia ; è contra « de« lectatio victrix, inquit Jansenius, relativa « est; tunc enim est victrix quando alteram « superat; quòd si contingat alteram arden« tiorem esse, etc. »

Quartum discrimen. — Tria potissimùm complectitur. Primum est fundamentum ex quo repetitur necessitas præmotionis physicæ. Ratio enim est quia Deus est prima causa, primus motor: prima causa debet influere in omnes causarum secundarum actus, nec sinit illius dignitas ut subsequatur determinationem creaturæ; restat ergo ut eam determinet : primus motor debet quod est indifferens ad actum determinare et movere ; nihil enim secundum movetur et movet, nisi ab alio motum ; at delectatio victrix necessaria est, non ex causæ primæ et primi motoris ratione, sed ex infirmitate creaturæ; ergo, etc. Secundum sunt principia : nam stantibus Jansenii principiis, eorumque suppositâ veritate, sponte ac necessariò fluunt quinque Propositiones; è contrà suppositâ veritate principiorum Thomistarum sponte ruunt; unde eas respuere nequeunt Janseniani nisi sua quoque respuant principia; ast eas admittere non valent Thomistæ, nisi suis contradicendo principiis ; nec ipsi erroris convinci possunt, nisi priùs ea evertantur, ac minùs fundata, falsa imò et prorsùs incomposibilia demonstrentur. Tertium sunt consectaria : fluunt enim quinque Propositiones è principiis Jansenii, ut jam manet demonstratum : quin et propositiones illæ non sunt mera Jansenianæ doctrinæ consectaria, sed totus Jansenii liber, ut tradit illustriss. Bossuet, ipsiusque integrum systema constituunt, ad cujus substantiam essentialiter pertinent.

E contrà verò quinque propositiones 1°, ad

substantiam systematis Thomistici minimè pertinent; imò mox statuta principia iis directâ fronte adversantur, easque omninò excludunt; 2°, neque etiam sunt ejusdem systematis consectaria. De mollioribus quidem Thomistis, qui existimant per non resistentiam advocari gratiam præmoventem, res videtur explorata; de aliis autem idem facilè evincitur: atque ut brevitati consulamus, id ostendemus de primâ propositione cui cæteræ necessariò conjunguntur. Homo ille qui vult et conatur, habet gratiam juxta quam vult; ergo mandata non sunt illi impossibilia, nec deest gratia quâ possibilia fiant; quia quantulacumque sit hæc gratia, voluntatem reddit potentem ad mandatum etiam relativè ad præsentem concupiscentiam contrà quam pugnat non ratione graduum, sed ratione naturæ suæ, et vel minoris entitatis; ergo consectaria systematis Janseniani è Thomistico non fluunt; 3°, Thomistæ omnes unanimi consensu negant quinque propositiones, etiam de merâ impossibilitate relativâ intellectas, è suo systemate sequi; imò potentiam relativam per solam gratiam sufficientem conferri, essentiale esse asserere in suis principiis contendunt; ergo, etc.

Quintum discrimen. — Quintum discrimen extrinsecum vocari potest, et in eo consistit quòd systema Jansenii circa gratiam repetitis censuris proscriptum fuerit. Namque quinque propositiones damnatæ sunt in sensu Jansenii; atque plurimi alii libri hoc unum systema spirantes, hoc ipso præcisè confixi fuêre; non ita est profectò de systemate Thomistico; longa est ætas ex quâ spectante Ecclesiâ publicè propugnatur: Lemos et Alvares in publicis congregationibus *de Auxiliis* coram SS. pontificibus nomine totius suæ scholæ, illius patrocinium suscepêre; denique iidem Pontifices sedulò prohibuerunt ne ulla ipsi nota inureretur; ergo, etc.

Et hæc sunt quæ Thomistarum inter et Jansenistarum doctrinam discrimina vulgò afferuntur: ex quibus videre est quàm falsò de Thomisticâ communione glorientur Janseniani.

Conclusio II. Jansenii systema plurimùm differt à systemate Augustinianorum qui gratiæ efficaciam in delectatione simpliciter et absolutè victrici constituunt. Probatur: Hùc enim redeunt omnia fermè Jansenianum systema inter et Thomisticum mox assignata discrimina. Tria hic paucis indico.

Primum: Omninò negatur à Catholicis delectationis simpliciter victricis defensoribus palmare illud Jansenii principium: vires scilicet electivas per peccatum primi parentis penitùs esse amissas, illisque successisse duplicem delectationem ex quâ voluntas omnes vires suas mutuatur: asserunt nempè vim electivam, sive ad bonum, sive ad malum expeditam, non repeti à graduali delectationum intensione; sed respectu mali naturaliter completam esse et perfectam, ad bonum autem supernaturale perfici et compleri gratiæ sufficientis virtute omninò independente à gradibus delectationum; quare juxta illud systema, ex eo quòd ad aliquod objectum prosequendum voluntas vel nullâ, vel minus intensâ delectatione moveatur, non sequitur, sicut in systemate Janseniano, quòd inferiorem habeat vim electivam circa illud objectum. Secundum: Gratiam efficacem in delectatione non relativè, sed absolutè duntaxat victrici reponunt, cui ab humanâ voluntate verè resisti potest, sicut et præmotioni physicæ. Tertium: Præter gratiam efficacem alia ab ipsis admittitur, scilicet sufficiens, quæ veram confert potentiam et relativam ad quamlibet concupiscentiam hîc et nunc urgentem.

Solvuntur Objectiones.

Dices 1°, contra primam conclusionem: Actus essentialiter conjungitur cum præmotione; ergo positâ præmotione ad amorem, v. g., non stat potentia ad non amandum relativa ad illam præmotionem.

Respondeo 1°, difficultatem illam nullam omninò esse in systemate molliorum Thomistarum de quo alibi; clarum enim est in eorum doctrinâ necessitatem à præmotione inductam consequentem tantùm esse et voluntariam, quæ, fatentibus omnibus, libertatem non lædit. Respondeo 2°, præmotionem physicam spectari posse, vel ut est entitas quædam physica, vel ut est instrumentum Dei. Priori sensu non est essentialiter connexa cum actu; imò fatentibus Thomistis possibile est non actum cum ipsâ componi: « Liberum arbitrium, inquit Alvares « disp. 93, de Aux. n. 3, majorem habet virtu- « tem quâcumque motione in se receptâ, si « consideretur illa motio secundùm suam enti- « tatem, præscindendo à decreto voluntatis « divinæ cujus est instrumentum. » Idem tradunt Cajetanus, Lemos, Ledesma, Joannes à S. Th. et alii. Non ita certè in systemate Janseniano, in quo vis gratiæ et concupiscentiæ relativa est et quasi mechanica: delectatio

enim superior à suâ physicâ entitate habet ut invincibiliter ponat effectum suum propter superioritatem graduum relativè ad oppositam hìc et nunc occurrentem delectationem.

Si autem spectetur præmotio ut est instrumentum Dei, sic distinguendum antecedens : actus simul cum potentiâ ad oppositum essentialiter conjungitur cum præmotione, concedo; actus solus, nego. Scilicet præmotio est instrumentum voluntatis divinæ quatenùs omnipotens est; quò autem potentior est causa, uti observat S. Th. 1, p. q. 19, art. 6, eò magis effectus conformatur illius voluntati ; ergo effectus fit prorsùs per præmotionem eo modo quo Deus vult illum fieri : sed vult ut creatura rationalis præmota agat liberè, et ita ponat actum ut possit illum non ponere ; ergo ita fit actus sub præmotione, ut remaneat vera potentia ad oppositum ; quia præmotio attingit et substantiam et modum actûs : neque enim solùm fit actus, sed etiam eo prorsùs modo quo Deus vult eum fieri; vult autem fieri liberè, cùm creaturas moveat, teste S. Th. ibidem, necessarias necessariò, liberas liberè; ergo, etc.

Etverò in systemate Thomistico, ante præmotionem ad unum, potentia ad oppositum supponitur expedita et completa in ratione potentiæ ; ut ergo ei noceat adveniens præmotio, debet vel illam auferre vel illam ligare ; sed neutrum præstat. Non aufert, nihil enim ex creaturâ aufert præmotio : non ligat quoque, præmotio enim quæ ex parte Dei est voluntas omnipotens, ex parte creaturæ reipsâ nihil ponit in animâ præter actum ; sed actus non ligat potentiam ad oppositum, nemine diffitente ; ergo, etc.

Respondeo 3°, ad veram libertatem requiri potentiam expeditam relativè ad ea quæ se tenent ex parte actûs primi ; aliàs non satis conciperetur indifferentia electiva libertati essentialis : atverò necessum non est ut potentia sit relativa ad ea quæ se tenent ex parte actûs secundi ; sic posito concursu simultaneo non est potentia ad non agendum, etc. Porrò gratia physicè præmovens se tenet ex parte actûs secundi ; è contra verò delectatio relativè victrix se tenet ex parte actûs primi ; ergo, etc. Et certè ut vera sit ac relativa agendi potentia, non necesse est ut vincere possit id quod sibi nullatenùs opponitur : atqui in sententiâ Thomistarum præmotio ad unum minimè opponitur potentiæ ad oppositum, sed è contra istam potentiam propriâ suâ virtute et efficaciâ illæsam servat, ipsa siquidem, ex Thomistis, non agit nisi virtute voluntatis Dei efficacissimæ, quæ ita attingit voluntatis determinationem, ut simul attingat ejus modum seu libertatem, quatenùs nimirùm Deus vult hæc duo stare simul cum præmotione physicâ, nempè actionem talem, et veram potentiam ad oppositum. Ita Lemos et Alvares locis mox citatis. E contrà verò in systemate Jansenii, cùm delectatio cœlestis et terrena sint duæ potentiæ sibi perpetuò repugnantes, perspicuum est virtutem gratiæ et potentiam malè agendi, ex mente Jansenii, sibi è diametro adversari ; atque adeò potestatem voluntatis ad malum, ut vera sit, debere esse proportionatam superandæ gratiæ victricis delectationis.

Dices 2°, præmotio physica Thomistarum sicut et delectatio victrix Jansenii, se tenet ex parte actûs primi. Namque 1°, à Thomistis sæpiùs dicitur complementum potentiæ ; 2°, non est actus secundus, sed ipsius causa ; 3° denique est auxilium medicinale, ac proindè vires infirmas supponit ; ergo, etc.

Respondeo nego ant. cujus falsitas ex dictis patet. Ad primum : potentia tendit ad actum et per illum completur : meritò ergo præmotio physica quæ potentiam ad actum certò applicat, potentiæ complementum dicitur. Ita Lemos et Alvares. Ad secundum : illud enim dici potest se tenere ex parte actûs secundi, quod supponit potentiam completam : porrò licèt præmotio physica sit causa actûs, supponit potentiam completam ; ergo, etc. Ita iidem. Ad tertium dico 1°, præmotionem physicam in systemate Thomistarum non esse propriè auxilium Christi medicinale ; cùm non minùs in statu innocentiæ, quàm in præsenti statu necessaria fuerit. Ita communiter Thomistæ ; 2°, distinguo : Auxilium est medicinale, quatenus est principium effectivum in actu secundo, supponens tamen potentiam completissimam in actu primo, concedo : secùs, id est, quasi ipsa necessaria sit ut voluntas habeat vires relativè proportionatas operi exequendo, nego. Ita Cajetanus, Alvares, et ipsemet Massoulié, quæst. 3, de discrimine doctrinæ Thomist. à Janseniano systemate ; 3°, addi potest præmotionem physicam dari quidem titulo infirmitatis, sed non solam ; eodem quippè titulo datur et gratia sufficiens. Scilicet infirmitas potentiæ duplex concipi potest et est : prima ratione potentiæ, quatenùs est in se infirma et impotens : secunda ratione actûs, quatenùs nempe potentia jam quidem potens, sed adhuc, ut ita dicam, convalescens, imbecillis est ad actum, ad cujus

productionem magnas deberet exercere vires, quas etsi habeat, tamen nusquam, saltem constanter ac per diuturnum tempus, nisi fortiùs corroboretur, expensura est : porrò gratia sufficiens primam supplet infirmitatem ; secundam verò gratia efficax. Ita ferè Cajetanus 1, 2, q. 109, art. 9 ; Alvares disp. 88, n. 10, et alii.

Dices 3°, ea facultas non intelligitur libera et inexcusabilis, quæ neque habet omnia necessaria ad actum secundum, neque potest ea accersere ; sed absente præmotione physicâ, voluntas nec habet, nec accersere potest præmotionem ad agendum necessariam. Per quid enim eam advocaret ? non per actum, cùm nullus sit actus sine præmotione ; non per non actum : non actus enim nihil est, et per nihilum Deus non determinatur. Aliundè non actus erit, quoties non erit præmotio ad malum, ac proindè Deus daret præmotionem ad bonum quoties non daret præmotionem ad malum : quid porrò absurdum magis excogitari potest ? ergo, etc.

Respondeo 1°, argumentum illud, eorum omnium quæ adversùs Thomistas proponuntur gravissimum, nullum omninò esse in laudato molliorum Thomistarum systemate : juxta enim illos perspicuum est neminem carere præmotione physicâ absque suâ culpâ. Respondeo 2°, retorqueri posse adversùs Congruistas et etiam Molinistas : quotiescumque enim justus præceptum non implet, caret gratiâ congruâ aut concursu simultaneo, quæ sunt absolutè necessaria ad agendum : nec potest reponi penes hominem esse sibi utrumque advocare seipsum determinando ; ad illam enim determinationem requiritur gratia congrua aut concursus simultaneus. Respondeo 3°, juxta Thomistas, hominem, dùm peccat, intelligi sufficienter liberum et inexcusabilem : tùm quia non caret aliquo necessario ex parte potentiæ, quam completam ac relativè expeditam confert gratia sufficiens ; tùm quia gratiâ præmovente non caret absque suâ culpâ, quæ quidem culpa est primò, peccatum originale, quod quidem locum habet in iis duntaxat in quibus per baptismum dimissum non fuit. Ita S. Aug. epist. 105, et 106, et S. Th. 2, quæst. 2, art. 5 ad 1.

Secundò, peccata actualia præcedentia, et ipsa hominum ad gratiam sese non præparantium negligentia. Ita S. Th. quæst. 3, de malo art. 1, his verbis : « Ex indispositione hominis « provenit ut motio primi moventis non sit « perfecta, ita ut perfectam operationem producat ; quæ indispositio, vel est præcedens « peccatum, vel error, ignorantia, vel saltem inadvertentia ; propter quorum aliquid « motio primi moventis sufficienter ad bonum « non sit ita efficax, ut perfectam in homine « operationem producat ; quæ omnia relata ex « culpâ sunt hominis. » Quibus verbis nihil clarius dici potuit. Idem docet S. Doctor quæst. 24, de verit., art. 14 ad 2. Tertiò, denique ipsummet peccatum quod actu committitur, impedimentum est gratiæ receptione. Hoc autem ut intelligatur, observant Thomistæ :

1°, Deum esse primam causam efficientem ; hominem verò primam causam deficientem. 2°, In omni opere sive bono, sive malo, aliquid ex parte Dei, et aliquid ex parte hominis reperiri : scilicet in opere bono, ex parte Dei reperitur gratia ; ex parte hominis, consensus gratiæ : in opere malo, ex parte Dei voluntas denegandæ gratiæ præmoventis ; ex parte hominis, mala peccandi voluntas, ipsumque actuale peccatum. 3°, Id omne quod in opere bono ex parte Dei reperitur, prius esse et causam ejus quod ex parte hominis adest in eodem opere ; è contra in opere malo, quod ex parte hominis adest, eo prius est et causam ejus quod ex parte Dei contingit.

Ex quibus principiis colligunt, licèt in eodem instanti sit in homine voluntas peccandi, et in Deo voluntas denegandæ gratiæ, malam tamen hominis voluntatem præire justæ voluntati Dei, eumque impedire ne efficacem gratiam infundat : ita ut ideò sequatur gratiæ defectus, quia homo à recto præcepto deficere intendit : quod variis S. Thomæ testimoniis confirmant ; idque etiam ad Adamum innocentem extendunt. 1, 2, q. 111, art. 3 : « Defectûs gratiæ, inquit Doctor Angelicus, prima causa est in nobis; sed collationis prima « causa est in Deo, secundùm illud Osee 13 : « PERDITIO TUA EX TE ISRAEL, TANTUMMODÒ IN ME « AUXILIUM TUUM. » In primum sentent. dist. 40, p. 4, art. 2 : « Hominem carere gratiâ ex duo- « bus contingit : tùm quia iste non vult acci- « pere ; tùm quia Deus non vult infundere ; « horum autem duorum talis est ordo, ut se- « cundum non sit nisi ex suppositione primi. » Et in secundum dist. 28, quæst. 1, art. 4 : « Quòd aliquis non habeat gratiam, inquit, « non est ex hoc quòd Deus non velit eam « dare, sed quia homo non vult eam accipere. »

Hìc addo : hoc unum certum habemus, quod ultrò agnoscunt Thomistæ omnes, videlicet ad libertatem hominis et ipsius inexcusabilitatem, requiri veram indifferantiam ad utrumque.

seu duplicem agendi potentiam et non agendi, quarum unaquæque sit viribus proportionata cum eâ quæ sibi adversatur, et cum omnibus se tenentibus ex parte potentiæ ; illud verò quod additur in objectione tanquam necessarium ad libertatem et ut homo inexcusabilis sit, tametsi certissimum videatur, nondùm tamen ab Ecclesiâ definitum est.

Cæterùm, licèt adductæ hucusque Thomistarum responsiones difficultatem non absumerent ; sufficere nihilominùs possunt ut ostendatur quàm sincerè illi agant in propugnandâ gratiâ ex se efficaci, et quantùm abhorreant ab eo omni quod videri potest libertati detrimentum inferre. Atque hæc ad qualemcumque systematis Thomistici intelligentiam impræsentiarum sufficiant ; neque enim Thomisticæ doctrinæ secreta, intimosque recessus profundiùs scrutari hìc expedit : fusiorem hanc expositionem ad secundam dissertationem de gratiâ partem remittere satius erit. Quæ autem dicta sunt ad diluendas objectiones contra systema Thomisticum, hæc à fortiori valent in gratiam systematis delectationis simpliciter et absolutè victricis ; neque enim ipsius defensores præmotionem physicam, aut antecedentem efficacem determinationem requirunt etiam ad materiale peccati : hinc homo donatur delectatione victrici, quoties peccato non repugnat gratiæ sufficienti.

DISPUTATIO DUODECIMA.

De Quesnello.

Ad tria generatim capita, majoris perspicuitatis causâ revocabimus quæcumque in præsenti negotio dicenda nobis sunt. 1°, Historicam causæ Quesnellianæ texemus synopsim. 2°, Judicii contra Quesnelli librum lati, seu, Constitutionis *Unigenit.* quâ 101 Quesnellianæ damnantur propositiones, *naturam*, *æquitatem* et *auctoritatem* astruemus ac vindicabimus. 3°, Doctrinæ dictis 101 propositionibus expressæ systema delineabimus ; strictim refellemus ; ejusque omnimodam cum Baianis et Jansenianis placitis consensionem exhibebimus : unde liquidò constabit, Baium et Jansenium in Quesnello fuisse redivivos. His, instar appendicis, subjungemus nonnulla de Synodis Romanâ, Avenionensi, et Ebredunensi, in causâ Quesnelli habitis. Atque hæc quidem singula, jam appositè ad præsens nostrum institutum, summatim et obiter exequi conabimur : de iisdem uberiùs dicturi deinceps in historicis de gratiâ dissertationibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Historica causæ Quesnellianæ synopsis. — Exponemus primùm, ea quæ spectant ipsam Quesnelli personam : tùm, quæ famosum ipsius librum cui titulus : *Le Nouveau Testament en français, avec des Réflexions morales*, etc. demùm, quæ præfati libri damnationem subsecuta sunt.

§ 1. *Persona Quesnelli.*—Paschasius Quesnellus anno 1634, die 14 Julii nascitur Parisiis. Anno 1657, Congregationi Oratorii à Cardinale Berullo in Galliis institutæ nomen dedit. Anno 1675, edidit opera S. Leonis Papæ, unà cum scholiis et dissertationibus, quæ 22 Junii 1676, Romæ graviter prohibitæ fuêre. Anno 1678, 26 Septembris, decretum fuit in generalibus Oratorii Gallicani Comitiis, certam formulam ab omnibus et singulis ejusdem Congregationis fore subscribendam adversùs Baii Janseniique doctrinam. Renuit illi formulæ subscribere Quesnellus ; nec usquam Superiorum mandatis, etiam accedente Regis Christianissimi imperio, ad saniorem mentem revocari potuit. Hinc Parisiis excedere cogitur, Aureliamque se recepit. Ita de seipso testatur Quesnellus in suâ ad Noris. Epistolâ, cujus extractum legitur, *Causæ Quesnell.* pag. 8 et 9.

Anno 1685, pœnarum metu Gallias deseruit ; inde migravit in Belgium, et Bruxellas se contulit ad Arnaldum ibi profugum et latitantem, junctisque cum illo pro disseminandâ Jansenii doctrinâ studiis, ac sparsis hunc in finem innumeris procacibus *opusculis, libellis, tractatibus*, etc. per totum Belgium novitatum pestem, simul et dissidiorum facem intulit. Ita *Causæ Quesnel.* pag. 2, 3, etc., et rursùs ibidem in verificat. art. 20, 21, 28. Anno 1690, Quesnellus et Arnaldus Bruxellis exire simul ambo compulsi, Delphos in Hollandiâ petiêrunt ; inde in tractum Leodiensem concesserunt, ac post tres menses Bruxellas rediêre. Anno 1694, mortuo Arnaldo, pergit Quesnellus in eâdem urbe, mutatis veste et nomine, delitescere : tunc in Arnaldi locum suffectus, totius Jenseniani agminis dux et antesignanus electus fuit, et *Pater Prior* (*le Père Prieur*), *Præpositus Augustinianorum* (*le Provincial des Augustins*), etc., appellatus. Exindè venenata è latebris suis jugiter edendo ac publicando opuscula, totus incubuit in subruendis omnibus Romanorum Pontificum, aliorumque Ecclesiæ Præsulum, necnon etiam Christianissimi et Catholici Regum contra novam sectam conatibus ac decretis. Ista constant, tùm ex

Decreto citatorio archiepiscopi Mechliniensis, art. 1, 2, 3, 14; tùm ex *instrumentis* relatis in verificat. eorumdem articulorum; tùm denique ex *sententiâ* archiepiscopali in Quesnell. latâ: quæ omnia monumenta extant, *Causæ Quesnell.* pag. 1, 2, etc., item pag. 342, 345, et seqq.

Cùm autem ejusmodi scriptis novaturientibus ac perniciosis, Quesnellus, ejusque asseclæ, totum in dies Belgium, magis magisque interturbare non desisterent, ac penitùs commovere: tandem, anno 1703, ut zizania illa libellorum Ecclesiæ perindè ac Reipublicæ summè exitialium radicitùs evelleretur, illustriss. Humbertus à præcipiano Mechliniensis archiepiscopus, implorata Regis Catholici auxiliatrice manu, Quesnellum, ejusque fidum ac individuum comitem Gerberonium, omni studio diligentiâque investigari mandavit. Eodem anno, die 30 maii, duo illi pacis turbines Quesnellus et Gerberonius, Bruxellis casu deprehensi, ad Palatium archiepiscopale deducti fuerunt, et Ecclesiastico carceri mancipati. Dein per sententiam animadversum est in Gerberonium, qui posteà, promovente Cardinali Noallio, Vincennis primùm an. 1710, 18 aprilis, tùm suis restitutus in Abbatiâ sancti Germani Pratensis, die 30 ejusdem mensis, formulario subscripsit, erroresque suos faustè ejuravit. Extat sententia in illum lata, ad calcem processûs contra eundem instituti. Vide opus inscriptum: Causa Gerberoniana. Atverò Quesnellus, post tres circiter ab incarceratione menses, nocte scilicet inter 11 et 12 septembris ejusd. anni 1703, effracto amicorum artibus pariete, evadens ex carcere, in Hollandiam secessit; ibique securus asylo, nec coronis nec purpuræ parcens, in causæ Jansenianæ defensionem, uti jam pridem agere instituerat, infinita propemodùm scripta edere perrexit.

Quandoquidem occasione hujusce evasionis, Quesnelliani publicis scriptis Patriarcham suum ubique prædicaverint, seu alterum Paulum, LE PAUL DE NOS JOURS; et Quesnellus ipsemet in suâ ad *Vicarium generalem* Mechliniensis archiepiscopi epistolâ, se imprudentiùs jactitet, *Quasi ab Angelo Domini, non secùs ac alterum Petrum è carcere eductum;* DIEU PAR SA MISERICORDE M'A RENDU LA LIBERTÉ... SA PROVIDENCE M'A FAIT OUVRIR UNE PORTE: non abs re erit, circumstantias apprehensionis et detentionis Quesnelli enarrare. Hinc certè patebit manifestè cœlestes ac angelicas dictorum Apostolorum è carceri-ereptiones, violentæ effractioni Quesnellianæ omninò irreligiosè comparari. Et quidem 1°, quod spectat apprehensionis Quesnelli negotium ejusque adjuncta: rem sic commemorat curiæ Ecclesiasticæ Mechliniensis Procurator, *Causæ Quesnell.* pag. 14 et 15.

« Anno 1703, feriâ 4, post festa Pentecostes « veniunt Ministri justitiæ tam ex parte Regis, « quàm ex parte illustrissimi Mechliniensis ar- « chiepiscopi (*postquam Gerberonius in alia civitatis parte sub ficto nomine et laica veste latitans jam sequestro archiepiscopali mancipatus esset*) « ad posteriorem et abditam partem refugii « Forestensis, in quâ delituerat Quesnellus « ultra annum: aperit ostium Brigodæus (fi- « delis alter Quesnelli socius). Sciscitantur « Ministri, ubinam esset pater Quesnell.? hic « non tantùm illud indicare renuit, verùm « etiam dùm cogeretur cubicula pandere; tan- « tos excitavit clamores ac vociferationes, ut « de eo quod peragebatur, certior redditus « Quesnellus fugam arripuerit malè sibi con- « scius, ac sub favore vestis laicæ et insolitæ viæ « fuerit elapsus, carnifice conscientiæ cauteri- « atæ ipsum persequente. » Subdit promotor: « Hinc ut ex suppellectili suâ litterariâ, si pos- « sibile foret, efferret quædam tenebrarum ope- « ra, quibus gravium modò excessuum et er- « rorum convincitur, justitiæ Ministros ratus « abiisse, dùm Brigodæus jam ad palatium ar- « chiepiscopale deducebatur, fisus fortè etiam « vesti suæ laicæ et anteriori latitationi, ob « quam ignotus hìc erat, revertitur ad refugii « suprà nominati insolitam viam; at ibi præter « expectationem suam incurrit in manus Mi- « nistrorum curiæ Ecclesiasticæ, qui illic « permanserant: introductus in cubiculum « mirâ anxietate nunc hùc pellitur, nunc illùc, « locumque sollicitat, in quo se posset subdu- « cere justitiæ, et lucis timidus tandem in an- « gulo aliquo retrò venti-repagulum ad quod- « dam dolium sese abdit. » Pergit ibidem: « Postquam per cubiculum hìc atque illic in « ipsum perquisitum fuisset, reperitur Ques- « nellus; et jussus ut rhedam introiret, quâ « ducendus erat ad Palatium archiepiscopale, « omnem in partem sese vertere cœpit; ac « dein interrogatus, an ipse non esset PÈRE « QUESNEL; reposuit se vocari M. REBECK; « et quidquid premeretur, ut verum suum pa- « tefaceret nomen, non aliud quàm fictum il- « lud, sub quo in hoc latibulo delitescebat, og- « gessit nomen. » Hæc de apprehensione Quesnelli »

De illius verò dolosâ et per vim evasione è

carcere, ita subjungit idem Procurator Mechliniensis : « Nec certè majora dedit Quesnellus « in sequestro suo generosæ et securæ mentis « indicia : illic statim fenestris plumbum ab« straxit, et qui calamo ad persequendum « membra Christi mystici, et Ecclesiæ Princi« pes toties malè usus fuerat, jam (prout as« solet ante responsionem personalem) eo frus« tratus, stylum sibi ex plumbo illo confecit, « quo in mala consilia, atque in carceris effrac« tionem cum amicis suis conspiraret :» Schedulis scilicet, dicto stylo clanculùm exaratis, furtimque immissis. Una ex illis sic erat inscripta : *Pour M. Ernest, Chanoine de Sainte-Gudule :* «Ne soyez pas en peine de moi. Je suis logé « en bel air sur la cour des écuries. Une fenêtre « regarde sur le jardin d'une hôtellerie ou au« berge qui est entre l'Archevêché et les Do« minicains. Voilà tout ce que je puis vous « dire, n'ayant ni plume, ni papier. Tout à « vous, etc. »

Schedula hæc, in archiepiscopali palatio Mechliniensi adhuc servatur, fuitque reperta à Ministris Archiepiscopatûs, in Quesnelli linteaminibus studiosè implicata : « At præsumen« dum certissimè est, inquit citato loco Pro« motor, quòd similia adhuc plumbeo suo « stylo exaraverit, cùm in tabernâ illâ memo« ratâ, *l'hôtellerie ou auberge qui est entre l'Ar« chevêché et les Dominicains,* negotium effrac« tionis peractum fuerit.» *Nam,* continenter addit, *conducti aliqui viri non uno hoc excessu insignes, nocte inter* 11 et 12 septembris 1703, « perforare cœperunt parietem palatii archie« piscopalis, sacrilegum hoc opus, posterâ nocte « ad effectum perducentes ; foramine autem « ad tale spatium perducto, ut Quesnellus vir « modicæ staturæ per illud pertrahi potuerit, « scivit sese pertrahi, et ita erupit ac evasit circà « horam primam dictæ noctis. » Hæc, tametsi prolixiora, ex authentico curiæ Ecclesiasticæ Mechliniensis instrumento, describere non piguit : ex quibus liquidò constat, ignominiosam et violentam Quesnelli è carcere evasionem, inverecundè non minùs ac irreligiosè, conferri miris ac cœlestibus ereptionibus; speciatim verò illi quâ S. Petrus è carcere per Angelum liberatus est.

Porrò ista sunt præcipua capita de quibus Quesnellus fugitivus, coram illustrissimo Mechliniensium Archipræsule accusatus fuit et juridicè convictus :

« 1° Quòd postquam an. 1678, in comitiis « Oratorii Berulliani omnibus et singulis ejus« dem Congregationis injunctum fuisset sub« scribere formulæ rejiciendi in scholis hære« sim Jansenianam, et ipse pertinaciter recu« sâsset subscribere, Galliam deseruerit, et, « quamvis presbyter, latitaverit in Belgio Ca« tholico sub veste laicâ. 2° Quòd ibidem et « in vicinis provinciis plures turbas et dissidia « excitaverit, presbyteros commoverit adver« sùs proprios episcopos, Clerum Batavicum « impulerit adversùs Summum Pontificem. 3° « Quòd damnatam in Michaele Baio doctrinam « renovaverit, atque laudaverit novam operum « ejusdem Baii editionem. 4° Quòd proscriptam « Jansenii doctrinam extulerit passim, et pro« pugnaverit, et damnatas Jansenii hæreses « suis passim scriptis inseruerit. 5° Quòd Pon« tificis decretis, in causâ Jansenii latis, libe« raliter detraxerit, quasi iisdem aliquid per « fraudem, et citrà Pontificum voluntatem « fuisset insertum. 6° Quòd scripserit esse sa« crilegum, et toti Ecclesiæ injuriosum exi« gere subscriptionem et juramentum facti, ut « aiunt Janseniani, quod formulario Alexandri « VII continetur. 7° Quòd pertinaciter adhæ« serit factioni eorum, qui adversùs Ecclesiæ « decreta, et adversùs edicta Principum con« jurârunt, librum et doctrinam Jansenii « tueri : quòd illa factio latè per Galliam, « Belgium, et Hollandiam sit diffusa, et à « factiosis appelletur Ordo : quòd illa factio « habeat suas, uti vocant, Abbatias, Prio« ratus, Collegia, Domos, Hospitia et Eremos : « quòd illa factio plures complectatur secula« res et regulares, quorum alios Visitatores, « alios Priores, alios simpliciter Patres, alios « Fratres appellant : quòd à morte *D. Ar« naldi,* quem Patrem Abbatem nuncupabant, « Pater Quesnel factionem hanc consiliis suis « rexerit sub titulo *Patris Prioris :* quòd « varias instituerit visitationes, exigens à « præcipuis, ut ad ipsum referrent quæcum« que possent promovere dictam factionem : « quòd ad eum effectum procuraverit distribu« tiones pecuniarum, quibus Procuratores fa« ctionis tam Romæ quàm Parisiis, et alibi « existentes possent causas factionis sustinere. « 8°. Quòd in litteris factionem concernen« tibus passim usus fuerit cifrâ fictorum nomi« num, ne celata mysteria et conspirationes « possent, eveniente casu interceptione litte« rarum, detegi. 9° Quòd tam scripserit, quàm « ab intimis suis receperit litteras, Regi Chri« stianissimo, Regi Catholico, et præcipuis « utriusque Regis Ministris ; imò et Summis « Pontificibus, cardinalibus et Episcopis gra-

« viter obtrectantes; quòdque illos, à quibus « hujusmodi litteras recepit, continuaverit « colere uti intimos. 10° Quòd in hoc Belgio « reimprimi et distrahi curaverit varia scripta « jam ante à Sede Apostolicâ prohibita, ac « ediderit plurima anonyma......... quodque « ob scandala inde orta, et errores, falsitates « ac injurias in illis contentas, jam nunc ali- « qua ex dictis, scriptis, decretis Sedis Apo- « stolicæ fuerint condemnatæ, et etiam in « Belgio manu tortoris combusta. 11° Quòd « etiam præparaverit compilationem centum « quinquaginta sex opusculorum, à natâ hæresi « Jansenianâ editorum, quorum etiam plu- « rima à sanctâ sede sunt damnata. 12°. Quòd « secretò administraverit Arnaldo ultima Sa- « cramenta. Item, quòd ausus fuerit in ædibus « suis privatâ suâ auctoritate erigere oratorium « domesticum et in eo dicere Sacrum. »

Hæc et alia pleraque criminationis capita fusè deducta reperire est in juridico Quesnellianæ instrumento, quod typis editum est Bruxellis, sub hoc titulo : *Causa Quesnelliana*, sive *Motivum juris pro Procuratore, curiæ Ecclesiast. Mechliniensis actore contrà Paschas. Quesn. citatum, fugitivum*, etc. Iis autem accusationis capitibus ritè probatis, omnibusque maturè consideratis, sententia ab illustrissimo archiepiscopo Mechliniensi in Quesnellum lata est die 10 novembris an. 1704, in hunc modum : « Declaramus citatum (Quesnell.) uti de « Jansenismo et Baianismo, aliisque excessibus « suprà memoratis convictum, incidisse in ex- « communicationem, aliasque pœnas per Bul- « las Apostolicas in ejusmodi delinquentes la- « tas : monentes omnes et singulos Christi « fideles, ut ipsum uti talem habeant, et evi- « tent; injungentes citato, ut se recipiat in « monasterium aliquod in patriâ catholicâ si- « tum, ibidemque per integrum ab adventu « suo mensem exercitia spiritualia obeat, ac « dein in spiritu pœnitentiæ ibidem sequestra- « tus maneat, legendo singulis diebus septem « psalmos pœnitentiales, ac jejunando diebus « Veneris in aquâ tristitiæ et pane doloris, « donec Summo Pontifici quoad doctrinam « suam fecerit satis, ac absolutionem ab ex- « communicatione obtinuerit.... Ita sententia- « mus. Datum Bruxellis in Palatio nostro archi- « episcopali, die 10 novembris 1704. »

Damnatorium istud judicium floccifecit Quesnellus et statim protrusis ubique infamibus libellis, in ejus auctorem impotenter et inverecunde desævit; mirisque illius sententiam proscindendo calumniis, totum adversùs vigilantissimum præsulem Belgium concitare molitus est. Sed et longè graviores adhuc contra Ecclesiam excivit tumultus occasione libri damnati, cui titulus : *Le nouveau Testament en français, avec des réflexions morales*, etc. Proscriptum pluries librum, excerptasque ex eo confixas propositiones ad mortem usque pertinaciter defendit : quo de libro, mox dicendum. Indomitum, et in omnes suis novitatibus adversantes furens Quesnelli ingenium, vix alibi magis emicat, quàm in prætensâ suâ Romanæ Ecclesiæ et summorum Pontificum contra Leydeckereum Ultrajectens. defensione, necnon, in notis adversùs decretum sacræ Congregationis Indicis, quo dissertationes ejus in S. Leonis opera proscribuntur. Exitiosa hæc scripta, animum irreverentem, in contumelias pronum, ac prorsùs schismaticum planè demonstrant : quod pluribus exinde inter Batavicas paludes editis evulgatisque ab eodem Quesnello contra Constitutionem *Unig.* famosis ac virulentis libellis, plus satis confirmatum est.

Obiit pertinax variis et quidem gravissimis irretitus pontificiis censuris Quesnellus, Amstelodami die 2 decembris an. 1719, ætatis 85.

§ 2. *De Quesnelli libro cui titulus :* LE NOUVEAU TESTAMENT EN FRANÇAIS, AVEC DES RÉFLEXIONS MORALES, ETC.

Inter cæteras Quesnelli lucubrationes, nominatissimus est liber Gallico idiomate impressus, sub hoc titulo : *Le Nouveau Testament avec des Réflexions morales*, etc., vel aliter : *Abrégé de la morale de l'Évangile*, etc. Infausti hujus operis origo, progressus, exitus, variaque tandem sors ac fortuna, etc. impræsentiarum sunt aperienda.

Quæres itaque 1°, quæ fuerit prima libri *Observationum moralium* origo? Respondeo : Anno 1671, in Galliis adhuc degens Quesnellus, opusculum edidit unico volumine *in* 12 complectens quatuor duntaxat Evangeliorum versionem Gallicam, quæ eadem fermè ac Montensis, cum brevioribus quibusdam *Reflexionibus moralibus*. (Pleræque illæ Reflexiones extractæ erant ex contractâ quâdam verborum Christi collectione latinè editâ à R. P. *Jourdain*, Institutionis Oratorii Parisiensis primo superiore.) Illustrissimus Felix Vialard Catalaunensium episcopus, istud Quesnelli opusculum probavit, mandato mense Novembri ejusdem anni 1671 dato. En famosissimi *Reflexionum moralium* libri origo, primumque exordium. Ita Quesnel. in

suo Apologet. primâ parte pag. 19, et 20, ubi dicti operis occasionem, progressum et exitum fusiùs enarrat. Eadem refert Hexaplar. auctor, *Histor. Reflex. moral.* parte 1, pag. 5 et seq.

Quæres 2°, quis fuerit præfati operis progressus, quæve ipsi subindè accesserint additamenta? Respondeo præfatum Quesnelli opus, nonnisi paulatim et quasi per gradus ad eum tandem in quo nunc extat perductum fuisse statum. Namque 1°, sexdecim à priori mox dictâ editione annis, scilicet an. 1687, prolixiorem vulgavit ejusdem operis editionem : additis uti priùs in quatuor Evangelia, ita in reliquos pariter novi Testamenti libros observationibus moralibus. Ista editio tribus brevioribus *in*-12. constabat voluminibus. 2°, Idem opus iterùm incudi reddidit Quesnellus; variis et gravioribus amplificavit additamentis; ac demùm perfecit, absolvitque anno 1693; tunc quatuor grandioribus *in*-8° distinctum tomis prodiit Parisiis. 3°, Immensæ deinceps vulgatæ sunt dicti operis editiones, inter quas eminent præ cæteris, tùm ea quæ prodiit an. 1695, quamque card. Noallius, tunc Catalaunensium Episcopus, (postulatis priùs quibusdam in editione Quesnellianâ an. 1693 levioribus correctionibus, nonnullisque verborum mitigationibus) probavit documento pastorali die 23 junii ejusd. an. 1695; tùm altera, quæ eodem promovente cardinali excusa fuit an. 1699. Hæc posterior editio, occurrentibus quibusdam casibus, ab Eminentiss. Noallio novo pastorali Mandato probata non fuit, uti eam approbare anteà videbatur instituisse. De utrâque hâc an. 1695 et an. 1699 editione, infrà sese dabit dicendi occasio. Circà varias *Observationum moralium* editiones, nonnulla præstat hìc breviter animadvertere.

Primum : Tot præcisè annis insudâsse Quesnellum in suo conficiendo ac limando dictarum Observationum libro, quot insumpsit Jansenius in suo, cui titulus, *Augustinus,* perficiendo : quippè, ut suprà notavimus, per integros viginti et duos annos, huic suo libro perficiendo totus incubuit Jansenius : ita eumdem planè annorum numerum adhibuit Quesnellus in suis recognoscendis ac perpoliendis *moralibus Observationibus :* ab anno scilicet 1671, quo breviores in quatuor Evangelia gallicè reddita considerationes primùm conscripsit Quesnellus, ad annum 1693 quo ultimam iisdem observationibus manum apposuit, anni omninò viginti et duo effluxerunt, nec plures nec pauciores.

Alterum hìc notandum istud est : integrum id 22 annorum spatium fuisse impensum à Quesnello in exornandis quidem ac limandis totius operis stylo, sermone, phrasibus; non autem in emendandis, tollendisve erroribus : imò novos perpetuò adjecit. In primâ siquidem anni 1671 editione, quinque tantùm reperiuntur è damnatis postmodùm centum et unâ propositionibus; scilicet XII. XIII. XXX. LXII. LXV. In secundâ an. 1687, fatente ipsomet Hexaplarum Quesnelliano scriptore tom. I. pag. 6, jacent quadraginta octo propositiones è damnatis, præter quinque quæ extabant in priori editione. In tertiâ an. 1693, et sequentibus editionibus, omnes et singulæ, et quidem sæpiùs, nonnullis tamen quandoque mutatis vocibus, deprehenduntur 101 proscriptæ per Constitutionem *Unig.* propositiones. Ubi sanè non prætermittendum, damnatas has propositiones de verbo ad verbum extractas fuisse ex editionibus annorum 1693, 1694, 1699, in Bullâ citatis.

Tertium denique observandum, peculiariter spectat hanc anni 1693, et sequentes *Reflexionum moral.* editiones. In illis certè mirari subit editionibus, quòd liber tunc, utpote longè duplo auctior, novo Regis privilegio, novisque approbationibus opus habuerit; et tamen publici juris factus est cum iisdem planè approbationibus longè anteà datis, ac præsertim cum mandato Felicis de Vialard Catalaunensis episcopi qui opusculum duntaxat approbaverat an 1671 editum, nec sequentes *Reflexionum* editiones viderat; siquidem fatente ipsomet Hexaplar. auctore, illustriss. Vialard mortuus est anno 1680, eique eodem anno suffectus est Antonius *de Noailles*, posteà cardinalis et archiepiscopus Parisiensis.

Quæres 3°, quid sentiendum sit de prætensâ illâ generali, quam auctor *Epistolæ sub nomine septem Episcopor. ad Innocent. XIII,* n° 5, pag. 23, necnon auctor *Respons. ad primum Document. Pastoral. Suessionensis Episcopi,* parte 1, pag. 27, aliique celebriores Quesnellistæ, ubique jactantiùs venditant libri *Reflexionum moralium* per 40 annos approbatione : ab anno scilicet 1671 ad annum 1711, quo opus ad Romanum Pontificem solemniter delatum fuit. Respondeo immeritò planè ac præposterè ostentari à Quesnellistis adeò generalem ac diuturnam dicti libri approbationem. Namque ex illis 40 annis quibus liber *Reflexionum* generaliter dicitur approbatus, omninò subducendi sunt sexdecim anni qui effluxêre ab anno 1671,

quo primùm prodiit opus, uti modò observatum est, unico breviori volumine *in* 12, ad annum usque 1687, quo prodiit idem opus fusiùs editum tribus tomis pariter *in*-12; hoc enim temporis spatio, fatentibus ipsomet Quesnello in Apologet. pag. 19, necnon auctore Hexaplar. histor. constitut. primâ parte pag. 44, brevissimæ in quatuor tantùm Evangelia observationes contracto volumine comprehensæ, *libellum* duntaxat conficiebant, nec erant nisi *adumbratio*, rudisque ac *inchoata forma* Reflexionum moralium subindè anno 1693 à Quesnello editarum. Et reipsa in brevioribus illis anni 1671 observationibus, quinque tantùm, ut anteà diximus, extant è damnatis propositionibus. Imò et iisdem prætensæ approbationis annis, sex alii prætereà demendi sunt qui effluxêre ab editione 1687 ad editionem 1693. Illa enim editio anni 1687, etsi priori auctior, plus duplo minor est editione 1693, in eâque desunt complurimæ è damnatis propositionibus, neque in illâ inculcatur systema auctoris, ut in editione 1693 integrum et absolutum opus complectente quod tot expostulationibus et querelis locum exindè præbuit.

Quid itaque reliquo tempore, octodecim scilicet sequentibus annis, à 1693 ad solemnem usque totius causæ delationem ad Romanum Pontificem peractum sit, superest expendendum. Equidem ubi ad exitum opus perductum, statim à studiosis Quesnelli defensoribus undique magnificis laudibus celebratum fuit et ad cœlos usque elatum; at peritiores in Jansenianis versutiis dignoscendis malum non latuit: pestilens hæreseos venenum sub politioris sermonis illecebris et affectatæ ubique pietatis specie delitescens ab ipsis agnitum est, et continuò adversùs exitiosum opus vehementer reclamatum. Id ita esse sequentibus momentis manifestè constat.

I° D. Fromageau insignis Doctor et Socius Sorbonicus, vel ab ipso completam *Observationum moralium* editionem proximè sequenti anno, id est, an. 1694 propositiones centum nonaginta novem, velut *erroneas et censurâ dignas*, ex Quesnelli opere collegit. Ita inter plerosque alios fide dignissimos, apertè testatur illustrissimus Suessionensis, postea Senonensium archiepiscopus, quintâ Pastorali Epistolâ part. 4, n. 124, diversis his verbis: « On a encore le Mémoire des deux cents Propositions « à retrancher ou à corriger, dressé par Monsieur Fromageau, Docteur de la Maison de « Sorbonne, célèbre par sa doctrine, et par « ses réponses aux consultations qu'il reçoit de « toutes les Provinces. » Extractæ illæ ex Quesnellianis *Observationibus moralibus* vitiosæ propositiones jam dudùm vulgatæ fuêre, et publici juris factæ.

II°. Vallonius (du Vaucel), Romæ Jansenistarum partes agens, ita ad Quesnell. scribebat an. 1697 (Causæ Quesnellianæ pag. 184.) » Il « y a des gens qui ont lu la Morale abregée du « R. P. Quesnel, et qui prétendent y avoir « trouvé des erreurs. » Paria narrat Germanus de Champenel (ipse est Willartus) in suâ ad eumdem Quesnellum Epistolâ 12 aprilis ejusd. anni 1697, exponit posteà Willartus Quesnello, varias *in quatuor fratres* (id est, in quatuor *Observat. moralium tomos*) expostulationum et querelarum causas: paucisque interpositis concludit: « Quamobrem videretur necessarium, « UT OPERI DENUO MANUS ADMOVERETUR..... Tollendum ex illo id omne quod RELIGIOSORUM, « aut SCIOLORUM, aut PRÆOCCUPATORUM querelis, « aut CONSCIENTIÆ ANXIETATI locum ullum præbere possit. » Pergit: « Optandum foret ut « quatuor fratrum parens (Quesnell.) in eo se « facilem præberet, et libenti animo concederet, ut mutationes illæ fierent temperatæ, « elegantes, scitæ, felices, quas unus ante omnes Dom. Bevilaqueus explicare potest. » Eadem variis in Epistolis ad Quesnell. datis, pluries ac disertè repetit Willartus. Hæc sanè, à duobus Jansenianarum partium coryphæis familiariter et amicè dicta Quesnello, de variis adversùs *Reflexionum moralium* librum *expostulationibus, querelis, motibus, necessariisque* in eo opere *mutationibus*; hæc, inquam, generalis ejusdem libri jactatæ approbationis insulsitatem planè demonstrant.

III°. Illustrissimus Bossuetius, cujus patrocinio in favorem libri *Observationum* tantoperè gloriantur Jansenistæ, ipsis è diametro adversatur: ut ex professo sequenti quæsito demonstrabitur.

IV°. Illustrissimus Godet des Marais, Carnotensis Episcopus, vel ab ipso an. 1699 adversùs *Observationum* librum, uti summè perniciosum, insurrexit. Testis est, unus ex fidis Quesnelli amicis (D. le Noir) ficto nomine *P. Bruleur*, ad Quesnellum scribens 2. Novembris an. 1699. his verbis: « Episcopus Carnotensis cùm hebdomadâ præteritâ S. Ursulæ Piscianenses « Moniales inviseret, iis prohibuit Observationes in novum Testamentum; » mox ingemendo addit: « Illud profectò molestissimum « est, quòd tam malè mereantur de Ecclesiâ

« vel ipsi Principes... dicere plura non audeo, « etc. » Sic ille. Alter Quesnelli assecla Willart. epist. ad ipsum datâ 23 januarii 1700, de eodem vigilantissimo Præsule, deque ejus animo erga Observationes quas ipse nomine *quatuor fratrum* designare solet, hæc habet : « Execratur et horret ac blasphemat doctrinam « quam scilicet ignorat, nec ullo modo discere « cogitat. Idem ille quatuor fratribus (quatuor « sunt Observationum moralium volumina : « ex clavi Jansenianâ; Causæ Quesnell. pag. « 324.) adversatur. » Et paucis interjectis, subdit : « Sed hoc certum est, diabolum nempè fructus, ac progressus quatuor fratrum « tantò ægriùs ferre, quantò longiùs latiùsque « hi fructus in omnem partem permanant. » Hinc sanè, illustrissimi Carnotensis, aliorumque Præsulum, ardens studium, in proscribendis quas ubique disseminabant Quesnellistæ *Observationibus moralibus*, facile est colligere.

V°. Eamdem sollicitudinem, idemque studium in removendis à lectione illius libri fidelibus, plurimi alii circà ea tempora exercuêre Præsules Gallicani. Ita in suis pro publicandâ Constitutione *Unig.* mandatis, non obscurè declarârunt Archiepiscopi Lugdunensis, Viennensis, Narbonensis, necnon Episcopi Ambianensis, Massiliensis, Valentinus, Biterrensis, Castrensis, Lexoviensis, etc. En Illustrissimi Lugdunens. archiepiscopi, de Quesnellianis Observationibus, verba : Mandato Pastorali 14 april. 1714, pag. 3 : « Depuis que ce livre si captieux « a paru dans l'Eglise, on n'a pas cessé d'ex« horter les Fidèles à se tenir sur leurs gardes; « et suivant l'avertissement du Sauveur du « monde, à imiter la prudence du serpent, en « fermant les oreilles pour ne point entendre « la voix de cet enchanteur si habile dans l'art « de séduire... et en fuyant ces raffinemens si « dangereux en matière de foi, dont cet ou« vrage est rempli. » Simillima habent Narbonensis, Albiensis, etc. archiepiscopi, necnon Biterrensis, Lexoviensis, etc. Episcopi, in publicis eod. an. 1714 super publicatione et acceptatione Constitutionis *Unig.* editis mandatis. Documenta hæc adunata reperire est in collectione hoc anno Parisiis jussu Cleri vulgatâ. Quin et archiepiscopus Turonensis, D. d'Hervau, Constitutioni licèt aliundè adversus, expressè ait in mandato anni 1714, *se jam ab anno 1698 incœpisse Fideles sibi commissos à lectione dicti libri* REFLEXIONUM MORALIUM *revocare.* Unde non mirum quòd omnes episcopi qui anno 1714 Constitutionem *Unigenit.* acceptare recusârunt, uno excepto Mirapicensi, Mandatis Pastoralibus tunc temporis librum *Reflexionum moralium* prohibuerint ac damnaverint. Discerta horumce mandatorum excerpta art. sequenti, paragrapho 1 exhibebimus.

VI°. Eumdem Quesnelli librum publicis Mandatis proscripserunt episcopi Aptensis an. 1703; Vapincensis an. 1704, Nivernensis an. 1707. Eodem anno archiepiscopus *Bisuntinus* præfatum opus Documento Pastorali interdixit, graviterque notavit.

VII°. His undique clamoribus excitus S. Pontifex, accuratiori *Observationum* librum examini subjecit, quo peracto, omnes ad examen deputati Consultores et cardinales, *unanimi sententiâ* judicârunt, librum esse perniciosum, atque erroribus gravissimis, etiam hæresim sapientibus scatentem, proindeque manibus Fidelium subducendum esse, atque anathemate feriendum : quod quidem præstitum est speciali decreto in formâ Brevis, die 13 julii an. 1708, in quo sic de libro declaratur : « Sacrum « ipsum novi Testamenti textum exhibet dam« nabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum, « et alteri versioni Gallicæ, dudùm à fel. rec. « Clemente Papâ IX, prædecessore nostro, per « quasdam suas in simili formâ Brevis die 20 « aprilis 1668 expeditas litteras damnatæ, in « multis conformem; à vulgatâ verò editione, « quæ tot seculorum usu in Ecclesiâ probata « est, atque ab orthodoxis omnibus, pro au« thenticâ haberi debet, multipliciter discre« pantem et aberrantem : notas insuper et « Observationes continet habentes quidem spe« ciem pietatis; sed ad virtutem ejus abnegan« dam subdolè deducentes; in quibus passim « occurrunt doctrinæ et propositiones seditio« sæ, temerariæ, perniciosæ, erroneæ, aliàs « damnatæ, et Jansenianam hæresim mani« festè sapientes. »

VIII°. Prodière paulò post contra eumdem librum Censuræ episcoporum Lucionensis et Rupellensis : ii scilicet Præsules communi consilio Documentum Pastorale ediderunt anno 1710, in cujus primâ parte, « doctrinæ « quam Quesnellus suis in novum Testamentum « OBSERVATIONIBUS tradit, omnimoda cum Jan« senianis erroribus consonantia demonstra« tur; » in secundâ, « Quesnellianæ et Janse« nianæ doctrinæ cum Augustinianâ ostenditur « oppositio. » Idem fermè præstitit anno sequenti 1711 Vapincensis episcopus. Tandem cùm dicti libri occasione novi in dies recrudesce-

rent tumultus, ad Pontificem à Rege et ab episcopis recursum, ut suâ auctoritate motus compesceret : quorum votis annuens Clemens XI, diligentissimo per biennium fermè integrum, ut ipse testatur, præhabito examine, solemnem demùm emisit Constitutionem quæ incipit, *Unig. Dei filius*, etc., in quâ Quesnelli librum, et extractas ex ipso 101 propositiones damnat, variisque censuræ notis respectivè afficit. De quo plura postmodùm. Ex his omnibus momentis hactenùs deductis, certissimum manet et exploratum, quàm imprudenter ac inconsultè effutiant Quesnellistæ, ubi primùm prodière *Observationes morales*, illas statim ac deinceps, communi et constanti calculo fuisse probatas. At de his iterùm occurret dicendi locus art. seq. citato jam paragrapho primo.

Quæres 4°, quid pronuntiandum de jactatâ adeò à Quesnellistis libri *Observationum* justificatione, sub nomine illustriss. Bossuetii Meldensium episcopi post mortem ejus editâ? Respondeo mirum planè Quesnelli asseclas, in gratiam *Observationum* libri, perpetuò et tam confidenter jactitare illustriss. Bossuetii auctoritatem; siquidem certissimis momentis plenissimè constat, doctissimum præsulem dictis *Observationibus* prorsùs fuisse adversum. Scilicet, excitatis undique, occasione contentiosi *Observationum* libri, Catholicorum querelis et expostulationibus occurrendi causâ, Quesnelli fautores illustrissimi Bossuetii magnum nomen interponere tentârunt, ut eo liber munitus præsidio, innoxius videretur : annuit quidem, at nonnisi certis conditionibus, doctissimus præsul : de facto monitum adornavit in capite libri apponendum, quo primùm correctis et mutatis 120 propositionibus, aliæ duriores, quæ superessent, benignum in sensum exponerentur; sed cùm vidisset absque prærequisitis emendationibus, quas omninò necessarias judicabat, novam curari editionem anni 1699, tunc ab incœpto labore destitit, et monitum suum luci committere recusavit; ipsasque inemendatas *Observationes*, uti erroribus scatentes, constanter explosit. Monitum istud à Bossuetio in gratiam *Observationum* adornatum, subindè pluribus à morte præsulis illustrissimi annis, sub infido *Justificationis Reflexionum moralium* nomine, edi curaverunt Quesnellistæ. Invictis et ad hominem, ut aiunt, testimoniis patent ista.

Et quidem I°, nonnulla in *Observationum* libro mutanda Bossuetium judicâsse, fatetur ipsem[illegible]nellus in præfatione scripti, cui titulus : *Justification des Réflexions sur le nouveau Testament*, etc., ubi sic loquitur pag. 14 : « La bonne foi oblige d'avertir, que M. de « Meaux, exact jusqu'au-delà du nécessaire, « avait marqué quelques endroits des Réflexions « qui pouvaient être changés, et qui néanmoins « ne l'ont pas été. »

II°, eumdem præsulem Quesnelli libro fuisse adversatum, pluriesque testatum fuisse hunc esse maximè perniciosum, in eoque hæresim quinque propositionum passim contineri, vel ex ipsâ Quesnellistarum disertissimâ confessione, certissimum est. Anno 1699, 27 martii ad Quesnellum notus ejus assecla Willartus sic scribit : « Quædam suspicio est P. du Perron « huic libro (Observationum moralium) adver- « sari. » Nomine *du Perron* illustriss. Bossuet. significari, constat ex Jansenianorum clavi exhibitâ in *Causâ Quesnellianâ* pag. 325. Idem rursùs an. 1700, die 30 januarii ad eumdem : « Nihil, inquit, novi scio de tumultu quem ex- « citant quatuor fratres, præter hoc unum, « quòd etiam D. du Perron iis adversetur. Sed « istud tantùm heri rescivi. » Quatuor fratres esse quatuor tomos *Observationum moralium*, jam notatum est, eademque nobis aperit clavis, pag. 324. Hoc ipso anno 1700, dùm Clerus Gallicanus sua Parisiis comitia haberet, Abbas Dambes (sub quâ appellatione in clavi citatâ indicatur Abbas Couët) epistolam dedit anonymam ad ipsum Meldensem antistitem, quâ ei inter cætera exprobrat minimè honorificum de *Observationibus moralibus* judicium : « Multos « novimus, inquit Abbas, quibus dixisti, QUINQUE « QUE ILLAS PROPOSITIONES (Jansenii hæreticas) « IN LIBRO PATRIS QUESNELLI REPERIRI. » Tùm addit : « Nec è memoriâ tuâ fortassè excidit, « Præsul illustrissime, te nuper fassum esse « cuidam in Comitiis Archiepiscopo, PUROS ET « APERTOS JANSENII ERRORES HOC IN LIBRO CON- « TINERI. » Hæc in *Causâ Quesnellianâ* jussu archiepiscopi Mechliniensis editâ anno 1704. Jam verò post testimonia tam clara, tam aperta, præsertim à duobus addictissimis partibus jansenianis deprompta; quis non mirabitur frontem aut inscitiam hominum illorum, qui doctissimi Bossuetii auctoritatem in gratiam *Observationum* asseverare obtendunt, atque prædicare non dubitant : « Illustrissimum Mel- « densem episcopum, istas in novum Testa- « mentum Observationes semper magni fecis- « se? » Isne scilicet magni facit lucubrationem, qui *huic adversatur*, in eâque affirmat *puros et apertos Jansenii errores contineri?* Quod utrum-

que', citatis in locis Bossuetio disertè tribuunt insignes Quesnelli sectatores.

III°. Hoc idem, in suo Pastorali Documento anni 1711, fusè ac solidè demonstrant Lucionensis et Rupellensis episcopi : tùm ex modò citatis Quesnellistarum textibus ; tùm ex viri clarissimi in supremâ Parisiensi curiâ quondam primi Præsidis (D. le Pelletier) testimonio : « Asserit Senator ille integerrimus, inquiunt « dicti præsules, SÆPENUMERO SE AUDIVISSE ab « illustrissimo episcopo Meldensi, cùm diceret « Observationes P. Quesnelli ESSE PERNICIOSAS, « APERTOS JANSENII ERRORES IIS CONTINERI, nec « eas debere legi ab iis qui Christianam pieta- « tem profiterentur ; » tùm denique ex accuratâ totius hujusce facti (prætensæ justificationis *Observationum*, scriptæ ab illustriss. Bossuet.) historicâ narratione, quam se ex testibus fide dignissimis, et antistiti Meldensi, arctissimâ necessitudine conjunctis accepisse declarant. Ac dein, adversùs audaciam ac pessimam Quesnellistarum fidem, ita exclamant illustrissimi duo Bossuetii vindices, pag. 3 : « Hoc verò « longè magis mirum videtur, aut potiùs fidem « omnem superat, quod quamvis testimonium « illud adeò expressum, (citata mox epistola « Abbatis Dambes ad illustriss. Bossuet. an. « 1700.) multis abhinc annis cum auctoritate « editum fuerit, nec ullus unquam repertus « sit, qui epistolam ex quâ excerptum est recu- « sare auderet; Janseniani tamen non verean- « tur hodiernâ die suam malam fidem quasi « testatam facere, ac publicis monimentis con- « signare, dùm illustrissimum præsulem OB- « SERVATIONES SEMPER APPROBASSE asserunt, li- « cèt contrarium ipsi asseruerint, et quidem « eo scripto, quod inficiari non audent, et « quod præ manibus nostris esse certò sciunt. « Sic sæpè divina permittit providentia, ut « hæretici infamiæ notam ultrò sibi inurant, « et quasi deditâ operâ id agant, ut homines « perditi, atque impudentes ab omnibus ha- « beantur. » Hæc dicti Præsules.

IV°. Non minùs luculenter Meldensem episcopum à jactatâ Quesnellianarum *Observationum* approbatione vindicat illustrissimus Senonensium præsul, in egregiâ quam olim Suessionensis episcopus ad Clerum suum quintâ dedit epistolâ : ubi parte 1 à numero 117 ad numer. 123, de hoc negotio accuratè disserens, uno præ cæteris momento totam rem confirmat et conficit : petitur illud argumentum ex testimonio abbatis, pietate perindè ac eruditione conspicui, D. de S. André, Meldensis archidiaconi, qui fuerat illustriss. Bossuetii vicarius generalis, necnon consiliorum omnium particeps : abbas ille in præsenti causâ testis locupletissimus, epistolâ quam ipso permittente, publici juris fecit ibidem archiepiscopus Senonensis, quinque disertè asseverat, prætensæ *Observationum* approbationi, directè adversa. Asserit 1° scriptum illustrissimi Bossuetii, *infidâ manu* insignitum fuisse nomine *defensionis Observationum :* quippè quod adornatum fuerat *instar moniti* in capite novæ editionis an. 1699 apponendi. Ita ex ipsâ autographi inspectione constare, testificatur abbas meritissimus. Asserit 2° se ex Bossuetio eisdem verbis accepisse, *nusquam ab eo probatas morales Quesnelli Observationes :* has longiùs esse arcessitas, nec ex sacro contextu nativè fluere. Asserit 3° se à pluribus omni fide dignissimis accepisse, doctissimum præsulem dixisse, *plus quàm centum*, eo in opere *Observationum moralium*, occurrere *emendandas propositiones*. Asserit 4°, se rescivisse à Domino le Dieu, qui erat illustrissimo Bossuetio à secretis, Quesnellum *detractâsse propositas adhibere emendationes :* eâque de causâ Meldensem episcopum opus suum *suppressisse*, *illudque deinceps typis mandari constanter recusâsse*. Asserit 5°, eumdem D. le Dieu, manuscriptum codicem concredidisse Domino le Brun, Tornacensi Decano, tunc exuli in diœcesi Meldensi : dicti verò operis exemplar contra fidem datam ab isto descriptum, illudque dein ab eodem in patriam reduce edi curatum Tornaci, sub adulterino *defensionis Observationum* titulo. Quid ad tam apertum, tantique omni ex parte ponderis momentum, reponere possint adversarii, omninò non videmus. Extant hæ clarissimi abbatis litteræ ex integro transcriptæ, in quintâ Pastorali Epistolâ illustrissimi Suessionensis, postea Senonensium archiepiscopi, citatâ parte 1, n. 19.

V°. Denique, eminentissimus cardinalis de Bissy, qui illustrissimum Bossuetium in sede Meldensi proximè excepit, hactenùs dicta de ementitâ *Observationum moralium* approbatione mirum in modum confirmat, in mandato publico 25 aprilis, an. 1704 : « Entre tous les « écrits, inquit, qui ont été publiés sur ce « sujet (pour la défense du livre des Réfle- « xions morales) il y en a un qui a pu faire « beaucoup plus d'impression que tous les au- « tres, par le mérite éclatant de feu M. Bos- « suet notre prédécesseur immédiat, sous le « nom duquel il a paru. Comme la mémoire

« et les sentimens de ce digne Prélat nous « doivent être respectables, nous ne pouvons « nous dispenser de vous dire qu'il avait cru « d'abord pouvoir justifier en plusieurs en- « droits le Nouveau Testament de Quesnel, « mais qu'après en avoir fait un examen plus « exact, il reconnut et déclara QUE CET OU- « VRAGE ÉTOIT SI REMPLI D'ERREURS, QU'IL N'É- « TOIT PAS POSSIBLE DE LE CORRIGER, ET QU'IL « FALLOIT LE REFONDRE D'UN BOUT A L'AUTRE. Ce « sont ses expressions. » Pergit Eminentiss. præsul : « Nous le savons par le témoignage « de personnes exemptes de soupçon, et di- « gnes de toute vénération, qui vivent enco- « re, et qui nous en ont assurés plus d'une « fois. Nous le savons des Jansénistes mêmes, « par les reproches piquants qu'ils firent dans « le tems de l'assemblée de 1700 à feu M. de « Meaux dans leurs lettres qu'on conserve en- « core en original. » Moxque addit : « De là « naissent naturellement deux réflexions pro- « pres à dissiper les vains triomphes de l'au- « teur du livre condamné et de ses partisans : « l'une que M. Bossuet aurait sans doute en- « tièrement supprimé le manuscrit de sa dé- « fense faite pour Quesnel, s'il eût pu deviner « qu'après sa mort on l'eût mis au jour, et « sous son nom ; l'autre, que ses efforts re- « connus par lui-même inutiles, pour excuser « le N. Testament de Quesnel, condamnent « davantage ce mauvais livre, que si feu M. de « Meaux l'eût condamné en effet sans avoir « essayé de le défendre. »

Ex tot, tamque apertis hactenùs recensitis testimoniis colligere est, quanta sit Quesnelli, ejusque asseclarum sinceritas, ne dicam perfidia, qui scriptum D. Bossuetii, quod ob detractatas emendationes in *Observationum* libro requisitas, emittere recusaverat ipsi tamen post ejus mortem, sub infido justificationis *Observationum* titulo, publicæ luci committere non erubuerunt ; atque eo utuntur ut ostendant Quesnelli librum, quem inemendabilem judicabat illustrissimus auctor, ab ipso eodem fuisse perpurgatum et justificatum. Disce hinc Quesnellianam fidem ! His omnibus adde doctrinam scripti sub ementito *Justificationis Reflex. moral.* nomine, esse omninò adversam doctrinæ centum et unâ propositionibus expressæ ; adeò ut jactata illa *justificatio*, vel ipsa sola sufficiat debellandis revincendisque præfatis propositionibus : quod tam evidenter pluribus in locis ab illustrissimo Senonensi præsule, præsertim Epistolâ quintâ modo laudatâ demonstratum est, ut ipsimet Quesnelli Apologistæ insignem Bossuetii de ejusmodi controversiis auctoritatem rejicere, aut ad absonos prorsùs ac planè distortos sensus ejus testimonia perpetuò inflectere coacti fuerint. Hanc in rem consulere est doctissimum præsulem, citatâ Epistolâ, parte 1, n. 120 et sequentibus. Idem ex dicendis in decursu partis dogmaticæ hujusce tractatûs, non semel manifestum fiet.

Quæres 5°, quis demùm fuerit dicti libri exitus, sors ac fortuna. Respondeo : Liquet ex dictis hactenùs, *Reflexionum moralium* opus quod nonnisi an. 1693 perfectum fuit et absolutum, statim in multorum suspicionem et censuram incurrisse ; à Theologis primùm, tùm iteratis plurium episcoporum censuris explosum fuisse ac proscriptum, imò à S. Pontifice Clemente XI damnatum dato in formâ Brevis decreto an. 1708, denique Lucionensem et Rupellensem episcopos communi Mandato præfatum opus confutâsse et proscripsisse an. 1710, uti Jansenianam hæresim renovans, idemque fermè ac ipsos an. 1711 præstitisse Vapincensem Episcopum. Jam verò ut extremus inauspicati hujusce operis innotescat exitus, nonnulla hìc sunt adjicienda.

I°. Præfata trium præsulum Pastoralia Mandata, cùm Lutetiæ præsertim divulgata forent, Eminentissimo Noallio suaserunt nonnulli iniquum esse ac injuriosum, quòd ipso inscio Parisiis spargerentur mandata, quæ operi ejus nomine et auctoritate munito, hæreseos notam inurebant : indè factum est ut ipse dicta mandata, quasi *supposititia ; proscriptis jam erroribus faventia ; ab inimicis Episcopatûs, laxiorisque moralis defensoribus elaborata*, damnaverit die 28 aprilis 1711.

II°. De injuriâ mandatis suis illatâ coram Rege expostulârunt Lucionensis et Rupellensis episcopi ; variisque hinc et indè enascentibus dissidiorum causis, statutum est breviorem ac magis canonicam litis finiendæ viam fore, si de contentioso Quesnelli libro solemne rogaretur Sedis Apostolicæ judicium. Quapropter Rex Christianissimus, consentientibus ac requirentibus compluribus episcopis, ipso præsertim card. Noallio (ut ex ejus ad Aginnensem episcopum litteris 20 decembris 1711, pag. 11, constat), precibus sæpè iteratis Pontificem sollicitavit, ut novum contentiosi libri examen institueret, quo articuli censurâ digni excerperentur, solemnique configerentur Constitutione.

III°. Piis ac sæpiùs etiam repetitis Regis Christianissimi et episcoporum votis ac precibus annuit Clemens XI, integro fermè biennio coram duobus primùm cardinalibus, deindè coram seipso, aliorum plurium cardinalium, ut in præfatione Constitutionis disertè testatur, adhibito consilio, à compluribus in sacrà theologià Magistris, librum Quesnelli juxta editiones anni 1693, 1694, 1699, et plurimas ex eo extractas propositiones, quàm maximà diligentiâ ac maturitate, pluries iteratis Congregationibus, expendi et examinari mandavit. Ac tandem 8 septembris 1713, solemnem emisit Constitutionem, quæ incipit: *Unigenit. Dei Filius:* in quà librum ipsum, et extractas ex ipso 101 propositiones sub variis censuræ notis *respectivè* damnavit. Hæc sunt ipsissima Decreti verba, quæ juvat eò loci exhibere: « Auditis « itaque, inquit S. Pontifex, tum voce, tum « scripto nobis exhibitis præfatorum cardina- « lium, aliorumque theologorum suffragiis, « divinique inprimis Luminis, privatis ad eum « finem, publicisque etiam indictis precibus, « implorato præsidio; omnes, et singulas pro- « positiones præinsertas, tanquàm *falsas, cap- « tiosas, male sonantes, piarum aurium offensi- « vas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ec- « clesiæ et ejus praxi injuriosas, neque in Ec- « clesiam solùm, sed etiam in potestates seculi « contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, « suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapien- « tes, necnon hæreticis et hæresibus, ac etiam « schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, « pluries damnatas;* ac demùm *etiam hæreticas, « variasque hæreses,* et potissimùm illas, *quæ « in famosis Jansenii propositionibus, et quidem « in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, ac- « ceptis, continentur, manifestè innovantes, res- « pectivè,* hâc nostrâ perpetuò valiturâ Consti- « tutione declaramus, damnamus et reproba- « mus. » Itaque S. Pontifex omnes et singulas 101 extractas ex Quesnelli libro propositiones, sub præfatis *respectivè* notis confixit, uti jampridem in similibus fieri consueverat. Ad hujus autem censuræ æquitatem sufficit, quemadmodùm tradunt præsules Gallicani, in suo adversùs 50 causidicos Parisienses Doctrinali Judicio, pag. 34, 35, etc. ut « nulla sit ex con- « fixis propositionibus, quæ non mereatur « aliquam ex latis in censurà notis; » et vicissim, « ut nulla sit nota quæ non conveniat « alicui ex propositionibus. »

« Cæterùm, ait S. Pontifex post citata mox « Decreti verba, per expressam præfatarum « propositionum reprobationem, alia in eo- « dem libro contenta, nullatenùs approbare « intendimus: cùm præsertim in decursu exa- « minis plures alias in eo deprehenderimus « propositiones illis, quæ, ut supra, dam- « natæ fuerunt, consimiles et affines, iisdem- « que erroribus imbutas:.... ac demùm, quod « intolerabilius est, sacrum ipsum novi Tes- « tamenti textum damnabiliter vitiatum com- « paravimus, et alteri dudùm reprobatæ (per « Clementem IX et Innocent. XI) versioni Galli- « cæ Montensi in multis conformem... pluries- « que in alienos, exoticos, ac sæpè noxios « sensus, non sine maximâ perversione de- « tortum. » Is ergo fuit infausti *Observationum moralium* libri extrema fors, novissimusque exitus: variis primùm theologorum expostulationibus ac querelis impetitus: pluribus exindè præsulum censuris confixus: solemni tandem Sedis Apostolicæ judicio damnatus ac reprobatus fuit: quod quidem judicium, irretractabili Corporis Episcopalis assensu firmatum est, uti ex dicendis mox, et sequenti præsertim articulo, manifestum fiet.

§ 3. *De iis quæ subsecuta sunt Clementis XI damnatorium de Quesnelli libro Judicium.* — Hanc tertiam historicæ nostræ synopsis partem, ad tres epochas, majoris ordinis ac distinctionis gratiâ, revocabimus. Prima exponet ea quæ gesta sunt à Constitutione *Unig.* usque ad interjectam à quatuor Episcopis an. 1717 appellationem. Secunda narrabit quæ à dictâ appellatione acta fuêre ad concilium usque Ebredunense an. 1727 habitum. Tertia denique complectetur præcipua quæ ab Ebredunensi synodo ad nostra usque tempora contigêre.

Epocha prima. *De iis quæ à Constitutione* Unig. *ad appellationem usque quatuor Episcoporum gesta sunt.* — Rex Christianissimus, acceptâ à Nuntio Apostolico, nomine Clementis XI, Pontificiâ Constitutione, ut maturiùs ad hanc bullam solemniter recipiendam et promulgandam procederetur, datâ ad Generales Cleri Gallicani Procuratores Epistolâ, comitia die 16 octobris 1713 celebranda indixit. His initio præfuit Eminentissimus Noallius, qui statim rogatus est ut vellet episcopos delegare qui collationibus, super acceptatione Constitutionis, primùm inter se habitis, de hoc posteà negotio plenis in Comitiis referrent. Sex eum in finem selecti sunt; scilicet cardinalis de Rohan, Argentinensis Episcopus, Archiepiscopi Auxensis et Burgidalensis Desmarets et de Bezons, cum Episcopis Meldensi, Blesensi

et Suessionensi, de Berthier, de Sillery et de Bissy. Re ab ipsis per tres propemodùm menses accuratissimè discussâ, Eminentissimus de Rohan relationem aggressus est die 15 januarii 1714, et sex integris sessionibus in frequenti Episcoporum conventu, clarè et invictè demonstravit, ut expressè tradunt acta deliberationis: « Nullam esse inter damnatas à Clemente XI propositiones, quæ non mereatur saltem aliquam è Censuræ notis quæ in bullâ « exprimuntur; et vice versâ, nullam esse in « bullâ censuræ notam, quæ non cadat in aliquam è damnatis propositionibus. » En ipsissima perscriptorum actorum 1714 verba, pag. 14 et 15: « Monseigneur le cardinal de « Rohan a fini le rapport, dont la solidité, « aussi bien que la netteté et la précision, ont « découvert et mis en évidence les erreurs et « le venin des propositions condamnées, et « d'un livre, qui sous les apparences de la « piété et de la vérité, est capable de corrompre les cœurs: et par le même rapport *il a « été prouvé clairement qu'il n'y avait aucune « des propositions condamnées, qui ne méritât « au moins quelques-unes des qualifications portées dans la Constitution; et qu'il n'y avait « aussi aucune des qualifications qui ne dût être « appliquée à quelques-unes des propositions.* »

Absolutâ Eminentissimi de Rohan eximiâ relatione, edita est, divini Luminis implorato præsidio, comitiorum declaratio, die 25 januarii ejusd. anni 1714. Juvat Gallica ejus verba exscribere, adeò diserta sunt, et accommodata ad dissolvendas novatorum tricas circa restrictam et limitatam, quam solam comitiis affingunt, Constitutionis acceptationem. Sic in verbalibus legitur pag. 53 et 54: « L'assemblée, le S. « nom de Dieu invoqué, a declaré: 1° Qu'elle « a reconnu avec une extrême joie dans la « constitution de notre S. Père le Pape Clément XI, la doctrine de l'Eglise. 2° Qu'elle « accepte avec soumission et avec respect la « même constitution de Notre S. Père le Pape « *Unigenit. Dei filius*, etc., qui condamne le « livre intitulé *le Nouveau Testament en français « avec des réflexions morales*, etc., et les cent « une propositions qui en ont été extraites. « 3° Qu'elle condamne ce même livre et aussi « les cent une propositions, qui en ont été tirées, de la même manière et avec les mêmes qualifications, que le Pape les a condamnées. 4° Qu'il sera fait et arrêté par l'assemblée, avant sa séparation, un modèle « d'Instruction Pastorale, que tous les évêques « qui la composent feront publier dans leurs « diocèses, avec la Constitution traduite en « français; afin qu'étant tous unis à la Chaire « de S. Pierre, c'est-à-dire, au centre de l'unité par l'uniformité des mêmes sentimens « et des mêmes expressions, on puisse non « seulement étouffer les erreurs qui viennent « d'être condamnées, mais encore prévenir « les nouvelles disputes et premunir contre « les mauvaises interprétations des personnes « mal intentionnées. 5° Qu'elle écrira à tous « messeigneurs les archevêques et évêques « absens qui sont sous la domination du Roi, « et qu'elle leur enverra la Constitution, un « extrait de la déliberation de l'Assemblée, et « un exemplaire de l'Instruction Pastorale; « qu'elle les exhortera de s'y conformer et de « défendre à tous les fidèles de leurs diocèses « de lire, retenir ou débiter le livre des *Réflexions morales* et tous les écrits faits pour « sa défense, sous les peines portées par la « Constitution; et après que la Constitution « aura été publiée, la faire enregistrer au « greffe de leur Officialité, pour y avoir recours et être procédé par les voies de droit « contre les contrevenans. »

Quis cordatus et prudens in tam disertis ad urgendam Constitutionis acceptationem statutis, nonnisi conditionatam et restrictam illius acceptionem inspexerit? His porrò deliberationis capitibus, summo consensu subscripserunt hâc in sessione 25 januarii quadraginta omninò comitiorum præsules, quorum hæc sunt nomina:

Cardinalis de Rohan, archiepisc. Bituricens.; de Gesvres, archiepisc. Rhemens.; de Mailly, archiepisc. Burdigalens.; de Bezons, archiepisc. Rotomag.; d'Aubigné, archiepisc. Aquens.; du Luc, archiepisc. Tolosan.; de Beauveau, archiepisc. Auxens.; Desmaretz, episcop. Constantiens.; Loménie de Brienne, episcop. Tutelens.; Ancelin, episcop. Suessionens.; de Sillery, episcop. Venetens.; d'Argouges, episcop. Meldens.; de Bissy, episcop. Claromont.; Bochart, episcop. Cadurcens.; de la Luzerne, episcop. Vivariens.; de Ratabon, episcop. Lingonens.; de Clermont-Tonnerre, episcop. Blesens.; de Berthier, episcop. Vinciens.; de Crillon, episcop. Trecens.; de Savigny, episcop. Aurelianens.; Fleuriau, episcop. Altissiodor.; de Caylus, episcop. Tullensis: de Camilly, episcop. Nivernens.; de Bergedé, episcop. Andegavens.; Poncet, episcop. Ambianens.; Sabatier, episcop. Arethusens.;

de Grammont, episcop. Novomiens.; de Rochebonne, episcop. Carnotens.; de Merinville, episcop. Sagiens.; Turgot, episcop. Ebroicens.; le Normant, episcop. Augustodunens.; d'Hallencourt, episcop. Santonens.; le Pilleur, episcop. Rhedonens.; de Sanzay, episcop. Cenomanens.; de Crevi, episcop. Alesiens.; d'Hennin, episcop. Bellovacens.; de Saint Aignan, episcop. Pontiopolens.; de Crillon, episcop. Vabrens.; de Malezieux, episcop. Regiens.; Phelipeaux.

Octo alii in eâdem sessione, duce Cardinali Noallio, sua de toto hoc negotio suffragia conticuerunt: iique paucis abhinc diebus, scilicet die primâ Februarii, obtenderunt circa nonnullas è damnatis propositionibus aliquid sibi difficultatis inesse, cujus elucidationem à S. Pontifice requirendam esse censuerunt. Nomina autem horumce episcoporum qui ab acceptandâ Constitutione abstinuerunt, quique illi ad S. Pontificem recursûs viæ insistendum judicârunt, ista sunt: Cardinalis de Noailles; archiepiscopus Turonens., d'Hervaut; episcopi Verodunensis, de Béthune; Laudunensis, Clermont de Lhaste; Catalaunensis, Gaston de Noailles; Senensis, Soanen; Boloniensis, de l'Angle; Macloviensis, Desmaretz; Baionensis, Dreuillet. Haud multò post Laudunensis episcopus, relictis contradicentium episcoporum partibus, ad sententiam 40 acceptantium accessit, dato eâ de re publico instrumento, quod refertur ad calcem authenticæ horumce comitiorum relationis. Eâdem die primâ februarii 1714, præfati 40 episcopi subscriptione sua synodicè confirmârunt ea omnia quæ hactenùs pro Constitutionis acceptatione peracta fuerant. Lecta insuper fuit Instructio Pastor. ab iisdemque unanimiter approbata. Ludovicus XIV de acceptâ in comitiis Clementinâ Constitutione, certior factus; ad episcoporum postulationem diploma concessit die 14 ejusdem mensis februarii, ut præfata Constitutio per totum Galliæ regnum promulganda executioni mandaretur: illudque diploma in omnibus supremis curiis inscriptum fuit: in tabulas verò supremi Senatûs Parisiensis relatum est, die 15 dicti mensis. Nondùm solutis comitiis, data est 5 februarii gratulatoria comitiorum nomine ad S. Pontificem epistola: in hâc testantur præsules: « Majorum suorum vestigiis inhærentes, editam nuper à sede Apostolicâ Constitutionem suscepisse, summoque etiam gaudio amplexos fuisse, nec minori studio ac diligentiâ pro muneris debito curaturos, ut ab omnibus regimini suo commissis, pari animo ac fide inviolatè servetur. » Rescripsit S. Pontifex die 17 Martii illis gratulans « de constanti eorum vigilantiâ in eradicandis ex agro Dominico damnatis erroribus, » necnon « de studio conciliandæ Ecclesiasticæ pacis, ac lucrandi, si fieri posset; nonnullos ex fratribus in spiritu mansuetudinis et diligentiâ charitatis. *Atque utinam*, addit, *reipsà id assequi licuisset!* Non enim nos, non Gallia, non Ecclesia ingemisceret, paucos ex vobis à reliquo cœtu divulsos, debitæ nobis obedientiæ, sub inani prætextu quærendi novas declarationes, interminatis intendendo quæstionibus, moras interponere; quod utique sine maximo paterni cordis nostri dolore referre non possumus. » Encyclica ad omnes Galliæ episcopos jussu comitiorum directa est epistola simul et Mandatum Pastorale, aliàque omnia acta quæ Parisiis in præsentibus comitiis constituta fuerant: quibus adhærentes episcopi (paucis, sex scilicet aut septem, exceptis) Constitutionem *Unig.* eâ quâ par est reverentiâ, susceperunt et promulgârunt, gravissimis hanc in rem editis mandatis, quæ plùsquàm 110 uno volumine compacta, Parisiis impressa sunt an. 1715, curâ et impensis Cleri Gallicani tunc congregati. Cæteri Bullæ adversantes episcopi, sua quoque emiserunt Mandata: hique omnes, uno excepto Mirapicensi, *de la Broue*, lectionem et retentionem libri *Quesnelli* sub pœnis à jure statutis prohibuerunt; at verò Clementinæ Bullæ receptionem ablegabant, usque dùm Pontifex illius interpretationem, quam recusabat, concessisset: indè factum est, ut eorum documenta Romæ fuerint confixa et damnata, 26 martii et et 2 maii 1714.

Ad sacram Facultatem Parisiensem jussu Regis allata est Constitutio die 1 martii 1714, et die 5 ejusdem mensis, maximo suffragiorum numero in tabulas relata est, decretâ exclusionis pœnâ ipso facto incurrendâ, adversùs eos qui dictæ Bullæ adversarentur. Hæc sunt sacræ Facultatis verba, in comitiis die lunæ quintâ martii habitis: « Sacra Facultas iisdem inhærendo quæ acta et decreta sunt in recipiendâ Bullâ, *Vineam Domini sabaoth* sic censuit: »

« 1° Constitutionem summi Pontificis Clementis XI Papæ, quæ incipit, *Unig. Dei Filius,* summâ cum reverentiâ atque obsequio recepit et amplexa est. 2°. Præfatam Consti-

« tutionem jussit unà cum Litteris Regiis suos « in commentarios referri. 3°. Omnibus et « singulis Magistris, Doctoribus, Baccalaureis « et Candidatis præcepit, ut pari etiam obse« quio dictam Bullam seu Constitutionem colant « et observent : prohibuitque sub pœnâ ipso « facto incurrendâ exclusionis ab omni gradu « et spe magisterii, ne quis scripto factove, « definitis in dictâ Bullâ ullatenùs adver« setur. »

Hæc omnia lecta et confirmata fuère, nullo contradicente, in comitiis die 10 ejusdem mensis habitis : eademque nomine S. Facultatis coram Rege testati sunt deputati, die 14 dicti mensis. Tam splendida acceptationis testimonia deinceps elevare conati sunt Quesnellistæ : quâ de re in epochâ tertiâ. Ad exemplum sacri Ordinis, Bullam summâ cum reverentiâ atque obsequio susceperunt aliæ Regni Facultates, *Duacensis*, *Andegavensis*, *Nannetensis*, etc. Idem præstitère cæteræ omnes per orbem sparsæ Academiæ, *Lovaniensis*, *Complutensis*, sed præsertim *Salmanticensis* : hæc indignè ferens immanem novatorum calumniam quâ ubique spargebant, Bullæ Clementinæ refragari Salmanticenses; putidum mendacium, datis 12 augusti 1716 ad S. Pontificem et ad quosdam Galliæ cardinales et episcopos epistolis, propulsavit.

Extincto die 1 septemb. 1715 Ludovico XIV religione non minùs quàm potentiâ et armis Rege verè maximo, virulentis in Pontificiam et Regiam auctoritatem scriptis regnum opplerunt Quesnelli defensores, conclamaveruntque undique, ab episcopis mox retractandam esse Constitutionis acceptationem, quam per vim factam esse effutiebant. Verùm spe citò dejecti : in comitiis quippe generalibus, episcopi mense octobre eodem anno congregati, ut ora obstruerent loquentium iniqua, ex innumeris contra Constitutionem sparsis libellis, duos præ aliis summè perniciosos damnàrunt : alterum, qui inscribitur : *Les Hexaples ou les six colonnes sur la Constitution* Unig. ; alterum cui titulus : *Du témoignage de la vérité dans l'Eglise*.

Hæc sunt verba censuræ prioris libri : « Nos « archiepiscopi, episcopi, cæterique ecclesias« tici viri delegati ad hæc comitia generalia « Cleri Gallicani, pronuntiamus libro cui titu« lus : *Les Hexaples ou les six Colonnes sur la* « *Constitution Unig.* etc. renovari errores sæpiùs « à sanctâ Sede, nominatim Constitutione Unig. « et ab episcopis condemnatos, eoque contineri « doctrinam injuriosam sanctæ Sedi et episco« pis, scandalosam, erroneam, hæreticam, et « creberrima, è Scripturâ sacrâ, Conciliis et « Patribus, falsata testimonia. » Posterioris autem censuræ hic tenor est : « Nos... invo« cato priùs Christi nomine, et cœlesti implo« rato auxilio, pronuntiamus doctrinam in libro « qui inscribitur, *du Témoignage de la Vérité* « *dans l'Eglise*, etc., edito sine nomine aucto« ris et typographi an. 1714 contentam, toto« que passim opere disseminatam, esse sedi« tiosam, temerariam, scandalosam; eâque « subverti ordinem à Christo Domino in Eccle« siâ regendâ institutum, eamdemque injurio« sam sanctæ Sedi Apostolicæ et episcopis, « falsam, erroneam, schismaticam et hæreti« cam, atque à cunctis Fidelibus rejiciendam. »

Utraque hæc censura extat in actis verbalibus comitiorum an. 1715 pag. 320 et 341, atque paulò post à plerisque Galliæ episcopis, datis eam in rem mandatis, promulgata est. Anno 1716, pro reducendis ad unitatem episcopis, varii amicè habiti sunt cœtus, variæ collationes, quarum pleræque coram supremo Regni Moderatore Aurelianensium Duce celebratæ sunt : at frustra! nullus enim alius exindè consecutus est fructus, quàm ut magis ac magis manifesta fieret acceptantium episcoporum recta intentio, ardensque pacis ac veritatis studium ; quod quidem sæpiùs commendavit æquissimus Princeps. Mira inter hæc extitit Clementis XI longanimitas : nullam lenitatis viam reliquit intentatam ; nulla benignitatis ac verè paterni animi prætermissa testimonia, quò dissidentes ad unitatis et pacis consilia, sanioremque doctrinam revocaret : flecti non potuit reluctantium obstinata mens. Ad appellationes itum est, et ad Concilium œcumenicum exemplo hactenùs, in materiâ doctrinali apud Orthodoxos inusitato, certatim provocatum est. De quo jam epochâ sequenti dicendum.

Epocha secunda. *De iis quæ ab interjectâ appellatione* 1717 *ad Concilium usque Ebredunense* 1727 *contigère.* — Die 1, martii 1717, quatuor episcopi : Mirapicensis, de la Broue; Monspessulanus, Colbert de Croissi; Boloniensis, de l'Angle; Senecensis, Soanen, in publicis Sacræ Facultatis Parisiensis comitiis eâdem die habitis, pàlàm fecerunt instrumentum interjectæ à se appellationis, à Constitutione Clementis XI quæ incipit Unig. ad concilium œcumenicum liberè ac legitimè congregandum. Iis paulò post se adjunxerunt 12 circiter alii epis-

copi : ita quidem ut appellantium episcoporum numerus, duodevicesimum Pelagianorum duce Juliano provocantium numerum nusquam attigerit, nedùm excesserit : iique in solâ Galliâ. Huc usque inaudita fuerat apud Catholicos, à dogmaticâ Summi Pontificis Constitutione ab episcopis loci in quo natus fuerat error expressè recepta cæteris tacentibus, ad futurum Concilium provocatio : nulla, in totâ retrò antiquitate, similis appellationis ab Orthodoxis interpositæ exempla reperire est. Non mirum ergo si talis provocatio ab utrâque potestate vehementer fuerit improbata; audacem hanc molitionem variis ac gravibus decretis confixit auctoritas Ecclesiastica : plurimùm etiam Regiæ Majestati displicuit, hinc datis ad quatuor episcopos litteris sigillo Regio obsignatis, Parisios confestim deserere jussi sunt, et in suas diœceses se recipere. Librorum intereà et scriptorum quodam veluti diluvio Galliæ opplebantur, quibus ac contumaciam, rebellionem ac independentiam, inferiores adversùs superiores provocabantur. Ut tot malorum ingruentium gravitati, quantùm rerum et temporum conditio pateretur, præsules nostri occurerent: 28 cardinales, archiepiscopi et episcopi, duo gravissima Aurelianensium duci obtulerunt memoralia, opem à Regiâ ejus Celsitudine efflagitantes contra dictos libellos, et contra quasdam Facultates, capitula, et quosdam Clericos qui ab ordine defecerant : in 2°, ex his memorialibus, insignem novatorum calumniam, quâ impudenter prædicabant, nullam, in conventu episcoporum ubi Constitutio fuerat acceptata, extitisse libertatem; sic egregiè propulsant : « Oui, nous étions libres alors, inquiunt episcopi, et c'est encore librement « que nous le déclarons aujourd'hui. Louis XIV « n'abusa point de sa puissance, et nous ne « fûmes point prévaricateurs; la majesté de ce « prince et ses pieuses intentions ne gênèrent « pas plus nos délibérations que la présence de « Constantin et la protection qu'il accordait aux « évêques, n'imposèrent au Concile de Nicée. »

Non multò post, mense scilicet julio ejusd. an. 1717, promovente supremo Regni gubernatore, revocata sunt colloquia ad conciliandos episcopos, flectendamque, si fieri posset, Appellantium pervicaciam : verùm ista prioribus superiori anno celebratis colloquiis, feliciorem non habuêre exitum : quippè habitæ an. 1716 cum episcopis dissidentibus collationes, ad ipsam, ut diximus, quatuor episcoporum provocationem terminatæ sunt : ita et istorum an. 1717 colloquiorum finis fuit, nova Card. Noallii appellatio, quæ primùm furtim ipsoque inscio, hoc eodem anno emissa; tum anno sequenti 1718 die 14 septembris ejus nomine publici juris facta est. Anno 1718, omnia quatuor episcoporum et Card. Noallii appellationis instrumenta variis decretis Romæ confixa fuerunt : præsertim decreto sancti Officii coram S. Pontifice habito die 8 februarii. Eodem etiam anno editæ 28 augusti, quæ incipiunt, pastoralis officii litteræ. Circa finem ejusd. anni, 50 circiter Gallicani præsules, duce Eminentissimo de Rohan, uniformi documento pastorali, omnibus suis diœcesanis præceperunt, ut præfatæ Constitutioni Unig. corde et animo seipsos subjicerent : « quippe quæ, inquiunt, universalis est Ecclesiæ judicium « dogmaticum, à quo omnis appellatio nulla « est, frivola, illusoria, temeraria, scandalosa, « sanctæ Sedi et episcopali Corpori injuriosa, « auctoritati Ecclesiæ contraria, schismatica, « et eò tendens ut damnati errores renoventur « et foveantur. » Dictorum præsulum nomina extant ad calcem Pastoralis Mandati Cardinalis de Bissy an. 1722. Anno 1720, Eminentissimus Noallius, documento die 2 augusti edito, exhibuit explicationes in Bullam : « unicè propo« sitas, inquit, ut excluderentur falsæ et dis« tortæ interpretationes, quæ Bullæ possent « malignè affingi. » His expositionibus, 97 præsules Gallicani declarârunt nihil contineri « quod non sit consentaneum doctrinæ Eccle« siæ; genuino Constitutionis sensui; et prin« cipiis quæ posita sunt in Mandato Pastorali « 40 episcoporum, qui an. 1714 Constitutionem « acceptârunt. » Ita testantur dicti præsules epistolâ ad celsissimum Aurelianensium ducem datâ, 13 martii 1720. Atque ut undequaque magis ac magis firmaretur dictæ Constitutionis auctoritas; Rex Christianissimus Ludovicus XV, atavi sui gloriosissimæ memoriæ vestigiis insistens, Regium emisit diploma die 4 augusti, per quod renovatis et confirmatis Ludovici XIV pro eâdem Constitutione promulgandâ litteris : 1°, jubet Constitutionem Unig. in toto Regno executioni demandari, utpotè quæ vim legis jam obtineat; 2°, prohibet ne quid adversùs eam directè vel indirectè dicatur, scribatur, aut doceatur; neve ad futurum Concilium sub ullo prætextu ab eâ provocetur; 3°, declarat appellationes in præsenti causâ esse nullas et nullius effectûs, ac abusivè interpositas.

Anno 1721, Clemens XI, pontifex verèxma-

ximus et sanctissimus, humanis rebus eximitur, mense martio die sacrâ sancto Josepho, quem singulari devotionis affectu prosequebatur. Ejus in locum suffectus est die 8 maii, Cardinalis Conti qui Innocentius XIII appellatus est. Ad eum ausi sunt 7 Gallicani præsules, mense junio, litteras, propriis nominibus subscriptas, dirigere, in quibus Clementis XI famâ et memoriâ sempiternis laudibus dignâ, inverecundè proscindebatur, Apostolica Constitutio calumniose traducebatur pag. 55, 81, 87, velut *iniqua, nefandis erroribus referta,* verbo dixerim, uti *abnorme judicium, quod nec Roma ethnica tulisset.* Quin et ad temeritatis cumulum, suam Sanctitatem enixiùs rogare non erubuerunt, ut subreptitiam pronuntiet Bullam : « Solemniter « declarando, inquiunt, abusus, nullitates et « vitia ejus Constitutionis, quâ Patrum omnium « locutiones, Conciliorum generalium decreta, « ac perpetua Ecclesiæ Romanæ traditio dam-« nantur. » His excessibus graviter commotus Innocent XIII. decessoris sui vestigia premens, decreto Romæ promulgato die 8 januarii 1722, Bullam confirmat dictamque Epistolam auctoritate Apostolicâ meritis censuris confixit atque damnavit : « Tanquàm continentem multas pro-« positiones episcopis Catholicis, præsertim « Gallicanis, memoriæ Clementis XI Apostoli-« cæ sedi injuriosas omninò, schismaticas et « hæretico spiritu plenas. » Accessit in Galliis auctoritas Regia quæ sanctioris Concilii decreto, die 19 aprilis ejusd, an. 1722, eamdem epistolam declaravit esse « temerariam, calumnio-« sam, memoriæ Clementis XI, sanctæ Sedi, « Episcopi et Ecclesiæ Gallicanæ injuriosam, « paci Ecclesiæ, et declarationibus Regiis an-« norum 1714 et 1720 contrariam in autorita-« tem Regis sese efferentem et seditiosam. » Jussit insuper Rex Christianissimus, ut extraordinariè secundùm constitutiones canonicas, et Regni leges, procederetur, tam contra eos qui dictam epistolam composuerant aut subscripserant, quàm contra eos à quibus impressa aut vulgata fuerat. Anno 1723, cardinales, archiepiscopi et episcopi Gallicani, in comitiis generalibus Parisiis congregati, agnoscunt ac solemniter declarant, Constitutiones, *Vineam Domini Sabaoth, et Unig. Dei Filius,* à Clemente XI latas, veras esse Regni perindè ac Ecclesiæ leges : non secùs ac Innocentii X et Alexandri VII adversùs quinque Jansenii propositiones. Ita in actis verbalibus horumce comitiorum, in collectione instrumentorum ad eadem comitia pertinentium, pag. 161 et 162, etc. Hoc ipsum ibidem conceptis verbis testatur et asserit Ludovicus XV, in responsione ad secundùm articulum esse septemdecim hic oblatis, Regiâ autoritate confirmandis : sic etenim habet, de quatuor mox recensitis Bullis : « Ces « quatre Constitutions ayant été revêtues de « Lettres Patentes vérifiées dans toutes les « Cours, personne ne peut douter qu'elles las-« sent loi dans l'État comme dans l'Église : « Le Roi s'en est suffisamment expliqué par sa « Déclaration du 4 Août 1720, et par l'Arrêt « de son Conseil rendu pour la condamnation « de la Lettre des sept Évêques, etc. »

Anno 1724, die 7 martii, moritur Innocent XIII : successit die 29 maii Benedictus XIII, pontifex longævâ eximiâque sanctitate venerandus, atque in B. Dominici familiâ S. Thomæ doctrinæ lacte enutritus. Blandiebantur sibi refractarii Constitutioni Clementinæ, aliquid favoris ac præsidii, causæ suæ jampridem desperatæ, sub tanto Pontifice accessurum : vana eos fefellit spes ? Ad Apostolicam sedem perfidia non habuit accessum. Sanctissimus hic Pontifex firmissimæ adhæsionis Constitutioni *Unigenit.* insignia exhibuit testimonia ; tum in *Bullâ Jubilæi,* 10 junii 1724, tum *in Brevi* ad Eminentiss. Noallium 24 augusti ejusd. an., tum maximè in litteris *in formâ Brevis* ad universos fratres Ordinis Prædicatorum professores datis die novembris eod. an. 1724, his in litteris apertè profitetur Benedictus XIII, « errores à fel. recordat. Clemente XI, per Cons-« titutionem, quæ incipit : Unig. Dei filius, *sa-« luberrimo et sapientissimo judicio* rejectos dam-« natosque fuisse. » Anno 1725, hic idem pontifex, plus aliquid præstitit ad commendandam et confirmandam dictæ Constitutionis auctoritatem : Romæ indixit Concilium die 15 aprilis celebrandum, ad quod præter S. R. Ecclesiæ cardinales, ingentem episcoporum numerum convocavit : hoc in concilio, præsidente Summo Pontifice, toti Sacro cardinalium Collegio, episcopis suburbicariis, maximoque aliorum præsulum numero : Constitutionis *Unig.* observantia commendatur, titulo 1 cap. 2, his verbis : « Cùm ad fidei Catholicæ professio-« nem integre, inviolatèque retinendam et « custodiendam necessarium summoperè sit, « ut succrescentes per hæc recentia tempora « circà eamdem fidem errores, à Sede Aposto-« licà damnatos, fideles omnes vigilanti studio « præcaveant et abominentur ; idcircò ab om-« nibus episcopis et animarum Pastoribus, to-« tà, ut hactenùs, sollicitudine curandum est,

« ut Constitutio à sanctæ memoriæ Clemente « XI edita, quæ incipit *Unig.* ab omnibus cu« juscumque conditionis et gradûs, omnimoda « ac debita obedientia, et executione obser« vetur. » Pergit Synodus : « Si quem itaque « cognoverint in suis Diœcesibus permanen« tem, de Constitutione prædictâ non benè « sentire, aut malè loqui, in eum pro suâ pas« torali potestate, et jurisdictione procedere, « et animadvertere non negligant, et ubi re« medii efficacioris opus esse senserint ad Sedem « Apostolicam pervicaces tales et Ecclesiæ re« belles deferant. » Hæc plus quàm satis ad refragantium calumniam ac temeritatem retundendam, qui Benedictum XIII in tutelam ac præsidium suæ perversitatis vocare, eumque suis stetisse partibus, jactitare non verentur.

Eodem anno 1725, præsules Gallicani in comitiis generalibus tunc congregati, cohærenter ad ea quæ in superioribus comitiis statuta fuerant, declarant in 2° ex septemdecim circà jurisdictionem articulis Regi exhibitis : Constitutiones, *Vineam Domini et Unig. Dei Filius* Regni ac Ecclesiæ leges esse ; quemadmodùm et Bullas Innocentii X et Alexandri VII contra famosas Jansenii propositiones : idem expressè ibid. statuit rex christianissimus in responsione ad dictum articulum, his verbis : « Sa Majesté « a répondu que ces quatre Constitutions *fai« saient loi dans l'état comme dans l'Eglise*, et « qu'elle enverrait de nouveaux Ordres à ses « Procureurs Généraux dans toutes les Cours « pour autoriser les refus qui seront faits par « l'évêque du Visa ou Institution Canoni« que à ceux qui dans les examens qu'ils au« ront subis, auront montré des sentimens « contraires à ces Constitutions. » Sub idem ferè tempus, duodecim famosi Doctrinales articuli mirâ arte conficti, ab Appellantibus Romæ vulgati sunt : horum articulorum, vel aliarum quarumdam similium propositionum approbatio à S. Sede postulabatur, tanqnam prævia aut certè necessaria ad Constitutionis acceptationem conditio : non est hujus loci dictos articulos operosiùs excutere : satis fuerit generatim adnotâsse, illos summa fidei christianæ capita complexos fuisse ; scilicet in iis agebatur : « 1°, de necessitate, potentiâ ac gratuitâ « dispensatione fidei in Christum, gratiæ Sal« vatoris Jesu, ipsiusque ac Dei voluntate « circà salutem omnium hominum ; 2°, de ne« cessitate et observatione primi præcepti ; 3°, « de vi ac discrimine utriusque legis ac fœde« ris ; 4°, de regulis in administratione sacra« menti Pœnitentiæ observandis ; 5°, de lec« tione Scripturæ sacræ, prærequisitisque ad « illam dispositionibus. » Ejusmodi Articulos approbare constanter renuit Benedictus XIII et quidem meritò, ut deinceps ostendetur : nihilominùs tamen eosdem Parisiis sub nomine Romani Pontificis disseminare veriti non sunt Appellantes; additis itidem notis ex prætenso Corpore Doctrinali sacræ Facultatis Parisiensis, ut jactitabant, excerptis ; horum audaciam coercuit Rex Christianissimus, Decreto sanctioris Consilii dato 2 junii ejusdem an. 1725. En Regii Placiti verba : « Le Roi ayant été infor« mé qu'il aurait été répandu dans le public un « écrit imprimé sous le titre d'*Explication de « N. S. P. le Pape Benoît XIII envoyé en Fran« ce au mois de mars* 1725, *sur la Bulle Unig.*, « etc. ; Sa Majesté étant bien instruite que les « propositions contenues en cet écrit n'ont été « autorisées par aucun acte de Sa Sainteté, et « voulant réprimer la témérité de ceux qui non « seulement ont osé les faire imprimer, mais « même y ajouter de leur chef des notes plei« nes d'artifice, qu'ils ont appuyées sur un pré« tendu Corps de Doctrine de la Faculté de « Théologie de Paris, qui n'a jamais été recon« nu pour l'ouvrage de cette Faculté, ni revêtu « d'aucune sorte d'autorité. Ouï le rapport, Sa « Majesté a ordonné et ordonne que ledit écrit « imprimé sous le titre d'*Explications de N. S. « P. Benoît XIII envoyées en France*, etc., *sera « et demeurera supprimé*, etc. »

Versùs mensem octobris ejusdem anni 1725, Romæ divulgata fuit Epistola sub nomine trium Gallican. cardinalium de Rohan, de Bissy, de Fleury : hâc in Epistolâ, novam acceptandæ Constitutionis *Unig.* sub conditione Pontificiæ Approbationis 12 articulorum, formulam, à Card. Noallio propositam ; sic insectantur dicti cardinales, pag. 2 : « Mirum sanè videbitur, « receptâ ubique Constitutione (*Unig.*) delibe« rari adhuc de modo illius acceptandæ, no« vamque hodiè à communi discrepantem pro« poni acceptationis formulam. Etsi enim nec « canone, nec ullâ lege præscripta sint verba, « quibus præstatur Ecclesiasticis circà dog« mata Sanctionibus obsequium ; attendendum « tamen maximè, *singularem formulam semper « periculosam esse et ipsâ singularitate suspec« tam,* cum ex adverso professionum unifor« mitas, fidei unitatem tueatur et nutriat. » Rursùs, de variis ejusd. conditionatæ acceptationis incommodis, mentem suam Benedicto XIII aperientes, ejus agendi rationem in

denegandâ 12 articulorum approbatione vindicant, his verbis: « Dedecet exigere, ut ad « explicandam Constitutionem *Unig.* Apostolico judicio approbentur articuli, quorum « alii ad ipsam Constitutionem nullatenus per« tinere dignoscuntur, alii certum et à nemine « impugnatum dogma exprimunt, alii propter « argumenti invidiam in medium adduci non « possunt absque periculo novarum disputa« tionum ac litium, quibus jam addimus evul« gatis illis in Galliis, sparsâque voce postu« latæ super his Apostolicæ declarationis, « exarsisse in animis sermonibusque rixas, « dissidia et tumultus, quos Regio Edicto « (hujus mox verba exhibuimus) reprimi opor« tuit. » Hæc, Gallicani cardinales adversùs novam hanc conditionatam, de quâ tunc Romæ agebatur, Card. Noallii Constitutionis acceptationem. In eumdem sensum, paucis anteà mensibus, 16. scilicet martii, ad S. Pontificem Benedictum XIII litteras dedit Cardinalis d'Alsace de Bossu, archiepiscopus Mechliniensis. Non multò post, præfatum scriptum regiâ auctoritate jam suppressum, proscripserunt nonnulli præsules Gallicani; inprimis Santonensis, mandato die 26 novembris 1727, lato: Massiliensis, 14 januarii anni sequentis. Cardinalis autem Paulucci, Papæ à secretioribus consiliis, ad Pontificium Parisiis Legatum, de illo Santonensis episcopi mandato, sic scribit 26 decembris: « C'a été un fort bon dessein « que celui que Monseigneur l'Evêque de Sain« tes a pris de publier un mandement pour « démentir l'artificieuse calomnie des réfrac« taires sur les 12 articles connus. Votre Sei« gneurie illustriss. ne manquera pas de lui « témoigner l'agrément et l'approbation qu'on « a donnée ici à la nouvelle marque que ce « prélat a donnée de sa piété et de son zèle pour « la saine doctrine. »

Hoc ipso eodem anno 1725, præsules Comitatûs Avenionensis, Concilium celebrârunt Avenione, die vigesimâ octavâ mensis octobris: hâc in synodo, ad exemplar Concilii, sex anteà mensibus, sub Benedicto XIII Romæ congregati, Bulla *Unig.* debitis laudibus cumulata fuit, ipsiusque observantia atque obedientia summoperè commendata: « Omni diligentiâ « et sedulitate, inquit Synodus tit. 2, pag. 15, « seriò invigiletur, ne quis è Provinciæ Cle« ro.... ad Ordines sacros, ad Beneficia, ma« ximè curam animarum habentia, et ad Sa« crorum quorumcumque administrationem « admittatur, quin de ejus sincerâ supradictæ « Bullæ *Unig.* acceptatione, de debitâ et omni« modâ obedientiâ, legitimis, pro episcoporum « conscientiâ, et judicio, constiterit argumen« tis. » Anno sequenti 1726, Gallicani episcopi jussu regio Parisiis congregati, priorum comitiorum vestigiis inhærentes, Constitutionem *Unig.* constantem esse Ecclesiæ et Regni legem declarant: ipsique proinde debitam esse veram ac sinceram obedientiam, non secus ac Innoc. X et Alex. VII Constitutionibus circa Jansenii Propositiones. Vide acta verbalia horumce comitiorum, præsertim in collectione instrumentorum, pag. 234.

Tot ac tantis quibus undique Bullæ auctoritas muniebatur testimoniis, inflecti non potuit obfirmatus contradicentium animus, procacibus libellis in Decretum Apostolicum etiam tum impotentiùs debacchari non destiterunt: horum, variis sanctioris consilii Decretis, compressa est petulantia: inprimis, die 4 maii an. 1727, 14 junii et 11 octobris ejusd. an. his in Regiis placitis, Bulla *Unig.* uti *judicium Ecclesiæ et lex Regni*, disertè prædicatur. Quod quidem iterùm luculenter statuitur in Concilio Ebredunensi, utriusque potestatis auctoritate confirmato, de quo jam epocha sequenti.

Epocha tertia. *De iis quæ ab indictâ Ebredunensi Synodo, et deinceps ad nostra usque tempora subsecuta sunt.* — Ex iis quæ à convocatione Ebredunensis Synodi ad nos usque, in præsenti Quesnellistarum causâ peracta sunt, præcipua duntaxat, eaque chronologicè et summatim, cohærenter ad scopum nostrum, attingemus. Anno itaque 1727 archiepiscopus Ebredunensis, (annuente, pro suo fovendæ atque promovendæ religionis studio, Rege Christianissimo), litteris ad suos Comprovinciales episcopos datis die 15 mensis junii, Concilium Provinciale in Ecclesiâ suâ Metropolitanâ, ad diem 16 mensis augusti ejusd. an. 1727 habendum et inchoandum indixit.

Dictâ die 16 habita est prima Concilii Congregatio, et duobus posteà diebus, 18 augusti, altera celebrata est, in quâ præfatus Ebredunensis archiepiscopus, ex Promotoris requisitionibus, nomine Concilii, interpellavit Senecensem episcopum, ut diceret et apertè declararet, an à se auctore prodiisset Documentum pastorale gallico sermone typis editum, cui titulus: *Instruction pastorale de Monseigneur l'Evêque de Sénez, dans laquelle, à l'occasion des bruits qui se sont répandus de sa mort, il rend son Clergé et son peuple dépositaires de ses derniers sentimens, sur les contestations qui agitent l'Eglise.* Ad-

scriptâ die 28 augusti anni 1726, cum hâc subscriptione : *Jean, Évêque de Sénez.* Quod Documentum, si suum agnosceret, factam declarationem chyrographo muniret. Ad hæc, disertè respondit verbis episcopus Senecensis suum hoc agnoscere et adoptare mandatum Pastorale : jussu suo promulgatum fuisse ; ejusque defensionem se suscipere, donec invictis argumentis ostenderetur sibi, errores in illo reperiri ; præsensque responsum dictavit ipsemet, eâdemque in congregatione subscripsit. Hâc semel emissâ clarâ et authenticâ Senecensis episcopi declaratione : discussa deinceps fuêre et explosa in Concilio, varia recusationis capita ab eodem proposita ; ac tandem, præhabitis tribus Canonicis monitionibus, definitiva in Instructionem Pastoralem, personamque episcopi Senecensis, lata est sententia, die 20 septembris dicti anni 1727. Instructio Pastoralis unanimi calculo confixa fuit : tanquàm « temeraria, scandalosa, seditiosa, « Ecclesiæ, episcopis, et auctoritati regiæ in« juriosa, schismatica, hæretico spiritu plena, « erroribus referta, et hæreses fovens : » in his præcipuè quibus adversatur puræ et simplici subscriptioni, formulario Alexandri VII, cui *vexationis nomen* adscribit : tùm in iis, quæ falsò et injuriosè profert in Constitutionem *Unig.* affirmando Constitutionem hanc, *dogma, mores, disciplinam, ipsamque Ecclesiasticam Hierarchiam*, funditùs evertere. Vetitum insuper, sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, Ordinario reservatæ, dictam instructionem legere, aut in vulgus spargere. Quod autem spectat personam Senecensis episcopi, statuit Synodus, « ut dictus episcopus, qui, « nonobstantibus monitionibus Canonicis ei« dem factis, ut excessus suos retractaret, per« vicaciter in eis perseveravit, *sit et maneat « suspensus ab omni officio et jurisdictione Epis« copali, et ab omni exercitio Ordinis tum Epis« copalis, tum Sacerdotalis.* » Omnes constitutos à dicto Senecensi episcopo Officiarios Ecclesiasticos exauctoravit : elegitque ad regendam, in locum suspensi et interdicti episcopi, diœcesim Senecensem, D. de Saleon, nunc illustriss. Viennensem archiepiscopum.

Sequenti die 21 septembris, prædicta sententia, requisitis Patrum votis, iterùm probata fuit et promulgata : insimul hîc et seq. sess. 5 publicata fuêre Decreta *de Constitutionibus Apostolicis*, quorum primum respicit Bullam *Unig.* hisque concipitur verbis : « Cons« titutio *Unigenitus* quâ centum et una Ques« nelli propositiones damnatæ sunt, cui suffra« gata est universalis Ecclesia, est dogmaticum, « definitivum et irretractabile judicium illius « Ecclesiæ, de quâ divino ore dictum est : *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam* : si « quis igitur eidem Constitutioni corde et « animo non acquiescit, aut veram et sinceram « obedientiam non præstat, inter eos habea« tur, qui *circa fidem naufragaverunt*, etc. » Provocatio verò à dictâ Constitutione, ibidem declaratur : « ipso jure irrita, scandalosa, schis« matica, jam damnatis erroribus favens, Sedi « Apostolicæ et Ecclesiæ injuriosa. » Sancta Sedes, quæcumque in præfatâ Ebredunensi Synodo gesta fuerant Apostolicâ auctoritate confirmavit, dato ad episcopos in provinciali Concilio Ebreduni congregatos splendido Brevi, 17 decembris ejusdem anni 1727 : « Quæ ad « nos misistis Concilii Decreta, inquit S. Pon« tifex Benedict. XIII, maturè à nobis expensa, « præsertim verò de contumaci Episcopo pro« vidum consilium, libenti animo collaudamus « et comprobamus, nostræque auctoritatis « subsidium ac robur adjicientes, *plenissimè « confirmamus.* » Demùm, ut præfatæ Synodi omni ex parte muniretur auctoritas, Rex Christianissimus illius patrocinium suscepit ac obfirmatè professus est, datâ ad illustriss. Ebredunensem, nunc cardinalem et Lugdunensem archiepiscopum epistolâ, 28 decembris an. 1727, in quâ dictum archiepiscopum sic alloquitur : « Après la lecture, qui a été faite par « mes ordres, et le compte qui m'a été rendu « des actes du Concile d'Embrun, auquel « vous avez présidé, je n'ai pas voulu différer « de vous marquer la satisfaction que j'ai de « la conduite de cette assemblée..... je suis « bien aise de vous dire en même temps que « dans toutes les occasions, qui le requerront, « j'emploierai volontiers mon autorité pour « soutenir les décisions et les décrets de ce « Concile : de quoi je désire que vous assuriez « de ma part les évêques qui y ont assisté avec « vous. » Eadem iterantur in alterâ jussu regio ad eumdem scriptâ à D. le Blanc Regi à sanctioribus Consiliis epistolâ, 28 martii 1728.

Quesnellistæ, damnatorio episcopi Senecensis judicio, ad extremas redacti angustias, incerti tandem quò pedem figerent, causidicorum Parisiensium patrocinium implorârunt ; isti verò, præfati Consilii judicium infirmare ac elevare, totumque intentatæ contra partium coryphæum litis seriem ac processus delere, funditùsque evertere, omni curâ ac studio co-

nati sunt ; editâ hanc in rem famosâ Consultatione, à 50 parisiensibus patronis subscriptâ, 30 octobris 1727, in ea de Concilio, Pontificiâ auctoritate confirmato, regiisque suffulto præsidiis, sic inconsulte omninò proloquuntur pag. 2 : « Toutes les demarches qui ont été faites « dans la tenue du Concile d'Embrun, ne sont « qu'un tissu d'irregularités dont il y a peu « d'exemples dans l'antiquite, et que la poste« rité aura peine à croire. » Multisque ibidem, ad infringendam Synodi sententiam, congestis præpostere auctorum textibus, objectisque quampluribus querimoniis, ita demùm concludunt, pag. 50, et 51 : « De toutes ces reflexions « naissent deux conséquences victorieuses en « faveur de M. l'évêque de Sénez. L'une que ce « jugement... ne peut être consideré que com« me un tissu d'abus et d'injustices que les « deux puissances ont un égal intérêt d'anéan« tir, etc. »

Ad quosdam etiam suarum partium episcopos confugerunt Quesnellistæ : duodecim præsules Constitutioni *Unig.* notoriè obsistentes, adeòque in eodem cum Senecensi Episcopo consortes delicto, ejusdem Senecensis patrocinium palam susceperunt, nondumque visis dictæ Synodi actis, necdùm vulgatis, eamdem tamen Synodum elevare ac infamare conati sunt datâ ad Regem epistolâ, 28 octobris 1727, in quâ de sententiâ in Senecensem episcopum latâ acriter expostulant. Epistolam hanc vehementer improbavit Rex Christianissimus : ipsisque, eâ occasione, Ebredunensis Synodi Patribus, regium, ad vindicanda et asserenda Concilii suâ auctoritate coacti decreta, præsidium, rursùs affirmatissimè pollicitus est. Utrumque constat ex litteris ad eosdem 12 episcopos Versaliis jussu regio directis, ab uno è quatuor sanctioris Consilii amanuensibus, 19 martii 1728.

Cardinales, archiepiscopi et episcopi, Parisiis tunc versantes, extraordinariis in Comitiis jubente rege congregati sunt de præfata Causidicorum consultatione sententiam laturi : ii, maturè diligenterque dicto opere discusso, suum de eo dogmaticum judicium in hæc verba pronuntiàrunt, epistolà ad Regem inscriptà, 5 maii 1728 : « Nous déclarons à Votre Majesté, « que les auteurs de la Consultation se sont « egarés dans des points très importans. Qu'ils « ont avancé, insinué, favorisé, sur l'Eglise, « sur les Conciles, sur le Pape et les évêques, « sur l'autorité et la forme de leur jugement, « sur la Bulle *Unig.* sur l'appel au futur Concile, « et sur la signature du formulaire, des maxi« mes et des propositions téméraires, fausses, « tendantes au schisme, et dont la plupart ont « été déjà justement proscrites, comme inju« rieuses à l'Eglise, destructives de la Hiérar« chie, suspectes d'hérésie, et même héréti« ques. » Hæc generatim, de dogmaticis in Consultatione protrusis capitibus. De jactatis verò, in Concilium Ebredunense, speciatim in latam contra Senecensem episcopum sententiam, dicteriis ac querimoniis; ita prosequuntur iidem cardinales et episcopi : « Ils ont atta« qué le Concile d'Embrun témérairement, « injustement, et au prejudice de l'autorité « royale, et du respect, qui est dû à un nombre « considérable de prélats, et au Pape même. » Plus quàm triginta cardinales, archiepiscopi et episcopi, huic epistolæ et judicio subscripserunt. Ad hæc cohærenter, Rex Consultationis abolitionem imperavit, gravissimis insuper inustis, Sanctioris Concilii Decreto, 3 julii ejusd. anni 1728 lato.

Cæterùm, Causidicorum adversùs Ebredunensem Synodum expostulationes, non est hujus loci persequi ac sigillatim diluere : has summatim cardinales, archiepiscopi et episcopi egregie propulsant in suo mox citato ad Regem doctrinali Judicio pag. 84,85 ; juvat ipsissima eorum verba hìc exscribere : « Nous savons « que le Concile d'Embrun a été convoqué lé« gitimement, qu'il ne l'a été que par la permis« sion de Votre Majesté, que M. de Sénez l'a « reconnu ; qu'il y a avoué son Instruction « Pastorale, dénoncée par le Promoteur ; qu'il « a récusé tous ses juges, et qu'il a refusé de « donner la preuve des moyens de ses récusa« tions ; que lorsqu'il a été question de procé« der contre sa personne, le Concile a délibéré « d'appeller des évêques des provinces voi« sines; qu'interpellé s'il avait des reproches à « faire contre aucun d'eux, il s'est abstenu de « répondre ; qu'on lui a fait les monitions pre« scrites par les Canons; qu'on a eu inutilement « avec lui des conférences fréquentes et charita« bles pour l'engager à rétracter sa doctrine : « qu'enfin tous les jugemens rendus par le Con« cile ont été entièrement unanimes. » Pergunt iidem præsules : « Nous savons encore « que le souverain Pontife a examiné et fait exa« miner les Decrets du Concile d'Embrun et « nommément la sentence rendue contre M. de « Sènez, et qu'il les a authentiquement con« firmes par son Bref du 17 décembre 1727. « Nous savons enfin que V. M. s'etant fait

« rendre compte des actes de ce Concile par des « personnes de son Conseil de différens Ordres, non-seulement elle a bien voulu, sur « le rapport qui lui en a été fait, marquer la « satisfaction qu'elle avait de cette assemblée, « et promettre qu'elle emploierait son autorité « pour en soutenir les jugemens; mais encore, « qu'en permettant l'impression de ces actes, « du Bref qui les approuve, et de la lettre, que « le Métropolitain a écrite en réponse à Sa « Sainteté, Votre Majesté a mis, pour ainsi dire, « à cette affaire le sceau de l'autorité royale. » Moxque addunt : « Quels plus puissans motifs « pour croire que la conduite des Evêques as« semblés à Embrun a été régulière et cano« nique ? » Hæc sæpè, ad Causidicorum, aliorumque Quesnellist rum, in Ebredunensem Synodum, dissipandas expostulationes, dissolvendasque vitiligationes, luculentissima. Eamdem Causidicorum Consultationem egregiè confutavit illustrissimus Ebroicensis episcopus le Normand Mandato Pastorali dato 5 augusti 1728, et altero fusiori die 15 novembris 1730 lato : hoc in documento, singula à Parisiensibus patronis contra Synodum Ebredunens. jactata argumenta elevat, productaque testimonia infirmat ac diluit eruditus præsul. Ad eximium hoc scriptum, nihil habuêre quod reponerent adversarii et reipsâ invictum est et inexpugnabile.

Hoc eodem anno 1728, Eminentissimus Noallius solemni edito Mandato interpositam à se appellationem rescidit; puramque ac simplicem emisit Bullæ acceptationem, ut ex ipsis modò recensendis mandati verbis, planè constabit. Interim non abs re fuerit hîc paucis exponere, quid in toto isto Constitutionis negotio egerit Card. Noallius, qui tamdiù obsistentium dux fuit et caput. Id, vel ex solis Mandatorum Pastoral. titulis eâ de re vulgatis, pronum est intelligere; hæc autem ex ordine ista sunt. Primum itaque Mandatum edidit 28 septembris 1713. In hoc Mandato, datam libro *Reflexionum moralium* approbationem rescindit ac revocat; dictum librum damnat, ipsiusque lectionem cunctis diœcesis suæ Fidelibus prohibet : « Nous ne pouvons souffrir, inquit, que notre « nom paraisse davantage à la tête d'un Ou« vrage que Sa Sainteté condamne...; ainsi « nous ne voulons pas perdre un moment à « révoquer l'approbation que nous lui avons « donnée dans un autre diocèse. » Moxque *in udicato* sic pronuntiat : « A ces causes, nous avons révoqué et révoquons l'approbation « que nous avons donnée audit livre, *le con« damnons*, et défendons à tous nos diocésains « de le lire et de le garder, etc. » Alterum Mandatum datum fuit 25 februarii 1714. In hoc præfatam *Reflexionum moralium* prohibitionem ac damnationem renovat : insuper omnibus diœcesis suæ Communitatibus, sive regularibus, sive secularibus, vetat et prohibet sub pœnâ *suspensionis ipso facto* incurrendæ, ne quis Constitutionem *Unig.* promulget aut recipiat, citra auctoritati sibi à Deo tributæ subjectionem. Tertium Mandatum datum est 3 aprilis 1717, quo à dictâ Constitutione ad Papam meliùs consultum, et ad Concilium generale, appellationem interjecit. Instrumentum illud initio habuit occultum Card. Noallius, nec ejus nomine vulgatum fuit nisi 24 septembris anni sequentis 1718. Quartum Mandatum latum est 3 octobris 1718. Quo publicat alteram appellationem, quam à litteris *Pastoralis Officii* pariter interjecit ad futurum Concilium generale. Quintum est famosa *Instructio Pastoralis*, quam die 14 januarii 1719 inscripsit diœcesis suæ Clero seculari et regulari. In hâc probare tentat, Constitutionem *Unig.* non valere quoad materiam, quia damnat sententias nullâ notâ dignas : nec etiam valere quoad formam, quòd scilicet centum et unam propositiones proscribat *in globo*, non distinguendo censuras quæ cuique propositioni competant. Undè infert, dictam Constitutionem nec regulam fidei esse posse, nec judicium dogmaticum.

Ex his Mandatis, tertium et quartum Romæ damnata fuêre, an. 1718, uti referta « propo« sitionibus falsis, temerariis, scandalosis, « injuriosis summo Pontifici, erroneis, schis« maticis et hæresi proximis. » Iisdem planè censuris 3 augusti 1719, Romæ pariter proscripta fuit *Instructio Pastoralis* : additâ prioribus qualificationibus *hæresis* notâ. Perstitit in suâ Bullæ intercessione ad annum usque 1728. Eminentissimus Noallius; tunc prægravis annis, accessuque, ut inquiebat, æternitatis territus; in hæc verba summo Pontifici Benedicto XIV, scripsit, 19 julii ejusd. anni : « Je « vous atteste en présence de J. C. que je me « soumets entièrement à la Bulle *Unig.*; que je « condamne le livre des *Réflexions morales*, et « les cent une propositions qui en ont été ex« traites; de la même manière qu'elles sont « condamnées par la Constitution; et que *je « révoque mon Instruction Pastorale de* 1719, « *avec tout ce qui a paru sous mon nom contre « ladite Bulle.* » Concludensque epistolam ad-

dit : « Je dois avouer ici à Votre Sainteté, « depuis que par la grâce de Dieu j'ai pris cette « résolution, je me sens infiniment soulagé ; « les jours sont devenus pour moi plus sereins ; « et mon âme jouit d'une paix et d'une tran- « quillité que je ne goûtais plus depuis long- « temps. »

Summus Pontifex cum summâ amoris ac lætitiæ declaratione Cardinali rescripsit 21 augusti, ipsum adhortans ut quantociùs sanctum ac tamdiù exoptatum perficeret opus, polliciti in suâ epistolâ promulgatione mandati : promissis stetit Eminentiss. Noallius, ac tandem 11 octobris dicti an. 1728, apposítè ad ea quæ Pontifici pollicitus fuerat, Pastorale, absque ullâ restrictione aut limitatione, emisit documentum, quo Constitutionem *Unig.* acceptat purè et simpliciter sine verborum ambagibus et involucris : simulque revocat ac retractat Instructionem suam Pastoralem anni 1719, cæteraque omnia præfatæ Bullæ adversa quæ sub suo nomine vulgata fuerant. En ipsa mandati verba : « A ces causes, tout considéré et le S. « nom de Dieu invoqué, nous acceptons avec « un respect et une soumission très sincère la « Constitution *Unig. Dei Filius*, en date du 8 « septembre 1713 ; *condamnons* tant le livre des « *Réflexions morales*, que les cent une propo- « sitions qui en ont été extraites, *de la même « manière et avec les mêmes qualifications que le « Pape les a condamnées.* Avertissons tous les « Fidèles de notre diocèse de l'un et de l'autre « sexe, qu'il n'est pas permis d'avoir des sen- « timens contraires à ce qui a été défini par « ladite Constitution *Unig.* » Et paucis interpositis subdit : « Et pour donner de plus en « plus des preuves de la sincérité de notre sou- « mission au S. Siége, *nous révoquons de cœur « et d'esprit, tant notre instruction du 14 janvier « 1719, que tout ce qui a été publié en notre nom « de contraire à notre présente acceptation*, etc. » Tria hìc disertè fatetur Cardinalis Noallius, quæ restrictam ac limitatam Constitutionis acceptationem penitùs excludunt : 1°, damnat *Reflexionum moralium* librum et 101 ex eo extractas propositiones, eodem modo, et sub iisdem notis in Bullâ usurpatis ; 2°, dictis propositionibus et libro, notatos à S. Pontifice errores attribuit ; 3°, Mandatum Pastorale an. 1719 cæteraque huicce opposita acceptationi (adeòque interpositas anteà adversùs Bullam *Unig.* appellationes) revocat ac rescindit.

Improviso hoc eventu prostrati Quesnellistæ, undique mendaces ac contumeliosi statim sparsi hanc in rem ac disseminati rumores : at frustrà. Inanes illos ac commentitios rumores difflavit ac penitùs disjecit Card. Noallius, tùm communi ad Episcopos Regni inscriptâ epistolâ ; tùm maximè litteris 14 martii 1729 ad S. Pontificem datis, in quibus suum mox citatum Pastorale Documentum 11 octobris latum expressè commemorat ac confirmat : ipsiusque executionem sedulò curaturum, Benedicto XIV certissime pollicetur. Extant diserta harumce litterarum extracta, in epistolâ à vicariis generalibus Parisiens. ad Eminentissimum de Fleury 3 julii 1729, paucis post Card. Noallii obitum mensibus, datâ. Eâdem in epistolâ, præfati vicarii generales pluribus ac invictis testimoniis ostendunt, integrum prorsùs subsistere, dicti Mandati ab Eminentissimo Noallio 11 octobris lati, vim ac robur : illudque nullatenùs infirmari prætensis duabus tunc temporis sub nomine ejusdem Cardinalis vulgatis declarationibus : « Prétendre, inquiunt illi, que malgré tant de « témoignages réitérés, Monseigneur le Cardi- « nal de Noailles condamnait dans son cœur ce « qu'il paraissait approuver extérieurement ; « qu'il pensait à anéantir par des protestations « secrètes ce qu'il avait solennellement publié, « et ce qu'il paraissait s'applaudir d'avoir fait ; « qu'il a porté l'artifice et la dissimulation jus- « qu'à persuader à tous ceux qui l'approchaient « qu'il était content, dans le temps même qu'il « se repentait intérieurement, c'est supposer « qu'un Prélat d'une vertu si éloignée de toute « hypocrisie, a voulu dans un acte important « pour la Religion, tromper le Pape, le Roi, « les Evêques de France, son Diocèse, et l'E- « glise entière. » Moxque subdunt : « Si ceux qui « ne cherchent qu'à déshonorer Monseigneur « le Cardinal de Noailles, parce qu'il est de « leur intérêt de détruire sa réputation, osent « lui imputer une telle imposture, à qui peu- « vent-ils se flatter de persuader qu'un homme « infirme et languissant ait pu soutenir tous les « jours pendant long-temps et jusqu'à la mort « un tel personnage, sans que les vrais senti- « mens de son cœur aient été aperçus par « ceux mêmes qui le voyaient le plus intime- « ment ? Si de telles idées peuvent imposer à « ceux qui n'ont ni vu ni connu Monseigneur « le Cardinal de Noailles, elles ne sont pro- « pres qu'à exciter l'indignation de ceux qui ont « eu l'avantage de vivre avec lui. » Tandem ex his, aliisque indubitatis momentis, dictam epistolam sic concludunt iidem, Eminentissimum de Fleury alloquentes : « Sur l'autorité de ces

« faits constans, dont nous venons de rendre « compte à Votre Eminence, toutes les per- « sonnes équitables jugeront que le Mandement « du 11 octobre subsiste dans toute sa force, « et que les deux prétendues déclarations, « dont on voudrait se servir pour y donner « atteinte, ne méritent aucune croyance. » Deinde subjungitur sententia Officialis Parisiensis lata adversùs dictas declarationes die 1 septembris 1729.

Sex circiter mensibus post editum 11 octobris Mandatum, obiit Eminentissimus Noallius: ipsum in Archiepiscopatu Parisiensi proximè excepit Aquensis archiepiscopus (D. du Luc de Ventimille. Is paulò post suscepta Ecclesiæ Parisiensis gubernacula, egregium edidit Documentum Pastorale, 29 septembris ejusd. an. 1729, in quo adversùs obtrectantium artes et calumnias, Apostolici Decreti doctrinam et auctoritatem, luculenter tuetur ac vindicat. Tuncque quamplures è dissentientibus ad unitatem et obsequium Bullæ *Unig.* debitum feliciter rediêre. Circa hæc tempora, insigne imprimis Ecclesiæ Metropolitanæ Capitulum, acceptationi Cardinalis Noallii recens de uncti solemniter adhæsit: quo etiam illustri exemplo, plurimi ad saniorem doctrinam, debitamque Ecclesiæ obedientiam salubriter adducti fuêre. Eodem anno 1729, die 15 decembris, latum est celeberrimum sacræ Facultatis Parisiensis Decretum, quo communibus suffragiis tria imprimis statuit sacer Ordo: 1°, Decretum de acceptandâ Constitutione *Unig.* diebus quintâ et decimâ martii 1714 pronuntiatum, verum esse ac genuinum; illudque iterùm et de novo suum facit; 2° rursùs amplectitur eamdem Constitutionem *Unig.* tanquam universalis Ecclesiæ dogmaticum Judicium; 3°, decernit in refractarios exclusionis è suo sinu pœnam *ipso facto* incurrendam. Præstat celeberrimi hujusce Decreti, quod exindè pluries ac disertissimè confirmavit sacra Facultas, ipsissima hîc exhibere verba: « Sacra Facultas..... auditâ relatione « factâ nomine deputatorum declarat:

« 1°, Attendendo ad gravissima rationum « momenta quibus abundè constat Decretum « sacri Ordinis latum diebus quintâ et decimâ « martii 1714 verum esse ac genuinum, illud « iterùm ac de novo suum facit: agnoscit im- « meritò prorsùs fuisse declaratum falsum, « adulterinum, commentitium: atque idcircò « vult.... ut quæcumque contra ipsum subindè « tentata sunt, penitùs deleantur et eradantur. « 2°, Constitutionem *Unigenit.* summâ cum re- « verentiâ, et integro cordis et animi obsequio « iterùm et de novo amplectitur *tanquam dog-* « *maticum Ecclesiæ universalis judicium.* 3°, « Provocationem seu appellationem quæ legi- « tur et circumfertur sub nomine sacræ Facul- « tatis à prædictâ Constitutione *Unig.* ad futu- « rum generale Concilium die 5 martii 1717 « interjectam, præsenti conclusione, quantùm « opus est, revocat, pro nullâ haberi jubet, « cassat et antiquat, atque è suis commenta- « riis vult et imperat eradi et expungi; necnon « omnes alios actus prædictæ Constitutioni ad- « versantes. 4°, Magistros dissidentes prædicto « Apostolico Decreto..... nì intra præscriptum « temporis intervallum, S. Facultati veri obse- « quii sui certum testimonium exhibeant, de- « clarat, *ex nunc pro tunc*, S. Facultas tales « Magistros quicumque fuerint, penitùs et abs- « que nullâ spe reditùs exclusos ab omni aditu « comitiorum suorum, necnon à quolibet jure « magisterii et doctoratùs. 5°, ut S. Facultas « provideat in posterum, ne ad suos gradus « admittantur quiquam, nisi Decretis Aposto- « licis, nominatim verò huic quod incipit *Uni-* « *genit.* sincerè obsequentes sint, vult et jubet « ut quicumque deinceps accessuri sunt, aut « Magistri ad resumptam, etc..... teneantur « omnes et singuli declarare se corde et animo « perfectè submissos esse supradictæ Aposto- « licæ Constitutioni: sin minùs, *ipso facto* reji- « ciantur. »

His sane quinque capitibus, ad asserendam Constitutionis *Unig.* auctoritatem, debitamque ipsi obedientiam, nihil profectò luculentius præstare potuit sacer Ordo. Præfatum porrò gravissimum hanc in rem Decretum, pluries exindè disertissimè firmatum fuit ac roboratum.

1° quidem annis 1730, 1731, etc. Illud in plerisque suis generalibus comitiis apertissimè ac plenissimè confirmavit sacra Facultas, præsertim verò in comitiis habitis die 2 Januarii 1730, diebus primâ februarii, martii, junii, julii, augusti, septembris; necnon quartâ novembris, secundâ decembris ejusd. anni. Horumce comitiorum acta reperire est in collectione jussu S. Facultatis adornatâ an. 1730, sub hoc titulo: Acta et Decreta S. Facultatis Parisiens. super constitutione quæ incipit Unig. observandâ et executioni demandandâ.

2° Illud idem Decretum diei 15 decembris 1729, cæterasque conclusiones subsequentes pro eodem negotio latas probavit ingens admodùm numerus Magistrorum Parisiensium, quos

officiorum necessitas, aut aliæ extraneæ causæ, procul ab urbe et comitiis sacræ Facultatis dissitos retinet (hos inter quamplures erant Ecclesiæ Principes). Ista colliguntur ex scriptis eorum testimoniis ad S. Facultatem transmissis, quæque publicis in comitiis recitata fuère. His autem scriptis instrumentis certatim testabantur, tùm illustrissimi Ecclesiæ Principes, tùm et cæteri magistri, « lubentissimè adhæ« rere se supradictis Decreto et Actibus S. Fa« cultatis, actumque suæ adhæsionis postu« lare. » Vide laudat. mox collect. imprimis comitia die primâ junii et julii celebrata. Quantus verò fuerit ille Magistrorum dictis decretis adhærentium numerus, vel exinde colligi potest, quòd his jam subscripserant plus quàm sexcenti Magistri initio septembris anni 1730. Dehinc verò in subsequentibus comitiis hoc et sequenti anno, quamplures alii scriptis epistolis ex variis locis frequentes accesserint ad illud idem roborandum Decretum. Ita declarat S. Facultas Parisiensis, encyclicâ ad extraneas studiorum Universitates epistolâ : « adeò ut, « inquit, exceptis adhuc nonnullis numero « paucis, et de suâ nuditate confusis, qui suis « privatis opinionibus abrepti à cæteris dissi« dent, atque idcircò tanquam viri turbulenti « jussi sunt à comitiis nostris abstinere, affir« mare meritò jam possimus, utendo verbis « Eutychii Constantinopolitani in suâ, nomine « quinti Concilii ad Vigilium Papam epistolâ « *submotâ confusione discordiæ, pacem reformâsse* « *Deum in ordine nostro, et collectos in unum Ma*« *gistros unum idemque sapere in rectâ fidei con*« *fessione ;* quod sanè catholicè sentientibus « gratissimum esse debet et multùm habet in « se non mediocris solatii. » Ita in actis citatis part. 2, pag. 203 et 204.

3°. Tam domesticæ quàm exteræ Universitates ac S. Facultates theologicæ, ad quas datâ an. 1730 encyclicâ epistolâ, Facultas Pariens. transmisit sua Acta et Decreta super Constitutione *Unig.* Hæc, inquam, omnes Universitates et Facultates, acta hujusmodi lætanti animo et summâ cum gratulatione exceperunt, atque appositè ad famosum diei 15 decembris 1729 Decretum, testantur se ultrò agnoscere Constitut. *Unig. tanquam dogmaticum Ecclesiæ universalis judicium.* Id manifestum, ex ipsis harumce Facultatum ad S. Facultatem Parisiensem responsis, quæ referuntur in laudat. Decretis, parte 2. à pag. 185 ac pag. 227. Ex domesticis Regni Universitatibus et Facultatibus satis erit hic in medium proferre, quæ hanc in rem habet Universitas Cadomensis, responsoriâ ad S. Facultatem Parisiensem epistolâ die 7 julii 1730 : « Læti excepimus, inquit, et « summâ cum gratulatione legimus quæcum« que Decreta elapsis proximè mensibus tam « sapienter tulistis..... Apostolicam Constitu« tionem *Unig.* acceptam esse *tanquàm dogma*« *ticum universalis Ecclesiæ Judicium, et vim* « *legis, tum in Ecclesiâ, tum in Regno habere,* « *adeo constanter evincitis, ut nullus non assen*« *tiri debeat, nisi mediâ luce cæcutire, et reperto* « *lumini oculos omninò velit occludere.* » In eumdem sensum, S. Facultas Rhemensis rescribit 15 julii 1730, ad S. Facultatem Parisiensem, his verbis : « Nous nous faisons gloire d'imiter « votre zèle pour l'acceptation de la Constitu« tion Unig.. nous sommes résolus de combattre « constamment tous les sentimens contraires à « la Bulle, que nous regardons *comme une déci*« *sion de l'Eglise universelle, et une loi de l'Etat.* « Paria conceptis verbis asserunt Facultates To« losana, Monspessulana, Perpinianensis, etc. » Quod autem spectat extraneas orbis catholici Universitates et Facultates, dubium non est, quin Apostolicum Constitut. *Unig.* Decretum, ab iis omnibus cum omni reverentiâ et animi obsequio colatur et agnoscatur, *Tanquàm dogmaticum universalis Ecclesiæ judicium.* Ita imprimis Universitates et Facultates Complutensis, Connimbricensis, Cracoviensis, Duacensis, Pragensis, Lovaniensis, Coloniensis, etc. consule sæpiùs citata S. Facultatis Parisiens. edita decreta, parte 2, à pag. 207 ad pag. 228.

4°. Eadem S. Facultatis Parisiensis Decreta summo consensu probavère episcopi et cardinales Gallicani : constat 1°, ex egregiis ac quampluribus horumce præsulum eâ de re testimoniis ac subscriptionibus, quæ extant in præfatis actis. Vide ibid. in Comitiis S. Facultatis an. 1730, primâ junii, julii, necnon quartâ novembris, et secundâ decembris, etc. 2°, ex perhonorificâ archiepiscopi Parisiensis, nomine totius Cleri tunc Parisiis congregati, responsione ad V. D. Decanum, nomine S. Facultatis augustissimo Clero Acta ejusd. Facultatis recèns edita offerentem : « Neminem latet, « inquit illustriss. Archiepis. totius conventûs « præses, quanto studio Theologi Parisienses « per multa retrò sæcula in propugnandis fidei « dogmatibus operam impenderint. Nec vos à « Majorum gloriâ degeneres probatis..... susce« ptum opus promovebunt sanè saluberrima « Decreta, quibus sacra Facultas non modò « suum erga Constitutionem omnium ferè

« mundi præsulum suffragio probatam, obsequium testatur; at etiam dissidentes filios, « si tantæ auctoritati pertinaciter restiterint, è « sinu suo ejecturam se pronuntiat. » Hæc latiùs deducta in citatâ collectione part. 2. pag. 89. 3°, idem constans Cleri Gallicani consensus liquidò patet ex egregiis cardinalium de Rohan, de Bissy, de Fleury testimoniis, quibus in gratiam et favorem dictorum Decretorum, honorificentius nihil proferri potest : « Legimus « summâ cum animi voluptate, inquiunt Eminentiss. cardinales de Fleury et de Bissy, acta « (Comitiorum an. 1729, et 1730) quæ nobis « obtulistis : impensè laudamus et approbamus « consilium vestrum plenum catholici roboris « et sapientiæ.... prudentissimè pronuntiastis, « Constitutionem *Unig.* à Clemente XI latam, « ac omnium fermè orbis catholici Antistitum « suffragio comprobatam, *judicium esse dogmaticum universæ Ecclesiæ, cui Fideles omnes « sincerum cordis et oris præbere tenentur obsequium*, etc. »

Paria tradit Eminentissimus Card. de Rohan: insuper et Decretum sacri Ordinis latum die 5 martii 1714 verum esse ac genuinum, testis locupletissimus luculenter astruit, scriptâ ad D. de Romigny S. Facult. Syndicum die 2 octob. 1730 epistolâ; en verba : « J'ai reçu pendant « que j'étais au Conclave, Monsieur, les der« nières délibérations de notre Faculté, au « sujet de la Constitution *Unigenit*... Le prin« cipal article qui est traité dans ces actes, « concerne la conclusion du 5 mars 1714, ar« ticle dont je puis rendre compte, comme « ayant eu grande part aux circonstances qui « l'ont précédé ou suivi ; » moxque totius rei gestæ narrata serie addit : « Le doyen pro« nonça, sans aucune opposition, que la Fa« culté recevait avec respect la Constitution « *Unig.*, et qu'elle ordonnait qu'elle fût enre« gistrée avec la lettre du roi (c'étaient les ter« mes dans lesquels la Faculté avait reçu la « Bulle *Vineam Domini*). Après cette assemblée, « plusieurs docteurs qui y avaient assisté, vin« rent m'assurer que tel avait été le sentiment « du plus grand nombre. Les six anciens et « M. le syndic que la Faculté me fit l'honneur « de me députer, me donnèrent les mêmes « assurances, et me montrèrent leur conclu« sion, telle qu'elle avait été prononcée par « le doyen. » Et paucis interpositis : « Les dé« putés qui avaient été nommés pour rendre « au roi de très humbles actions de grâce de « l'honneur qu'il avait fait à la Faculté, en lui « envoyant la Bulle, eurent audience le 14 « mars. Plusieurs docteurs s'étaient joints à « eux ; je les accompagnai dans le cabinet du « roi : ils remirent la conclusion du 5 mars, « conçue dans les termes et en la forme qu'elle « a paru imprimée depuis, et je fus témoin « que celui qui portait la parole, assura Sa « Majesté, que la Faculté avait reçu la Consti« tution avec respect, et qu'elle veillerait avec « soin à ce qu'il ne fût rien avancé de contraire « à ce qui y était contenu. »

Ad calcem ejusdem epistolæ adjicit Eminentiss. Cardinalis : « Je ne puis assez louer le zèle « qu'elle (la Faculté) a fait paraître en cette « occasion, ni trop applaudir à la généreuse « déclaration qu'elle a publiée. Non contente « de rendre à son premier décret son ancienne « autorité, et d'anéantir tout ce qui y a été « fait de contraire, elle reçoit de nouveau la « Constitution, *comme un jugement dogmatique « de l'Église universelle*, ce qui est la véritable « et la juste idée qu'on en doit avoir, la seule « capable de prévenir toutes les fausses subti« lités, par lesquelles on cherchait à en éluder « la force, la seule qu'on puisse s'en former, « si on ne veut pas donner atteinte aux prin« cipes les mieux établis, sur les caractères « auxquels on doit reconnaître les jugemens « de cette nature. » Eximia hæc Eminentissimorum Cardinalium testimonia, in suis commentariis inscribenda censuit sacra Facultas. Ea reperire est secunda parte citatæ collect. pag. 113, 114, etc., et 123, 124, etc.

5°. Denique in uberiorem eorumdem sacræ Facultatis Decretorum confirmationem, accessit ad cumulum, *Breve Apostolicum* ab ipso summo Pontifice Clemente XII, in signum suæ erga S. Ordinem benevolentiæ, ac paternæ charitatis, latum die 16 januarii 1731, hoc in *Brevi*, quæcumque pro tuenda catholica veritate tunc gessit sacra Facultas, quæque in actis suis an. 1730 et 1731, typis editis referuntur, Pontificiâ auctoritate plane confirmantur ; sed et inprimis commendatur *pius ille religionis ardor, quo S. Ordo acta perversa* (injuriosam scilicet appellationem) *abolere ; debitamque Apostolicis Constitutionibus obedientiam salutari ac filiali alacritate exhibere*, omni studio ac diligentiâ curavit. Hæc, ad asserendam et vindicandam dictorum S. Facultatis Decretorum auctoritatem, instar omnium sunt, omnique exceptione majora. His ita compositis, ipsâque summo consensu agnitâ Constitut. *Unig.* auctoritate : Ludovicus XV pro eximio suo erga

religionem studio, ad ea firmiùs stabilienda quæ hactenùs pro Ecclesiasticâ pace sancita fuerant, sedens in tribunali suo omni circumdatus regiæ Majestatis apparatu, solemne hoc an. 1730 tulit Edictum, quo præfatam Constitutionem *Unig.* constantem Ecclesiæ pariter et regni legem esse splendidè agnovit. Novo isto monumento, eoque validiori quo solemniter magis enituit, manifestissimè declaravit Rex Christianissimus, perstans ac invictum in corde suo ad defensionem Ecclesiæ vigere præsidium. Regii hujusce Edicti, ad cujus normam composita sunt cætera quæ exindè hanc in rem prodiêre regia diplomata, operæ pretium erit summaria hìc exscribere capita. In primo itaque articulo, sic loquitur Regia Majestas : « Renouvelant en tant que besoin serait par ces « présentes signées de notre main les Edits et « Déclarations du feu Roi notre très honoré « Seigneur et bisaïeul sur la condamnation des « cinq propositions de Jansénius et sur la si- « gnature du Formulaire, et en particulier « l'Edit du mois d'avril 1665 et les Lettres Pa- « tentes du dernier jour d'août 1705. Ordon- « nons que les Bulles d'Innocent X, Alexan- « dre VII et Clément XI, sur lesdites proposi- « tions et sur la signature du Formulaire, « seront observées et exécutées selon leur for- « me et teneur ; voulons en conséquence que « personne ne puisse être promu aux ordres « sacrés ou pourvu de quelque bénéfice que ce « soit, ni même en requérir aucun, sans avoir « auparavant signé le Formulaire......, de la- « quelle signature il sera fait mention dans « l'acte de réquisition, et pareillement dans « l'acte de prise de possession de chaque béné- « fice ; *le tout à peine de nullité desdits actes.* « Ordonnons en outre, suivant ledit Edit 1665, « que les ecclésiastiques qui, n'ayant pas en- « core signé le Formulaire, refuseront de le « faire, à l'occasion du *visa* ou de l'institution « aux bénéfices dont ils demanderont à être « pourvus, *soient déclarés incapables de les pos- « séder,* et que tous ceux dont lesdits ecclé- « siastiques pourraient avoir été précédemment « pourvus, *demeureront vacans et impétrables « de plein droit,* sans qu'il soit besoin, à cet « effet, d'aucune sentence ni déclaration judi- « ciaire, ainsi qu'il est porté par ledit Edit du « mois d'avril 1665. » In secundo, sic statuitur : « Voulons, conformément au même Edit, « que lesdites signatures du Formulaire soient « pures et simples, sans aucune distinction, « interprétation ou restriction qui déroge di- « rectement ou indirectement auxdites Consti- « tutions des Papes Innocent X, Alexandre VII « et Clément XI, déclarant que ceux qui se « serviraient dans leurs signatures desdites dis- « tinctions, interprétations ou restrictions, ou « qui signeraient un Formulaire différent de « celui dont la signature a été ordonnée par « ledit Edit du mois d'avril 1665, seront sujets « aux peines portées par ledit Edit. »

In tertio subditur : « Confirmant en tant « que besoin seroit les Lettres-Patentes du 14 « Février 1714, et notre Déclaration du 4 Août « 1720, registrées dans toutes nos Cours de « Parlement, ordonnons que la Constitution « *Unigenitus*, soit inviolablement observée se- « lon sa forme et teneur dans tous les Etats, « Pays et terres de notre obéissance, *et qu'étant « une loi de l'Eglise par l'acceptation qui en a « été faite, elle soit aussi regardée comme une « loi de notre Royaume.* Voulons que tous nos « Sujets, de quelque état et condition qu'ils « soient, aient pour ladite Bulle le respect « et la soumission *qui sont dus au jugement « de l'Eglise universelle en matière de doc- « trine.* »

Tribus sequentibus articulis, pleraque in declaratione anni 1720, speciatim adversùs Appellantes à Constitutione *Unigenit.* jam statuta renovantur ac corroborantur : ac tandem articulo 7 gravissimæ decernuntur pœnæ in auctores, venditores, typographos, quorumcumque scriptorum adversùs præfatas summorum Pontificum Constitutiones, nominatim verò contra constitutionem *Unig.* horumque omnium accuratam sedulamque executionem suis supremis Parlamentorum curiis, aliisque judiciis committit ac demandat. Hæc Ludovicus XV, majorum suorum, inprimis Ludovici XIV nomine minùs ac titulo quàm re ac studio Regis Christianissimi, egregius æmulator. Regia ista declaratio, ad promovendam Ecclesiæ pacem et tranquillitatem, compescendosque turbulentissimos motus, emissa est die 24 martii 1730, hæcque, sedente in judiciario tribunali suo Ludovico XV, in supremi Senatûs Parisiensis tabulas relata est die 3 augusti ejusdem anni : in cæteris omnibus supremis Regni curiis pariter inscripta fuit. Nihil illi proinde deest ex his quæ ad supremam regni legem desiderari possunt. Et quidem variis exinde datâ occasione firmata fuit ac roborata, regiis tùm epistolis, tùm Decretis et Diplomatibus. Inprimis verò, vel ipso proximè sequenti anno 1731, in encyclicâ ad episcopos epistolâ, jussu Regis à

majorum sigillorum Custode scriptâ Fonte-Bellaqueo 22 julii, ubi sic legitur : « Le Roi « est persuadé que vous redoublerez d'attention « pour faire en sorte que dans votre Diocèse, « on rende à la Constitution *Unig.* la soumis- « sion entière et parfaite qui lui est due, non « comme à une *simple loi de police*, mais comme « *à un jugement dogmatique de l'Eglise univer-* « *selle* ; ou comme le Roi s'est expliqué dans « sa Déclaration du 24 mars 1730, *à un juge-* « *ment de l'Eglise universelle en matière de doc-* « *trine.* » Pluribus etiam aliis regiis Statutis renovata est percelebris ista Declaratio : nuperrimè tandem ac disertissimè, Sanctioris Consilii Decreto die 21 februarii hujusce anni 1747 lato, in quo asseritur, *Constitutionem Unig. dogmaticum esse universalis Ecclesiæ judicium;* moxque subditur : « Ce sont des termes con- « sacrés par l'usage que Sa Majesté en a fait, « soit dans sa Déclaration du 24 mars 1730, « enregistrée en sa présence au Parlement de « Paris, et ensuite dans tous les autres parle- « mens de son Royaume, soit dans les arrêts « qu'elle a rendus depuis cette déclaration. » Ibid. in pronuntiato ita loquitur Regia Majestas : « Ordonne Sa Majesté que la Déclaration « du 24 mars 1730, ensemble les Arrêts ren- « dus par Sa Majesté au sujet de l'autorité de « la Constitution *Unig.* soient exécutés selon « leur forme et teneur ; et en conséquence « veut et entend que ladite Constitution soit « observée dans tous ses Etats, avec le respect « et la soumission *qui sont dûs à un jugement de* « *l'Eglise universelle en matière de doctrine.* » Est ergo Regium istud an. 1730 edictum apud nos, circa totum præsens Quesnellismi negotium, ultima, constans et suprema Regni lex ac regula, juxta quam exortæ aut exoriturae hoc in negotio lites dirimi possint ac debeant.

Hoc eodem an. 1730, Benedictus XIII qui sex circiter annis Apostolicam Sedem gloriosè obtinuerat, annos natus magis octoginta, clarus meritis ac bonis operibus, sanctam vitam morte peregit die 21 Februarii : in ipsius locum successit, sub nomine Clementis XII Cardinalis *Corsini*, eximiæ virtutis Pontifex : huncque proximè excepit Benedictus XIV qui jam munus Apostolicum tantâ cum laude tuetur ac sustinet. Hi tres summi Pontifices, antecessorum suorum Innocentii XIII et Clementis XI judicia circà Constitutionem *Unig.* passim confirmârunt, nullique occasioni defuerunt, ut disseminatas adversùs Apostolicum hoc Decretum calumnias obtererent. Atque hîc gradum sistemus, nostramque concludemus historicam synopsim.

Silemus porrò impræsentiarum de prætensis Appellantium miraculis, necnon de insolitis et inverecundis Convulsionariorum motibus anno 1731, et deinceps, tanto cum fastu jactatis : hæc enim, causam quam nunc tractamus, propriè non spectant ; de hisque opportunior erit alibi dicendi locus. Aliundè, pluribus præsulum Documentis, et Theologorum scriptis confutata sunt, inprimis vero Illustriss. Parisiensis archiepiscopi Mandatis egregiè falsi convicta fuêre, 15 julii 1731, 30 januarii 1732, 8 novembris 1735. Et certè, falsa sint, vera sint, quæ venditantur miracula, stupentesve nervorum distentiones ac contractiones, *vana* sunt omnia, quæcumque adversùs *supremam*, quæ in orbe conspicua sit, *auctoritatem* adversùs *Ecclesiæ Catholicæ* sensum ac doctrinam, adversùs *Corpus episcopale* suo *Capiti dogmaticè definienti* adhærens, uti in præsenti casu, confidentiùs proferuntur. Stabunt hæc, cætera in fumos ibunt. Ita fermè S. Aug. olim similem planè *Donatistarum* jactantiam præclarè omninò confutans, lib. de Unit. Eccles. cap. 19. Non abs re erit eò loci adjicere acta et Decreta præclaræ Artium Facultatis Parisiensis, tam super revocatione appellationis à Constitutione *Unig.* quàm super obsequio eidem Constitutioni exhibendo : Academiæ Parisiensis Rectore serenissimo Principe de Rohan-Ventadour, posthac Coadjutore Argentoratensi, necnon Eminentissimo sanctæ R. Eccles. cardinali. Itaque anno 1739. Armandus Princeps de Rohan Ventadour, Rector Universitatis Parisiensis, in comitiis generalibus die 11 mensis maii, ex factâ et, ad se scripto datâ à pluribus singularum Nationum Magistris postulatione, rem, præhabitâ eleganti oratione, in deliberationem vocavit, auditisque conclusionibus super hoc negotio per ornatissimos Nationum Procuratores relatis, sic totidem verbis pronuntiavit.

« Omnes Nationes, 1°, censent immeritò mo- « veri difficultates adversùs Constitutionem « *Unig.* à Corpore episcoporum acceptatam, « auctoritate regiâ munitam et in Regno pro- « mulgatam, quasi contraria foret Juribus « Regni, Ecclesiæque Gallicanæ libertatibus, « quibus profitentur se esse ac semper fore « addictissimos. 2°, censent revocandam esse « provocationem nomine Universitatis interje- « ctam die 5, octobris 1718, à Constitutione « *Unig.* ad futurum generale Concilium, ac « reipsâ revocant, tam provocationem illam

« nomine Universitatis communem, pro suâ « singularum parte, quàm specialem suo singularum nomine ante institutam. » Præterea « censent ac volunt cancellari omnia acta ad « illam provocationem pertinentia, quæ in suis « Commentariis continentur, tùm quæ prædictam provocationem antecesserant, quàm ea « quæ subsecuta sunt : postulant autem ut in « commentariis Universitatis, ad marginem « provocationis totius Academiæ nomine interjectæ, apponatur à Scribâ fidelissimo nota, « quæ admoneat hanc ipsam provocationem « fuisse à Nationibus, pro suâ singularum parte « revocatam. »

3°, Eædem Nationes declarant ac profitentur se corde et animo amplecti Constitutionem *Unigenit. tanquàm judicium Ecclesiæ universalis dogmaticum* ac Regni legem.

Subdit Serenissimus Princeps : « Et ita vobiscum concludo : *Armandus Princeps de « Rohan Ventadour, Rector.* »

Hæc, exscripta ex actis præclaræ Artium Facultatis Parisiensis an. 1739, editis, pag. 33, 34, etc.

In sequentibus comitiis die 23 junii habitis, jussit amplissimus D. Rector legi ab Universitatis Scribâ Decretum postremis in comitiis, hoc est, die 11 maii proximè elapsi, latum, ut Nationes singulæ suas sententias conclusionesque recognoscerent. His aliisque in deliberationem missis, Nationes per ornatissimos Procuratores retulerunt.

« 1°, se rata et gratissima habere quæcumque gessit amplissimus Rector... et nominatim Decretum die 11 factum, et à Scribâ his « in Comitiis lectum, in quo se singulas suas « conclusiones recognoscere, et, quantùm opus « est, confirmare. 2°, postulare, ut supra memoratum Decretum, cum omnibus actis ad « illud pertinentibus, quamprimùm typis mandetur latinè et gallicè ejusque exempla, quibus decuerit offerantur. »

3°, ut occurratur turbarum seminibus, quæ « ex animorum dissensione oriri solent, paxque « et concordia in præclarâ Artium Facultate « serventur, censere se ac statuere, neminem « deinceps in gremium Nationum esse admittendum, nisi priùs coram Natione vivâ voce « dicat, se adhærere Decreto præclaræ Artium « Facultatis, die 11 maii 1739, lato. » Ejusmodi Statuta præclaræ Artium Facultatis, simillima sunt suprà memorato sacræ Facultatis Parisiensis circà idem negotium Decreto, decem circiter annis anteà lato, die scilicet 15 decembris 1729, adeoque Theologica Facultas præclaræ Artium Facultati multis nominibus conjuncta, ipsi prætulit facem, quodque iter ingrediendum esset, dux præmonstravit.

Ex dictis hactenùs in totâ hâc nostrâ Quesnellismi historicâ narratione planè constat, Constitutioni *Unig.* spiritualem perindè ac temporalem potestatem apertè patrocinari, atque in eo utramque ex æquo consentire, ut suo quæque modo Decretum illud Apostolicum tueantur ac vindicent. Quod quidem ex dicendis articulo sequenti, iterùm manifestius fiet ac evidentius.

His de causâ Quesnelli historicè præmissis, judicii contra ejus librum lati, auctoritas et æquitas jam vindicanda est.

ARTICULUS II.

Bullæ UNIGENIT. *auctoritas, æquitas genuinusque character statuitur ac vindicatur.*

Vix apud posteros fidem inveniet, quò tandem proruperit Novatorum in impugnandâ nuperâ Constitutione, temeritas et protervia. Si Quesnello fides : Bulla ferit 101 veritates quarum pleræque religioni sunt essentiales : ipsa legibus omnibus divinis et humanis adversatur : nequit recipi quin doctrinæ catholicæ, pietati, conscientiarum et Regnorum quieti, gravissimum inferatur detrimentum : imò, *ipsa* (horresco referens) *futurarum Antichristi tentationum, specimen est atque præludium.* Ita sæpiùs in suis adversùs Constitutionem libellis, audax ac temerarius Quesnellus. Audiatur in præfixâ Memoriali tertio admonitione, pag. 13 : « A la « vue de 101 vérités frappées d'un seul coup, « comment la foi des Fidèles ne serait-elle point « émue? Plusieurs sont essentielles à la Religion. » Ibid. pag. 14 et 15 : « On ne peut « pas les nier sans renoncer à la foi. » Et pag. 74 : « Mes propositions ne présentent point « d'autre sens que celui de sa doctrine (de S. « Augustin) : Qui peut dire par quels artifices « ils (les Molinistes) ont surpris la crédulité des « Consulteurs, et par eux la religion de S. S. « pour l'engager à proscrire une doctrine si « bien appuyée? » Rursùs, præfatione in septimum Memoriale, pag. 99 : « Tout cela, inquit, « ne prouve-t-il pas plus que suffisamment que « la Constitution a des défauts criants, surtout « en ce qui regarde la doctrine, qui ne permettent pas qu'elle soit ni reçue, ni tolérée « dans l'Eglise. » Et epistolâ ad unum ex Præsulibus Comitiorum an. 1714 : « La foi, la « morale, la discipline, tout cela se trouve

« mortellement blessé par la condamnation « étonnante des 101 propositions..... *C'est* (la Bulle Unig.) *un essai des tentations de l'Antechrist.* »

Non minùs procaciter ac contumeliosè Bullam traducunt Quesnelli asseclæ. Auctor Instrumenti Appellationis quatuor Episcoporum an. 1717 : « Nous mettons en avant et offrons de « prouver, que par la censure de quelques-« unes des propositions comprises dans la Bulle, « les fondemens de la Hiérarchie Ecclésiastique « sont ébranlés... que la Constitution renverse « de fond en comble les fondemens les plus as-« surés de la morale chrétienne et le grand « précepte de la charité... que diverses propo-« sitions condamnées par la Constitution, n'ex-« priment autre chose, que les sentimens des « Prophètes, des Apôtres et des SS. Pères, « sur la différence des deux Alliances : les au-« tres n'enseignent que ce qui est compris, « suivant S. Augustin, dans le premier article « du Symbole ; d'autres enfin... sont exprimées « dans les propres termes de l'Ecriture, des « Conciles, des Papes et des SS. Pères. »

Auctor Epistolæ sub nomine septem Episcoporum ad Innocentium Papam XIII an. 1721, de Constitutionis *Unig.* negotio agens : « Tout « est frappant, inquit pag. 7, dans cette af-« faire, soit pour le fond, soit pour la forme. » Tùm de primo capite sic loquitur : « La Reli-« gion attaquée dans ses dogmes ; la Hiérarchie « dans ses droits ; la Morale de J.-C. dans ce « qui en est la base et l'esprit ; les règles de « la Pénitence renversées ; l'ancienne et la « nouvelle Alliance confondues dans le point « capital où elles sont distinguées ; la toute-« puissance de Dieu soumise au libre arbitre de « l'homme, et suspendue selon son caprice ; « plusieurs autres vérités en péril ; le langage « de l'Ecriture et de la tradition proscrit : « voilà le sujet de nos plaintes. » Hæc de Bullæ doctrinâ. Pergit exindè, de ipsius formâ ac ratione, pag. 45 : « Dans cette malheureuse « affaire la forme répond au fond. Un aussi « étonnant Décret n'a pu être produit que par « une forme non moins étonnante, et ce pro-« cédé irrégulier, qui n'a point d'exemple dans « les siècles passés, en laisserait un, s'il était « autorisé, qui serait pernicieux pour l'avenir. » Quin et eò procedit personati hujus auctoris procacitas, ut non vereatur asserere, Bullam *Unig.* abnorme esse judicium quod nec Roma *ethnica* tulisset : « L'Eglise Romaine voudrait-elle, in-« quit pag. 55, approuver un aussi étrange ju-« gement? Rome païenne n'eût pu le souffrir. »

Insignis apud Quesnellistas Scriptor libri cui titulus : *Renversement des libertés de l'Eglise Gallicane*, tom. 2, pag. 550 : *Cet affreux Décret* (la Bulle *Unig.*) *renverse la religion tout entière*; (en condamnant tout ce que J.-C. est venu enseigner, et enseignant tout ce que J.-C. a condamné). *Dénoncer au concile cette Constitution, c'est sauver la foi, la morale et la discipline.* Illustris alter Quesnellistarum dux ac magister, in Scripto, cui titulus; *Réponse au premier avertissement de M. l'Evêque de Soissons*, parte 6, pag. 250, inflicta per Bullam, ut effutit, Ecclesiæ in suis dogmatibus vulnera, sic describit : « La Bulle, prise comme on doit l'entendre « de bonne foi, dans son sens propre, simple, « naturel et littéral, donne atteinte à la doc-« trine et à la discipline de l'Eglise ; elle con-« fond toutes les idées de la Religion Chrétienne « sur la différence des deux Alliances, sur la « toute-puissance que Dieu exerce sur le cœur « de l'homme sans blesser sa liberté, sur la « prédestination et la grace, sur la nécessité de « la charité et l'insuffisance de la crainte, sur « les dispositions requises pour être justifié dans « le Sacrement de Pénitence, sur la conduite « que doivent tenir les Ministres de ce Sacre-« ment, sur la lecture de l'Ecriture-Sainte, et « sur plusieurs autres points de la même im-« portance. » Mox addit : « La Bulle accable « de malédictions non seulement l'auteur du « livre qui n'a parlé que le langage de l'Ecri-« ture et des Pères ; mais elle rend suspect et « elle décrie ce langage même de la piété chré-« tienne, et les expressions les plus saintes et « les plus autorisées sous lesquelles la doctrine « de l'Eglise a été transmise d'âge en âge jus-« qu'à nous. » Et posteà pag. 281 : « On ne « peut recevoir la Bulle dans le sens naturel « des propositions ; c'est renverser la foi : on « ne peut la recevoir en s'écartant du sens na-« turel des propositions ; c'est renverser la « raison. Par conséquent la raison et la foi « concourent également à nous faire rejeter « une Bulle qui offense l'une et l'autre. »

Auctor libelli cui titulus : *Du Témoignage de la Vérité*, fervidus Quesnelli defensor, similia habet paragraph. 10 et 11 : « La Constitution « ébranle les fondemens les plus solides de la « religion... elle mérite l'anathème. » Ibid. paragraph. 12 : « Elle choque les vérités les plus « communes de la Religion. » Paria, imò et adhuc petulantiora, de Constitutione creberrimè pronuntiant plerique alii ardentiores Ques-

nellistæ : « C'est (quæ exscribere refugit animus) le signal d'une affreuse conjuration « contre la foi qui va s'etendre. — C'est la « ruine du Symbole des Apotres, de la priere « que J.-C. lui-même nous a mise dans la bou« che, et du Decalogue. — C'est l'abolition des « divines Ecritures : l'abomination de la déso« lation dans le lieu saint : *Le renouvellement « de la passion du Sauveur, qui est de nouveau « condamné et excommunié dans sa verité, comme « il l'a été dans sa personne par la sentence de « Caiphe.* » Ita fanatici auctores libellorum, *J.-C. sous l'anatheme*, passim : *La Constitution Unig. avec des remarques et des notes*, pag. 209 ; *Pratiques pour les amis de la vérité*, pag. 2 ; *Observations sur les propositions censurées*, etc. Hæc omnia citati auctores, etsi non singula singuli. Quid plura ? « C'est un veritable Dé« cret d'apostasie : c'est une apostasie complette « et si manifeste qu'on cesse d'être Chretien, « lorsqu'on est assez malheureux pour s'y sou« mettre ; » ita in Scriptis : *Entretiens d'un Jésuite et d'une Dame*, pag. 603 : *Suite des lettres à un Magistrat*, pag. 39 : « C'est un Decret « tel que Rome païenne n'eût pu le souffrir. » Ita auctor Epistolæ ad Innocent XIII sub nomine illustrissimi de Colbert, Montis-Pessulani episcopi, pag. 20. Non absimilia habet anonymus scriptor Epistolæ ad Benedict. XIII pag. 17, etc. Denique, quod cuncta ab infrunitis, venenatisque calamis adversùs præfatam Constitutionem inverecundè prolata, paucis complectitur : *C'est l'ouvrage du Diable.* Ita furens auctor Epistolæ quæ asservatur in Bibliothecâ regiâ, sub hoc titulo : *Lettre de Dom Thierri, en date du* 18 *Février* 1725.

Jam verò, hæc atque alia, Quesnelli ejusque asseclarum nefaria circà Constitutionem *Unig.* convicia, ut ex ordine refellamus, tria quæ fert præsentis articuli titulus, triplici exequemur paragrapho, adversus falsa totidem et erronea dissidentium placita. I°. Æquitatem seu canonicitatem Bullæ *Unig.* demonstrabimus. II°. Inconcussam ejusdem stabiliemus auctoritatem. III°. Naturam, genuinumque ipsius characterem aperiemus. Tribus his rite ac firmiter statutis, nonnulla gravissimi momenti, quæ exindè sponte fluunt, eruentur consectaria : sit itaque

§ PRIMUS. *Bullæ* UNIGENIT. *asseritur æquitas ac canonicitas.* Decreti alicujus æquitas seu canonicitas, triplici intelligi potest et adstrui ratione ac methodo. Primò : demonstrando juxta omnes præscriptas à jure regulas, latum fuisse Decretum. Secundò : ostendendo Decretum illud, dogmaticum esse universalis Ecclesiæ judicium : quis enim iniquum ausus fuerit pronuntiare, in materiâ præsertim doctrinali, totius Ecclesiæ judicium ? Tertio : theologice probando, hoc est, ex Scripturis et traditione evincendo, sancitam per Decretum doctrinam, rectæ et catholicæ fidei congruere : proscripta verò dogmata, eidem fidei repugnare, eique plusve, minusvè adversari. Nunc in asserendâ Constitutionis *Unig.* æquitate, priori hærebimus methodo : ex dicendis vero sequentibus paragraphis, necnon articulo tertio, facillimum erit duplici posteriori methodo, ejusdem Apostolici Decreti æquitatem clare colligere.

CONCLUSIO. Æquissima est et canonica Clementis XI. Constitutio, quæ incipit *Unigenit.*

Probatur 1°, his omnibus momentis quibus supra disputat. de Baio, et disputat. de Jansenio, evicimus, Bullas Urbani VIII *In Eminenti* adversus Baium, et Innoc. X. *Cum occasione* adversus Jansenium, æquissimas fuisse ac canonicas : hæc enim omnia, quod vel leviter attendenti manifeste patebit, Constitutionis *Unig.* æquitatem ac canonicitatem perinde adstruunt. Probatur 2°, illa profectò æquissima est et canonicé lata definitio, quæ data fuit à sanctâ Sede, post maturum examen, ad instantiam episcoporum ; et quâ exitialis ac perniciosus proscribitur liber, servatis ad amussim debitis formalitatibus : atqui sic se habet Constitutio *Unig.* ; ergo. Major ex sese, et ex omnium consensu certissima est. Minor verò per partes demonstratur.

I° quidem, data fuit à sanctâ Sede, veraque est ipsius lex : namque primò, à summo pontifice Petri successore, Christique in terris vicario, lata est, de consensu cardinalium ; secundò, ad cunctas directa Ecclesias ; tertiò, rite promulgata ; primùm Romæ, tum in Galliis ubi natus fuerat error. Quæ tria, ex *tenore* bullæ, et ex dictis in *Synopsi historicâ* constant. Verum est ergo bulla *Unig.* sanctæ Sedis judicium, veraque lex.

II°, nonnisi post maturum examen lata fuit : præterquam quòd enim jam accuratè Romæ perpensus fuerat *Reflexionum moralium* liber, cum a Clemente XI proscriptus est speciali Decreto die 13 julii an. 1708, maturiori adhuc examine discussus fuit, antequam solemnis adversùs ipsum daretur Constitutio *Unig.* uti disertè testatur in eâdem constitutione S. pontifex : ibi enim de præstitâ à se in eo novo examine perficiendo, quàm maximâ curâ ac

diligentiâ sic habet : « Hinc adspirante Domino, « ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus se« dulò diligenterque, ut rei magnitudo postula« bat, aggressi sumus, ac plurimas ex prædicto « libro, juxtà suprà recensitas respectivè edi« tiones fideliter extractas, et tum gallico, tum « latino idiomate expressas propositiones à « compluribus in sacrâ theologiâ magistris, « primò quidem coram duobus ex venerabilibus « fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ « cardinalibus (Ferrari è sacrâ Dominicanorum « Familiâ et Fabroni è Clero) accuratè discuti : « deinde verò coram nobis, adhibito etiam « aliorum plurium cardinalium (Spada, Cas« sini et Tolomei) consilio, quàm maximâ di« ligentiâ ac maturitate singularum insuper « propositionum cum ipsomet libri textu exac« tissimâ collatione, pluries iteratis congrega« tionibus, expendi et examinari curavimus. » Et reipsâ, totum illud examinis negotium tantâ curâ peragi voluit S. pontifex Clemens XI, ut congregationibus non interfuerit modò, summâque præfuerit attentione, sed et à se compositis, et propriâ manu conscriptis animadversionibus, disertè Consultorum expenderit suffragia, suamque quoad propositiones singulas distinctè ac dilucidè enuntiaverit sententiam. Perduravit autem examen illud plus quam annum integrum. Si talis inquisitio, talisque diligentia, ad accuratam discussionem non sufficiat, quod unquam sufficere valeat omninò non intelligitur.

III° insuper, præfata Constitutio ad instantiam episcoporum, necnon ad repetitam regis Christianissimi efflagitationem data est, ad compescendos nimirùm emergentes in Galliis, occasione libri *Reflexionum moral.* motus : utrumque ibid. clarè significat S. pontifex : « Frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum que« relis, inquit, MAXIMÈ VERÒ COMPLURIUM VENERA« BILIUM FRATRUM, PRÆSERTIM GALLIÆ EPISCOPO« RUM, LITTERIS AC PRECIBUS EXCITATI, gliscenti « morbo (editâ Constitutione) obviam ire « decrevimus. » Et paulò post : « Non modò « præfati episcopi, sed et ipse inprimis charis« simus in Christo filius noster Ludovicus « Francorum rex Christianissimus..... sæpiùs « nobis est contestatus, repetitis propereà « verè piis et Christianissimo rege dignis offi« ciis, atque ardentibus votis à nobis efflagi« tans, ut instanti animarum necessitati, pro« latâ quantociùs Apostolici censurâ judicii, « consuleremus. » Scilicet, ut supra notavimus, occasione Quesnelliani libri graves inter episcopos excitatæ fuerant contentiones, ut autem illa componerentur dissidia, apostolicæ Sedis judicium ab episcopis imploratum fuit, præcibusque sæpiùs iteratis pontificem sollicitavit rex Christianissimus ut imminenti malo, solemni editâ Constitutione, occurreret. Hæc porrò episcoporum, regisque Christianissimi agendi ratio omninò erat canonica; ut enim ex constanti praxi et Ecclesiæ canonibus probat Petrus Aurelius, auctor adversariis minimè suspectus, *in octo causas spongiæ præambulas*, pag. 210, tunc ad Sedis apostolicæ judicium necessariò recurrendum est, cùm causa ita obscura est et perplexa, ut de illâ propter disceptationem consentire non possint episcopi : « Cùm enim, inquit ille, tunc nihil liqueat de « quo judicetur, necesse est consilium peti à « majoribus, controversiamque eorum judicio « reservari. » Mox addit : « Ita passim Patres « de causis omnibus majoribus statuunt. »

IV°. Liber *Observationum moralium* Constitutione *Unig.* proscriptus, omninò perniciosus est.

Constat 1°, quia id fassi sunt vel ipsimet episcopi qui dictæ Constitutioni obstiterunt : ii enim omnes, uno excepto Mirapicensi, libri illius lectionem prohibuerunt, et in suis Mandatis eumdem proscripserunt, veluti *renovantem errores Jansenismi;* veluti *erroribus jam damnatis faventem;* veluti *inducentem fideles in errorem, præcipuè circa propositiones Jansenii :* ita archiepiscopi Parisiensis et Turonensis, episcopi Bayonensis, Virodunensis, Catalaunensis, Macloviensis, in suis Pastoralibus Documentis, an. 1714, diserta eâ de re cardinalis Noallii testimonia supra exscripsimus : præstat hìc Bayonensis episcopi verba referre : « Tous les « évêques, inquit 22 martii ejusdem anni, « animés d'un zèle égal contre le Jansénisme, « et contre les ouvrages qui pouvaient en re« nouveler les erreurs..... n'ont pas balancé à « *proscrire* celui-ci. » Quod isti suis Mandatis seorsim pronuntiârunt episcopi, id conjunctim testati sunt in instrumento denuntiationis ab ipsis constituto, die 12 januarii 1714, sic in eo declarant : « Nous sommes très éloignés de « vouloir favoriser le livre des Réflexions, ni « l'auteur : nous reconnaissons que *ce livre doit « être ôté des mains des fidèles ;* nous sommes « résolus de le *condamner* et de le défendre « dans nos diocèses. » Notanda maximè his in textibus, verba ista, *condamner*, *proscrire :* quæ non de merâ libri Quesnelli prohibitione aut interdictione œconomicâ sunt intelligenda ; sed de verâ damnatione : hæc autem cùm sit

nota theologica, judiciumque dogmaticum, perversam habet pro objecto immediato libri proscripti doctrinam.

Constat 2° dicti libri perversitas, quia Quesnellus, ejusque consiliorum omnium participes ac socii, non dissimulârunt eo fine *Observationes morales* in novum Testamentum concinnatas fuisse, ut Jansenianæ sectæ dogmata magis ac magis stabilirentur, utque Ecclesiæ pastoribus, quasi veritatis vexatoribus, exprobraretur prætensa persecutio in Jansenii discipulos. Ita apertè declarant Dominus Isole (ipse est in clavi Quesnellianâ, D. du Guet) epistolâ ad Quesnellum datâ die 15 martii an. 1690. Villartus epistolâ ad eumdem 12 aprilis 1697. Idem fatetur et clarè tradit ipsemet Quesnellus in suâ ad eumdem Villartum responsoriâ epistolâ die 19 aprilis ejusdem anni 1697; harum omnium litterarum authentica et disertissima exhibent testimonia extracta eminentiss. de Bissy, in theologico quem suum fecit Tract. tom. 2, pag. cxlvj et cxlvij, illustriss. Senonens. archiepiscop. quintæ suæ Pastoral. Epistolæ part. 1, pag. 670 et 671, necnon Lucionensis et Ruppellensis episcopi Documento Pastorali an. 1711. Eadem refert auctor libri Bruxellis editi an. 1705, cui titulus *le P. Quesnel séditieux dans ses Réflexions sur le N. Testam.* pag. 67, 68, etc., nec usquam reclamârunt Quesnell. aut ejus discipuli. Ex quibus liquidò patet, hanc fuisse Quesnelii in conscribendis moralibus Reflexionibus mentem, ut ne parceret iis quos ipse appellat *vexatores veritatis;* quâ nimirum appellatione summum pontificem intelligit, et episcopos eos qui Jansenianam doctrinam damnârunt. Satis fuerit impræsentiarum ipsa Quesnelli verba referre: Villartus ad Quesnellum scripserat, nimiam in libro Reflexionum moralium affectationem, nimiumque studium videri, in iis notandis et arguendis, qui prætensos Augustini discipulos vexabant ac persequebantur; sic autem citatâ mox epistolâ rescribit Quesnellus: « Mais cela paraît « trop affecté? *Tant mieux*: il y a une bonne « affectation: qu'on dise un jour que le livre « en question a été fait durant la persécution, « on ne se trompera pas: si les persécuteurs « le prennent pour eux; c'est ce qu'on désire; « qu'ils en soient touchés. » Nihil disertiùs.

Hìc fatetur ultrò Quesnellus, « se in mente « et votis habuisse, ut vexatores id quod ipse « scripserat sibi dictum putarent; » fatetur verè deinceps dictum iri, « fuisse suum opus vexa- « tionis ac persecutionis tempore conscriptum; « imo expedire ut id dicatur; « fatetur id se « consectatum sedulò fuisse, ut Scripturæ loca « ad vexatores transferret; » sed nimirum addit « hanc bonam esse probandamque affectatio- « nem, et sancti Augustini exemplo, » qui ad Donatistas, Arianos, Pelagianos aliosque sui temporis hæreticos, ea de quibus ad populum verba faciebat, solebat accommodare, *id a se factitatum esse*, ibidem contendit. Quæ quidem aperta ac multiplex Quesnelli confessio, ipsum erronis ac rebellionis spiritu ductum fuisse in suo componendo opere, prodit ac manifestat, adeoque dictum opus meritò reprobandum ac proscribendum.

Constat 3° ejusdem Quesnelliani libri nequitia, quia præfato libro, præsertim verò damnatis 101, propositionibus, integra renovatur, et ad amussim continetur genuina Jansenii doctrina: id ultrò confitentur ac constanter tradunt, imò in eo jactantiùs gloriantur Quesnellus, ejusque celebriores asseclæ; de quo videri possunt citata initio hujusce paragraphi expressa eorum testimonia: necnon *Caus. Quesnell.* pag. 167, et seqq. hincque non ignobilis apud Quesnellistas auctor libelli cui titulus: ***Quatrième Gémissement de Port Royal,*** ita scribebat: « Les 101 propositions condam- « nées renferment justement toutes les vérités « différentes que les disciples de S. Augustin, « ont toujours soutenues depuis 70 ans. » Jam verò ex abundè dictis et probatis canonico et irretractabili judicio damnata fuit genuina Jansenii doctrina; jure ergo ac meritò proscriptus quoque fuit tot nominibus exitiosus *Reflexionum moral.* liber, hæreticam Jansenii doctrinam restaurans, totque ac tam perversas continens, apertèque tradens propositiones.

Constat 4° quia ex *moralibus Reflexionibus* extractæ et per Bullam *Unig.* damnatæ 101 propositiones censurâ dignissimæ sunt, ut ex brevi earum instituendâ sequenti articulo analysi, planum fiet; ergo. His adjici potest, concors omnium cujuscumque regionis episcoporum et cardinalium, necnon quinque continenter Romanorum Pontificum suffragium, in reprobandis Quesnelli libro et 101 propositionibus: is sanè constans et unanimis consensus; nefariæ libri et propositionum doctrinæ, apertissimum est et certissimum argumentum. Consule sequenti paragrapho dicenda.

5° denique, dicta Constitutio præfatum librum, extractasque ex eo damnans propositiones, servatis ad amussim formalitatibus lata est, nullisque scatet abusibus aut defectibus:

nulli in ipsius formâ, aut in modo et ratione quâ data est, occurrunt reprehendendi abusus, nullæque clausulæ moribus et usibus nostris repugnantes : in toto siquidem hoc negotio, ad declinandas dissidentium vitiligationes, sedulò omissæ sunt loquendi rationes, cæteraque externa et ascititia quæ usibus nostris Gallicanis non satis congruunt. Ita vel ex ipsà solà contextùs Bullæ inspectione ; necnon ex præmissà modi quo Bulla lata est, historicâ narratione manifestè patet. Atque hinc regius in supremo Senatu procurator D. de Fleuri, in suà an. 1714, ad supremam curiam Oratione pro regii Diplomatis super promulgatione Constitutionis *Unig.* in Acta relatione, de istâ Bullâ sic habet : « On « ne trouvera point dans la forme extérieure « de cette Constitution (*Unigenit.*) ni la cause « du propre mouvement du Pape, ni les autres « clauses ordinaires contre lesquelles notre « ministère nous a souvent obligés de nous éle- « ver........ On y fait même une mention ho- « norable des instances réiterées du Roi qui « ont donné lieu à la constitution. » Hæc, ex dicendis mox, et in solutione objectionum, iterùm illustrabuntur. Est ergo Constitutio *Unig.* post maturum examen, ad instantiam episcoporum à sanctâ Sede, servatis exactè formalitatibus data ; est, inquam, omni ex parte legitima, nihilque ipsius æquitati ac canonicitati deest.

Probatur 3° : cunctis confitentibus Orthodoxis, dogmaticum universalis Ecclesiæ judicium erroris, aut injustitiæ incusari nequit; neque defectu formalitatum hujusmodi judicio detrectari potest obedientia : aliàs de Ecclesiæ infallibilitate ac Sanctitate prorsùs foret conclamatum : atqui ex demonstrandis duobus sequentibus paragraphis, Bulla *Unig.* dogmaticum est totius Ecclesiæ judicium ; ergo. Vel hoc unicum argumentum invictum omninò est ac decretorium. Unum hîc addo : cunctis, quas ex defectu formalitatum undequaque congerunt adversarii, dissolvendis querelis et expostulationibus ex se planè sufficiens : scilicet, vitiosum ex parte formæ decretum; neglectis ac posthabitis formalitatibus acceptari potest ac debet quoad doctrinam auctoritate legitimâ proscriptam : formalitates enim assertæ veritati cedere debent; hæcque illis prævalere. Ita disertè præsules Gallicani, in comitiis Provincialibus an. 1699 habitis, occasione Constitutionis Innocent. XII adversùs librum *De Placitis Sanctorum ;* inprimis verò Cardinalis Noallius in Conventu Parisiensi ejusd. anni 1699. Vide suprà, ubi de Baïo. Quidquid itaque sit de prætensis adversùs Constitutionem *Unig.* ex defectu formalitatum improperatis abusibus, eò præcisè ipso quòd, uti sequentibus demonstrabitur paragraphis, dogmatica sit universalis Ecclesiæ lex, vim habet ineluctabilis definitionis, cui Fideles omnes interno mentis assensu acquiescere tenentur. Verùm, ut Apostolici hujus Decreti magis ac magis firmetur ac innotescat æquitas ac canonicitas,

Solvuntur Objectiones. — Quæ ad labefactandam Constitutionem *Unig.* ipsiusque æquitatem ac canonicitatem proscindendam, expostulationes et convicia passim protrudunt Quesnellus, ejusque sequaces : alia spectant personam Quesnelli ; alia librum ipsius ; alia doctrinam in 101 propositionibus proscriptam ; alia modum configendi dictas propositiones ; alia libertates nostras, quas Clementinâ Constitutione funditùs eversas, præfidentiùs jactitant. Juvat ea sigillatim referre, ac paucis confutare.

Dices 1°. Quesnellus non est auditus antequàm damnaretur ; ergo non fuit canonica illius damnatio ; imò, *vel ipsa* damnatorio hujusmodi judicio, *humanitatis et Gentium jura violantur, quibus sacratissimè cavetur ne quis inauditus damnetur et indefensus.* Ita sæpiùs Quesnellus in suis *Apologeticis et Memorialibus* : ita etiam Quesnelli defensor in *Hexapl.* an. 1714. præfat. pag. 39 et 42. auctor respons. sub nomine sex Episcop. ad Documentum Pastorale Eminentiss. de Bissy an. 1722. cap. 1, pag. 3 et 4, necnon scriptor libelli cui titulus : *La Vérité rendue sensible,* art. 5 sect. 1, pag. 189, aliique. Respondeo : ubi de libro, vel textu aliquo damnando agitur, necesse non est ut auctor audiatur ; liber enim ipse pro se testimonium perhibet : porrò Constitutio *Unig.* versatur circà librum proscribendum, et configendas ex eo extractas propositiones, quarum doctrina et sensus obvius discuti facilè potuit absque auctoris præsentiâ : non debuit ergo audiri Quesnellus. Ita fermè in simili occasione respondet illustriss. Bossuet. scribens ad Moniales Portûs Regii : « Je ne m'arrêterai point, « inquit pag. 10, à ce que l'on objecte, que le « Pape n'a entendu qu'une des parties avant de « condamner les propositions et le livre même « de Jansénius. Car... il suffit de dire en un « mot... que dans un tel examen, un livre est « lui-même son accusateur, et lui-même son « défenseur.... et à parler proprement, il n'y « a point d'autre partie à entendre que le livre « même. » Idem doctissimus præsul simillima

tradit in causâ illustrissimi Cameracensis Archiepiscopi : « La seule pièce nécessaire, inquit, in notis super Responsione ad narrationem Quietismi art. 11, pag. 200, au jugement que l'on attend avec respect; c'est le livre des *Maximes des Saints* en original et bien distingué de sa version infidèle, et de ses interprétations captieuses et après coup. » Inaudito ergo auctore, imò nec lectis in defensionem libri scriptis, jure ac meritò liber proscribi potest. Ad id quod additur, *Jura sacratissimè cavere ne quis inauditus damnetur* : effatum, ut verba ipsa indicant, de *personali*, non de *dogmatico* exponendum judicio; hoc est, de *personâ*, non de *libro* auctoris intelligendum. Scilicet, secundùm Ecclesiæ Canones (idque naturali consentaneum est æquitati), nemo propter assertos errores personaliter damnatur, nisi priùs ipse auditus, aut saltem citatus sit, constetque ipsum dictos errores reipsâ propugnasse, iisque pertinaciter adhærere: sic Quesnellus ab archiepiscopo Mechliniensi juridicè citatus est, antequam ut contumax et fugitivus damnaretur; sic etiam paulò ante auditus fuerat Petrus Codæus Romæ citatus ob Jansenismi suspicionem, et ab Apostolico per Belgium Vicariatu idcircò depositus. Verùm, uti jam dictum, in Constitutione *Unig.* non de *personali causâ* Quesnelli actitatum fuit, sed quæstio ibi mota de *dogmaticâ causâ*, hoc est, de libro Reflexionum moralium, et propositionibus ex illo extractis : de quibus, quemadmodùm asserit doctiss. Bossuet. mox citatus, ex solâ textûs inspectione absque ullâ auctoris interpretatione, pronuntiare licet. Hinc, uti supra notavimus, omnes episcopi dissidentes, uno fermè excepto Mirapicensi D. *de la Broue*, publicis instrumentis *Reflexionum moral.* librum prohibuerunt ac damnaverunt, ipso tamen *personaliter* inaudito Quesnello : quin et octo ex ipsis, duce Eminentiss. Card. Noallio, in contestatâ denuntiatione 12 januarii 1714, conjunctim latâ, suum de libro Quesnelli quem in propriâ personâ nondùm audiverant, judicium ita aperiunt : « Les cardinaux, archevêques et évêques soussignés déclarent... qu'étant très éloignés de vouloir favoriser le livre des Réflexions, ni l'auteur, ils reconnaissent que ce livre doit être ôté des mains des Fidèles, et ils ont résolu de le condamner et d'en défendre la lecture dans leurs diocèses. » Ipsemet Quesnelli Apologista qui objectionem proponit, denuntiationem hanc laudat pag. 51 et 52, huicque, subscripsêre duo illustriss. de Caylus Altissiodor, et de l'Angle Boloniens. episcopi, ex præsulibus quorum nomine scripta est citata ad dictum Documentum Eminentiss. de Bissy Responsio, in quâ eadem etiam fit objectio. Atque hæc semper fuit constans Ecclesiæ praxis, ut libri et scripta inauditis auctoribus plerumque proscriberentur. Sic tria famosa capitula in Concilio V œcumenico fuêre damnata quorum auctores pluribus anteà sæculis è vivis excesserant : sic etiam in eodem Concilio, proscripta Origenis tribus anteà seculis demortui doctrina. Quin et S. Pontifex Theodorus ad Paulum Constantinopolitanum Patriarcham scribens, declarat, in Pyrrhum licet absentem, inquiri posse, ipsiusque litem ordinari ac deponi; quòd scilicet extarent ipsius scripta veritati apertè adversa, notoriique forent ejusdem excessus : « Non enim, inquit t. 5, Concil. pag. 1777, præsentia ejus necessaria est, ubi excessus ejus et scripta veritati repugnantia præsto sunt. » Quantò potiori jure idem dici potest in præsenti Quesnelli Causâ !

Dices 2°. Damnari non potuit, nec debuit, liber qui diutissimè à fidelibus non innoxiè tantùm legebatur, sed etiam cum spirituali quamplurium profectu, idque nemine contradicente, imò plurimùm approbantibus plerisque doctrinâ ac pietate eximiis præsulibus : atqui sic est de Quesnelli libro : à 40 propemodùm annis fructuosè lectitatus fuerat, generaliter approbatus in Ecclesiâ ; ergo, etc. Ita Quesnelli defensor, *Hexapl.* auctor Tom. 1. Paragraph. 1, pag. 6, 7 et seqq., ubi prætensam hanc generalem libri *Observat. moral.* approbationem fusè prosequitur. Respondeo 1°, negando maj. constat enim pluribus exemplis, plerosque exitiales libros nonnisi multò post ab ipsorum editione proscriptos fuisse ab Ecclesiâ : namque Origenes famosum suum *de principiis* opus scripsit circà an. 217, nec tamen damnatum fuit à sanctâ Sede, nisi circa annum 400, *Anastasio* S. Pontifice ; ipsaque universa Ecclesia idem opus non proscripsit nisi an. 553, in concilio quinto œcumenico, hoc est, tribus plusquàm sæculis à morte auctoris. Pariter scripta Theodori Mopsuesteni edita quarto sæculo, non fuerunt tamen confixa nisi circa medium sexti sæculi, in eodem V Concilio generali. Innoxium ergo non ex eo præcisè dijudicandum opus, quod diù in Ecclesiâ indemnatum permanserit. Respondeo 2°, negando min. siquidem ex dictis in historicâ causæ Quesnellianæ synopsi planè liquet, librum Quesnelli ubi sufficienter innotuit, à plu-

ribus statim Doctoribus et Episcopis fuisse impugnatum et damnatum. Vide suprà art. 1 paragraph. 2, quæs. 3 et 4. Falsum est ergo quòd ejusd. libri acerrimi defensores arrogantiùs jactitant, 40 annis publicâ laude ac constanti pace potitum fuisse *Reflex. moral.* librum.

Dices 3°. Libertates nostras lædit aut etiam destruit constitutio *Unig.;* numquid enim Gallicanis stando libertatibus, causa libri Quesnelli priùs judicari debuisset in Galliis ubi controversiæ enatæ fuerant, quàm Romæ ; ergo. Istud ex eversis, ut jactant, per Clementinam constitutionem nostris libertatibus, indesinenter obtrudunt Quesnellistæ. Ita auctores omnes citati initio hujusce paragraph. inprimis anonymus scriptor libri cui titulus : *Renversement des libertés de l'Eglise Gallic.* etc. Respondeo quod hìc perpetuò opponunt adversarii, inane prorsùs esse terriculum, merumque effugium ad cudendas tenebras, fucumque incautis aut imperitis faciendum. Enimverò quorumnam, quæso, est scire nùm Pontificio aliquo decreto violentur Ecclesiæ Gallicanæ et regni libertates ac jura ? an privatorum quorumdam variis partium studiis ac præjudiciis abreptorum? an regis ipsiusmet, supremorum magistratuum, ac maximè episcoporum , quibus præ cæteris incumbit quæ sint Ecclesiarum suarum libertates agnoscere, easque tueri? Porrò, quidquid sit de pauculis nonnullis Quesnellianarum partium studiosis ; certè Regia Majestas, supremi magistratus, ipsique præsules nostri, neutiquam judicant libertates Gallicanas, juraque regni constitutione *Unig.* labefactari. Et quidem 1°, regni ac regiæ suæ auctoritatis jura, dictâ constitutione minimè violari judicavit Ludovicus XIV. Is enim hujus Bullæ promulgationem et executionem omni studio curavit datis hanc in rem 14, februar 1714, Regiis litteris. Augusti decessoris sui vestigiis firmiter insistens Ludovic. XV, idem non minori studio variis decretis ac diplomatibus firmavit Ludovicus XV, præfatamque Bullam in universo suo regno vim legis obtinere disertè declaravit, præsertim Edictis 1720 et 1730, necnon decreto sanctioris Consilii 21 februar. an 1747, in quo sic legitur : « Il semble qu'on n'ait cherché qu'à faire valoir encore le vain prétexte de la conservation des Maximes du Royaume : prétexte dont les ennemis de la constitutation ont si souvent abusé pour faire croire au Public qu'ils étaient les seuls défenseurs de ces Maximes, dont sa Majesté a été et sera toujours le protecteur. » Eâdem quoque Constitutione, libertates Ecclesiæ Gallicanæ nullatenùs lædi, nedùm judicàrunt, sed et invictè demonstrârunt præsules nostri, tum in eximio pastorali documento an. 1714, tum in duobus an. 1717 ad Aurelianensium ducem, supremum tunc regni moderatorem, memorialibus; tum in doctrinali suo, super consultatione causidicorum Parisiensium, judicio an. 1728, regio jussu lato : istud idem, cardinales, archiepiscopi et episcopi, pluribus aliis publicis instrumentis, conjunctim separatimve pro datâ occasione, luculenter declarârunt : hincque omnes, paucissimis exceptis, dictam Constitutionem, tum in frequentibus Cleri comitiis, tum in privatis suis sedibus, omni obsequio ac veneratione exceperunt. Denique in supremarum omnium curiarum Tabulas inscripta fuêre regia pro Constitutionis *Unig.* executione diplomata : atque unus è præcipuis Magistratibus (D. de Fleuri), expressè de illâ Bullâ asseruit : « On ne « trouvera point dans sa forme extérieure les « clauses ordinaires contre lesquelles leur Mi« nistère les a souvent obligés de s'élever. »

His certè omnibus Ecclesiæ et Regni libertatum locupletissimis testibus planè constat, nec Gallicanæ Ecclesiæ libertates, nec Regni jura Clementinâ Constitutione ullatenùs violari. Etverò, Ecclesiæ Gallicanæ libertates, ex illustrissimis Bossuet et Marcâ, generatim ac potissimùm consistunt in jure insistendi antiquis Canonibus et usibus *Apostolicæ Sedis et Ecclesiarum consensione* firmatis, novosque quos sibi expedire judicaverit inducendi ; modò *nec fidei, nec moribus, nec receptis per totam Ecclesiam consuetudinibus* adversentur : atqui prædictis Canonibus et usibus, ut per se patet, ne vel minimùm obsistit aut reluctatur Clementina Constitutio : nimirum post maturum ac diligens examen data fuit ad instantiam Episcoporum qui Sedem Apostolicam, ut in causis majoribus fieri solet, consuluerant : novam ipsam non infert disciplinam, sed perniciosam in libro Quesnelli contentam proscribit doctrinam : ipsa demum, ut ex dictis et probatis liquet, servatis ad amussim debitis formalitatibus, promulgata fuit, uti jam ostensum est ; ergo præfata Clementis XI Constitutio Callicanis libertatibus neutiquam adversatur. Ad id quod in confirmationem propositæ objectionis opponitur : scilicet, juxtà laudabiles Ecclesiæ Gallicanæ libertates, priùs causam libri Quesnelli indicari debuisse in Galliis ubi exortæ fuerant controversiæ : respondeo nodum hunc liquidò expeditum fuisse et abundè solutum,

diluendo suprà simile prorsus adversus canocitatem damnationis Jansenii argumentum : vide supra. Addo, disertam hanc fuisse ac unanimem Cleri Gallicani in variis comitiis sententiam ; dogmaticas fidei causas, illæsis episcoporum juribus, ab Apostolicâ Sede discuti ac dijudicari posse, ante latum episcoporum apud quos motæ fuerunt controversiæ judicium. Ita eminentiss. Noallius, prout refertur in Actis verbalibus comitiorum generalium an. 1700, pag. 286 : « Souvent les causes de la foi ont été portées immédiatement au S. Siége, surtout lorsque les erreurs étaient soutenues par les évêques. » Ibidem, archiepiscop. Rhemens. et Turonens. pag. 304 et 399 : « Ce serait une ignorance grossière, de prétendre que les questions de la foi doivent toujours aller par degrés.... On a commencé par le jugement du Supérieur, quand on l'a jugé nécessaire, comme le plus propre et le plus efficace. » His consentaneè D. d'Aguesseau, Franciæ Cancellarius, in egregiâ quam habuit ad supremum Senatum Parisiensem Oratione, pro perscriptione Bullæ Innocent. XII adversùs librum : *De Placitis Sanctorum*, sic habet : « La forme de la décision peut être différente, quand il ne s'agit que de censurer la doctrine, et non pas de condamner la personne de son auteur : et quoique la vigilance du Saint-Siége prévienne celle des autres Églises, le droit des évêques demeure le même inviolablement. » Porrò in præsenti negotio, non de personali Quesnelli causâ, sed de proscribendo dogmatico ejus libro agebatur : minimè ergo labefactatæ libertates Ecclesiæ Gallicanæ, latâ primùm Romæ in librum Quesnelli censurâ.

Dices 4°. Nonnullis ex propositionibus damnatis, præsertim ex 91 circà excommunicationem, quæ sic ait : « La crainte d'une excommunication injuste ne nous doit jamais empêcher de faire notre devoir ; » inferri omninò potest aliquid Regni usibus et Regum nostrorum auctoritati contrarium : hinc in ipsâ regii Diplomatis relatione in acta supremæ Parisiensis curiæ, inserta exceptio, his verbis : « Sans que la condamnation des propositions qui regardent la matière de l'excommunication puissent donnner atteinte aux maximes et usages du royaume, etc. » ergo. Respondeo distortè omninò ac nequiter contra obvium Constitutionis sensum à malignis hominibus ad conflandam Decreto Apostolico invidiam, istas Regni et Regum nostrorum juribus adversas ex Clementinâ Constitutione erui consecutiones : nihil simile ex tali Decreto sequi, apertissimè demonstrant præsules nostri in eximio suo an. 1714 Documento, tum ex propriis citatæ propositionis verbis ; tùm ex subjectâ materiâ : tum ex variis auctoris, loci et temporis circumstantiis. Describendum hìc, tametsi prolixius, doctissimorum Præsulum testimonium, adeò egregium est, et præsenti nostræ causæ accommodatum. Exscriptâ 91 propositione : *La crainte d'une excommunication injuste ne nous doit jamais empêcher de faire notre devoir ;* sic inquiunt illustriss. antistites : « Si l'injustice de l'excommunication est constante, si le devoir est un devoir réel et véritable, la proposition renferme une vérité à laquelle il est impossible de se refuser ; mais si l'excommunication n'est injuste que dans l'idée de celui qui en est frappé ; si le devoir est un faux devoir ; s'il y a même de l'incertitude sur l'injustice de l'excommunication et sur la réalité du devoir, la proposition est fausse.... C'est au tribunal de leur conscience qu'ils s'en rapportent pour décider de la justice, ou de l'injustice de l'excommunication ; ils la trouveront certainement injuste : et elle ne les empêchera pas de faire ce qu'ils appellent leur devoir. » Perguat : « La circonstance des temps et des erreurs, qui affligent l'Église ; la nature de l'ouvrage, la situation de son auteur, tout sembloit exiger que dans une matière aussi délicate, on s'expliquât clairement et sans ambiguité ; et tout détermine au mauvais sens, quand le vrai sens n'est pas mis en évidence. Pour en être convaincu, il n'y a qu'à lire les écrits, qui depuis près de 60 ans, qu'on a commencé à demander la signature du Formulaire, ont été répandus dans le Public. Ils enseignent qu'une excommunication injuste ne doit jamais empêcher de faire son devoir ; mais ils décident en même temps, que le refus de la signature du Formulaire est un vrai devoir ; et que l'excommunication attachée au refus de cette signature, est une excommunication injuste.... Par là un prêtre attaché à leur doctrine, s'autorise à ne pas signer le Formulaire, et à dire la Messe, quoiqu'il soit interdit : un laïque à faire ses Pâques, quoiqu'il soit excommunié.

« Reconnaissez, mes chers frères, les justes raisons, qui ont porté le souverain Pontife à condamner cette proposition ; reconnais-

« sez aussi (notanda verba) l'artifice avec « lequel on a publié que l'esprit de la Constitution étoit, qu'on déférât à toutes sortes « d'excommunications, sans excepter même « celles, qui seraient lancées pour nous faire « agir contre des devoirs essentiels et invariables, afin d'alarmer par cette supposition « les Fidèles de tous les états, et les magis- « trats en particulier. » Paucisque interpositis, concludunt : « Il aurait donc fallu, si l'on « voulait parler de l'excommunication injuste, « distinguer les différentes sortes d'excommu- « nications injustes, et les différentes espèces « de devoirs : il aurait fallu observer que cel- « les, qui sont *à jure*, c'est-à-dire qui sont « fondées sur les anciens Canons et sur les dé- « cisions reçues généralement dans l'Église, « ne sont jamais injustes ; quoique celles, qui « sont *ab homine*, c'est-à-dire, qui partent de « quelque Puissance Ecclesiastique, puissent « être injustes quelquefois. Il aurait fallu en- « seigner que chaque particulier n'est pas Juge « de la justice ou de l'injustice de l'excommu- « nication contre lui ; que dans le doute, la « présomption est toujours pour les Supé- « rieurs, et que les inférieurs doivent obéir « jusqu'à ce que le doute soit levé par un ju- « gement juridique. Il aurait fallu distinguer « les devoirs de la loi naturelle et divine, qui « sont immuables, tels que sont le culte de « Dieu, la fidélité qu'on doit à son Prince et « à sa Patrie ; et les devoirs, qui changent « quelquefois, et dont on doit s'abstenir dans « de certaines circonstances, tels que sont les « exercices extérieurs de la religion, dans le « cas des excommunications, auxquelles on « doit déférer. Après avoir distingué ces diffé- « rens devoirs, il aurait été encore nécessaire « d'expliquer que dans le doute, un particulier « ne doit pas s'en rapporter à lui-même pour « décider, si ce qu'il croit devoir, est vérita- « blement devoir. C'étoit là les règles que l'on « devoit suivre, si on avait eu pour objet « d'instruire les Fidèles des véritables maxi- « mes sur l'excommunication ; mais on n'a « cherché qu'à rassurer contre les foudres de « l'Église, ceux, qui par la crainte des cen- « sures, pourroient être engagés à se sou- « mettre aux Constitutions des souverains Pon- « tifes Innoc. X et Alex. VII et à signer le « Formulaire. » Hæc in rem nostram planè decretoria ; cardinales, archiepiscopi et episcopi Parisiis an. 1714 congregati. Itaque sedulò distinguendum inter varias injustæ excommunicationis species : distinguendum pariter inter varia officiorum genera : alia scilicet sunt necessaria prorsus et immutabilia, qualia sunt ea ad quæ *jure naturali* aut *jure divino* tenemur, alia sunt mutationi obnoxia, et à quibus quandoque possumus, imò et tenemur abstinere ; talia sunt illa ad quæ *jure duntaxat ecclesiastico* adstringimur : item distinguendum inter officia quæ *falsò* talia putantur, et ea quæ *de facto* talia sunt. De quibus omnibus diversimodè omninò pronuntiandum. Cùm ergo nonagesima-prima, de quâ hìc agitur, Quesnelli propositio, utpote *indefinita, negans et in materiâ doctrinali*, æquivaleat (ex Dialecticæ regulis, necnon ex effato theologico) propositioni universali ; ac proinde debeat intelligi de quâcumque injustâ excommunicatione, et de quocumque officio, sive immutabili et necessario, sive mutationi et relaxationi obnoxio ; hoc profectò sensu, ut ex sese patet, indubiè falsa est, necnon *scandalosa*, et auctoritati Ecclesiasticæ *injuriosa* : ex communi enim juris axiomate : *sententia injusta, si modò nulla non est, timenda est, et servanda ;* itaque nos debet impedire ab implendo officio *non essentiali et dispensabili.* Quin et habitâ ratione circumstantiarum, loci, temporis, ac maximè aliorum ejusd. Quesnelli scriptorum, aliis etiam titulis, præsertim ut *schismatica et perniciosa*, damnanda est præfata propositio, ut ibidem observant dicti Præsules : namque, suum, suorumque debitum ac officium, nihil aliud est juxta Quesnellum, quàm retinere ac defendere Baii ac Jansenii doctrinam, tanquam Augustinianam, quantumcumque à Sede Apostolicâ condemnatam : scilicet contra hanc, in Quesnelli adhærentium systemate, quodlibet vibratum anathema necessariò illegitimum est, injustum, nulliusque roboris, utpotè proveniens ex errore intolerabili Scripturis sacris, et traditioni (ut ipsi aiunt) omninò contrario ; nullis proinde moventur Pontificiis censuris, totique sunt in suis adversùs earum metum obfirmandis assectis ; ut ex Gerberonii, Arnaldi, ipsiusque Quesnelli libris contra Pii V, Gregorii XIII, Urbani VIII, Alexandri VII, Clement. XI Decreta fit manifestum.

Instar omnium satis sit hìc referre, quæ ex Quesnello passim narrantur in *Causâ Quesnellianâ :* ibi pag. 140, inter vera officia computat, *arctam*, ut loquitur, *obligationem* non subscribendi Formulario, tametsi illa subscriptio sub excommunicationis pœnâ præcipiatur. Ibid. pag. 141, definit archiepiscopum

Sebastenum desistere non debere ab exercendis Vicarii Apostolici muneribus, licet id illi fuisset à summo Pontifice interdictum. Imò, eo usque procacitatis progressus est, ut veritus non fuerit scribere, « esse sacrilegum, et toti « Ecclesiæ injuriosum exigere subscriptionem, « et juramentum facti (ut aiunt), Jansenani, « quod Formulario Alexandri VII continetur. » Ibid. pag. 198 et seqq. Genuina hæc circa excommunicationem placita à præsulibus Gallicanis dilucide exposita, contradicentium tricas et effugia penitus occludunt; ipsamque 91 Quesnelli propositionem multiplici ex capite damnandam esse clarissime ostendunt. His præsulum, qui interfuerant comitiis an. 1714 super excommunicatione principiis, adhæsère cæteri fermè omnes per totum Regnum dispersi episcopi, qui præfatum Pastorale Documentum suum fecerunt. Iisdem insistendo placitis, in Corpore Doctrinali Eminentiss. Card. Noallii an. 1720 tradita fuit et exposita, art. 7, pag. 51 et 52, tenenda de excommunicatione doctrina, speciatim proscripta 91 Quesnelli propositio. Eàdem plane ratione, propositam objectionem clare diluunt, dictæque Quesnelli propositionis virus multiplexque vitium apertè detegunt Eminentiss. de Bissy, in exquisito suo an. 1722 Mandato, pag. 31, necnon illustriss. Suessionensis, postea Senonensium archiepiscopus, primo Pastorali Documento, pag. 17, n. 15, aliique.

Cæterùm quod spectat citata in object. verba, inserta à supremâ Parisiensi Curiâ in Decreto perscriptionis regii Diplomatis pro Constitutionis promulgatione : « Sans que la « condamnation des propositions qui regar- « dent la matière de l'excommunication puis- « sent donner atteinte, etc.; » respondeo, clausulam hanc nullatenùs infirmare Quesnellianæ propositionis dogmaticam damnationem; quia de facto non spectavit S. Pontifex ut vellet metu excommunicationis injustæ abstinendum esse ab officio adimplendo, quod lege naturali vel divinâ evidenter præscribitur; sed esse quædam officia, vel *prætensa et minimè realia, vel duntaxat juris positivi*, à quibus excommunicationis etiam injustæ metus debeat impedire. Itaque prædicta clausula non est proprie restrictiva aut limitativa, uti jugiter ac præposterè contendunt adversarii : sed mere explicativa est ac declarativa : estque prudens ac provida cautio ad præcavendos abusus, atque ad removendas pravas et distortas contra genuinum sensum, à dolosis et malignis hominibus deducendas conclusiones. Undè supremæ Curiæ magistratus videntur hâc in parte sectati exempla præsulum in comitiis Cleri anni 1714, qui, 25 januarii ejusdem anni acceptatâ purè ac simpliciter Constitutione, Instructionem Pastoralem postmodùm ediderunt : « Afin qu'étant tous unis, inquiunt Acta « verbalia horumce comitiorum, pag. 54, à la « Chaire de saint Pierre, c'est-à-dire, au « centre de l'unité, par l'uniformité des mêmes « sentimens et des mêmes expressions, on « puisse non seulement étouffer les erreurs qui « viennent d'être condamnées, mais encore « prévenir les nouvelles disputes, et prémunir « contre les mauvaises interprétations des per- « sonnes mal intentionnées, dont on a déjà « vu les effets, par les écrits qu'ils ont répan- « dus dans le public, depuis le commence- « ment de l'Assemblée. » In eumdem sensum exponenda mox dicta magistratuum clausula in Decreto inscriptionis regii diplomatis apposita.

Ita colligitur, tum ex ipsismet citati Decreti verbis, tùm ex Regiorum Virorum oratione eidem Decreto prævià : quod utrumque scitè urget Eminentiss. Card. de Bissy laudato mox an. 1722 Mandato : ibique pag. 31 et 32, datam nostram solutionem pluribus astruit et confirmat : juvat doctissimi Card. verba exscribere : « C'est dans ce même esprit (de l'As- « semblée de 1714), qu'au temps de l'enre- « gistrement de la Bulle au Parlement, Mes- « sieurs les Gens du Roi ont remontré : que « *l'objet le plus important qui devoit exciter prin-* « *cipalement l'attention de ce Corps, étoit la* « *condamnation des propositions qui regardent* « *les excommunications, et l'abus qu'en pour-* « *roient faire ceux, qui sous ce prétexte voudroient* « *soutenir que les menaces d'une injuste censure* « *pourroient suspendre l'accomplissement des de-* « *voirs les plus essentiels; et qu'il falloit empê-* « *cher que sous prétexte de la condamnation des* « *propositions qui regardent cette matière, on ne* « *puisse jamais prétendre que lorsqu'il s'agit de* « *la fidélité et de l'obéissance due au Roi, de la* « *conservation des loix de l'Etat, la crainte d'une* « *excommunication injuste puisse empêcher les* « *Sujets du Roi de les remplir.* » Subdit Eminentiss. auctor : « L'Arrêt d'enregistrement « du parlement est entièrement conforme aux « demandes et aux réquisitions de Messieurs « les Gens du Roi. » Hincque infert : « Que « conclure de tout cela, à moins de vouloir se « tromper ou tromper les autres ; sinon qu'on

« doit regarder ce que l'Assemblée de 1714 a « fait la premiere en recevant la Bulle, et le « Parlement ensuite en l'enregistrant, *non « comme une restriction mise a la censure de la « proposition 91; mais comme une sage précau- « tion prise afin d'empêcher qu'on n'en abusât par « une interprétation contraire à son vrai sens, « pour pouvoir dire qu'elle donne atteinte à la « fidélité qu'on doit au Prince et à la Patrie.* » Hactenus Eminentiss. Cardinalis.

Notandum porrò, Mandatum hoc Pastorale à duobus anonymis procaciter fuisse delatum an. 1723, ad Regni Præsules, et Regios in supremis curiis Procuratores, uti juribus Regni et Ecclesiæ libertatibus adversum: inter varia criminationis capita, unum istud erat, quòd scilicet Eminentiss. auctor asseruisset, à supremo Senatu minimè appositas fuisse *veras* et *propriè dictas* restrictiones ac limitationes, in ipsâ regii diplomatis perscriptione. Rex autem Christianissimus, Sanctioris Consilii placito die 23 maii ejusd. an. lato, auditis priùs regiis hujus causæ cognitoribus, præfatum pastorale Documentum ab impactis notis plenè perpurgavit: en regii Decreti verba: « Le Roi étant informé qu'il s'est répandu dans le public deux Ecrits anonymes.... dans lesquels Ecrits ce Cardinal (*de Bissy*) est accusé d'avoir en plusieurs endroits de ladite Instruction (1722) donné atteinte aux droits les plus sacrés de la Couronne, et établi des maximes contraires aux libertés de l'Eglise de France, Sa Majesté auroit jugé à propos de prendre connoissance par elle-même d'une matière aussi importante, et auroit fait pour cet effet choix de personnes les plus éclairées, tant du Clergé, que de son Conseil, pour, après avoir examiné avec tout le soin et l'application nécessaire lesdits deux Ecrits, et lu avec la même attention ladite Instruction Pastorale, en faire leur rapport, et en donner leurs avis à Sa Majesté; à quoi lesdits Commissaires ayant vaqué pendant plusieurs Séances, ils auroient en conséquence fait leur rapport, et donné leurs avis à Sa Majesté, non seulement sur tous les chefs d'accusation renfermés dans les deux dits écrits; mais encore sur tout le contenu en ladite Instruction Pastorale par rapport au droit de la Couronne, et aux libertés du Royaume: lequel avis Sa Majesté s'étant fait représenter en son Conseil, elle auroit reconnu que *lesdits deux Ecrits anonymes ne sont qu'un tissu de calomnies et de mensonges*, et ne contiennent que des déclamations injurieuses, non-seulement à la personne dudit sieur Cardinal de Bissy, mais au saint Siége, et à l'Ordre épiscopal.... *et que bien loin que ladite Instruction Pastorale contienne rien qui puisse donner le moindre fondement aux accusations formées par lesdits Ecrits, elle s'explique au contraire en plusieurs endroits très clairement pour les maximes les plus conformes au droit de la Couronne, et aux libertés de l'Eglise de France.* » Hincque, Regia Majestas dictos libellos graviter proscribit, uti *criminosissimos, calumniosos, seditiosos*, etc.

Authentico isto ac illustri testimonio, dictam Eminentiss. de Bissy Instructionem tam splendidè vindicantis, liquet quod ex ipsâ asseruimus; appositam scilicet à supremâ Curiâ in Decreto pro inscriptione Constitutionis *Unig.* clausulam, non fuisse restrictivam ac propriè limitativam, sed meram ac providam ad prævertendos abusus cautionem. Accedit ad idem evincendum, breve istud ac efficax ratiocinium: Restrictio ac limitatio *strictè* ac *propriè* dicta, ipsissima est exclusio genuini cujusdam ac legitimi sensûs definitionis de quâ agitur: atqui genuinus ac legitimus Bullæ *Unig.* sensus non est, « metum injustæ excommunicationis debere nos impedire ab implendis officiis *immutabilibus, invariabilibus*, qualia sunt officia legis naturalis et divinæ; » videlicet, « cultus Dei, fides debita Principi ac patriæ, etc. » neque id dici potest, quin gravissima, ut manifestum est, S. Pontifici et episcopis inferatur injuria; ergo. Præcipua hallucinationis causa dissidentium, hæc fuisse videtur, quòd inscitè aut dolosè duo sedulò distinguenda confundant. Nimirùm plura ad approbandam, quàm ad improbandam propositionem requiruntur; ex axiomate enim, *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu;* hinc essentiale inter utrumque discrimen: ad approbandum textum, necesse est ut omni ex parte purus sit et integer; ad illum verò improbandum sufficit, præsertim *in materiâ doctrinali*, ut aliquâ ex parte pravus sit et vitiosus: porrò, ex suprà narratis, nonagesima prima propositio Quesnelliana, utpotè *negans, universalis, et in materiâ doctrinali*, multiplici ex parte prava est et vitiosa: multiplicem, ut liquet, nec diffiteri valent adversarii, apertè vitiosum exprimit sensum; ergo, etc. In dissolvendo isto Quesnellistarum effugio, paulò diutiùs hæsimus; quòd infirmum prorsùs licet et imbelle, illud tamen uti invictum et Achillæum jugiter ac confidentiùs jactitent.

Dices 5°. *Explicationes* circà Bullam toties

et tam anxiè postulatæ, quibus in tuto statueretur depositum fidei sanæque Doctrinæ, atque illæsæ remanerent scholarum opiniones, à Romanâ Sede constanter recusatæ sunt. Inprimis verò an. 1725. Romæ vulgati duodecim famosi articuli, capita duodecim christianæ Religionis complectentes, quæ Constitutione *Unig.* apertè violata plerisque videbantur. Horum articulorum approbatio à S. Sede enixè efflagitata fuit, datâ ab Appellantibus fide, futurum ut, obtentâ semel hâc approbatione, ipsi continuò Bullæ acquiescerent : at postulatis assentiri obstinatè negavit Sedes Apostolica : id autem bonitati perindè ac æquitati videtur repugnans; ergo. Ita præ cæteris duo insignes Appellantium duces, episcopi Monspessulan. pluribus in locis, necnon Senecensis Documento Pastorali an. 1726, die 26 augusti; ubi 12 articulos sigillatim excutit, effusèque laudat et approbat.

Respondeo : *explicationes* non sine doli ac cavillationis suspicione à plerisque fuisse petitas, ut scilicet vitii aut saltem obscuritatis argueretur Constitutio; sicque occurreretur puræ ac simplici Bullæ acceptationi; quod quidem Quesnellistarum consilium ex compluribus eorum Scriptis manifestum est, inprimis ex libello cui titulus, *La vérité rendue sensible,* art. 1. sect. 2, pag. 11, et seqq. aliundè verò requisitæ elucidationes novis, si datæ fuissent, patuissent cavillationibus : meritò ergo perseveranter negatæ. Et quidem quod spectat 12 articulos, quorum approbatio tam anxiè efflagitabatur; quàm prudenter à S. Sede fuerit recusata, sequentia demonstrant :

1°, quia nonnulli ex illis articulis, utpotè ambiguis et æquivocis concepti verbis, legitimè erant errore suspecti; habitâ præsertim ratione ad auctorum mentem, et ad finem, quem sibi præfixerant, explicandi per eos Bullam *Unig.* simili de causâ, S. Hormisdas Papa, nunquam adduci potuit, ut approbaret hanc propositionem cæteroquin in se veram : *Unus de Trinitate est Christus crucifixus;* quòd scilicet à suspectis Eutychianismi proponebatur approbanda. Nimirùm, ut scitè notat S. Leo Magnus : « Novatores omnibus factis et « dictis nostris insidiantur, ut, si ullam illis « vel tenuem occasionem demus, nos, Nesto- « riano (jam Baiano, Janseniano vel Ques- « nelliano) sensui etiam congruere mentian- « tur. »

2°, ex dictis articulis; alii, « ad ipsam Cons- « stitutionem nullatenùs pertinere dignoscun- « tur : » alii, « certum et à nemine impugnatum « dogma exprimunt ; » alii, « liberis et in utram- « que partem in scholis agitari solitis opinio- « nibus, obstant et vim faciunt : » alii, « propter « argumenti invidiam in medium adduci non « possunt absque periculo novarum disputatio- « num ac litium : » alii denique, « verbis inde- « finitis ac negativis expressi, propter nimiam « terminorum extensionem, absolutè in se « falsi sunt et errori obnoxii. » Ita colligitur è Litteris ad Benedict. XIII directis sub nomine Cardinalium Gallican. mense octobri 1725, pag. 5 et 6, et ex Epist. Card. le Bossu, Mechliniensis archiepisc. ad eumd. Benedict. XIII, die 16 martii dicti anni 1725, pag. 24 et seqq. (Idem constabit ex dicendis infrà art. 3. ubi de præfatis 12 Articulis nonnulla adjicientur.) Ast nemo non videt, quantùm dedeceat exigere, ut ad explicandam et acceptandam Constitutionem *Unigenitus,* Apostolico judicio approbentur articuli, qui tot ac tantis obnoxii sunt incommodis.

3°. Conjuncta cum duodecim articulorum approbatione, aut quâcumque aliâ declaratione, Bullæ acceptatio, aiunt ibid. dicti Cardinales, pactum redolet et indigitat : porrò nescit Ecclesia in suis definitionibus pacisci, vel quidquam remittere de obedientiâ et obsequio, quod ipsi debetur. Sedes Apostolica, scribebat Benedictus XIII Cardinali Noallio, « sicut docilibus et modestè consulentibus non deest, « ita contumaces et obsequium certis sub « conditionibus paciscentes, » fastidit et respuit.

4°. Quælibet Bullæ dogmaticæ ubique receptæ (qualis est Constitutio Unig.), conditionata acceptatio ; hoc ipso inusitata est et singularis, injuriosa Bullæ, totique noxia Ecclesiæ : primò, inaudita est et singularis, ipsâque suâ singularitate suspecta. Secundò, injuriosa Bullæ, hinc iterùm supponitur, christianæ fidei capita (ut improbis clamoribus mentiuntur refractarii) per Apostolicam hanc Constitutionem, impetita aut obscurata fuisse : eamque adeò non posse tutò suscipi, nisi juridicâ interpretatione, aut aliâ quâdam ratione, ad certos et catholicos sensus determinetur. Tertiò, toti noxia est Ecclesiæ : universa siquidem disciplina religioque decideret, si contra sacræ antiquitatis mores et Ecclesiasticas præscriptiones, prædicta conditionatæ acceptationis obtineret ratio : sic namque non Pastores Fidelibus, sed Fideles Pastoribus legem imponerent, istique illis obedire censendi forent : aliundè

verò emergentium denuò dubiorum propositione, novarumque elucidationum postulatione, Pastores in perpetuas ac interminabiles deducerentur quæstiones.

5°. Denique, quod in præsenti Bullæ *Unig.* causâ omninò decretorium videtur, petitæ ac prærequisitæ ad acceptandam Bullam explicationes, uti dictâ Epist. pag. 33. et 34. ratiocinatur Eminentiss. Card. le Bossu, vel sensum obvium et naturalem Bullæ exhibebunt, vel non : si primum, rejicientur illæ, nisi novæ accedant elucidationes, prout rejecta fuit ipsa Constitutio : et istæ iterùm, simili de causâ, explodentur expositiones; sicque nullus dabitur explicationum finis : si secundum, hoc est, si obvium et naturalem sensum non exhibeant, sed aliquid ab ipso diversum; hoc casu inclamabunt refractarii, quòd jam à S. Sede deseratur Constitutio veluti vitiosa, quòd sensui naturali et obvio substituatur alius sensus; et consequenter, quòd sancta Sedes Apostolica non constet sibi, quòd variaverit, quòd alia atque alia tradiderit. Hincque inferent præatereà, quod quidem à natâ Constitutione effutire non cessant, explicationes esse necessarias *Ecclesiæ paci, veritati Cathedræ auctoritati simul et ipsius sanctæ Sedis intentioni* : quandoquidem longo post tempore tandem concessæ : scandala verò, turbas omnes ascribent prætensæ obscuritati, aliisque vitiis Constitutionis, omneque malum refundent in diuturnam illam recusationem nitidæ explicationis sensuum damnatorum. Verbo dixerim, non tantùm se vicisse gloriabuntur; jactabunt insuper Romanam Sedem tandem agnovisse necessitatem explicationum, simul et Bullæ obscuritatem ac ambiguitatem : sicque remedium ipsum erit morbo longè gravius. His addo : tametsi prætensam duodecim articulorum approbationem obtinuissent Appellantes : non indè contentionum ac discordiarum finis : imò novæ hinc, et quidem acerbiores, exortæ rixæ, circa germanum præsertim et nativum dictorum articulorum sensum: moxque quemadmodùm anteà, *nitidam sensuum damnatarum propositionum explanationem;* ita et jam, *nitidam sensuum articulorum approbatorum explicationem* postulâssent refractarii. Quin et circa pleraque alia Bullæ capita ad quæ non ita directè spectant 12 articuli, altercari non destitissent : hoc ipsum temerè non conjicimus : ita disertè affirmat unus ex præfervidis Quesnelli defensoribus, D. Soanen Senecensis Episcopus, in Scripto cui titulus : Histoire de la condamnation de M. de Senez, pag. 28, col. 1, his verbis : « Qu'aurez-vous fait, inquit ille præsul, en recevant les 12 articles? Vous aurez contredit la bulle sur 12 chefs : mais que fera-t-on du reste? » Subdit : « Pour ce qui est du corps de doctrine, Dieu me garde de m'en servir jamais pour couvrir la Bulle : il a été retouché et altéré par vingt mains différentes, et d'ailleurs le Corps de doctrine le plus exact, opposé à la Bulle, serait un vase de terre contre un pot de fer. » Paucisque interjectis addit : « Quand le Concile d'Embrun et dix autres Conciles semblables, voudraient se mêler de commenter la Bulle, ce ne serait qu'un grain de sable opposé au torrent de la Constitution. » Rursùs ibidem, sic concludit : « Il n'y a dans cette affaire, de paix à attendre que par le Concile général, ou par d'autre voies que Dieu connait. »

Paria significantiùs exprimit in libello sic inscripto : *Mémoire abrégé où l'on montre l'incompétence du Concile d'Embrun pour juger M. de Senez* : in ipsâ memoriali præfixâ admonitione legitur, Scriptum hoc ab ipsomet Senecensi episcopo in suæ causæ defensionem fuisse compositum, versùs initium septembris an. 1727; ibi porrò pag. 3, stupendam hanc et exoticam intrepidè statuit propositionem : « Notre appel subsiste et est légitime, *quand il serait vrai que l'Eglise aurait parlé dans le jugement rendu sur les cent une propositions.* » Neque hîc sistit dictus præsul : audet asserere, inauditam hanc ac prorsùs intolerandam doctrinam, innumeris è constanti traditione petitis momentis, invictè astrui : en ipsius verba : « Tant d'autorités, inquit ibidem, « pag. 7, qui marquent la foi et l'esprit de « l'Eglise, ses usages et ses maximes constantes, montrent avec tant d'évidence que notre « appel au Concile général est légitime, qu'il « faut vouloir contredire ouvertement la foi « et la bonne foi pour ne se pas rendre. *Il ne « s'agit pas dans tous ces exemples des Constitutions des Papes, reçues et approuvées par un « grand nombre d'évêques; mais il s'agit de Constitutions reçues et approuvées par toute l'Eglise, et de jugemens rendus par les Conciles « généraux, dans la forme la plus canonique, « sur des livres, des écrits et des propositions des « auteurs.* » Obfirmatè mox addit : « *c'est de tous « ces jugemens que, en suivant l'esprit de l'Eglise, on a souvent appelé et dont on peut appeler.* »

Audis ex Appellantium Coryphæo, juxtà sacræ antiquitatis mores et Ecclesiasticas præ-

scriptiones, jure ac meritò provocari posse, à legitimis maximèque canonicis, etiam Conciliorum œcumenicorum, totiusque Ecclesiæ definitionibus, circà libros, scripta et propositiones: perperam ergo et illusoriè 12 articulorum approbationem, aut aliam quamlibet *nitidam* sensuum damnatorum explanationem, tam enixè postulabant Appellantes: iis enim obtentis, perindè stando suis principiis, valida esset et legitima remaneret eorum appellatio: ac consequenter cautè omninò abstinuit Benedictus XIII à concedendis prædictis elucidationibus.

Dices 6°. Bulla Clement XI propositiones 101 *in globo* damnat: viginti *qualificationes* propositionibus istis *respectivè* (ut vocant) reperiuntur inustæ: nec ulla sigillatim applicatur ulli propositioni censuræ nota: quid igitur discent Fideles ex eâ Bullâ, in quâ omnia confusa sunt et incerta? Unde sic: Illa definitio legitima non est, nec finiendis controversiis idonea, quæ nihil habet fixum, nihil habet determinatum: atqui censuræ *in globo*, certum nil habent, nihilque determinatum: in iis siquidem non figitur unicuique propositioni nota et qualificatio: adeoque sciri non potest quænam censuræ nota singulis competat: quodque uni scandalosum duntaxat erit aut temerarium, alteri omninò hæreticum videbitur: inutilis ergo, nec proinde æquissima ac canonicè lata talis definitio. Ita creberrimè Quesnelli vindices. Inprimis, *Renversement des libertés de l'Eglise Gallic.* T. 1, pag. 472. *Observat. sur le deuxième avertissement de M. de Soissons,* pag. 59. *Déclarat. de l'Université de Paris,* pag. 15, etc.

Respondeo 1°, novam non esse, quam adversùs censuras generales et *in globo* expostulationem hìc instituunt Quesnelli defensores. Lutherus in concertatione habitâ Lipsiæ an. 1519, *iniquam appellat viam plures dictiones acervatim reprehendendi, non assignatâ cujusque effati notâ seu ratione censuræ.* Antonius de Dominis Lib. 1 *de Republ. Christianâ,* cap. 12, eâ potissimùm de causâ censuram articulorum Joannis Hus à Concilio Constantiensi factam arguit ac vellicat, « quia eorum singulorum examen non apparet: « sed in confuso simul cum multis aliis sunt in « sententiâ contra Joannem Hus, sub hujus« modi censurâ notati. » Idem etiam de censurâ Leonis X, adversùs Lutheri articulos dictum *à Petro Suavi* seu *Frapaolo*, quem egregiè reprimit Card. Palavicinus Historiæ Concilii Trid. lib. 1, cap. 21. Tales ductores sequuntur, qui generales et indistinctas censuras sugillant ac reprehendunt. Resp. 2°, usum hujusmodi censurarum adeò antiquum esse ac constanter probatum in Ecclesiâ, ut illius æquitas à viro orthodoxo, nec impeti, nec in dubiam revocari queat. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia,* inquit S. Aug. Epist. 54, aliàs 118, *quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Hunc ferendæ generalis censuræ modum, velut communem et ordinarium in Sede Apostolica retinuère ac secuti sunt Sixtus IV, an. 1478, contra Petrum de Osma; Leo X, an. 1520, contra Lutherum; Pius V, 1567; Greg. XIII, 1679; Urbanus VIII, an. 1641. contra Baium. Iisdem vestigiis institère Innocentius XI, an. 1687, adversùs 69 pseudomysticas Michaëlis de Molinos propositiones; Innocentius XII, an. 1699. adversùs vigenti tres, ex Libro cui titulus: *Maximes des Saints*, excerptas propositiones; ac tandem Clemens XI, an. 1713, solemni contra 101 Quesnelli propositiones Constitutione; quæ quidem eâ de causâ non magis arguenda est Constitutio, quàm tot alia hujuscemodi Summorum Pontificum decreta. Accedit et ipse usus ac consuetudo Cleri Gallicani. Inter multas illius censuras quæ referuntur tom. 1. novæ collectionis Memorialium Cleri Gallic. una duntaxat reperitur lata an. 1700, quæ damnatis propositionibus singulis singulas et proprias affigat censuræ notas. Idem censuræ modus passim usurpatus legitur à sacrâ Facultate Parisiensi, uti videre est in novâ Judiciorum ejusdem facultatis collectione; ita inprimis ad 1277, 1382, 1514, 1525, etc. Denique censurarum *in globo* æquitas, vel unâ auctoritate atque exemplo planè decretorio Concilii generalis Constantiensis apertissimè demonstratur: namque præfatum Concilium, sess. 8. quadraginta quinque Wicleffi articulos, et sess. 15, triginta Joannis Hus damnavit generatim duntaxat, nullâque ipsis sigillatim inustâ censuræ notâ. Quin et in eod. Concilio jussit S. Pontifex Martinus V eos, qui suspecti forent, interrogari, nùm crederent articulos illos meritò fuisse proscriptos. Undè, si prædictus indistinctæ et generalis censuræ modus, vitium habet, vitium illud in ipsam Synodum œcumenicam, proindèque in Ecclesiam redundat, quòd, vel etiam suspicari, nefas. Resp. 3°, vi generalium hujusmodi censurarum duo inprimis innotescere fidelibus, quæ ipsos scire plurimi interest: primùm, inter damnatas propositiones nullam esse quæ non mereatur saltem aliquam è censuræ notis quæ in decreto exprimuntur; alte-

rum, vice versâ nullam esse in decreto censuræ notam quæ in aliquam e damnatis propositionibus jure meritissimo non cadat. Ita totidem verbis in actis verbalibus comitiorum an. 1714, pag. 15. Ita etiam cardinales, archiepiscopi, episcopi jussu regio Parisiis congregati an. 1728, in suâ ad Regem, circà Causidicorum Parisiensium de Ebredunensi Concilio deliberationem, dogmaticâ Epistolâ, pag. 55 et 56. Itaque ad argumentum propositum, sic in formâ respondeo: Censuræ *in globo*, certum nihil habent, nihilque determinatum, *quantùm ad peculiarem notarum attributionem quæ singulis propositionibus sigillatim non applicatur*, concedo: *quantùm ad perversitatem ac malitiam propositionum quas Ecclesia declarat non esse orthodoxas*, nego. In hujusmodi censuris aliquid occurrit fixum ac determinatum: illud nempè de quo Ecclesia vult nos certos fieri, et quod credit ad fidem tuendam satis esse; scilicet propositiones illas quas damnat, *perniciosas esse si tradantur, periculosas si credantur: ideoque non posse ab ullo Catholico defendi;* undè per talem Ecclesiæ definitionem fixum manet propositiones damnatas esse rejiciendas, utpotè cùm ex ipsis quædam sint *hæreticæ*, quædam *erroneæ*, quædam *scandalosæ*, etc. et in id fertur assensus auctoritati debitus. Quænam verò singulis censuræ nota conveniat, Doctoribus inquirendum et assignandum relinquitur, donec ab Ecclesiâ specialiùs id fuerit determinatum. Ita clarè colligitur ex citatis sess. 8, 15, 45 Concilii Constantiens.; ità etiam Palavicinus lib. 1 hist. Concil Trid. cap. 21 Frapaolum confutans: necnon Ekius in collat. Lipsiensi adversùs Lutherum. At de censuris *in globo*, jam suprà, et iterùm plura deinceps paragraph. 3 sequenti.

Dices 7°. Non potuerunt legitimè damnari propositiones, quæ ex Scripturâ, SS. Patribus, Augustino præsertim, Leone, Prospero, Gregorio, etc., de verbo ad verbum excerptæ sunt: atqui ita est de 101, damnatis per Constitutionem propositionibus: hæ ad verbum penè omnes ex Scripturis, sancto Augustino, aliisque patribus depromptæ sunt; quod accuratâ textuum collatione demonstrârunt Quesnellus in suis memorialibus, *Hexaplarum* auctor, in vasto suo in quatuor grandiores tomos distributo opere, aliique quamplures: ergo.

Respondeo 1°: Novatoribus semper id fuisse familiare, ut in suis erroribus asserendis varia passim oggerant Scripturæ sacræ et SS. Patrum testimonia. Sic Arius his abutebatur Christi verbis *Pater major me est*. Eutychiani: contendebant se non posse damnari, quin S. Cyrillus, cujus verba perpetuò laudabant, damnaretur. Facundus Hermianensis, ut tria capitula per quintam Synodum Œcumenicam proscripta, ostenderet esse orthodoxa, plura collegit SS. Athanasii, Basilii, utriusque Gregorii, Chrysostomi, aliorumque testimonia, notatis illis capitulis, omninò, ut jactabat, consimilia. Idem à subsequentibus Hæresiarchis, Wicleff. Luthero, Calvino, constanter actitatum. Notum est famosum illud Calvini pronuntiatum: *Totus meus est Augustinus*: eumdem S. Doctorem Baius et Jansenius ad omnem ferè periodum appellant: nihilominùs horum omnium doctrina meritò per Ecclesiam proscripta est; idem de Quesnellianis propositionibus dicendum. Ad hæc omninò appositè in causâ illustrissimi Cameracens. Archiepiscopi, quamplurima in gratiam libri de *Placitis Sanctorum* congerentis testimonia, doctissimus Bossuet lib. cui titulus: *Les Passages éclaircis, etc.* sic observat: « Les doctes savent « que les Ariens avoient des passages des siè« cles précédant le Concile de Nicée contre la « Divinité du Fils de Dieu, aussi apparens et « en aussi grand nombre que ceux que l'on « nous objecte. Mais sans s'étonner ni de leurs « expressions, ni de leur sainteté, ni de leur « nombre, l'Eglise a su distinguer le fond qui « a toujours été constant d'avec les expressions « qui n'ont pas toujours été également pré« cautionnées..... Avant les disputes on peut « être beaucoup moins précautionné que de« puis qu'elles sont émues. » Frustrà ergo in prolixiori *Hexaplarum* opere laboratum est, in congerendis ad defensionem *Reflexionum* Quesnellianarum innumeris malè ac distortè consarcinatis Scripturarum et SS. Patrum textibus: hinc dictum opus minimè perpurgari apertum est. Et verò, ex solis Scripturæ, Patrumve verbis, truncatisque eorum textibus, Theologia facilè concinnari posset, quæ à capite usque ad calcem, sola hæreticorum dogmata exprimeret, Calviniana v. g. aut saltem Lutherana. Certè ex verbis *Virgilianis Cento* factus est Christianus: quidni ex verbis *Augustinianis Cento* fieri possit hæreticus?

Respondeo 2°, quod spectat propositiones ex Scripturis aut SS. Patribus excerptas: an proscribi, interdicive possint, necne, hæc paucis accipe. 1°, quantum ad propositiones ex Scripturâ sacrâ extractas: dico illas, si referantur prout in eâdem Scripturâ leguntur totidem

verbis, aut omninò synonymis, aut quoad sensum æquivalentibus, neque mutilentur ac depraventur; dico, inquam, illas damnari non debere: id per se manifestum: hæc quippe debetur reverentia consecratis afflatu Dei verbis, ut illa nempe semper illæsa remaneant. Attamen Ecclesia quandoque prohibere potest ne à Fidelibus usurpentur Scripturæ verba absque aliquâ exceptione quâ eliminetur sensus perversus quem illis affingunt hæretici. Sic fervente Arianorum hæresi, nolebat S. Hilarius has Scripturæ phrases usurpari: *Christus natus ex Mariâ Virgine:* et *Pater major me est*: nisi adhibitis quibusdam modificationibus, virus Arianum excludentibus. 2° quod diximus de propositionibus ex Scripturâ desumptis, idem pronuntiandum de illis quæ constanti SS. Patrum usu consecratæ sunt, et quarum ope depositum fidei ad nos usque transmiserunt: ex iis siquidem propositionibus, venerandæ, parisque cum scripto Dei verbo, auctoritatis exsurgit traditio. 3°, quantùm verò ad propositiones quæ rarò et in perpaucis occurrunt Patribus: concorditer tradunt Theologi, post SS. Hilar. Hieron. Augustin. lib. 1 contra Julian. cap. 6, etc. id quod à paucis illis Patribus *simpliciùs et securiùs scribebatur nondùm exortis erroribus*: quodque proindè in illis excusari debet, *reprehendi tamen et damnari*, præsertim in auctoribus aliunde suspectis. Ex his patet prætensam, (quam falsò jactat *Hexaplarum* auctor) Quesnellianarum propositionum consonantiam cum disertis quorumdam SS. Patrum sententiis, non posse dictas propositiones à censurâ eximere.

Respondeo 3°, negando ullam esse ex damnatis Quesnelli propositionibus, quæ reverâ eadem sit, idemque significet cum iis quæ ex Script. SS. Patribus, ipsoque imprimis Augustino, proferri possunt. Equidem Quesnellus in suis *Considerationibus moralibus*, sanctorum Patrum verbis, textibusque, aliquando usus est; at *mutilis* tantùm è loco suo *avulsis, corruptis*, et contra *Patrum mentem* adhibitis. Quamobrem S. Pontifex *Reflexionum* opus, extractasque ex eo propositiones damnando, SS. Patrum doctrinam minimè proscripsit, sed sensum perversum ad quem Patrum verba, citatosque eorum textus, perperam ac malignè detorquebantur: quâ in re valet istud sancti *Augustini* sic de *Juliano* loquentis lib. 2 *de Nuptiis et Concupisc.* cap. 4: « Quæ veraciter et catholicè dicta sunt, imò quæ in divinis Litteris veraciter scripta sunt, non ab isto catholicè dicta sunt, quia non intentione catholici pectoris dicta sunt: » pergit: « Jam propter quod ea dicit, *Pelagiana et cœlestina* hæresis incipit introduci. » Paria dicenda sunt adversùs *Hexaplarum* consarcinatorem: is ad purgandas Patriarchæ sui Quesnelli damnatas propositiones, atque ad prædicandam has inter et SS. Patrum textus aliqualem consonantiam, innumera Patrum testimonia prolixiori suo in opere truncavit, mutilavit, atque à propriis locis avulsa, in alienos et erroneos sensus detorsit: quod luculenter demonstratum fuit in Tractatu Theolog. jussu eminentissimi Card. de Bissy an. 1721 edito, aliisque in operibus. Ut autem pateat, quæ, celebratissimo huic inter Quesnellistas *Hexaplarum* scriptori fides sit adhibenda; non abs re fuerit nonnulla testimoniorum quæ deformavit ac falsavit exempla proferre, ex quibus de cæteris æstimari poterit. Pag. 62, laudat textum sancti August. ex *Enchirid. ad Laurent.* cap. 8: « Jam de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest. » Sic autem hunc interpretatur textum: « Que dirai-je maintenant de l'amour de Dieu, *sans lequel on ne peut pas dire qu'il y ait de foi véritable.* » Ubi per se patet quàm infida sit versio: non enim ait S. Doctor, quemadmodum ipsi fraudulenter affingit *Hexaplar.* auctor; *sine amore* (hoc est, in phrasi Quesnellianâ, absque charitate) *veram non esse fidem;* quod scripturæ, SS. Patribus, ipsique speciatim S. Augustino directè adversatur; et à Concil. Trid. Sess. 6, can. 28, disertè damnatum fuit, ut alibi demonstrabitur; sed tantùm asserit, *sine amore fidem nihil prodesse*: hoc est, *ad æternam vitam esse inutilem*, ut potè *mortuam*. Pag. 296, ut vigesimam octavam magistri sui ab errore absolvat propositionem, quæ sic se habet: « *Prima* gratia quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio; » profert textum hunc sancti Fulgent. tanquàm ex lib. 1 de remiss. peccator., cap. 5, depromptum: « La rémission des péchés est *le premier* et le principal bienfait de la vocation à la pénitence. » Latinè apud S. Fulgentium sic legitur: « Vocationis autem hujus ad pœnitentiam principale est beneficium, gratuita remissio peccatorum. » Quo in loco manifestè se prodit pessima interpretis fides: capitalis enim vox illa, *le premier,* quæ excusandæ Quesnellianæ propositioni necessaria est, quamque ideò majusculis litteris inscripsit Quesnelli defensor, in genuino mox allato sancti Fulgent. Latino textu non reperitur: hancque perfidè sancti Doctoris adulte-

rando textum, de suo adjicit *Hexaplar.* auctor. Pag. 152, quod scribit Apostolus Galat. 3, v. 19: *Quid ergo lex? propter transgressiones posita est*, sic vertit: « La loi a été établie, *pour faire des prévaricateurs.* » Ubi ad nefandos suos errores probandos, vel ipsum scripturæ sacræ textum vitiare ac corrumpere non veretur apologista: neque enim ad augendas ac multiplicandas transgressiones, legem à Deo Judæis datam fuisse tradit Apostolus, uti hìc, post Jansenium lib. 3, de gratiâ cap. 5 et seq. ipsi inverecundè affingitur: sed potiùs docet impositam fuisse ad prævaricationes terrore et minis coërcendas: vel, ad easdem declarandas; ut nimirùm iis cognitis, Judaicus populus ad Mediatorem ardentiùs confugeret, ipsiusque gratiam solicitiùs implorarett. Ita interpretes sacri imprimis SS. Chrysost. et Aug. in hunc locum.

Quamplurima alia prætermitto testimonia quæ infidus ille scriptor accisis aut detractis verbis protervè falsavit, truncavit, deformavit: quòd quidem ex accurato examine compertum fuit Gallicanis præsulibus uti testantur in egregiâ illâ quam de dicto libro censurâ ediderunt in comitiis generalibus an. 1715: « Cùm accepissemus, inquiunt, spargi in vulgus librum « cui titulus: *les Hexaples*, ou *les six colonnes* « *sur la Constitution Unig.* diligenti discussione « præviâ, nostri muneris esse duximus adhibere conatus omnes ad hunc librum tam « noxium fidelibus excutiendum de manibus: « in eo scriptor renovat errores è libro nuncupato: *Réflexions Morales*, etc., justissimè « à sanctissimo R. Eccles. Pontifice Clemente « XI, Constitutione *Unig.* et ab episcopis proscriptos... Quinimò multa passim testimonia « ex iis (Scripturæ sacræ) veri lucisque hausta « fontibus vitiare atque adulterare, ausu planè « temerario non est veritus. » Moxque gravissimis notis dictum opus configunt, his verbis: « Pronuntiamus, libro cui titulus: *les Hexaples*, etc., renovari errores sæpiùs à S. Sede, « nominatim Constitutione *Unig.* et ab episcopis « condemnatos, eoque contineri doctrinam injuriosam S. Sedi et episcopis, scandalosam, « erroneam, hæreticam, et *creberrima* è scripturâ sacrâ, Conciliis et Patribus *falsata testimonia.* » Hæc præsules nostri; quæ leguntur in actis verbalibus comitiorum ejusd. an. 1715, pag. 320, 321, et 358.

Qui præfati *Hexaplarum* operis firmam ac solidam confutationem exquirit, adeat laudatum Tractatum Theolog. jussu eminentiss. de Bissy editum, necnon librum cui titulus: *Les Anti-Hexaples*, etc. ac eruditum in quatuor volumina distributum opus inscriptum: *Constitutio Unig. theologicè propugnata.*

§ 2. *Statuitur ac vindicatur certa et inconcussa Constitutionis* Unig. *auctoritas.* — Tam constans est et operta Constitutionis *Unig.* firmissimo et irretractabili omnium penè orbis Catholici episcoporum suo capiti adhærentium suffragio munita auctoritas; vix ut credi queat quosdam opinione officii, debitam huic decreto obedientiam exhibere, hactenùs reluctatos fuisse: ita tamen est in præsenti discordiâ: quin et ex dissidentibus plerique suis delusi et in transversum acti propriis præjudiciis dictæ Constitutionis eliminandæ causâ, eò temeritatis et audaciæ processerunt, ut non modò regiminis Ecclesiastici ab ipso Christo instituti fundamenta labefactârint; sed etiam judiciorum Ecclesiasticorum in materiis doctrinalibus formam funditus everterint: adeò ut nisi sanctæ Sedis Apostolicæ et Concilii œcumenici veneranda nomina cum laude identidem suis in scriptis appellarent, ea è procaci Protestantium officinâ prodiisse, quivis facilè judicaret. Ita imprimis auctores *Hexaplarum*, et *de Testimonio veritatis in Ecclesiâ, etc.*, testibus Gallicanis præsulibus, in laudatis adversùs hos libellos censuris. Ita etiam alii quamplures recensiti initio hujusce articuli. Ut adversùs hos omnes stabiliatur ac firmetur orthodoxa veritas: sit

Conclusio. Constitutio Clementis XI, quæ incipit *Unigenit.* certissimum est universalis Ecclesiæ judicium, cui omnes et singuli fideles corde et animo adhærere tenentur. Quamplurima sunt, tum externa, tum ex rei visceribus petita momenta, quæ gravissimam hanc invictè adstruunt conclusionem. Hæc è multis pauca jam sufficiant.

Probatur itaque primò: iis omnibus generatim momentis quibus hìc et alibi evicimus Bullas Urbani VIII adversùs Baium et Innocentii X adversùs Jansenium, certissima esse universalis Ecclesiæ judicia: ista namque momenta, ut ex sese patebit attendenti, non minùs efficacia, imò urgentiora sunt ad ipsam Bullæ *Unig.* auctoritatem et œcumenicitatem asserendam. Probatur secundò: brevi isto ac decretorio ratiocinio: Solemnis ac publica S. Pontificis dogmatica Constitutio, cui pars Ecclesiæ notabilis adhæret, cæteris per orbem tacitè consentientibus, censetur esse, et est reipsâ judicium Ecclesiæ universalis, cui omnes et singuli corde et animo adhærere tenentur: atqui sic se

habet constitutio *Unig.* ergo. Major propositio, præterquam quòd certissima est iis omnibus argumentis quibus Ecclesiæ, sive dispersæ, sive congregatæ, demonstratur auctoritas : constat iterum hic, tum ex S. Aug. tum ex insigniorum auctorum, ipsorumque etiam adversariorum disertâ confessione : tùm denique multiplici invictâ ratione.

Et quidem 1°. S. Augustinus agens de damnatoriâ erga Pelagianos sententiâ sub Innocent. I latâ, sic habet Serm. 131, aliàs 2, de verbis Apost. cap. 10 : « Jam de hâc causâ duo « Concilia (Africana, Milevitanum videlicet ac « Carthaginense) missa sunt ad Sedem Apostolicam, indè etiam rescripta venerunt. Causa « finita est : utinam aliquandò finiatur error! » Huic Africanorum judicio per Sedem Apostolicam firmato tacitè duntaxat, hoc est, non reclamando consentiebant cæteræ per orbem Ecclesiæ; et tamen S. Doctor affirmatè pronuntiat *causam finitam esse*, hoc est, supremâ et irretractabili auctoritate definitam. Undè lib. 3 contra Julianum cap. 1, n. 5, disertè asserit, competens sufficiensque judicium fuisse quo Pelagiani damnati erant, licet reclamarent 18 episcopi et ad Concilium œcumenicum provocarent : rursùmque addit, causam fuisse finitam, omnemque de eo negotio dubitationem sublatam : « Vestra, inquit, apud competens « judicium communium episcoporum modò « causa finita est : nec ampliùs vobiscum agen- « dum est, quantùm ad jus examinis pertinet, « nisi ut prolatam de hâc re sententiam cum « pace sequamini : quòd si nolueritis, à tur- « bulentâ vel insidiosâ inquietudine cohibea- « mini. » Paria repetit, lib. 2 ad Bonifac. cap. 3, et lib. 4, cap. ultimo n. 34, etc. Cur autem tacitus ille consensus sufficiat, hæc in mente S. Augustini ratio est : « quia, inquit Epist. 55 ad Januar. aliàs 119, Ecclesia Dei quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit. » Hinc celebre illud sancti Cœlest. : « Timeo, ait epist. ad Episcopos Galliæ, ne connivere sit hoc tacere... in talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas si falsitas displiceret : meritò namque causa nos respicit, si *silentio faveamus errori.* » Atque, ut loquitur Felix tertius cujus pronuntiatum in jure relatum est dist. 83, cap. *Error.* et à suis deindè successoribus sæpiùs usurpatum : *Error cui non resistitur, approbatur; et veritas cùm non* defensatur, opprimitur. Undè consequens est, ab Ecclesiâ quæ *est columna et firmamentum veritatis,* adversùs quam *portæ inferi nunquam prævalebunt,* illud censeri silentio approbatum, quod ipsâ sciente nec improbante, per R. Pontificem solemni judicio definitur : neque tunc potest illi judicio error subesse, quin ipsam in Ecclesiam redundaret.

2°. Idipsum clare tradit ac egregie explicat doctissimus Bossuet. in opere cui titulus : *Defensio declarat. Cleri Gallic.* lib. 3, cap. 2, ubi de expresso et tacito consensu verba faciens, sic ait : « Denique *quocumque modo fiat, ut Ecclesia consentiat, transacta planè res est.* Neque enim fieri potest unquàm ut Ecclesia spiritu veritatis instructa, *non repugnet errori.* » Rursùs ibidem, omninò appositè ad rem nostram addit : « Et nunc satis liquet de Decretis Pontificiis nullam dubitationem esse posse, receptane sint an non? Quis enim nesciat nullis missis nuntiis, nullis perlatis litteris, de Janseniano negotio diplomata ubique obtinere : *cùm neminem obstrepere et reclamare audiamus.* » Judice ergo illustrissimo perinde ac eruditissimo præsule, non reclamatio, ubi agitur *de decreto Pontificio,* certissimum est consensûs taciti argumentum. Hincque iterùm subdit : « Sic enim suâ sponte per pronos animos, ab altâ sede Petri vera doctrina prolabitur : ac Romano Pontifice omnium explicante doctrinam et sententiam, nihil necesse est ut congregatâ Synodo per se tota quid censeat, Ecclesia eloquatur. » Similia docent Melchior Can. l. 5. cap. 4. Thomassin. dissertat. in Concil. pag. 69. aliique : imprimis verò, illustriss. de Marca in scripto quod asservatur in Regiâ Bibliothecâ, sub hoc titulo : *Mémoire de M. de Marca, contenant l'examen d'une Thèse soutenue au Collége de Clermont en* 1661. Hoc in Memoriali doctissimus præsul disertissimè tradit, non secùs ac illustriss. Bossuet. mox laudatus, silentium seu non reclamationem, ubi agitur de *dogmatico S. Pontificis decreto,* certissimum esse consensûs taciti argumentum.

3°. In eumdem sensum, Petrus Aurelius (Abbas San-Cyranus) auctor Quesnellistis minimè suspectus, naturam, vim, signumque taciti Episcoporum consensûs exprimit et urget in defensione censuræ quâ clerus Gallicanus nonnullos libros sacris Episcoporum juribus adversos notaverat an. 1631 : « Hæresibus, inquit tom. 1, pag. 98, non paucis contigit, ut nimirùm ab unius provinciæ aut regni episcopis damnatæ sint, cæteris consensu solùm tacito, non Synodalium Decretorum auctoritate suffragantibus. » Ibid. pag. 127, sic pergit « Ad tam publicam et illustrem veritatis proculcationem

(qualis fieret episcopali judicio errorem solemniter proponente.) Ecclesia Catholica,.. silere non posset. Non enim falsum esse unquam potest illud de Ecclesiâ Dei, Augustini præconium : *Ecclesia Dei quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.* Nec verum esse non potest illud verbum Apostoli; *non solùm qui ista faciunt digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Consentiunt autem dum publicè laboranti atque oppressæ veritati non succurrunt, qui debent, et qui ad hoc potissimùm in Ecclesiæ tribunalibus collocati sunt. » *Ergo*, infert Aurelius, *cùm quiescunt, probant; cùm patiuntur, decernunt; cùm tacent, clamant.* Moxque subjungit : « nam hæresum plerarumque damnationes non semper expressâ et præscriptâ Ecclesiæ totius consensione firmatas atque auctoratas fuisse suprà ostendimus... Satis consensu tacito clamat Ecclesia, cùm reclamare deberet, si dissentiret. Officio enim deesse et veritatem prodere universa non potest. » Hæc petrus Aurelius, quæ sanè liquidò demonstrant, vi promissionum Christi neutiquam fieri posse, in mente Aurelii, ut sileant episcopi, præsertim ubi pontificio Diplomate aut error proponeretur aut proscriberetur veritas : eorum proindè iis in circumstantiis silentium esse certissimum veritatis argumentum.

4°. Idem principium uti indubitatum creberrimè ac disertissimè declarat vel ipsemet Quesnell. lib. cui titulus : *Tradit. de l'Église Rom.* tom. 1, pag. 217 et 218, sic ait : « Si c'est « dans le concile d'un pays particulier, comme « de l'Afrique, cette Église propose au saint « Siége, et par lui à toutes les autres Églises, « ce qu'elle a trouvé dans sa tradition, et « *aucune n'y contredisant*, et témoignant au « contraire *par son consentement, ou exprès ou* « *tacite*, qu'elle a trouvé la même chose dans « la sienne, on en demeure là, et la cause est « finie. » Ibid. tom. 3, p. 330, sic habet : « Le « reste des Églises du monde s'étant contentées « de voir entrer en lice les Africains et les « Gaulois, et d'attendre ce que le saint Siége « jugerait de leur différend : *leur silence, quand* « *il n'y aurait rien de plus*, doit tenir lieu d'un « consentement général, lequel, joint au juge- « ment du saint Siége, forme une décision « qu'il n'est pas permis de ne pas suivre. » Hæc, in rem nostram, planè decretoria. In eâ de consensu tacito veritate asserendâ, ad annum usque 1714 concorditer conspirârunt Jansenistæ. Hinc celebris apud ipsos auctor libri inscripti : *Justificat. du silence respect.* tom. 1, pag. 246 : « M. de Cambrai, inquit, observe que S. Léon « regarde comme décidé par l'Église univer- « selle tout ce qui est compris dans les décrets « des conciles particuliers que l'autorité du saint « Siége avait confirmés. *On n'a garde de douter* « *d'une vérité si certaine.* C'est une chose que « *les théologiens Augustiniens ont remarqué sou-* « *vent*, en parlant du II concile d'Orange ; » et tom. 2, pag. 875 et 876, subdit : « On ne « peut nier que dans le langage de S. Augustin, « dire qu'une cause est finie, et dire que l'Église « a prononcé *un jugement infaillible et irrévocable,* « c'est précisément la même chose..... C'est « le jugement du concile confirmé par celui du « premier Siége *et applaudi de toutes parts,* qu'il « regarde comme un jugement *final, suprême* « *et irrévocable,* qui ne laisse aucune res- « source à l'hérésie Pélagienne. » Hæc porrò concilia, quorum definitiones prædictus auctor hîc exhibet veluti totidem universalis Ecclesiæ decreta, nonnisi à nonnullis expressè, cæteris tacentibus, acceptata fuêre. Id non minùs disertè exprimit alter recentior Quesnelli assecla, auctor Epistolæ ad Archiepiscopum, pag. 17, ubi sic loquitur : « Suivant le raisonnement « qui a été déjà fait plus d'une fois, dès que « l'Église Gallicane ou quelque autre Église a « accepté une décision de Rome, *et que les* « *autres Églises ne réclament point, mais de-* « *meurent dans le silence, cette décision devient* « *infaillible, comme si c'était celle d'un concile* « *général.* » Ad usque ergo bullæ *Unig.* tempora constans erat apud Jansenistas, dogmaticam S. pontificis Constitutionem cui notabilis Ecclesiæ pars consentit, aliis per orbem non reclamantibus, hoc ipso censeri universalis Ecclesiæ judicium; eamque infallibilis esse auctoritatis, perinde ac si à concilio œcumenico lata fuisset.

5°. In ejusdem inconcussi dogmatis confirmationem, multiplex eaque peremptoria accedit ratio : satis fuerit impræsentiarum hanc indicâsse quam ex laudatis sanctorum Cœlest. et August. testibus, citato mox loco colligit Petrus Aurelius : sic proponi potest : Fieri nequit, Deo ita dirigente ac providente, ut Ecclesia *suo desit officio; veritatem prodat; erroremque approbet ac proponat* : ita tradunt Orthodoxi omnes; idque apertissimum est prudentiæ, sapientiæ et infallibilitatis, divinitùs Ecclesiæ collatæ, consectarium : porrò, reipsâ suo deesset officio, erroremque censeretur approbare, ex hypothesi quod non reclamaret adversùs errorem

qui publico ac solemni S. pontificis judicio fidelibus ad credendum proponeretur. *Error quippe cui non resistitur, approbatur* : (ait Felix III, dist. 83, cap. *Error*) *et veritas cùm non defensatur, opprimitur* : ex ipsismet ergo promissis à Christo Ecclesiæ factis, futurum ut cum ipsa sit *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, Matth. 28, v. 20, fieri non potest, ut ex hypothesi dogmatici et erronei S. pontificis judicii, Catholica sileat Ecclesia : hâc si quidem suâ non reclamatione, seu silentio erroneum illud judicium approbare censeretur : quod in Ecclesiam cadere nequit : hinc egregium illud anteà laudatum S. Aug. pronuntiatum : « Ecclesia Dei, ea quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit. » Etverò auctoritas illa taciti episcoporum consensûs impugnari vix potest, quin saltem p r latus simul impetatur infallibilitas et inerrantia Ecclesiæ dispersæ : episcopi siquidem silentio suo propositum errorem approbando, se errori obnoxios esse, eo ipso declararent : nondum tamen eò devenerunt adversarii, ut ausi fuerint apertè negare Ecclesiam dispersam in fide et moribus errare non posse ; ergo, etc.

Atque hinc cùm clerus Gallicanus in generalibus comitiis an. 1705, bullam *Vineam Domini* communi consensu acceptâsset; nonnullique occasione quorumdam verborum quibus concepta erat acceptationis formula, contendissent mentem præsulum nostrorum his in comitiis fuisse, dogmaticas summorum pontificum Constitutiones, ut vim obtineant, indigere publicâ expressâ et solemni corporis episcoporum acceptatione : falsos hos rumores propulsârunt undecim tam archiepiscopi quàm episcopi unà cum eminentissimo card. Noallio, datâ nomine comitiorum an. 1705, quibus hi omnes interfuerant elucidatione, in hæc verba: « Cùm clerus Gallicanus dixit, Constitutiones summorum pontificum à corpore episcoporum acceptatas totam Ecclesiam obligare, mens ejus non fuit, necessariam esse ejusmodi acceptationis solemnitatem ad hoc ut illa tanquam regula credendi et loquendi ab omnibus haberi debeat, licet aliquando illa solemnitas non mediocris possit esse utilitatis ubi natus est error. » Addunt : « nullam ex conditionibus necessariis ad obligandam totam Ecclesiam deesse conditionibus adversùs Jansenium, Baium et Molinosum (Idem de bullâ *Unig.* dicendum) latis. » Extat hæc elucidatio in actis verbalibus comitiorum an. 1705, tom. 1, in Collect. actorum ad hæc comitia pertinentium : extat etiam in Epistolâ card Noallii an. 1711 ad Clement. XI datâ. Ad hæc omnino apposite in supremi Senatûs decreto, occasione bullæ adversùs librum *de placitis Sanctorum* lato ; tanquam quid certum et constans apud Orthodoxos à regio oratore statuitur : « que le consentement *exprès ou tacite des évêques* imprime à une décision, venerable par elle-même, le sacré caractère d'un dogme de foi. » Unum adjicere liceat : quæ de tacito episcoporum consensu hactenùs dicta sunt, à nullo unquam alicujus nominis theologo, ante natas occasione bullæ *Unig.* discordias, nedùm negata, sed nec in dubium revocata fuisse, adeò certa erant et apud omnes explorata. De quo testes sunt vel ipsimet auctores Jansenistæ paulò antè citati qui taciti consensûs, hoc est, non reclamationis et silentii, de quo hîc agitur, vim et auctoritatem, uti indubitatam, supponunt. Vera ergo et certissima major propositio præsentis hujusce argumenti : « solemnem scilicet et dogmaticam S. pontificis Constitutionem cui pars Ecclesiæ notabilis adhæret, cæteris per orbem non reclamantibus, seu tacitè consentientibus ; censeri et reipsâ esse judicium Ecclesiæ universalis, cui omnes et singuli fideles adhærere tenentur. »

In adstruendâ Majori hâc propositione paulò diutiùs hæsimus, quòd eâ semel demonstratâ sponte fluat Minoris probatio. Minor itaque : nempè, « Bullam *Unig.* publicam, solemnem « ac dogmaticam esse S. Pontificis Constitutio- « nem, cui Ecclesiæ pars notabilis positivè « consentit, cæteris per orbem tacitè, seu si- « lentio consentientibus : » Minor, inquam, illa propositio, per se clara est, et ex dictis mox in probatione Majoris apertissimè sequitur. Et verò Constitutio *Unig.* à summo Pontifice de consensu cardinalium solemniter emissa, per Ecclesiam Gallicanam positivè acceptata fuit : ipsa enim in frequenti præsulum nostrorum cœtu anno 1714 recepta, à 110 et ampliùs episcopis qui certè Ecclesiam Gallicanam abundè repræsentant promulgata est gravissimis hanc in rem editis mandatis, quæ uno volumine simul excusa prodière jussu et impensis Cleri Gallicani an. 1715. In his insuper ejusd. anni, et omnibus exindè subsequentibus comitiis, suum erga eamdem Bullam sincerum obsequium, debitamque obedientiam constanter ac solemniter testati sunt dicti præsules. Accessit etiam tacitus aliarum Ecclesiarum consensus : quippè negari non potest, quin Bulla prædicta ante annos 53 data, ad omnium per

orbem episcoporum notitiam pervenerit : nullus tamen extra Galliam ex omnibus orbis Catholici partibus proferri potest episcopus qui contra eam reclamaverit . ergo tacitè fuit ab omnibus acceptata constitutio *Unig.* eademque est , vel ipsis stando dissidentium placitis , illius auctoritas , ac si per Concilium œcumenicum esset lata : proindeque omnes et singuli fideles debent ei sincerè obsequi. Atque hæc quidem ad invictam probationem planè sufficerent : verùm ad contundendam adversariorum pervicaciam , nonnullasque eorum præcavendas cavillationes , diligentiùs expendenda , ac per partes probanda eadem propositio.

1° Itaque Bulla *Unig.* solemnis est et publica summi Pontificis lex et constitutio : namque publica et solemnis summi Pontificis , sanctæque Sedis lex dicenda est Constitutio illa , quæ lata est : 1°, de consensu cardinalium : 2°, ad cunctas directa Ecclesias : 3°, ritè ac debitè Romæ promulgata : atqui sic est de Clementinâ Constitutione quæ incipit *Unig.* uti ex Bullæ tenore ac contextu , necnon ex dictis in *historicâ synopsi* manifestum est : ergo.

2° Non mera est politiæ , œconomiæ aut disciplinæ lex ; sed verâ ac propriè dicta dogmatica Constitutio : si quidem proponit aliquid credendum ; nempè , singulas propositiones aliquam mereri ex assignatis notam , atque ex notis nullam esse quæ alicui propositioni non competat : deindè alii qui judicio assignantur dogmatico characteres , illudque constituunt , iidem huic competunt Constitutioni : quæ quidem vel ex ipsâ Bullæ inspectione liquent : hæcque iterùm ex principiis sive patrocinantium sive adversantium Constitutioni *Unig.* paragraph. sequenti ex professo demonstrabuntur : ergo.

3° Expressè acceptata fuit ab Ecclesiâ Romanâ : quod certè patet , primò , quia Bullæ Clementinæ nullus contradixit, quando Romæ solemniter promulgata est. Secundò , sacrum Cardinalium Collegium multiplex ac publicum obediendiæ suæ dictæ Constitutioni testimonium dedit , præsertim in celebri Epist. ad Card. Noallium scriptâ die 16 nov. 1716 ; extat hæc Epistola initio Collectionis monumentorum Mechliniensis Archiepiscopi editæ pro adstruendâ acceptatione Bullæ *Unig.* Tertiò , omnia Ecclesiæ Romanæ membra à plusquam 33 annis in eâdem submissione firmiter ac constanter perseverant. Quartò , Clementi undecimo quatuor deinceps successêre summi Pontifices : omnes antecessoris sui judicium confirmârunt , et ipsius vestigia secuti , nulli occasioni defuerunt , ut disseminatas adversùs Constitutiones calumnias obtererent : speciatim verò , uti suprà dictis vidimus , *Innocentius* XIII , qui in Sede Apostolicâ proximè excepit *Clement.* XI septem Episcoporum Epistolam , idcircò *schismaticam* atque *hæretico spiritu plenam* declaravit 8 januar. 1722 , quòd Clementinæ Bullæ revocationem à S. Sede postularent. Quintò denique , Ecclesiæ Romanæ erga Constitutionem *Unig.* reverentia præsertim enituit in Concilio Romano 1725 , præside sanctissimo Pontifice Benedict. XIII ; aderant 30 cardinales, 8 archiepiscopi, 40 episcopi, complures abbates , 33 procuratores cardinalium , episcoporum , etc. In hâc autem venerandâ Synodo , egregiè commendata est ac confirmata debita præfatæ Constitutioni obedientia ; imprimis tit. 1 cap. 2 verba superiùs exscripsimus quæ , si libet , consule. Quæ porrò quantaque sit in hujusmodi causis Ecclesiæ Romanæ auctoritas, omnibus Catholicis ex totâ traditione compertum est ac exploratum : « Ad hanc Ecclesiam , inquit S. Iren. lib. 3 de hæres. cap. 3 : Propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam. » Addit ibid. illius indicatâ traditione , *confundi omnes eos* (Hæreticos et Schismaticos) *qui quoquomodo..... præter quàm oportet colligunt.* Passim dicitur et reverâ est , *radix , fons et origo Traditionis Apostolicæ..... necessarium unitatis et communionis Catholicæ centrum..... Petra supra quam fundata est Ecclesia , extra cujus communionem et fidem , nemo Christi est , sed potiùs Anti-Christi :* ita SS. Cyp. lib. de unit. Optatus lib. 2 . adversùs Parmenian. Hier. Epist. 16 ad Damas. *In ipsâ* , ex S. Aug. Epist. 63 aliàs 162 : *semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus.* Pluries in Concil. Trid. necnon in profess. fidei Pii IV, *Romana Ecclesia* disertè prædicatur à Fidelibus agnoscenda , uti *omnium Ecclesiarum Mater ac Magistra.* Pontificis in eâ Cathedrâ sedentis , *præcipuæ sunt partes* , juxta Cleri Gallicani declarat. an. 1682, *in fidei quæstionibus , ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinent :* atque , ut in generalibus ejusdem anni comitiis perorabat doctiss. Bossuet. « Hæc est Ecclesia quæ à beato Petro ejusque successoribus edocta hæresim non novit : ipsa semper est virgo : fides Romana semper est fides Ecclesiæ : Petrus juxta verbum Christi , semper in suis successoribus fundamentum manet Fidelium. » Juvat Gallica illustrissimi præsulis exhibere verba : « Ainsi fut

fixée à Rome, inquit, la Chaire éternelle; c'est cette Église Romaine qui enseignée par S. Pierre et par ses successeurs *ne connait point d'hérésie.....* L'Église Romaine est toujours vierge : *la foi Romaine est toujours la foi de l'Église..... Pierre demeure dans ses successeurs le fondement de l'Eglise.* C'est J. C. qui l'a dit ; le Ciel et la terre passeront plutôt que ces paroles. » Ipsa denique vel ex fervidissimis etiam libertatum nostrarum defensoribus, *à verâ fide nunquam deficere potest, et hæresim sequi*, quamvis ejus episcopus in errorem laberetur : ita Petrus de Alliaco apud Gerson. tom. 1, pag. 710. Launoïus epistolâ ad Varillaum parte 5 epist. tom. V. Simon Vigor de infallibilit. pag. 49. Dupin de antiquâ Eccles. discipl. diss. 5, pag. 370. Nicolius exposition. in Symbol. tom. 2, pag. 415, et seq. Satis fuerit impræsentiarum Nicol. verba exscribere : « *l'Église de Rome*, inquit loco citato, *ne peut devenir hérétique* comme les Églises de Constantinople, d'Antioche et d'Alexandrie le sont devenues..... *Dieu ne permettra jamais que le S. Siége, ou l'Église de Rome, tombe dans aucune erreur qui lui fasse perdre la foi*, et qui la fasse retrancher de la communion de l'Église. La raison en est que l'Église devant toujours avoir un chef, et n'en pouvant avoir d'autre que le S. Siége, elle ne sera jamais dans un état qu'il ne puisse plus être reconnu pour chef. »

Hoc certè uno perpetuo ac constanti totius Ecclesiæ Romanæ erga Bullam *Unig.* obsequio, omnimodâque reverentiâ, atteruntur penitùs atque ad nihilum recidunt procaces illæ calumniæ, nefariaque probra ac convicia quibus præfatam bullam infamare ac proscindere veriti non fuêre Quesnellistæ : quasi per illam « impugnata apertè Religio in suis dogmatibus; hierarchia in suis juribus; Christiana morum disciplina in eo quo tanquam basi et animâ nititur; deletæ funditùs pœnitentiæ leges et regulæ; veteris et novi fœderis inducta confusio in eo capite quo præsertim à se invicem distinguntur; primum Symboli caput, ipsumque divini amoris maximum mandatum, aliaque complura Christianæ doctrinæ capita labefactata, etc.; » quæ in Clement. Constitutionem probra, citatis adversariorum ipsissimis verbis initio hujusce tituli recensuimus : hæc porrò nullatenùs stare posse cum eximiis illis dotibus ac prærogativis quas in Romanâ Ecclesiâ, tota agnoscit ac veneratur traditio, nemo non intelligit. Etverò, Ecclesia ad quam *propter potiorem principalitatem necessum est omnem convenire Ecclesiam* : cujus traditione et doctrinâ *cuncti confunduntur hæretici* : Ecclesia quæ *fons est et origo traditionis apostolicæ; unitatis et communionis catholicæ centrum; omnium aliarum Ecclesiarum mater ac magistra; cujus fides semper est fides Ecclesiæ; quæ à beato Petro ejusque successoribus edocta hæresim non novit;* quæ denique *à verâ fide deficere et hæresim sequi nequit*; illa profectò Ecclesia suscipere nequit ac acceptare, positivè ac constanter, Bullam dogmaticam quâ *apertè Religio in suis dogmatibus : hierarchia in juribus* : *Christiana morum disciplina in fundamentalibus* labefactantur ac funditùs convelluntur : apertior est ista propositio quàm ut indigeat probatione. Atqui ex laudatis modò sanctorum Patrum, nec non auctorum Gallicanis libertatibus addictissimorum disertis textibus, Romana Ecclesia præfatis gaudet dotibus ac proprietatibus : aliundè verò ipsa *positivè et constanter* adhæret Constitutioni *Unig.* neque enim ab annis plus quàm 33 suam erga Apostolicum illud decretum reverentiam, debitumque obsequium, egregiis, iteratisque testificationibus declarare usquam destitit; uti recensito quintuplici momento; imprimis Romani sub Benedicto XIII celebratione Concilii, planè constat; ergo.

4°. Gallicana Ecclesia in quâ præsertim contentio excitata fuit, cujus proindè post Romanam Ecclesiam in præsenti negotio potissimùm spectanda est acceptatio ac auctoritas; suam erga præfatam Constitutionem pluribus invictis momentis expressè ac solemniter testata est adhæsionem.

Namque primò uti suprà in primâ *historicæ synopsis* parte, ex ipsismet comitiorum verbis, probavimus; statim ab anno 1714 in frequenti Antistitum nostrorum conventu, *cum omni obsequio ac reverentiâ excepta fuit Clementina Constitutio* : atque anno seq. 1715, à plus quàm 110 gravissimis pastoralibus documentis promulgata.

Secundò : decem exindè celebrata sunt generalia Cleri Gallicani comitia : in his, præsertim in comitiis an. 1723, 1726, 1730, renovata fuit ac firmata Bullæ acceptatio; agnitumque decretum illud, uti vera *Regni perindè ac Ecclesiæ lex.*

Tertiò : iterùm confirmata dictæ Constitutionis auctoritas, ipsique ab omnibus fidelibus debita obedientia egregiè commendata; tum an. 1717, in duplici memoriali à 28 cardinalibus, archiepiscopis et episcopis Gallicanis celsissimo Aurelianensium duci Regni tunc

moderatori oblato, adversùs Bullæ *Unig.* obtrectatores : tum an. 1718, in publicis Mandatis contra provocationem ab eadem Bullà emissis à plus quàm 30 itidem cardinalibus, archiep. et episcop. tum an. 1720, in celebri Epistolâ, occasione Corporis doctrinalis Eminentiss. Noallii, ad eumdem Aurelianensium ducem, Regni gubernatorem, à 97 præsulibus nostris directa. Quartò : in Ebredunensi Synodo quindecim Gallicani præsules, unanimi consensu declarârunt : « Constitutionem *Unig.* quâ 101 « Quesnelli propositiones damnantur : dogma« ticum esse et irretractabile universalis Ec« clesiæ judicium ; » quæ Synodus, ut dictum est Pontificiâ Benedict. XIII, auctoritate disertè confirmata fuit, Regioque munita diplomate.

Quintò : In totâ Galliâ, imo in universo orbe Catholico Universitas nulla est, nulla sacra Facultas quæ exhibendo huic Constitut. obsequio defuerit : ipsa inprimis theologica Facultas Paris. celeberrimo die 15 Decembris 1729 lato decreto, splendidè agnoscit et amplectitur *Constitutionem* Unig. *tanquàm universalis Ecclesiæ judicium dogmaticum.* Jam verò tam externæ quàm domesticæ Universitates ad quas S. Facultatis Parisiens. acta transmissa sunt, ea summis plausibus exceperunt, seque idem sentire testatæ sunt. His accedit auctoritas Regis quæ sæpiùs expressè ac solemniter agnovit Constitutionem *Unig.* esse decretum quod generaliter in Ecclesiâ receptum est : illudque in toto regno observandum sancit. Ita Regia majestas edictis an. 1720 et 1730 utrumque in omnium Parlamentorum tabulas relatis ; necnon in respons. ad articulos Cleri Gallic. an. 1723, 1725, 1726, ubi conceptis verbis asserit : Constitutionem *Unig. Regni pariter ac Ecclesiæ legem esse.* Undè sic : Ea Ecclesia positivè adhæret constitutioni, quæ primùm illam cum omni reverentiâ suscepti frequentibus in comitiis : quæ in omnibus exindè generalibus habitis cœtibus eamdem acceptationem renovavit : quæ illius executionem sedulò promovit, interjectamque ab eâ Bullâ provocationem, *nullam, illusoriam- sanctæ sedi et episcopali Corpori injuriosam* declaravit : in quâ numerosa Synodus utrâque munita et roborata auctoritate definivit Constitutionem *Unig.* esse judicium universalis Ecclesiæ : in quâ denique pro ejusdem decreti executione : Regia Sacerdotali accessit auctoritas ; adeò ut *non minùs Regni sit lex quàm Ecclesiæ* : atqui sic est de Ecclesiâ Gallicanâ : ergo.

5°. Acceptata etiam fuit Constitutio *Unig.* ab omnibus aliarum Ecclesiarum episcopis : quod quidem constat, tum ex eorum silentio ; tum ex variis eà de re confictis adversariorum systematibus ; tum ex quampluribus expressis, omnique exceptione majoribus testimoniis ac monumentis.

Constat itaque 1°, *ex ipsomet episcoporum silentio* : quippè negari non potest quin Clementina Bulla cujus occasione tot ac tanti à Quesnellistis exciti fuêre clamores, quæque ante 33 annos data fuit ; negari, inquam, non potest, quin ad omnium per orbem episcoporum cognitionem pervenerit : attamen, paucis admodùm intra Gallias exceptis, nullus omninò inventus est apud exteras nationes, quæ Catholicam fidem profitentur, qui contra eam Bullam reclamaverit ; etsi summâ ope moliti fuerint dissidentes, ut eos ad reclamationem pertraherent : tacitè ergo ab iis omninibus fuit acceptata. Etverò, solemnis ac dogmatica summi Pontificis Constitutio cui positivè consentit pars Ecclesiæ notabilis, cæteris per orbem tacitè, seu non reclamando, consentientibus ; censetur esse, et reipsâ existit universalis Ecclesiæ judicium : tunc qui non reclamant episcopi, censentur consentire : *Cùm quiescunt, probant*, inquit Aurelius supra laudatus, *cùm patiuntur, decernunt : cùm tacent, clamant ;* nullusque, confidenter affirmo, ante natas occasione Bullæ *Unig.* discordias, proferri potest orthodoxus Theologus qui usquam inficiari ausus fuerit, Episcoporum in prædictis circumstantiis silentium, non esse apertissimum ac certissimum consensûs taciti argumentum : (vide quæ in Majoris probationem superiùs adducta sunt) : atqui Clementina Bulla *Unig.* solemnis est S. Pontificis Constitutio, cui pars Ecclesiæ notabilis positivè consensit, etc. Romæ siquidem, in Galliis, expressè et solemniter acceptata fuit : nullusque omninò extra Ecclesiam repertus est qui reclamârit ; ergo, etc. Ratio autem à priori cur episcoporum silentium, ubi agitur de solemni ac dogmaticâ S. Pontificis Constitutione à parte notabili Ecclesiæ positivè acceptatâ, loco approbationis habeatur ; ratio, inquam, illa fundatur in palmari ac præcipuo Ecclesiæ charactere, *unitate* videlicet : hæc namque essentialis Ecclesiæ unitas potissimùm sita est, uti post Card. Hosium et Bellarmin. notat eminentiss. Perronius in suâ ad Regem Britanniæ respons. pag. 549, *in externâ unius et ejusdem fidei professione :* solveretur porrò, ut manifestum est, ea professionis fidei unitas, in hypothesi adversariorum : quòd

nempè, summus Pontifex plaudente notabili Episcoporum parte, certa quædam doctrinæ capita tanquàm erronea et hæretica palàm ac solemniter proscriberet; cæteri omnes Episcopi intùs ac tacitè eadem puncta, veluti orthodoxa et ad depositum fidei pertinentia, retinerent ac approbarent. Quàm hæc aliena sint ab illâ perfectâ et omnimodâ fidei unitate, quam in Ecclesiâ agnoscunt ac commendant SS. Irenæus, Optatus, Aug. aliique Patres, nemo non videt.

Constat 2°, generalis episcoporum cæterarum Ecclesiarum acceptatio, *ex variis excogitatis occasione Bullæ à Quesnellistis systematibus* : initio quidem præfatæ Bullæ acceptationem negârunt Quesnel i asseclæ ; at exindè evidentiâ rei superati, hanc palàm et apertè confessi sunt. Audiatur auctor libelli cui titulus : *Entretiens sur la Constitut.* pag. 44 : « Tout le monde, inquit, se range aujourd'hui du côté de la Bulle... Dieu par un terrible jugement a permis que le Pape Clément XI ait donné sa Constitution, et que les évêques en punition de leur peu de zèle pour les intérêts de Dieu, n'aient pas eu, les uns assez de lumière, et les autres assez de courage pour la rejeter » Addit, hæc in rem nostram decretoria verba : « Les évêques étrangers l'ont reçue..... En France le courage a manqué aux évêques. » Ad hæc apposité, auctores scriptorum : *Réflex. succinctes sur la Constit.* pag. 69, *et Pratiq. pour les amis de la verité* pag. 3, exclamant : « Le nombre des acceptans est si grand qu'il y a lieu de trembler et de craindre à la vue de la séduction générale qui s'opère aujourd'hui. » Quam hîc *generalem* appellant *seductionem*, ipsa est, in eorum mente, *generalis Bullæ acceptatio*. Paria tradunt vel ipsi Appellantium duces, Senecensis et Monspessulani episcopi : ille quidem, in Epist. die 6 mart. 1734, ad periodicum nuntiorum Ecclesiast. scriptorem, his verbis : « Les funestes nouveautés qu'on veut introduire à toutes forces dans l'Eglise de Dieu, ne trouvent presque plus de défenseurs de la vérité qui osent les proscrire publiquement. » Hinc in suo, die 28 ejusd. mensis et an. Testamento spirituali, quasi divino afflatus spiritu Deum deprecatur : « d'accélérer cet heureux temps où l'on verra l'accomplissement des promesses pour la délivrance de l'Eglise, pour le triomphe de la vérité, et pour le salut d'un peuple qui profitera de l'infidélité et de l'ingratitude de celui qui a été mis à sa place. » Simillima pluries inculcat Monspessulan. episcopus locis mox citandis, præsertim Epist. 2, et 4, ad illustriss. Suessionens. præsulem, circa *promissa Ecclesiæ*. Quæ certè testimonia, generalem Bullæ acceptationem planè adstruunt.

Cæterùm ut ab admittendâ hâc etiam ubique receptâ Constitutione, sese eximere possent Quesnellistæ : ad varia erronea et apud Orthodoxos hactenùs inaudita, quin et ipsismet stabilitis ab eorum ducibus *Aurelio*, *Jansenio*, ipsoque ante Bullam latam *Quesnello*, principiis omninò adversa confugerunt systemata. Mirum sanè quàm variaverint in fingendis neotericis illis et heterodoxis systematibus : ex iis alia spectant *infallibilitatis objectum;* alia *subjectum infallibilis auctoritatis;* alia *formam, modum, conditiones,* exercendæ infallibilitatis in Ecclesiâ : illustriss. Suessionensis, postea Senonens. archiepiscopus jam an. 1718 undecim recensebat in tertio suo commonitorio, quæ quidem egregiè ibidem explodit : plura exindè alia aliis magis ac magis exitiosa adjecta sunt. Horum insulsitatem perspicaciores ex Quesnellistis omninò non latuit : quare incerti ubi pedem figerent, nova quæsiêre diverticula : aliquando *novissimorum temporum prædictiones*, interdum *miracula et convulsiones ;* ac tandem *Eliam* ipsum appellârunt, illumque advenisse jam, aut proximè venturum prænuntiârunt. Non est hujus loci præfata Quesnellistarum systemata refellere : satis fuerit impræsentiarum excogitata de novo dicta effugia summatim persequi, eaque ad Bullæ quam ubique viderant receptæ declinandam acceptationem conficta fuisse, commonstrare. Itaque ad ipsas futuræ in novissimis temporibus quasi generalis, ut jactant, à fide defectionis minas ac prædictiones, primùm confugerunt Quesnelli asseclæ. Sic auctores Colloquiorum *du Prêtre Eusèbe et de l'Avocat Théophile* pag. 58, *et d'un Jésuite avec une Dame* pag. 101 : « Jamais le danger de la séduction ne fut plus grand pour les fidèles qu'il l'est aujourd'hui.... Danger du côté des séducteurs parce qu'ils sont en grand nombre : » addit iste : « Si l'on jette les yeux sur les pays que l'Eglise occupe, comme l'Italie, l'Allemagne, la Pologne, l'Espagne, le Portugal, la France et quelques États voisins, *il s'élève de toute part des voix pour la bulle : très peu contre.* Le parti des Opposans, des hommes fidèles à suivre la doctrine enseignée et crue avant la fatale Bulle, SE TROUVE RÉDUIT A UNE POIGNÉE. » Et paulò post : « La Bulle établit et canonise l'incrédulité des Juifs; *donc voilà leur apostasie parmi nous. Nous voilà donc au terme*

marqué par S. Paul...... Voilà cette mort qui a gagné presque le monde entier. » Non absimilia habent, auctor epist. ad Magistrat. pag. 83 et 84 : *Troisième vie de M. Pâris* pag. 52 et 61; *les Hexaples, la vérité rendue sensible*, etc., aliique. At audiendi præ cæteris Appellantium duces Senecensis et Monspessulanus episcopi, qui rem adhuc disertiùs exprimunt : « Si les prédictions de Jésus-Christi pour les derniers temps, inquit iste in suâ ad Regem Epistolâ an. 1729, pag. 8 et 9, ne donnent aucune atteinte à l'étendue et à la vérité des promesses, les promesses de leur côté ne peuvent infirmer la certitude des prédictions. » Subdit : « mais si en vertu des promesses la totalité des premiers pasteurs doit toujours être assez fidèle pour enseigner la saine doctrine, que deviendront les prédictions? Plus de scandale à craindre. » Et in epist. Pastorali an. 1730, pag. 22 : « Y a-t-il à craindre que la séduction puisse être portée jusqu'à entraîner les élus même s'il était possible, quand la totalité morale des premiers Pasteurs, le Pape à la tête, enseigne la vérité. » Paria ex professo tradit, pluribusque probare tentat alter acerrimus Appellantium vindex D. de Soanen, Senecensis præsul, imprimis in famoso suo an. 1728 Documento : « On ne doit point, inquit part. 4, art. 8, n. 1, diviser ce qui est vrai dans le plan de la Religion : et pour se former une juste idée de l'état de l'Église, il faut rapprocher sous un seul point de vue les promesses et les prédictions, comparer ensemble ces divers oracles, et ne point douter qu'ils n'aient tous un parfait accomplissement. Cette comparaison nous ouvre la véritable route pour entrer dans la question du grand ou du petit nombre. » Postea n. 2, et 3, de promissis et prædictionibus sigillatim disserit : ac deinde n. 4 addit : « Le même texte de l'Évangile qui nous assure que les portes de l'enfer ne prévaudront point contre l'Église, nous laisse entrevoir toute la violence des combats, qu'elle aura à soutenir.... Rien n'est plus digne d'attention, que ce que dit celui même qui a fait cette magnifique promesse; qu'il y aura dans ce Royaume des occasions de chute et de scandale, et qu'un jour la tentation ira jusqu'à séduire même, s'il était possible, les Élus. »

Tum infert : « Une telle séduction serait-elle possible dans le système que nous réfutons? Et comment arriverait-elle en effet? Est-ce que le très grand nombre des évêques avec le Pape manquerait d'avertir et de réclamer? Mais on prétend que ce très-grand nombre réclamera toujours. » Paucisque interjectis : « Supposé, que le Pape et le très-grand nombre des évêques eût toujours soin de découvrir hautement le prestige, on sent assez combien cette réclamation solennelle diminuerait la séduction.... La défection et l'apostasie dont parle l'Apôtre seraient impossibles. » Idipsum hoc et sequentibus articulis, pluries repetit Senecensis præsul.

Hæc porrò, quæ duo illi celeberrimi dissidentium coryphæi creberrimè inculcant, haud obscurè indicant, ipsos ultrò confiteri, totalitatem moralem primorum pastorum, in præsenti Constitutionis negotio, Appellantibus planè adversari. Etverò, uti scitè observat illustriss. Senonensium archiepiscop. in octavâ suâ Pastorali Epist. recitata dictorum Præsulum loca expendens. n. 9 : « Pourquoi recourir à cette ressource devenue commune aujourd'hui dans le parti des Appelans? (*les scandales qui sont prédits pour la fin du monde, le dépérissement qui doit arriver dans la foi, et la séduction générale qui, selon eux, doit envelopper alors le S. Siége, et le plus grand nombre des évêques*)? Pourquoi établir avec tant de soin par de si longs écrits, que la totalité morale des premiers Pasteurs peut dans les derniers jours être envelopée dans l'obscurcissement de l'erreur : que sans cet obscurcissement les prédictions ne pourraient s'accomplir ?..... On sent aisément que rien n'est plus déplacé que ce raisonnement, si aujourd'hui les Appelans n'ont point à combattre *contre la totalité morale des Pasteurs,* présidée par leur Chef. Si le corps des premiers pasteurs n'était pas réuni pour la défense du Décret Apostolique, et pour la condamnation de ceux qui s'y opposent, il était tout naturel de le dire. Il n'y avait qu'à nommer le pays où la Bulle n'est pas reçue, les Eglises qui la rejettent, les Prélats qui la combattent, les Papes qui la révoquent, les Conciles qui la méprisent : mais cela ne se peut. Or la marque la plus sensible que cela ne se peut, c'est que les prélats eux-mêmes ont recours aux prédictions, et ils s'efforcent de prouver que *le Pape avec la totalité morale des premiers pasteurs* peut s'égarer dans la foi, et qu'il le peut sans préjudice des promesses que J. C. leur a faites. » Subdit : « Nous verrons dans la suite que c'est là, non pas expliquer, mais abolir cette promesse divine : c'est assez maintenant de remarquer dans ce raisonnement, la preuve claire et évi-

dente de ce fait si long-temps contesté, *que la totalité* morale *des premiers pasteurs*, ayant le Vicaire de J. C. à sa tête et marchant sur sa conduite adopte le décret Apostolique et condamne le parti des Appelans. » Hactenùs doctissimus præsul, quæ sanè, à nobis modò dicta mirum in modum confirmant. Istud Quesnellistarum in præsenti acceptationis Bullæ negotio effugium, eorumque latens in illo excogitando consilium, manifestè aperit celeberrimus inter Appelantes auctor quatuor Epistolarum ad illustriss. Suessionens. episcopum, circa promissa Ecclesiæ : « Les menaces contenues dans la parole de Dieu, inquit ille Epist. 4, pag. 15, ne permettent pas de croire que les promesses faites à l'Eglise, se verifient toutes....*dans le grand nombre et même dans la totalité morale de son corps.* » Et pag. 15 : « Il est prédit qu'il y aura une apostasie *qui peut être appelée générale* en comparaison de celles qui auront précedé.... l'Eglise ne périra pas cependant tout entière, les vrais disciples de J. C. seront tourmentés et haïs de toutes les nations à cause de son nom : il y en aura donc ; *mais il y en aura peu.*» Ibid. pag. 26 et 27, subdit : « Dans les temps les plus fâcheux Dieu réserve à son Eglise une semence précieuse de restes favoris... restes qui peuvent ne faire *qu'une très petite partie de l'Eglise ;* et qui se réduisent à un nombre *d'autant plus petit, qu'on approche davantage de la consommation du mystère d'iniquité.* »

Clara sunt hæc et aperta : jam periculosis his in temporibus, ex citato auctore versamur, in quibus occasione acceptationis Bullæ, mysterium iniquitatis peragi incipit : quod apertiùs ibid. pag. 17, declarat his verbis : « Cependant tout nous avertit de craindre l'accomplissement total des menaces comme tout en avertissoit les Juifs du tems de J. C. et des Apôtres. Le vrai esprit de la loi étoit prêt à se perdre, parce que les Pharisiens s'étoient rendus arbitres de la doctrine et de la religion..... Tels étoient les maux qui préparoient chez les Juifs à une ruine totale : *et tels sont, pour ne rien dissimuler, ceux qui doivent nous effrayer aujourd'hui.....* Pouvons-nous dissimuler que des vices et des erreurs semblables *ne soient aujourd'hui plus que jamais répandues dans le sein même de l'Eglise.* » Nihil certè alienum magis ab Orthodoxis circa Ecclesiæ naturam principiis, eâ quam hìc exhibet anonymus Ecclesiæ imagine ; ac reipsà ipsissimum est perniciosum dogma quod Protestantibus exprobrat, in ipsisque damnat illustrissimus Bossuet. 15 lib. variat. n. 10 et 11 : « Selon eux (les protestans), inquit doctiss. præsul, l'Eglise peut être réduite à un petit nombre, mais enfin il y a toujours un reste de Fidèles, dont la voix se fait entendre sur la terre....et il peut arriver dans l'Eglise, comme dans les états politiques que le plus grand nombre l'emporte sur le meilleur. » Præfatum anonymum opus, summarium est, ac synopsis quædam principiorum quæ in prolixiori Senecensis episcopi Mandato 1728 stabilita fuère, atque à nonnullis illustriss. de Colbert Monspessul. præsuli adjudicatur. Verùm cùm illæ novissimorum temporum minæ ac prædictiones, à Protestantibus sæpiùs objectæ et à Doctoribus orthodoxis toties enucleatæ, minus viderentur efficaces ad suos in oppositione Bullæ generaliter acceptatæ firmandos perspicerent dissidentium duces : novum speciosum magis, magisque sensus perstringens adhibuère subterfugium ; prætensa scilicet miracula, insolitasque membrorum distensiones. Id insigniorum Quesnellistarum testimoniis jam obiter est firmandum : ex innumeris hìc sufficiant citati duo dissidentium coryphæi, Senecensis et Monspessulanus præsules. Episcopus Senecensis prætensa Appellantium miracula, summæ Acceptantium auctoritati, ingentique eorum numero opponens, indè Bullam nedùm acceptatam, imò nec usquam suscipi posse disertè colligit : ita præsertim in celebri quam an. 1736 inscripsit *de Neotericorum erroribus* Epistolâ : juvat ipsa auctoris verba inscribere : « On peut demander, inquit pag. 39, s'il est du moins permis de recevoir la Bulle, ou s'il est important, et même nécessaire de la recevoir. » Sic respondet : « Cette question sera bientôt résolue, si l'on fait attention à la nature et à l'état de la dispute qui partage les esprits dans le sein de la communion de l'Eglise Catholique. D'un côté se présente une décision émanée du Chef du Collége apostolique, publiée dans presque tous les Diocèses de l'Eglise Gallicane, où la dispute avoit commencé, *revêtue d'une acceptation apparente du grand nombre des évêques,* dont la démarche est appuyée *presque partout* de la puissance séculière. De l'autre côté se trouve un petit nombre d'évêques, de prêtres, de laïcs épars en France et ailleurs, qui accusent cette décision de combattre dans son sens naturel le premier article du Symbole et le premier commandement du Décalogue, et qui accusent en conséquence les Acceptans de donner des armes au parti de l'erreur en autori-

sant par leur acceptation un decret qui le favorise.

« En pareilles circonstances (notanda verba) il faut avouer qu'au cas que l'acceptation de la Bulle soit une chose permise et indifférente, *le petit nombre d'opposans* est coupable devant Dieu et devant les hommes, soit de former une accusation atroce et calomnieuse contre un jugement du Souverain Pontife ; accusation qui retomberait plus ou moins sur la personne même du Pape et de tous les Évêques adhérens ; soit d'entretenir dans l'Église et dans l'État une funeste division, en se distinguant du reste du monde pour une chose qui n'intéresserait ni la foi ni la conscience. »

Pergit : « Cependant M. de Paris, non seulement persévère pendant sa vie dans une opposition connue contre la Bulle, mais il signale ses derniers momens par une déclaration de son adhésion à tous nos actes : et il meurt dans la confiance que son appel servira à lui faire trouver grâce au tribunal du souverain Juge. *Si la Bulle est recevable, comment justifier un refus obstiné jusqu'aux derniers soupirs, de céder au plus grand nombre des Pasteurs Catholiques* dans une chose indifférente ? Certainement M. de Paris n'eût été ni pendant sa vie, ni à sa mort, un enfant de paix ; mais de trouble et de dissension : il ne pourrait être compté parmi ces bienheureux pacifiques qui posséderont la terre des vivans. »

Moxque : « mais si Dieu en a jugé autrement : s'il a daigné manifester aux hommes qu'un Appelant bien décidé étoit entré dans la paix et dans la joie de son Seigneur : *dès lors les miracles de l'Appelant deviennent une preuve décisive, que les principes de l'appel sont des principes Catholiques; que l'accusation intentée contre la Bulle est bien fondée et qu'il est nécessaire de s'y opposer.* »

Paucisque interjectis, concludit : « *Les miracles de ce tems sont donc un témoignage clair et divin de l'injustice de la censure et de l'obligation de réclamer, selon ses forces, pour les vérités qu'elle flétrit ou qu'elle affaiblit.* » Et rursùs : « Dieu parle, il sort de son secret, sa voix éclatante se fait entendre : cette voix doit être écoutée préférablement aux cris confus d'une multitude qui ne s'entend pas elle-même, qui ne peut se fixer sur ce qu'on doit croire ou rejeter, qui ne parle que d'une foi implicite pour des vérités indéterminées, qui ne forme enfin que des sons inarticulés et vides de sens où l'on ne distingue que ces mots : Acceptez, soumettez-vous. » Nihil sanè in rem nostram expressiùs locupletissimo isto Patriarchæ Appellantium testimonio, quod ideò tametsi prolixius ex toto describendum duximus.

Præsul Monspessulan. (D. De Colbert) alter Appellantium dux, miracula pariter et convulsiones perpetuò jactat : iisque se suosque tueri ac munire tentat adversùs Apostolicum Decretum utrâque firmatum auctoritate : « Que Dieu est admirable dans ses voies ! inquit Mandato Pastorali an. 1733, p. 18, il s'agit d'abord de faire comprendre que ceux qui souffrent pour ne vouloir pas se soumettre à la Bulle, souffrent pour la justice, que quoiqu'ils soient *le petit nombre*, ils ont pour eux la vérité, et *que la multitude* qui s'élève contre eux ne mérite pas de croyance. » Audis, ex ipsomet Appellantium duce, multitudinem stare ex parte Acceptantium, ipsosque auctoritate suâ dissidentium paucitati plurimùm prævalere. Hinc ibidem pag. 9, idem præsul, Bullæ processus deplorans, ait : « Lorsqu'une mauvaise cause soutenue par les plus redoutables appuis fait d'immenses progrès.... qu'on proscrit, qu'on tourmente, qu'on met tout en œuvre pour détruire sans ressource la cause de la vérité ; est-il surprenant que Dieu éclate par des miracles ?.... Voilà la cause de cette multitude de prodiges qui s'opèrent aujourd'hui. » Et paulò post : « Le progrès (de la Bulle) est immense. Elle a pour elle les plus redoutables appuis, et les Appellans ont toutes les Puissances contre eux. » Nihil certè locupletius ad ostendendum à maximâ episcoporum multitudine, etiam ex adversariis, Bullam fuisse acceptatam. Idem non minùs luculenter significat in Pastoral. an. 1734 documento, pag. 13, his verbis : « Quand on a pour soi l'Écriture et la Tradition d'une part, et les miracles de l'autre, être insulté *parce qu'on paraît abandonné du grand nombre*, c'est un titre pour espérer un prompt secours.... Cette poignée d'Appelans qui osait encore résister, allait être anéantie. » Per exiguam Appellantium manum, hîc disertè declarat acerrimus ipsorum defensor : tametsi ad fucum faciendum scripturam, traditionem et miracula ostentat : ad eaque contra auctoritatem præposterè provocat. Rursùs idem candidè fatetur pag. 24 : « *Le Pape à la tête d'un grand nombre de Pasteurs se déclare pour la Bulle*, et paraît au moins par cet endroit autoriser les erreurs qu'elle enseigne. » Addit abnormia hæc verba : « Plus les Fidèles ont de respect pour l'autorité, plus ils cou-

rent risque de *tomber dans l'erreur....* mais quelle autorité retiendra les simples? Je n'en vois point de plus efficace que celle des miracles. » Sed ille, contra analogiam fidei : « Non ex auctoritate de miraculis; sed per miracula de auctoritate, » dijudicandum pronuntiat. Quod in Protestantibus Walenburgens. Stapleton, aliique explodunt: ipseque speciatim illustriss. Bossuet. hist. variat. lib. 15, n. 40, illud idem in Pelagianis damnat et Donatistis sæpiùs invictè confutat S. August. libris contra Julian. et de Baptism. et unit. Eccles. contra Donatistas. Vide imprimis tract. 13, in Joan. n. 17.

Ultimum tandem commentum quod ad infirmandam, si fieri posset, generalem Bullæ acceptationem finxerunt Appellantes, ii præsertim qui apud ipsos *Figuristæ* nuncupantur, commentum, inquam, illud prorsùs fanaticum est : spectat scilicet Eliam ipsum quem advenisse jam, aut certè brevì venturum, sæpiùs medios inter et insolitos membrorum motus per fanaticum furorem vaticinati sunt. Hinc frequens apud ipsos ista, quâ abutuntur, Christi sententia : *Elias cùm venerit primò, restituet omnia:* existimant nempè ministerio Eliæ proximè venturi, ad christianam fidem Judæos esse adducendos ; hâcque populi Judaici conversione, resarcienda esse damna quæ per publicam ac quasi generalem Bullæ acceptationem passa est Ecclesia. Ita testatur ipsemet Dom. Thierri de Viaixnez Epist. ad D. Petit-pied 25 april. 1728, his verbis : « La venue d'Elie, aussi bien que la conversion des Juifs, fait leur espérance (des Appelans Figuristes) parce que les Juifs convertis mettront ordre à tout, et qu'Elie retablira tout. » Et posteà : « La séduction étant si générale, la venue d'Elie, disent-ils, n'en est que plus proche, et dans peu ce Prophète, miraculeusement de retour pour combattre l'Ante-Christ, rétablira toutes choses. » Hæc Dom. Viaixnez. Epistola deposita asservatur in regiâ Bibliothecâ. Desperatissimo hoc effugio anonymi duntaxat auctores primùm usi sunt : at illud, quod mirandum, posteà usurpârunt vel ipsi Appellantium Patriarchæ, illustriss. Senecens. et Monspessul. episcopi ; ille quidem citatâ mox Epist. pag. 43 et seq., alter verò sextâ ad archiepiscop. Senonens. Epist. n. 15, his verbis : « Il y a des Appelans qui, touchés des maux de l'Eglise, regardent la venue d'Elie et la conversion du Peuple Juif comme une ressource que Dieu a préparée pour faire refleurir l'Eglise, et renouveler sa jeunesse comme celle de l'aigle. Cette pensée qui n'a rien que de conforme à l'Ecriture et à la Tradition, devient pour vous un sujet de nous insulter.... S. Paul nous apprend que le retour des Juifs produira dans le monde une résurrection, *vita ex mortuis.* Il fait envisager la misericorde que Dieu fera aux restes bénits de ce peuple, comme devant être encore plus avantageuse à l'Eglise que ne fut leur réprobation en ce qu'elle a donné lieu à la conversion des Gentils. Où est donc le sujet de railler?..... Peut-on se cacher que les maux de l'Eglise sont très-grands, etc.? » At de isto, aliisque Quesnellistarum effugiis alibi plenius : hoc unum jam interest in rem nostram observandum : excogitatis his diverticulis, nedum infirmari, imò potiùs, ut ex dictis liquet, adstrui ac corroborari generalem Bullæ acceptationem.

Constat 3°, et quidem invictissimè, eadem generalis Bullæ acceptatio, *ex plurimis expressis, omnique exceptione superioribus testimoniis ac monumentis.* Petuntur hæc authentica instrumenta ex publicis ac solemnibus omnium fermè orbis Catholici Metropolitanorum testificationibus, quibus asseveranter ac disertissimè declarant : « se suosque Suffraganeos dictæ Constitutioni *Unig.* constanter adhærere: eamque pro ratâ ac sanctâ lege tenere, cui omnes Fideles integrum mentis obsequium exhibere tenentur. » Luculentissima hæc Testimonia, clarissimo Aurelianiensium Duci primùm oblata, Ludovici XV jussu in Regiâ Bibliothecâ asservantur : ea edi curavit Eminentissimus Cardinalis et Archiepiscopus Mechliniensis in volumine inscripto : *Témoignage de l'Eglise universelle en faveur de la Bulle Unig.;* pleraque exhibent Card. de Bissy in suo an. 1722 circa Constitutionem Pastorali Mandato, primâ part. pag. 42, 43, etc. edit. 1728, necnon illustriss. Suessionensis, postea Senonensium archiepiscopus, secundo suo Documento Pastorali pag. 6, 7, etc. ex quibus pauca hæc in præsenti negotio efficacissima, excerpemus.

De sparsis per Italiam Ecclesiis. — Ita inprimis testantur : *sacrum Cardinalium Collegium*, Epist. ad Eminentiss. Card. Noallium 16 novemb. 1716, ubi de Bullâ *Unig.* sic habet : « Le sens de la Bulle est clair : elle est une censure expresse des erreurs anciennes ou nouvelles : bien loin de combattre aucune vérité, elle ne donne aucune atteinte aux sentimens qu'il est permis de soutenir. » Addit : « Ce n'est que par la plus atroce calomnie,

que des enfans de perdition ont pu répandre, que la Bulle affoiblit les points capitaux de la Religion, et les plus louables pratiques de la discipline. » Moxque exclamant Eminentiss. cardinales : « C'est ainsi que les méchans en ont agi dans tous les temps contre le Saint-Siége. » Demùm, notandis his verbis, suam concludunt Epistolam : « Que l'Eglise sache que *tous* les cardinaux de la sainte Eglise Romaine attachés au S. Siége par les liens les plus étroits persévèrent à son égard dans une soumission à toute épreuve. » Cardinalis Boloniensis archiepiscopus, Epist. ad Nemausensem episcopum : « J'atteste en termes précis, que je tiens les 101 propositions tirées du livre du P. Quesnel et condamnées dans la Constitution *Unig.* pour entièrement contraires à la Tradition Apostolique et Ecclesiastique, opposée à la doctrine des Pères et des Conciles, et dignes des censures dont elles ont été frappées dans ladite Constitution. » Illud idem de Provinciæ suæ episcopis ibidem significat, his verbis : « Les évêques de ma Province assurent sincèrement la même chose : et si ceux qui en France les accusent là-dessus d'indifférence, les consultent, ils en recevront la correction que mérite leur impudence. » Patriarcha Venetiarum Epist. ad Eminentiss. Card. de Bissy : « Tout ce qu'il y a d'évêques, inquit, dans notre République, adhèrent constamment à la Constitution *Unig.* et la tiennent pour une loi définitivement et irrévocablement établie. » Cardinalis et Archiepiscopus Mediolanensis, Epist. ad eumdem Eminentiss. de Bissy : « J'atteste avoir reçu la Bulle *Unig.* et que les évêques Suffragans de cette Métropole, aussi-bien que toutes les Universités et autres semblables Corps de la Province et du Diocèse, l'ont reçue pareillement, comme un jugement dogmatique embrassé de toute l'Eglise, auquel les Fidèles sont obligés de se conformer, et dont ils ne peuvent s'écarter, sans être absolument indignes du nom de Chrétien. » Cardinalis Archiepiscopus Genuensis, Epist. ad Nemausensem Episcopum : « La Constitution *Unig.* ayant été publiée dans tout l'État de la République, elle y a été, par la grâce de Dieu, universellement reçue. »

Paria de se sibique subditis episcopis testantur archiepiscopi Ravennatensis, Florentinus, Senensis, Pisanus, etc. Epist. ad Eminentiss. de Bissy.

De Ecclesiis Hispaniæ. — De unanimi Ecclesiarum Hispaniæ in acceptandâ Constitutione *Unig.* consensu, omninò liquet, non solùm ex Mandato Cardinalis supremi tunc in illo Regno Inquisitoris, per quod ubique Constitutio promulgata est, sed etiam ex variis præsulum inclytæ illius Ecclesiæ responsionibus quæ Novatores pro meritis excipiunt. Archiepiscopus Cæsar-Augustanus (Sarragosse) in Epist. ad Nemausensem episcop, testatur et fidem facit in toto Aragoniæ Regno, aliisque Hispaniæ Provinciis omnes ad unum episcopos; omnes Academias, omnes religiosos Ordines, omnes cujuscumque conditionis homines, summâ cum veneratione purè et simpliciter acceptavisse prædictam Constitutionem : en ipsissima verba : « Quant à ce qui regarde notre Espagne, nous attestons très affirmativement de certaine science, et nous faisons foi et nous engageons même notre foi, que dans ce Royaume d'Aragon et dans les autres Provinces d'Espagne, *tous les évêques sans exception, toutes les Eglises, toutes les Universités, tous les Ordres religieux*, toutes personnes de quelque condition qu'elles soient, ont accepté avec une souveraine vénération purement et simplement ladite Constitution, de manière que personne n'en a retranché un seul iota, ou un seul point, et n'a cru qu'aucun Catholique pût le retrancher. » Posteà splendidè mentiri eos asserit qui calumniantur Hispaniæ episcopos quasi summi Pontificis Constitutiones non legerent, dum eas recipiunt : ibidem refert ac sugillat fabellam eorum qui spargunt in vulgus Constitutionem ab Inquisitione, insciis et minimè consentientibus Episcopis fuisse promulgatam. Archiepiscopus Burgensis (de Burgos) Epist. ad eumd. Nemausens. episcopum 1 septemb. 1717 : « Nous protestons que nos Confrères dans l'Episcopat, *et tout ce qu'il y a de Prélats dans l'Eglise d'Espagne, le pensent et le disent uniformément avec nous....* Nous avons vu la Constitution de Clément XI, et nous l'avons reçue dans son sens naturel : et nous l'embrassons de tout notre cœur, comme nous découvrant un venin caché, et perçant l'abcès du Jansénisme pour le guérir.... La Constitution est acceptée par l'Eglise. »

Paulò post addit, hæc sanè in præsenti negotio peremptoria : « Qu'on assemble le Concile général auquel ils appellent, nous voici présens, nous qui formerions le Concile. Alors, on n'aurait nul égard pour ce petit nombre d'évêques opposés à tous les autres, qui auraient le Pape à leur tête. On n'en aurait pas davantage pour un amas de gens sans titre, quelque multitude qu'ils formassent. Il n'y a

donc nul égard à avoir maintenant pour des gens de cette espèce. » Peremptoria prorsùs adversùs Appellantes hæc illustriss. præsulis animadversio. Archiepiscopus Toletanus Epistolà ad S. Pontificem datà 1 octobris 1717, ita scribit : « Votre Sainteté ayant porté, il n'y a pas long-temps, la célèbre Constitution *Unig.* où elle condamne 101 propositions extraites des Ouvrages de Quesnel, et où elle les frappe très justement du glaive de l'autorité Apostolique ; aussitôt que les évêques d'Espagne en ont été informés, ils ont reçu cette Constitution de toute l'étendue de leur cœur. C'est pourquoi quiconque croira pouvoir donner quelque atteinte à la censure portée par la Bulle, ou qui permettra qu'on le fasse, qu'il soit un exécrable anathème. Voilà, très saint Père, le témoignage que nous rendons, et que nous voulons être connu des Français et du peuple Chrétien de toute la terre. » Denique ut omittam archiepiscopos Hispalensem, Tarraconensem, Compostellanum, aliosque plures qui pariter testantur ac declarant, « in universis Hispaniæ Provinciis, omnes omninò episcopos, omnes Universitates, summâ cum reverentiâ ac veneratione Constitutionem *Unig.* excipere. » Granatensis archiepiscopus in Epist. ad Nemausens. episcop. 1 septembr. 1717, gravi simul ac nervoso stylo eorum calumnias confutat qui Hispaniæ episcopis improperant quòd Constitutiones Pontificias non legant, et absque suo consensu ab Inquisitoribus promulgari sinant · appellationem ad futurum Concilium, ut frivolam explodit, ac de suis Suffraganeis fidem facit, quòd omnia approbant quæ in suâ continentur Epistolâ.

De Ecclesiis Lusitaniæ. — Quale sit Ecclesiarum Lusitaniæ in præfatam Constitutionem suffragium, patet ex Epistolâ Patriarchæ Lisbonensis ad Nemausens. episcop. 28 sept. 1717, his verbis : « Notre sentiment et celui des Evêques de notre Province, ou plutôt de tout le Portugal, est que la Constitution *Unig.* contient la saine doctrine et la tradition de l'Eglise. » Addit : « Nous avons souvent examiné avec la dernière exactitude les 101 propositions, et nous sommes toujours convenus qu'elles étaient *hérétiques, suspectes, erronées, scandaleuses,* etc. » Illustriss. idem præsul in Epist. ad Eminentiss. Card. de Bissy 20 mart. 1718 : « Nous et tous les Evêques de ce Royaume, n'avons qu'une voix unanime, et un sentiment invariable sur la Constitution *Unig.* savoir que c'est une loi du saint Siége, qu'il la faut regarder comme une loi fixe et certaine, aussi bien que les autres loix de l'Eglise et les Canons. » Paucisque interpositis, subdit : « Tous les Docteurs et les Théologiens de ce Royaume croient et soutiennent la même chose. » Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ Eboracensis, sede vacante in Epist. ad Nemausens. episcop. 2 octobr. 1717, eadem significat : « Nous attestons, inquit, que nous et tous les Evêques de notre Province avons accepté la Constitution *Unig.* sans le moindre doute, et sans la moindre contestation, et qu'après l'avoir lue et relue de nouveau, nous y avons reconnu la saine doctrine et la véritable tradition de l'Eglise, *ainsi* que tous les Ecclésiastiques, prêtres et Docteurs de ce Royaume. » Speciatim ibi prædicant omnimodam florentissimæ suæ Conimbricensis Academiæ erga dictam Constitutionem obedientiam.

De Catholicis Belgii Ecclesiis. — De Belgio Catholico exstant Pastoralia Mandata episcoporum Namurcensis, Gandavensis, Ruremundensis, Antuerpiensis, Tornacensis, et aliorum inter quos primas tenet archiepiscopus Mechliniensis, postea S. R. Ecclesiæ Cardinalis : in Documento Pastorali dato 17 decembris 1717, solemniter declarat : « Que la Constitution *Unig.* a été admise par tous les Evêques des Pays-Bas Autrichiens, et qu'il unit son sentiment aux Eglises Belgiques. » Hùc in ejusdem rei fidem proferri possunt celeberrimæ istarum partium theologicæ Facultates. Duacena in comitiis die 3 et 17 augusti an. 1714 habitis : « significârunt, inquit, ac professi sunt omnes unanimiter et apertè se Constitutionem Apostolicam quæ incipit *Unig.* recipere purè simpliciter, sine ullâ distinctione, expositione, seu interpretatione... se et reliquos Fideles obligari in conscientiâ, et sub gravissimo schismatis aut hæresis peccato, ad hanc fidei consensionem. »

Lovaniensis die 8 julii an. 1715, ad propulsandas quorumdam in sacrum Ordinem calumnias : « Post maturam deliberationem, inquit, ex unanimi suffragio conclusum fuit.., respondendum esse, quòd agnoscamus et sincerè sentiamus omnia et singula, ritè, legitimè, ac juris ordine peracta fuisse in negotio concernente librum (Quesnelli).... palamque profitemur omnes et singulas propositiones per præfatam Bullam *Unig.* damnatas, fuisse verè damnabiles et verè rectèque damnatas fuisse. »

De Germaniæ Ecclesiis. — Pro Germaniæ Ecclesiis hæc retulisse sufficiat. Archiepiscopus

et Elector Moguntinus ad Card. de Bissy ita scribit 14 mart. 1718 : « Je certifie à votre Eminence, que la Constitution *Unig.* a été publiée, il y a quelques années, dans mon Archevêché, aussi bien que dans mon Evêché de Bamberg, et qu'elle y a été reçue en tous ses points, de tout le monde avec l'obéissance qui est due au saint Siége, comme la doctrine de l'Eglise. » Addit : « Je ne connois point d'autres sentimens aux Evêques Suffragans de ma Métropole. Archiepiscopus et Elector Trevirensis in Mandato 22 junii 1717, *uti Ecclesiæ et pacis perturbatores* reprobat eos qui à Clementinâ Bullâ ad futurum Concilium provocant ; atque specialiter declarat neminem posthâc ad ullum admissum iri ministerium Ecclesiasticum, « nisi... declarando se dictam Bullam, eâ quâ par est integritate et devotione recipere, ejusque tenorem quoad omnia sequi, nec eidem in minimo directè vel indirectè contraire velle. » Archiepiscopus Elector Coloniensis qui simul est Leodiensis et Ratisbonensis episcopus, solemni Mandato die 29 januar. 1715, Constitutionem *Unig.* promulgavit, « eosque nomine Catholico indignos pronuntiat qui debitam dictæ Constitutioni obedientiam detractent. » Is quosdam postea inobedientes in diœcesi Leodiensi presbyteros canonicè suspendit. Archiepiscopus Salzeburgensis Germaniæ primas ad Card. de Bissy scribens testatur, se et Episcopos Austriæ ac Bavariæ sibi Suffraganeos, Constitutionem *Unig.* pro justissimâ habere atque totâ amplecti veneratione : « Il est très certain, inquit Epist. die 21 octob. 1717, que les Evêques mes comprovinciaux (ce sont ceux d'Autriche, de Bavière, du Tyrol) tiennent à mon exemple la Constitution *Unig.* pour très équitable, et ils y adhèrent avec la plus profonde vénération. » Subdit : « L'Université qui m'est soumise dans cette Ville de Saltzbourg, aussi bien que celle de Gratz, n'ont pas seulement reconnu par une acclamation unanime ladite Constitution pour infaillible et dogmatique, mais elles ont aussi publiquement déclaré qu'elles s'appliqueroient et travailleroient toujours de toutes leurs forces à en soutenir la vérité. »

De Hungariæ et Bohemiæ Ecclesiis. — Testes sunt locupletissimi. Cardinalis à Saxoniâ, archiepiscopus Strigoniens. totiusque Hungariæ Primas : is in Epist. ad S. pontificem datâ 27 junii 1717, insignem propulsans calumniam quâ nonnulli in Galliis spargere ausi fuerant, ipsum et Hungariæ clerum Constitutioni *Unig.* obsequium et obedientiam denegâsse ; firmissimè asseverat « se et omnes in eo regno à tali sensu penitùs esse alienos, et nuperæ Constitution esse addictissimos. » Idem in Epist. ad eminentiss. de Bissy datâ 19 julii 1717 : « Si nous autres évêques, inquit, nous savions qu'il y eût un seul docteur ou théologien parmi ceux qui nous sont soumis, lequel parût attaché à cette secte (Jansénienne) dans le moindre point, il en porterait assurément la peine...· Cela étant ainsi, que V. E. nous fasse donc la grâce d'en conclure, qu'il n'y a qu'impostures, calomnies, outrages, dans ce qu'on divulgue très injustement sur le clergé de Hongrie. » Archiepiscopus Pragensis Bohemiæ Primas, Epist. ad eumdem card. de Bissy, 18 decemb. 1717, sic habet : « Les évêques de ces États-ci, et nommément les évêques de Bohême, tiennent la Constitution *Unig.* pour une loi dogmatique... Les docteurs et les théologiens de nos universités adhèrent avec respect à la même Constitution. » Ibid. addit : « J'ai défendu et proscrit par un Mandement (11 mars 1715) publié dans l'étendue de mon diocèse le livre de Pasquier Quesnel. »

De Ecclesiis Poloniæ. — Testatur archiepiscopus Gnesnensis, Poloniæ et Lithuaniæ Primas, in Epist. 27 julii 1717, ad eumd. card. his verbis : « Il y a long-temps que nous avons eu une pleine connaissance de la Constitution *Unig.* Les évêques de nos provinces adhèrent fermement à ladite Constitution, et la tiennent pour une loi définitivement et irrévocablement établie. Enfin les docteurs et les théologiens de nos universités jugent que ce serait être criminel que d'avoir et d'enseigner d'autres sentimens que ce qui a été défini par ladite Constitution. » Eadem affirmatissimè testantur Cracoviensis et Posnaniensis episcopi in suis ad R. pontificem datis eod. an. 1717, Epistolis.

De Ecclesiis Dalmatiæ, Illyrici, Albaniæ, etc. — Bullam *Unig.* in his omnibus Ecclesiis acceptatam fuisse, apertam fidem faciunt archiepiscopi Spalatensis, Primas Dalmatiæ, Croatiæ et Sclavoniæ : Jadrensis (de Zara), pontificius legatus in Serviâ, Albaniâ, Bulgariâ, etc. Corcyrensis (de Corfou) : necnon episcopi Ragusiensis, Stagnensis, etc. Satis fuerit Spalatensis et Corcyrens. archiepiscop. verba exscribere. Sic habet Spalatensis Epist. ad card. de Bissy, 5 septemb. 1721 : « Je soutiens que les 101 propositions qui font partie de l'hérésie Jansénienne, et que le saint Siége apostolique vient de condamner, doivent être abhorrées et

rejetées de tout le monde..... Tous les évêques d'Illyrie, d'Istrie, etc., n'ont point d'autres dispositions à l'égard de la vérité qui se découvre si manifestement à toute ame fidèle dans les Decrets apostoliques..... Il n'y a point à douter qu'ils n'aient tous sur ladite bulle *Unig.* les mêmes sentimens que les autres prélats catholiques, qui vivent en paix sous le gouvernement de la sérénissime république de Venise. » Archiepisc. Corcyrens. Epist. ad Nemausensem episcop. 12 decemb. 1721 : « C'est une odieuse calomnie, inquit, que nous font ces novateurs, lorsqu'ils osent avancer qu'excepté le clergé de France, les évêques des autres Eglises n'ont pas même lu la Constitution, et que si quelques uns l'ont lue, ils ne l'ont point examinée avec l'attention qu'il fallait; parce que croyant, pour la plupart, que le pape est infaillible, ils ne se donnent pas même la peine de lire ses décrets. » Quam quidem calumniam ibidem strenuè retundit, his verbis : « Il n'y a que l'ivresse de l'iniquité et du mensonge qui puisse vomir de telles accusations. *Nous avons lu la Constitution, et nous l'avons examinée avec soin...* Nous avons reconnu que cette bulle est établie sur la fermeté inébranlable de la foi, qu'elle brille de l'éclat que lui donne le témoignage de la doctrine apostolique... Nous réprouvons *Jansénius et Quesnel,* nous détestons leurs sectateurs... nous acceptons la Constitution *Unigenit.* avec la plus grande vénération qu'il nous est possible. Anathème à ceux qui sont d'un sentiment contraire. » Recensita hactenùs, plurimaque alia cæterarum Ecclesiarum disertissima testimonia, celsissimo Aurelianiensium duci supremo regni moderatori primùm oblata fuêre, uti supra notavimus; horumque autographa jussu Ludovici XV deposita in regiâ Bibliothecâ: unde instrumenta hæc maximè authentica sunt, certissimâque fide digna. Ex his porrò tot tantisque luculentis testimoniis, efficacissimum et ineluctabile colligitur argumentum ad astruendam generalem in omnibus Ecclesiis Bullæ *Unig.* acceptationem : in his namque testimoniis, metropolitani Ecclesiarum Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Siciliæ, Germaniæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Illyrici, etc., palàm ac solemniter profitentur : « se, suosque suffraganeos dictæ Constitutioni *Unig.* constanter adhærere eamque pro ratâ ac sancitâ universalis Ecclesiæ lege firmiter tenere. » Quis enim de tot ac tantis præsulibus sibi persuadeat, alios tam publicè et asseveranter ejusmodi factum ausos fuisse testari ; cæteros vero, ne uno quidem reclamante, illud idem affirmari patienter tulisse, nisi res certa fuisset et constans? Sanè si facti tam firmis rationibus comprobati, nutaret certitudo, vacillarent omnia, foretque totius historiæ conclamata veritas. Laudatis præsulum testificationibus adjungendus est unanimis omnium orbis catholici academiarum in rem eamdem consensus. Hæ namque omnes episcoporum vestigiis inhærentes, concorditer et apertè declarant, « se apostolicam Constitutionem *Unig.* summâ cum reverentiâ amplecti, debitoque obsequio suscipere, » uti certissimum Ecclesiæ judicium, et regulam dogmaticam omninò immobilem. Ita universitas Salmaticensis, omnium Hispaniæ academiarum facilè princeps, Epist. ad S. pontificem 19 augusti 1716; et in Epistolâ ad Sorbonam iisd. die et anno datâ. Ita etiam universitas Conimbricensis omnium Lusitaniæ celeberrima, in Epist. ad S. pontificem die 5 februarii 1717 : sic etiam universitates Complutensis, Cracoviensis, Salzburgensis, sacræ facultates Pragensis, Coloniensis, Argentoratensis, Lovaniensis, Duacena, Mussi-Pontanea, etc., quorum expressa in præsenti negotio testimonia typis excusa jussu eminentiss. Mechliniensium archiepiscopi legere est in citato volumine inscripto: *Le Témoignage de l'Eglise universelle,* etc. His adjicere liceat conspirans omnium regni S. facultatum mens ac doctrina : inprimis laudatum S. facultatis Parisiensis insigne decretum die 15 decemb. 1729, latum, quo « Constitutionem *Unig.* summâ cum reverentiâ, et integro cordis et animi obsequio iterùm et de novo amplectitur *tanquàm dogmaticum Ecclesiæ universalis judicium.* » Atque expositâ jam densissimâ tot tantorumque testium nube; eodem fermè impeti possunt ac urgeri ratiocinio Quesnellistæ, quo Julianum olim premebat S. Augustinus quampluribus productis ipsi adversantium doctorum Ecclesiæ testimoniis : « *Sanè non habes omninò quod dicas,* ait lib. 2 contra Julian. cap. 10, n. 37, *si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possint illic facile tot* (Judices) *sedere.....* Hos itaque de aliis, atque aliis temporibus atque regionibus, ab Oriente et Occidente congregatos vides, non in locum quo navigare cogantur homines, sed in librum qui navigare possit ad homines. *Quantò tibi essent isti judices optabiliores, si teneres Catholicam fidem, tantò sunt tibi terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem.* »

Propositum hucusque paulò fusiùs palmare

istud argumentum graviter ac nervosè paucioribus complectitur Illustriss. Parisiensis archiepiscopus de Vintimille in egregio suo 29 sept. 1729 Pastorali Documento, pag. 13 et 14. Ipsissima juvat hic verba exscribere : « Le Decret du S. Siége est devenu, par l'acceptation du Corps des premie.s pasteurs, la loi de toute l'Eglise ; et il n'est permis, ni d'y soupçonner des erreurs, ni de refuser de s'y soumettre. Pierre a parlé par la bouche de trois souverains Pontifes ; tous les Evêques de France, à l'exception d'un très-petit nombre, ont déclaré expressément qu'ils reconnaissaient dans la décision du S. Siége la doctrine de l'Eglise ; les Evêques étrangers rendent à l'envi le même témoignage, sans qu'il soit possible aux Opposans, dont on connait le zèle pour accroître et fortifier leur parti, de trouver hors du Royaume un seul suffrage en leur faveur. »

Pergit illustriss. archipræsul : « *Nous disons la vérité en J. C.*, mes très-chers frères, en assurant ces faits ; et ils sont confirmés par les Actes de cinq assemblées du Clergé, par les Mandemens publiés au sujet de la Bulle, en France et dans les Etats voisins, par les déclarations des Primats et des Métropolitains des autres Eglises, qui tous attestent avec plusieurs de leurs Suffragans, qu'eux et tous les évêques de leurs Provinces, reçoivent avec la soumission la plus parfaite, le Décret du S. Siége : déclarations d'autant plus décisives, qu'aucun de ces Evêques ne contredit, ni ne désavoue le témoignage de son Métropolitain ; et que parmi les partisans du Livre proscrit, personne, depuis tant d'années qu'elles sont dans les mains du Public, n'a entrepris de les faire soupçonner de supposition ou d'imposture. Nous pouvons même avancer avec confiance, que les preuves positives de l'approbation générale donnée à la Constitution *Unig.* sont plus fortes et en plus grand nombre, que celles qu'on peut produire en faveur de la plupart des autres Constitutions, que tout Catholique révère comme reçues par l'Eglise universelle. »

Mox addit : « A l'éclat d'une telle lumière, les nuages et les fantômes doivent disparaître..... En effet, que peut-on opposer à cette multitude de témoins et de juges, qui déposent et qui prononcent en faveur du Décret qui a proscrit les 101 Propositions? *Comment méconnaître dans ce concert si parfait des évêques avec leur Chef la voix de l'autorité, à qui il appartient de décider souverainement toutes les contestations sur la doctrine, qui naissent parmi les fidèles.* » Atque ad illa apposite omninò ac cohærenter, serenissimus Princeps de Rohan-Ventadour Universitatis Parisiensis olim Rector, jam Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, necnon Argentoratensis Coadjutor, in suâ, super obsequio Constitutioni *Unig.* exhibendo, præclarâ oratione habitâ die 11 maii 1739, sic eleganter perorabat : « Viginti et ampliùs anni (ab ipsâ provocatione quam an. 1718 Academia interposuerat à Constit. *Unig.*) intercesserunt : quid autem attulit illa temporum series? Clementi XI tres deinceps summi Pontifices successère. Omnes antecessoris sui judicium confirmârunt, et ipsi vestigia secuti, nulli occasioni defuerunt, ut disseminatas adversùs Constitutionem calumnias obtererent. » Et paulò post : « Quænam fuit episcoporum de Apostolicâ Constitutione sententia, quis animus? Nullus omninò inventus est apud exteras Nationes, quæ Catholicâ fide continentur, qui non Decretum illud Fidelium obsequio et obedientiâ colendum esse crediderit. Galliæ, ubi natus est error, Præsules præter admodùm paucos, in eo consenserunt, ut in Diplomate Pontificio sanam Ecclesiæ doctrinam agnoscerent. *In hoc tanto, tam venerabili, tam valido et efficaci suffragiorum consensu, quis Ecclesiæ vocem non agnoverit*? Petri Successores, Episcoporum Corpus, quibus fidei depositum creditum est, quibus ut omnes docerent Gentes Christus ipse mandavit, quibus dicto nos audientes esse jussit, quibus denique omnibus diebus ad consummationem sæculi affuturum pollicitus est, ii sententiam dixerunt, *debitam communi ipsorum voci obedientiam denegare, quam perversæ, quam præcipitis esset audaciæ.* »

Probatur tertiò. Ea Constitutio certissimè habenda est Universalis Ecclesiæ lex ac definitio, quam uti talem constanter, publicè et solemniter agnoscunt ac prædicant ; 1°, quinque continenter summi Pontifices : 2°, sacrum Cardinalium Collegium, et quidem sæpiùs ac sine exceptione : 3°, tria à Romanis Pontificibus approbata Concilia, quorum uni, quampluribus cardinalibus, archiepiscopis et episcopis adstantibus, præfuit ipsemet Benedictus XIII, eximiæ sanctitatis Pontifex, in scholâ Doctoris Angelici thomisticis innutritus principiis : 4°, Ecclesia Gallicana in quâ natus fuerat error ; tum statim an. 1714, in frequenti Antistitum conventu ; tum an. 1714, plus quàm 110 gravissimis Gallicanorum præsulum Pastoralibus Mandatis eâ de re promulgatis ; tum novem omninò exindè subsequentibus generalibus Comitiis,

3°, omnes orbis Catholici Metropolitani, idque disertissimis ac frequenter repetitis testimoniis, suo, suorumque suffraganeorum nomine, ne uno quidem ab annis plus quàm 33 invento apud exteras nationes, qui non decretum illud fidelium obsequio et obedientiâ colendum esse crediderit : plaudentibus insuper ac suffragantibus omnibus ad unum, tùm domesticis, tùm extraneis Academiis ac sacris Facultatibus. Quis enim verò, citra immanem superbiam ac temeritatem, tanto, tam venerabili, tam valido et unanimi suffragiorum consensui, conferre, imò et præferre ausit proprium judicium? Certe hic dicere licet cum S. Augustino lib. *de utilitat. credendi* cap. 17 : « Nolle (tantæ auctoritati) primas dare, summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. » Atqui sic se habet Constitutio *Unig.*; hanc ut universalis Ecclesiæ legem ac definitionem, constanter, publicè et solemniter agnoscunt ac prædicant : 1°, quinque continenter summi Pontifices. 2°. Sacrum Cardinalium Collegium, etc., quod quidem, ex dictis in Synopsi historicâ, et expositis modò superiori argumento apertè liquet. Ergo Constitutio *Unig.* tenenda est tanquam universalis Ecclesiæ lex ac judicium, cui idcircò fideles omnes submittere se ac obedire tenentur.

Etverò, in his quæ ad Religionem spectant, *Majori adhærendum auctoritati definienti* : ita disertissimè ac creberrimè S. Augustinus, inprimis libris *de utilitat. credendi et contra Epist. fundam.* ita etiam Card. Hosius, Walenburgens. Perronius, Bossuet, Nicolius, etc. qui in eâ majori auctoritati mentis adhæsione, saniorem rationis usum constituunt : testimonia hæc, utpotè unicuique obvia, ab ipsisque etiam Appellantium ducibus, Senecensi et Monspessulano præsulibus passim laudata, superfluum foret hìc exscribere. Porrò auctoritas Romanorum quinque Pontificum sibi ex ordine succedentium, totius sacri Cardinalium Collegii, plurium Synodorum quæ à S. Sede probatæ sunt, regioque munitæ præsidio ; Cleri Gallicani, tum dispersi, tum in frequentibus Comitiis generalibus congregati ; Metropolitanorum ac Suffraganeorum cæterarum Ecclesiarum, qui plaudentibus omnibus sacris Facultatibus et Academiis, ut suprà vidimus, constanter ac publicè declarant doctrinam Quesnelli centum et unâ Bullæ Propositionibus expressam, omninò alienam esse à mente et doctrinâ S. Augustini, meritòque fuisse proscriptam : hæc, inquam, tam constans et unanimis suffragiorum auctoritas, certè longè maxima est : dissidentium verò auctoritas, nec major profectò, nec æqualis, omnibus fatentibus ; imò nec ipsi ullatenùs comparari aut exæquari potest. Aliundè, quòd erronea sit Quesnelli doctrina, meritòque 101 propositionibus damnata, res sanè est, ad Religionem pertinens ; ergo, etc. Scilicet, juxta Catholicorum doctrinam, duæ sunt in Christi Ecclesiâ viæ quibus ad veritatem pertingi queat : altera *examinis* ac *discussionis* : altera *auctoritatis* ac *præscriptionis* : neutra benè ordinata alteri adversa : at in concursu, et in casu apparentis oppositionis, non de istâ per illam, sed ex adverso de illâ per istam dijudicandum : atque ita *auctoritatis* via viæ *examinis* in rebus religionis prævalere debet (præsertim cùm via isthæc posterior hominibus *rudibus* et *idiotis* nullomodo accommodata sit, sed prorsùs *impossibilis*, cæteris, quantùmvis *eruditis*, magistra *dissensionis* et *erroris* ut plurimùm fit, materque *tolerantiæ universalis*, uti omnium seculorum experimento nimiùm constat, alibique etiam probabimus) : atqui in præsenti Constitutionis *Unig.* negotio, via *auctoritatis* omninò stat ex parte Acceptantium : neque istorum auctoritati, uti manifestissimum est, nec diffiteri possunt adversarii, ullatenùs conferri potest Dissidentium auctoritas ; ergo, istud ex *auctoritate* ac *præscriptione*, seu ex conspirantibus primorum pastorum in acceptandâ Clementinâ Constitutione votis ac suffragiis, petitum argumentum, prorsùs ineluctabile est ac planè decretorium : illudque solidorum plus quàm triginta-trium annorum temporis tractu, factum est, fitque in dies validius ac urgentius.

Hactenus dictis addo breve, expeditum, et efficacissimum hocce ratiocinium : Tam Bulla *Unig.* potest ac debet universalis Ecclesiæ dici lex ac judicium, quàm Bullæ *Leonis X*, adversùs Lutherum, *Innocentii XI*, adversùs Molinosum, *Innocentii XII*, contra librum *de placitis Sanctorum*, etc. neque enim minora, imò multò plura occurrunt testimonia ac monumenta, ad illius quàm ad istarum ostendendam œcumenicitatem, ut ex jam dictis abundè liquet : aliunde verò nihil omninò in Bullam *Unig.* opponi potest, quod continuò in prædictas Bullas opponi non possit ; quemadmodùm ex objectionum solutione modò patebit : atque nemo Catholicus inficiatur istas Leonis X, Innocentii XI, etc. Bullas reipsâ esse veras Ecclesiæ universalis leges ac definitiones : idque non diffitentur vel ipsimet Quesnellistæ ; ergo, etc.

Solvuntur Objectiones.

Innumeris undequaque congestis tricis ac cavillationibus, auctoritatem, et œcumenicitatem Bullæ *Unig.* deprimere ac eludere conantur Quesnellistæ. Abnormes ex parte materiæ ipsi affingunt errores : incusant ex parte formæ defectum *examinis, libertatis, unanimitatis,* etc. necnon latam *ex præjudicatâ infallibilitatis Pontificiæ opinione* sententiam. Ita passim insigniores ex Appellantibus ; inprimis Senecens. et Monspessul. Episcopi, tùm in Memoriali super appellatione an. 1719, tum in Epist. ad Innocent. XIII, an. 1721, tum in suâ an. 1723 cum aliis quinque Præsulibus ad Instruct. Pastoral. Eminentiss. Card. de Bissy responsione. Vel unâ constanti ac inconcussâ Ecclesiæ auctoritate, quâ, sicuti liquet ex dictis, recepta et confirmata Constitutio fuit, evanescunt ac dissipantur omnes illæ adversariorum in præfatam Constitutionem argutiolæ ac tergiversationes. Enimverò quemadmodum adversùs Protestantes observant Polemici, vi promissionum Christi, utpotè cùm *perpetuæ* sint, *absolutæ,* et *independentes,* fieri nunquam potest, ut Ecclesia erroneam quoquo modo acceptet et approbet sententiam. Semper ergo ac firmiter standum primorum Pastorum voci ac definitioni, atque supponendum, certòque tenendum providisse Christum, ne ulla deesset ex requisitis conditio, ad firmam, certam, et inconcussam definitionem. Non itaque ex prætenso quarumdam conditionum defectu impeti potest, uti præposterè effutiunt Quesnellistæ, lata à primis Pastoribus definitio ; sed è contrario ex ipsâ Corporis episcopalis definitione judicandum ac indubitanter pronuntiandum, aut eas non defuisse conditiones, aut illas ad judicii firmitatem non fuisse necessarias. Capitalem hanc doctrinam quæ diluendis in præsenti negotio omnibus dissidentium querelis ac cavillis planè sufficit, præclarè explicant ac dilucidè evolvunt Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi, jussu regio Parisiis an. 1728, congregati, suum de Causidicorum Parisiensium circa Concilium Ebredunense consultatione laturi judicium : « Rien n'est plus dangereux, inquiunt dicti Præsules in suâ ad Regem Epistolâ, pag. 19, que ce qui est établi par les auteurs de la Consultation, sur la forme et les conditions des Jugemens de l'Eglise ; ils présentent aux Fidèles des prétextes pour refuser leur soumission à ces Jugemens, et fournissent aux novateurs les moyens d'en éluder l'autorité. » Moxque stabilita à præfatis Causidicis placita recensentes, sic pergunt : « Selon les Avocats, un jugement dogmatique du Pape *ne peut acquérir le caractère de règle de foi, que par l'acceptation claire, libre, unanime, décisive,* que l'Eglise en fait par les Pasteurs. Cette acceptation ne *doit* être faite que *par la voie de jugement* : on ne peut faire *usage* du suffrage des Evêques qui sont du sentiment de l'infaillibilité du Pape..... On ne doit faire aucun cas d'une acceptation dont le *principe secret a été la persuasion* de cette *infaillibilité.* Il ne peut y avoir de véritable Jugement, lorsqu'il n'a point été précédé *d'un examen juridique.* Il faut même prouver la réalité de cet *examen* et de ce jugement. »

Tum manantia ex his placitis consectaria exhibent his verbis : « De ces principes réunis, il s'ensuit qu'un Décret du S. Siége, quoique suivi de l'acceptation du Corps des Pasteurs, n'oblige point les Fidèles, à moins que cette acceptation ne leur paraisse claire, unanime, libre, décisive ; qu'on ne leur ait même prouvé qu'elle a été faite par voie de Jugement, et que ce Jugement n'a été rendu qu'après un examen juridique, examen qui d'ailleurs ne peut être juridique sans beaucoup de formalités et de précautions ; qu'enfin ils ne soient assurés que les Pasteurs qui ont adhéré à la décision du Pape, n'étaient point dans le sentiment de l'infaillibilité, ou qu'ils n'ont pas agi par le motif secret de cette persuasion : jusque là nulle obligation de se soumettre au Jugement, nulle loi qui impose au novateur la nécessité d'y acquiescer. »

Demùm adversam his Causidicorum principiis orthodoxam doctrinam, sic ibid. pag. 20 et 21, luculenter aperiunt ac declarant illustriss. Præsules : « Nous sommes bien éloignés de penser et de dire que pour porter ou pour accepter un Jugement sur la foi, nous n'avons besoin ni d'examen, ni de discussion, ni de liberté ; mais nous disons, et nous le disons en nous appuyant sur les promesses de J. C. que quand le Corps des Pasteurs a prononcé, il n'est jamais permis au Fidèle de refuser sa soumission ou d'hésiter à la donner, parce qu'il est promis *que les portes de l'enfer ne prévaudront point ;* par conséquent elles ne prévaudront *ni par la violence, ni par la négligence, ni par la séduction.* En vain alléguera-t-on *qu'on n'a pas examiné* ou *qu'on n'a pas assez examiné,* ou *qu'on a manqué de liberté,* ou *qu'on a été entraîné par des intérêts humains.* J. C. est avec

le Corps des Pasteurs; il est la sagesse du Père, comme il est la vérité éternelle; il est donc avec eux *en tant que sagesse pour leur faire prendre les moyens assurés de connaître ce qu'il leur a enseigné*, en même temps qu'il est avec eux *en tant que vérité, pour empêcher qu'ils ne s'égarent.* » Et posteà. « Dès que le vrai Fidèle voit le Corps des Pasteurs uni au Chef, former une décision qui intéresse la foi; dès qu'il voit ce Corps respectable, qui parle au nom de Dieu, et qui est assisté d'en haut, exiger la soumission et prescrire l'obéissance, il ne balance point; on a beau lui dire: Une partie de ces Pasteurs n'a pas prononcé par voie de Jugement; les autres ne sont pas unanimes dans le motif de leur décision; c'est l'infaillibilité du Pape qui a déterminé uniquement ceux-ci; l'examen de ceux-là n'a pas été suffisant, ou il n'a pas été juridique; il est à craindre que leur décision par l'obscurité des propositions qu'ils censurent, ne donne lieu de confondre la vérité avec l'erreur: tous ces discours n'ébranlent pas sa foi et n'affaiblissent pas la confiance qu'il a dans la promesse de J. C. Il voit l'unité dans le Corps des Pasteurs, et le point qui les réunit est celui qui fixe sa croyance; il sait que c'est à cette vérité qu'il est dit: *Celui qui vous écoute, m'écoute*, etc.; il ne lui en faut pas davantage; il n'examine point comment le Jugement a été formé, ni les différens motifs sur lesquels les Pasteurs ont pu appuyer leur décision; il lui suffit qu'ils aient parlé pour qu'il règle sa foi sur leurs enseignemens; il ne s'alarme point des périls qu'on veut lui faire envisager; il sait que celui qui a promis son assistance aux premiers Pasteurs, saura les garantir et lui avec eux; et que la simplicité de sa soumission fera toujours sa sûreté, comme la promesse de J. C. fait la leur. » Hancque in rem laudatis dissertissimis Bossuetii testimoniis, subdunt: « Les véritables principes qu'on doit avoir sur les Jugemens Ecclésiastiques, et qui ne peuvent être sujets à aucune équivoque ni à de fausses applications, c'est 1°, qu'il est impossible que la multitude des Pasteurs ou plutôt que tous les Pasteurs, à l'exception d'un petit nombre, s'unissent au Chef de l'Eglise pour souscrire à un Décret erroné; ce principe est de foi, et il n'a pas besoin de preuves; il est renfermé dans la promesse. 2°, que pour juger de leur union ou de leur unanimité avec le S. Siége, la seule voie sûre est de s'attacher aux actes ou aux décisions mêmes, comme au seul moyen par lequel les Fideles puissent connaître ce que l'Eglise exige de leur obéissance. Toute autre manière d'en juger est impossible et dangereuse: *impossible*, parce qu'il faudrait pour cela non seulement que tout Fidèle fût Théologien, mais que tout Fidèle pût sonder le cœur et l'esprit de chaque Pasteur, pour y découvrir les motifs de sa décision ou de son consentement: *dangereuse*, parce qu'il n'y a point de décision qu'on ne puisse éluder ou même anéantir, s'il est permis d'entrer dans la discussion des raisons qui ont porté chaque Evêque à y consentir. L'Eglise assemblée dans un Concile général, ne serait pas plus à couvert d'une critique si téméraire, que l'Eglise dispersée. *C'est la loi qui oblige et non pas les raisons de la loi, encore moins les motifs imaginaires qu'on se donne la liberté d'attribuer au Législateur.* L'une et l'autre Jurisprudence, c'est-à-dire, le droit Séculier comme le droit Ecclésiastique, reconnaissent également la vérité de cette maxime. »

Et rursùs: « C'est donc en vain qu'on veut retrancher du nombre des Evêques qui se sont déclarés en faveur de la Bulle *Unig.* ceux dont on suppose que le consentement est fondé sur l'opinion qu'ils ont de l'infaillibilité du Pape; si ce raisonnement avait lieu, il n'y aurait plus de Concile général, dont on ne pût attaquer les Decrets, lorsqu'ils auraient été proposés par le Pape, parce qu'on dirait toujours que plusieurs Evêques, en y souscrivant, n'ont fait que se soumettre à une autorité qu'ils regardaient comme infaillible. » Et iterùm: « J.-C. a prévu sans doute, qu'il y aurait des Evêques qui entreraient dans ce sentiment (de l'infaillibilité du Pape). Il n'en a pas moins assuré les Apôtres et leurs successenrs, qu'il serait avec eux jusqu'à la consommation des siècles. Donc les décisions du Corps des Pasteurs seront toujours la règle de notre foi, quelque opinion que plusieurs d'entre eux puissent avoir sur l'autorité du Pape, autrement il faudrait dire que l'Eglise est devenue faillible, contre les promesses de J.-C. ou du moins, qu'on ne peut plus avoir aucune certitude de son infaillibilité, parce qu'une partie des premiers Pasteurs attribue la même infaillibilité aux décisions du Pape. » Ac tandem ex fundatissimis hisce principiis, ita concludunt: « En suivant ces principes, tout ce que les Avocats (idem de cæteris Quesnelli defensoribus pronuntiandum) opposent contre l'acceptation de la Bulle *Unig.* tombe de soi-même: cette Constitution a pour

elle le suffrage de presque tous les Evêques du monde chrétien : les Ordonnances des Evêques de France, les Mandemens et les Certificats des Archevêques des Eglises étrangères en font foi : tous les Evêques sont unis dans les points essentiels, qui sont de reconnaître la doctrine de l'Eglise dans ce Décret, de condamner le livre des *Réflexions morales*, et les 101 Propositions qui en ont été extraites, et de condamner ces propositions avec les mêmes qualifications que le Pape a prononcées. Les mêmes actes qui prouvent le suffrage du Corps des Pasteurs, prouvent leur unanimité dans tous ces points. »

Hactenùs doctissimi Præsules : quæ quidem, tametsi prolixiora, ex integro describenda operæ pretium duximus, utpote cùm cunctas adversariorum tricas ad liquidum expediant, totamque rem nostram plenissimè exhauriant. Atque hîc sistere et ab ulteriori objectionum solutione supersedere liceret. Verùm ne quid impræsentiarum desit, laudata mox præsulum nostrorum placita, jam ordinis et claritatis gratiâ, necnon appositè ad scopum nostrum, variis adversariorum querelis ac cavillationibus adaptanda : tum ex his placitis dictæ dissidentium querimoniæ ac cavillationes obiter ac sigillatim dissolvendæ. Dices itaque 1°. Ad validam ac canonicam Pontificii Decreti acceptationem requiritur prævium ex parte Episcoporum examen, illudque pro dignitate ac gravitate rei de quâ agitur, diligens ac maturum : atqui nihil tale occurrit in præsenti negotio : Episcopi enim extra Galliam absque examine prævio, et ex cæcâ erga Pontificiam infallibilitatem observantiâ, Bullam *Unig.* receperunt : in Galliis verò, Præsules nostri leviter duntaxat ac perfunctoriè, non autem attentè ac consideratè, prout postulabat rei gravitas, dictam Constitutionem perpenderunt : hanc enim (quod certè in re præsenti, ubi de præcipuis fidei capitibus agitur, exequi debuissent) minimè contulerunt cum Scripturis et constanti Ecclesiæ universalis traditione, quæ in Scriptis sanctorum Patrum et definitionibus Conciliorum habetur ; nec etiam cum privatâ suarum Ecclesiarum traditione, quæ in *Ritualibus*, *Missalibus*, *Catechismis*, aliisque usualibus diœceseon libris, necnon in Mandatis et Documentis Pastoralibus, atque in opinionibus in scholis Catholicis tradi solitis, continetur ; à quibus omnibus, ut patet, planè abhorret præfata Constitutio : nullius ergo momenti est hâc in parte Episcoporum suffragium ; insufficiensque ac invalida ab iisdem habita Bullæ *Unig.* acceptatio. Ita auctores scriptorum : *Vérité rendue sensible*, pag. 292. *De la nécessité de l'appel*, pag. 34. *Système des nouveaux Mandemens*, pag. 86. *Observat. sur le 2 Avertiss. de M. de Soiss.* pag. 148, etc.; inprimis verò auctor Documenti Pastoralis sub nomine Eminentiss. Card. de Noaill. 1719, pag. 37, 88, 89, etc.

Respondeo 1°. Istud, ex prætenso examinis defectu, ob latam ex præjudicatâ Pontificiæ infallibilitatis opinione sententiam, petitum argumentum, nimiùm probare : hinc etenim Bullæ adversùs Lutherum, Baium, Jansenium, Molinosum, aliæque omnes SS. Pontificum Constitutiones ab Episcopis, ex quo apud plerosque obtinuit Pontificiæ infallibilitatis opinio, receptæ, vacillarent omninò ac nutarent, imò nulla foret earum habenda ratio, etiamsi Episcopi in Concilio œcumenico legitimè congregati, easdem positivè acceptarent : quia nempè ad Synodum vocati, præconceptam de Pontificiâ infallibilitate opinionem non deponerent : ex quo iterùm ob eamdem rationem planè esset consequens cuilibet Fideli, in principiis adversariorum, licere dogmaticis Concilii Trid. Decretis reluctari : atque ex eâ Synodo, in quâ Præsulum ultramontanis placitis addictorum numerus prævaluit, ad aliud verè œcumenicum provocare concilium, in quo Episcoporum dictis placitis adversantium numerus vinceret. Porrò ex apertâ horumce consectariorum insulsitate ac nequitiâ, cuique facilè innotescit principii ex quo spontè fluunt virus ac perversitas : necnon argutiarum quæ ad ea stabilienda usurpantur, infirmitas et falsitas. Hicque, quod de Eutychianis aiebat S. Leo Epist. 78 jam de Quesnellistarum tricis dicere licet : « Jactent se in sui eloquii vanitate, et de argumentationum suarum versutiâ, quæ inimica est fidei, glorientur. Nobis placet Apostolicis obedire præceptis dicentibus : Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam et inanem fallaciam. »

Respondeo 2°. Falsissimum esse ab Episcopis absque præviâ lectione et absque ullo examine Bullam fuisse receptam. Et quidem primò, quod spectat Præsules Gallicanos : quàm maturum ac diligens examen ab ipsis fuerit exhibitum in acceptandâ Constitutione, manifestè patet ex abundè dictis in Synopsi historicâ : idque Acta verbalia Comitiorum Cleri Gallicani an. 1713 et 1714. disertissimè testantur. Quod verò ad exteros Episcopos attinet : ex quampluribus et apertissimis eorum inter probationes relatis testimoniis constat etiam ab illis Præsu-

libus absque prævià lectione et examine Bullam non fuisse acceptatam. Instar omnium satis fuerit impræsentiarum locupletissimum Patriarchæ Ulyssipponensis (*Lisbonne*) testimonium exhibere, Epistolà ad Nemausens. Episcopum, 28 Septembr. 1717 : « Illud miramur magis, inquit illustriss. Præsul, quòd scilicet eò pervenerit superborum hominum insolentia, ut omni alii Nationi, præter Galliam, notam audeant inurere fœdissimæ ignorantiæ, vel stupiditatis, vel conniventiæ, vel ad minimùm vilissimæ omissionis, dum nimirùm effutiunt, excepto Clero Gallicano, vix ullum esse Episcopum, ac ne vix quidem qui Constitutionem *Unig.* fortè legerit, aut si legit, intellexerit : ab inquisitione fuisse quidem alicubi promulgatam; sed sine consensu et scientià Episcoporum : à quibusdam fuisse acceptatam, ex solà tamen (quam credunt) infallibilitate Pontificis, quin curarent definitiones inspicere. » Quæ omnia, uti totidem insignes calumnias explodit idem Antistes, quibus confirmatur, inquit, effatum apud Gallos tritissimum : *Nemo Jansenistis mendacior.* Addit : « Noster ergo et nostræ Provinciæ (imò et totius Lusitaniæ) Episcoporum sensus et mens est, in præfatà Constitutione sanam Ecclesiæ doctrinam et traditionem contineri. Itaque, captivamus intellectum in obsequium definitionis Ecclesiæ, quam ex promulgatione (quæcumque tandem illa sit) scimus Pontificiam esse definitionem et Ecclesiæ : non cæcà quidem ducti infallibilitatis fide, ut nobis impingunt hæretici; sed maturè hinc indè perpensis Scripturæ, Conciliorum, Doctorum fundamentis, rationes definitionum curamus diligenter inspicere. »

Hæc Ulyssipponensis Patriarcha, quæ falsam adversariorum criminationem, de neglecto ab Episcopis extraneis quolibet circa Constitutionem examine, penitùs obterunt atque contundunt. Eamdem calumniam non minùs strenuè propulsant Archiepiscopi Cæsar-Augustanus, Burgensis, Granatensis, Turriasonnensis, etc. in suis an. 1717 ad Eminentiss. de Bissy, et illustriss. Nemausens. Episcopum Epistolis. Horum verba antea laudavimus. Itaque Episcopi Pontificiæ infallibilitatis opinione imbuti, objectum nihilominùs et materiam Pontificiarum definitionum expendunt : non quidem examine procedente ex dubio *affectivo*, sed *methodico* duntaxat : scilicet *hinc et inde perpendendo*, quemadmodum mox audivimus ex Ulyssipponensi Patriarchà, *Scripturæ, Conciliorum, Doctorum fundamenta*, *variasque definitionum rationes.* Sic sese gesserunt in Trid. Concilio Episcopi, quibus tamen plerisque de summi Pontificis infallibilitate persuasissimum erat. Porrò ita maturè ac diligenter rationes et motiva definitionum expendendo : certissimè, ex hypothesi occurrentis in definitione Pontificià erroris, *vi promissionum Christi*, obsisterent Episcopi : atque ex *methodico* ad *effectivum* dubium procederent; aut suam de Pontificis infallibilitate opinione deponendo sententiam; aut judicando his in circumstantiis, *ex Cathedrà* locutum non fuisse S. Pontificem. Hoc ipsum fateri tenentur dissidentes : aliàs de activà Ecclesiæ infallibilitate omninò foret conclamatum : atque ex ipsis jam, et quotiescumque lata esset erronea Pontificis definitio, necessariò in Ecclesià prævaleret error. Et reipsà laudatam mox expositionem juxta quam, etiam Præsules illi qui S. Pontificem judicant esse infallibilem, nihilominùs tamen Pontificiarum definitionum objectum *methodicè* expendunt; hanc, inquam, expositionem proponit ac latè explicat auctor Quesnellistis minimè suspectus Scripti cui titulus : *Lettre d'un Théologien à M. le Card. de Bissy au sujet de son Instruction Pastorale* (1722) *sur la Bulle Unig.* pag. præsertim 8, 9, et 10, eamdemque velint nolint, tenentur admittere adversarii : aliàs in fundamentali capite (explosæ scilicet infallibilitatis Ecclesiæ) cum Protestantibus planè consentirent.

Respondeo 3°. Quidquid sit de examine et motivo Episcoporum in acceptandà Constitutione : hoc statuimus et contendimus, quod verissimum est et indubitatum : legem publicà et legitimà auctoritate latam, firmam ex sese ac inconcussam esse debere, nec privato cuicunque, ut eam infirmet, fas esse inquirere in examen, modum et motivum quo lata est. « Si semel, ait Melchior Canus, loc. Theol. lib. 5. cap. 5. Novatoribus hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent, nùm Ecclesiæ Judices eam diligentiam et curam exhibuerint, quà opus erat, ut quæstio finiretur, ecquis adeò cæcus est, qui non videat omnia mox Pontificum Conciliorumque judicia labefactari. » Jam verò Constitutionem *Unig.* publicà et legitimà auctoritate latam fuisse, certum omninò est ac exploratum : hanc scilicet tulit Apostolica Sedes, summo consensu Apostolicæ Sedi adhæsit maxima multitudo Episcoporum, ne uno quidem in exteris Regionibus dissentiente; in unà duntaxat Gallià reluctati sunt numero admodum pauci ; ergo.

Respondeo 4°. Propositam hic, cæterasque

omnes ex defectu requisitarum conditionum, petitas adversùs Constitutionem objectiones, facilè expediri, funditùsque disjici; hoc uno inconcusso ac fundamentali principio: scilicet, Ecclesiæ, seu Corpori Pastorum, facta à Christo promissa, *perpetua* sunt et *absoluta*: *absoluta*, inquam, non quidem eo sensu, quòd nullæ ex parte Pastorum in ferendo aut in acceptando judicio requisitæ sint conditiones: sed quia necessarias omnes semper adhibitas fuisse, certò tenendum, quoties lata est aut acceptata à Corpore primorum Pastorum definitio. *Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*, ait Christus Matth. 28, alloquens Apostolos, eorumque successores Episcopos. Ibidem 16, v. 18: *Portæ inferi non prævalebunt*. Porrò prævalerent, si Corpus episcopale ob neglectas necessarias conditiones errorem approbaret. *Perpetua* hæc, *absoluta*, et à conditionibus *minimè suspensa*, Ecclesiæ facta à Christo promissa, egregiè statuit ac vindicat Illustriss. Bossuet: « C'est un attentat manifeste, inquit Commonitor. 3, n. 19, de donner des restrictions à la promesse de J. C. *qui est absolue*... Les promesses de cette assistance n'ont point de restriction, car J. C. n'en apporte aucune. » Et in scripto, cui Gallicè titulus: *Réflexion sur un écrit au sujet de la conférence avec le Ministre Claude*, pag. 256, Calvinianum Ministrum premens, sic habet: « Il faut être fondé *sur une promesse absolue* de Dieu: sur une promesse *qui nous assure même contre les infidélités des hommes*. Telle que J. C. l'a faite à son Eglise, lorsqu'il *l'assure absolument et indéfiniment*, que les portes de l'enfer ne prévaudront point contre elle. » Etverò, quemadmodum alio in loco notat idem doctiss. Præsul: Christus Dominus Corpori Pastorum jugiter assistens, sapientia Patris est, simul et æterna veritas: *quatenùs veritas*, præstò est ut ipsos ab erroribus amoveat: *quatenùs sapientia*, prælucet iisdem, ut quæ docuit, certâ viâ assequantur, ac adhibitis omnibus necessariis mediis tutò definiant, eaque credenda Fidelibus indubitanter proponant.

Simillima de perpetuis et absolutis divinitùs factis Ecclesiæ promissis, adversùs Protestantes docent et inculcant celebriores Theologi et Controversistæ. Walenburgens. lib. 3. de Unit. Eccles. cap. 9, tom. 2, pag. 715: « Promissio (particularibus facta), inquiunt, est dependens à conditione; non enim absolutè Christus dicit se semper futurum cum particularibus, sed cum congregatis in suo nomine; particulares verò Fideles possunt non congregari in nomine Christi. Verùm Doctoribus Ecclesiæ absolutè promisit Christus, se iis affuturum usque ad consummationem seculi. »

Stapleton Tom. 1, Controvers. 4, lib. 8, cap. 14, pestiferam Sectariorum circa Judicem Controversiarum fidei debellans doctrinam, de dogmaticis Ecclesiæ judiciis, hæc habet: « Excipiendi locus non datur aut dubitandi, inquit, rectène an secùs definierint (Ecclesiæ Pastores) studiumque et industriam quam oportebat impenderint. » Invictam hanc subministrat rationem: « Deus enim qui gubernat omnia fortiter, et disponit omnia suaviter, *dans ipsum finem, dat etiam media ad finem necessaria*: conservatque à mediis per quæ à fine possent excidere.... Sic promissiones à Christo Ecclesiæ factæ, et ejus provident æ effectus est: *Non solùm ut in veritatem omnem inducantur ejus Pastores, sed etiam ut ea media illis conferantur, quibus hanc veritatem consequantur, et ab aliis mediis arceantur per quæ à veritate possent excidere et aberrare.* » Et paucis interpositis: « Quæ cùm ita sint, bonus Ecclesiæ filius, docentem Ecclesiam securus et tutò audiat; fretus promissione Christi et divinâ Providentiâ: nec sollicitè laborans (quia de hoc judicare suum non est) an idonea media ad sanam doctrinam tradendam elegerit Ecclesia: nec curiosè inquirens (quia hoc sui muneris non est) an in debitis mediis debitam diligentiam impenderit. » Melchior Canus citato libro 5, de locis Theolog. cap. 5: « Facilè comprehenditur, ait, cùm spiritum veritatis Christus Apostolis, eorumque successoribus in fidei Judicio promiserit; nihil omninò eis defuturum, quod fidei controversiis definiendis fuerit necessarium. » Paria tradunt Card. Hosius, Roffensis, Bellarm. Perron. aliique Polemici.

Ex hoc autem circa *perpetua et absoluta* Ecclesiæ facta à Christo promissa, palmari ac fundatissimo principio, sequitur 1°. Corpus Pastorum Capiti adhærens, quocumque tempore, quocumque statu, quibuscumque in circumstantiis semper esse *vi promissionum Christi*, in acceptando aut proponendo dogmate, prorsùs infallibile: nec usquam invalescat tanta pestis, ut seu vi, seu negligentiâ, seu fraude, seu qualicumque aliâ viâ ac ratione, portæ inferi adversùs Episcopale Corpus definiens, seu Ecclesiam docentem, prævaleant. Hinc Bossuet. expendens Christi verba Matth. 16: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, sic habet in 2 circa promissa Ecclesiæ documento, n. 4:

« Ces portes de l'enfer signifient naturellement la puissance du demon. Tout le monde l'entend ainsi, Catholiques et Protestans : et c'est ainsi que J. C. a voulu affermir son Eglise, non seulement contre la mort, mais contre toute sorte de violence et de seduction. » Ineluctabile est et ex absolutis Christi promissionibus sponte ac necessariò fluens consectarium istud. Sequitur 2°. Quodcumque supponatur fuisse legis motivum: quæcumque ferendi aut acceptandi dogmatici Decreti ratio: nunquam *vi earumdem Christi promissionum*, fieri posse ut Ecclesia *vel etiam merè exterius* erroneum acceptet aut proponat Decretum. « *Quocumque modo*, inquit illustriss. Bossuet. Defens. Declarat. Cleri Gall. lib. 3, cap. 2, fiat ut Ecclesia consentiat, *transacta planè res est*: neque enim fieri potest unquam, ut Ecclesia Spiritu veritatis instructa, non repugnet errori. » Ibidem. lib. 14, cap. 1 : « Semel constituto hoc certo dogmate, vim illam ineluctabilem (definitionem Ecclesiæ) unitate et consensione constare, id quoque valere, *quocumque modo se illa consensio declaraverit*, sive Concilia congregentur, sive non congregentur. » Et rursùs in 2 Pastoral. Documento circa Ecclesiæ promissa: « Dieu sait, ait n. 28, tellement se saisir des cœurs, que la saine doctrine prévaut toujours dans la communion visible et perpétuelle des successeurs des Apôtres. » Ad quæ appositè Card. Hosius lib. 1, de legitimis Eccles. judicibus, pag. 462 : « Nulla potest esse, inquit, tanta Pontificum improbitas, quæ impedire queat, quominùs vera sit illa Dei promissio: *Qui indicabunt tibi Judicii veritatem.* » Sequitur 3°. Exteriori Corporis episcopalis acceptationi, ipsiusque legis litteræ, quæ sola subsistit ac vim habet, jugiter ac firmiter standum esse, et pro certissimo tenendum providisse Christum, ne ulla ex requisitis deesset conditio, ad firmam, certam et inconcussam definitionem. Itaque ubi primùm de ipso præcisè Ordinis Episcopalis consensu et acceptatione exteriori constat, hoc ipso *transacta planè res est*, et immotè firmiterque acquiescendum : neque tunc incusandus venit examinis aut cujuslibet alterius conditionis defectus: imo ex ipsâ exteriori acceptatione certò colligendum et indubitanter tenendum, omnes adfuisse debitas conditiones: adeòque, si quæ defuerit, hanc non fuisse *hic et nunc* necessariam. Atque ita, exterior Corporis episcopalis (seu primorum Pastorum suo Capiti, Romano scilicet Pontifici, adhærentium) definitio *ex sese*, seu independenter à discussione motivorum aliarumque conditionum, *certissima est regula*, à Christo Domino instituta, ad nostram firmandam constabiliendamque fidem : *ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ.* Hæc apertissimè declarant laudata Scripturæ testimonia : *Portæ inferi non prævalebunt; Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.* Quibus adde Lucæ 10 : *qui vos audit me audit.* Matth, 18: *Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Matth. 28: *Euntes ergo docete omnes gentes.* His in textibus, regulam fidei perspicuè indigitantibus, nonnisi exterior deprimitur definitio: hæc enim sola est, quam audiri possint Fideles, quæque credendas veritates ipsis aperiat ac manifestet. Idem, uti perpendenti patebit, clarissimè adstruunt citati mox Walenburg. Staplet. inprimis Hosii et Bossuet. textus. Denique idipsum evincit ratio: enimverò, quemadmodum medium cognoscendi veritates revelatas, debet esse, ex omnibus Controversistis, *breve, expeditum, et cuique*, etiam rudiori, *proportionatum;* ita pariter et medium cognoscendi definitiones Ecclesiæ, cujus est veritates revelatas proponere: jam verò decisio *exterior* in se spectata, medium est hujusmodi, *breve, facile et cuique accommodatum :* spectatâ verò prout habitâ ratione discussionis *motivorum prævii examinis*, aliarumque conditionum quas exigunt adversarii, nedùm indoctis et imperitis, ut patet, sed et doctioribus omninò impervia est; ergo. Respondeo 3°, Pressiùs ac contractiùs. Quotiescumque adest exterior Corporis episcopalis definitio, toties *vi promissionum Christi* (utpote cùm *perpetuæ* sint, *absolutæ, et independentes*, uti ex his dictis superiori responsione constat) certissimum est adesse omnes ad firmam et inconcussam definitionem necessarias conditiones; illas proindè quæ desunt hîc et nunc, ad ratam definitionis auctoritatem minimè esse requisitas. Ita ex prætenso *examinis motivorum*, aliarumque conditionum defectu petitæ dissidentium objectiones, brevi præciduntur, nulloque negotio expediuntur. Unum addo : *examinaverintne* Episcopi acceptantes necne (quamquam ex dictis inepta sit et præpostera dubitatio) fuerintne innixi principio *Pontificiæ infallibilitatis* necne, non curamus hic ; nihil ad præsentem causam interest: *perpetua* sunt et *absoluta* Christi promissa: *exteriori* primorum Pastorum *definitioni et judicio*, non definiendi aut sentiendi *rationibus*, infallibilitatis privi-

legium Christus annexuit; ergo. Hocque uno (quod diligenter observandum) stabilito semel, de *perpetuis et absolutis* à Christo factis Ecclesiæ promissis, inconcusso principio: ipsâque proinde *exteriori* Corporis episcopalis definitione et acceptatione, uti constanti ac certissimâ credendi regulâ divinitùs institutâ: evanescunt omnes, quemadmodùm jam supra advertimus, et ex sese manifestum est, adversariorum argutiæ et cavillationes. Hinc cæteræ ipsorum tricæ strictim duntaxat attingendæ.

Dices 2°. Ad firmam et inconcussam definitionis dogmaticæ auctoritatem, requiritur *unanimitas*: atqui Constitutio *Unig.* unanimiter recepta non fuit: plerique enim episcopi huic obstiterunt et etiamnùm obsistunt Decreto; ergo. Ita Senecens. Præsul in suo an. 1728, circa *dogmaticorum Ecclesiæ Judiciorum characteres* Pastorali Mandato, parte 4, art. 8. Ita etiam Monspessulan. aliique dissidentes Episcopi passim: inprimis auctor citatus Pastoralis circa Bullam *Unig.* Documenti an. 1719, sub nomine Eminentiss. Card. Noall. proposit. 2, cap. 3, paragraph. 1, et seq.

Respondeo: quæcumque tandem ad robur et firmitatem dogmaticæ definitionis requisita sit unanimitas, de quo pleniùs alibi; certè cunctis fatentibus Orthodoxis, necessaria non est physica et absoluta unanimitas, sufficitque moralis, quæ ex longè majori Episcoporum summo Pontifici adhærentium numero, paucis ex adverso reclamantibus, coalescit: atqui Clementinæ Constitutioni adhæret maxima multitudo Episcoporum, ne uno quidem in exteris Regionibus dissentiente: in unâ Galliâ reluctati sunt numero admodùm pauci: quæ quidem ex adductis probationibus, præsertim argumento 2 abundè constant; ergo, etc. Etverò si paucorum quorumdam Episcoporum resistentia posset impedire quominùs dogmatica Sedis Apostolicæ Constitutio, cui cæteri per orbem subscribunt Episcopi, vim legis obtineret; vix ulla foret irreformabilis Ecclesiæ definitio: pauca enim admodùm reperiuntur Ecclesiastica Judicia, quibus quidem non contradixerint Episcopi. Sic Pelagii partes amplexi sunt et Zozimi Decreto obstiterunt 18 Episcopi duce Juliano ad œcumenicam Synodum provocationem interponentes. Sic Ephesini Concilii statutis contra Nestorium 30 Episcopi præeunte Joanne Antiocheno et Concilii chalcedonensis contra Eutychem definitionibus multò plures restiterunt. Sic denique, ne ad longiores ætates, remotioraque loca recurramus, in Galliis nostris plus quàm 10 Præsules Calvini partes adjuvârunt. Horum tamen et aliorum errores defectu *sufficientis unanimitatis*, irreformabili judicio damnatos non fuisse nemo dixerit: quia scilicet multò major primorum Pastorum multitudo Capiti suo R. Pontifici adhærens præfatos errores proscripsit. Idem de Quesnelliano libro, et damnatis ex eo per Constitutionem propositionibus dici debet. Itaque pauci illi Episcopi, aliique doctores, Presbyteri et Laici dissidentes, qui à longè majori numero segregati contra summi Pontificis et Episcoporum Judicium insurgunt, spectari debent, *veluti pars quæ contra totum dimicat*, cujus idcircò *nulla est habenda ratio*. Ut enim præclarè tradit Vincent. Lirinens. Commonit. cap. 38: « Si quandò pars contra universitatem; novitas contra vetustatem; unius vel paucorum dissensio contra omnium vel certè multò plurium Catholicorum consensionem rebellaverit: præferas partis corruptioni, universitatis integritatem. »

Dices 3°. Ad validam, legitimamque Constitutionis dogmaticæ acceptationem, requiritur *uniformitas*, non *materialis* duntaxat externa et *quoad meras voces*; sed insuper et maximè, *formalis, interna, quoad sensum*: atqui Bulla *Unig.* non ita fuit uniformiter acceptata: longè enim aliter illam acceptârunt Italiæ, Hispaniarum, Germaniæ, Galliarum Præsules; ergo. Ita creberrimè, Mémoire des 4 Evêques, an. 1719: *La verité rendue sensible*, art. 7, q. 1. *Mémoire où l'on examine si l'Appel interjeté par 4 Evêques est légitime*, pag. 80, 81. *Observat. sur la Lettre circulaire de M. le Card. de Bissy*, pag. 68, 69, aliique jam citati.

Respondeo negando minorem: licet enim extra Galliam eædem in acceptandâ Constitutione observatæ non fuerint formalitates quæ apud nos usurpantur à tempore hæreseos Jansenianæ; attamen, quod caput est, omnes acceptantes Episcopi inter se ubique consentiunt circa acceptationis substantiam: nempè profitentur omnes, 1° « se in Constitutione *Unig.* doctrinam Ecclesiæ agnoscere; 2°, se illam cum obsequio et reverentiâ acceptare; 3° se librum Quesnelli et extractas ex eo 101 Propositiones eodem modo proscribere, ac cum iisdem qualificationibus quibus à summo Pontifice damnatæ sunt. » Quæ quidem ex Actis verbalibus Comitiorum an. 1714 supra in Synopsi historicâ laudatis; necnon ex publicis exterorum Præsulum instrumentis inter probationes modò relatis, planè constant. Un-

dè si quid Gallicanos inter et exteros Præsules hîc occurrit discriminis, id spectat solas formalitates, quæ variæ esse possunt pro variis locorum et temporum circumstantiis; non verò essentialem, acceptationis formam ac substantiam quæ eadem ubique esse debet. Et certè solemnitas acceptationis necessaria non est ut Constitutiones Apostolicæ tanquam regulæ credendi et loquendi à Catholicis omnibus haberi debeant, licèt aliquando ista solemnitas non mediocris esse possit utilitatis ubi natus est error. Ita, Card. Noallio Præside, expressè tradunt undecim Archiepiscopi et Episcopi Gallicani in Declaratione ad summum Pontificem missâ an. 1710 (refertur hæc Declaratio in Collectione Actorum ad Comitia 1705 pertinentium, circà finem pag. 112); ergo licèt solemnitates ab Episcopis Gallicanis in acceptandis Pontificiis Constitutionibus observari solitas, non usurpârint aliarum Gentium Episcopi, non ideo minùs cum illis in ipsâ acceptationis substantiâ consentire dicendi sunt: cùm præsertim in tribus proximè recensitis essentialibus acceptationis capitibus maximè conveniant. Præterea eodem sese gesserunt modo Episcopi in acceptandâ Constitutione *Unig.* quo anteà in acceptandis aliis Constitutionibus Apostolicis, quales sunt eæ quæ contra Molinos, et librum cui titulus: *Les maximes des Saints*, editæ sunt: atqui, fatentibus ipsismet adversariis, Constitutiones illæ vera sunt totius Ecclesiæ judicia: neque prætenso *uniformitatis* defectu, harumce definitionum incusari possunt auctoritas et œcumenicitas; ergo. Denique si quid obstaret quominùs Bulla *Unig.* dici posset *uniformiter* acceptata, maximè quòd ipsa censura generalis duntaxat, et ut aiunt *in globo*, quæ nihil habet fixum, nihil determinatum; et vi cujus nemo certus esse potest de consensu Episcoporum, non *in verbis tantùm*, sed et *in sensu ipsius censuræ*: atqui hæc ratio prorsùs infirma est et nulla: vi enim harumce generalium censurarum duo præsertim constant, in quo omninò consentiunt acceptantes Episcopi; nempè 1° *nullam esse inter damnatas Propositiones, quæ non mereatur saltem aliquam è notis quæ in Bullâ exprimuntur*; 2° *nullam esse in Bullâ censuræ notam, quæ non cadat in aliquam è damnatis Propositionibus.* Ita Præsules nostri in Comitiis an. 1714 super acceptatione Constitutionis, et in Comitiis an. 1728 in suo ad Regem contra Causidicorum Parisiens. pastorali Judicio: vide supradicta et infra paragraph. seq. in respons. ad object.

Instabis: Gallicani Præsules, nonnisi relativè ad explicationes quæ in Pastorali an. 1714 Instructione continentur Constitutionem *Unig.* acceptârunt: Episcopi verò extra Galliam purè et simpliciter eidem Constitutioni adhæserunt; ergo non sunt inter se uniformes. Relativa siquidem acceptatio prorsùs differt ab acceptatione purâ et simplici.

Respondeo falsissimum esse, Gallicanos Præsules *nonnisi* relativè ad suas an. 1714, explicationes, Bullam *Unig.* acceptâsse: namque præfata Bulla non fuit recepta relativè ad eam instructionem quæ non extabat cùm facta fuit ab Episcopis acceptatio: atqui Pastoralis an. 1714 Instructio non extabat quando Episcopi synodicè Bullam acceptârunt: Instructio enim illa prodiit duntaxat die primâ Februarii 1714, quo primùm tempore in frequenti Episcoporum consensu lecta est et approbata: porrò Bulla jam synodicè recepta fuerat die 23 Januarii post relationem Eminentissimi Card. *de Rohan*, qui, ut expressè habetur in Actis deliberationis dictorum Comitiorum an. 1714 luculenter demonstravit, « nullam esse inter damnatas à Clemente XI Quesnelli Propositiones, quæ non mereretur saltem aliquam è censuræ notis, quæ in Bullâ exprimuntur: et pariter, nullam esse in Bullâ censuræ notam, quæ in aliquas è damnatis Propositionibus non caderet; ergo. » Equidem Præsules nostri, quando acceptârunt Constitutionem, simul statuerunt Pastoralis Instructionis exemplum subindè esse conficiendum, cum quo Bulla gallicè versa promulgaretur: verùm id præstiterunt, non ut dictæ Constitutioni restrictionem aut modificationem aliquam afferrent, sed ut *adversùs novas concertationes malignasque malevolorum interpretationes suos præmunirent.* Ita totidem verbis legitur in præfatis an. 1714 Comitiis. Undè quas hi ediderunt explicationes, elidendis malignantium ac invidorum calumniis unicè destinatæ fuerunt; adeòque puræ ac simplici Bullæ acceptationi minimè obstant. Cæterùm ne quis hîc hallucinationi pateat locus, nonnullisque aliundè occurratur adversariorum cavillationibus, duplex sedulò distinguenda relativa acceptatio: alia est *restrictiva, conditionalis*, ac *limitativa*, quâ restringitur, circumscribitur, immutatur proprius ac naturalis latæ definitionis sensus: talis esset acceptatio illa quâ diceretur propositiones confixas, v. g. Quesnellianas, in tali *tantummodò* sensu damnari, et non in alio; vel, damnari *duntaxat* in quantùm et *quatenùs*; seu *ex hypothesi*

quòd expressos in Pastorali Instructione errores contineant. Alia est relativa acceptatio *merè explicativa, interpretativa* ac *declarativa;* ad præcavendas scilicet ac removendas infidas improborum ac versutorum interpretationes unicè ordinata : hæcque proprium ac naturalem definitionis sensum nullatenùs immutat aut restringit, imò potiùs statuit ac firmat : acceptatio priori sensu relativa differt à purâ et simplici acceptatione ; at huic non adversatur, ut jam notavimus, acceptatio illa quæ hoc tantùm secundo sensu relativa est. Porrò eâ duntaxat posteriori ratione dici potest, Gallicanos Præsules in Comitiis an. 1714 recepisse Bullam relativè ad explicationes quæ in Instructione Pastorali tunc editâ continentur. Hoc est, eam acceptârunt relatione *merè explicativâ,* non autem relatione *verè restrictivâ* ac *limitativâ.* Quod quidem constat, 1°, quia disertè testantur, *se doctrinam Ecclesiæ in Constitutione agnovisse;* 2°, *se librum Quesnelli et extractas ex eo* 101 *Propositiones eo modo damnare et cum iisdem qualificationibus, quibus à summo Pontifice damnatæ sunt;* 3°, *declarant promulgandam esse Pastoralem instructionem, ut omnes concordibus animis et vocum expressionibus Cathedræ Petri unitatis centro conjuncti, errores in* 101 *Propositionibus damnati faciliùs extingui valerent, et adversùs disputationes, pravasque interpretationes, Fideles præcaveri.* Vide suprà initio Synopsis historicæ. Non ergo datæ sunt à Gallicanis Præsulibus explicationes ad restringendam corrigendamve Bullam, sed ad illam à perversis ac distortis dissidentium, aliorumve malevolorum interpretationibus vindicandam : undè suâ ad dictas explicationes relativâ acceptatione, Præsules nostri nedùm Bullæ auctoritatem imminuerunt, ejusque proprium ac naturalem sensum immutârunt aut restrinxerunt ; imò potiùs utrumque novo præsidio confirmârunt. Atque de acceptatione hoc posteriori sensu relativâ, hoc est, *merè explicativâ* ac *declarativâ,* intelligendi sunt Præsules 18 Gallicani qui an. 1716, ad supremum tunc Regni Moderatorem Aurelianensium Ducem feruntur, si Jansenianis fides, scripsisse, Bullam *nonnisi relativè* ad explicationes quæ in Instructione Pastorali continentur, à se fuisse acceptatam. Quòd si iidem aliique pauci Episcopi ulteriùs progressi, de acceptatione *conditionali* ac *verè restrictivâ* loculi fuerint ; ii certè deserendi sunt ac dimittendi : iique exoticâ suâ Bullæ acceptatione, à longè majori Episcoporum summo Pontifici adhærentium numero dissidentes, spectari debent, uti *pars à toto avulsa,* quæ hâc ipsâ suâ divisione seipsam improbat ac damnat. Ita Eminentissimi Cardinales de Rohan et de Bissy : ille quidem in Mandato Pastorali an. 1718, 17 Junii, necnon Epist. ad illustriss. Archiepiscop. Arelatensem, quæ extat ad calcem secundi Commonitorii Pastoralis Illustriss. Suessionensis, postea Senonensium Archiepiscopi ; iste verò in suo an. 1722 erudito Documento part. 1, pag. 195, 196, et seqq. Rem totam dilucidè aperit illustriss. mox appellatus Senonensium Archiepiscopus, citato mox loco his verbis : « Mais que quelques Evêques (de France) aient dit ou non, que leur acceptation était relative, s'ensuit-il de là que l'acceptation ne soit pas la même dans toute l'Eglise ? Quelques Evêques de France sont-ils l'Eglise entière de J.-C. ? L'acceptation de tous les autres Evêques Catholiques en est-elle pour cela moins entière et moins uniforme ? La singularité de quelques-uns ne sert qu'à manifester plus clairement l'uniformité et la concorde de tous les autres Evêques. »

Pergit : « Cependant la vérité m'oblige à ne vous pas même accorder qu'il y ait eu entre les Evêques de France cette division que vous faites tant valoir, et qui au fond ne vous servirait de rien. Ceux qui ont pu dire qu'ils recevaient relativement, et ceux qui ont dit qu'ils recevaient purement et simplement, ne différaient entre eux que dans les termes : ils convenaient des mêmes principes, et ils avaient les mêmes vues. » Hancque in rem laudatâ Eminentissimi Card. de Rohan modò citatâ Epistolâ, subdit : « Je me borne à dire ici en deux mots, que les Evêques qui ont pu dire avoir reçu *relativement,* n'ont point prétendu qu'ils eussent modifié et restreint la Bulle en la recevant ; et ceux qui ont aimé à dire que l'acceptation était *pure et simple,* n'avaient d'autre vue que d'exclure l'idée d'une acceptation modificative et restrictive. Ainsi les uns et les autres raisonnant sur un même principe, avaient les mêmes vues et les mêmes intentions, et sous des noms différens convenaient de la même chose. Les uns et les autres convenaient : 1°, que la Bulle était bonne et conforme à la Tradition ; 2°, que le sens qu'ils y ont montré était le vrai sens, le sens naturel de cette Bulle ; 3°, que l'explication qu'ils en ont faite n'était point une restriction de la Bulle, et une détermination à un bon sens, comme si elle en eût eu naturellement un

autre qui ne le fût pas; 4°, qu'il était nécessaire de joindre l'explication à la Bulle, en la présentant aux Fidèles, à cause des préventions que l'on avait déjà inspirées au Peuple par les libelles; 5°, qu'en recevant et en expliquant, ils n'agissaient point en simples exécuteurs des Decrets du S. Père, mais qu'ils joignaient, avec toute la maturité convenable, leur jugement à celui du premier Siege, et qu'ils remplissaient ainsi le droit que le Saint Esprit leur a donné de juger de la doctrine. C'est dans ces vues et dans ces principes, que sont encore réunis ceux que vous voulez vainement opposer les uns aux autres. Voilà ce qu'ils ont prétendu, et ils n'ont prétendu que cela : nommez maintenant leur acceptation comme vous voudrez, je ne dispute point des mots, et ils n'en disputent point non plus. »

Demùm sic concludit : « Si néanmoins il se trouvait parmi nos confrères, quelques-uns qui soutinssent que leur acceptation a été relative, et s'ils entendaient dire par-là, que leur acceptation restreignait ou modifiait la Bulle, et que ce Décret dangereux et équivoque en soi avait besoin de cette détermination pour être recevable, nous vous les abandonnons sans peine....... Grossissez votre parti de ce petit nombre d'Evêques que vous avez gagnés, l'Eglise de J.-C. n'en sera ni moins forte, ni moins infaillible; et votre confédération n'en sera pas moins une société sans chef, sans autorité et sans étendue; et par conséquent, comme le disait feu M. de Meaux, *une parcelle détachée du tout*, qui se condamne elle-même par sa division. »

Hactenùs doctissimus Præsul : hisque dilucidè non minùs ac solidè, cunctæ adversariorum circa *puram* et *simplicem*, necnon quorumdam *relativam* Bullæ acceptationem vitiligationes, expediuntur ac penitùs dissolvuntur. Mirum porrò omninò est, prætensam inter acceptantes Episcopos dissensionem opponi ab adversariis, cùm ipsimet circa Bullæ repudiationem, aliaque ad eamdem Bullam spectantia, in tot tamque discrepantia inter sese secti sint ac divisi placita. Plurimi cum Quesnello, uti ex dictis initio præsentis Articuli constat, non verentur asserere, *damnatas* 101 *Propositiones esse totidem catholicas veritates, quarum pleræque essentiales sunt religioni :* alii econtra fatentur, plures ex damnatis his Propositionibus, *scatere, aut saltem favere Jansenianis erroribus.* Nonnulli Bullam vocitant, *horrendum* Decretum per quod « primum Symboli caput, divini amoris primum et maximum Mandatum, tota denique Religio apertè concutitur, convellitur, funditùs subruit ac evertitur : » alii duntaxat causati sunt, « ipsam obscuritate suâ quibusdam abusibus locum dare; hancque idcircò quibusdam indigere elucidationibus. » Inter Appellantes non pauci contendunt, *Bullam, quâcumque datâ explicatione, non posse recipi :* alii sæpiùs contestati sunt, *se ad eam cum explicationibus recipiendam paratos esse.* Atque hæc de adversariorum circa Bullæ repudiationem dissidiis. Non minor est eorumdem, circa Pastoralem Comitiorum an. 1714 Instructionem, dissensio. Plures ex non Acceptantibus sæpè confessi sunt, etiam in publicis Mandatis, *eos à quibus Instructio Pastoralis edita est et adoptata à veritate non decessisse;* ita Card. Noall. in suo an. 1714, die 25 Februar. Mandato, ita etiam eidem Cardinali adhærentes octo Præsules, in suâ ejud. an. contestatâ denuntiatione suprà laudatâ : Quesnellus autem passim, maximè in septimo suo Memoriali asseverat, *errores capitales ad fidem pertinentes in eâ instructione reperiri.* Paria asserunt non ignobiles Quesnelli asseclæ, inprimis ipsius defensor Hexaplar. auctor, præfat. in-4° pag. 51. Dissentiunt pariter circa Bullas contra Baium et Jansenium hactenus emissas : alii enim mitiores dicti, profitentur se earum auctoritatem agnoscere ac venerari, iis non exceptis quæ Formularii subscriptionem imperant; quanquam, ut in suis perstent erroribus, Decreta hæc Apostolica, in extraneos et prorsùs alienos sensus detorqueant : alii rigidiores, apertè ac procaciter easdem Bullas proscindunt, et tanquàm nullas aut etiam iniquas rejiciunt. At maxima omnium inter ipsos Appellantes discordia, ipsam spectat naturam, formam et characteres Judiciorum Ecclesiasticorum : circa quæ immane prorsùs in quot iterùm varias scindantur partes : de quo suus erit alibi dicendi locus. Interim consule laudatum jam illustriss. Senonens. Archiepiscop. in 3 Commonitor. à n. 16, ad n. 77. Quamobrem hìc contra repugnantes Constitutioni intorqueri potest, quod adversùs Donatistas notat, iisdemque objicit S. Aug. Serm. 4, de Script. n. 31 : « Videte illos qui se ab unitate præciderunt, in quot frusta divisi sunt : » scilicet, quemadmodùm in Protestantes scitè advertit illustriss. Bossuet. in primo *circa promissa Ecclesiæ* Mandato, n. 19, excusso semel salubri auctoritatis Ecclesiæ jugo, necesse est perpetuas et interminabiles enasci scissuras ac dis-

sensiones : « Le principe d'union une fois perdu en se séparant d'avec celle (l'Eglise) où tout était un auparavant, a tout mis en division ; les schismes se sont multipliés, et n'ont pas eu de remède..... Ainsi s'étaient divisées toutes les sectes : l'Arianisme, le Pélagianisme, l'Eutychianisme, avaient enfanté les Demi-Ariens, les Demi-Pélagiens, les Demi-Eutychiens de plus d'une sorte, et ainsi des autres. *On n'a plus rien de certain, quand on a une fois rejeté le joug salutaire de l'autorité de l'Eglise.* » Hæc egregiè doctissimus Præsul.

Dices 4°. Canonica non fuit Bullæ acceptatio, nec *juridicè* data : namque canonica ac juridica Bullæ acceptatio fieri debet in Conciliis : maximè si quæstio sit de propositionibus obscuris, intricatis, et in globo damnandis : quandoque enim necessaria est Conciliorum celebratio; tuncque inprimis, ad detegendum scilicet, ac certò figendum proprium ac naturalem damnandarum propositionum sensum : atqui in præsenti Bullæ Unig. negotio, ubi de proscribendis in globo quampluribus obscuris admodùm ac valdè intricatis propositionibus agitur, certum omninò est et exploratum, nec in Galliis, nec apud exteras nationes catholicas, celebrata fuisse Concilia ; ergo, etc. proindeque futilis ac nullius ponderis, jactata à nostris, cæterisque Præsulibus, prætensa constitutionis acceptatio. Ita apertè plerique ex Quesnellistis, inprimis verò insignis apud ipsos auctor libri cui titulus, *De la nécessité de l'Appel*, pag. 607, ubi sic habet : « Une condition essentielle pour un jugement de l'Eglise universelle, est qu'il soit reçu dans les formes canoniques, c'est-à-dire, par les Evêques assemblés dans des Conciles particuliers qui examinent mûrement la matière : et les jugemens de foi ne doivent être prononcés que dans les Conciles.... Or la prétendue acceptation de la Bulle *Unig.* par l'Eglise Gallicane s'est faite sans Conciles.... la Bulle n'a donc pas été reçue dans un ordre canonique. » Consimilia eisdem fermè verbis tradit Pastorale an. 1719 Documentum sub nomine Eminentiss. Noallii proposit. 2, cap. 1, paragraph. 12, et cap. 2, paragraph. 5, etc.

Respondeo 1°, recurrere hìc ex integro propositas ad primam objectionem solutiones : hisque præsens liquidò expeditur nodus : consule. Respondeo 2°. Quæ jam ex defectu œcumenicitatis et celebrationis Conciliorum, opponunt adversarii, merè sunt criminationes, quas communes habent cum iis omnibus qui causâ ceciderunt : imò iniquæ calumniæ sunt, nefariaque convicia, quæ in dedecus et opprobrium primorum Pastorum Capiti suo adhærentium, à quibus certè, ut ex dictis patet, acceptata fuit Constitutio, directè recidunt ac relabuntur. Nec Pelagianis olim similia in primos Pastores probra minimè defuerunt : *Quid est ergo quod dicunt,* inquit S. Aug. Pelagianorum in orthodoxos Episcopos expostulationum causas referens, lib. 4 ad Bonifac. cap. 12, n. 34, « simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est. » Quam quidem futilem querimoniam ibidem nervosè confutat S. Doctor : verba modò laudabimus. Respondeo 3° nihil exitiosius sanè, ac in fide periculosum magis, generali isto quod hìc Quesnelli asseclæ præfractè statuunt principio : scilicet, *ad vera et canonica Ecclesiæ universalis judicia essentialiter requiri, ut ab Episcopis in Conciliis lata sint aut acceptata.* Perindè id Scripturis, Traditioni, ac multiplici palmari fidei placito capitaliter adversatur. Primò. Privilegium inerrantiæ à Christo universim Ecclesiæ promissum fuit : *Vobiscum sum omnibus diebus,* Matth. 28. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* ibid. 16, *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis,* I ad Timoth. 3. ergo Ecclesiæ dispersæ et extra Concilia, non minùs quàm in Conciliis congregatæ, competit inerrantiæ donum. Imò, si fas est dicere, potiori ratione dispersæ, quàm collectæ in Conciliis : quia isti eo duntaxat nomine ac titulo competit, quòd sit Ecclesiæ totius imago, seu repræsentatio ; Ecclesia verò dispersa non tantùm imago ac repræsentatio, sed est ipsamet Ecclesia. Infallibilia ergo sunt ac proindè verè canonica, Ecclesiæ Judicia lata etiam extra Concilia. Et verò, uti vidimus suprà, promissa à Christo facta Ecclesiæ, *perpetua* sunt, *absoluta* ac *independentia :* ac per consequens non congregatam modò, sed et dispersam respiciunt Ecclesiam : necnon cuncta utriusque, de rebus ad religionem spectantibus, lata Judicia. Secundò, SS. Patres, inprimis Irenæus, Cyprianus, Optatus, etc. ad Ecclesias ubique terrarum dispersas passim provocant, non ad Concilia duntaxat, ut vera fidei regula figatur ac dignoscatur : Judicibus ergo iis Ecclesiæ doctoribus, consensus et definitio dispersarum Ecclesiarum, independenter à Conciliis, certum est ac invictum veritatis argumentum. Nec proindè ad vim et robur Ecclesiastici judicii necessum est, ut in Conciliis latum fuerit aut acceptatum. Tertiò, ex totâ traditione constat

aut nulla, aut paucissima primis Ecclesiæ sæculis celebrata fuisse Concilia : attamen ex eâdem Traditione itidem constat, his etiam temporibus, plurimas hæreses, definitionibus Ecclesiæ, utique juridicis ac canonicis, damnatas et attritas fuisse. Fatetur istud S. Augustinus citato lib. 4 ad Bonifacium cap. ultimo, ubi Pelagianis tumultuantibus ac Concilium postulantibus respondet his verbis : « Aut verò congregatione Synodi opus erat ut aperta pernicies damnaretur : quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit : cùm potiùs rarissimè inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit ; *multòque sint atque incomparabiliter plures*, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque indè per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. » Mox addit : « Verùm istorum superbia.... hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt saltem commovere conantur. Cùm potiùs vigilantiâ et diligentiâ pastorali post factum de illis competens sufficiensque judicium ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sunt, sivè ut sanentur atque mutentur, sivè ut ab aliorum salute atque integritate vitentur. » Quapropter idem S. Doctor lib. 3 contra Julian. cap. 1, n. 5 : « Vestra, inquiebat, apud competens judicium communium Episcoporum *modò causa finita est:* nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hâc re sententiam cum pace sequamini : quòd si nolueritis, à turbulentâ vel insidiosâ inquietudine cohibeamini. » Similia habet. Serm. 131, aliàs 2, de verbis Apost. cap. 10. Hæc ad dissipandam præsentem Quesnellistarum vitiligationem, peremptoria. Hinc etenim ex antiquâ constantique Ecclesiæ praxi liquet, teste ipsomet S. Augustino, *absque Conciliis*, ultimo ac supremo (*juridico* proinde ac *canonico*) Ecclesiæ dispersæ Judicio, causas fidei finitas fuisse. Quod locis citatis generatim expressit. S. Augustinus, per plures hæreses decurrendo probat Eusebius, multas sigillatim ab Episcopis, seu Ecclesiâ dispersâ damnatas fuisse sine Conciliis. Ita lib. 3, Hist. Eccles. cap. 26, et seqq. lib. 4, cap. 7, lib. 5, cap. 16, etc. Quartò. Sacra Facultas Parisiensis, his ex S. Aug. imbuta documentis, Decreto an. 1663 lato, declarat : « necessarium non esse absolutè Concilium generale ad extirpanda quælibet schismata et quaslibet hæreses, v. g. Pelagianam et Jansenianam, quas constat sufficienter extinctas absque Concilio generali, quod tantùm in aliquibus casibus dici potest absolutè necessarium. » Quod eò loci de generali Concilio tradit sacer Ordo, id de particularibus Conciliis à fortiori dici debet : illa scilicet semper necessaria non esse ad extirpandas hæreses ; quod et ex constanti priorum Ecclesiæ sæculorum usu, et praxi manifestiùs patet ; absque quibuslibet ergo Conciliis, canonica ac decretoria haberi possunt universalis Ecclesiæ judicia. Quintò. Bullæ Innocentii X adversùs Jansenium, et Inocentii XII, adversùs librum cui titulus, *Maximes des Saints*, etc. canonicæ sunt, et ut tales agnoscuntur ab adversariis : atqui Apostolica illa judicia absque præviis Conciliis lata fuêre ; ergo. Sextò. Dogmatica S. Pontificis Constitutio, accedente expresso aut tacito primorum Pastorum consensu, hoc ipso evadit irreformabile universalis Ecclesiæ Judicium. Vel ipsimet insigniores dissidentium coryphæi, non fatentur modò, sed et expressè statuunt palmare istud Ecclesiasticarum definitionum principium. Ita illustriss. Senecens. et Monspessulan. Soanen et de Colbert, cum aliis quatuor Præsulibus, in communi suâ ad Pastoralem an. 1722 Card. de Bissy Instructionem responsione, pag. 141. et seqq. Ita etiam Eminentiss. Noallius, tum in Pastorali an 1719. Mandato, pag. 123, 124, etc., tum in suâ ad S. Pontificem datâ an. 1711 Epistolâ, tum in authenticâ, suo et decem aliorum Archiepiscoporum et Episcoporum nomine, subscriptâ et Romam missâ an. 1710 declaratione : extat hæc ad calcem Actorum verbalium 1705. Porrò fundamentali huic principio directè adversatur proposita Quesnellistarum objectio : enimverò si valeat, jam Decreta Apostolica, ut universalis Ecclesiæ Judicii vim et auctoritatem obtineant, necessum est ut ab Episcopis *synodicè congregatis* acceptentur : proindeque *tacitus Episcoporum consensus* nusquam sufficit, sed *expressus* requiritur ac *solemnis*, ut præfatis Decretis suprema accedat auctoritas. Quod citatis locis disertè reprobant Appellati mox dissidentium duces ; ergo. Septimò. Denique, et hoc quidem uno, opposita funditùs subruitur difficultas, ipsique adjuncta exceptio : scilicet, de œcumenicorum aut particularium Conciliorum necessitate, quidquid tandem sit, nusquàm sanè necessaria sunt, ubi « multitudo Episcoporum summo Pontifici *definienti* adhæret, *paucis* admodùm ex adverso reclamantibus. » Ita constanter ac disertissimè tradunt Ortho-

doxi omnes : inprimis illustrissimi de Marca et Bossuet, hic quidem in defens. declarat. Cleri Gallic. tom 1, lib. 3, cap. 2; alter verò, in citato suprà Memoriali *circa Pontificiam infallibilitatem* an. 1661 edito, et in regiâ Bibliothecâ asservato. Errorque contrarius in *Donatistis, Luciferianis, Pelagianis,* jam pridem à SS. Patribus Optato, Hieron. et Aug. obtritus fuit : necnon in Pseudo-Ministris Voëtio, Claudio, Juriæo, Basnagio, iterùm nunc explosus à Cardinalibus Hosio, Bellarm. Perron. aliisque Polemicis tractatoribus. Jam verò in præsenti Constitutionis negotio, summo consensu, ut ex dictis patet, Apostolicæ Sedi adhæret maxima multitudo Episcoporum, ne uno quidem in exteris Regionibus dissentiente. In unâ Galliâ reluctati sunt numero admodùm pauci, vixque nunc reluctatur unus aut alter; ergo.

Dices 3°. *Libera* non fuit Bullæ acceptatio : *in Galliis* siquidem regià potestate et terroribus res tota acta est : *in exteris* verò *Regionibus*, inquisitio quæ multis in locis viget, jus et auctoritatem examinandi ac judicandi, Episcopis non relinquit. Invalida ergo ac de jure nulla, præfata acceptatio. Ita *La vérité rendue sensible* art. 7, q. 2, pag. 299. *Observat. sur le 2 Avertiss.* de M. de Soiss. p. 24. *De la nécessité de l'appel.* pag. 605, etc. aliique.

Respondeo 1°, hic iterùm recurrere quæcumque ad primam objectionem diluendam adducta sunt momenta. Consule. Respondeo 2°, Pelagianos similem olim in Catholicos instituisse querimoniam : « Simplicibus, aiebant citato lib. 4 ad Bonifac. cap. 12, Episcopis, sine Congregatione Synodi in locis suis sedentibus, *extorta* subscriptio est, » et lib. 5, Oper. imperf. contra Julian. cap. 2 : « Si in his qui Sacerdotii munere funguntur, *libera* stetisset et virilis auctoritas : *Traducianorum* (sic dicti à Pelagianis Catholici, propter peccatum quod generatione traditum est) commenta, ut invicta ratio proruit, ita publica contrivisset assensio. » Respondeo 3°, quod spectat acceptationem à Gallicanis Præsulibus factam : absque insigni calumniâ dici nequit, metu et terroribus auctoritate regiâ incussis, rem totam actam fuisse : præterquamquod enim vis illata Episcopis probari non potest, ipsemet Hexaplar. auctor. in præfat. edit. 1714, pag. 43, refert Epistolam nomine Regis ab illustrissimo Galliarum Cancellario ad Eminentiss. Card. Noallium scriptam, in quâ ait, velle Regem ut Episcopi conventui intersint, cum plenâ et integrâ libertate sensus suos exponendi, et pag. 56, eumdem Cardinalem sic loquentem inducit : « Que Sa Majesté étoit très-éloignée de vouloir prévenir leurs suffrages, et qu'elle leur laissait une entière liberté. » Certè si metus incussus fuisset Episcopis Comitiorum an. 1714, paucissimi illi Præsules qui post acceptatam à se Constitutionem ab eâ provocaverunt ad Concilium generale, mutatæ agendi rationis motivum hoc profectò protulissent : attamen nullus ad id confugit ; ergo. Insulsum porrò ac ridiculum, quod ad probandum in Comitiis 1714 libertatis defectum objiciunt adversarii, *Episcopos* scilicet *non acceptantes Litteris regiis ad suas diœceses fuisse remissos :* namque nonnisi post acceptam synodicè à 40 Episcopis Constitutionem, ad proprias diœceses redire compulsi sunt Episcopi non acceptantes. Deinde, quis dixerit, jussionem redeundi in propriam diœcesim haberi posse ab Episcopo, instar violentiæ quæ viro constanti possit metum gravem incutere. Denique tametsi daretur liberam non fuisse Parisiis factam ab Episcopis an. 1714 Bullæ receptionem, non idcircò de jure nulla probaretur : ut enim statuit Clemens III cap. *cùm virum* de Regularib. *Ratificatione subsecuta quod gestum fuerat roboratur :* porrò Episcopi ratam habuerunt Constitutionis acceptationem eo ipso tempore, quo de eorum libertate dubitari non potuerat : 1°, ratam eam habuerunt in Mandatis quæ singuli in suis diœcesibus existentes postea promulgârunt ; 2°, ratam habuerunt in Comitiis generalibus an. 1715, in quibus post mortem Ludovici XIV, duos præ cæteris exitiosos libellos confixerunt tanquam Constitutioni receptæ contrarios ; 3°, ratam habuerunt in scriptis memorialibus an. 1717 Aurelianensium duci supremo tunc Regni moderatori oblatis adversùs obsistentes dictæ Constitutioni ; 4°, ratam habuerunt in mandato uniformi quo 50 circiter Episcopi declarârunt an. 1718 Constitutionem *Unig.* dogmaticum esse Ecclesiæ universalis judicium, *à quo omnis appellatio nulla est, temeraria, schismatica, etc.* 5°, ratam habuerunt in subsequentibus Comitiis, in quibus plerisque omnibus, dicta Constitutio constanter prædicatur *Ecclesiæ et Regni lex*. Verbo dixerim, Præsules Gallicani ab annis plus quàm 33 in suâ acceptatione, firmiter persistant, quidquid ad eos à sententiâ dimovendos ab adversariis præstari potuerit ; ergo.

Respondeo 4°, quod spectat factam ab exteris Episcopis Bullæ acceptationem, insulsè

pariter ac calumniosè asseritur, his Præsulibus, metu tremendi Tribunalis Inquisitionis examinandi ac judicandi auctoritatem fuisse ademptam : proindeque nullam esse de jure eorum acceptationem. Namque 1°, in Germaniâ, Hungariâ, Poloniâ, Belgio catholico, etc., inquisitio non viget : harum autem Regionum Episcopi expressa Constitutioni dederunt suffragia, et eam habent pro irreformabili Ecclesiæ Judicio. 2°. In illis ipsis Regionibus ubi viget Inquisitio, jure suo non frustrantur Episcopi : quia Sedem habent in Inquisitionis Tribunali, atque iis videntibus, expendentibus, plaudentibus, consentientibus, Apostolicæ Constitutiones promulgantur, uti disertè testantur Archiepiscopi Cæsar-Augustanus, Burgensis, aliique quamplures suprà relati. 3°. Iterùm hùc redit invictum argumentum ductum ab acceptatione omnium aliarum Constitutionum à tempore Concilii Trid. quæ, si valeat objectio, nulla censenda est : imò nec usquam, eâdem de causâ, valitura erit Ecclesiæ dispersæ acceptatio, quantumcumque unanimis et expressa esse possit : quod quidem omnimodam Ecclesiæ auctoritatem et infallibilitatem radicitùs convellit. Respondeo 5°, hocque uno tota absolvitur difficultas, *vi promissionum*, nusquam contingere potest, ut seu violentiâ, seu negligentiâ, seu fraude, portæ inferi prævaleant adversùs Ecclesiam. Obligatam habemus hanc in rem Christi fidem : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, Matth. 28. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, ibid. 16 ; porrò prævalerent, si Inquisitionis metu, aut alio quocumque motivo Ecclesia dispersa erroneæ S. Pontificis definitioni adhæreret ; ergo, etc. Vide dicta in resp. ad primam object.

Dices 6°. Canonica Pontificii Decreti acceptatio exigit *expressum* Corporis Episcopalis *consensum*, authenticis notum instrumentis, aut saltem publicis *sermonibus, usibus, factis ;* adeo ut *omninò constet* Pontificem et Episcopos *unanimiter et uniformiter* sentire : nec ullatenùs sufficit consensus ex *solo* innotescens *silentio :* aliàs quælibet opinionum monstra jam facilè velut Ecclesiæ placita stabiliri poterunt : atqui in præsenti Constitutionis *Unig.* negotio, ex consensu potissimùm tacito, seu ex solo Episcoporum silentio colligitur dictæ Constitutionis acceptatio : hincque inprimis petita nostræ conclusionis secunda probatio ; ergo. Etverò, ex silentio cujus tot aliæ externæ causæ ab illo prætenso tacito consensu distinctæ proferri possunt, certò inferri non potest tacitus hic consensus, tacita hæc approbatio : atqui silentii Episcoporum circa dogmatica summorum Pontificum Decreta, speciatimque circa Constitutionem *Unig.* multæ causæ externæ proferri possunt à prætenso consensu tacito distinctæ, v. g. plerique silent Episcopi, vel propter præconceptam Pontificiæ infallibilitatis opinionem ; vel ob metum Tribunalis Inquisitionis, aut spem injectam gratiæ alicujus à S. Sede obtinendæ ; vel denique, quòd res definita involuta sit et intricata, nolintque maturam ac diligentem, quæ tamen necessaria foret, adhibere disquisitionem ; ergo non ex solo silentio, sed ex aliis supradictis notis colligendus tacitus Episcoporum consensus, tacitaque eorum approbatio. Ita passim insigniores ex Appellantibus ; inprimis citati sæpiùs sex Præsules in respons. ad Pastoralem an. 1722 Card. de Bissy Instructionem, cap. 23. Ibi pluribus congestis, ad confutandam petitam ex silentio consensùs taciti notam : « Jusqu'ici, inquiunt n. 2, on avait cru que l'infaillibilité sur la doctrine, étoit attachée au Corps des Pasteurs quand ils parlent ; mais c'est à leur silence que M. le Card. de Bissy veut l'attacher, comme à la preuve ordinaire, et la seule nécessaire. » Ad hæc oppositè Senecensis Præsul in suo circa auctoritatem et characteres judiciorum Ecclesiæ Pastorali Mandato, part. 4, art. 14, n. 7, sic habet : « Qui dit *acceptation tacite,* dit deux choses : *acceptation et acceptation tacite....* Comme *tacite*, cette acceptation ne renferme point certaines formes parlantes, et certains actes authentiques. Mais comme *acceptation*, elle *exige essentiellement une conformité de jugemens, de doctrine, de prédication et d'usage.* On parle, on instruit, on agit conformément à un Decret. » Subdit : « Ce n'est pas même assez pour l'acceptation d'un Decret, que la Doctrine qu'il renferme soit conforme à celle qu'on enseigne.... il faut de plus *qu'il soit évident par les faits mêmes et par l'usage*, que toute l'Église a reconnu sa doctrine dans ce Decret. » Similia tradit Eminentiss. Noallius, Instruct. Pastoral. an. 1719, cap. 3, paragraph. 5 : « L'acceptation tacite, aussi bien que l'acceptation solennelle, inquit, suppose toujours une conformité de jugement sur un même objet entre le Pape et les Evêques, par lequel ceux-ci font connaître que la décision du Pape est conforme à la doctrine de leur Eglise ; *condition si essentielle*, que si les Evêques n'avaient point jugé, on ne pourrait point dire

qu'ils eussent accepte. » Moxque addit : « Il y a seulement cette différence, que le jugement que les Evèques prononcent dans l'acceptation expresse, se fait avec solennité, et qu'il est exprimé par des Actes publics.... au lieu que dans l'acceptation tacite, le jugement des Evèques rendu sans solennité, est prouvé *par des faits*, sans être exprimé par des paroles. » Pergit : « C'est par cette raison que l'acceptation expresse est facile à connaître, et et que l'on en est assuré aussitôt qu'elle a été faite, au lieu que l'acceptation tacite est plus difficile à discerner, et qu'il faut ordinairement *un temps considérable* pour s'en assurer. » Eadem habent plerique alii dissidentes.

Respondeo 1°, nihil hic objici, quod in Bullas adversùs Molinosum et librum *de placitis Sanctorum*, etc., pariter, imò à fortiori, opponi non possit : longè plura enim, eaque splendidiora, ut constat ex probationibus, in gratiam Constitutionis *Unig.* quàm pro dictis Decretis occurrunt expressæ acceptationis testimonia : atqui præfatæ adversùs Molinos. et *placita Sanctorum* Bullæ, ne ipsis quidem diffitentibus adversariis, vera sunt ac canonica universalis Ecclesiæ judicia ; ergo. Undè argumentum istud, nimiùm adeoque nihil probat ; ipsisque etiam à quibus proponitur, solvendum est. Respondeo 2°, quæ eò loci opponuntur, deprompta ex insufficientiâ silentii Episcoporum ad declarandam tacitam eorum approbationem, immeritò prorsùs ac præposterè objectari adversùs Constitutionem *Unig.* quæ, postulantibus Episcopis, ab Apostolicâ Sede profecta est ; et tam *expressè* ac *solemniter* in Galliis, totoque Orbe catholico acceptata : quemadmodùm abundè liquet ex adductis probationibus ; necnon ex innumeris ac disertissimis nostrorum, extraneorumque Præsulum laudatis testimoniis. Respondeo 3°. Ecclesia Dei inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat, « et tamen quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, *nec tacet*, nec facit ; » ita S. August. Epist. 55, olim 119, cap. 10, n. 35 ; paria tradunt Cardinales Hosius et Bellarm. necnon Melchior Canus, Thomassin, ipsique etiam Petrus Aurelius et Quesnell., ut supra dictis videre est. Nullatenùs ergò metuendum ne prævaleant esse opinionum ac errorum monstra, si talis acceptatio sufficit, ut nempè *silentium* Episcoporum pro *tacitâ* illorum *approbatione* haberi debeat. *Non dormitabit neque dormiet*, (Psalm. 120) *qui custodit Israël.* Quòd si *vigiles* tacuerint, *lapides* clamabunt. Respondeo 4°, certum esse, regulam obsequii quod legi ac Legislatori debetur, non esse motivum legis, sed legem ipsam, ad quam unicè attendi debet : aliàs, pro vario, quod sibi quilibet ad arbitrium effingeret, legis motivo, obsequium suum daret, vel recusaret : quo nihil periculosius ac exitiosum magis. Quæcumque ergo fingi et excogitari possint adscititiæ, seu externæ silentii Episcoporum causæ ac rationes, semper istud ratum ac firmum stabit : Spiritum veritatis nusquam permissurum esse, ut aliquem, in his quæ fidem aut mores spectant, errorem Ecclesia quoquo modo approbet. *Quocumque modo* (ac proindè etiam silendo ac tacendo) *fiat ut Ecclesia consentiat ;* inquit Bossuet. laudato lib. 3, defens. declarat. Cleri Gallic. cap. 2, *transacta planè res est : neque enim fieri potest unquam, ut Ecclesia Spiritu veritatis instructa, non repugnet errori.* Respondeo denique 5°, certissimum, facillimum, necnon apud Orthodoxos vulgatissimum esse, quod ex silentio Episcoporum eruitur dignoscendi consensûs taciti argumentum : ita apertè S. Aug. aliique auctores mox citati. Vide hanc in rem copiosè dicta supra probat. 2 ; è contra quos adversarii in locum dicti silentii sufficiunt ex *usibus, uniformique doctrinâ*, necnon ex præviis ac debitis *examine, motivis, judicio*, etc. petiti characteres, novi omninò sunt et inauditi ; à dissidentibus ad infirmandam, si fieri posset, canonicam Bullæ acceptationem, *unicè* ac *recenter* excogitati ; atque nedum rudioribus, ut patet, sed et doctioribus impervii : neque enim quisquam valet hos omnes confictos characteres, utpotè cùm plerique ex internis animi sensibus suspensi maneant, certò perspicere ac perscrutari; ergo, etc.

Instabis : Clerus Gallicanus in celebri suâ an. 1700 censurâ, graviter perstrinxit duas propositiones in quibus, cohærenter ad ea quæ modò diximus, silentium Episcoporum circa doctrinam, loco approbationis habendum esse asserebatur. « Opinio debet censeri probabilis, ait propositio 130, dùm non constet rejectam esse à Sede Apostolicâ tanquam improbabilem. » Et proposit. 121, sic habet : « Non sunt scandalosæ aut erroneæ opiniones, quas Ecclesia non corrigit. » Has verò propositiones ita notant Comitia : « Hæ propositiones, quat nùs silentium et tolerantiam pro Ecclesiæ vel Sedis Apostolicæ approbatione statuunt, falsæ sunt, scandalosæ, saluti animarum noxiæ, patrocinantes pessimis opinionibus quæ identidem

obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam viam parant. » Ex hâc autem censurâ colligunt adversarii, erroneum esse, et à Clero Gallicano explosum placitum illud quo statuimus, silentium, seu meram non reclamationem Episcoporum, certissimum esse tacitæ eorum approbationis argumentum. Ita citati mox Præsules, locis indicatis : necnon Auctor Scripti cui titulus : *Justification du droit et de la canonicité de l'appel*, pag. 51, 52.

Respondeo, incautè prorsùs ac præposterè nobis hic opponi Cleri Gallicani censuram : apertum siquidem ac latissimum discrimen occurrit inter sententiam quam damnat Clerus Gallicanus et nostram. In præfatâ censurâ agitur de lib. Auctoris alicujus junioris seu moderni, cujus doctrina eo ipso probabilis asseritur, quòd non sit à Sede Apostolicâ apertè rejecta tanquàm improbabilis : « *Si liber sit alicujus junioris ac moderni*, ipsissima sunt proposit. 30 verba, debet opinio censeri probabilis, dùm non constet rejectam esse *à Sede Apostolicâ*, tanquàm improbabilem » : quæ certè generalis et illimitata assertio, manifestè falsa est, et multiplici ex capite meritò proscripta. Ex solo quippe silentio circa doctrinam privatam alicujus *præsertim Junioris* seu moderni auctoris *vix cognitam*, obscuram et nondum satis evolutam, vel incertam et *in scholis controversam*, perperam omninò infertur, illam probatam esse : neque enim, uti evidens est, tenetur Ecclesia aut Sedes Apostolica, singulos indiscriminatim, qui in dies prodeunt, recentiorum libros excutere, sententiam eorum rimari, errores, si qui sint, proscribere ac damnare, ex quibus nullum vel scandalum vel periculum timetur. *Dicatur verum*, inquit S. Aug. lib. 2, de dono persever. cap. 16, *ubi aliqua quæstio, ut dicatur impellit.* Si ergo (quemadmodum in proposito moderni auctoris casu, aliisve similibus) nulla quæstio seu causa impellit, silentium Episcoporum tunc loco approbationis haberi non debet. Nihil porrò commune habet hæc Cleri censura cum proposito nostro. Namque loquimur de Clementinâ Constitutione *Unig.* quæ ex dictis et stabilitis inter probationes, publica est et solemnis Sedis Apostolicæ lex et regula ad omnes Fideles directa, à Præsulibus Gallicanis, (apud quos enatus fuerat Quesnellianus error) aliisque quampluribus exterarum Orbis catholici partium Episcopis expresso consensu recepta ; nullis omninò (præter admodum paucos in unâ Galliâ) reluctantibus : his certè in circumstantiis ad quas neutiquam respicit censura, et à casu ibidem proposito, toto cœlo distantibus, tenerentur illi reclamare : et reipsâ, vi promissionum Christi, reclamarent, si errorem contineret propositio illa : aliàs actum esset de Ecclesiæ infallibilitate, prorsùsque foret conclamata ipsius indefectibilitas. Ergo tunc silentium Episcoporum non reclamantium approbationis et consensûs loco habendum est. Responsionem hanc, propositamque discriminis rationem, inter sententiam nostram et illam quam damnat Clerus Gallicanus, pluribus in locis aperiunt et evolvunt Præsules Gallicani, imprimis Eminentiss. Card. de Bissy, et Archiepiscop. Senecens. « Autre chose est de dire, ait Eminentiss. ille Card. Documento Pastor. an. 1722, part. 1, pag. 790, que le silence de l'Eglise sur une opinion particulière est une marque de son consentement, et autre chose de soutenir que son silence sur une décision du Saint-Siége adressée aux Fidèles, est une marque de son approbation. Nous convenons que l'Assemblée de 1700 a condamné le premier de ces deux sentimens, et nous souscrivons de très bon cœur à sa censure. Mais cela empêche-t-il qu'avec les Evêques acceptans nous ne soutenions après les Pères, que l'Eglise ne peut pas tolérer une fausse règle de croyance proposée aux Fidèles ? »

Et in Mandato an. 1725, pag. 205, rursùs sic habet idem doctissimus præsul : « Il faut bien distinguer entre une simple opinion de l'Ecole, soutenue dans l'Eglise par des particuliers, et une décision faite par le S. Père, adressée aux Fidèles pour leur servir de règle, et formellement adoptée par une grande partie des Evêques. Nous soutenons que dans le dernier cas, le silence des Evêques qui n'ont pas accepté la Bulle d'une manière expresse, est une marque de leur consentement tacite. Mais à l'égard de ces opinions, qu'on soutient dans les Ecoles, et que l'Eglise tolère, nous avons prouvé par des raisons solides, que la non-réclamation des Evêques n'est point un signe de leur acceptation. Par là nous nous sommes conformés à la censure, que l'Assemblée du Clergé a faite en 1700 ; nous avons dit, et nous le disons encore, que le silence du très grand nombre des Evêques, sur ces opinions tolérées dans les Ecoles, n'est pas une preuve de leur consentement à les reconnaître pour bonnes. » Hæc Eminentiss. auctor, quæ Gallicanam censuram, statuto à nobis circa signum

consensûs taciti principio, neutiquam adversari, clarissimè ostendunt. Cæterùm, ut faciliùs plerisque aliis occurratur cavillationibus, quæ in præsenti negotio contra præfati silentii vim et auctoritatem proponuntur ab adversariis : observandum, silentium seu non reclamationem Episcoporum tacitam eorum approbationem importare ; *tunc maximè* ubi sequentes adsunt conditiones. Prima : cùm dogmatica S. Pontificis Constitutio ad omnes Fideles tanquam norma et regula dirigitur ab his qui sunt in auctoritate constituti. Secunda : cùm res controversa à quampluribus Episcopis, iisque præsertim apud quos controversia nata est, discussa fuit, ac lata definitio expresso consensu recepta et probata. Tertia : cùm pauci admodùm ex adverso reclamant, atque à latâ definitione satis temporis effluxit, ut præsumi meritò possit eam ad Episcoporum notitiam pervenisse. His præsertim in circumstantiis, silentium tacitam Episcoporum approbationem indubitanter importat : atque tunc ex eo silentio certissimè constat, Pontificias definitiones vim et auctoritatem infallibilem habere. Idipsum ex omnibus intrinsecis et extrinsecis loco mox indicato adductis momentis clarissimè constat : quibus istud addo : Cùm quis potest et strictissimè tenetur loqui, tunc maximè, aut certè nusquam locum habet depromptum ex jure effatum : *Qui tacet, consentire videtur* : silentium proinde tunc certum est consensûs taciti signum : atqui in prædictis circumstantiis, quando scilicet tres occurrunt suprà memoratæ conditiones, ex hypothesi quòd erronea foret Pontificia definitio, reclamare tenerentur Episcopi ; utpotè cùm in summo versaretur discrimine fides : imò *vi promissionum* procul dubio reclamarent : aliàs actum esset de externâ fidei professione, prævalerentque adversùs Ecclesiam inferi portæ : Pastoribus omnibus, aut Decretis ac Mandatis, aut silentio ac non reclamatione fidem prodentibus ; ergo, etc., ac proindè silentium Episcoporum, ubi præsertim tres adsunt supradictæ circumstantiæ, certissimum est tacitæ eorum approbationis argumentum. Dixi silentium Episcoporum tacitam eorum approbationem importare, *tunc maximè* cùm tres modò recensitæ occurrunt conditiones : quia scilicet id jam sufficit ad præsens nostrum institutum, vindicandæ nimirùm auctoritatis et œcumenicitatis Bullæ *Unig.* neque diffitemur silentium illud certum esse taciti consensûs signum, etiam in quibusdam aliis circumstantiis, de quibus aptior erit alibi dicendi locus. Itaque ut hactenùs dicta circa tacitum Episcoporum consensum, paucis complectar : hæc ad tria puncta revoco.

Primum : Silentium, seu non reclamatio Episcoporum, semper et in quibuscumque circumstantiis, certum non est tacitæ eorum approbationis argumentum : præsertim ubi agitur de doctrinâ *privatâ* alicujus *junioris* seu *moderni* Auctoris *obscurâ*, vel *in scholis controversâ* : eòque unicè aut potissimùm respicit laudata paulò ante Cleri Gallic. censura. Secundum : Silentium, seu non reclamatio Episcoporum, certissimum est tacitæ approbationis, taciti consensûs signum ; imprimis quando tres memoratæ adsunt conditiones : ubi nempe (sicuti contingit in præsenti Constitutionis *Unig.* negotio) *solemnis ac dogmatica S. Pontificis Constitutio* ad *omnes et singulos juridicè directa ; ab Episcopis loci in quo natus est error, aliisque quampluribus, expresso consensu recepta fuit et probata ; nullis aut paucis admodum ex adverso reclamantibus.* His profectò in circumstantiis, ex silentio Episcoporum certò colligitur tacita eorum approbatio : nullusque ante natas de Quesnellismo controversias, uti suprà, secundâ hujusce conclus. probatione, ex Abbate San-Cyrano, aliisque in hâc causâ minimè suspectis Auctoribus, evicimus, principium istud in dubium vocavit. Tertium : Sunt etiam alii quidam casus, in quibus silentium Episcoporum tacitam eorum approbationem importat. Verùm hos assignare, non est hujus loci : de hoc argumento videri possunt Melch. Canus lib. 5, de loc. Theol. cap. 4, Thomassin. dissert. in Concil. pag. 96, etc. Atque his sedulò notatis, cæteræ quas congerunt adversarii tricæ ac vitiligationes ad impugnandam petitam ex Episcoporum silentio consensûs taciti notam, evanescunt, nulloque negotio dissolvuntur. Quæ enim in contrarium opponuntur Apostolica Decreta : vel dogmatica non sunt, sed ad meram politiam pertinent : vel canonicè promulgata non fuêre, ab iis qui sunt in auctoritate constituti : vel denique, multas habuêre numero ac dignitate illustres Ecclesias sibi contrarias et adversantes. Quapropter exempla illa præsenti nostro instituto non sunt accommodata. Nec laudant, nec usquam in medium adducere poterunt adversarii exemplum : *Constitutionis dogmaticæ, ab iis apud quos nata est controversia, Episcopis, expresso consensu receptæ, cæteris minimè reclamantibus* : quæ uti universalis Ecclesiæ judicium habita non fuerit. At de consensu tacito, jam satis : de quo ube-

riùs disputandi, aptior alibi sese dabit occasio. Consule Eminentiss. Card. de Bissy in Documentis Pastoralibus an. 1722 et 1725, necnon illustriss. Suession. postea Senonens. Archiepisc. in 2 et 3 Commonit. ubi argumentum istud eruditè versant.

Dices 7°. Ultima ac præcipua ex essentialibus ad universalis Ecclesiæ judicium conditionibus, ipsa est *notorietas;* hæcque in cæteros omnes definitionis characteres necessariò cadere debet : adeo ut certò et indubitanter constet de prævio adhibito examine, eoque maturo, diligenti, ab omni præjudicatâ opinione libero : tum de definitionis acceptatione *unanimi, liberâ, uniformi, canonicâ,* etc. horum omnium firmam ac indubitatam notitiam necessariò exigit, universalis Ecclesiæ circa fidem judiciorum firmitas ac certitudo, quæ dubium omne etiam speculativum, excludit ac removet : atqui in prætensâ Gallicanæ, cæterarumque Ecclesiarum Bullæ *Unig.* acceptatione, nullatenùs occurrit, nec occurrere potest, prætensa circa prævium ac competens *examen, uniformitatem, canonicitatem,* etc. notorietas : neque enim illa stare potest cum gravissimis quæ in contrarium ab adversariis proponuntur momentis; ergo. Ita auctores scriptorum : *Mémoire sur l'appel interjeté par 4 Evêques,* 2 édit. pag. 156. *Réfutat. d'un libelle qui a pour titre : Cas de conscience,* pag. 24, 29, 43. *Appel des 4 Evêques* 1719, etc. imprimis verò auctor Instruct. Pastor. Eminentiss. Noall. 1719 Propos. 2 pag. 85, his verbis : « Un dernier caractère du jugement de l'Eglise universelle en matière de foi, est qu'il soit si notoirement et si certainement accepté par le Corps des Pasteurs unis à leur Chef, qu'il ne puisse y avoir aucun juste sujet d'en douter. La fermeté de la foi exige nécessairement que le fondement sur lequel elle est appuyée, soit d'une certitude qui exclue tout doute..... Il ne suffit donc pas que le principe en vertu duquel on exige la soumission, soit vrai ; il faut que sa vérité et son autorité soient incontestablement reconnues. C'est par cette maxime si évidente en elle-même, que S. Augustin en condamnant l'opinion de S. Cyprien, justifie sa conduite. » Et postea : principium istud Bullæ *Unig.* accommodans, sic pergit pag. 109 : « Le cinquième caractère d'un jugement de l'Eglise universelle en matière de foi est la certitude et la notoriété, qui ne laisse aux Fidèles aucun lieu de douter de la Décision : toutes les réflexions que nous avons faites détruisent cette notoriété si essentielle, et font naître des doutes que l'on ne saurait dissiper... Point de certitude sur la conformité qui devrait se trouver entre le jugement et celui des Evêques (de France). Certitude au contraire, que sur plusieurs points le Pape et les Evêques ont jugé très-différemment des 101 Propositions. Point de certitude sur l'unanimité morale... Enfin il est évident que la réception de cette Bulle n'a point été faite selon l'ordre canonique ; l'acceptation de la Bulle n'a donc point ces caractères de certitude et de notoriété en vertu desquels on puisse exiger des Fidèles qu'ils se soumettent à la Bulle comme à la décision de l'Eglise. » Similia inculcant illustriss. Soanen et de Colbert; aliique dissidentium duces.

Respondeo 1°, nullam hactenùs extitisse, aut unquam futuram esse canonicam, proindeque infallibilem, Ecclesiæ dispersæ definitionem, si valeat proposita objectio. *Certò* etenim et *indubitanter* sciri nequit, nequidem à perspicacioribus, adhibitum fuisse ab omnibus Episcopis, præviè ad definitionem, examen, illudque maturum, diligens et ab omni præconceptâ opinione vacuum : pariter nec de *unanimi, canonicâ, uniformi, ad sensum adversariorum* definitionis acceptatione usquam *indubitatè,* ut patet, constare potest. Respondeo 2°, iisdem de causis, dogmatica Conciliorum etiam maximè œcumenicorum nutarent judicia, proindeque vel ipsis Concilii Trid. dogmaticis Decretis obloqui liceret : antecedenter siquidem ad obsequium expendenda forent *certò*que et *indubitanter* dignoscenda Præsulum in ferendis definitionibus *motiva, sufficiens examen,* cæteraque quorum pleraque omninò sunt impervia. Relictâ itaque Orthodoxorum auctoritatis viâ, ad examinis et discussionis viam cuncta reducenda forent, exigendaque fidei capita : in quo præcisè situs est palmaris Protestantium error. Horumce consectariorum insulsitas ac nequitia, principiorum ex quibus spontè fluunt virus ac pravitatem apertè declarant. Respondeo 3°, cuncta in objectione proposita similiter opponi posse in Bullas Leonis X, adversùs Lutherum, Pii V, Greg. XIII. et Urbani VIII adversùs Baium; Innoc. X adversùs Jansenium, quin etiam in ipsâ contra Molinosum et librum *de placitis Sanctorum* Pontificia Decreta, quæ tamen canonica esse non diffitentur adversarii : ab ipsis ergo primùm solvenda objectio. Respondeo 4°, plurimùm nocere Quesnellistis quod hîc objicitur : hinc etenim liquidò demonstratur, excludendos esse

recenter ab ipsis excogitatos canonicorum Ecclesiæ judiciorum inauditos characteres : namque ex omnibus Polemicis adversùs Protestantes, medium dignoscendi veram Ecclesiam, veraque ipsius ac canonica judicia, debet esse breve, facile, omnibusque etiam rudioribus proportionatum : atqui assignati à dissidentibus characteres non sunt medium hujusmodi : imo iis semel positis, canonicorum Ecclesiæ judiciorum notitia evaderet ipsis etiam doctioribus prorsùs impervia, ut ex mox allatis solutionibus, ipsaque solâ horumce characterum inspectione liquet; ergo. Respondeo 5°, tum intrinsecis, tum extrinsecis momentis omninò constare Bullam *Unig.* canonicam esse universalis Ecclesiæ definitionem.

Primò quidem intrinsecis momentis : namque Bulla Pontificia, ad omnes Fideles directa tanquam norma ac regula ; cui positivè consentit pars Ecclesiæ notabilis cæteris per Orbem tacitè consentientibus, canonicum est universalis Ecclesiæ judicium : atqui sic se habet Bulla *Unig.* imò nedùm tacitè, seu non reclamando, sed etiam positivo consensu ab omnibus per Orbem sparsis Ecclesiis recepta fuit; ut ex publicis monumentis suprà relatis manifestum est ; ergo.

Secundò. Idem extrinsecis momentis constat: locupletissimis scilicet omnique exceptione ac probatione majoribus, quinque Romanorum Pontificum ; totius sacri Cardinalium Collegii; trium Conciliorum quorum uni præfuit Benedictus XIII, omnium fermè Orbis Catholici Metropolitanorum ; Præsulum Gallicanorum tùm in publicis Mandatis, tùm in plus quàm decem Comitiis generalibus ; authenticis testimoniis : quæ omnia legere est, aut in collectione Celsissimo Aurelianiensium Duci, Regni Moderatori, primùm oblatâ, typis posteà excusâ jussu Eminentissimi Mechliniensium Archiepiscopi : aut in Pastoralibus Documentis Card. de Bissy 1722, et illustriss. Suessionensis, postea Senonens. Archiepiscop. 1718. Pleraque ex his testimoniis protulimus in *Synopsi histor.* et inter conclusionis probationes.

Tertiò. Rursùs idem colligitur ex insulsis ac inauditis characteribus à Quesnellistis ad canonicitatem Ecclesiæ Judiciorum recenter excogitatis : hi enim ad elevandam Clementinæ Bullæ œcumenicitatem unicè conficti, manifestè ostendunt genuinos et proprios ipsi competere Judiciorum Ecclesiasticorum characteres, novosque ad ipsius vim et auctoritatem infirmandam fuisse adinventos. Hincque fidenter asseri potest, vix ullum extitisse hactenùs, nec fortè extiturum usquam dogmaticum Ecclesiæ Judicium, quod tot ac tanta ad sui commendationem vindicet testimonia, quàm præfata *Unig.* Bulla. Ita notant Cardinales et Archiep. mox citati, locis indicatis. Falluntur itaque aut fallunt adversarii, cùm ex prætensis à se de novo excogitatis, aut aliò traductis, Judiciorum Ecclesiæ characteribus, præposterè colligunt, Clementinæ Bullæ ad canonicam Ecclesiæ definitionem, notorietatem requisitam deesse. Scilicet, non ex prætensis illis characteribus dijudicandum de veritate aut canonicitate decisionis exterioris Episcoporum S. Pontifici adhærentium : sed è contra ex ipsâ exteriori definitione certò pronuntiandum, requisitos omnes characteres huic decisioni de facto competere : illosque proinde de quibus controvertitur, aut in definitionem actu cadere ; aut illos ad ipsius canonicitatem hîc et nunc minimè esse necessarios. Verbo dixerim : non de decisione exteriori per conditiones, sed de conditionibus per exteriorem decisionem dijudicandum ac certò pronuntiandum. Capitale istud principium, in Scripturis et SS. Patribus fundatissimum, necnon à Polemicis Scriptoribus, nominatim Hosio, Perronio, Walenburg. Bossuet. etc. sæpiùs inculcatum, egregiè statuunt ac evolvunt Præsules nostri in suâ ad Regem, circa Causidicorum Parisiensium consultationem, Epistolâ an. 1728. Verba latè suprà exscripsimus : impræsentiarum ista retulisse sufficiat : « Nous disons, inquiunt illustriss. Præsules, pag. 20 et 21, et nous le disons en nous appuyant sur les promesses de J. C... dès que le vrai Fidèle voit le Corps des Pasteurs uni au Chef former une décision qui intéresse la foi ; dès qu'il voit ce Corps respectable... exiger la soumission et prescrire l'obéissance, il ne balance point ; on a beau lui dire, une partie de ces Pasteurs *n'a pas prononcé par voie de jugement ;* les autres *ne sont pas unanimes dans le motif de leur décision ;* c'est l'infaillibilité du Pape *qui a déterminé uniquement ceux-ci ;* l'examen de ceux-là *n'a pas été suffisant,* ou il *n'a pas été juridique ....* tous ces discours n'ébranlent pas sa foi et n'affaiblissent pas la confiance qu'il a dans la promesse de J. C. Il voit l'unité dans le Corps des Pasteurs ;..... il sait que c'est à cette unité qu'il est dit : *Celui qui vous écoute m'écoute,* etc. Il ne lui en faut pas davantage : *il n'examine point comment le jugement a été formé, ni les différens motifs sur lesquels les Pasteurs ont pu appuyer leur décision; il lui suffit qu'ils aient parlé, pour*

qu'il règle sa foi sur leurs enseignemens..... Il sait que celui qui a promis son assistance aux premiers Pasteurs saura les garantir, et lui avec eux; et que la simplicité de sa soumission fera toujours sa sûreté, comme la promesse de J. C. fait la leur. » Hancque in rem duo præclara laudant Bossuet. testimonia. Consule superiùs in respons. ad primam objectionem. Ad constantem hanc Præsulum nostrorum doctrinam omninò apposité, Armandus Princeps de Rohan-Ventadour, Universitatis Parisiensis olim Rector, nunc S. R. E. Eminentiss. Cardinalis, in eloquenti ac nervosâ Oratione habitâ die 11 Maii 1739, hæc habet, quæ cùm hactenùs dicta mirum in modum confirment, transcribere juvat: « Neque nobis, inquit, quisquam responderit, dogmatico sanctæ Sedis Apostolicæ Decreto non teneri Fideles, nisi ab *universo* Episcopali Ordine, *clarè, liberè, unanimi consensu, nullâ relictâ dubitandi ratione,* acceptum fuerit; *nisi prævio judicio,* re etiam *atque etiam ad normam juris inquisitâ,* ita ut *non ex præjudicatis opinionibus,* sed ex naturâ rei, *certisque et indubitatis principiis* sententia feratur. » En summatim omnia dissidentium adversùs Clementinam Bullam objecta: quæ quidem dilucidè solvit Eminentiss. Cardinalis, simulque præfatum palmare principium luculenter firmat his verbis: « Absit quidem ut quisquam sentiat aut dicere audeat, ad ferendum de iis quæ pertinent ad fidem judicium, nullam inquisitionem, considerationem, libertatemque requiri. *Sed Christi promissis freti,* ita sentire, ita dicere debemus, si quid Episcopalis Ordinis voce sancitum est, id respuere auribus Fideli cuilibet omninò fas non esse. Sic fore promissum est, ut portæ inferi nusquam prævalerent; *nunquàm ergo invalescet tanta pestis, ut seu vi, seu negligentiâ, seu fraude prævaleant.* Episcoporum Corpori Christus adest, Christus sapientia Patris, Christus æterna veritas: quatenùs veritas, præsto est ut ab erroribus amoveat; quatenùs sapientia, *prælucet ipsis, ut quæ docuit certâ viâ consequantur.* » Subdit: « *Statim atque episcopalis Ordo cum Capite conjunctus aliquid circa fidem decrevit,* statim atque sacrum illud Corpus, interpres divinæ vocis ac cœlesti Spiritu afflatum, obedientiam postulat, *tum veri fideles nihil dubitant:* in Episcopali Corpore unitatem vident: in quo Episcopi consentiunt, dissentire nefas putant; sciunt quippè ad Episcopos pertinere has voces: *Qui vos audit, me audit;* sciunt eum qui Corpori Episcoporum opem suam pollicitus est, neque Episcopis, neque sibi, si Episcoporum vestigiis insistant, defuturum; atque ut Pastoribus in Christi promissis tutissimum est semper præsidium, ita sibi in fidei simplicitate arcem fore inexpugnabilem. » Mox Bossuet. verba subjungens, addit: « *Quocumque modo*, aiebat Bossuetius, *fiat ut Ecclesia consentiat, transacta planè res est*: *neque enim fieri potest unquàm, ut Ecclesia Spiritu veritatis instructa, non repugnet errori.* Deus, inquit alio in loco, ita versat animos, ita in eis dominatur, ut in aspectabili et perpetuâ Successorum Apostolicorum communione, sana et incorrupta doctrina semper victrix evadat. » Hæc Eminentiss. Præsul, ad dissipandas quaslibet adversariorum tricas, sanè efficacissima.

Dices ultimò: Deus ipsemet innumera prope edidit prodigia et *operationes sanitatum,* in gratiam et ad invocationem eorum à quibus interposita fuit appellatio à Constitutione *Unig.* ad futurum Concilium œcumenicum: ita constat ex plerisque divulgatis collectionibus miraculorum et prodigiorum, quæ ad tumulos D. Rousse, præsertimque D. Paris Diaconi Parisini patrata sunt: porrò tot tamque frequentibus miraculis, apertè commendata videtur, ac quasi divinitùs obsignata Appellantium doctrina; quî ergo Clementina Bulla *tutò* recipi queat, quæ doctrinam hanc gravissimis notis confligit ac damnat? Ita variis in Scriptis Quesnellistæ: illudque, editis etiam eâ de re Pastoralibus Mandatis, sæpiùs ac fusiùs prosequuntur illustriss. Soanen et de Colbert.

Respondeo, extremum istud esse ac miserrimum effugium quod in suæ prorsùs deploratæ causæ præsidium advocant Appellantes. Verùm inani ac planè irrito conatu: quod quidem sequentia manifestè ostendunt. Namque 1°, neminem latet omnium sæculorum hæreticos ementita miracula in sui erroris patrocinium jugiter jactitâsse: atque ex prætensis his ac temerè vulgatis miraculis, minùs cautos decipere; ignaram, credulamque plebem pervertere; sibi, suarumque partium pertinacissimis sequacibus gloriam sanctitatis adscribere conati sunt. Ita notant, ipsisque exprobant S. Iren. lib. 2 de hæres. Tertull. lib. de præscript. cap. 44, inprimis S. Aug. qui in improbam ac maximè exitiosam hanc Sectariorum agendi rationem, tùm in Concionibus, tùm in Scriptis vehementer invehitur, præsertim Tract. 13 in Joan. n. 17, et lib. *de unit. Eccles.* n. 28, et 29. Fidem certè omnem exsuperant fallaciarum, deceptionumque atrocitas et multitudo, quas moli-

tur ardens partium studium. Infamem *Priscillianum* et furiosum *Dioscorum*, tanquam Sanctos, illorum sectatores post obitum venerati sunt, et ipsis attribuere miracula non sunt veriti. *Hussitæ* Joannem Hus œcumenicæ Synodi sententiâ confixum paribus honoribus exornârunt. Ipsaque quò graviora Ecclesiæ in hæreticos damnatoria, judicia eò videntur enixiùs movere discipulos, ut suos impensiùs colant Magistros. Insignia ac frequentia veritatis hujus omnium temporum hæreses suppeditant argumenta. Incautè igitur omninò ac præposterè Quesnelli defensores præcedentium Novatorum vestigiis insistentes, ad ementita confugerunt miracula, ut ea divinæ primorum Pastorum, à quibus damnantur, auctoritati opponant, sicque se, suamque doctrinam gravissimis Ecclesiæ Decretis ac censuris subducant.

2°. Asserta S. Medardi Diacono, aliisve Appellantibus miracula, nec vera censeri possunt, nec certa, nec divina; imò ficta sunt, dubia, absona, ab omni fide prorsùs abhorrentia : id egregiè ostendit ac juridicè declarat Illustriss. Parisiens. Archiepisc. D. de Vintimille latis die 15 Julii 1731, et die 8 Novembris an. 1735, hanc in rem Mandatis. Hoc idem invictis adstruunt momentis Ebredunensis olim, postea Lugdunensis Archiepiscopus, et Eminentiss. Card. de Tencin, necnon illustriss. Senonensis et Cameracensis Archiepiscopi, quorum luculenta eo de argumento Documenta consuli possunt. Etverò, inter prætensa ab Appellantibus adeo venditata miracula principem certè locum obtinent quatuor illa quæ 23 Parochi Parisienses, uti *evidenter probata,* obtulerunt Archiepiscopo Parisiensi, dato supplici libello die 13 Augusti 1731, ut juridicam de iis sumeret inquisitionem : oblatis simul circa eadem miracula Actis verbalibus, quæ ut dictitabant, jussu et auctoritate Eminentiss. Noallii fuerant composita. Jam verò, his omnibus ex juris præscripto maturè ac diligenter discussis, solemni Mandato die 8 Novembris 1735, pronuntiavit illustriss. Archiepiscopus, prædicta Acta verbalia, *ipso jure radicitùs irrita* esse, nulliusque prorsùs ponderis ac auctoritatis; eaque *sive rem* spectes, *sive formam* et rationem omninò vitiosa esse; multisque titulis *abusiva, informia, inutilia :* quoad miracula verò, declarantur *temerè* et *contra leges evulgata characteribus* ad vera miracula requisitis *planè destituta;* talia denique, *ut omni fide careant.* En illustriss. Archiepisc. verba, cit. Mandat. pag. 75, et 76 : « Par l'examen que nous avons fait des motifs exposés dans la Requête que notre Promoteur nous a présentée, nous avons reconnu 1°, que ces Procès verbaux sont *nuls dans leur origine,* parce qu'ils ont été dressés, ou sans commission, ou en vertu d'une commission *surprise* et *obreptice;* 2°, que, quand dans leur origine ils auraient été revêtus des formes les plus solennelles, l'état dans lequel ils nous ont été présentés, doit nous les faire regarder comme des pièces qui ne méritent aucun égard... Ce sont des Actes *sans force, sans autorité, inutiles, anéantis,* pour ainsi dire,... 3°, non seulement ces procédures sont *défectueuses dans la forme,* mais elles sont encore *insuffisantes dans le fond,* pour établir la vérité des guérisons miraculeuses, auxquelles on dit qu'il ne manque que notre autorité, pour les publier solennellement aux Peuples. » Et in Mandati judicato, sic statuit idem Illustriss. Archipræsul : « Nous déclarons les Procès verbaux dressés en 1728, *informes et sans autorité :* et les miracles dont il a été informé, *téméràirement publiés, destitués de preuves,* et *indignes de toute croyance.* »

Porrò, si præfata miracula à quampluribus Parochis Parisiensibus Archiepiscopo suo solemniter ac confidentiùs oblata, veluti *summè authenticis,* ut jactabant, testificata Instrumentis, et *locupletissimis* firmata testimoniis : si, inquam, miracula illa, perpensa postmodùm secundùm accuratiorem Juris normam, deprehensa fuerint ac juridicè declarata; *temerè asserta ac vulgata; idoneis* destituta *testimoniis* ac *probationibus;* atque ab *omni* prorsùs *fide* abhorrentia : quantò potiori jure de cæteris quæ exindè divulgata sunt, quæque longè levioribus magisque suspectis nituntur testibus et probationibus, idem pronuntiandum sit, nemo non videt? Hoc ipsum scitè notat et urget laudatus Archipræsul, ibid. pag. 79, ubi ex prædictis miraculis, de reliquis de quibus pleræque circumferebantur relationes ad libitum confictæ, à levibus passim aut seductis mulierculis assertæ dijudicandum asseverans; sic habet : « Mais si les miracles qu'ils (les 23 Curés) nous ont présentés comme prouvés avec évidence; si ceux qu'ils assurent avoir paru à M. le Card. de Noailles, mériter une information juridique; si ceux enfin qu'ils prétendent devoir *servir de préjugés pour tous les autres,* portent sur l'illusion, ou sur le mensonge; que devez-vous penser, mes très chers frères, de ces faits qui ne sont appuyés que sur des bruits populaires, ou sur des relations dressées par des personnes sans autorité, sans caractère, et obstinées,

malgré nos défenses, à faire valoir une dévotion de parti ? » Accedit ad idem adstruendum invictum ex defectu requisitarum ad miracula conditionum depromptum argumentum. Scilicet, ut curationes à morbis et infirmitatibus inter vera recenseantur miracula, plura concurrere debent. Primum est, ut morbus sit gravis, et vel impossibilis, vel curatu difficilis : secundum, quòd sanatio sit subita et instantanea ; aut saltem iis quas operatur natura longè promptior ac celerior : tertium, ut sanatio sit perfecta ; non manca aut concisa : quartum, ut sit permanens, hoc est, iteratus non contingat in morbum lapsus : quintum, quòd absque remediis naturalibus procurata fuerit, hoc est, ut nulla adhibita fuerint medicamenta, vel si adhibita fuerint, certum sit ea non profuisse ; sextum, ut morbus qui depellitur non sit in ultimâ parte statùs ; ita ut non multò post declinare debeat ; septimum, ut nulla notatu digna evacuatio, seu crisis præcedat temporibus debitis ; si enim ita accidat, tunc verè miraculosa sanatio dicenda non erit. Ita Roucc Apostolici Sacrarii Præfectus, et Consultor Congregationis sacrorum Rituum, in suo *de Canonisat. Sanctorum* Tractatu, cap. 25. *Zachias* lib. 4, *de Miraculis* titul. 1, quæst. 3, etc. Atqui curationes omnes ab adversariis adeò venditatæ, cunctis vel plerisque ex his characteribus omninò sunt destitutæ : quod quidem vel ex ipsismet harumce curationum procusis collectionibus clarè ostendunt Archiepiscopi suprà laudati. Imprimis verò Illustriss. Parisiens. Archipræsul citat. mox Mandat. pag. 76 et 77. idipsum luculenter et distinctè probat de miraculosis illis sanationibus, libello supplici sibi à Parochis Parisiensibus exhibitis ut de iis inquireret, et ex quibus, testibus iisdem Parochis, *de cæteris omnibus judicium ferendum est* ; ergo.

3° Quæ per Appellantes fieri dicuntur miracula, nedùm dubia sunt et incerta, divinisque characteribus destituta, ut modò vidimus : verùm insuper Deo sunt prorsùs indigna : undè non in Deum Auctorem refundenda ; sed à dæmone suadente, aut etiam operante (si causam superiorem postulant) profecta et perpetrata dici debent. Namque, prætensa illa prodigia ac miracula ad tres generatim revocari possunt classes. Prima nudas complectitur *convulsiones*, membrorum distentiones contractionesve, absque ullâ præviâ aut subsecutâ curatione. Secunda curationes *convulsionibus* annexas continet, hoc est, morborum sanationes, aut ex convulsionibus progenitas, aut convulsiones postmodum procurantes. Uno verbo, curationes quæ sint causa aut effectus convulsionum. Tertia spectat miraculosas, ut jactant, curationes ad tumulum aut invocationem Appellantium patratas absque comitibus præviis aut subsequentibus convulsionibus. Triplex istud prodigiorum aut miraculorum genus passim venditant Appellantes variis eâ de re editis collectionibus ac voluminibus : de quibus copiosè disserit Illustriss. Senonens. Archiepiscop. in suâ eruditâ *circa prætensa quæ S. Medardi Diacono tribuuntur miracula*, Pastorali an. 1734 Instructione. Jam verò nulla ex jactatis hisce prodigiis ac miraculis Deo adscribi posse, aut in Deum refundi : eaque omnia ad tumulos aut invocationem Appellantium perpetrata prodigia, Deo esse prorsùs indigna, haud difficili negotio demonstrari potest. Et quidem quod spectat *nudas et meras* convulsiones, hoc est, stupentes ac insolitos Convulsionariorum motus, absque ullâ tamen præviâ, comite aut subsequente membrorum sanatione excitos : motus, inquam, illos à plerisque Appellantibus tanto cum fastu ostentatos, à Deo supernaturaliter ac miraculosè operante minimè proficisci, exquisitè ac eruditè probat insignis *Litterarum Theol. super miraculis* auctor ; idque compluribus momentis manifestè patet. Namque 1° Deus miracula non operatur vilia, ridicula et inutilia, juxta doctrinam sancti Bonaventuræ, Gersonis, Medinæ, etc. hoc ipsum fusè ostendit laudatus Auctor in suâ Epist. 15, paragraph. 42 et sequentibus, necnon Epist. 2, per totam : quod quidem ipsa Entis supremi ac summè sapientis idea clarè adstruit. At certè nihil vilius ac ridiculum magis excogitari potest, absonis illis et inverecundis Convulsionariorum motibus ac saltibus qui vel in ipsis eorum Collectionibus narrantur. Ex innumeris sit in exemplum quod cuidam Monacho contigisse describit auctor ipsemet *Nuntiorum Ecclesiasticorum* die 7 Februarii 1734, his verbis : « Des efforts, des frémissemens, des agitations, des roidissemens étonnans de tous les membres, les talons et les bras retournés en devant; le visage derrière le dos, le col plié : il s'élevoit de tems en tems à la hauteur de trois ou quatre pieds, et demeuroit ainsi suspendu en l'air sans point d'appui l'espace de dix minutes, quelquefois plus.... Il se donnoit de grands coups de poing, il demandoit avec instance qu'on le frappât rudement, ce qu'on ne manquoit pas de faire. » Quid irreligiosius, quàm incompo-

sitos et inordinatissimos illos motus Deo, et quidem supernaturaliter operanti, adjudicare? Ad hanc Quesnelliani Scriptoris narrationem, aptè omninò sic habet Illustriss. Senonensium Archiepiscopus laudato Documento part. 2, n. 3 : « Voilà un étrange miracle : un miracle qui consiste à tordre le col à un malade, pour le guérir d'une maladie qu'il n'avoit plus. Jusqu'ici on n'avoit vu au tombeau des Saints de pareilles fureurs, que dans les Démoniaques : les Saints guérissoient ces accidens funestes, et le nouveau Saint les donne : il les donne sans nécessité et sans utilité pour le malade; car on assure que celui-ci étoit guéri *dès le premier jour*, et cependant ces horribles convulsions le reprennent chaque jour de la Neuvaine. » Præterea à Deo procedere nequeunt prodigia indecentia vel in se, vel in suis effectibus : imò, uti citatis locis argutè notat, et ex SS. Hilario, Paulino, Sulpicio, etc., evincit laudatus Theolog. Epistol. auctor, plerumque Deus insignia operatus est miracula, ut obscœnitates et spurcitias à diabolicis averteret præstigiis : atqui obscœnius nihil ac turpius toto convulsionum opere, illarum etiam ex quibus enatas curationes prædicant, quasque idcircò ut divinas agnoscunt ipsimet mitiores Convulsionistæ, dicti *Discernentes* et *Miscellanei* (*Discernans* et *Mélangistes*) hoc est, discretionis et permixtionis in convulsionibus auctores. Comperta sunt ista et explorata ex accurato convulsionum Diario, sciente et approbante celebri Abbate *Duguet* exarato, quod instar appendicis ad suum *circa miracula* Documentum denuò edi curavit laudatus Senonens. Archipræsul. Adversùs Diarium illud nonnisi in pauculis ac levioribus quibusdam reclamatum fuit ab adversariis : quapropter cætera quæ in eo narrantur longè graviora et numerosiora facta exinde certiora magisque indubitata evasêre. Ita in præfat. ad Diarium, appellatus mox Archipræsul. Denique, quemadmodùm prædictarum Epistolarum ratiocinatur auctor pereruditus Epist. 15, n. 56, et seqq. à divinâ sapientiâ prorsùs alienum est, Deum ad arcanas suas voluntates declarandas, aut ad patranda miracula, delirantes ac mente alienatos seligere. Multò adhuc magis Deum dedeceret, si rationis usu privaret, quos et consiliorum suorum participes ac præcones, necnon omnipotentiæ suæ Ministros vellet efficere. Constans est et certissimum istud placitum : tùm quia, nec in antiquâ lege ullus unquam, dum divino concitaretur Spiritu, mentem perturbatam habuit; nec in novâ lege, dum ægros sanabat, Fideles edocebat, futura vaticinabatur, mentis corporisve perturbatione fuit agitatus; tùm quia à promulgato Evangelio, si dum insaniret quis ac fureret, eventura pronuntiavit, aut stupendum aliquod simile operatus est, ab Ecclesiâ tanquam Dei Minister, veritatisque nuntius, nusquam est habitus; tùm quia in eamdem doctrinam collimat unanimis Patrum doctrina, ita SS. Athanas. Tract. 3 contra Arian. Chrysost. Homil. 29, in 12 cap. I Epist. ad Corinth. Epiphan. hæres. 48. Hier. Prolog. in Isai. August. lib. 1, contra Academic. cap. 6, etc. Idem disertè tradunt Doctores Scholatisci, Card. Cajetan, Estius, Sylvius, aliique præeunte divo Thomâ 2-2, q. 171, art. 2, et ibid. q. 173, art. 3, in corp. : « Talis alienato à sensibus, inquit S. Doctor, non fit in Prophetis cum aliquâ ordinatione naturæ, sicut in arreptitiis aut furiosis, sed per aliquam causam ordinatam, vel naturalem, sic per somnium; vel spiritualem, sicut per contemplationis vehementiam, sicut de Petro legitur, Act. 10, quòd *cùm oraret factus est in excessu mentis.* » Ibid. ad 4 addit : « *Spiritus Prophetarum dicuntur esse subjecti Prophetis*, quantùm ad propheticam enuntiationem, de quâ ibi loquitur Apostolus : quia scilicet ex proprio sensu loquuntur ea quæ viderunt, *non mente perturbata, sicut arreptitii*, ut dixerunt Priscilla et Montanus. » Certum est itaque et indubitatum, Deo prorsùs indignum esse, ad suam manifestandam voluntatem, aut ad patranda miracula, delirantes homines adhibere; vel ad hoc, quod magis est, sanos homines insanos reddere. Porrò, non minùs certum est, mentis abalienationem passos fuisse viros ac mulieres convulsionum motibus agitatos, dum sublimes illos, toties ab insulsi operis Præconibus jactitatos, sermones habuêre; dum res occultas detexêre, futura prædixêre, morbos curavêre, cæteraque tam audacter vulgata miracula patravêre. Sexcentiès id testati sunt ipsimet Convulsionariorum duces ac magistri : imò, quod certè extremæ est cumulatæque cæcitatis ac insaniæ, eò progressi sunt, ut ex illâ, his in circumstantiis, mentis alienatione ac delirio, divinæ virtutis in Convulsionistis miraculosè agentis argumenta duxerint. De quo sæpiùs insigniores apud ipsos convulsionum defensores, imprimis auctores libellorum : *Plan général sur l'œuvre des convulsions;* et *Coup-d'œil sur l'œuvre des convuls.*, etc., ergo.

Convulsionum turpitudinem, dedecus et ignominiam palàm fecère, ipsisque earum defensoribus acriter ac strenuè exprobravère plerique etiam ex Appellantibus : præ cæteris verò, triginta Doctores celeberrimæ, circa infaustum istud opus, Consultationis an. 1735 auctores; ibi variis sibi propositis super toto isto negotio quæstionibus, perpensis ac maturè discussis, sic generatim de Convulsionibus mentem suam aperiunt, pag. 24 : « Il est honteux qu'on ait été obligé de montrer, que des contorsions effroyables, des grimaces affreuses, des culbutes indécentes, des attitudes malhonnêtes, et qui blessent la pudeur, des extravagances qui tiennent d'une sorte de fureur, ne peuvent avoir Dieu pour auteur dans l'ordre des miracles. » Pergunt : « Comment donc pourrait-on s'imaginer que Dieu fasse servir ou concourir ces mêmes convulsions pour opérer des guérisons que l'on croit miraculeuses ? *Tout réclame, et surtout la Religion, contre une imagination si bizarre, et qui retombe sur Dieu même qu'elle déshonore.* » Paucis interpositis addunt : « Ainsi il ne reste plus par rapport à ces prétendues guérisons que l'on fait valoir en faveur des convulsions, *si elles sont réelles*, ou que d'en chercher le principe dans la nature, quelque singulières qu'elles paraissent, *ou si on les croit d'un ordre supérieur, de recourir à un agent fort distingué de Dieu.* » Ubi prætensas supernaturales convulsionibus annexas morborum curationes, ex hypothesi quòd reipsâ extiterint, in dæmonem refundendas esse judicant præfati Appellantium Magistri. Tum iterùm rejectis convulsionibus, hisque adjunctis jactatis curationibus, tandem concludunt, pag. 29 : « Il est évident que l'on n'a plus rien à attendre pour juger des convulsions. Quand on y réfléchit sérieusement, on ne peut demeurer en suspens. *Tout réclame contre.* La Majesté de Dieu, la sainteté de son culte, l'honneur de l'Eglise, la pureté des mœurs, l'honnêteté publique, le bon ordre, le maintien des règles exigent de tous ceux qui s'intéressent au bien de la Religion, qu'ils concourent avec zèle, autant qu'il est en eux, à faire cesser un scandale qui a duré trop long-temps, et une illusion qui ne peut avoir que des suites funestes. » Et rursùs ibid. « Les convulsions ne sont point l'œuvre de Dieu : et ce prodige de nos jours, autorisé par une admiration mal placée, doit être livré à tout le mépris qu'il mérite. Puisse-t-il être à jamais oublié ! »

Hæc insigniores 30 ex Appellantibus Doctores, de toto convulsionum negotio, idque post maturum ac diligens, ut ipsi testantur, omnium operis characterum ac circumstantiarum examen, accuratamque discussionem. Ex quibus liquet non posse, absque insigni in Deum contumeliâ, nefandum Convulsionum opus divino Numini adscribi, ipsasque proindè, ut patet supernaturales, si quæ sint, his convulsionibus annexas curationes, *in auctorem à Deo prorsùs distinctum*, uti loquuntur Doctores (dæmonem scilicet), *esse referendas*. Porrò, explosis semel convulsionibus, uti planè absonis, ac divinâ omninò indignis majestate, iisque diabolicæ virtuti adjudicatis, explodenda pariter et dæmoni adscribenda cætera Appellantium miracula : nempè non modò jactatæ tantoperè morborum sanationes, ope convulsionum, sed etiam aliæ omnes absque convulsionibus, occasione ejusdem cultûs ac invocationis perpetratæ. Scilicet, quemadmodùm notant et invictè adstruunt modò laudati Præsules : tria illa ab Appellantibus venditata prodigiorum genera : 1° *convulsiones*; 2° progenitæ ex convulsionibus *curationes;* 3°, *sanationes* absque ullis convulsionibus : tria, inquam, illa ita arctè ac indivulsè inter sese connexa sunt et concatenata (utpote iisdem *origine, cultu* ac *fine* innixa, nempè ad eumdem tumulum, ex eâdem invocatione nata, atque ad favendum appellationi pariter destinata) ut ea proindè omnia admittenda sint tanquam vera miracula ; aut ex æquo rejicienda, ut meræ fraudes ac præstigiæ. His ergo invictis omnibus momentis, quibus Convulsiones Deo auctori assignari non posse demonstrant celebres præfatæ consultationis auctores, iisdem etiam clarè ac ineluctabiliter conficitur, quas prædicant adversarii miraculosas morborum sanationes, in Deum minimè refundi posse : atque adeo, si verè supernaturales sint, soli dæmoni tanquam auctori esse adcribendas. Præstat hanc in rem audire illustriss. Parisiensem Archiepiscopum laudato Pastorali Documento an. 1735 edito, *occasione miraculorum quæ ad tumulum et invocationem Diaconi S. Medardi patrata narrabantur* : hoc in Documento, insulsitate et infamiâ fanatici Convulsionum operis latè deductis, sic habet pag. 86 : « Arrêtons-nous, mes très-chers frères, n'entrons pas dans un plus grand détail des misères et des horreurs dont cette œuvre fanatique (les convulsions) est souillée et composée : le bruit public vous a assez instruits, et peut-être n'en avez-vous que trop appris par

vous-mêmes. Mais de ces faits certains ne conclurez-vous pas avec nous, que *ce serait blasphémer contre Dieu*, que de lui attribuer une œuvre qui porte de tels caractères ? » Tum recitatis modò adductis triginta Doctorum textibus, arctam et indissolubilem convulsionum cum jactatis quibuslibet dissidentium miraculis, egregiè statuit his verbis : « On ne peut regarder Dieu comme auteur de l'œuvre des convulsions. *Or cette indigne œuvre tient inséparablement à celle des nouveaux miracles*..... Cette liaison est trop sensible, pour qu'après de sérieuses réflexions, on puisse la contester de bonne foi. » Pergit : « Les convulsions n'ont-elles pas la même origine que les miracles ? Ne sont-elles pas nées comme de leur sein ? N'en ont-elles pas, dit-on, produit à leur tour un grand nombre ? Ne sont-elles pas le fruit d'un même culte ? Ne tendent-elles pas à la même fin ? N'ont-elles pas eu les mêmes suites, et occasionné les mêmes effets ? » Moxque concludit : « Les convulsions étant donc jugées indignes de la main de Dieu, n'hésitons pas à prononcer qu'on ne peut lui attribuer les guérisons que l'on dit être arrivées, ou par des convulsions, ou sans convulsions, *à l'occasion du même culte*. » Ita pressè quidem, at invictè, arctissimam convulsionum cum prætensis Appellantium miraculis cognationem ostendit Illustrissimus Archipræsul. Etverò, quemadmodùm ibid. ratiocinatur, prædicta miraculorum cum ipsismet convulsionibus admittenda est connexio : aut cum adversariis agnoscenda distinctio duplicis generis miraculorum, quorum scilicet alia verè divina sunt, alia falsa et dæmoni adscribenda : quamquam utraque perindè perpetrata, ad eumdem tumulum (Diaconi scilicet S. Medardi), ex eodem cultu et invocatione, eumdemque in finem ordinata : atqui absona prorsùs, necnon fidei et rationis placitis è diametro adversa, ipsique supremo Enti summè injuriosa talis distinctio : hâc enim positâ, alternis et quasi invicem, ad eumdem tumulum, eodemque fine, Deum et Dæmonem prodigia operari dicendum foret : quo nihil certè insulsius ac irreligiosum magis ; ergo.

Audiatur iterùm laudatus Archipræsul, momentum istud luculenter versans ac evolvens, citato Pastoral. Documento, pag. 88 : « Observez, mes très-chers frères, que pour nier la liaison des miracles avec les convulsions, il faut, dans le sentiment de ceux que nous combattons, soutenir la distinction de deux sortes de miracles arrivés au tombeau du sieur Pâris, les uns divins, les autres diaboliques. Etrange extrémité ! Dieu et le démon régneraient donc, pour ainsi dire, sur le même trône ? ils feraient tour à tour des merveilles qui concourraient au même objet et à la même fin ? une même invocation attirerait de la part de Dieu, et de celle du Prince des ténèbres, des effets extraordinaires ; et l'on serait exposé à tous momens à confondre l'œuvre divine avec l'opération de Satan ? Conséquences qui répugnent à tous les principes de la religion. » Hæc decretoria sanè in præsenti causâ. Paria tradunt paulo anteà laudati Archipræsules : imprimis Senonens. Archiepisc. suo *super miraculis et convuls.* Pastorali Mandato an. 1734, part. 1 et 2. Tria ergo ab Appellantibus jactitata prodigiorum genera : *convulsiones* videlicet, *morborumque sanationes*, ope convulsionum, aut absque convulsionibus perpetratæ : tria, inquam, ista prodigia Majestate ac virtute divinâ prorsùs indigna sunt : ac si quid humanas vires superans in eis agoscendum sit, totum istud in dæmonem ipsum, uti auctorem, est referendum.

4°. Famosus S. Medardi Diaconus D. *Paris*, cujus præsertim ope patrata feruntur Appellantium miracula, is non fuit qui pro Sancto, nedùm pro *Thaumaturgo* haberi possit, si vel iis ipsis fides habeatur qui vitam ejus conscripserunt. 1°, Quia constanter exhibetur uti Jansenianæ doctrinæ, toties ab Ecclesiâ proscriptæ, pertinaciter addictus, atque ad extremum usque spiritum inverecundè non minùs ac irreligiosè debacchans in æquissimam Formularii legem, utrâque firmatam auctoritate, necnon adversùs dogmaticam universalis Ecclesiæ Constitutionem *Unig.* Ita auctor libelli cui titulus, *Vie de M. de Pâris Diacre*, Edit. de Bruxell. pag. 151, 161, 170, prætensas dicti Diaconi virtutes celebrans, sic habet : « Il donnait à son livre (au livre de Jansénius) le premier rang après les livres de S. Augustin.,.. il regardait la loi du Formulaire comme une cause de trouble, et une occasion de persécuter ce qu'il y a de gens le plus attachés à la vérité... il croyait voir dans toute l'œuvre de la Constitution, l'*Apostasie prédite par S. Paul* et figurée dans les anciens livres. Toute sa consolation était dans l'attente *d'un renouvellement du monde entier*, auquel préparait selon lui *un mal si extrême*. » Pergit Diaconi præco : « L'Eglise lui paraissait *dans un état horrible* ; telle que cette Sion autrefois remplie, riche, maîtresse des Nations, dans la gloire et dans l'éclat, et depuis déserte, appau-

vrie, foulée aux pieds de tous les passans, et enfin asservie à la tyrannie de Babylone. » Ad quæ abnormia verba illustriss. Parisiens. Archiepisc. exclamat : « Affreux langage, mes très-chers frères, qui vous rappelle sans doute celui des furieux Sectaires des temps de Luther et de Calvin ! » 2° In Ultrajectensem Ecclesiam, refractariosque illuc profugos, summè propensus exhibetur : arctâque junctus communione, præsertim cum Pseudo-Archiepiscopo Ultrajectensi publicè ac notoriè intruso, schismatico, ideòque per Apostolicam Sedem juridicè ac nominatim excommunicato, quòd absque electione et institutione canonicâ contra Ecclesiæ leges per unum duntaxat Episcopum itidem notoriè excommunicatum consecratus fuisset; ast qui Schismaticorum communionem ineunt et affectant, schismatis hoc ipso participes fiunt, et unitatem dividunt; adeoque, nonnisi apud Schismaticos, pro Sanctis haberi possunt. « L'Eglise de Hollande entre toutes les autres, inquit Domini de Paris laudator, loco mox citato, pag. 162 et 163, l'occupait beaucoup, et il avait une affection très-intime pour les illustres témoins qui s'y sont réfugiés. » Et in alterâ edit. pag. 98 : « On sait qu'il avait fait le projet de partir à pied de Paris, pour aller visiter cette Eglise devenue l'asile d'un grand nombre de serviteurs de J. C. » 3°. Ibid. pag. 63, et 80, in vitâ D. Paris tanquàm nobile ac præclarum facinus commendatur quòd perdiu, exceptis diebus Dominicis et Festivis, abstinuerit *ab ingressu Ecclesiæ,* ipsâque *sacris Mysteriis præsentiâ;* imò, quod certè multò gravius est, veluti heroïcum quid ac penè divinum commemoratur, quòd ipse ex falsâ humilitatis et abnegationis persuasione per biennium, etiam in Paschate prætermiserit sacram Communionem, ad quam tamen ex Ecclesiæ præcepto unusquisque Fidelis sub gravissimâ pœnâ accedere tenetur : « Après avoir passé près de deux ans, ait prætensæ abnegationis et humilitatis celebrator, loin des autels, privé des Sacremens, *son inclination,* s'il lui avait été possible de la suivre, *aurait poussé peut-être* (cette privation) jusqu'à la mort. » Addit : « Dans tout ce temps ceux qui le conduisaient n'avaient pu le forcer à communier. » Id verò offensioni est et scandalo, præbens plerisque speciem et occasionem non curandi de adimplendo annuæ Communionis præcepto : obtendentes scilicet istud quod in prætenso Sancto commendatur exemplum : causantes aliundè se à tanti viri sanctitate plurimùm abesse. Hincque appositè omninò Parisiensis Archiepiscopus loco mox citato, pag. 12 : « Quel scandale de louer un Diacre, dont on nous donne la vie comme celle *d'un parfait Ecclésiastique,* de s'être éloigné pendant un si long temps de la sainte Table, et d'avoir transgressé jusqu'à deux fois un précepte qui oblige même les Laïques sous les plus terribles peines ? Quelle source d'abus et de prétextes, pour abolir la fréquentation des Sacremens, que de prétendre que l'amour de l'humiliation et l'esprit de pénitence aient pu justifier cette disposition et cette conduite ? » Quis ad hæc maturè ac pro debito attendens, prædictum Diaconum, tantæ, tamque contumacis et obfirmatæ, tùm in fide, tùm in moribus defectionis ac inobedientiæ, necnon arctissimæ cum schismaticâ Ecclesiâ communionis, vel ex ipsius laudatore ac præcone reum atque convictum; quis, inquam, virum hujusmodi inter colendos Cœlites adscribere, atque miraculorum effectorem ac *Thaumaturgum* prædicare non erubuerit ?

5°. Miracula, ut fidem faciant, à primis Pastoribus prævié discuti debent et probari : *Ipse enim Satanas,* ex Apost. II. Corinth. 11, v. 14, *transfigurat se in Angelum lucis.* Monet quoque Christus venturos aliquando Pseudo-Prophetas ad seducendos jactatis signis et prodigiis, si fieri potest, etiam electos : *Surgent,* inquit Matth. 24, v. 24, *Pseudo-Christi et Pseudo-Prophetæ, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur* (*si fieri potest*) *etiam electi.* Et 2 Thessalon. 2, v. 9, notat S. Paulus adventum Pseudo-Prophetarum futurum esse : secundùm operationem Satanæ, *in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus,* et in omni seductione iniquitatis. Hincque, ut cautiores nos reddat Christus Dominus, de Pseudo-Prophetis, falsisque eorum portentis, sermonem habens, perpetuò nos admonet his verbis : *Attendite; cavete; nolite credere.* Ne quis autem tot ac tantis seducatur fraudibus et portentis, declarat Apostolus ad Ephes. 4, v. 11, et seqq. datos à Christo in Ecclesiâ *pastores et doctores..... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Idipsum, divino hoc oraculo, clarissimè tradit S. Joan. I Epist. cap. 4, v. 6 : Qui novit Deum, audit nos : Qui non est ex Deo, non audit nos : *in hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris.* Ad pastores ergo spectat probare spiritus utrùm ex Deo sint, ita ut quod bonum pronuntiaverint, tenendum;

quod reprobaverint damnandum. Hæcque generalis est et immota regula ad errores declinandos, præcavendasque deceptiones, cœlitùs data, quemadmodum in citatos SS. Pauli et Joannis textus, constanter ac disertissimè docent SS. Patres. Unde et concilium Trid. sess. 25, decernit nulla admittenda esse miracula nisi approbante episcopo : en ipsa concilii verba, dictâ sess. 25, Decreto de invocat. veneratione, et reliquiis sanctorum : « Statuit sancta synodus nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias suscipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in concilium theologis et aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati et pietati consentanea esse judicaverit. » Hæc synodi œcumenicæ lex renovata fuit in statutis Parisiensibus ab eminentiss. Noallio, in suâ synodo diœcesanâ an. 1697 promulgatis; in his sic legitur art. 30 : « On ne pourra déclarer, faire imprimer ou publier aucuns miracles nouveaux, que de notre autorité, et après que, par un examen canonique, nous en aurons reconnu et déclaré juridiquement la vérité, sans quoi nous défendons, sous les peines de droit, de reconnaître et d'autoriser aucun miracle, sous quelque prétexte de notoriété que ce puisse être. » Atque hæc quidem disciplinæ lex meritò ac prudenter omninò statuta est, ad versutas nimirùm impostorum fraudes, necnon ad incautæ ac nimium credulæ plebis deceptiones præcavendas. Porrò vulgata à dissidentibus miracula nedùm à primis pastoribus probata fuêre ; imò potiùs ab ipso summo pontifice et aliis per orbem episcopis, explosa, reprobata, vel ipso indigna examine habita fuerunt atque ut abominandus et execrandus juridicè declaratus est ac proscriptus illius cultus cujus ope perpetrata referuntur : hoc ipsum ex pluribus pontificiis et episcopalibus Decretis constat. Ita Clem. XII, suprà memoratum libellum : *Vie de M. de Pâris*, etc., hujusce diaconi cultum ac miracula, jactantiùs celebrantem, gravissimè proscripsit die 22 augusti 1731, tanquàm continentem propositiones *scandalosas..... auctoritati tum S. Sedis apostolicæ, summique pontificis, tum Ecclesiæ et episcoporum, præsertim Gallicanorum, injuriosas, temerarias, impias, hæreticis faventes, erroneas, atque etiam schismaticas, et hæreticas, et hæretico spiritu plenas.* Consimili censurâ *per Litteras apostolicas in formâ Breves* die 19 junii 1734 confixum fuit Mandatum Autissiodorensis episcopi referens et approbans quoddam assertum miraculum, quod in suâ diœcesi patratum dicebatur ad deprecationem præfati diaconi D. *Paris.* Eumdem diaconi cultum severè interdixit, ac vulgata ab Appellantibus miracula, præhabito maturo examine, *temerè asserta, falsa, Deo indigna,* pluries ac juridicè declaravit illustriss. Parisiensis archiepis. laudatis supra Mandatis die 15 julii 1731, 30 januar. 1732, 5 novembr. 1735, etc. quin et prætensa miracula, utpote auctoritati et definitioni Ecclesiæ adversa, vel ipso examine prorsùs indigna judicavit, uti colligitur ex prudentissimâ ipsius an. 1731 responsione ad supplices sibi exhibitas preces, ut juridicam de prædictis miraculis institueret inquisitionem : his concepta est verbis dicta responsio :

« M. Prouvez-moi en bonne forme que le sieur Pâris n'est pas mort dans l'adhésion à son appel de la Constitution *Unig.*, ou qu'un appel de ce Décret n'est pas une entreprise schismatique contre l'autorité visible établie par J. C., sinon cessez de m'importuner pour la vérification et la publication des prétendus miracles faits par l'intercession et au tombeau de ce diacre : tandis qu'il constatera par votre aveu, qu'il n'a pas révoqué son appel, et par les règles incontestables de la foi, qu'un homme mort dans la révolte contre les décisions de l'Église, est mort schismatique ; ne vous flattez pas que je permette, ou même que je tolère volontairement qu'on l'honore dans mon diocèse comme un saint. Ne croyez pas non plus que j'entre jamais dans l'examen de vos prétendus miracles. Il ne s'en fait point et il ne s'en peut point faire par un tel sujet et pour une telle cause. Je suis, etc. »

Hæc cautè omninò ac eximiè Parisiensis archipræsul; tametsi postmodùm ex condescensu et ex prudenti œconomiâ, ad frangendam scilicet, si fieri posset, dissidentium pervicaciam juridicum de prædictis miraculis habuerit examen : ex quo quidem examine, ut supra notavimus, dictorum miraculorum falsitas magis ac magis firmata fuit ac juridicè declarata. Hunc etiam diaconi *Paris* cultum, prætensaque miracula egregiè confutârunt quamplures alii præsules, inter quos principem locum obtinent antea laudati Ebredunensis nunc eminentiss. Lugdunensis, Senonensis, et Cameracensis archipræsules. Demùm rex Christianissimus avitâ succensus religione, ad ea firmiùs confirmanda, quæ pro recto ordine et ecclesiasticâ disciplinâ, ab archiepiscopo Parisiensi sancita

fuerant, cœmeterium S. Medardi, ubi scenicæ illæ ac scandalosæ convulsiones exortæ, necnon horrendæ agitationes quas novi Sancti Cultores ad ejus tumulum, reliquias et invocationem experti sunt, claudi jussit, solemnibus Edictis die 27 januarii 1733, et die 17 februarii 1735. Immeritò ergo ac præposterè ad vindicandam et firmandam suam fidem, prædicta miracula venditant Appellantes. Miracula enim, quemadmodùm notatum fuit et probatum, ut fidem faciant, debent per primos pastores probari : jactitata autem ab adversariis prodigia, nedùm à primis pastoribus probata fuère, imò potiùs à S. pontifice, aliisque quampluribus præsulibus expressè reprobata, explosa, omnique indigna fide, solemniter declarata.

6°. His accedit victrix istud ratiocinium, quo uno ad liquidum expeditur tota ex prætensis miraculis petita difficultas. *Constitutâ* semel ac *stabilitâ* Ecclesiæ auctoritate, nulla in præjudicium in ejusdem auctoritatis audiri debent miracula, neque eorum ulla tunc habenda ratio : miracula enim, præsertim primi ordinis, signa quidem sunt certissimæ veritatis; at datæ à Christo regulæ fidei, hoc est, *constanti* et *stabilitæ* auctoritati Ecclesiæ subordinata... Undè suppositâ contradictione et repugnantiâ *auctoritatem* inter et *miraculum*, seu ex hypothesi (possibili aut impossibili, de quo hì non quæstio) concursûs *auctoritatis* ex unâ parte, et *miraculis*, etiam *veri* ac *propriè dicti*, ex alterâ, non miraculum auctoritati, sed miraculo auctoritas, prævalere ac præponderare deberet, huicque priores deferendæ forent partes. Omni argumentorum genere certissimè constat fundamentalis ista veritas.

Constat 1°, his omnibus Scripturæ textibus, quibus Ecclesia commendatur fidei custos ac vindex, quarumlibet controversiarum quibus illa impetitur, *perpetuus, universalis, supremus* ac *infallibilis* Judex : Matth. 16 : *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Ibid. 18 : *Dic Ecclesiæ : Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi Ethnicus et Publicanus.* Ibid. 28 : *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus.* Lucæ 10 : *Qui vos audit, me audit.* Ephes. 4 : *Dedit* (Christus) *Pastores et Doctores..... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ,* etc. I ad Timoth. 3 : *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis,* non minùs expressa sunt ac disserta cætera Ecclesiæ facta à Christo promissa : cuncta perindè sunt *perpetua, absoluta*, ab omni prorsùs loci, temporis, aut aliarum circumstantiarum exceptione aut limitatione *libera* ac *independentia*. Ecclesia ergo, vel ipsomet Christo pronuntiante Dux est ac Magistra, quam semper audire ac sequi tenemur : regula viva ac spirans cœlitus data, ad quam cæteræ omnes enatæ de religione, ac etiam de miraculis controversiæ exigi, atque ultimo ac decretorio judicio finiri debent : ipsa igitur, utpote Judex, regula, dux ac magistra, miraculis præferri debet, non huic miracula (in hypothesi concursûs) anteponenda. Hinc stupenda hæc Apostoli verba, ad Galat. 1, v. 8 : *Sed licet..... Angelus de Cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Nullum sanè mirandum magis ac insolens portentum, visibili Angeli Cœlestis adventu ac prædicatione : huic tamen, teste Apostolo, pluris facienda, firma ac immobilis Ecclesiæ auctoritas. His persimilia sunt, quæ habet dilectus Apostolus, I suæ Epist. cap. 4, v. 6, ubi ad discernendum errorem à veritate, falsosque à veris Prophetis, miram hanc ac divinam regulam statuit : Qui novit Deum, audit nos : qui non est ex Deo, non audit nos : *in hoc cognoscimus Spiritum veritatis et spiritum erroris.* En perpetua, universalis, certa, brevis ac compendiosa secernendi veras à falsis doctrinas, via : non miracula ; sed prona ac simplex Apostolis, eorumque successoribus, primis Pastoribus, obedientia : *In hoc cognoscimus Spiritum veritatis et spiritum erroris.* Palmaris ista utriusque Apostoli regula, prorsùs congruit his Christi verbis, Lucæ 10 : *Qui vos audit, me audit;* et Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.*

Constat 2°, ex SS. Patribus quorum unanimis vox est et doctrina, *autoritatem* scilicet Ecclesiæ, esse veram ac generalem à Christo fixam ac constitutam fidei regulam : adeoque priores *auctoritati* dandas esse partes super *miraculis :* istaque adversùs illam minimè esse audienda. Ita SS. Iren. lib. imprimis 3. *adversùs hæreses* cap. 2 et 3. Cyp. lib. *de Unit. Eccles.* et in Epist. *ad Pupian.* Hieron. Dialog. *contra Luciferian.* August. Optat. aliique. Satis fuerit impræsentiarum referre S. Augustinum, qui hoc ipsum creberrimè ac dissertissimè tradit. Lib. de Unit. Eccles. cap. 19, *Donatistarum* jactantiam ex prætensis quæ venditabant miraculis, sic ex ipsâ Ecclesiæ ubique dispersæ auctoritate egregiè confutat S. Doctor : « Omissis ergo istis, inquit, morarum tendiculis, ostendat Ecclesiam vel in solâ Africâ, perditis

tot Gentibus retinendam, vel ex Africâ in omnibus Gentibus reparandam atque adimplendam : et sic ostendat ut non dicat..... Ideo verum est, quia illa et illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant, et exaudiuntur, aut quia illa et illa ibi contingunt; aut quia ille frater noster, aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniavit. » En ipsissima fermè omnia, quæ ab adversariis, convulsionum et miraculorum Præconibus, hîc nobis objiciuntur.

Hæc verò plenissimè diflat S. Doctor; iis quæ ibid. mox subjungit : « *Removeantur ista; vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.* Aut enim *non sunt vera* quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, *magis cavere debemus* : quòd cùm dixisset Dominus quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent, adjicit vehementer commendans, et ait, *Ecce prædixi vobis.* Undè et Apostolus admonens, *Spiritus*, inquit, *manifestè dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes spiritibus seductoribus, et doctrinis dæmoniorum.* » Pergit : « Porrò si aliquis in hæreticorum memoriis orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderii sui recipit sive bonum, sive malum.... et multi irato Deo exaudiuntur, de qualibus dicit Apostolus, *Tradidit illos Deus in concupiscentias illorum.* Et multis propitius Deus non tribuit quod volunt, ut quod utile est tribuat... Nonne legimus ab ipso Domino Deo nonnullos exauditos in excelsis montium Judææ quæ tamen excelsa ita displicebant Deo, ut et Reges qui ea non everterent, culparentur, et qui everterent, laudarentur. »

Et paucis interpositis : « De viris autem fallacibus legant quæ scripta sunt, et quia ipse Satanas transfigurat se tanquam Angelum lucis, et quia multos seduxerunt somnia sua. Audiant etiam quæ narrant Pagani de Templis et Diis suis mirabiliter vel facta, vel visa;... exaudiuntur ergo multi, et multis modis (stupendis ac miraculosis) non solùm Christiani Catholici, sed et Pagani, et Judæi, et Hæretici, variis erroribus et superstitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel ab spiritibus seductoribus, qui tamen nihil faciunt, nisi permittantur Deo sublimiter atque ineffabiliter judicante quid cuique tribuendum sit : sive ab ipso Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad admonitionem quærendæ salutis æternæ. »

Describendum duximus, tametsi prolixius, istud S. Doctoris testimonium, adeò egregium est, et præsenti nostræ causæ accommodatum. Hæc simplex et unica, absque prætensorum miraculorum discussione, cuilibet Fideli sufficere debet præjudicata responsio et regula, quâ adversùs Donatistas utitur hìc S. Augustinus : « Removeantur ista, vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. » Aut *falluntur*, aut *fallunt* : neque adversùs *supremam* quæ in Orbe conspicua sit *auctoritatem*, jactata quantocumque fastu miracula, minimè audienda. In eumdem sensum, Tract. 13, in Joan. n. 17, de prætensis Sectariorum miraculis disserens strenuus idem Ecclesiæ vindex : « Nemo, inquit, vobis fabulas vendat : Et Pontius facit miraculum; et Donatus oravit, et respondit ei Deus de Cœlo. Primò, aut *falluntur* aut *fallunt* : postremò, fac illos montes transferre : charitatem autem, inquit, non habeant, nihil sunt. Videamus autem utrùm habuerint charitatem : crederem, si non divisissent unitatem (reluctando nimirùm supremæ primorum Pastorum auctoritati). Nam et contra istos, ut sic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus dicens : *In nvoissimis temporibus exurgent Pseudo-Prophetæ facientes signa et portenta ut in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos : ecce prædixi vobis.* » Mox infert : « Ergo cautos nos fecit Sponsus, quia et miraculis decipi non debemus. Teneamus ergo unitatem, fratres mei : *præter unitatem et qui facit miracula nihil est.* » Ex quo iterum textu manifestè habes, venditata adversùs supremam Ecclesiæ auctoritatem miracula quælibet esse floccifacienda. Hinc citato de unit. Eccl. libro n. 50, idem S. Doctor : « Quæcumque, inquit, talia (miracula) in Catholicâ fiunt, ideò sunt approbanda, quia in Catholicâ fiunt; non ideò ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in eâ fiunt : » quæ quidem, auctoritatem Ecclesiæ esse miraculis anteponendam, planè demonstrant. Scilicet ad fundandam primitùs et veluti in incunabulis Ecclesiam, necessaria fuêre miracula : at constitutâ semel et firmiter stabilitâ ipsius auctoritate, tametsi in Catholicâ quà latè patet Ecclesiâ, semper vigeat miraculorum donum : attamen non de Ecclesiâ aut ejus doctrinâ ex miraculis; sed è contra, juxta S. Augustinum loco citato, de doctrinâ quibuslibetve miraculis, etiam iis quæ in Catholicâ fiunt, per Ecclesiam jam ex prioribus mi-

raculis, prophetiis, aliisque credibilitatis motivis, solidè fundatam, evidenterque credibilem factam, pronuntiandum est. « Hæc sunt, inquit ibid. S. Doctor, causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta. » Et rursùs lib. 13 contra Faustum, ex auctoritate petito argumento, jactitantes miracula Manichæos debellans : « Miracula, inquit, non facitis : quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caveremus; instruente nos Domino et dicente : *Exsurgent multi Pseudo-Christi et Pseudo-Prophetæ; et facient signa et prodigia multa ut fallant, si fieri potest, etiam electos : ecce prædixi vobis :* Usque adeò nihil credi voluit adversùs *confirmatam* Scripturarum *auctoritatem.* » Quod hic profert S. Augustinus, non esse attendenda adversùs Scripturæ auctoritatem, miracula; hoc ipsum de catholicâ pronuntiandum Ecclesiâ : *quam sine ambiguitate Scriptura sacra demonstrat.* Ita idem S. Doctor, libro 1 contra Crescon. cap. 33. Itaque in conflictu (si possibilis sit) *veri miraculi* cum *Ecclesiæ auctoritate,* spernendum illud foret ac prætermittendum; huicque tanquàm certæ et immobili fidei regulæ à Christo constitutæ, juxta inconcussam sancti Augustini aliorumque SS. Patrum doctrinam, firmiter adhærendum.

Atque hinc Tertull. lib. 3 contra Marcion. cap. 3, præstitam à portentis hæreticorum fidem, appellat, *temerariam signorum et portentorum fidem :* asseritque spernenda esse, ipsomet præmonente Christo, cuncta ab ipsis jactata miracula, prætensas etiam mortuorum resurrectiones : « Adjicient prætereà, inquit lib. de præscript. cap. 44, multa de auctoritate cujusque Doctoris hæretici, illos maximè doctrinæ suæ fidem confirmâsse, *mortuos suscitâsse,* debiles reformâsse, futura significâsse, uti meritò Apostoli crederentur : *quasi nec hoc scriptum sit,* venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis. » Hincque etiam, de venditatis à novatoribus in suorum errorum confirmationem signis ac portentis, sic generaliter pronuntiat S. Greg. lib. 20 Moral. in cap. 30 Job. n. 16 : « Sancta universalis Ecclesia cuncta eorum (Hæreticorum) opera despicit, quæ ex auctoritate fidei non prodire perpendit. » Addit : « Etiamsi qua fiant Hæreticorum miracula. » Quòd scilicet, uti jam dictum, miracula sint primorum Pastorum auctoritati subordinata, proindeque minimè audienda in concursu et oppositione cum hujusmodi Pastorum auctoritate, quæ tanquàm *suprema, universalis* et *perpetua* veritatis regula, ad quælibet fidem et salutem animarum spectantia, ideòque ipsa etiam miracula, secernenda, ac probanda aut improbanda, à Christo constituta est. Jam verò minor propositio, quòd scilicet, primorum Pastorum longè major auctoritas, et quidem (quod observa) juridicè pronuntians ac definiens, manifestè stat ex parte Constitutionis *Unig.* apertissimè liquet, tùm ex solemni ac expresso quinque continenter summorum Pontificum, integri Cardinalium Collegii, plerumque omnium Metropolitanorum ac Præsulum in acceptandâ dictâ Constitutione consensu; cæteris omnibus (paucissimis in unâ duntaxat Galliâ exceptis) tacitè consentientibus : tùm ex disertâ hanc in rem insigniorum Appellantium confessione, variisque ad hujusce acceptationis et auctoritatis pondus ac robur declinandum excogitatis systematibus : tùm ex frequentissimis, omnique exceptione majoribus eo in negotio testimoniis ac momentis. De quibus vide copiosè dicta inter probationes jam superiùs adductas.

Jactitata ergo in præsenti causâ miracula, nullius sunt ponderis ac momenti. Etiamsi vera forent (quod pernegamus) : hoc ipso quo stabilitæ à Christo Pastorum auctoritati sunt adversa, explodenda sunt, minimèque audienda. Deus Apostolo teste, II ad Timoth. 2, *negare seipsum non potest ;* et qui dixit se cum primis Pastoribus, cùm docerent, *futurum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* Matth. 28, nusquam à partibus eorum stabit, qui sibi in primis Pastoribus, per quos loquitur, et quos loco suî audiri jubet, contradicunt. Vel hoc unicum, ex majori Pastorum auctoritate cui opponuntur prætensa miracula, petitum momentum, prorsùs decretorium est; atque ad elidendas quaslibet adversariorum in præsenti causâ vitiligationes, planè sufficit. Hæcque simplex, facilis, expedita, ipsisque etiam rudioribus proportionata responsio, sola absque prætensorum miraculorum discussione cuilibet fideli sufficere debet : eâque passim adversùs Donatistas utitur sanctus Augustinus, inprimis lib. de Unit. Eccles. n. 48, 49, 50. et Tract. 13 in Joan. n. 17 et 18; verba paulò antè laudavimus.

7°. Accedit et aliud, ad explodenda prætensa miracula, peremptorium pariter, et ut aiunt, *ad hominem* ineluctabile momentum; sic potest proponi : Arctissima est convulsiones inter et jactata miracula connexio ; adeò-

quæ utraque ex æquo suscipienda, tanquàm à Deo profecta; aut ex æquo rejicienda ac explodenda, uti Deo prorsùs indigna, eaque in ipsammet naturam, vel in meram fraudem, aut in dæmonem ipsum referenda: atqui ex dictis et abundè probatis suprà, præsertim n. 3, respuendæ omninò sunt ac explodendæ convulsiones: neque citra insignem in Deum contumeliam, insulsum ac ridiculum istud opus Deo adscribi potest; ergo. Major propositio, arctissimam scilicet occurrere convulsiones inter et prætensa miracula connexionem, jam ex dictis hîc n. 3, apertè constat. Idque insuper insigniores Convulsionum defensores sæpiùs ac invictè statuunt. Hincque, famosos triginta ex numero Appellantium Doctores, consultationis super Convulsionum opere auctores, debellant ac revincunt.

Audiatur auctor scripti cui titulus: *Plan de plusieurs questions*, etc. Sparsis futuræ mox consultationis primis rumoribus, sic pag. 6, aiebat: « La consultation, à coup sûr, donnera les convulsions au démon. Comment répondra-t-elle aux objections des Convulsionistes? La liaison et physique et morale des miracles avec les Convulsions, la naissance au tombeau, sont-ce des difficultés si frivoles? Il faut, d'ailleurs, répondre aux miracles opérés par les ministres des Convulsionnaires, et dans le sein des Convulsions: les attribuera-t-on au diable, comme quelques-uns l'ont fait? Comment parera-t-on aux conséquences de M. de Sens? Quel embarras où l'on s'est jeté! Comment s'en tirera-t-on? » Hincque ingemiscens exclamat: « Quel triomphe pour la Bulle! Quelle victoire pour M. Languet! Quel coup porté à l'appel, aux miracles! Quelle honte pour les Appelans! » Alter aut idem scriptor: *Nouveau plan de Réflex.*, pag. 4 et 5, urgentiùs adhuc instat ac premit Consultores his verbis: « La naissance des Convulsions au tombeau (Diaconi S. Medardi), par la vertu du tombeau et du sein des miracles, est assurément un caractère d'une grande force en faveur des Convulsions. Les Anti-Convulsionnaires l'ont bien senti. Quels efforts n'ont-ils pas faits pour éluder ce caractère? » Et paucis interjectis: « Dans une œuvre aussi étonnante que celle des Convulsions, est-il rien de plus important, de plus décisif que de remonter à la source? Où cet événement est-il né? En quelles circonstances, à quelle occasion? Cela décide. M. de Sens et Dom la Taste se servent de l'origine des Convulsions au tombeau pour en conclure contre le tombeau lui-même. Les Consulteurs unissent leurs cris à celui de ces deux auteurs, et ils n'osent dire un mot du tombeau... En adoptant le principe de M. Languet, ils semblent lui dire d'une voix tonnante par leur silence même, qu'ils lui passent toutes ses conséquences. » Subdit: « La liaison des Convulsions et des miracles est un nouveau caractère dont on sent aisément toute la force..... Des miracles sans nombre ont été opérés sur des Convulsionnaires par le moyen des Convulsions, ou par le ministère des Convulsionnaires sur les malades. » Ita, ex unitate ejusdem *originis, cultûs, finis*, necnon eorumdem *effectuum*, arctam miraculorum et convulsionum connexionem, clarè adstruit prædictus auctor.

Rem disertiùs statuit ac firmat illustris apud convulsionum vindices auctor Scripti sub hoc titulo: *Exposition du sentiment des Théologiens défenseurs de l'œuvre des Convulsions.* Is triginta Consultores validissimè exagitans, ait pag. 7: « Leur Consultation ôte toute force (aux miracles). Il faut de toute nécessité qu'ils renoncent aux miracles ou à leur principe. La preuve en est évidente. Point de mélange dans les œuvres divines et surnaturelles, au moins dans les extraordinaires: c'est le principe. Or les Convulsions forment un tout, une même œuvre avec les miracles opérés sur le tombeau de M. de Pâris. D'une autre part, les Convulsions, selon le sentiment des Docteurs (consultans), sont indignes de Dieu. Donc les miracles le sont aussi, et on doit les attribuer à l'imposture, ou les regarder comme des prestiges du démon. » Sic Consultores ex ipsismet eorum principiis ac verbis urget Convulsionum assertor: additque continuò: « Tel est l'argument invincible dont M. de Sens s'est déjà servi, et qu'il fera valoir dans toute sa force, contre ceux qui prétendent retenir les miracles en abandonnant les convulsions. » Et reipsâ ineluctabile istud est ratiocinium, quo illustrissimus Senonensium Archiepiscopus, in suis super miraculis Instructionibus, Appellantes debellavit ac convicit. Instat Convulsionum defensor, indissolubilem convulsionum cum miraculis connexionem ibidem clarissimè demonstrans: « En vain, inquit, les Docteurs (consultati auctores) nieront-ils cette liaison des miracles aux Convulsions. On leur répondra qu'elle est évidente, et que toute la terre la voit, excepté eux. On leur dira qu'ils l'ont vue eux-mêmes, avec tous les autres, dans le commencement,

On leur fera remarquer, que les Convulsions sortent du même tombeau, de l'application des mêmes Reliques, de la même invocation, d'où sont nés et sortis les miracles.

On leur soutiendra que plusieurs d'entre ces miracles, et peut-être le plus grand nombre, ont été accompagnés, précédés ou suivis de Convulsions; et que très-souvent les convulsions ont influé directement dans les miracles mêmes.

On ajoutera que de très-grands miracles ont été opérés sous la main de personnes en convulsion, après même avoir été annoncés et prédits; que les Convulsionnaires se sont chargés des maux de plusieurs malades d'une manière qui tient visiblement du miracle, et qu'en conséquence ces malades ont été guéris. »

Et rursùs, paucis ista omnia complectens: « Ce qui forme vraiment la liaison de deux choses, inquit pag. 8, c'est l'unité de principe et d'origine. *L'origine, le berceau des convulsions est le même que celui des miracles: c'est le tombeau et l'invocation de M. de Pâris. Cela est certain:* » paulò anteà dixerat: « *Cela est évident:* tout *le monde le voit,* etc.; » subdit: « Mais non-seulement les Convulsions sont liées aux miracles par une origine commune: on voit sortir plusieurs grands miracles des Convulsions mêmes. » Paria tradunt illustriores Appellantium scriptores, inprimis auctor *Observat. sur l'origine et le progrès des Convulsions*, pag. 5, etc. Hæc sanè, ad mutuam et arctissimam Convulsionum et miraculorum connexionem declarandam, apertissimæ totidem sunt ac inexpugnabiles probationes. Hincque laudatus suprà illustriss. Parisiensis archiepiscopus, Mandato Pastorali super prætensis Diaconi S. Medardi miraculis, vel ex ipsâmet insigniorum Appellantium narratione, de præfatâ connexione sic habet pag. 87: « Cette liaison est trop sensible, pour qu'après de sérieuses réflexions, on puisse la contester de bonne foi. Les Convulsions n'ont-elles pas la même origine que les miracles? Ne sont-elles pas nées comme de leur sein? N'en ont-elles pas, dit-on, produit à leur tour un grand nombre? Ne sont-elles pas le fruit d'un même culte? Ne tendent-elles pas à la même fin? N'ont-elles pas eu les mêmes suites et occasionné les mêmes effets? »

Vera itaque ac indubitata, vel ex ipsismet Appellantium coriphæis, major propositio: arctissimam scilicet esse convulsiones inter et prætensa miracula connexionem: utraque proindè aut ex æquo suscipienda, tanquàm à Deo profecta; aut ex æquo rejicienda ac explodenda, uti Deo prorsùs indigna; eaque ipsi meræ naturæ, vel fraudi, vel dæmoni adscribenda. Minor verò argumenti propositi, nempè convulsiones omninò explodendas esse, neque citrà insignem contumeliam Deo adscribi posse, clarè liquet ex dictis suprà citato n. 3, idque evidentissimè adstruunt, omnique argumentorum genere confirmant celeberrimi ex Appellantibus triginta Doctores consultationis super convulsionibus auctores; undè pag. 29, sic suum concludunt opus: « Après ce que nous venons de dire, *il est évident* que l'on n'a plus rien à attendre pour juger des Convulsions. *Tout réclame contre.* La majesté de Dieu, la sainteté de son culte, l'honneur de l'Église, la pureté des mœurs, l'honnêteté publique, le bon ordre, le maintien des règles, exigent de tous ceux qui s'intéressent au bien de la Religion, qu'ils concourent avec zèle, autant qu'il est en eux, à faire cesser un scandale qui a duré trop long-temps, et une illusion qui ne peut avoir que des suites funestes.... *Les Convulsions ne sont point l'œuvre de Dieu:* et ce prodige de nos jours, autorisé par une admiration mal placée, *doit être livré à tout le mépris qu'il mérite.* Puisse-t-il être à jamais oublié! » Ergo, cùm ex unâ parte, juxta demonstrativa Convulsionistarum Doctorum adversùs Consultores momenta, arctissima sit et indissolubilis convulsiones inter et miracula connexio: ex alterâ verò parte, consultationis auctoribus adversùs Convulsionistas pariter demonstrantibus, convulsiones prorsùs explodendæ sint, nec citrà impietatem, Deo supernaturaliter operanti, adscribi possint: inde necessariò ac apertissimè consequens explodenda quoque esse miracula, neque ea in Deum auctorem ullatenùs posse refundi. Sicque in sese divisi Appellantes, semetipsos mutuò confodiunt ac jugulant, propriisque armis atque principiis à se invicem invictè stabilitis expugnantur pariter ac debellantur. *Regnum in se divisum*, pronuntiante Christo, *non stabit*.

Ex dictis hùc usque in solutione præsentis argumenti, manifestè liquet, venditatas intolerantiùs convulsiones, ipsaque tantoperè jactata miracula, nullius omninò momenti esse ad inconcussam Clementinæ Constitutionis auctoritatem infirmandam, aut ad Appellantium causam ullatenùs juvandam. Quin addo;

vel hoc etiam unico, magis ac magis clarescit Bullæ auctoritas; funditùs disjicitur provocationis causa, ipsique prosternuntur, contunduntur, ac penitùs atteruntur Appellantes. Ratio est apertissima: enimverò, falsa dicenda est et exitiosa causa illa quæ diabolicis fulcitur, fovetur, commendatur prodigiis ac portentis; vera autem et salutifera, quæ iisdem impugnatur: certior est ista propositio, quàm ut probatione indigeat. Atqui jactata ab Appellantibus convulsiones et miracula, ad detrahendum auctoritati Bullæ, et ad promovendam ac disseminandam ab ipsâ provocationem fiunt: uti ex origine et centro ad tumulum et invocationem Appellantis clarè liquet, et fatentur adversarii: aliunde convulsiones, ut patet ex 30 Consultoribus, utpotè Deo prorsùs indignæ, si supernaturales, dæmoni adscribendæ: proindeque et ipsa etiam cætera Appellantium miracula: cùm, ex Convulsionistarum Doctoribus, et insuper ex apertè probatis suprà, hæc inter et convulsiones arctissima sit connexio. Splendescit ergo ac emicat Bullæ auctoritas: ipsi proteruntur Appellantes, eorumque causa ab imis subruitur fundamentis: idque vel ex ipsismet portentis ac prodigiis in quibus novissimam desperatæ causæ spem collocârant.

Hoc ipsum significantioribus verbis describit, ac dolenter ingemiscendo advertit, insignis auctor citatus: *Exposition du sentiment des Théologiens sur l'œuvre des Convuls.* Sic habet pag. 10: « Qu'on y fasse donc attention, et qu'on remarque avec étonnement la voie que tracent ici les Docteurs (consultationis auctores) à M. de Sens pour se débarrasser de tous les miracles.... *Il fera voir sans peine* que les miracles que nous défendons, et qui ont été opérés par les convulsions, sont aussi certains et aussi grands que ceux que les Docteurs reconnaissent avoir été opérés sans convulsion; et *il montrera que, si les Docteurs* (Consultans) *sont en droit de rejeter les uns, parce qu'ils sont liés aux convulsions, il n'est pas moins en droit de rejeter les autres, parce qu'ils sont liés à la cause de l'appel.* » Exclamant: « Est-ce injustement que nous accuserons ici nos confrères d'avoir livré imprudemment à l'ennemi la cause commune, la cause de la vérité? » Et pag. 11, triginta Doctorum, dæmoni convulsiones, si vires naturæ superent, adscribentium doctrinam confutans: « *C'est précisément,* inquit, le raisonnement que fait M. l'Archevêque de Sens contre les miracles, et il *n'a pas moins de force* dans sa bouche *contre tous les miracles qu'il attaque*, qu'il n'en a dans celle des Docteurs contre les miracles opérés par les Convulsions, ou par les Convulsionnaires. *Comment donc seront-ils en état de lui répondre, et de prendre contre lui la défense des miracles?* » Et rursùs expressissimè pag. 13 et 14: « Les XXX Docteurs, au lieu de se mettre en état de défendre solidement les miracles contre M. de Sens, *lui fournissent partout des armes*, et se livrent à lui sans s'en apercevoir, par les préventions où ils sont contre les convulsions. Ils rejettent, et ils apprennent à rejeter par principe les miracles opérés par les convulsions ou par les convulsionnaires, parce qu'*ils sentent bien la liaison indissoluble de ces miracles avec les convulsions.* » Addit: « Mais les autres miracles ne sont pas plus grands que ceux-ci, *et ne sont pas moins liés en général avec l'œuvre des convulsions*, qui fait une portion considérable de l'œuvre même de S. Médard. *Pourquoi donc, en suivant les mêmes principes, ne rejetterait-on pas tous les miracles de S. Médard, à cause des convulsions qui y sont liées*, et qui sont un signe, dira-t-on, pour discerner ces guérisons des véritables miracles? M. l'Archevêque de Sens donnera des convulsions l'idée que s'en forment les XXX Docteurs: *il s'appuiera sur la consultation comme sur un fondement inébranlable, qui ne doit pas être suspect, dira-t-il aux Appelans: et de là il triomphera, il les confondra, il se vantera de les avoir écrasés.* » Hæc improvidè omninò præfatus auctor, quibus et ipse causam suam apertè prodit: eamque pariter à suis palàm desertam fuisse ac proditam, aperit et manifestat. Atque hîc mirari subit arcana et altissima divinæ Sapientiæ consilia, investigabilesque vias ejus. Prætensa Appellantium miracula, totaque eorum causa, quasi abolita est et extincta, eoque ipso in tumulo condita, in quo firmissimum et invictum toti huic suæ causæ præsidium ipsimet reposuerant Appellantes; indeque magis magisque enituit resplenduitque Bullæ auctoritas. Sanè *digitus Dei est hîc.* Lux è tenebris orta est: salus ex inimicis nostris. *Dixit Deus de tenebris lumen resplendescere.* Consule illustriss. Senonens. Archiepiscopum hoc de argumento egregiè disserentem in suo præsertim an. 1734 *super miraculis* Pastorali Documento, necnon in adjectis instar appendicis ad Documentum illud observationibus.

Unum jam superest minimè prætermittendum, quod secundâ parte præfati documenti

advertit laudatus mox doctissimus Archipræsul: nimirùm enatas videri Convulsiones, Deo ita permittente, in vindictam obfirmatæ adversùs Episcopalia Mandata contumaciæ. Scilicet ex quo per Ecclesiam Præsules, inprimis ab illustriss. Parisien i Archiepiscopo interdictus fuit solemni Mandato die 15 julii 1731, cultus Diaconi S. Medardi D. *Paris:* qui detrectatâ pertinaciter obedientiâ, cultui illi obstinatè adhæsère, in reprobum traditi sensum: laxatæque dæmoni habenæ. Hinc stupendæ ac tanto numero exortæ convulsiones: hinc fanaticæ illæ prophetiæ in nocturnis conventibus Convulsionariorum, nugis, fabulis, ipsis etiam conviliis, obscœnitatibus, blasphemiis, impietatibus refertæ ab arreptitiis viris et mulieribus emissæ: hinc tandem Babelica illa confusio quæ ipsos Appellantes inter se commisit, hostilesque in se invicem discordias concitavit. Alii *rigidiores*, cunctas indiscriminatim, uti supernaturales ac divinas suscipiunt ac prædicant convulsiones; alii *mitiores* dicti, discernendum putant, easque duntaxat convulsiones Deo auctori esse adscribendas, in quibus nihil communibus ac consuetis regulis occurrit adversum: alii *Naturalistæ* nuncupati, volunt convulsiones omnes, jactatasque morborum curationes, uni naturæ esse tribuendas. Alii candidiores inter ipsos ac prudentiores disertè confitentur convulsiones, si supernaturales sint, in dæmonem ipsum esse referendas. De his meritò dixeris cum S. Augustino: *Videte in quot frusta divisi.* Horum discordias et dissidia latè recensent, eorumque insulsa placita doctè exagitant præfatus Senonens. Archipræsul, locis modò laudatis, necnon laudatus suprà Epistolarum Theologicarum auctor. Ut dicta hactenùs de æquitate et auctoritate Bullæ, nobili coronide absolvamus, egregium Eminentissimi Cardinalis Lambertini (SS. Pontificis Benedicti XIV) testimonium, ex præclaro æquè ac pereruditо *super canonizatione Sanctorum* opere depromptum, duximus hîc adjiciendum. Scilicet, tomo 4, cap. 7, narrat, datâ occasione scenicas planè convulsiones in cœmeterio S. Medardi civitatis Parisiensis, ad tumulum Diaconi D. *Paris* habitas; pluries interpositas ab eodem Diacono Bullæ *Unig.* ad generale Concilium provocationes; necnon prætensa ad prædictum tumulum ejus invocatione patrata miracula: tùm varia Episcoporum ac summorum Pontificum hâc in re gesta et statuta refert: inprimis latum die 22 Augusti 1731 Decretum, quo à Clemente XII, prævio consilio Congregationis sacræ Inquisitionis, libellus inscriptus: *Vie de M. de Pâris, Diacre, etc.*, proscribitur tanquàm continens propositiones et assertiones « falsas, piarum aurium offensivas, scandalosas, auctoritati tùm sanctæ Sedis Apostolicæ, summique Pontificis, tùm Ecclesiæ et Episcoporum, præsertim Gallicanorum, injuriosas, temerarias, impias, hæreticis faventes, erroneas, atque etiam schismaticas et hæreticas, et hæretico spiritu plenas. » His porrò latè deductis, sic demùm concludit: « Totus et universus (prædicti libelli: *Vie de M. de Pâris*, etc.) contextus eo unicè collimabat, ut homo Apostolicæ Sedi refragans, *schismaticus hæreticus*, acerrimus impugnator Constitutionis, quæ incipit *Unig.* pertinax Jansenistarum assecla, falsis ipsi attributis miraculis, imaginem solidæ virtutis et sanctitatis præ se ferret. *Sanctè ergo et prudentissimè* suprà memorati Episcopi Gallicani *abstinuerunt à sumendis informationibus juridicis: et sanctè ac prudentissimè, insano, scandaloso et temerario cultui obstiterunt.* » Non minùs diserta hanc in rem ac luculenta sæpiùs alibi statuit, præsertim Epistolâ Ebredunensis Synodi commendatitiâ, ad Illustriss. Ebredunensem, nunc Eminentiss. Cardinalem et Archiepiscopum Lugdunensem datâ 31 octobris 1731, quæ quidem omnia à nobis huc usque asserta circa æquitatem, canonicitatem et auctoritatem Bullæ *Unig.* necnon circa vulgata ab Appellantibus miracula, mirum in modum confirmant.

§ 3. *Aperitur Bullæ* Unig. *natura genuinusque character.* — Tametsi plures insigniores Quesnelli Sectatores, judicii dogmatici nomen et characterem, minimè denegent Constitutioni *Unig.*, nonnulli tamen sunt apud ipsos, etiam non ignobiles, qui dictæ Bullæ titulum hunc adscribere præfractè detractent: quòd scilicet, nullum dogma distinctè definiat, nullumve errorem clarè proscribat; quod cuilibet veri nominis dogmatico judicio essentiale esse prætendunt. Undè, inquiunt, præcipuæ hujus ac maximè necessariæ conditionis defectu, Bulla nec est, nec usquam evadere potest dogmaticum Ecclesiæ judicium accedente etiam expressâ Corporis Episcopalis acceptatione. Ita celebris ex Quesnellistis auctor libri cui titulus: *La vérité rendue sensible*, art. 7, q. 3, necnon *Recueil des difficultés des Théolog. de France sur la Constit.* pag. 376, 2 édit. 1726. *Mémoire où l'on examine si l'appel interjeté par 4 Evêques est légitime*, pag. 86. 87. etc. Hincque iidem

Quesnelli asseclæ Bullam ablegant ad meram *disciplinæ, politiæ, cautionis, œconomiæ* legem ac regulam, quæ nil credendum proscribendumve proponit aut exigit ; nec perversam propositionum doctrinam respicit, sed illarum duntaxat usum, quem propter imminentes jam abusus, aut ne novi motus et dissensiones exoriantur, ad tempus prohibet: hisque cessantibus abusibus, sedatis motibus, animisque pacatis, easdem, juxta ipsos, licebit propositiones defendere, iisque uti.

Ad hanc Quesnellistarum doctrinam proximè accedunt molliores quidam acceptantes, meliùs dixeris verè dissidentes, qui Bullæ *Unig.* uti meræ legi disciplinæ adhærent. Ii certè debitum Apostolico huic Decreto interiorem mentis assensum recusant ; ac proindè Decretum illud interiùs et reipsâ explodunt, dùm exteriùs ei adhærere profitentur. Hoc ipsum notat vel ipsemet auctor Responsi ad primum Pastorale Illustrissimi Suessionens. Episcopi Documentum, parte 4, cap. 7, ubi hanc prætensorum Acceptantium doctrinam multis improbat, tanquàm christianæ sinceritati, nativoque Propositionum Quesnelli sensui planè adversam ; ac demùm n. 13 concludit his verbis: « Il est clair que certains Acceptans mitigés, qui, sentant bien qu'on ne peut condamner ces Propositions (de Quesnel) dans le fond, se retranchent à dire que la Bulle n'est sur ce point qu'une loi de langage; s'écartent entièrement de l'esprit et de la lettre de la Bulle, *et lui donnent contre l'évidence et la bonne foi* un sens tout contraire à celui qu'elle doit avoir naturellement ; quand on la prend simplement, de bonne foi, et par opposition au vrai sens du livre et des Propositions du P. Quesnel. » Ut autem hanc Quesnellistarum, et prætensorum molliorum Acceptantium doctrinam refellamus, genuinamque Bullæ naturam, propriumque ipsius characterem statuamus, sit

CONCLUSIO. Bulla *Unig.* non est mera *disciplinæ, politiæ* ac *cautionis* lex; sed verum ac propriè dictum judicium dogmaticum. Manifestissimè constat conclusio, omnimodis tùm intrinsecis, tùm extrinsecis momentis: atque ut in ingenti eorum, quæ sese certatim offerunt ad gravissimum istud caput demonstrandum copiâ, brevitati simul et perspicuitati studeamus, illustriora duntaxat seligemus momenta, eaque summatim attingemus.

Probatur itaque 1° ex luculentissimis, omnique exceptione majoribus, suprà recensitis eâ de re momentis. Primò, quinque Romanorum Pontificum sibi ex ordine in Sede Apostolicâ succedentium. Secundò, sacri totius Cardinalium Collegii. Tertiò, trium Synodorum in causâ Quesnelli habitarum ; Romanæ præsertim Synodi, cui præsidente Benedicto XIII, frequentissimus adfuit Præsulum numerus. Quartò, Gallicanorum Præsulum in plerisque Comitiis, Mandatis ac Documentis Pastoralibus. Quintò, Orbis catholici Metropolitanorum et Episcoporum, quorum omnium quamplurima, totâ passim istâ disputatione, laudavimus testimonia : ex quibus clarissimè liquet Bullam *Unig.* non ut meram *politiæ et disciplinæ* legem, sed veri nominis *dogmaticum judicium*, à summis Pontificibus, Cardinalibus et Episcopis, publicè agnitam fuisse ac solemniter declaratam.

His cohærenter sacra Facultas Parisiensis, solemni suo an. 1729 super acceptatione Constitutionis *Unig.* Decreto, die 15 decembris lato, conceptis verbis pronuntiat : « Constitutionem sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ XI, datam die 8 septembris an. 1713, quæ incipit *Unig. Dei Filius,* summâ cum reverentiâ, et integro cordis et animi obsequio, se iterùm et de novo amplecti *tanquàm dogmaticum Ecclesiæ universalis judicium.* » Ac dein in refractarios decernit exclusionis è suo sinu pœnam *ipso facto* incurrendam. Solemne verò istud ac gravissimum Decretum pluries exindè à sacro Ordine firmatum, summis plausibus exceptum fuit et probatum ab omnibus tam *domesticis*, quàm *exteris Universitatibus* et *sacris Facultatibus* ad quas directum fuit : illud etiam summo consensu probavêre *Episcopi, Archiepiscopi* et *Cardinales* Gallicani. Accessit et ad cumulum Apostolica *Clementis XII* approbatio, *Brevi* 16 januar. 1731 ad S. Facultatem Parisiensem dato. Quæ omnia adductis suprà expressis testimoniis evicimus. Ex his sic potest colligi : Ea Constitutio habenda est *dogmatica* Ecclesiæ lex ac definitio, quam uti talem constanter agnoscunt ac prædicant SS. Pontifices, Cardinales, Synodi eâ de re habitæ, Gallicani Præsules variis in Comitiis et Mandatis Pastoralibus, denique orbis catholici Motropolitani suis expressè aut tacitè consentientibus Suffraganeis : plaudentibus insuper tam domesticis, quàm exteris sacris Facultatibus. Certa est et indubitata ista propositio : tantæ siquidem SS. Pontificum, Cardinalium, Synodorum, Præsulum auctoritati et Decretis ; necnon tot celeberrimarum S. Facultatum doctrinali judicio, suum in re ad Religionem pertinente, exæquare,

imò et anteponere privatum judicium, *apertissimæ profectò foret insaniæ, vel intolerandæ temeritatis ac præcipitis arrogantiæ.* Atqui ex dictis, Bulla *Unig.* non ut mera disciplinæ lex, sed ut *dogmatica* definitio, à summis Pontificibus, Cardinalibus, Synodis, Præsulibus, agnita fuit ac declarata : plaudentibus insuper et suffragantibus tùm domesticis, tùm extraneis Academiis et sacris Facultatibus ; ergo. Vel hoc unum momentum invictè adstruit, Bullam *Unig.* non esse *meram disciplinæ legem,* sed veri nominis *dogmaticam* Constitutionem. Vide suprà propositum ex auctoritate et præscriptione argumentum, quod ad præsens nostrum institutum referri facilè potest et accommodari.

Probatur 2°, ex scopo, contextu et notis seu qualificationibus quibus in pronuntiato Bullæ configuntur propositiones. Et quidem primò, scopus exprimitur his verbis, quibus S. Pontifex de perniciosâ libri *Reflexionum moralium* doctrinâ loquens sic habet : « Ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes,...... nihil opportunius aut salubrius præstari à nobis posse arbitrati sumus, quàm si *fallacem libri doctrinam* generatim solummodò à nobis hactenùs indicatam, *pluribus singillatim, ex eo excerptis Propositionibus, distinctiùs et apertiùs explicaremus,* atque universis Christi Fidelibus *noxia zizaniorum semina* è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus : » Subdit : « Ita nimirùm desudatis, et quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, *sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, tùm etiam novè adimpletis erroribus,* planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem APERTÆ JAM MANIFESTÆQUE VERITATI CEDERE COMPELLANTUR. » En summi Pontificis in ferendâ Bullâ scopus ; « fallacem, scilicet, libri Reflex. moral. doctrinam, pluribus singillatim ex eo excerptis propositionibus, *distinctiùs et apertiùs* explicare » ac configere ; atqui Bulla quâ fallax libri doctrina distinctiùs explicatur ac configitur, nonnisi insulsè diceretur meræ disciplinæ lex ; ergo.

2° Bullæ contextus non minùs clarè ostendit Constitutionem hanc verè esse dogmaticam : ex ipsâ enim damnatarum Propositionum inspectione cuique manifestum est, illas ad dogmatis substantiam maximè pertinere: agitur siquidem in iis, ut in suâ ad *Benedict. XIII* pro obtinendâ 12 *Articulorum* approbatione Epistolâ, aiebat Eminentissimus Noallius, « de necessitate fidei in Mediatorem Christum; de Christi morte, ac Dei voluntate pro salute omnium hominum; de necessitate, potentiâ ac gratuitâ dispensatione Salvatoris Jesu : quid denique de regulis observandis in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sentiendum sit tenendumve. » Quæ quidem omnia summa fidei christianæ capita medullitùs spectare, nemo non videt. 3° Ipsum etiam Bullæ scitum seu judicatum, notasque et qualificationes ibidem usurpatas, luculenter ostendunt, ad veram disciplinæ aut œconomiæ legem, Bullam minimè posse ablegari : « Omnes et singulas Propositiones præinsertas tanquàm *falsas, captiosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias,* Ecclesiæ et ejus praxi *injuriosas,* neque in Ecclesiam solùm, sed et in Potestates seculi *contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi ac hæresim ipsam sapientes, necnon hæreticis et hæresibus faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas,* ac demùm etiam *hæreticas,* variasque hæreses, et potissimùm illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, *et quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt,* acceptis, continentur, *manifestè innovantes,* respectivè hâc nostrâ *perpetuò valiturâ* Constitutione declaramus, damnamus, reprobamus. » Tot ac tam graves notæ, inprimis *erroris et hæreseos,* dogmaticam Bullam apertè indigitant ; neque in meram cautionis et œconomiæ legem hujusmodi qualificationes ullatenùs cadere possunt. Sive ergo Bullæ proœmium spectes, sive contextum ejus, ipsasque damnatas Propositiones ; sive denique modum, seu notas sub quibus in judicato configuntur dictæ Propositiones, nemo inficiari potest, dogmatici Decreti titulum Constitutioni *Unigenit.* propriè esse adscribendum.

Probatur 3° ex genuinis judicii dogmatici characteribus, qui omnes Constitutioni *Unig.* apprimè conveniunt. 1° Aliquid credendum proponit: nempe, « nullam esse ex damnatis Propositionibus, quæ non mereatur saltem aliquam è censuræ notis quæ in Bullâ exprimuntur; » et vice versâ, « ex assignatis nullam esse, quæ ad minimum alicui non competat propositioni. » Vide suprà, hanc in rem Comitiorum 1713 verba. 2° Judicium est prorsùs inviolabile : *hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione,* inquit Clemens XI, idque ex priori spontè fluit. 3° Judicium est universale ad omnes directum Ecclesias et Fideles; liquet ex ipsâmet Bullæ inscriptione : *Universis Christi*

Fidelibus, etc., necnon ex his judicati verbis : *Mandantes omnibus utriusque sexûs Christi Fidelibus*, etc.

4° Habet pro objecto, non meras voces, sed perversam Quesnelli doctrinam : hancque in 101 Propositionibus ex *Reflex. moral.* libro excerptis contentam, sub gravissimis censuris damnat ac reprobat. « Omnes et singulas Propositiones præinsertas, inquit S. Pontifex, ex prædicto libro (Reflex. moral.) excerptas, tanquàm falsas... erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas; ac demùm etiam hæreticas... hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione declaramus, damnamus, reprobamus. » Quis ita cæcutierit ut vel in hoc uno charactere, naturam judicii dogmatici non inspiciat? 5° Judicii dogmatici veritas propugnari nequit aut impugnari, nisi ad Scripturam, Traditionem, aut ad ea quæ cum iis necessariò connexa sunt recurrendo; atque, discussionis aut præscriptionis viâ, ostendendo Decretum illud prædictis regulis adversari aut consentire : porrò qui præfatam Bullam propugnant, nituntur ipsius consensione cum Scripturâ et Traditione : qui verò eam impugnant, ejusdem oppositionem cum immotis hisce fidei nostræ regulis prætendunt : quemadmodùm ex Documentis Pastoralibus, Mandatis, aliisque quampluribus scriptis ex utrâque parte editis, manifestum est: ergo. Quinque ergo characteres qui judicio assignantur dogmatico illudque constituunt, iidem Constitutioni *Unig.* competunt : ipsa proinde vera est lex dogmatica, verum judicium dogmaticum.

Probatur 4° ex disertissimâ ipsorummet insigniorum Appellantium eâ de re consensione. Ita significantioribus verbis ipsemet Appellantium dux ac coryphæus Quesnellus pluribus in locis; *quatuor Episcopi* in suo primæ an. 1717 et iteratæ an 1720 provocationis instrumento : *septem Præsules* Epist. ad Innoc. XIII an. 1721; ita etiam celeberrimi apud Quesnellistas auctores scriptorum quibus tituli : *Renversement de l'Église de France : Réponse au Premier avertissement de M. l'Evêque de Soissons : Du Témoignage de la vérité;* aliique plures, quorum testimonia suprà latè exscripsimus. Hi autem textus nullo certè effugio, nullâve tergiversatione eludi possunt aut obscurari, adeò clari sunt in rem nostram et aperti. In his totidem verbis asseritur, *per eam,* (Bullam *Unig.*) *primum Symboli de omnipotente Dei voluntate dogma; primum et maximum amoris Dei Mandatum destrui fidem, morum principia, disciplinam labefactari Ecclesiasticæ Hierarchiæ fundamenta, sacrosancta Episcoporum jura convelli, sacrosanctum Scripturæ et Traditionis sermonem proscribi totam denique everti ac funditùs subrui Religionem.* Quæ quidem, uti manifestissimum est, erroneum quidem, at propriè dictum, et veri nominis judicium dogmaticum clarè significant : neque in meram *disciplinæ, politiæ, œconomiæ, cautionis*, legem ac regulam, quæ nihil ad credendum proscribendumve proponit aut exigit, nec perversam Propositionum doctrinam respicit, sed illarum duntaxat usum ad tempus prohibet, ullatenùs cadere possunt. Hinc inter Appellantium Magistros percelebris (D. Petit-pied) auctor laudati mox responsi ad primum illustrissimi Suessionensium Episcopi, parte 4, cap. ultimo, n. 4 et seq. ex professo docet ac luculenter probat, Bullam *Unig.* nonnisi inscitè ac abusivè spectari posse ut meram *disciplinæ, locutionis* et *œconomiæ* legem : famosi hujus Doctoris verba, cùm rem nostram planè conficiant, transcribere juvat.

« La Bulle, inquit citato loco, ne peut jamais être réduite de bonne foi à une simple loi de discipline. Les termes mêmes de la Bulle, et les qualifications que le Pape y emploie dans la censure des 101 Propositions, sont entièrement incompatibles avec l'idée qu'on s'efforcerait en vain d'en donner, comme d'une simple règle de langage. Le Pape y déclare nettement qu'il s'agit de Propositions *hérétiques, impies, blasphématoires, de doctrine artificieuse et fausse, de dogmes dangereux, de maximes séduisantes et contagieuses, d'erreurs pernicieuses, dont les unes sont déjà condamnées, les autres inventées depuis peu.* » Mox addit notanda hæc verba : « *Il faudrait avoir perdu l'esprit pour s'exprimer de la sorte, si on n'avait prétendu faire qu'une règle de discipline, et une simple loi de langage.* » Infert ibidem : C'est donc éluder la Bulle, et non l'accepter; c'est l'expliquer de mauvaise foi, contre l'intention du Législateur et contre les termes de la loi; en un mot, *c'est se moquer du Pape, et non le respecter*, que de vouloir, *en réduisant la Bulle à une simple loi de discipline, y donner un sens si évidemment contraire à celui que les paroles présentent à l'esprit.* » Pergit : « Joignez à cela toutes les circonstances de l'affaire présente, l'état des disputes qui partagent les Théologiens et des contestations qui troublent l'Église; le caractère des propositions condamnées, les explications qu'on y donne, les erreurs qu'on prétend être l'objet de la censure du Pape : *il est aisé de voir qu'il ne s'agit point simplement de mots, d'expressions, de locutions*

dogmatiques; mais du fond même de la doctrine dans des points très-importans. Et quoique les erreurs sur lesquelles, en expliquant la Bulle, on tâche de faire tomber la censure soient pour la plupart des erreurs chimériques que personne ne soutient, cependant cette attention même injuste qu'on a, et la peine ridicule qu'on se donne pour imaginer dans les 101 Propositions des erreurs qui regardent le fond du dogme, font assez voir qu'on ne prétend point faire passer la Bulle pour une simple loi de discipline, mais pour une règle de doctrine. » Paucis interjectis, concludit : « Mais la Bulle sera toujours ce qu'elle est, *ce sera toujours un Décret dogmatique,* mais un Décret faux et trompeur qui ne peut que conduire à l'erreur quand on le prend dans son sens propre et naturel. » Ita insignis ille Quesnellistarum magister : ubi congestis momentis, ex constitutionis *scopo, contextu, naturâ propositionum damnatarum, ipsisque* quibus configuntur propositiones *qualificationibus;* necnon *ex statu controversiæ,* atque ex variis Appellantium, Acceptantiumve *motivis* ac *expositionibus;* paucis quidem, at nervosè demonstrat, non de meris vocibus ac locutionibus moveri controversiam in Bullâ, sed de ipsâmet, et quidem in punctis capitalibus, dogmatis substantiâ : adeòque Bullam hanc verè esse dogmaticam; nec nisi insulsè ac ineptè ad meram disciplinæ et locutionis legem ablegari : « Il faudrait avoir perdu l'esprit, inquit, pour s'exprimer de la sorte (uti Pontifex in Bullâ), si on n'avait prétendu faire qu'une règle de discipline et une simple loi de langage. C'est éluder la Bulle et non l'accepter; c'est se moquer du Pape et non le respecter, que de parler ainsi. » Et rursùs : judicii dogmatici titulum Bullæ invictè asserit idem auctor, ex his S. Pontificis in pronuntiato verbis : « Mandantes omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus ne dictis propositionibus *sentire,* docere, prædicare aliter præsumant quàm in hâc eadem nostrâ constitutione continetur; ita ut quicumque, » etc. In quæ Bullæ verba sic habet ibid. n° 5° : « Enfin le Pape défend, vers la fin de sa Bulle, de *penser,* d'enseigner, de prêcher autrement qu'il n'est porté par la Constitution. Il s'y agit donc *de sentimens,* d'enseignemens, d'instructions, et, *par conséquent, de propositions dogmatiques,* et non pas de régler simplement l'usage de certaines expressions Théologiques. » Decretoria sanè hæc probatio : enimverò, lex sentiendi verum est, ex omnibus, dogmaticum decretum : atqui Constitutio *Unig.* lex est et regula sentiendi : respicit enim interiores animi sensus, vetatque *omnibus Christi fidelibus ne aliter sentire præsumant, quàm in hâc eâdem Constitutione continetur;* ergò, etc. Percelebris hujusce Appellantis (D. Petit-pied) prolixiorem textum exscripsimus; quod scilicet ibi Bullam *Unig.* verum esse dogmaticum judicium egregiè statuat ac firmet. Plurimùm porrò ad veritatem conducit, vel ipsis adversariorum armis hanc tueri ac munire.

Probatur denique 5°. Tam Bulla *Unig.* nuncupari potest ac debet lex dogmatica, quàm decreta Concilii Constantiens. adversùs Wicleff. et Joan. Hus, Bullæ Leonis X. adversùs Lutherum, Pii V. Greg. XIII. Urbani VIII. adversùs Baium, Innocentii XI. adversùs Molinos. Innocentii XII. adversùs librum cui titulus : *Maximes des Saints, etc.* In istis etenim Decretis et Bullis quemadmodùm et in Bullâ *Unig.* plurimæ damnantur propositiones *in globo,* ut aiunt, sub variis *respectivè* notis : quin et in Bullâ Innocent. XII non apponitur *hæreseos* nota, quæ cum aliis qualificationibus in præsenti contra *Reflex. moral.* Bullâ reperitur : atqui fatentibus etiam adversariis, prædicta Concilii Constant. Decreta, nec non Leonis X, Innocent. XI et XII Bullæ, vera sunt dogmatica Ecclesiæ judicia : idque speciatim de Bullis adversùs Baium supra dictis argumentis probatum est; ergo. Etverò, quæ ad labefactandam Bullæ naturam, ipsique detractandum judicii dogmatici titulum ac characterem opponunt adversarii Quesnellistæ, infirma omninò sunt ac nullius roboris; eaque omnia aut nihil aut nimiùm apertè probant : uti ex objectionum solutione strictim hìc jam instituendâ, manifestè patebit; ergo, etc.

Solvuntur Objectiones. — Dices 1° : Illæ censuræ non sunt judicia dogmatica, quæ nihil habent fixum, nihil determinatum : atqui censuræ *in globo,* quibus sua non figitur unicuique propositioni nota et qualificatio, certum nihil habent; nilque determinatum : quod enim uni captiosum duntaxat erit aut scandalosum, alteri omninò hæreticum videbitur : ergo censuræ *in globo,* qualis est Bulla *Unig.* non sunt judicia dogmatica, leges dogmaticæ. Ita indesinenter Quesnellistæ : inprimis Senecensis et Monspessulan. Præsules in plerisque pastoralibus mandatis, nec non sex Episcopi in suâ ad Instruct. Eminentissimi Card. de Bissy an. 1722 respons. cap. 19 et 23. Respondeo 1°, simili prorsùs argumento adversùs censuras *in globo* insurrexisse Lutherum in concertatione cum

Eckio habitâ Lipsiæ an. 1519. Apostatam Antonium de Dominis lib. 1 de Republ. Christianâ cap. 12. Frapaolo hist. Concil. Trid. lib. 1, cap. 21, quorum temeritatem pro merito castigant ac egregiè explodunt Eckius et Palavicinus; ille quidem in opusc. disput. 6 Julii : iste verò, in suâ Concilii Trid. historiâ lib. 1, cap. 21. Vide *de notis Theolog.* ubi integrum Palavicini textum, censurarum *in Globo* naturam, proprietates et commoda clarè evolventem, latè deduximus. Respondeo 2°, idem opponi posse adversùs decreta Concilii Constantiensis, necnon adversùs præfatas Leonis X, Innocent. XI et XII Bullas : quæ tamen Concilii et SS. Pontificum Decreta, uti anteà notavimus, vera esse dogmatica judicia, nec inficiantur, nec inficiari possunt Quesnelli asseclæ. Respondeo 3° : Dist. min. Nihil habent determinatum, *quantùm ad notarum attributionem quæ singulis propositionibus sigillatim non applicatur,* concedo : *quantùm ad malitiam propositionum quas Ecclesia declarat non esse orthodoxas*, nego. Constat ex dictis supra. Atque ut quas adversarii sæpiùs ac confidentiùs in præsenti negotio obtrudunt vitiligationes evanescant ac penitùs dissipentur, tria in Constitutione *Unig.* sicut et in quâlibet aliâ generali et *in globo censurâ*, sunt sedulò distinguenda. Nempe 1°, *qualificationes* propositionum; 2°, *gradum* ejusmodi qualificationum; 3°, earumdem *applicationem* unicuique propositioni. Circà primum, omnes per orbem dispersi Præsules disertè consentiunt cum Romano Pontifice, atque illud unanimiter ac distinctè proponunt Fidelibus tenendum : cunctas scilicet Quesnellianas Propositiones esse rejiciendas, quia eorum nulla gravis alicujus censuræ notam non meretur. Qui ergo contendunt omnes illas Propositiones esse totidem fundamentales religionis Christianæ veritates; vel etiam quotquot dogmata iis contenta, ut vera posse interiùs retineri, vetitis duntaxat ad tempus earum usu, aut modo quo expressæ sunt; ii totius Ecclesiæ de re doctrinali Fideles solemni definitione instruentis auctoritatem spernunt. Circa secundum, unanimis est etiam Episcoporum suo Capiti adhærentium definitio : etenim inter varias Quesnelli propositionibus inustas notas, nullam esse, quæ hujusmodi Propositionibus quibusdam non competat, omnes uno ore declarant. Illorum igitur, etiam in hoc capite, documentis interiùs adhæreant Fideles : *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*, etc. Matth. 18. Circa duo hæc priora, omnes per orbem dispersos Præsules consentire cum R. Pontifice abundè liquet ex dictis superiori paragrapho; speciatim verò de Gallicanis Episcopis id patet, ex ipsomet Pastoralis Documenti Comitiorum 1713 et 1714 pronuntiato; quod quidem Documentum, suum fecêre cæteri plerique omnes Gallicani Præsules. Quod ad tertium attinet, nempe qualificationum singularum singulis propositionibus *applicationem*, nihil de eo *vi præcisè* definitionis *in globo* credere tenentur Fideles, quia de eo nihil ejusmodi definitione pronuntiatum : unde, v. g. ut *certò* cognoscatur quænam cuilibet ex 101 Propositionibus nota affici debeat, sola omninò non sufficit Constitutio *Unig.*, sed inspiciendum aliundè ac investigandum quænam earum propositionum doctrinæ ab Ecclesiâ ad credendum fide divinâ clarè propositæ, magis aut minùs directè ac immediatè adversetur. Quod Theologorum studio ac diligentiæ relinquitur, quousque quidquam de eo ab Ecclesiâ fuerit statutum. Quanquàm plurimùm ad id etiam subsidii ex Bullæ verbis erui possit, quibus declaratur plerasque ex confixis Propositionibus, *pluries jam damnatas* fuisse *variasque hæreses, et potissimùm illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, et quidem eo sensu in quo hæ damnatæ fuerunt acceptis, continentur, manifestè innovare.* Jam verò, ut judicium Ecclesiæ meritò appelletur dogmaticum, satis est quòd dogma respiciat, quidquamve de illo interiùs credendum proponat : certas videlicet propositiones, ut censuris Theologicis dignas ex animo rejiciendas proscribat : quod quidem præstat Constitutio *Unig.* dùm statuit, « nullam esse è 101 propositionibus, quæ non mereatur saltem aliquam è censuræ notis in pronuntiato expressis : » et vice versâ, « nullam esse notam quæ in aliquam è damnatis propositionibus meritò non cadat. » Neque ullatenùs necesse est, ut applicationem qualificationum ulteriùs determinet : quemadmodùm ex ipsâ judicii dogmatici naturâ et characteribus, necnon ex dictis inter probationes, et alibi etiam, præsertim ubi de notis Theologicis clarè liquet; ergo.

Cæterùm unum hîc diligenter observandum adjiciam : explosas sæpissimè Quesnellistarum de judiciis *in globo* tricas, nullum prorsùs habere locum, quantùm ad illud primum de quo modò agebamus; nempè, quoad *qualificationes* in se et abstrahendo ab eorumdem diversis gradibus spectatas. Nam ejusmodi objectum, an scilicet centum et una propositiones veræ sint

an falsæ; an censuris quibusdam Theologicis singulæ afficiendæ, et ideo à cunctis Fidelibus rejiciendæ; illud, inquam, objectum ita fixum est in se et determinatum, ut nihil fixum magis ac determinatum dari possit. Fateantur ergo adversarii, universos per orbem dispersos Episcopos, in eo saltem secum invicem consentire, gravi quâdam Theologicâ censurâ unamquamque Quesnelli propositionem configendam; ac proindè fixum quidquam ac determinatum, quod intùs et ex animo, ut dogma perversum, Fideles rejiciant, esse Constitutione *Unig.* propositum. Quòd si illud primum, quod præcipuum est, ab iis semel admitteretur, aliud ad quod omnes eorum cavillationes spectant, inter varias scilicet qualificationum species in Bullâ enuntiatas nullam dari quæ uni saltem è 101 Propositionibus inuri non debeat, haud difficulter etiam concederent. Rem totam præclarè ac luculenter evolvunt et illustrant Gallicani Præsules an. 1728, in suâ celebri ad Regem Epistolâ, in quâ 50 Parisiensium Causidicorum adversùs censuras *in globo* dicacitates et dicteria sic exhibent : « Ils ont osé dire (les Avocats) sur ces censures (in globo), *qu'au lieu de terminer les disputes, elles font naître mille et mille questions.* Ils nomment la soumission que l'Église exige pour ces sortes de jugemens, *un joug honteux, qui ne présente que ténèbres et que confusion;* et après avoir rapporté quelques extraits de la Bulle *Unig.* et d'une instruction faite par un d'entre nous sur cette matière, ils disent avec mépris : *Voilà, il faut en convenir, un fidèle bien éclairé.* » Hæc propositæ quam jam solvimus objectioni simillima : quæ quidem pro merito graviter castigant ac explodunt illustriss. Præsules his verbis : « Ce que les Avocats méprisent est cependant un effet de la sagesse de l'Église : quand elle en use ainsi, elle évite des discussions qui pourraient faire naître des disputes embarrassantes et nuisibles aux Fidèles; mais qui est en droit de blâmer sa conduite, d'exiger d'elle qu'elle se prête à l'inquiétude et à la curiosité, et de lui demander de qualifier des propositions en particulier, quand elle juge que ce détail n'est ni nécessaire ni convenable à la conservation du dépôt, et à l'édification des Peuples? » Quam in rem laudant sancti Augustini verba, Epist. 54 ad Januar. cap. 5, Edit. Benedict. : *C'est une folie et une témérité de disputer contre des usages que toute l'Église a consacrés.* Subdunt : « Les décisions du Concile de Constance contre Wicleff et Jean Hus, la Constitution de Pie V contre Baïus, confirmée par plusieurs Papes, la Bulle contre Molinos, et le Bref contre le livre *des Maximes des Saints* nous fournissent des exemples authentiques de cette dernière espèce de condamnation (in globo) : pourquoi reprochera-t-on aujourd'hui au souverain Pontife un usage qui est autorisé par l'exemple d'un Concile œcuménique, et par la pratique de tant de siècles? Oserait-on dire sur ces jugemens : *Voilà un fidèle bien éclairé?* » Moxque egregium doctissimi Bossuetii textum è libro 15 Variat. n. 158, depromptum, ita referunt : « *Il faut souvent*, disait M. Bossuet, *s'en tenir à des expressions générales pour demeurer dans cette mesure de sagesse tant louée par S. Paul, et n'être pas contre son précepte, plus savant qu'il ne faut.* » Pergunt : « *Il faut* (idem doctissimus Bossuet. ibid. n. 162) *se bien garder de confondre les termes généraux avec les termes vagues et enveloppés, et avec les termes ambigus : les termes vagues ne signifient rien, les termes ambigus signifient avec équivoque, et ne laissent dans l'esprit aucun sens précis; les termes enveloppés brouillent les idées différentes : mais quoique les termes généraux ne portent pas l'évidence jusqu'à la dernière précision, ils sont clairs néanmoins jusqu'à un certain degré.* » Unde in hunc modum concludunt eodem in loco præfati Præsules illustrissimi : « Ainsi M. Bossuet répondait-il aux plaintes des Hérétiques contre les décisions du Concile de Trente, qu'ils accusaient d'être obscures et ambiguës, parce qu'elles étaient conçues en des termes généraux : *Nous sommes en droit de donner la même réponse au reproche qu'on fait aujourd'hui contre la censure générale et les qualifications respectives employées par la bulle,* et de dire : Ce jugement n'est ni vague, ni ambigu, ni équivoque; s'il ne porte pas l'évidence jusqu'à la dernière précision, c'est-à-dire, s'il ne déclare pas en détail quelle est la proposition qui est hérétique, quelle est celle qui est blasphématoire, etc., *ce jugement néanmoins est clair jusqu'à un certain degré,* c'est-à-dire, *il nous apprend clairement qu'il n'y a aucune des propositions condamnées qui ne soit répréhensible.* » Et paulò post : « Ces sortes de jugemens usités dans l'Eglise, comme on l'a vu, *présentent clairement et distinctement une vérité déterminée,* en tant qu'ils assurent les Fidèles *que les propositions condamnées sont dangereuses dans la foi, qu'elles renferment quelque venin, qu'elles s'écartent en quelque chose de la vérité catholique.* » Persimilia tradunt Præsules Gallicani in Comitiis an. 1713 et 1714. Vide suprà. Hæc peremptoria sanè ad vindicandam

inconcussam censurarum *in globo* æquitatem: simulque demonstrandum, hujusmodi censuris, *clarè* ac *distinctè* exhiberi *fixam* quamdam ac *determinatam veritatem;* scilicet, *nullam esse è damnatis Propositionibus, quæ aliquâ ex parte vitiosa non sit et reprehensibilis;* quæque idcircò *Theologicam quamdam notam non mereatur;* hoc autem semel concesso, spontè fluit, ut anteà notavimus, nulloque negotio demonstrari potest, nullam esse in Bullâ notam quæ in aliquam è confixis Propositionibus meritò non cadat. Ex dicendis paulò post ista iterùm dilucidabuntur.

Dices 2°: Ille modus damnandi propositiones non est legitimus, multòque minùs dogmaticus, finiendisque controversiis idoneus, per quem nec constat, nec constare potest de censurâ confixarum propositionum: atqui per generalem hunc modum damnandi propositiones *in globo*, uti fit in Constitutione *Unig.* nec constat, nec constare potest de confixarum propositionum censurâ: enimverò, de eo constare nequit, quin certò sciatur Episcopos, non *materialiter* duntaxat et quoad meras voces, sed etiam *formaliter* seu quoad proprium ac genuinum sensum, circa Propositionum damnationem consensisse: atqui per generalem et *in globo* Propositionum condemnationem, certò constare nequit de Episcoporum consensu, non in verbis tantùm, sed et in sensu ipsius censuræ: Episcopi siquidem non solùm in verbis, sed et in sensu consentire non possunt, quin eamdem propositionem, eamdem in propositione doctrinam, iisdem intendant qualificationibus et notis configere: atqui per censuram *in globo*, de iis minimè constare potest; ergo. Etverò una propositio non est hæretica (idem proportione servatâ de cæteris dicendum notis) nisi quia de illius hæreticitate convenit major ac potior Episcoporum pars: atqui constare non potest utrùm major ac potior Episcoporum pars consentiat in damnatione alicujus propositionis ut hæreticæ: illud enim innotescere nequit, nisi per eorum verba: at verba indicant tantùm eos consentire circa damnationem Propositionum generatim, non verò circa uniuscujusque propositionis damnationem in particulari; ergo. Verbo dixerim: Ubi agitur de censurâ *in globo*, constare nequit de *gradu* qualificationis, nisi itidem constet de ejusdem applicatione huic aut alteri propositioni: Episcopi namque dùm plures *in globo* propositiones *respectivè* damnant, alias ut captiosas, alias ut erroneas, alias ut hæreticas, etc., in genuino censuræ objecto consentire debent, ac proindè easdem propositiones, eumdemque in iis sensum, iisdem notis qualificare: atqui ex dictis, idque ex sese patet, vi censurarum *in globo*, de qualificationum singularum singulis propositionibus nullatenùs constat: unde nihil de eo credere tenentur Fideles; ergo, etc.

En palmaris difficultas quam sexcentis modis volvunt ac versant adversarii. Ita inprimis sex Præsules in citatâ ad Eminentiss. Card. de Bissy Responsione. Ita pariter Senecensis Episcopus Instructione 1728, part. 4, art. 4 et seqq.: *Mémoire où l'on examine si l'appel des 4 Evêques est légitime,* pag. 87; *Renversement des libertés de l'Église Gallic.* Tom. 1, pag. 471 et seq. aliique è celebrioribus Appellantibus quàmplures.

Respondeo 1°, datas ad superiorem objectionem solutiones, ad præsentem facilè accommodari posse difficultatem: hancque, ut attendenti patebit, apertè enodant, penitùsque dissolvunt: consule. Respondeo 2°: Quæ hìc opponuntur ex necessariâ inter Episcopos in judiciis canonicis *formali* seu *quoad genuinum definitionis sensum* uniformitate de quâ, juxta adversarios, constare non potest, ubi agitur de censuris *in globo:* hæc, inquam, aut nihil probant, aut dispersæ Ecclesiæ infallibilitatem funditùs everterent. Namque non aliundè constat dispersos Episcopos dogmatico judicio uniformiter quoad eumdem sensum eamdemque doctrinam adhærere, quàm quòd purè et simpliciter illud acceptent: atqui eâdem ratione generalis et *in globo* censura ab eisdem acceptari potest: et reipsâ ita acceptatæ fuerunt Bullæ Leonis X adversùs Lutherum, SS. Pontificum Pii V, Greg. XIII, Urbani VIII, adversùs Baium, Innocent. XI et XII, adversùs Molinos. et librum *de placitis Sanctorum;* quæ Bullæ sunt generales duntaxat et *in globo* censuræ; ergo. Ita in Comitiis an. 1728, Gallicani Præsules in suo circa Parisiensium Causidicorum consultationem dogmatico judicio Vide supra. Respondeo 3°: Episcopi, dùm plures *in globo* propositiones *respectivè* proscribunt, in eo certissimè conveniunt, singulas propositiones damnatas reprehensibiles esse ac vitiosas, atque à catholicâ veritate plus minùsve recedere. Idque abundè sufficit, ut quilibet Catholicus dictas propositiones proscriptas intùs et ex animo explodere ac rejicere teneatur. Ita conceptis verbis laudati Præsules Comitiorum an. 1728, in suâ ad Regem Epist. pag. 35, ubi de judiciis *in globo* sic habent: « S'ils ne

portent pas l'évidence jusqu'à la dernière précision, c'est-à-dire, s'ils ne déclarent pas en détail quelle est la proposition qui est hérétique, quelle est celle qui est blasphématoire, etc., *ce jugement néanmoins est clair jusqu'à un certain degré*, c'est-à-dire, *ils nous apprennent clairement qu'il n'y a aucune des propositions condamnées, qui ne soit répréhensible*..... Ces jugemens *présentent clairement et distinctement une vérité déterminée*, en tant qu'ils assurent les Fidèles que les Propositions condamnées *sont dangereuses dans la foi, qu'elles renferment quelque venin, qu'elles s'écartent en quelque chose de la vérité catholique.* » Addunt ibidem : « Cette lumière est suffisante pour le Chrétien qui est docile : quod disertissimo sancti Aug. textu ex cap. 88 lib. de hæres. deprompto, sic comprobant doctiss. Præsules : « C'est la pensée de S. Augustin ; *c'est beaucoup pour un cœur fidèle*, disait ce S. Docteur, *de connaître ce qu'il ne doit pas croire, et quoique ces connaissances ne le mettent pas en état de pouvoir réfuter l'erreur, il est assez instruit, quand il sait ce que l'Église rejette, et ce que tout Catholique doit rejeter avec elle* » : Pergunt : « C'est là ce que fait l'Eglise, quand elle censure plusieurs propositions sous des qualifications respectives ; elle indique au Fidèle ce qu'il doit rejeter pour éviter l'erreur. Pénétrer plus avant avec curiosité ; demander aux Pasteurs, qui ont prononcé que ces Propositions sont condamnables, qu'ils aillent plus loin, et *qu'ils déclarent en quoi, jusqu'où* et *pourquoi* ils les jugent répréhensibles, *c'est une demande superflue*, pour nous servir de l'expression de S. Augustin, *parce qu'il suffit qu'on sache que l'Église les a condamnées, et qu'après cette condamnation personne ne doit les admettre.* » Hæc Præsules illustrissimi, quæ sinuosos adversariorum hanc in rem flexus, implexosque nodos claré extricant, totamque præsentem difficultatem planè exhauriunt. Recole dicta ad tertiam responsionem superioris objectionis. Respondeo 4° : In præfatâ hypothesi censuræ *in globo* latæ aut acceptatæ ab Episcopis, temerè ab adversariis asseri, Episcopos à se invicem dissentire, nec easdem propositiones intendere interiùs iisdem qualificare censuris. Neque enim impossibile est, ut, *quantùm opus est*, inter se consentiant : cùm propositionum natura, earum veritas et falsitas, Scripturæ et Traditioni conformitas vel difformitas, antecedenter ad Constitutionem latam determinatæ sint, atque horumce omnium cognoscendi via una et eadem cunctis præstò sit Episcopis, nempe ejusmodi propositionum cum Scripturâ et Traditione, Ecclesiæque definitionibus anteà promulgatis accurata collatio. Hâc viâ usi sunt plures Theologi à quibus uniuscujusque hujusmodi propositionum virus proditum est, et censura singulis affixa : ii quantùm ad rem ipsam, etsi non communicatis consiliis, non deprehensi sunt dissentire. Quidni ergo Episcopis eadem via diceretur interclusa ? Quòd si is Episcoporum in qualificandis propositionibus possibilis interior consensus, reipsâque ejusmodi consensus in Theologis existat, ac sæpè aliis in casibus extiterit ex solâ propositionum cum Scripturis et Ecclesiæ definitionibus collatione : quantò magis dicendum in præsenti causâ, quantum satis est, inter se intùs consentire Episcopos, præsertim si attendantur, uti maximè attendi debent, divina Ecclesiæ privilegia, eximiaque promissa ipsi à Christo facta ? Enimverò, ipsomet pollicitante Christo, Joan. 14 et 16, Episcopi *à Spiritu S. edocendi sunt omnem veritatem:* ipsisque docentibus primis Pastoribus, *affuturum se promisit* Christus Dominus, Matth. 28, v. 20. Porrò, cùm plures in globo propositiones proscribunt Episcopi, procul dubio docent, ut ex dictis inter probationes patet ; ipsis ergo tunc adest et subvenit Christus : proindeque, quin easdem interiùs, *quantùm necesse est*, singulis propositionibus qualificationes et notas affigant, nonnisi inconsultè ac temerè negari potest. Respondeo 5°: Etsi diversæ illæ earumdem propositionum qualificationes in mente Episcoporum delitescentes aliquatenùs à se invicem discreparent, attamen nihil inde vitii accederet eorum definitioni, intactaque maneret Ecclesiæ docentis auctoritas et infallibilitas. Modò enim Episcopi, quos Pastores et Doctores Christus dedit Ecclesiæ, invigilent conservationi depositi ; nosque quantùm satis est edoceant, ut *non simus sicut parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ*, salvæ profectò remanent Ecclesiæ auctoritas et infallibilitas : atqui, dùm Episcopi plures *in globo* respectivè proscribunt propositiones, licèt qualificationes quibus singulas interiùs afficiunt, possent esse quadamtenùs diversæ, invigilant tamen, quantùm satis est conservationi depositi, nosque sufficienter edocent ; ergo. Et quidem illibatum, integrumque servatur fidei depositum : siquidem in eo tunc consentiunt omnes, quòd « in quemcumque ordinem redegeris Propositiones illas *in globo* respectivè damnatas, non possint dici christianissimæ et

evangelicæ : ideòque à quolibet bono Christiano pro condemnatis et reprobatis habendas esse. » Ita doctiss. Eckius disput. 6 Julii adversùs Luther.

Etverò, ex diversis illis earumdem Propositionum qualificationibus in mentibus Episcoporum delitescentibus, nihil commodi pro partibus Hæreticorum accidere potest. Quippe ad conservationem depositi, requiritur et sufficit ut *devitentur profanæ vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ*, I ad Timoth. 6, v. 20. Atqui per censuram propositionum *in globo*, devitantur *profanæ vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ*, quamvis interiùs Episcopi diversas iisdem propositionibus applicent qualificationes. Tunc enim vi censuræ constat damnatas propositiones *verè reprehensibiles esse*, atque *à veritate catholicâ* quadamtenùs recedere; uti loquuntur supra laudati Comitiorum anni 1728 Præsules; ergo. Aliundè, in proposito casu, sufficienter nos edocent Episcopi *ut non simus sicut parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ :* cognoscimus enim, uti scienter notat Palavicin. lib. 3 Hist. Trid. cap. 21, omnes illas *in globo* proscriptas Propositiones, *perniciosas esse, si tradantur; periculosas, si credantur*. Cognoscimus inter damnatas Propositiones, *nullam esse quæ non mereatur aliquam saltem è censuræ notis quibus proscribuntur :* et vice versâ, *nullam esse in Decreto censuræ notam quæ non possit in aliquam è damnatis Propositionibus cadere*, quemadmodùm totidem verbis tradunt Gallicani Præsules, locis suprà laudatis : idque satis est, non modò simplicibus et rudioribus Fidelibus, sed etiam, juxta Concilium Constantiense, ipsismet hominibus litteratis ; ergo. Respondeo denique 6°, hocque uno : Brevi præciduntur propositus nodus cæteræque in præsenti negotio reluctantium tricæ, ut legitimum sit et dogmaticum Ecclesiæ judicium, auctoritatemque obligandi Fideles ad assensum internum obtineat ; vel requiritur ut Episcopi eamdem propositionem iisdem intendant qualificationibus et notis configere ; vel non : si primum, vi exterioris acceptationis certò tenendum in configendis iisdem cuilibet propositioni qualificationibus ipsos, *quantùm satis est*, consentire; etenim ex abundè dictis et probatis suprà, exterior Corporis Episcopalis acceptatio aut definitio, *ex sese* certissima est à Christo constituta lex ac regula ad nostram de rebus ad salutem attinentibus, firmandam stabiliendamque fidem ; atque ubi primùm de illâ exteriori acceptatione constat, certò et indubitanter tenendum, omnes adfuisse debitas conditiones; adeòque, si quæ abfuerit, aut nullatenùs, aut his in circumstantiis non fuisse necessariam. Ita disertis verbis Præsules nostri in laudatâ an. 1728 ad Regem Epistolâ pag. 21, 22, etc. Vide supra. Porrò, si secundum, nulla planè, ac prorsùs præpostera objectio.

Corollaria. — Ex dictis hactenùs tribus superioribus paragraphis, nonnulla gravissimi momenti spontè fluunt consectaria : hæc porrò ita secum invicem connexa sunt ac concatenata, ut uno semel admisso, cætera quoque admitti prorsùs necesse sit : quod vel tantisper attendenti clarè patebit : itaque

Sequitur I°, quod totidem verbis statuunt mox laudati Præsules, Bullam *Unig.* esse judicium *irreformabile*. Namque dogmaticum Corporis Episcop. Capiti suo adhærentis judicium est infallibile, proindeque *immutabile, irretractabile, irreformabile:* id ex apertis Christi promissis, ex disertissimis SS. PP. et Conciliorum testimoniis, ac perpetuâ et constantissimâ totius Ecclesiæ praxi ac doctrinâ certissimum est ac indubitatum : atqui ex dictis et probatis hactenùs, Bulla *Unig.* dogmaticum est summi Pontificis et omnium Ecclesiæ universæ Episcoporum judicium ; ergo. Ita expressè habent Cardin. Archiep. et Episcopi Gallic. an. 1728, jussu regio super hâc re congregati in Epist. ad Regem p. 50.

Sequitur II°, *interiorem, integrum et absolutum* eidem Bullæ deberi assensum : omnibus siquidem adversùs Sectarios confitentibus Orthodoxis, assensus hujusmodi *interior, integer et absolutus* debetur *dogmatico et irreformabili* universalis Ecclesiæ judicio : atqui Bulla *Unig.* dogmaticum est et irreformabile, etc. ; ergo. Quicumque ergo omnes aut quasdam è damnatis Propositionibus intùs et ex animo non respuit, legitimè, et ut par est, dictæ Constitutioni non adhæret. Et verò sincerè et ex animo obtemperandum visibili Pastorum Corpori, in his quæ ad doctrinam pertinent : hinc ipsemet Quesnellus in caput 23 S. Matth. sic loquitur : « La seule voie sûre pour la foi et la doctrine, c'est de suivre toujours le Corps visible des Pasteurs. » Et in caput 20 S. Joan. : « Il n'y a point de salut, à moins de se tenir inséparablement attaché au Corps des Pasteurs de l'Eglise. » Istud idem pro certissimo passim statuit Nicolius, quando ait in controversiis circa religionem excitatis majori adhærendum esse visibili auctoritati : « *La vraie règle de la foi*,

inquit Ess. de morale Evang. du Mardi de la deuxième semaine de Carême, *c'est de s'arrêter à la plus grande autorité.* » Multò autem et incomparabiliter major est Episcoporum acceptantium, et adhærendum Constitutioni pronuntiantium auctoritas ; fique Capiti suo Pontifici Romano coadunati, visibile Pastorum Corpus procul dubio constituunt ; ergo.

Sequitur III°, omnem à Constitutione *Unig.* provocationem esse *nullam, illusoriam, temerariam, scandalosam, sanctæ Sedi, Corpori Pastorum, totique Ecclesiæ adversam, ac summè injuriosum,* etc. Ità conceptis verbis quinquaginta et amplius Præsules Gallicani an. 1718, uniformi Mandato declarant : « Ordonnons, inquiunt in ipso judicato, à tous les Fidèles de notre Diocèse de se soumettre à la susdite Constitution *Unig.* comme étant un jugement dogmatique de l'Eglise universelle, duquel tout appel est nul, frivole, illusoire, téméraire, scandaleux, injurieux au Saint-Siége et au Corps des Evêques, contraire à l'autorité de l'Eglise, schismatique, et tendant à renouveler et à fomenter des erreurs condamnées. » Gravissimas hasce notas, appellationi interpositæ à dogmatica et irreformabili totius Ecclesiæ Constitutione, qualis est ex dictis Bulla *Unig.* meritissimo jure infligi, nemo sanè in dubium revocaverit.

Sequitur IV°, eamdem *Unig.* Bullam esse veram Ecclesiæ et Regni legem : ita à præsulibus Gallicanis in pluribus Comitiis generalibus solemniter declaratum, variisque Edictis ac Responsis Regiis disertissimè agnitum et firmatum. De quo aperta vide testimonia suprà. Etverò, dogmaticum universalis Ecclesiæ judicium, 1°, munitum sigillo Regio, 2°, in Tabulas supremarum Regni Curiarum relatum, 3°, solemniter et juxta consuetos Regni mores promulgatum, meritò dicendum est, reipsâque existit vera ac propriè dicta Ecclesiæ et Regni lex : atqui Bulla *Unig.* ex probatis duobus superioribus paragraphis dogmaticum est universalis Ecclesiæ Judicium : aliunde, munita fuit ac consignata sigillo regio, in supremas Regni Curias relata; solemniter et ex more promulgata ; uti ex dictis in Synopsi historicâ paragrapho 3 manifestum est ac exploratum : vide supra ; ergo, etc.

Sequitur V°, hanc, uti jam innuimus, quæstionem, an Constitutio *Unig.* sit regula fidei, leviorem esse apud Acceptantes, et quasi de mero nomine controversiam : quo quidem in prætenso dissidio quoddam provocationi suæ præsidium inaniter quærunt Appellantes. Namque concordibus animis fatentur ac docent cuncti Acceptantes Constitutione *Unig.* respici dogma, atque, quod capitale est, interiùs credendum Quesnellianas 101 Propositiones meritò esse damnatas, quia singulæ aliquam merentur notam, et præterea unamquamque è notis Bullâ expressis cadere in aliquam è damnatis illis Propositionibus : omnes etiam consentiunt Bullâ *Unig.* nihil determinati fide divinâ credendum proponi. Tota igitur apud eos mota quæstio in eo sita videtur, an *regula fidei* appellari possit omne judicium quo de rebus fidei aut ad fidem habentibus connexionem, etiam merè generatim ac indeterminatè interior præscribitur assensus : an verò illud idem vocabulum soli illi potiùs adscribendum sit judicio quo dogma revelatum, fide divinâ speciatim ac determinatè credendum proponitur. Ergo non tam de re ipsâ quàm de nomine extitit illa quæstio, nec in eâ quidquam occurrit quo tueri se possint dissidentes, cùm ab ipsis unum et idem omnes semper postulaverint Acceptantes ; nimirùm ut interiùs et ex animo sese subjicerent Constitutioni *Unig.* tanquàm dogmatico Ecclesiæ universalis judicio, atque 101 Propositiones ut meritò illâ Constitutione proscriptas damnarent, iisdem qualificationibus adhibitis, quibus dicta Constitutio utitur. Hæc porrò eadem de ipsâ *regulæ fidei* denominatione quæstio, Acceptantes inter et Appellantes spectata, jam non meri nominis dicenda, imò dogmatica planè est ac gravissimi momenti controversia : neque enim aliâ de causâ Bullæ *Unig.* nomen regulæ fidei detrectant adversarii, quàm quòd Bullam hanc negent esse judicium dogmaticum quod internum et absolutum exigat mentis assensum : ipsi siquidem promiscuè sumunt, et pro uno eodemque habent *regulam fidei, et dogmaticum* ac *irreformabile universalis Ecclesiæ judicium* : id ipsum non fatentur modò, sed et datâ operâ passim adstruere conantur Appellantes, inprimis sex Præsules citatâ ad Instructionem Eminentissimi Card. de Bissy. Respons. Auctor Pastoralis Documenti an. 1719, Eminentiss. Noallii, primâ Propositione pag. 13, 14, etc. Adeòque eo ipso quo à prædictâ Bullâ titulum regulæ fidei removent, eamdem judicium esse dogmaticum inficiari censendi sunt. Ita scitè notat ac latè explicat Eminentiss. Card. de Bissy in sæpius laudatâ an. 1722 Pastorali Instruct. part. 4, pag. 344, 345, etc. Ibid. perversam eâ de re dissidentium doctrinam pluribus perstringit ac confutat doctiss. Card. Idem graviter ac

dilucidè evolvunt ac explodunt plerique Gallicani Præsules, suis ad Regem an. 1728, et 34 Epistolis.

Sequitur VI°, illicitum esse statum indifferentiæ et indeterminationis circa præfatam Constitutionem intùs et ex animo suscipiendam : quippè de suscipiendo judicio Ecclesiæ universalis dogmatico et irreformabili nemini unquàm cunctari ac mores gerere fas fuerit : atqui ex superioribus Corollariis et ex demonstratis paragraphis 2 et 3, Constitutio *Unig.* judicium est universalis Ecclesiæ dogmaticum, etc. ; ergo.

Etverò, *natura*, *multitudo*, *diversitas* dogmatum de quibus agitur in dictà Constitutione, apertè ostendunt illicitum prorsùs esse ac criminosum in præsenti negotio hunc indifferentiæ ac suspensionis animum : etenim, vel ipsismet contendentibus adversariis, quæstio movetur de summis fidei, morum, ac christianæ disciplinæ capitibus, quæ, si dissidentibus fides, præfato Decreto labefactantur ac funditùs convelluntur : eò tendunt illustriorum Appellantium indesinentes in Bullam *Unig.* querelæ et expostulationes : « atque ita, *sanctissime Pater*, inquiunt in suâ an. 1721 ad Innocent. Papam XIII Epistolâ septem Præsules, impugnata apertè religio in suis dogmatibus; Hierarchia in suis juribus; Christianorum disciplina in eo quo tanquam basi et animâ nititur; deletæ funditùs pœnitentiæ leges et regulæ; veteris et novi fœderis inducta confusio in eo capite, quo præsertim à se invicem distinguuntur ; omnipotentia Dei subjecta libero hominis arbitrio, et ad ejus nutum suspensa ; complures alii doctrinæ Christianæ articuli in summum discrimen adducti, sacer Scripturæ et Traditionis sermo proscriptus : en *sanctissime Pater*, quæ sit nostrarum (in Bullam) et causa et materies querelarum. » Paria tradunt sæpiùs citati sex Episcopi, suâ ad Pastoralem Eminentissimi Cardinalis de Bissy Instructionem Responsione, cap. 26 et seqq., item quatuor Episcopi in interpositis à se appellationum instrumentis die 1 Martii 1717, et mense April. anni 1719, necnon in prolixiori ad vindicandas hasce provocationes, tunc edito Memoriali. His porrò in circumstantiis, in quibus de tot ac adeò capitalibus fidei dogmatibus instituitur controversia, manifestissimum est nemini liberum esse orthodoxo, suspensum se servare ac prorsùs indifferentem : inprimis si sanctæ sedis præiverit judicium, cui, ut in præsenti causâ, consensus Episcoporum accesserit. Tunc profectò, aut certè nusquàm, locum habet illud Christi Luc. 11, v. 23 : *Qui non est mecum contra me est.* Idipsum non minùs perspicuè declarant gravissimæ dissidentium adversùs neutralitatis partes intentæ sæpius criminationes : « La neutralité, inquit unus ex illis, auctor Epistolæ ad Monialium gubernatricem pag. 80, et 81, est un crime, et ne point prendre parti pour la foi dans l'occasion présente, c'est être infidèle. Un Chrétien dès son baptême a pris parti contre la Constitution ; il en a appellé sur les sacrés fonts, et il renouvelle son appel toutes les fois qu'il recite son *Credo.* Dire qu'on ne prend point de parti, *c'est renoncer à la foi.* » Idem frequenter inculcant plerique alii Quesnellianarrum partium auctores : idque ex principiis ab ipsis passim stabilitis sponte fluit ac necessariò sequitur. Vide supr. dicta et moxar pagraph. tertio ubi de naturâ Constitutionis *Unig.* inter probationes.

Sequitur denique VII°, istudque capitale est, diligenterque observandum : Quæcumque adversùs Constitutionem *Unig.* congeruntur probra, tricæ, vitiligationes, tum ex prætenso in ferendâ aut acceptandâ hâcce Constitutione *conditionum defectu* ; tum ex prætensâ damnatarum propositionum *cum Scripturis et traditione consonantiâ :* tum ex prætensis dissidentium *numero, doctrinâ, motibus et dictamine conscientiæ, sanctitate, miraculis*, etc. ; ea, inquam, omnia, vel unâ Ecclesiæ, sex primorum pastorum suo capiti adhærentium auctoritate, exteriorique acceptatione, quâ recepta et confirmata fuit dicta Constitutio, evanescunt ac dissipantur. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi,* inquit Christus Dominus Matth. 28, alloquens Apostolos, eorumque successores Episcopos. Ibid. 16, v. 18 : *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Luc. 10, v. 16 : *Qui vos audit, me audit*, etc. Perpetua sunt et absoluta isthæc divina promissa : « Nusquàm ergo, quemadmodùm egregiè notant præsules Gallicani supra laudati, tanta invalescet pestis, seu vi, seu negligentiâ, seu fraude, seu quâcumque aliâ ratione, ut portæ inferi adversùs Ecclesiam, eaque, quæ ab Episcopali ordine sancita fuerint, prævaleant. » Æternùm stabunt Christi verba ; cætera quæ opponuntur, præteribunt et ad nihilum recedent. Itaque, quodcumque supponatur fuisse definitionis motivum (idem de cæteris definitionum conditionibus, aliisque quæ objiciuntur, pronuntiandum) fieri nunquàm potest, vi promissionum

Christi, ut Corpus episcopale erroneam acceptet et approbet sententiam; ergo *definitionis litteræ*, seu *ipsi*, independenter à discussione motivorum, *exteriori definitioni*, quæ sola subsistit ac vim habet, *standum est*, ac supponendum providisse Christum, *ne ulla deesset ex requisitis conditio*, ad firmam, certam, et inconcussam definitionem. Ita totidem fermè verbis, *acta S. Facultatis Parisiensis, super Constitutione observandâ et executioni demandandâ*, an. 1729, pag. 40. Atque hæc quidem auctoritatis et præscriptionis methodus, ad cunctas Quesnellistarum dissolvendas objectiones, via brevis, expedita, ipsis etiam rudioribus proportionata: hocque unum, omnibus, quas cum dissidentibus habemus dirimendis ac finiendis controversiis sufficere deberet. Eò tendit S. Hier. disputans adversùs Luciferianos: « Poteram, inquiebat, omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ (definientis) sole siccare. » Ipseque S. Augustinus lib. de quantit. animæ cap. 7, n. 1: « auctoritati credere, magnum compendium est, ac nullus labor. » Unde apposité omninò doctiss. Bossuet. Instruct. 1, *circa Ecclesiæ promissa* sic habet: « Les promesses dont il s'agit sont conçues, comme on a vu, en termes simples et très clairs. On doit donc se déterminer à y croire: et cette croyance enferme une claire décision de toutes les controverses. Car si une fois il est certain que la vérité domine toujours dans l'Eglise, tous les doutes sont résolus: il n'y a qu'à croire, et tout est certain. » Ibid. pag. 176: « Jésus-Christ a tout réduit à un seul point, c'est-à-dire à bien connaître l'Eglise où l'on trouve tout d'un coup toute vérité autant qu'il est nécessaire pour être sauvé. Tout consiste à bien concevoir six lignes de l'Evangile où J.-C. a promis en termes simples, précis et aussi clairs que le soleil, *d'être toujours avec les Pasteurs de son Eglise jusqu'à la fin des siècles.* Il n'y a point là d'examen pénible à l'esprit humain. » Et rursùs secundâ de eod. argumento instructione, pag. 12 et seqq.: « La sagesse de J.-C. a renfermé en six lignes de quoi trancher tous les doutes, et régler la décision de toutes les controverses, par un principe commun et universel. » Quæ quidem illustrissimi Præsulis doctrina ad nostrum præsens institutum apprimè congruit. Habemus siquidem in unâ primorum Pastorum suo Capiti adhærentium auctoritate, quâ recepta et confirmata fuit Constitutio *Unig.* quasi contractam compendio, sed promptam, facilem, ac planè decretoriam, adversùs omnes dissidentium difficultates, solutionem. Vide plura hanc in rem superiori paragraph.

ARTICULUS III.

De systemate Quesnelliano.

Quem in Baii et Jansenii aperiendo systemate secuti sumus ordinem, eumdem in Quesnelliani systematis expositione consectari animus fuerat: nempe 1°, *systematis principia paulò accuratiùs evolvere*; 2°, *de illius disserere consectariis*, seu, *de* 101 *propositionibus*; 3° tandem *Quesnelliani systematis à cæteris catholicarum scholarum systematibus discrimina*, ipsiusque *omnimodam cum Baianis et Jansenianis placitis consensionem*, aperire ac declarare: verùm premente nimiâ jam hujus voluminis mole, in opportunum magis locum et tempus horum uberior revocabitur disputatio. Interim hæc summatim perstringere, eorumque omnium compendiosam exhibere ideam, abs re non erit, nec fortè inutile: *plerisque* enim *hæresibus usu venit*, quemadmodùm scitè notant SS. Patres, *ut eas exposuisse quodammodo refutâsse sit*.

Principia sytematis Quesnelliani. — Tria sunt præcipua ac capitalia Quesnelliani systematis principia. Primum: Duplex in præsenti naturæ lapsæ statu agnoscenda delectatio indeliberata: una cœlestis, quæ ad bonum; altera terrena, quæ ad malum inclinat et trahit. Utraque unicum est pondus, quo voluntas nunc, sive ad bonum, sive ad malum inclinatur. Utraque quasi ex mechanicâ lege voluntatem movet ac rapit, sive ad bonum sive ad malum, prout cœlestis vel terrena præponderat. Utraque proindè, prout gradibus superior est aut inferior, necessariò *relativè*, seu necessitate *relativâ* victrix est aut victa. En famosum duarum delectationum indeliberatarum principium, quod ex Jansenio depromptum centies in suis *memorialibus* et *apologeticis* scriptis obtrudit Quesnellus, inconsultè omninò ac præposterè usurpando celeberrima sancti Aug. verba: *Quod enim ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est.* Hoc utriusque indeliberatæ ac relativè victricis delectationis principio, veluti præcipuo cardine integrum movetur ac volvitur Quesnellianum proinde ac Jansenianum systema. De duabus indeliberatis delectationibus oppositis, vide plura superiùs et mox ubi de consectariis Quesnelliani systematis.

Secundum: nullus datur (nec *quoad habitum*, nec *quoad actum*) amor medius, *vitiosam* cupi-

ditatem inter et *laudabilem* ac *supernaturalem* charitatem, quâ Deus *gratis* et *propter se* diligitur. Hinc absque aliquali charitatis saltem *actualis imperfectæ* et *initialis* influxu, quælibet actio vitiosa est et culpabilis, non *in subjecto duntaxat* et *ratione omissionis* ulterioris, scilicet relationis ad Deum; sed etiam *in se intrinsecè* et *ratione sui*: tunc enim actio illa non nisi ex vitiosâ cupiditate procedit, ad vitiosam cupiditatem tendit et ordinatur: adeòque ex parte *principii* et *finis*, necnon *in se* et *in propriâ substantiâ*, damnabilis est et peccaminosa. Istud est capitale alterum Quesnelliani systematis principium, variis in libris et propositionibus creberrimè ac expressissimè à Quesnello inculcatum: inprimis inter 101 à Clemente XI damnatas proposit. 44, his verbis: « Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus. » Fundamentale istud placitum ex suis antecessoribus ac magistris Baio et Jansenio hausit Quesnellus: « Omnis amor creaturæ rationalis, inquit 38 damnata Baii Propositio, aut vitiosa est cupiditas, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum diffusâ, Deus amatur. »

Eamdem doctrinam in ipsis S. Augustini operibus fundatissimam esse audacter pronuntiat Jansenius lib. de Grat. Christi cap. 6: « Non enim, inquit, agnoscit sanctissimus doctor (S. Aug.) in universis operibus suis nisi duos amores, Creatoris et creaturæ, ex quorum alterutro necesse est ut quæcumque actio voluntatis oriatur. Ille charitas est, iste cupiditas; quarum illa de cœlo est, Deo plantante; ista ex mundo, diabolo seminante. » Quod idem hîc, et libris de statu naturæ puræ et lapsæ, sæpiùs repetit Yprensis. Quot ex nefario illo principio sequantur exitiosa consectaria, patet ex dictis superiùs ubi de Baiano systemate et de consectariis ejus fusè diximus, et ampliùs constabit ex dicendis secundâ parte, quæstione 2, art. 2, paragraph. 4.

Tertium systematis Quesnelliani principium, ex priori consequens, quodque totam ex integro renovat perversam Richerii doctrinam, à duobus conciliis Senonensi et Aquensi proscriptam, disertè exprimitur nonagesimâ inter confixas Quesnelli Propositiones: « Ecclesia, inquit, auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu, saltem præsumpto, totius corporis. » In hanc Quesnelli Propositionem, sic egregiè pronuntiant Gallicani præsules, in suo an. 1714, Pastorali Documento: « Les défenseurs de Jansénius, qui se sont révoltés contre l'Église, et qui craignent avec raison les censures et les excommunications, font tous leurs efforts pour s'en garantir. Ils établissent, dans tous leurs écrits, que le pouvoir d'excommunier *est donné à l'Église pour y être exercé par les premiers pasteurs, du consentement au moins de tout le corps*, c'est-à-dire du consentement de tous les fidèles. Ils se croient partie de l'Église, et peut-être même la portion la plus pure: ils ne consentiront point aux censures portées contre eux; c'est une raison de les mépriser. *Une excommunication injuste*, disent-ils, *ne doit jamais empêcher qu'on ne fasse son devoir*: mais c'est au tribunal de leur conscience qu'ils s'en rapportent pour décider de la justice ou de l'injustice de l'excommunication. Ils la trouveront certainement injuste, et elle ne les empêchera pas de faire ce qu'ils appellent leur devoir. » Ita cardinales, archiepiscopi, et episcopi in generalibus an. 1714 comitiis: quæ fundamentalis istius propositionis virus ac latens venenum luculenter aperiunt ac manifestant. Tribus his principiis tota stat Quesnelliani systematis moles: atque ita inter sese connexa sunt et arctè colligata, ut istud ex altero, utrumque verò ex primo spontè fluant ac necessariò consequantur. De quo pleniùs alibi. De triplici porrò mox recensito principio, jure ac meritò dici potest, quod de distinctione adjutorii *quo* et *sine quo*, in ordine ad ipsam S. Augustini doctrinam aiebat Jansenius lib. de Grat. primi hominis et Angelorum cap. 17: « Hæc est vera clavis, quâ aditus aperitur in scripta ejus (Quesnelli): aperiendus est..... Qui verò præfata principia, velut filum in labyrintho scriptorum ejus secutus fuerit, mirabilis ei occurrit contextus rerum: respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus. » Totaque clarissimè ac plenissimè patebit Quesnelliana doctrina, verusque ac genuinus damnatarum 101 Propositionum sensus. Etverò ea potissimùm fuit Clementis XI in ferendâ Constitutione, mens ac intentio, denuò scilicet damnare Baianismum, Jansenismum, et Richerismum, centum et unâ Propositionibus, nunc clariùs, nunc obscuriùs, instauratos. Id S. pontifici fuisse propositum, hæc verba manifestè demonstrant: « Omnes et singulas Propositiones præinsertas, tanquàm falsas, captiosas, malè

sonantes..... *pluries damnatas*, ac demùm etiam hæreticas, variasque hæreses, *et potissimùm illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifestè innovantes*, respective hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione declaramus, damnamus et reprobamus. Qui ergo semel probè novit, quid olim in Baio, Richerio, Janseniоque damnatum fuerit, nullo negotio intelligit, quid Clementinâ Constitutione *Unig.* contixum fuerit ac damnatum.

De consectariis Quesnelliani systematis. — Tria mox proposita principia totius systematis Quesnelliani basis sunt ac fundamentum; atque ex iis velut à fonte ac radice centum et una Propositiones, quasi totidem consectaria, fluunt ac consequuntur. Patet id manifestè vel ex ipsâ libri ac propositionum inspectione, mutuâque ad se invicem collatione: idque ipsimet ultrò confitentur fidelissimi Quesnelli asseclæ: quamobrem plura in re apud Quesnellistas certâ et constanti, quam eorum nullus negaverit, referre planè superfluum foret. Quin et dictis 101 damnatis propositionibus continetur accurata totius Quesnellianæ doctrinæ summa et analysis: atque ad illas commodè revocantur quæcumque in suo fusiori *Réflex. moral.* Opere, cæterisque suis scriptis docet Quesnellus. Quodque de quinque famosis Propositionibus, teste Mirapincensi Episcopo D. *de la Brouë* supra citato, olim aiebat doctissimus Bossuet., *illas totum esse librum*; idem dicendum de 101 Propositionibus, in ordine ad *Réflex. moral.* cæterasque Quesnelli elucubrationes. Harum omnium summa sunt et synopsis centum et una famosæ Propositiones. De singulis porrò sigillatim pertractare 101 Propositionibus, nec exigit scopus, nec sinunt prælixi hujus operis limites. Unum duntaxat adjiciam, ut methodo faciliori de Quesnelli sensu possit inquiri; nempè, 101 Propositiones ad tres classes aptè ac commodè revocari posse. Prima classis complectitur priores numero 49 Propositiones: ex duplicis delectationis indeliberatæ, ac necessitate relativâ victricis principio dimanant. De hoc principio abundè dictum suprà, ubi de Janseniano systemate. Secunda classis sequentes 45 Propositiones continet. Erroneum duorum amorum, seu duarum delectationum deliberatarum anteà jam expositum principium exhibent: vel ejus sunt totidem necessariæ appendices. Tertia classis reliquas omnes comprehendit. Spectant datam à Christo Apostolis, eorumque successoribus, excommunicandi auctoritatem, disciplinam et politiam Ecclesiæ; et pleræque Richerismum referunt ac renovant. Qui perspecta habuerit tria superiùs proposita Quesnelliani systematis principia, de quibus plura jam dicta, et inferiùs iterùm non semel agetur, quique Baii, Jansenii et Richerii errores, in Quesnelli Propositionibus, nunc clariùs, nunc obscuriùs instauratos, probè attenderit; proprium ac genuinum 101 damnatarum à Clemente XI Propositionum sensum, certò et facilè colliget. Enimverò, quod in Baio et Jansenio præsertim, jam damnârat Ecclesia, illud idem in Quesnello eorum discipulo reprobatum: uti modò, vel ex ipsis Bullæ verbis evicimus.

Discrimina Quesnelliani systematis, à cæteris Orthodoxis systematibus, ejusdemque cum Jansenianis et Baianis placitis, omnimoda consensio. — Duo fert sigillatim expendenda præsens iste titulus. Primum: quæ sint Quesnellianæ doctrinæ, à cæteris catholicarum scholarum placitis, discrimina. Alterum: quæ et quanta hujus doctrinæ cum proscriptis Baii et Jansenii dogmatibus, consensio. Quoad primum, respondeo plurima esse, et quidem gravissima, Quesnelliani systematis à cæteris orthodoxarum scholarum placitis discrimina. Et quidem, ne nimiùm excurrat ista disputatio, satis habebimus præcipua hæc discrimina strictim indicare, designatis locis ex quibus uberior eorum expositio et confutatio colligi poterit.

Primum petitur ex parte duplicis delectationis indeliberatæ relativâ necessitate victricis, quæ, uti diximus, Quesnelliani systematis primum ac præcipuum fundamentum est: ab illâ autem indeliberatâ ac relativè victrici deliberatione, immane prorsùs, quantùm abhorreant orthodoxarum omnium scholarum placita. De quo vide sup. ubi de Jans. systemate tractavimus. Secundum desumitur ex parte duplicis delectationis deliberatæ, seu impossibilitate amoris medii, *vitiosam* cupiditatem inter et laudabilem ac *supernaturalem* charitatem; quod, ex dictis, alterum est capitale Quesnelliani systematis fundamentum. Ast quàm exitiosum sit, et ab omnibus Orthodoxis alienum, pestiferum istud dogma, manifestè colligitur ex innumeris errorum portentis quæ ex malè fœcundo principio scaturiunt ac necessariò dimanant. Vide sup. disput. 6, art. 2, ubi de Baiano systemate, et in secundâ parte, quæst. 2, art. 2, paragraph. 1, ubi evolvitur ac copiosè expenditur. Tertium eruitur ex innumeris con-

sectariis quæ spontè ac necessariò fluunt de impossibilitate amoris medii, *vitiosam* cupiditatem inter et *supernaturalem* charitatem; ex quo præcipuè sequitur, intrinsecè et naturâ suâ quocumque in statu malum esse actum quemlibet à charitate supernaturali distinctum; hæc enim consectaria, totidem sunt Quesnellianæ doctrinæ, quâ involvuntur, à Catholicorum ea explodentium systematibus insignia discrimina. De quo vide loca proximè citata, præsertim laudati mox paragraphi quarti conclus. probat. 6.

Quoad alterum caput, scilicet quæ et quanta sit Quesnellianæ doctrinæ, cum Baianis et Jansenianis placitis consensio, respondeo, omnimodam esse, in præcipuis et essentialibus capitibus, *Quesnellianæ* cum *Baianâ* et *Jansenianâ* consensionem; neque in eo probando diutiùs immorabimur.

Constat enim id 1°, vel ex ipsomet Quesnello, qui Baium, ipsumque præsertim Jansenium, uti insignes ac fidelissimos sancti Augustini discipulos, ejusque doctrinæ acerrimos vindices extollit ac commendat; eosdemque ut suos magistros agnoscit ac veneratur. Ita manifestè colligitur ex *causâ Quesnell.* in *verificat.* art. 3 et 4, pag. 67 et seqq.

Constat 2° ex unanimi Quesnellistarum confessione: ii consonantiam illam Quesnellianæ doctrinæ cum Baii et Jansenii placitis, nedùm inficientur, imò jactant, in eoque gloriantur. Hinc Quesnellianus auctor supra citatus: *quatrième Gémissem. de Port-Royal*, sic ait: *Les 101 Propositions condamnées renferment justement toutes les vérités différentes que les disciples de S. Augustin ont toujours soutenues depuis 70 ans.* Ita damnatas propositiones, totius Augustinianæ doctrinæ, hoc est (in ejus mente), *Baianæ* et *Jansenianæ*, summarium esse ac synopsim, clarè prædicat. Constat 3° ex ipsismet Quesnelliani systematis visceribus. Enimverò, tota Baii et Jansenii doctrina, velut in radice comprehenditur duplici inprimis fundamento: 1°, utriusque indeliberatæ delectationis *relativè* necessitatis; 2°, utriusque delectationis deliberatæ, seu impossibilitate amoris medii *vitiosam* cupiditatem inter et *supernaturalem* charitatem: idipsum apertè liquet ex abundè dictis, ubi de *Baio* et *Jansenio*: atqui ex probatis modò, duo ista totidem sunt capitalia Quesnellianæ doctrinæ principia; ergo. His adde, ex illustriss. Bossuet., quinque propositiones (*Jansenii*) in libro *Réflex. moral.* reperiri: at ex eod. doctissimo præsule, quinque propositiones, *ipsæ sunt totus Jansenii liber*; ergo, etc.

Ex hactenùs dictis clarissimè liquet et apertissimè sequitur, Baium et Jansenium in Quesnello fuisse redivivos, huncque integram illorum (*in præcipuis et essentialibus capitibus*) doctrinam, nunc clariùs, nunc obscuriùs instauràsse, eamque, adjectis novis erroribus, denuò revocâsse. Quod quidem non obscurè indicat Clemens XI, laudatis paulò anteà verbis, ubi recitatis 101 propositionibus addit: « Omnes et singulas propositiones præinsertas, tanquàm falsas... *pluries damnatas;* ac demùm etiam hæreticas, *variasque hæreses* et *potissimùm* illas, quæ in famosis *Jansenii* propositionibus, *et quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis*, continentur, *manifestè innovantes*, respectivè, hâc nostrâ perpetuò valiturâ constitutione, declaramus, damnamus et reprobamus. » Cæcutiat oportet, qui non viderit, proscriptam fuisse Jansenianam (proindeque et Baianam) doctrinam à Quesnello in 101 propositionibus renovatam. Necesse porrò minimè est agere hìc de Synodis Romanâ, Avenionensi et Ebredunensi, in causâ Quesnelli habitis: de his enim, in rem nostram satis copiosè dictum in Synopsi historicâ.

CLERICI A BELLIBERONE VITA.

Nicolaus Franciscus à Belliberone è vico Meray, non procul à Condato ad Nerallum, diœcesi Bajocensi oriundus, anno Domini 1740, natus est. Peractis splendidissimè humanioribus litteris, Theologiæ tantâ laude indulsit, ut vix infulâ insignitus licentiæ, ad instituendas in præclarâ Universitate Cadomensi lectiones theologicas, omnium sensu fuerit designatus. Singulare munus erat, sed muneri non impar accedebat ingenio singularis et ipse professor. Clericus enim scientiâ non ætate provectus, cui non minor idearum nitor, quàm verborum

facilitas fuit, veteres ita sibi familiares fecerat, qui latino feliciùs quàm gallico uteretur sermone. Mathematicarum peritus, in doctrinâ sanctorum Patrum versatus, opera inprimis Divi Augustini, cujus fertur sententias omnes memoriâ tenuisse, usque adeò pervolverat, ut interroganti et caput et paginam ex tempore diceret. Disputator subtilis disputationibus tamen nunquàm se immixtum voluit. Quòd si, pro re natâ, ad hoc digladiandi genus accinctus semel videtur, meminisse juvet nihil ei, singulariter à sophismatibus abhorrenti, in animo fuisse, nisi de componendâ lite, in materiâ nimiopere exagitatâ. Vir itaque apud omnes optimi nominis plurimisque affectus honoribus, Decanus scilicet Facultatis Theologiæ in Universitate Cadomensi, in quâ lectiones theologicas per novem et quadraginta annos enucleavit, bis rector ejusdem Universitatis cujus et principem facilè dixeris, officialis demùm abbatiæ S. Stephani Cadomensis ac Rothomagensis Ecclesiæ Cathedrali canonicus, ingenio necnon utilitatis privatæ oblivione omnibus hisce muniis dignum sese præbuit. Vitâ tandem functus viro christiano et sacerdote Christi verissimè dignâ, obiit Cadomi plenus dierum, quartâ die decembris, anno 1790, septuaginta et sex annos natus.

Tractatus varios complevit, nempe de *Pœnitentiâ*, de *Matrimonio*, de *Ecclesiâ*, de *Legibus* et de *Restitutione*. Nonnulla scripsit et commentarii in Scripturam sacram, quæ, forsan minùs desideranda, maximâ ex parte temporum atrocitate deleta sunt. Edidit insuper et percelebrem tractatum, primâ vice typis mandatum Luxemburgi, anno 1777, cui titulus: *Tractatus theologico-dogmaticus de homine lapso et reparato*, quem denuò typis dandum statuimus. Huic operi sors fuit eximio, sicut et cæteris operibus ejusdem momenti: alii effusè laudârunt, iniquè roserunt alii. Sed exsufflatis adversariorum objectiunculis, à Pio VI, pontifice maximo, qui manu propriâ ad auctorem Breve gratulatorium direxit, de imbelli quorumdam invidiolâ pleniùs æquo vindicatus est.

Clericus suopte ingenio candidus, à mendaciis abhorrens, soliusque veritatis amans, in cæteris omnibus mendacium minimè excogitabat; unde famigeratoribus fidem præstans simpliciorem ab invidentibus rudis quandoque, quin et stolidus iniquè dictus est. Quòd si quibusdam aures dederis, exceptâ theologiæ sapientiâ, nullam habuit scientiam. Id autem usque adeò verum est, ut mathematicarum peritus, ut jam dixi, luculenta Maronis, Flaccique carmina ferè ex integro memoriter tenuerit. In accusationem æquiùs venit inanis gloriæ. Ipse verò, sicut *justus accusator sui*, indolem confessione agnoscens, humilitate ingemuit vitiosam. In sole, lector, inventæ sunt labeculæ; quid, si fragilis interdùm nubilet humanitas?

TRACTATUS DE GRATIA.

Pars Dogmatica.

DE HOMINE LAPSO ET REPARATO,

SIVE DE TERRESTRIS ADAM CULPA ET DE COELESTIS ADAM GRATIA.

PRÆFATIO.

Multos, eosque ingenio non parùm valentes, viros, ubi de arduis argumentis disserere aggrediuntur, terrere solent aliorum de eisdem argumentis disceptationes, cùm inprimis eruditione conditæ sunt et inspersæ. Utquid enim, inquiunt pavidi illi homines, eas rursùs attrectare quæstiones, quas doctæ manus toties contrectaverunt? Verùm alios sensus grandi et generoso animo olim volvebat Augustinus, vanamque illam formidinem longiùs propulsabat. « Cùm enim, inquiebat, eadem multipliciter varièque versantur atque tractantur, ipsos quoque capaciore intelligentiâ præditos adjuvant, et ad facilitatem discendi, et ad copiam disserendi. »

Ea scilicet est arduorum argumentorum na-

tiva quasi indoles, ut quantùmcumque discussa sint, in eis tamen plura remaneant obscura et incognita, quæ periculum est ne, ab indoctis præsertim, habeantur pro cognitis et certis, quod sedulò cavendum esse sapientissimè monet Tullius, lib. de Officiis, n. 18.

Hæc profectò salebrosæ de primigenio Adæ peccato et Christi gratiâ controversiæ, toties ab eruditis viris expensæ, præ omnibus aliis congruunt. Quemadmodùm enim nulla est in totâ sacrâ disciplinâ magis obscura, et quæ majores exhibeat difficultates, ita nulla est, in quâ errare et facilius, et periculosius, et frequentius sit.

Errorum istorum, in quos non ignari tantùm, sed et nonnulli, etiam non indocti homines, nostris temporibus impegerunt, copia et varietas hoc opus veluti peperit, et foras emisit. Enimverò, non paucos, ex iis etiam qui sacrum decurrebant stadium, quinimò doctoris officio in obscuris scholis fungebantur, dogma ab opinione, ubi potissimùm de peccato originali et gratiâ Christi res erat, discriminandi arte non satis pollere longâ experientiâ didiceram. Quæ quidem, ne longior sim, quibusdam exemplis confirmâsse satis erit.

Ac primò notum est, Yprensem sententiam Guillelmi Estii de peccati originalis transmissione ad suum de concupiscentiâ systema corroborandum impensè extulisse. Quid pseudotheologi nostri? Utramque sententiam omnibus concordare modis, et idcircò eodem configendam esse veru. Idem proferebant judicium de opinione parvulos sine sacris undis ex hâc vitâ migrantes pœnâ sensùs, quanquàm mitissimâ, afficiente. Hæc nimirùm opinio, magnis licet et religiosis dogmaticorum Ecclesiæ judiciorum cultoribus probata viris, ipsis omni execratione digna videbatur, vel eo solo nomine quòd Yprensis ejusque defensores eam cum summo ardore defendant, ut probent Deum sine injustitiâ posse adultos homines in præsenti rerum ordine æternis addicere suppliciis propter peccata nonnisi in Adamo liberè commissa. Quod docuerunt Gregorius Ariminensis, cardinalis Norisius, aliique insignes theologi, statum naturæ puræ possibilem esse inspectâ Dei omnipotentiâ, impossibilem è converso consideratâ ejus justitiâ, bonitate, sapientiâ, etc. Constitutionibus latis adversùs Baium ejusque asseclas expressè damnatum esse conclamabant; nec minùs malè apud ipsos audiebat opinio ejusdem statùs possibilitatem *quoad terminum* improbans, quia possibilitati hujus statùs et *quoad terminum* et *quoad viam* æqualem inserebant certitudinem. Sententia eorumdem theologorum super morali actuum humanorum bonitate, quæ sine Christi gratiâ à charitatis gratiâ distincta vigere nequit, in rebus etiam facilibus, eorum judicio ea ipsa erat, quam Baius propositione vigesimâ sextâ expresserat. Tandem systema duarum delectationum *relativè*, et non *simpliciter* victricium, à Gregorio Ariminensi, Norisio et omni ferè celeberrimâ Augustinianorum scholâ propugnatum, in Jansenio prorsùs proscriptum esse pronuntiare audebant; unde inferebant ejus defensores habendos esse velut hæreticos, etiamsi delectationem Jansenii *necessitantem* amandarent, etc.

Diu profectò tot fanaticis assertionibus gemuimus, quæ Ecclesiæ catholicæ pacem funestum in modum poterant perturbare, quæ paternum Benedicti XIV animum ingenti mœrore affecerant, quæ erroris patronos magis ac magis in furorem adigebant, eisque adversùs Catholicos arma ministrabant, sicque desiderandum eorum in Ecclesiæ sinum reditum impediebant, etc.; donec tandem sapientum virorum consiliis excitatus, quinque ab hinc annis propositum inivi tractatum de originali peccato et Christi gratiâ concinnandi, in quo quid super his definitum esset, aut non definitum, sedulò assignarem, idque juxta sapientiæ et pacis documenta in Brevi Benedicti XIV in gratiam operum Norisii delineata. Hoc autem consilium eò libentiùs arripui, quòd nonnulli recentiores, insigni aliunde eruditione conspicui, plurima super his in suis elucubrationibus desideranda reliquerint, nullâ videlicet habitâ notitiâ Brevis Benedicti XIV in favorem cardinalis Norisii, et famosæ retractationis, quam P. Chiggi Romæ emittere compulsus est. Hâc ex causâ hoc opus inscripsi : *Tractatus dogmaticus de homine lapso et reparato*, qui titulus, ut patet, totam de primævo Adæ delicto et Christi gratiâ materiem continet et complectitur. Etenim per primum terreni Adæ peccatum homo lapsus est, et per gratiam cœlestis Adæ erigitur.

Primæva autem noxa, et Christi gratia secum invicem intimè connexæ sunt in præsenti statu, et una alteram commonstrat. Utriusque verò notitia ad veram solidamque sapientiam mortales quasi manu deducit. Tota nimirùm sapientiæ nostræ summa duabus constat partibus, Dei cognitione et nostrî. Unde istud ora-

culum : *nòsse te, consummata justitia est; et scire justitiam, et virtutem tuam, radix est immortalitatis,* Sapient. 15; et istud Joan. 17 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Quare Augustinus hoc Platonis dictum cum encomio celebrat, lib. 8 de Civit. Dei, cap. 5 : *Dei imitator, cognitor, et amator est sapiens, cujus participatione fit beatus.* Deinde lib. 3 de Ordine, cap. 2, dixit : *Scipsum intelligit sapiens;* et prooemio lib. 4 de Trinitate, cap. 1 : *Scientiâ cæteris præstans est nosse scipsum;* porrò attenta primigeniæ sordis et gratiæ Christi consideratio duplicem illam cognitionem humanis mentibus quasi illicò instillat. Enimverò quis admirabilem gratiæ Christi vim et virtutem ipsa corda scelus anhelantia ad Deum aliquando protinùs convertentem recogitando infinitam Dei potentiam et misericordiam statim non cognoscit? Quis melle et favo dulciorem sacri hujus doni suavitatem degustando jucundissimam illius Auctoris bonitatem continuò non apprehendit? Quis effusam in omnes et singulos homines divini illius beneficii copiam longè latèque circumspiciendo beneficentissimæ supremi Numinis providentiæ admiratione et amore è vestigio non percellitur et accenditur? Quis efficacissimam cœlestis hujus subsidii motionem sese mirandum in modum liberis hominum voluntatibus inserentem ponderando à fine ad finem fortiter attingentem, et miracula in morali non minùs quàm in physico ordine perpetuò patrantem Dei sapientiam sine morâ non intelligit? Quis, ut in tantâ dicendi ubertate modum faciam, quis impunè non elisam superni illius jaculi aciem inspiciendo infinitam Dei justitiam statim non intuetur et reformidat? etc.

Neque sacri hujus adminiculi contemplatio hominem in suî agnitione minùs adjuvat; mirabiles enim illius dotes, flammeus vigor, fortis ac dulcis illustrandi et movendi modus, felix necessitas, etc., generis humani tenuitatem, ignorantiam, infirmitatem, pravitatem, uno verbo stupendam ad omne opus bonum, saltem æternam salutem spectans, inhabilitatem per primi hominis defectionem invectam splendidè patefaciunt et retegunt; hæc indubiè considerans Apostolus exclamavit 1 Cor. 15 : *Gratiâ Dei sum id quod sum; non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est,* 2 Cor. 3. Et D. Augustinus, lib. 2 Conf. c. 7 : *Gratiæ tuæ deputo.... quòd peccata mea tanquàm glaciem solvisti; gratiæ tuæ deputo quæcumque non feci mala,* etc.

Peccati igitur originalis et gratiæ Christi cognitio et meditatio est velut refulgens speculum, in quo Deum et nos intuemur, à quo idcircò oculi nunquàm deflectendi sunt, ut propriæ miseriæ et infirmitatis, et infinitæ Dei potentiæ et misericordiæ conscii et memores ingenitam et in animi medullis perpetuò prurientem superbiam retundamus, justitiam nostram in justitiæ Sole quæramus, nos nisi Deo confortante nihil posse confiteamur, et si gloriamur, in eo tantùm gloriemur. Quoniam autem à bonis, quæ guttatim è cœlo ad nos continuò stillant, tanquàm a rivulis ad fontem deducimur; quoniam, ut dicitur, Psalmo 67, per pluviam vitalem infirmæ hæreditatis suæ virtutem perficere non desinit Deus, in tanti muneris largitorem oculos attollamus, et totam mentis cogitationem erigamus, Christum Dominum, qui *chirographum mortis nostræ cruci affigens,* illud pretioso sanguine delevit, et cœlestium bonorum infinitatem nobis promeritus est, in quo cœlestis Pater *omnia nobis donavit,* Rom. 8, ne in pœnam prodigiosæ ingratitudinis divino illo rore deinceps non inspergamur.

Jam verò satis innotescit præsens argumentum admodùm difficile et perplexum esse; quinimò ipsi Apostolo creatæ intelligentiæ acumen, præsertim in efficaciâ et distributione gratiæ, omninò transcendere visum est; unde Augustinus epist. 140, aliàs 120, cap. 26, dixit : *In profunditate gratuitæ gratiæ multorum ingenia conteruntur, id investigare conantia, ut ad extremum eis dicatur, ô homo, tu quis es qui respondeas Deo,* Rom. 9.... Luminum igitur Patrem, qui revelat profunda et abscondita, qui ex nihilo res exire, ex tenebris lucem splendescere facit, piè et enixè rogemus, ut mentes nostras illuminet, quò tam altum sacramentum, quantùm humana patitur imbecillitas, scrutari valeamus.

Neque hic Deistæ, aliive divinæ providentiæ impugnatores, aut calumniatores, arripiant quod vel cavillentur, vel subsannent. An enim humana intelligentia, quæ in ipsis rebus naturalibus plerumque caligat, in divinæ sapientiæ arcana introspicere poterit? An divinum acumen humano latiùs non patet? Nonne ipsa suggerit ratio altiorem esse divinam sapientiam quàm ut vel humano modo metienda sit, vel ingenii humani tenuitate possit comprehendi? Quare ventosos illos homines irridere juvat, iis

ipsis verbis, quibus usus est Calvinus ad invidiam à detestabili suo positivæ reprobationis ex mero Dei beneplacito systemate deprecandam: « Quinam estis qui ad eam legem redigere vultis Dei judicia et decreta, ut simul ac eorum ratio non constiterit, improbare audeatis? Vultisne ut divina potentia sic limitata sit, ut ne quid plus ad agendum valeat quàm mentes vestræ capiant? Deo accusationem intentatis? Et ideò intentatis quia decretorum suorum altitudinem ad ruditatem vestram non attemperat? Quasi verò ideò perversa sint quia carni sunt occulta? Scitis illa decreta vocari profundam abyssum; nunc ingenii vestri angustias consulite, an quod decrevit Deus apud se capiant? Quid ergò juvat vesanâ inquisitione vos demergere in abyssum, quam vobis exitialem fore ratio ipsa dictat? » etc., lib. 3 Inst. c. 23, n. 5. Juvat eos cum Augustino, sermone 27 de versiculis Psalmi 95, aliàs de verbis Apostoli 20, cap. 3, n. 6 et 7, sic compellare: « Expectas à me, ô homo, ut dicam tibi, quare *cui vult miseretur, et quem vult indurat?* (Rom. 9). Et ego sum homo; itaque ambo audiamus dicentem, *ô homo tu quis es?* (Rom. 9.) Melior est enim fidelis ignorantia quàm temeraria scientia.... Quare huic subvenit, et huic non,.... Petrus negat, latro credit, ô altitudo!.... Quæris tu rationem, ego expavescam altitudinem.... Tu ratiocinare, ego mirabor; tu disputa, ego credam; altitudinem video, ad profundum non pervenio, ô altitudo!... Requievit Paulus quia admirationem invenit... Ille dicit, *inscrutabilia sunt judicia ejus*, et tu scrutari venisti? Ille dicit, *investigabiles sunt viæ ejus*, et tu investigare venisti! » etc.

Ad obscurum istud argumentum quàm fieri poterat illustrandum, divinâ ordinante providentiâ, plurimùm contulerunt hæreses pelagiana et semipelagiana; *prosunt enim*, inquit Augustinus lib. de verâ Religione cap. 8, *Ecclesiæ hæreses, non verum docendo quod nesciunt, sed ad verum quærendum Catholicos excitando;* unde cùm Christus Ecclesiæ, cujus caput est, commodis et utilitati semper prospiciat, tunc eximios excitat doctores, in quorum oribus sua vox personet ad erroris extinctionem, et dogmatis catholici firmamentum; inter eos autem, quos Pelagii ævo suscitavit, eminuit D. Augustinus, vir acerrimi ingenii, exquisitæ eruditionis, summæ et suavis pietatis, laboris amans et patientissimus, in sui temporis novatoribus revincendis et ad Ecclesiæ gremium reducendis promptus, alacer, industrius, et felicissimus; uno verbo, vir omni laude major; nihil quippe, aut saltem ferè nihil adversùs Pelagianos et Semipelagianos sancivit Ecclesia quod ex Augustini libris non expresserit; conciliorum definitiones, et summorum pontificum decreta, quibus quasi totidem fulminibus prostrati sunt et contriti, ex Augustini elucubrationibus adornata sunt, S. Augustini doctrinam spirant, S. Augustini verbis enuntiantur. Ex quibus elucescit maximam esse S. Augustini auctoritatem, præsertim in controversiis de peccato originali et gratiâ Christi.

Hic tamen summâ cautione declinanda sunt duo vitia, in quæ irruerunt ex unâ parte novatores, et ex alterâ nonnulli theologi, zelo quidem Dei gloriæ, sed non secundùm scientiam, ut videtur, accensi. Enimverò illi eò audaciæ proruperunt, ut cum magistro suo Yprensi totam traditionem in solo Augustino, reclamante licet concilio Tridentino, collocare viderentur, totamque ejus doctrinam ceu revelatam defenderent; quò collimabat hæc eorum assertio 30ª, inter triginta et unam ab Alexandro VIII, die 7 decembris anni 1690 damnatas: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, non respiciendo ad ullam pontificis bullam;* ipse scilicet S. doctor in ipsò libro de dono perseverantiæ cap. 21, licet adversùs Semipelagianos scripto anno 428, aut 429 (id est uno aut duobus annis ante mortem) dixit, se Retractationum libros concinnare ut ostendat, *seipsum se in omnibus secutum non fuisse;* quibus verbis fateri videtur, se sibi semper non constitisse. Constat aliunde quemlibet sanctorum, his duntaxat exceptis qui libros canonicos ediderunt, vel fortè converterunt, spiritu humano locutum esse. Præterea notum est S. doctorem adversùs coætaneos hæreticos innumerabilia propemodùm scripta quasi currendo emisisse, quæ ad incudem revocare non potuit, in quibus diversi generis argumenta, et quidquid non eruditio tantùm, sed et incredibili zelo effervescens imaginandi vis illicò suggerebat sparsit, continuis aliunde sacri ministerii muniis obeundis assiduus et intentus. Hinc autem evenit (quod certè evenire necesse fuit), ut Augustini libri numeris omnibus non sint absoluti, sed magis minùsve solidis ratiocinationibus repleantur, frequentibus onerentur repetitionibus, plus aliquando enuntient quàm intendit Augustinus, et densâ interdùm inspergantur caligine (unde deceptus videtur Canus cùm asseruit, lib. 10 de locis, cap. 5,

quempiam Augustino clariorem non fuisse, quod et evincit exemplum Yprensis, qui decies et ampliùs universa Augustini opera acri cum attentione legit, libros verò contra Pelagianos trigesies, nec tamen eorum sensum assecutus est).

Ex hâc autem Augustini operum conditione contigit, ut cùm omnes quinti seculi hæretici Augustinum detestarentur, cuncti è converso decimi sexti et decimi septimi seculi novatores ipsum sacrilego thure coluerint; illius quippe librorum arcem ingressi sunt, cujus lateribus, tanquàm totidem aggeribus, circumsepti jacula in Catholicos eò faciliùs et securiùs, quod Augustini tela memorarentur, vibrârunt, et contorserunt. Hoc Protestantes, hoc inprimis egit Jansenius in suo Augustino ad quinque propositionum virus instillandum, et disseminandum. Quamobrem Augustino evenit quod indubiè sibi eventurum esse non prævidebat cùm libro de catechizandis rudibus cap. 8, dicebat, nonnullos Catholicos *scriptoribus quibusdam fuisse occasioni ad hæresim moliendam*; id autem toto terrarum orbe longè latèque coruscanti Augustini nomini et gloriæ vel levissimam labem inurere non potest; ipsorum scilicet Apostolorum oraculis malè intellectis, et incongruè adhibitis, cujuslibet ævi hæretici, ut ibidem observat S. doctor, suos errores defendere conati sunt.

Neque commemorati novatores cum Jansenio reponant, antiquam Ecclesiam omnia Augustini opera approbâsse; ita quidem, sed hæc approbatio (si quod adversùs Pelagianos et Semipelagianos definitum est excipias) fuit generalis, significans nihil esse in Augustini operibus quod illæsâ fide propugnari non posset, quamdiù saltem aliter non statuisset Ecclesia catholica, quæ est *columna et firmamentum veritatis*; non autem specialis, sive singulas Augustini librorum assertiones in dogmata fidei erigens; hæc enim approbatio, quæ accuratum examen exegisset, per ducentos etiam annos ab Ecclesiâ, etiam congregatâ, impendi non potuisset.

Cave tamen ne quibusdam, scientiâ et pietate aliàs maximè conspicuis viris (quales, v. g., Dionysius Petavius, Stephanus Deschamps, etc., et hoc est alterum vitium, quod sollicitè declinandum esse monuimus), cave, inquam, ne iis morem geras, qui Augustinum veluti ferulæ suæ subjicientes de ejus doctrinâ liberius judicium proferre audent, quin et quosdam errores in iis etiam, quæ fidem et mores attingunt, ipsi adscribere, puta Eucharistiam parvulis non minùs necessariam fuisse quàm Baptismum, etc. Norisius enim, P. Alexander, et alii eruditi viri illos nævos, quibus Dallæus Minister libro *de vero Patrum usu* Augustinum inficere conatus est, non infeliciter detergunt. Augustini scilicet auctoritas in omnibus, etiam ab Ecclesiâ specialim non approbatis, multi facienda est, ut cum insignibus viris lubenter dicerem, *unus pro multis mihi semper erit Augustinus*; sed præsertim in controversiis de peccato originali, gratiâ, et prædestinatione, in quibus cæteros inter Ecclesiæ doctores non secùs ac sol inter alia minora sidera præfulget. scilicet adversùs gratiæ interioris dogma sacris in Litteris, præsertim D. Pauli Epistolis consignatum, et Ecclesiæ visceribus quasi insculptum, nemo ante Pelagium nefarias erexerat manus; hinc contigit (quod Augustino referente D. Chrysostomo in quæstione de avitâ maculâ priùs evenerat), ut qui ante Augustinum rebus divinis insudaverant de gratiâ Dei breviter et transeunter disseruerint, intenti potissimùm in refellendis existentibus Ecclesiæ hostibus, et plebis sibi commissæ animis christianis virtutibus informandis. Hæc testatur Augustinus libro de Prædestinatione sanctorum cap. 14, quem paulò ante mortem edidit. Unde elucet in controversiâ de peccato originali et gratiâ Christi, quam ex professo tractavit D. Augustinus, alii è converso Patres leviter et perfunctoriè, potiùs standum esse Augustini quàm anteriorum Patrum sententiæ; non nostra tantùm hæc est, sed et ipsius doctissimi Petavii, imò, omnium theologorum, opinio, cujus celebre testimonium, ut penitùs obstruatur os minas adversùs nos hìc demurmurantium, adducere juvat: « Cùm de gratiâ, inquit tom. 1 Theol. dogm. lib. 9, cap. 6, n. 7, vel electione, vel prædestinatione disputandum est, minor haberi solet antiquorum Patrum ratio, qui ante pelagianam ortam hæresim extiterunt, quàm eorum qui postea secuti sunt; Latinorum verò multò major quàm Græcorum etiam hæresi illâ posteriorum; propterea quòd magis aliquantò latinam Ecclesiam quàm orientalem exercuit hæresis pelagiana, quæ iis de rebus altercandi occasionem præbuit: sic ut Græci plerique intima Pelagianorum dogmata vel ignoraverint funditùs, vel minùs accuratè perspexerint; omnium verò Latinorum, quorum in hâc causâ majorem dixi auctoritatem esse, princeps est consensu theologorum (hæc nota) Augustinus, cujus de

gratiâ sententiam quotquot deinceps seculi sunt Patres et doctores, tum verò Ecclesiæ romanæ præsules, præsulumque conventus aliorum, ratam et catholicam esse judicârunt, ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quòd ab Augustino positum ac decretum esse constaret. » Quare quod commemorati Augustini censores obtendere solent, ex summo pontifice Cœlestino epistolâ ad episcopos Gallicanos (scripta est versùs annum 452) *profundiores difficilioresque quæstiones* ab Augustino (adversùs hæreticos decertante occasione gratiæ dogmatis) *tractatas et solutas ita non esse contemnendas, ut eas adstruendi nulla adsit necessitas*, eorum causam certò non adjuvat; hanc enim observationem genuinum Cœlestini opus non esse sentiunt plurimi eruditi, inter quos Baronius, Surius, Vossius (Gerardus), Suaresius, Sirmondus, Norisius, etc.; contendunt enim hanc epistolam his capitis secundi verbis terminari : *Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi;* decem verò capita sequentia, in quibus commemorata observatio reperitur, à Cœlestino non esse exarata.

Quidquid sit ex dictis cum doctissimo Petavio elucet amplectendam esse D. Augustini de gratiâ doctrinam quoties clarè innotescit; enimverò non est, ut observavimus, aliquando perspicua; ex hâc videlicet obscuritate, velut ex profundâ scaturigine, ebullierunt varia circa gratiam et prædestinationem scholæ systemata, quæ, utpote ab Ecclesiâ hactenùs non improbata, erroris temerè et imprudenter insimularentur; *arguendi enim sunt,* inquit Canus, lib. 8 de Locis c. 4, *nonnulli theologi qui ex opinionum, quas in scholâ acceperunt, præjudiciis viros aliàs catholicos notis gravioribus inurunt, idque tantâ facilitate, ut meritò rideantur;* qui v. g. theologos prædestinationem ad gloriam ex intuitu gratiæ meritorum fieri sentientes, et *scientiam quamdam mediam* propugnantes Semipelagianis inscriberet, ut Jansenio ejusque discipulis gentile est, se vel Semipelagianorum dogmatum ignarum, vel *studio partium in transversum actum ostenderet*, inquit P. Alexander in hist. 5 seculi, vir maximè eruditus, sic hìc non suspectus, utpote qui Molinianum systema, quoties sese dat occasio, acri et vivido modo impugnat et refellit.

Diversa illa systemata exacuendis quidem ingeniis, et nonnullis fortè Scripturæ et Patrum testimoniis enucleandis, aut diluendis adversùs dogma catholicum ex rationis armamentario desumptis argumentis utilia sunt; sed hominum pravitate, aut levitate, hactenùs plus rei catholicæ amplificandæ nocuisse videntur, quàm profecisse; ex iis enim Ecclesiæ inimici ipsi protervius insultandi ansam arripuerunt, et aliunde eorum defensores non rarò studio partium magis quàm investigandæ et detegendæ veritatis desiderio accensi videntur; cùm igitur intra majoris duntaxat minorisve probabilitatis cancellos consistant, idcircò nullum ex iis amplectemur (licet in Augustianum, utpote Augustino, nostro judicio, consonum magis propendeamus). In hoc autem Bossuetii et aliorum sapientissimorum vestigiis insistemus, qui fidei adversùs hæreticos vindicandæ et stabiliendæ incumbere satis habuerunt; « ubi scilicet, inquit Canus, lib. 8 de Locis, cap. 4, sunt doctissimorum hominum variæ discrepantesque sententiæ Academicorum temperamentum imitari, et à rebus incertis certam assensionem cohibere debemus; quid aliundè, inquit Cicero, tam temerarium tamque indignum sapientis gravitate atque constantiâ quàm quod non satis exploratè cognitum est, id sine ullâ dubitatione defendere? »

Cæterùm, recentiores hæreticos, quorum dogmata refellemus, suo plerumque nomine non appellabimus, illorum non texemus historiam, et nullis prorsùs conviciis et probris impetemus, ut nonnulli è nostris consueverunt. Etsi enim, Augustino dicente Tractatu undecimo in caput tertium Evangelii Joannis, *reges christiani, qui in hoc regnant ut Dei gloriæ serviant, rebelles hæreticos pœnis afficere debent,* hoc tamen Ecclesiæ doctoribus non licet. Debent enim, ut passim docet idem Augustinus, inprimis sermone 357 de laude pacis, aliàs 55, « hæreticis litigantibus et conviciantibus christianam exhibere mansuetudinem, quâ de toto terrarum orbe triumphavit Christus, et sese non ad jurgia (ut illi) sed ad preces convertere, quia hæretici etiam fratres sunt, et licet in Ecclesiam blasphemias evomant rogat Ecclesia ut ferantur. » *Convicium audis,* addit ibidem, *tolera, dissimula, prætери;* unde et præclarum illius effatum lib. de catechizandis rudibus cap. 28, *bonos imitare, malos tolera, omnes ama.* Etverò dolendi magis sunt hæretici quàm detestandi, cum Apostolo dicente (2 ad Thess. cap. 3): *non omnium sit fides; omni ergo opere, omni sudore, pio ad Deum affectu laborandum est, ut ad Ecclesiæ unitatem redeant; quomodò enim,* addit tandem S. doctor lib. de Utilitate jejunii cap. 9, *tu solves glaciem iniquitatis* (eorum) *si non ardeas flammâ charitatis?*

Toto igitur animi ardore, Christiane lector,

hunc excipe Tractatum, per quem Dei et tui notitiam adipisci poteris, cœli thesauros, et auro pretiosiores divinæ bonitatis divitias mirâ cum jucunditate contemplaberis. Novatorum perversa dogmata, tortuosum ingenium, fraudes, technas, cavillationes deteges, sideribus vividiùs scintillantem in effusione et substractione robustioris gratiæ Dei misericordiam et justitiam cum gaudio et tremore videbis, undarum effluvium è fontibus Salvatoris irrigatâ terræ superficie in æternam vitam mirabiliter scaturiens cum novo stupore et admiratione suspicies, per quem demùm, quod non pauci inter ipsos doctores apprimè non noverunt, in hac salebrosâ controversiâ dogma ab opinione optimè secernere poteris, sicque Deo dante Ecclesiæ pacem et unitatem integram servabis, et hæreticos, dissipatis eorum præjudiciis, in sanctæ Matris gremium reduces. Fiat, fiat.

DE HOMINE LAPSO ET REPARATO.

Tractatus iste theologicos inter cùm difficultate, tum excellentiâ et utilitate suâ principem locum sibi meritò vindicat. Enimverò totius religionis christianæ summam complectitur et exhibet. « In causâ duorum hominum, inquit D. Augustinus, libr. de peccato originali contra Pelagium et Cœlestium, cap. 24, n. 28, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis (Adami et Christi), propriè fides christiana consistit. » Idem habet Epist. 190, aliàs 157, cap. 1, n. 3.

Celebris ista dissertatio duabus, ut ipse clamat titulus, constabit partibus. Prima grande primi Adam delictum commonstrabit, ejusque naturam quantùm humana patietur imbecillitas scrutabitur, et è tenebris in lucem educet. Secunda pretiosos medicæ et reparatricis secundi Adam gratiæ thesauros investigabit et quoad fieri poterit patefaciet.

Pars prima.

DE PRIMI PARENTIS, SIVE ADÆ, PECCATO.

Nonnullæ hoc super argumento, ut et super aliis apud D. Thomam, etiam in Summâ, 1-2, q. 71 et seq., et insignes tum veteres cùm recentiores scholæ doctores, qui commentarios ediderunt in ejus opera, nonnullæ, inquam, occurrunt quæstiones ad acuendam potiùs quàm erudiendam ingenii aciem excogitatæ, quas idcircò solidæ et salubris instructionis studiosi silebimus, vel levissimè perstringemus. Meritò quippè Melchior Canus, insignis 16 seculi theologus, eas in scholam invectas esse passim conquerebatur, lib. 9 de Locis, cap. 7, ac eliminari exoptabat, quòd plus obscuritatis quàm utilitatis complecterentur.

Etsi primigenium delictum noxa est singularis cujusdam speciei, tamen peccati universim considerati notitia in illius cognitionem aliquatenùs ducit et dirigit. Hoc ideò argumentum duobus ventilabimus libris, quorum prior de peccato universè spectato, posterior de paternâ labe disseret.

Liber primus.

DE PECCATO GENERATIM INSPECTO.

Quanquàm ex peccati definitione illicò cognosci posse videtur, an peccatum sit quid positivum, an quid privativum, ut aiunt, duo tamen majoris claritatis causâ seorsim indagabimus, unum, quænam sit legitima peccati definitio, alterum, an peccati essentia reponenda sit in privatione, vel non.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit peccatum generatim acceptum?

Vox peccatum varium sortitur sensum sacris in Litteris et Patrum operibus. Aliquando enim significat hostiam, sive victimam pro peccati expiatione mactatam, puta Osee 4, ubi sacerdotes dicuntur *peccata populi comedere,* id est, hostiam, quâ vulgi delicta absterguntur, et 2 Cor. c. 5, ubi Christus refertur *pro nobis peccatum factus,* hoc est, immolatus non pro fidelium duntaxat, sed etiam pro omnium et singulorum hominum peccatis.... Alibi designat peccati causam sive occasionem, v. g., Deuteronomii 9, v. 21, vitulus aureus Israelitarum *peccatum,* id est, causa peccati, dicitur.... Interdùm peccati pœnam sive effectum indicat. Sic Levitici 20, v. 17, nonnulli sontes referuntur *iniquitatem suam,* id est, pœnam iniquitatis, cruentâ morte *portare,* sive sustinere ... Nonnunquàm et causam et effectum peccati exhi-

bet, ut Rom. 7, v. 21, ubi concupiscentia vocatur *peccatum* quia ex peccato oritur, et ad peccatum impellit.... Tandem sæpiùs connotat quemlibet actum à regulâ suâ aberrantem, velut in his Christi verbis, *quis ex vobis arguet me de peccato?* (Joannis 8), id est, de actione legi non consonâ. In moralibus igitur actus à morum regulis deficientes *peccata* vocantur, quemadmodùm in naturalibus monstra dicuntur *peccata naturæ*, et in artificialibus adulterina opera *artis peccata*. Atque hìc quasi per transennam observa, has et similes ambiguitates, quarum pleni sunt sacri codices, simplicibus et in pietate parùm obfirmatis hominibus præposteras periculosasque cogitationes posse suggerere, et ideò immeritò dixisse Quesnellum, Propositionibus 80 et 81, non Scripturam, sed *Scripturæ lectionem esse pro omnibus*, et *obscuritatem verbi Dei non esse laicis rationem dispensandi seipsos ab ejus lectione*. Peccatum in præsens ultimo sensu accipitur, id est pro actu in genere moris vitioso, et unicè quæritur, utrum vera peccati in genere afferri possit definitio, quæ idcircò illi omni congruat quod verè peccatum est, qualis est originis labes, quale delictum mortale actuale, veniale, quale peccatum commissionis, omissionis, etc.

Hæc quæstio eò majoris est momenti quòd intimo nexu conjuncta sit cum pestifero recentiorum novatorum systemate, quo ad verum peccatum in homine lapso libertatem non necessitatis, sed coactionis duntaxat, sive violentiæ expertem exigunt. Quod nefarium et in fatalem desperationem mortales præcipitans dogma ut vellicetur, sit

Conclusio. Peccatum strictè acceptum, præsertim actuale, sive personale, meritò definitur: Actus liber, id est, non coactionis tantùm, sed etiam cujuslibet veræ necessitatis, etiam alternantis et relativæ expers, deflectens à lege æternâ.

Prob. 1° auctoritate. Hæc peccati definitio Patribus et theologis catholicis est accepta; ergo admitti debet. Prob. antecedens. D. Augustinus, lib. 22 adversùs Faustum, cap. 27, de vero peccato disserens ait: *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum, contra æternam legem;* deindè addit: « Lex æterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. » Utramque illam definitionem cum encomio referunt theologi et accuratas esse agnoscunt, primam inprimis, quam impensè laudat D. Thomas 1-2, q. 71, art. 6, in corp. Si igitur nostra definitio verbis, et non re ab Augustinianâ peccati definitione discrepat, adversariis, qui solius Augustini et ejus discipulorum auctoritate tanguntur, non displicere, sed perquàm placere debet; at nihil aliud discriminis inter eas inveniri potest; etenim Augustiniana peccatum omissionis sufficienter exprimit, *cùm scilicet*, inquit D. Thomas loco citato, in resp. ad primum, *affirmatio et negatio reducantur ad idem genus* (id est, qui non facit quod facere tenetur, agere censeatur) *S. Augustinus pro eodem accepit dictum et non dictum, factum et non factum*, etc. Pariter libertatem ad veri peccati rationem prorsùs necessariam, quam cuilibet exploratam esse asserit S. doctor in libro de duabus animabus, et innumeris rationum momentis adversùs Manichæos vindicaverat, non minùs sufficienter enuntiat; lex nimirùm, quam per dictum, factum, aut concupitum violari dicit, utpote essentialiter obligativa, nonnisi liberis creaturis imponi potest.

Cum Augustianâ et ideò nostrâ reapsè concordant sequentes definitiones, quæ in Patrum operibus, catechismis, et philosophorum etiam scriptis reperiuntur: *peccatum est prævaricatio legis divinæ* (Amb. lib. de paradiso, cap. 8), vis scilicet obligandi legibus humanis insita à divinâ voluntate, sive æternâ lege, mediatè oritur, et ideò in eâ definitione lex divina ipsam legem humanam connotat.... *Peccatum est actus humanus malus* (D. Thomas, 1-2, q. 71, a. 7, in C.). Actus nimirùm, quatenùs humanus est essentialiter liber, et quatenùs malus contra æternam legem necessariè militat; unde et ista definitio et libertatem legum et æternam legem indicat. Idem iisdem ex causis dicendum de istâ communi theologorum et Catechismorum definitione, *peccatum est transgressio legis libera*, aut de istâ philosophorum, *peccatum est id quod fit aut non fit contra imperium rationis;* notum quippe est legis nomine omnes intelligi leges, præsertim æternam, quæ est lex *per essentiam*, cùm cæteræ sint leges *per participationem;* non minùs est exploratum id quod fit aut non fit contra rationis dictamen esse peccatum theologicum, sive actum divinam Majestatem offendentem, cùm ratio, sive lex naturalis, sit æternæ legis adumbratio et imago.

Ex his elucescit commemoratam peccati definitionem non solius D. Augustini, sed etiam aliorum Patrum, vel theologorum, et ipsorummet philosophorum auctoritate inniti.

Prob. 2° ratione, sive ex dotibus legitimæ definitionis, quibus nostra refulget. Etenim ge-

nus exhibet, sive id, per quod peccatum convenit cum actione vel omissione humanâ, quæ non est peccatum. Voces videlicet, *actus deflectens à lege* comprehendunt etiam actus necessariè elicitos, quales edunt infantes, amentes, etc., et voces *actus liber* actus bonos, etc.

Item offert primariam et proximam peccati differentiam, id est, illud per quod peccatum ab omni actu qui vitiosus non est, primariò et proximè secernitur. Enimverò formalis peccat ratio, sive id per quod peccatum *in esse*, ut loquuntur, peccati constituitur, oritur ex declinatione à lege æternâ imperante, vel prohibente; lex nimirùm æterna est omnium actuum humanorum regula, et ideò quod ad illius legis amussim non fit, peccatum illicò concipitur.

Item soli peccato convenit; omnis enim et solus actus contra æternam legem liberè productus peccatum est (unde ipsæ adversùs fidem cogitationes, vel motus carnis etiam usque ad seminis effusionem insurgentes, nisi accesserit liber voluntatis consensus, non sunt peccata, ut docet D. Aug. lib. de verâ religione, cap. 14, n. 27, et lib. 2 de duabus animabus cap. 11, n. 15.

Item omne veri nominis peccatum comprehendit; scilicet ipsum originale, quod in Adam perfectè liberum fuit, et in ejus nepotibus est etiam suo modo liberum, ut postea cum D. Augustino ostendemus...... Peccatum *commissionis*, id est contra legem æternam prohibentem, et *omissionis*, id est adversùs eamdem legem præcipientem; nemo enim non videt utrumque delictum nomine *actûs deflectentis à lege* perspicuè connotari.... Peccatum *mortale*, ut omnes consentiunt, ac etiam *veniale;* equidem Magister Sententiarum ac ipso duce D. Thomas, 1-2, q. 88, art. 1, ad primum, asserunt peccatum veniale non esse *contra legem,* sed *præter legem.* Verùm adversam sententiam propugnant Estius in 2 Sententiarum distinct. 35, parag. 2; Sylvius in 1-2, q. 71, art. 6, et alii illustriores Angelici doctoris expositores. Hæc quippe est doctrina D. Augustini variis in locis, maximè lib. 2 de peccatorum meritis et remissione, cap. 16, ubi de peccatis disserens hæc pronuntiat: *Nec peccatum erit, si quid erit, si non divinitùs jubetur ut non sit.* Omne igitur peccatum seu mortale seu veniale æternâ lege prohibetur; sed hoc inter utrumque discriminis intercedit, quòd mortale hominem spoliat gratiâ justificante, eumque æternæ pœnæ debitorem facit, et idcircò *finem legis, qui charitas est* (1 ad Tim. 1), evertit; veniale è converso finem illum non destruit, cùm charitatem non tollat, sed imminuat duntaxat, et ideò non sit omnimodè adversum fini legis, licet à lege vetetur; atque id fortassis intendit D. Thomas loco indicato; antea enim, 1-2, q. 74, art. 10, ad primum, dixerat, *peccatum quod est contra rationes æternas* (id est contra legem æternam), *etsi sit peccatum mortale ex genere, posse tamen esse peccatum veniale propter imperfectionem actûs subiti....* Peccatum denique *habituale*, quod est habitus quidam perversus animæ ex commisso antea peccato inhærens. Habitus enim ille non est vitiosus et Deo invisus, nisi quia exhibet aut supponit præteritam declinationem liberam à lege æternâ. Est quippe peccatum habituale peccatum priùs commissum, non quidem actu existens, sed moraliter perseverans, quo homo peccator denominatur.

Demùm nihil in eâ redundat; peccatum enim est essentialiter liber à lege æternâ deflexus.... Nihil desideratur; lex quippe æterna est omnium legum radix et principium; unde omnes leges veluti in gremio complectitur; naturalem, sive rationem, quæ se habet ut echo dictans homini quod lex æterna dictat....... Positivam divinam, quam Deus ex intuitu supremæ rationis præscribit.... Positivam humanam, quæ quidquid habet recti ab æternâ lege accipit, et fertur à potestatibus, quibus lex æterna obedire jubet. Unde omnia et singula peccata æternam legem, mediatè saltem, violant. Verbo dicam, lex quælibet fit lex per suam cum æternâ lege conformitatem, et ideò declinatio à lege æternâ omnia omninò peccata importat et inducit. Hinc nostra definitio secum trahit cuncta peccatorum genera, cordis, oris et operis, quæ gratiæ doctor expressit per *dictum, factum,* vel *concupitum.*

Corollaria. — Primum. Peccatum, vitium, et malitia, quæ sæpè univocè usurpantur, à sese invicem reapsè distinguuntur. Scilicet peccatum est libera declinatio à lege æternâ imperante, aut prohibente, et ideò est actus, vel actualis, et *liberè volita*, ut aiunt, omissio actûs, qui hic et nunc elici deberet; at vitium non est actus, vel actualis omissio actûs, sed habitus inclinans ad malum; unde opponitur habitui virtutis, qui ad actus bonos excitat et impellit. Item malitia, præcisè ut malitia, solam inducit actûs aut omissionis inordinationem, et ideò adversatur bonitati actûs virtuosi; peccatum è converso præter illam deformitatem actum vel omissionem actûs includit, et idcircò repugnat actui virtutis.

Secundum. Peccatum quod adversatur legi naturali, sive rationi, legem etiam æternam contravenit, et ideò vera est Dei offensa; dictamen videlicet rectæ rationis est intimatio legis æternæ, quæ necessariè vetat quidquid dedecet naturam rationalem, et præcipit quidquid eidem congruit naturæ. Aliunde nemo sui compos, si advertere voluerit, non deteget quod repugnat naturali rationi, repugnare etiam supremæ rationi. Hinc Alexander VIII decreto dato 24 augusti anno 1690 adversùs duas novatorum propositiones hanc numero secundam meritò damnavit: *Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rationi. Theologicum verò mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantùmvis grave in illo qui Deum vel ignorat, vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.* Hæc assertio, quæ etiam inter 127 proscriptas à clero Gallicano anno 1700 n. 113 reperitur, tanquàm *scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva et erronea* confixa est.

Tertium. Aliquid existit bonum vel malum in seipso ex naturâ rei, et independenter à ratione et voluntate divinâ. Tale est, v. g., mendacium quod, inquit D. Augustinus lib. 3 Quæstionum in Leviticum, *quia injustum erat, ideò prohibitum est* (positivâ lege Dei) *non quia prohibitum ideò factum est injustum.* Enimverò est aliquid quod divina ratio necessariè approbat ut conveniens, et necessariè improbat ut disconveniens. Item est aliquid quod divina voluntas necessariè præcipit tanquàm bonum naturæ rationali, et necessariè vetat tanquàm malum eidem naturæ. Quare in instanti rationis præcedente actum divini intellectûs et voluntatis concipitur aliquid conveniens et non conveniens, aliquid bonum et malum. Hinc per legem æternam non solùm intelligendus est actus Dei intellectûs et voluntatis, sed etiam necessaria rerum convenientia aut disconvenientia, id est, æternæ et immutabiles regulæ practicæ, quæ, ut loquitur Augustinus, *in Dei sapientiâ vivunt.* Lex nempe æterna *subjectivè* non *objectivè* spectata actum ex parte Dei importat. Hinc, si per impossibile non existeret Deus, homo sese ad rationis ductum applicans boni malique rationem metiri sive æstimare non posset ex suo commodo, aut incommodo, ut artificiosè innuit sive subasseruit Joannes Martinus de Prades in pestiferâ suâ Thesi in Sorbonâ propugnatâ, quam utpote tartaream et religionem à fundamentis evertentem diris devovit sacer Ordo Parisiensis; unde non omne utile foret licitum; scilicet hâc etiam in hypothesi ratio aliquid præciperet tanquàm necessariè bonum, et aliquid prohiberet tanquàm necessariè malum, sive ratio judicaret de rebus ex æternis et incommutabilibus regulis practicis, et idcircò licitum non foret nisi quod licitum est rationabiliter. Ex quibus colliges Deum esse distinctum ab ordine et veritate æternâ, sive à necessariâ rerum convenientiâ, aut disconvenientiâ.

Quartum. Idem actus multiplicem habere potest malitiam; potest videlicet multiplici lege prohiberi, ex cujus violatione multiplicem contrahit deformitatem; etsi autem unicâ tantùm lege interdiceretur, ratione objecti, finis et circumstantiarum magis aut minùs perversus esse potest.

Quintum. Tota formalis peccati malitia ex eo actu tanquàm ex fonte scaturit, qui in se et formaliter est liber, cùm peccatum sit libera à lege aberratio; talis autem est actus internus voluntatis, non externus, qui nonnisi denominativè liber nuncupatur, quatenùs scilicet à potentiâ liberâ sive voluntate imperatur. *Nimirùm de corde,* inquit Christus Matthæi 15, *exeunt cogitationes malæ, homicidia,* etc., *hæc coinquinant hominem.* Concinit D. Augustinus lib. de Continentiâ, cap. 2, n. 3: *Homines,* inquit, *nihil agunt corporis opere, quod non priùs dixerint corde.* Hinc si adulterium, v. g., exteriùs non committendo illud eodem omninò actu interno volueris ac si illud exteriùs commisisses, æqualis peccati coram Deo reus eris, et ideò, si actus interni facientis aut non facientis externum peccati actum sint æquales, æquale erit demeritum. Hinc Abraham tantùm meriti et mercedis coram Deo, qui cor intuetur, filium non mactando retulit, quantùm si ipsum reipsà mactâsset. Id ex professo demonstrat D. Augustinus ibid. n. 4 et sequentibus. Non raró tamen contingit ut cùm externus peccati actus poni potest, et non ponitur, voluntas minori ardore feratur versùs peccatum, et ideò minùs peccet; sæpiùs etiam in actu et exercitio irritatur et accenditur voluntatis cupiditas; quâ ex causâ actum peccati externum producens vulgò magis peccat quàm qui non producit. Verùm major ille malitiæ gradus non oritur nisi ab actu interiore, sive consensu, qui *solus,* inquit D. Augustinus, loco citato, *inquinat hominem.*

Ultimum. Ad peccandum, sive ut legis actu obligantis violatio sit culpabilis, duæ requiruntur conditiones, rationis advertentia, et voluntatis consensus. Rationis quidem advertentia, non quæ comitetur duntaxat actionem (quotidiè enim peccant qui dùm agunt quam eliciunt actionis malitiam non attendunt), sed quæ præcesserit, vel ex culpabili negligentiâ non præcesserit actionem; tunc enim omissio advertentiæ est voluntaria. Ratio patet. Scilicet omne peccatum est essentialiter voluntarium; voluntarium autem existere nequit absque intellectùs cognitione. Hinc ignorantia invincibilis, non vincibilis, vel metus aut passio antecedens, quæ tollit rationis usum, non consequens, quæ usum rationis non impedit, à peccato excusat. Hinc calumniæ reos se faciunt hæretici dùm obganniunt sentire doctores catholicos *non peccari mortaliter nisi actionis malitia actu attendatur*. Hinc motus indeliberati, qui dicuntur *primò primi*, non sunt propriè et formaliter peccata. Hinc qui sine suâ culpâ cum advertentiâ facit quod lege prohibetur, v. g. Cadomi per aliquod tempus commorans carnes comedit eo die, qui in patriâ suâ non est jejunii, aut abstinentiæ dies, et ideò non advertit esse diem jejunii, non peccat. Hinc si ita affectus sis, ut si scires aut scire posses talem hominem esse sacerdotem cum non occideres, ipsum interficiendo non sis reus duplicis peccati, sacrilegii et injustitiæ, quamvis actio materialis utrumque importet... Voluntatis consensus, quo scilicet voluntas sine ullâ antecedente absolutâ, aut relativâ, necessitate feratur in objectum malum ab intellectu propositum; est enim peccatum libera, id est ab omni necessitate soluta declinatio à lege, ideòque peccatum esse non potest ubi adest vera necessitas quæcumque illa sit: *Peccati*, inquit D. Augustinus lib. 2 de duabus animabus cap. 12, n. 17, *reum tenere quemlibet, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ*. Porrò, ut consensus ille peccatum pariat, haud necesse est ut sit directus, id est, ut voluntas malum ab intellectu sibi propositum expressè et immediatè intendat, sed sufficit ut sit indirectus, hoc est, ut voluntas malum sibi ab intellectu propositum velit in alio, ex quo scilicet velut ex causâ illud secuturum esse prævidet, vel prævidere potest, et debet. Sic qui vino nimis indulget prævidens ex istâ intemperantiâ in fornicationem se esse prolapsurum, reus est peccati fornicationis, etsi reverà non fornicetur, quia hujusmodi prævisione illud voluit in alio sicut in causâ quam liberè posuit. Igitur toties violatio legis actu obligantis peccatum est quoties voluntas ex sufficiente rationis advertentiâ consentit, ideòque non est peccatum cùm deest liber voluntatis consensus. Unde quidquid tollit voluntarium et liberum excusat à peccato, quidquid verò auget, vel minuit liberum, cæteris paribus, auget vel minuit peccatum.

Principia solutionum. — Primum. Definitio nostra tangit primariò peccatum personale, et ideò difficultati de prætenso defectu libertatis in avito delicto non est obnoxia. Secundum. Tartareum Jansenii et Protestantium systema de libertatis in præsenti ordine ruinâ et excidio in quarto de gratiâ Christi libro in pulverem comminuetur. Tertium. Nostra definitio veniali maculæ convenit, etsi illa noxa fini legis, qui est charitas, omnimodè non adversetur; prohibetur nempe æternâ lege saltem ut ex se charitatem imminuens. Quartum. Totum discrimen, quod nostram inter et Augustini definitionem occurrit, in eo consistit, quòd nostra expressè, Augustiniana verò implicitè duntaxat libertatem ad peccatum necessariam exprimat. Quintum. Definitiones S. Ambrosii, D. Thomæ, catechismorum, philosophorum, legitimæ licet, non sunt tamen tam accuratæ quàm nostra; ista quippe legem æternam omnium legum fontem expressè designat; illæ verò legem æternam nonnisi per ejus effectus indicant, legem scilicet naturalem, divinam positivam, et humanam. Sextum. Augustinus lib. de perfectione justitiæ cap. 2, Cœlestio Pelagiano meritò reponit *peccatum actum dici et esse, non rem*. Est autem actus positivus et directus in noxâ commissionis, sive contra legem prohibentem, actus verò saltem indirectus et extrinsecùs in peccato omissionis sive adversùs legem imperantem; et ideò in quolibet delicto actus reperitur.

CAPUT II.

Utrum ratio formalis, sive natura peccati quatenùs peccati, in positivo, vel in privativo, sit collocanda?

Quæstionis sensus et status. — 1° In memoriam revoca peccatum aliud esse *commissionis*, aliud *omissionis*. Primum est violatio legis negativæ sive prohibentis, alterum violatio legis affirmativæ sive præcipientis; qui v. g., mentitur, reus est peccati *commissionis*, quia violat legem istam negativam, *non mentieris*; qui verò

non producit actum amoris Dei eo tempore, quo potest et debet, reus est peccati *omissionis*, quia offendit istam legem affirmativam, *diliges Dominum Deum*, etc. Tempore quo obligat in peccato *commissionis*, semper reperitur actus positivus contra legem, ut patet. At D. Thomas docet, 1-2, q. 71, art. 5, peccatum *omissionis* esse aliquando cum actu interiori, ut si die dominicâ positivè nolueris ad sacram ædem adire; aliquando è converso existere sine omni actu, sive exteriori, sive interiori, velut si eâ horâ, quâ teneris ire ad sacrum templum, nihil de ad illud eundo vel non eundo cogitaveris. Quamobrem in mente S. doctoris omissionis delictum non quidem directè et immediatè, sed indirectè et mediatè saltem et extrinsecùs aliquem actum positivum essentialiter includit, vel importat, qui scilicet ejus causa sit vel occasio. Sic non desinis velle aut cogitare quod velle aut cogitare tenebaris, nisi quia aliud vis, aut cogitas. « Quòd, inquit D. Thomas, aliquis declinet ad non faciendum illud quod potest facere et non facere, non est nisi ex aliquâ causâ, vel occasione conjunctâ vel præcedente, et si illa causa non sit in potestate hominis, omissio non habet rationem peccati, sicut cùm aliquis ob infirmitatem prætermittit ire ad Ecclesiam; si verò causa vel occasio subjaceat voluntati, omissio habet rationem peccati. » Igitur utrumvis peccatum actum realem suo modo refert, et ideò quæstio de utroque institui potest.

2° Duo in peccato sedulò considera, substantiam, sive materiam, consistentem in actione physicâ, quæ ut materia cunctis corporibus, sic bono et malo communis est, et rationem sive formam, vel differentiam, per quam, ut formâ corpora, sic peccatum in *esse peccati* constituitur. Quæstio non respicit peccati materiam, quam liquet esse quid positivum et reale, sed solam peccati formam, sive id solum quod actum facit esse peccatum, utrum nempe sit aliquid positivum, an quid merè primativum.

3° Certum est actum aliquem peccatum evadere per suam æternæ legi oppositionem. At res possunt sibi invicem opponi duobus modis, contrariè, et privativè; contrariè per naturam sive formam diversam, ut ignis et aqua, frigus et calor, etc... Privativè per carentiam formæ oppositæ rei, ut tenebræ et lumen, cæcitas et visio, etc.

Quæritur præcisè an peccatum oppositum sit æternæ legi per modum contrarietatis, et ideò an peccatum more contrariorum formaliter aliquid positivum sit, an è converso sit æternæ legi oppositum per modum meræ privationis, sive dissonantiæ, et ideò an sit formaliter aliquid privativum.

Opiniones. — Consentiunt theologi quodlibet peccatum importare privationem gratiæ, conversionis ad Deum, et conformitatis cum lege. Verùm dissentiunt, an defectus conformitatis cum lege constituat peccatum in *esse peccati*.

Prima opinio formalem peccati rationem collocat in merâ privatione rectitudinis actui morali debitæ, et ideò asserit actum idcircò præcisè esse formaliter malum, quia destituitur aliquo ex iis quæ ad actûs bonitatem ex æternâ lege requiruntur, ex axiomate scilicet, *bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu.*

Altera opinio, quæ nonnullis recentioribus arrisit, cujus inter Christianos initio 16 seculi auctorem fuisse ferunt celebrem Cajetanum, eamdem peccati rationem reponit in relatione sive tendentiâ positivâ et reali, quæ insidet actui humano, ad objectum æternæ legi repugnans. Isti theologi, quorum mentem clarè vix exposueris, quam nec ipsi fortassis benè intelligunt, duplicem peccati malitiam distinguere videntur, positivam unam, quæ consistit in commemoratâ relatione sive tendentiâ, privativam alteram, quæ defectus est rectitudinis moralis; prior, ipsis dicentibus, est interna, sive essentialis peccato, quod formaliter constituit; posterior peccato est extrinseca, et prioris veluti effectus necessarius. Doctissimus Petavius accuratè expensâ traditione super celebri istâ quæstione in aureis præsertim Patrum operibus consignatâ, lib. 6 de Deo et divinis Attributis, cap, 4, n. 9, hæc pronuntiare non dubitavit: « Ex hâc constanti et consentiente Patrum de mali et peccati naturâ sententiâ licet concludere quàm longè sit ab usu scholarum ac theologiæ finibus arcenda proscribendaque illa opinio quorumdam, qui malum, etiam quà malum est, rem esse aliquam, et positivum quiddam sentiunt, quibus cùm veterum Patrum concors illa, et sine ullâ varietate conveniens auctoritas opponitur, plerique fateri non dubitant, in eo se dissentire ab illis quidem, sed hoc necessariâ se inductos ratione facere, quòd quædam perplexa sint et explicatu difficilia, quibus se aliter expedire nequeant. » Deinde addit: « Quidvis perpeti satius esse, ac vel inscitiam in eo dissolvendo quod contraponitur fateri suam, quàm ab antiquitatis tramite ultrò et confitentem recedere. »

Ab istâ regulâ, utpote veteribus conciliis, et speciatim Tridentino sessione quartâ, sancitâ vel latum unguem recedere nefas duceremus. Quare sit

Conclusio. — Peccati naturam, sive malitiam moralem, in privatione conformitatis cum æternâ lege consistere sententia est quæ sacris Litteris et traditioni magis est consona.

Prob. Illa sententia Scripturæ et traditioni magis est consona, in quâ Scripturæ et traditionis de malo morali oracula feliciùs exponuntur, et verum, obvium, et apertum habent sensum : sic se habent Scripturæ et traditionis de peccato effata in sententiâ quæ mali moralis rationem in privatione constituit ; ergo. — Major elucet ex D. Augustini regulâ, quâ Scriptura sensu obvio et litterali intelligenda dicitur, quoties nihil docere videtur fidei, bonis moribus, aut rationi adversum.

Probatur minor. Sacri codices malum morale exhibent tanquàm *nihil* aut *vanum quiddam*, eo quòd scilicet non est aliquid à parte rei reale et positivum, sive non habet *esse* substantiale aut modale ; innumera inter testimonia hæc sufficiant, *filii hominum... ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Psalmo 4 ; Amos 6, superbi dicuntur *lætari in nihilo ; sine ipso* (Verbo) *factum est nihil quod factum est,* Joannis cap. 1 ; quæ verba D. August. tractatu 1 in Joannem n. 13, de peccato intelligit : *Nolite,* inquit, *putare aliquid esse nihil ; peccatum non per ipsum factum est, et manifestum est quia peccatum nihil est...* Rationem passim affert eadem Scriptura, peccatum scilicet quatenùs peccatum est declinatio, deviatio, aversio à lege ; *averterunt se et non servaverunt pactum,* Psalmo 77 ; *peccatum est iniquitas*, græcè ἀνομία, id est, illegalitas, sive aberratio à lege, 1 Joannis cap. 3, etc. Concinunt Patres eâdem ratione innixi, D. Athanasius oratione contra gentes, « ea, inquit, quæ sunt, appello bona, quæ non sunt, mala ; quæ sunt bona, quoniam à Deo, qui est essentia ipsa exemplar trahunt, quæ non sunt mala, quia nullâ essentiâ subsistunt... » D. Basilius in homiliâ, *quòd Deus non est auctor mali,* ait, *malum est boni privatio...* D. Ambrosius lib. de fugâ seculi, cap. 4, observat Joannis cap. 14, v. 30, loco verborum, *et in me non habet quidquam,* multos legere, *non inveniet in me nihil*, deinde addit : *Hoc est, non inveniet in me malitiam, quia malitia nihil est...* D. Augustinus enarratione in Psalmum 18, n. 13 : *Si,* inquit, *videntur tenebræ, intelliguntur delicta ; at tenebræ fiunt tenebræ per meram lucis absentiam...* Idem S. doctor lib. 12 Confessionum cap. 11, n. 11, Deum sic alloquitur (quod sedulò observa utpote decretorium) : *Hoc solum à te non est quod non est, motusque voluntatis à te, qui es, ad id quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est ;* tandem lib. 1 contra Julianum cap. 9, n. 4, hæc egerit : *Quid est malitia nisi boni indigentia? Non sunt mala nisi quæ privantur bonis, quia indigentia boni radix malitiæ est...* D. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum diaconum cap. 21, dicit : *Malum nihil aliud est nisi boni privatio...* Sanctus Joannes Damascenus lib. 2 orthodoxæ Fidei cap. 4 : *Neque aliud*, inquit, *quidquam est malum quàm boni privatio ; haud secùs ac tenebræ aliud nihil sunt quàm luminis orbitas...* Demùm, ut alios prætereaam, idem passim decantat D. Thomas, ut fusè ostendit Sylvius in 1-2, q. 7, art. 6. Ex pluribus testimoniis hæc sufficiant. p. 1, q. 48, art. 1, in corp., sic arguit : « Unum oppositorum cognoscitur per alterum, sicut per lucem tenebræ ; unde et quid sit malum, oportet ex ratione boni accipere... Non potest esse quòd malum significet quoddam esse, aut quamdam formam, seu naturam. Relinquitur ergo quòd nomine mali significetur quædam absentia boni, et pro tanto dicitur quòd malum neque est existens, neque bonum. » Idem repetit art. 2, in corp. : *Remotio,* inquit, *boni privativè accepta malum dicitur, sicut privatio visûs cæcitas dicitur.* Idem citatis in locis primæ secundæ docere intendit, cùm nempe dixit *peccatum esse actum humanum malum ;* nam voces, *actus humanus*, designant *materiale* peccati ; hæc verò, *malus,* ejusdem peccati *formale* sive formalem et *completivam* peccati rationem, quam S. doctor reponit in aversione à bono incommutabili, sive in privatione consonantiæ cum æternâ lege.

Concinunt tandem ipsi philosophi divinorum dogmatum vel ignari, vel inimici ; Plato, Aristoteles, Plotinus, Procles, Sallustius, etc., ut ostendit Petavius loco commemorato, n. ult.

Jam verò, si præclara illa testimonia, et comparationes, quas includunt, ad vivum discutiuntur, et æquâ trutinâ ponderentur, nemo, opinor, præjudiciorum expers negaverit iis longè magis stabiliri opinionem peccati essentiam in privatione reponentem, quàm opinionem eam in aliquo positivo collocantem. Imò huic opinioni accommodari nequeunt nisi per contortas et à longinquo advocatas explanationes, quæ naturalem et obvium eorum sensum evertunt. Hinc nostra sententia Theologorum animis tam altè infixa fuit, ut *omissionis* pecca-

tum in solâ privatione consistere supposuerint, atque præsentem quæstionem post Cajetani tempus de solo *commissionis* peccato instituerint, quemadmodùm non diffitentur ipsimet positivæ peccati naturæ defensores.

Nihil non tentaverunt quidam recentiores realis mali moralis naturæ architecti ut commemorata oracula eluderent, quemadmodùm evincunt hæc ipsorum responsa sive argumenta.

Objiciunt 1° : Laudati textus tangunt primativam malitiam quæ peccato ab extrinseco accedit, non positivam sive internam malitiam quæ peccatum formaliter constituit, et privativam malitiam necessariè parit; ergo. — Resp. Adversarios gratis, et per *petitionem principii*, ut loquuntur logici, obtendere privationem non primariò et formaliter, sed secundariò et extrinsecè malum constituere, sicque intelligendos esse Scripturam et Patres cùm de malo disserunt. Enimverò, aut Scriptura et Patres peccati naturam nullibi attigerunt, aut eam in merâ privatione reposuerunt, cùm semper et ubique peccatum *nihilum, privationem, defectum* renuntient; at primum indubiè absurdum, siquidem nihil fingi potest cujus sordida natura magis esset patefacienda; aliunde modus quo enuntiantur commemorata oracula, formalem peccati rationem commonstrat; sunt enim exclusiva, *malum nihil aliud est quàm boni privatio, quàm absentia boni debiti*, etc., peccati *radicem* reserant mali essentiam non minùs attingunt quàm naturam tenebrarum, cæcitatis, etc.; ergo.

Objiciunt 2° : Plures Patres unicè intendunt peccatum esse nihil prout opponitur substantiæ malæ per se subsistenti, quam fabricaverant Manichæi, non autem prout opponitur positivæ tendentiæ voluntatis in objectum legi contrarium; ergo. — Resp. Nugari velle qui hæc objiciunt. Ex dictis enim ita exprimuntur Patrum dicta, ut à malo omnem omninò eliminent existentiam, sive sit substantialis, sive modalis tantùm; enimverò, si Patres vocem *nihil* accepissent quatenùs adversatur substantiæ, sive enti, non autem entis actui, sive modificationi, suum adversùs Manichæos scopum non attigissent; Deus quippe in ipsorum systemate causa fuisset peccati non solùm quoad substantiam sive materiam, verùm etiam quoad deformitatem moralem, sive illius formam; nullum enim est ens, nullus realis entis modus, cujus Deus non sit prima causa efficiens.

Objiciunt 3° : Scriptura et Patres, cùm peccatum nihil reputant, designare volunt terribiles peccati effectus, quibus homo totum animæ decorem amittit, bestiis, quibus non est intellectus, similis fit, à Dei filii dignitate dejicitur, et quasi nihil evadit in Dei conspectu, juxta illud Psalmi 14 : *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*; ergo. — Resp. Hæc equidem omnia mala irruere in hominem per mortiferum delictum ; sed cur? nisi quia *lætatur in nihilo, sese fert ad id quod minus est, sese à Deo avertit*, etc., ut loquuntur Scriptura et Patres; unde infanda tot malorum colluvies nostram sententiam stabilit et confirmat; tantùm abest ut illam concutiat et infirmet.

Objiciunt 4° : Scriptura et Patres exhibent malum in *genere* et in *abstracto*, quod nullum habet subjectum, id est quod ab illâ aut illâ voluntate non oritur, non autem *malum peccati*, sive prout à peccante emanat, et consideratur in *concreto*; ergo, etc. — Resp. Et antecedens, et etiam consequens manifestam spirare falsitatem; antecedens quidem, Scriptura enim et Patres verba faciunt de delicto, de peccato, de iniquitate, quæ dubio procul inique agentem supponunt et arguunt. Deinde SS. Ambrosius et Augustinus locis indicatis expressam mentionem faciunt subjecti peccati.... Consequens autem ; peccatum scilicet in quantùm peccatum est malum; si ergo formalis mali in genere ratio consistit in privativo, formalis etiam peccati ratio in privativo consistet.

Objiciunt 5° : Si quæ peccatum *nihil* esse enuntiant Scripturæ et Patrum oracula stricto sensu essent intelligenda, dicendum foret sacerdotes absolvere à *nihilo*, Deum propter *nihil* sontes æternis condemnare suppliciis, etc. ; insulsum consequens ; ergo. — Resp. Non advertere qui hæc proponunt Patres in antecessum hujusmodi cavillationes amandâsse. Asserunt enim, per *tenebras*, per *cæcitatem* illicò concipi delicta, etc. Jam verò, quis hanc eructet argutiolam? « Si tenebræ forent mera lucis absentia, aut cæcitas visûs privatio, dicendum esset Deum cùm initio mundi tenebras à facie abyssi lucis creatione discussit, *nihil* discussisse, aut Christum cùm visum cæcis restituit, *nihil* eis restituisse. » Quid adversarii? Ventosum nugatorem profectò irriderent; ergo et ipsi irrideri debent. Igitur nego majorem ; commemorata enim oracula non significant, peccatum esse purum nihil, qualis est chimæra, aut puræ negationes, sed ipsum esse *nihil*, prout nihil opponitur positivo enti, vel entis modificationi, quia peccatum, qua-

tenùs peccatum est carentia sive absentia boni, quod adesse deberet, sicut cæcitas visûs, et tenebræ sunt lucis privatio. Unde, cum à parte rei existat subjectum, quod debitâ rectitudine caret, nimirùm voluntas, sive actus voluntatis, peccatum sub isto respectu dici potest, et vulgò dicitur *existere*, ad eum modum quo quis dicitur cæcus, et Genesis 1 dicuntur *tenebræ fuisse super faciem abyssi*. Hinc sacerdotes à peccatis absolventes à puro nihilo non absolvunt, quia maculam per peccatum animæ inustam detergunt, sive efficiunt ut anima gratiâ sanctificante destituta illâ exornetur, quia contractam pœnæ æternæ vel temporalis obligationem dissolvunt, quia saluberrimo ipsorum ministerio animæ, quæ per actus præposteros Deo displiceret, jam ipsi non displicet. Pariter Deus sontes pœnis afficiens eos propter purum *nihil* non mulctat, quia eos plectit propter debitum habendi quod peccando habere noluerunt; unde castigantur propter peccatum non *abstractivè* duntaxat, sed et *concretivè* consideratum, quatenùs scilicet est actus debito ordine carens. Illud totum luculenter exponit et illustrat doctor Seraphicus, in 2, sent. dist. 34, art. ultimo, « Etsi, inquit, peccatum nihil est in recto, est tamen in obliquo alicujus entis ut oppositi, et alicujus ut subjecti, circa quod relinquit debitum respectu boni privati. Igitur peccatum est meritum pœnæ, non solùm ratione privationis, sed ratione debiti relicti et boni privati. Unde non est homo dignus puniri solùm quia bono caret, sed quia caret et debet habere; et licet carentia illa nihil sit, debitum tamen aliquid habendi aliquid est, et ideò ex hoc non sequitur quòd Deus puniat hominem pro nihilo, quàmvis peccatum nihil sit. »

Confirmatur. Deus, adversariis non dissentientibus, hominem punit propter omissionis peccata; *hæc*, inquit Christus, *oportuit facere, et illa non omittere;* at docet D. Thomas omissionis delictum posse esse absque omni actu non solùm exteriori, sed etiam interiori, ut supra diximus; ergo.

Objiciunt 6° : Laudati Patres, præsertim Augustinus et Thomas, agnoscunt peccatum esse *actum;* ergo. — Resp. Et nos cum eximiis illis doctoribus agnoscere peccatum *physicè* spectatum esse actum, non autem *formaliter* et in genere moris consideratum. Id suggerit ipse Augustinus, ubi ait lib. 12 Confessionum cap. 11, *motum voluntatis*, id est substantiam actûs, *esse à Deo*, non verò *quod non est*, hoc est absentiam consonantiæ cum lege, quæ reperitur in motu voluntatis, sive in actu vitioso.

Objiciunt 7° : Ipsâ ratione deprehenditur peccatum, quatenùs peccatum, primariò non consistere in privatione. Etenim concipitur tendentia positiva in objectum legi dissonum, quæ est radix omnis defectûs peccato insiti, ante illam privationem: ideò videlicet actus malus rectitudine sibi debitâ destitui intelligitur quia voluntas eum eliciendo tendit in objectum in quod tendere non deberet; sicut ergo extensio actualis non constituit materiæ essentiam, quia aliquid in materiâ ante istam extensionem intelligitur, nimirùm extensio radicalis, ita et privatio rectitudinis, etc. Argumentum istud esse insolubile nonnulli gloriantur recentiores. — Resp. Non attendere qui hæc ostentant se quæstionem supponere, et dùm inextricabilem difficultatem nobis procreare aggrediuntur, insolubilem sibi ipsis facessere. Enimverò libera illa voluntatis in malum objectum tendentia est peccatum; atqui non est peccatum quatenùs præcisè est actus voluntatis, sive est ens physicum aut morale, cùm omnis rei aut modi veri ac positivi Deus sit prima causa; ergo peccatum fit per debitæ rectitudinis carentiam. Etverò D. Thomas locis in probatione citatis ratione demonstrat peccatum ut peccatum in privatione boni consistere. Idem ostendunt Augustinus et Damascenus dicendo ex conceptione tenebrarum concipi naturam peccati. Demùm, quemadmodùm actio moralis, quando id totum habet quod moraliter habere debet secundùm rectam rationem bona est et bona esse concipitur, ita et actio moralis, quando caret aliquo ex iis quæ secundùm rectam rationem habere debet mala est et mala esse concipitur. Igitur in omni peccato quod primùm concipitur est privatio debitæ rectitudinis.

Objiciunt 8° : In nostrâ sententiâ Deus esset auctor peccati. Etenim actus malus à Deo oriretur non solùm ut est actus simpliciter, sed etiam ut necessariè importat privationem; privatio quippe illa necessariè erumpit ex positione actûs, et ideò quicumque actum ponit illam ponere censetur. — Resp. Hanc objectionem positivæ peccati naturæ defensoribus longè potiori ratione esse deglutiendam; est scilicet Deus cujuslibet entis aut realis entis modi auctor; unde Deus in nostrâ sententiâ esset ad summum peccati auctor *indirectè et*

consequenter, quatenùs nempe ex positione ejus actùs exurgeret peccatum, sive privatio rectitudinis; in adversariorum verò systemate est *formaliter* et *directè* peccati causa, quia id facit quod formaliter peccatum est. Neminem igitur movere deberet istud argumentum, etsi solvi non posset; argueret tantùm mentis humanæ limites, et quotidiè fit contra immediatum Dei concursum, concessam à Deo homini libertatem, aliaque similia quæ ab omnibus aut ferè omnibus admittuntur. Nego igitur minorem, et dico Deum, utpote causam primam et universalem, ponere cum creaturâ materiale peccati, ex quo nascitur formale, sed formale peccati soli imputandum esse creatæ voluntati, quæ liberè elegit materiale ex quo exurgebat malum, sive quæ determinavit Deum ad ponendum secum peccati actum.

Objiciunt ultimò diversa argumenta ex ratione emergentia. Malum bono contrariè opponitur; sed duo contraria sunt aliquid positivum; ergo. — Resp. Malum *concretè*, id est quatenùs est actus debito ordine destitutus, bono, contrariè, *abstractè* verò, sive quatenùs est præcisè defectus requisitæ rectitudinis, sumptum, bono privatè opponi, ut ex dictis satis superque liquet.

Item. Nonnulli actus, velut odium Dei, etc., intrinsecè mali sunt; sed tales necessariè evadunt per aliquid reale; privativum scilicet in rei naturâ non recipitur; ergo. — Resp. Actus intrinsecè malos eos dici et esse quibus deformitas, id est privatio requisiti ordinis, in omni prorsùs circumstantiâ essentialiter illigata est; unde non sunt intrinsecè perversi ratione materiæ, sive entitatis physicæ, *etiamsi modalis sit*, siquidem quidquid est reale essentialiter bonum est, et ideò discrimen quod occurrit inter rem intrinsecè, et rem non intrinsecè malam, oritur non ex parte modi realis utriusque proprii, sed ex parte formæ, sive privationis recti ordinis sine quâ illa nunquàm, hæc autem aliquando esse potest.

Item. Peccati iterata commissio gignit peccati habitum; sed mera privatio non potest producere aliquid positivum; ergo. — Resp. Habitum illum oriri ex solo peccato *concretè* accepto, sive quatenùs est actus præposterus; habitus enim non acquiritur nisi per actuum repetitionem.

Item. Actus fit malus per suam cum objecto suo relationem; sed illa relatio est realis, cùm ejus extrema sint realia; ergo. — Resp. Actum vitiosum non effici quatenùs præcisè suum respicit objectum, sed unicè quatenùs ad illud objectum indebito modo refertur, sive quatenùs privationem includit.

Item. Si boni privatio peccati formam constitueret operans illam secundùm se intendere deberet, siquidem peccatum est essentialiter voluntarium; falsum consequens; ergo. — Resp. Peccati formale, sive inordinationem à voluntate posse intendi vel directè et per se, vel indirectè et per accidens; ut peccatum reputetur voluntarium haud directè et formaliter intendi debet, sed satis est illud indirectè appeti et ratione alterius, nimirùm ad vitandum aliquod malum, aut consequendum aliquod bonum; porrò, evidens est quemlibet liberè peccantem peccati deformitatem non prosequi quatenùs est in se et absolutè deformitas, sed unicè quatenùs habet rationem boni relativi; voluntas enim, ut aiunt philosophi, non potest diligere malum quà malum.

Item. Si forma peccati in boni privatione esset reponenda, unum peccatum alio majus esse non posset; una quippe privatio aliâ major non est; falsum consequens; ergo. — Resp. Privationem mali propriam majus aut minus recipere; scilicet non est privatio, quæ totam prorsùs oppositam formam deleat, qualis est, v. g., mors quæ totam tollit vitam; sed est privatio quæ ita formam oppositam, id est boni rationem derimit, ut aliquid illius relinquat. Hinc peccatum majus illud est quod magis recedit à regulâ morum, sive quod objectum suum attingit modo magis indebito, et ideò majorem inducit boni privationem.

Item. Genus est de intrinsecâ ratione rei quæ definitur; sed actus est genus in definitione peccati, et actus est quid reale; ergo. — Resp. Actum esse *materiale* non *formale* peccati. Hîc autem quæstio movetur de formâ quæ rei, id est peccato *esse* infundit; quanquàm nihil vetat dicere cum nonnullis actum in peccati definitione non esse genus, sed se habere instar generis; in his quippe moralibus accuratæ definitiones non sunt exquirendæ, et aliunde malum quà malum in privatione consistit.

Denique in peccato reperitur non solùm aversio à bono incommutabili, sive declinatio ab æternâ ratione, sed etiam conversio voluntatis ad bonum commutabile, quæ conversio D. Thomæ judicio peccatum constituit in hâc vel illâ determinatâ peccati specie; sed illa conversio est quid positivum; ergo. — Resp. cum D. Bonaventurâ in 2 Sent. dist. 42,

art. 3, q. 1, aversionem à bono incommutabili, sive æternâ lege, efficere ut conversio, quæ in eodem peccato reperitur, sit peccatum; conversionem verò, quæ eidem peccato inest, efficere ut aversio sit tale peccatum. Privatio scilicet boni in genere est id solum quod constituit peccatum in genere peccati, illudque discernit ab omnibus, quæ non sunt peccata. Verùm peccatum in specie talis peccati constituitur per determinatam istam privationem quæ inducitur per talem vel talem inordinatum actum, sive conversionem ad bonum commutabile. Hinc concipimus quidem peccatum in *genere* consistere in merâ privatione absque ullo actu, sed non concipimus peccatum in hâc vel illâ specie constitui posse absque hoc vel illo voluntatis actu, cùm hæc vel illa privatio induci nequeat sine tali vel tali voluntatis motu. Quamobrem conversio ad bonum commutabile secundùm se non est mala, sed solùm secundùm boni privationem ipsi necessariè annexam, ad eum ferè modum quo locus, qui secundùm se tenebrosus non est, ob lucis absentiam dicitur et est tenebrosus.

PRINCIPIA SOLUTIONUM. — Primum. Diximus duntaxat sententiam peccati naturam in privatione reponentem sacrorum codicum et SS. Patrum de peccato oraculis esse magis consentaneam. Hinc cuncta argumenta quæ assertionem sub alio respectu impetunt sunt peregrina et non feriunt. Secundum. Quæstionem istam fusè ventilavimus, tum quia exploratam facit peccati naturam, tum quia essentialem habet cum veri Dei existentiâ et sanctitate connexionem. Tertium. Positiva voluntatis tendentia in objectum legi dissonum, in quâ peccati formale constituunt nonnulli recentiores, nihil aliud est quàm motus voluntatis ad id quod minus est, sive ad malum; sed Augustino dicente lib. 12 Confessionum cap. 11, hic *motus est à Deo*. Quartum. Omnia ferè in nostram assertionem argumenta unicâ distinctione peccati *concretè*, sive prout importat actum cum quodam defectu, et *abstractè*, sive formaliter sumpti, id est prout est præcisè peccatum, liquescunt et diluuntur.

Liber secundus.

DE AVITA MACULA.

Celeberrimam de originis delicto disputationem quinque capitibus absolvemus. Primum ejus existentiam vindicabit.... Secundum illius naturam quantùm fieri poterit reteget.... Tertium modum quo transmittitur investigabit.... Quartum expendet ad quos traducatur..... Quintum ejus effectus assignabit....

CAPUT PRIMUM

De originis delicti existentiâ.

QUÆSTIONIS SENSUS ET STATUS. — Deus Adæ, statim à creatione, de *omni ligno* paradisi edere permisit, fructûs verò unius arboris esum sub gravi pœnâ vetuit, Genesis 2. Arbor illa *scientiæ boni et mali* fuit nuncupata, non ratione suî, quasi istam scientiam potuisset infundere, sed ratione experientiæ, sive eventûs. Nimirùm, inquit D. Augustinus lib. 2 de peccatorum meritis et remissione, cap. 21, n. 35, *Adam et Eva quid boni custoditâ, et quid mali transgressâ Dei prohibitione sensuri erant.* Hinc ejusdem S. doctoris judicio (ibidem), si nulla fuisset Dei prohibitio circa istius arboris fructûs esum, potuisset Adam illum ut alios fructus comedere; quamobrem, addit ibidem, quod *mali passi sunt arborem tangendo ipsis non intulit esus fructûs arboris, sed sola obedientia violata.* Deus igitur Adæ non dedit præceptum de re per legem naturæ vetitâ aut præscriptâ, id est intrinsecè bonâ aut malâ, sed de re indifferente, ut ostenderet quantum bonum sit obedientia, et quantum malum inobedientia.

Deus permisit Adam et Evam à dæmone tentari Genesis 3, licet consensuros esse prævideret, eo quòd *magnæ laudis non fuissent si propterea benè vixissent quia nemo malè vivere suasisset,* inquit D. Augustinus lib. de Genesi ad litteram, cap. 4, n. 6.

Eva ex dæmonis seductione, et Adam ex Evæ consilio vetitum fructum comedendo peccaverunt Genesis 3. Multiplex fuit in Evæ peccato peccatum: inobedientiæ scilicet, quâ Dei præceptum violavit.... Gulæ, quâ cibi suavitate ad edendum fuit impulsa.... Infidelitatis, dùm verbis diaboli adversùs Deum loquentis credidit.... Curiositatis, quâ scientiam ultra terminos sibi præfixos concupivit.... Scandali, quo virum suum ad peccatum induxit. Horum etiam peccatorum reum se constituit Adam, dùm ex præpostero erga uxorem suam amore maluit Deo displicere quàm uxorem contristare. Verùm præcipuum Adæ et Evæ peccatum fuit superbia, quâ uterque propriâ virtute boni malique scientiam consequi ambiit, sicque Deo similis fieri. Hinc Tobiæ 4 dicitur: *In superbiâ initium sumpsit omnis perditio*. Hinc id inculcat D. Aug. lib. 14 de Civitate Dei cap. 14 et 15.

citato libro 11 de Genesi ad litteram, cap. 5 et 30, n. 39. Enchiridion cap. 45, recensens varias species, quæ in uno Adæ peccato fuerunt, ait: *superbia est illic, quia homo in suâ potiùs esse quàm in Dei potestate dilexit*. Etverò, cùm in statu innocentiæ pars animæ inferior superiori perfectè fuerit subdita, prima inordinatio appetitûs humani versari non potuit circa aliquod bonum sensibile. Versata igitur est circa aliquod bonum spirituale quod supra modum sibi à Deo præscriptum appetiit homo, quod est superbiæ proprium.

Adæ peccatum maximè liberum fuit; aliàs nec Adæ nec ejus posteris potuisset imputari. Hanc libertatem in Adam ubique agnoscit S. Aug. v. g. lib. 6 Operis Imperfecti adversùs Julianum, n. 16: *Meis*, inquit, *rationibus ostenditur, Adam non solùm potuisse non peccare, si nollet, sed nec mori, si peccare noluisset.* Hâc ex ratione capite 15 commemorati libri 14 de Civitate Dei, colligit maximum fuisse peccatum Adæ, cui tanta inerat non peccandi facilitas.

Licet præceptum non edendi fructum arboris scientiæ boni et mali ad Evam non minùs quàm ad Adam pertinuerit, ex solo tamen Adæ peccato utriusque posteri peccatum originale contraxerunt, ut docet D. Thomas 1-2, q. 81, art. 5. Scilicet præceptum illud pertinuit ad Evam quatenùs fuit persona singularis; ad Adam verò quatenùs fuit caput totius generis humani. Hinc istud oraculum Ecclesiastici 25: *A muliere factum est initium peccati, et per illam omnes morimur*, hunc habet sensum, morimur per Evam *mediatè* quia Evæ peccatum causa fuit vel occasio Adæ peccati, quo solo inficimur.

Quæritur præcisè, an Adæ nepotes in suo conceptu maculam contrahant, quâ fiant iræ filii et Dei inimici. An, inquam, istam contrahant maculam quia sunt Adæ nepotes, id est de vitiato ejus semine nascuntur, ita ut simul cum illo per primum ejus peccatum justitiam originalem et omnes ejus dotes amiserint; an è converso primum Adæ peccatum ipsi soli, non ejus nepotibus nocuerit, et idcircò ad eos non fuerit transmissum.

Errores. — Pelagius, et insignes ejus sectatores, Cœlestius, Julianus, etc., censuerunt Adæ peccatum ipsi, non ejus nepotibus obfuisse.... Adam moriturum fuisse quamvis non peccâsset, etc. Ex palmaribus illis principiis inferebant Adæ nepotes nullum ex ipso contrahere peccatum, ipsos in præsenti statu, ut et ipsum Adam, non culpæ merito, sed conditione naturæ interire; illos tales nunc nasci qualis ante peccatum fuit Adam, nempe sine virtute et sine vitio, et ideò baptizari non ut à peccato expurgentur, sed ut à bono ordine in meliorem, quem *regnum Dei* vocabant, transferantur; unde sine baptismo morientibus promittebant extra regnum Dei æternam quamdam et beatam vitam. Hæc refert D. Aug. libro de hæresibus, hæresi 88; Catholicorum armis adorsus Pelagius effugium (ut solent hæretici) in verbis aucupatus est. Mentem suam subdolè reticens confessus est, Adæ delictum ejus nepotibus nocuisse (intelligebat exemplo, non propagatione)... Infantes tales nunc non nasci qualis fuit Adam ante lapsum (intelligebat infantes libero arbitrio non potiri ad eum modum quo illo in ortu primo potitus est Adam), etc.

Diu stare non potuit supinum Pelagii systema. Illius discipuli aliud eodem jure excogitaverunt, scilicet corporis mortem et alias hujus vitæ miserias ex Adamo in præsenti ordine oriri, non peccatum quod est mors animæ. Testis iterùm est D. Aug. lib 4 contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 4, n. 6.

Illi hæretici Augustino exprobrabant quòd nuptias exploderet, Manichæismum renovaret, Dei opera subsannaret, etc. Sic hodiè Jansenius et ejus defensores Catholicis Semipelagianismi crimen impingunt.

Pelagii errorem recoxerunt Albanenses circa annum 769, Albigenses anno 1178, Anabaptistæ anno 1540, hodiè Sociniani et Deistæ.

Alii novatores obgannierunt, peccati originalis nomine non culpam designari, quâ inquinentur Adæ posteri, sed pœnæ duntaxat reatum; alii solùm significari actuale Adæ peccatum, quod parvulis est externum, non internum, etc.; quæ opiniones à Pelagii errore voce tenùs duntaxat discrepant; è medio scilicet tollunt peccatum originale quo infantes per generationem naturalem coinquinantur, et æternâ pœnâ digni sunt.

Adversùs illos hæreticos sic ex pretiosis sacrorum codicum et traditionis monimentis primigeniæ maculæ, quam quisque Adæ nepos ipso conceptûs sui instanti contrahat, existentiam vindicabimus, ut incredulorum rationibus refellendis diligentiorem impendamus operam; admissâ scilicet Scripturæ et traditionis auctoritate, originalis noxa insulsè negaretur; unde obstupescebat Augustinus quòd viri christiani hunc errorem seriò defenderent. Aliunde hæresis pelagiana à longo tem-

pore extincta est et solùm spirat in Anabaptistis in quibusdam Germaniæ angulis delitescentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Avitum delictum ex sacris tabulis eruitur.

Plura in utroque fœdere affulgent oracula, quibus D. Augustinus et theologi hæreditariam noxam feliciter retexerunt. Præcipua hæc sunt. Job. 14, v. 4, in Vulgatâ legitur : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es ?* In editione 70 habetur : *Nemo mundus à sorde, ne infans quidem cujus est unius diei vita super terram.* Is, de quo hic sermo, est immundus, cùm mundus ab ipso Deo mundari nequeat, et quidem ab ipso conceptu, de quo hic aperta mentio; sed is immundus non est corporis immunditiâ, aliàs ab homine posset mundari, non à *solo Deo*, ut asserit textus; ergo immundus est animi immunditiâ sive peccato; ergo est peccatum quo homini ab ipso conceptu inhæret, et ideò peccatum originale, cùm talis homo actuali peccato contaminari non possit; tale autem peccatum non potest esse externum, in quod non cadit propriè dicta mundatio, de quâ sacer contextus. 2 Cor. 5, arguit Apostolus : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* Hæc ratiocinatio omnes et singulos sive infantes sive adultos mortuos esse ostendit; aliàs conclusio ex præmissis non scaturiret. Jam verò disserit Apostolus de morte spirituali, id est de morte animæ per peccatum; ubique enim clamat Scriptura Christum non venisse vocare *justos* sed peccatores, Christum pro impiis, pro injustis esse mortuum; infantes igitur mortem spiritualem incurrerunt; sed mors illa non oritur ex peccato actuali, cujus non sunt capaces; ergo oritur ex peccato primi parentis. Ita D. Aug. lib. 6 contra Julianum cap. 5, n. 14 : « Quo ore, inquit, quâ fronte parvulos mortuos negatis, pro quibus Christum mortuum non negatis? tu nega, si audes, natum mortuum pro quo Christum non negas mortuum »

Omissis aliis oraculis, prodeat illud quod D. Aug. adversùs Pelagianos urget ad avitam maculam comprobandam, et ejus vestigiis insistens S. synodus Trid. sess. 5, canone 2. Consignatur Rom. 5, his verbis : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit ; in quo omnes peccaverunt.... sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Ex his sic arguimus : Peccatum originale illud est quod omnes et singulos homines ex Adamo satos inficit et inficiendo morti obnoxios efficit ; at commemoratum oraculum talem maculam commonstrat: exhibet nimirùm Adamum, omnes et singulos homines, et ideò ipsos parvulos, peccati actualis nescios, et tandem verum peccatum, et quidem non imitatione (ut reponebant Pelagiani), sed propagatione reapsè contractum : etenim voces, *per unum hominem*, Adamum repræsentant ; versu quippe 14, expressa mentio fit *Adam*, et 1 Cor. 15, expressè dicit Apostolus *omnes mori in Adam*. Deinde homo per quem *peccatum intravit in mundum et in quo omnes peccaverunt*, non est Eva, cùm genus masculinum feminam non connotet ; ergo est Adam. Demùm ad evincendam peccati originalis veritatem probâsse sufficeret omnes homines in uno peccâsse. Item vox, *omnes*, omnes et singulos homines designat, tum quia ex se hanc habet communicationem, tum quia eos depingit, qui morti obnoxii facti sunt, quales indubiè sunt omnes et singuli homines. Item vox, *peccatum*, veri nominis peccatum exprimit, non effectum peccati, qualis est propensio in peccatum, aliæve id genus ærumnæ; enuntiat enim peccatum per quod *omnes* reverà *peccaverunt;* sed non peccant per effectum peccati; aliàs immeritò dixisset Apostolus Rom. 8, *nihil esse damnationis iis qui sunt in Christo Jesu*, id est qui baptizati sunt. Deinde Paulus ibi clarè distinguit *peccatum et effectum peccati;* dicit enim per peccatum *mortem intrâsse in mundum*, et ideò docet primi hominis peccatum esse causam mortis et aliarum hujus vitæ miseriarum ; certè Deus Adæ dixerat, *quâcumque die comederis de ligno* (vetito) *morte morieris*, et Apostolus cap. sequenti ait, *mortem esse stipendium peccati.* Item verba, *peccatum, et peccaverunt*, denotant peccatum, quod non imitatione, sed propagatione contrahitur. Etverò, peccatum, de quo disserit Apostolus, est peccatum quo inquinati sunt ipsi parvuli; sed parvuli peccare non possunt per imitationem, sed solùm naturali origine. Hinc, etsi loco verborum, *in quo omnes peccaverunt*, esset legendum, *quatenùs omnes, etc.*, ut nonnullis placuit, causam non obtinerent adversarii.

Confirmatur. Hæc locutio, *in quo omnes peccaverunt*, manifestè significat, omnes in Adam tanquàm principio et radice generis humani peccâsse, sive, ut loquitur D. Aug. lib. 1 de peccatorum meritis et remissione cap. 9, n. 10:

Adam occultâ tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificâsse in se omnes de suâ stirpe venientes. Nam relativum, *in quo*, non tangit peccatum, quod in græco est generis femini, et etiamsi illud tangeret, significaret *omnes in peccato Adam peccâsse*, id est esse reos peccati adamici; mortem etiam non refert, siquidem *omnes* in morte non peccant, licet plurimi in peccato moriantur; solum ergo Adamum exhibet. Jam verò qui alicujus peccatum imitantur in ipso peccare dici nequeunt. Sic, ut arguit D. Aug. lib. 1 de peccatorum meritis, etc., cap. 10, nullibi dicitur in Scripturis, iniquos peccâsse vel peccare in diabolo, quamvis *impii omnes eum imitentur;* sic nullus, pergit ibidem S. doctor, dicitur justificatus in Petro aut Paulo (sed in solo Christo), licet nonnulli eorum sanctitatem imitentur. Deinde totus Apostoli contextus inane illud effugium explodit; etenim Paulus comparationem instituit Adamum inter et Christum; sed Christus justitiam non imitatione sed regeneratione diffundit; ergo et Adam peccatum non imitatione sed generatione transmisit.... Addit per Adæ *inobedientiam multos constitutos fuisse peccatores;* at particula, *per*, manifestè ostendit Adæ inobedientiam non occasionem, sed veram causam fuisse hæreditariæ Adæ nepotum maculæ.... Idem evincit particula, *ex*, versu 6: *Judicium fuit ex uno in condemnationem...* Demùm id evincit pronuntiatum istud ad Ephes. 2: *Naturâ filii iræ sumus;* vox enim, *naturâ,* non imitationem, sed originem adumbrat.

Ex his elucet argumentum ex Apostoli oraculo Rom. 5, pro peccati originalis existentiâ deductum, nullâ arte eludi posse. Hinc D. Augustinus, postquàm lib. 1 de peccatorum meritis, etc., cap. 9, Apostoli verba protulit, ovans addidit: « Hoc si ego dicerem, resisterent isti (Pelagiani), meque non rectè dicere, non rectè sentire clamarent; nullam quippe in his verbis intelligerent sententiam cujuslibet hominis, nisi istam quam in Apostolo intelligere nolunt; sed quia ejus verba sunt, cujus auctoritati doctrinæque succumbunt, nobis objiciunt intelligendi tarditatem, cùm ea quæ tam perspicuè dicta sunt, in nescio quid detorquere volunt. »

1° Pelagiani in omne latus se verterunt ut apostolici oraculi Rom. 5 vim et robur ab Augustino singulari ingenii acumine et nervoso ratiocinio patefactum debilitarent. Rom. 5, inquiebant, dicitur, *unius delicto multos mortuos esse*, v. 15..... *gratiam Dei* (per Christum) *in plures abundâsse*, ibidem..... Per Adam *multos constitutos esse peccatores, sicut per Christi obeditionem justi constituuntur multi*, v. 19, etc. Sed hæc Adami delicti ad omnes et singulos illius nepotes transmissionem elevant; omnes quippe et singuli homines per Christum non justificantur, et etiamsi justificarentur, per Adam non perirent; cùm gratia Dei per Christum *in plures* abundaverit quàm Adæ delictum. — Resp. Nego minorem. Apostolus enim v. 15 et 19, dixit *multos* in Adam periisse, v. 12, et 18, *omnes in Adam peccâsse* et *condemnatos fuisse*, et ideò *omnes* et *multos* Adæ *delicto mortuos esse*. Quâ autem ex causâ hâc locutione usus est? Ut ostenderet, omnes ferè homines, qui sunt *multi*, id est in numero maximo, sive propemodùm infinito, in Adam peccâsse, non autem omnes omninò, sive nullo excepto; Eva quippe, Christus et Virgo Maria, licet ex Adam orti, in ipso non peccaverunt. Unde apostolica effata his prorsùs similia sunt: *Diluvii tempore omnes homines corruperant vias suas; diluvii tempore multi corruperant vias suas;* qui enim luctuosis illis diebus in delictorum gurgitem præcipites irruerant, multi erant, hoc est in numero ferè infinito, sed non omnes absolutè et nullo excepto, siquidem Noe et ejus familia Deo addicti remanserant..... Porrò, si vox, *plures*, v. 15, comparativo sensu est accipienda, indicat duntaxat gratiam Christi pluribus illapsam esse quàm originalem sordem; stillavit enim cœlestis ille ros in Adam, Evam et Mariam, qui hâc lue in origine non sunt contaminati. Si verò vox, *plures,* non comparatè, sed positivè et absolutè usurpata est et ideò significet *omnes*, sive *multos,* ut citatis versibus indicavit Paulus gratiam Dei per Christum abundâsse in omnes sive multos, quemadmodùm Adæ peccatum ad omnes sive multos transmissum est. Cæterùm, intendit Apostolus ostendere Christum plus profuisse per gratiarum copiam ex infiniti pretii meritis suis emanantem quàm Adam per delictum suum nocuerit; gratia enim Christi delevit primigeniam et sordidissimam peccatorum actualium colluviem.

Urgebant Pelagiani: Versus 12, *Per unum hominem..... in quo omnes peccaverunt,* solum actuale peccatum refert; eumdem enim exhibet sensum ac versus immediatè sequens cum quo jungitur per particulam, *enim;* at iste versus actuale delictum delineat; sic enim se habet: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cùm lex non*

esset. At desiperet qui hæc verba non actuali, sed originali delicto accommodaret, quod utpote propriè dictum peccatum quolibet ævo hominibus imputavit Deus. — Resp. 1° Estium et alios celebres interpretes versum 13 aptâsse actuali maculæ, cui ante Moysis tempus pœna à publico magistratu non infligebatur, cùm tunc nec lex (Mosaica) nec publicus vindex sceleris existeret; neque hæc expositio argumento vacillat; potuit enim Apostolus peccati originalis extantiam educere ex peccatis actualibus in quæ Adæ nepotes irruerant, cùm ista delicta eruperint ex concupiscentiâ, quam idem Apostolus in eâdem Epistolâ peccatum dicit, quia oritur ex Adæ peccato, et ad peccatum inclinat. — Resp. 2° Alios, fortassis probabiliùs, autumare eumdem versum ipsum etiam avitum delictum exprimere, et ideò hunc ingerere sensum: « Peccatum originale extitit quidem usque ad legem, sed tamen non fuit imputatum ab hominibus, qui illud ante legem Mosaicam confusè duntaxat cognoscebant. » « Erat, inquit D. Aug. lib. 6 adversùs Julianum, cap. 4, n. 9, peccatum (originale) sed non deputabatur, quia non cognoscebatur; per legem enim, sicut in alio loco dicit, cognitio peccati (actualis et originalis). » Etverò versus 14 ostendit, peccatum quod ex versu 13 in mundo vigebat, et non imputabant mortales, à Deo fuisse imputatum etiam parvulis qui non peccaverant in similitudinem prævaricationis Adæ, id est qui propriâ voluntate, ut Adam, non peccaverant. Ibi scilicet legitur: *Mors ab Adam regnavit usque ad Moysen etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* At *mors*, ut ait idem Apostolus, *est stipendium peccati*, et ideò parvulis à Deo infligi non potuit, nisi Deus ipsis peccatum imputaverit.

2° Iidem Pelagiani peccatum originale sacris aliis oraculis auferre aggrediebantur. Ezechielis cap. 18, sancit Deus: *Filius non portabit iniquitatem patris;* quod, inquiebant, in peccati originalis dogmate prorsùs falsum esset. — Resp. Sacrum Vatem per *patrem* primum parentem adumbrâsse vel non; si istud, evanescit difficultas; si illud, duo reponit D. Aug. lib. 6 contra Julianum cap. 25, n. 82, primum, Prophetam annuntiare Adæ posteros in novo Fœdere per suam in novum Adam regenerationem non ampliùs patris iniquitate esse onerandos (quod et prædixit Jeremias cap. 31, v. 29 et sequentibus)... Alterum (ibidem cap. 10, n. 28, filios Adæ, etiam ante regenerationem, non portare iniquitatem primi parentis sed suam; *peccatum enim* Adæ *originale est Adami proprietate actionis, sed nostrum est contagione propaginis*, inquit S. doctor, id est, peccatum Adæ hoc ipso nostrum est quòd in eo et cum eo illud simul commiserimus. Utraque responsio difficultatem diluit; priorem tamen menti et verbis Ezechielis magis accommodatam esse crediderim; videtur enim nihil aliud prædicere voluisse quàm quod prædixit Jeremias loco citato; idem quippe proverbium affert, et iisdem ferè verbis utitur; at certum est istum Prophetam commendare mirabilem novi Fœderis baptismi efficaciam et virtutem.

Cæterùm fateantur oportet adversarii filium, qui etiam paternæ iniquitatis non particeps est, justè ob illud alienum scelus aliquo temporali damno, ac ipsâ morte affici posse; quod inter alia exempla satis superque ostendit interitus filii quem David ex Uriæ uxore primitùs genuerat.

3° Iidem Pelagiani sibi vindicabant apostolicum effatum Rom. 4: *Ubi non est lex nec prævaricatio;* parvuli scilicet legis sunt incapaces, ergo et peccati. — Resp. Apostolo dicente Rom. 5: *Omnes*, et ideò ipsos parvulos, *in Adamo peccâsse* ob rationem postea deducendam, et ideò ipsis in primo parente legem esse impositam.

4° Iidem novatores obtrudebant hoc pronuntiatum 2 Corinth. 5: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum sive malum;* inde enim elucescit quemcumque propter solum proprium peccatum damnari posse. — Resp. Cum D. Augustino lib. 6 contra Julianum cap. 10, n. 29, ibi sermonem esse vel de solis adultis, vel de quibuslibet mortalibus; si primum, ruit argumentum; si alterum, parvuli nihil quidem mali propriâ voluntate gesserunt, non ita alienâ voluntate; quemadmodùm igitur ubi baptismo renascuntur referunt bonum quod per patrinos egerunt, id est fidei meritum, ita ubi sine baptismo obeunt, referunt malum quod per alium gesserunt, Adam scilicet in quo *omnes peccaverunt.*

ARTICULUS II.

Primigenii delicti existentia constanti Ecclesiæ traditione et praxi evincitur.

Peccati originalis dogma velut canonicis tabulis insculptum et ab Apostolis promulgatum amplexi sunt, et quoties protervis linguis fuit vellicatum, totis viribus tutati sunt nascentis

et adolescentis Ecclesiæ Christiani ad hæc usque tempora; ergo.

Probatur ant. Ac primò quidem nascentis Ecclesiæ fideles ad quintum usque seculum, quo exorta est hæresis pelagiana, peccati originalis dogma velut certum habuerunt. Hujus facti testem damus D. Augustinum et probitate et eruditione celeberrimum. Lib. 3 de peccatorum meritis et remissione cap. 6, n. 12, miratur quòd suo ævo nonnulli avitam maculam majorum visceribus insculptam inficiari ausi sint. Deinde, prolato D. Hieronymi super caput tertium Jonæ de peccato originali testimonio, addit: « Hunc doctissimum virum si facilè interrogare possemus, quàm multos utriusque linguæ... scriptores commemoraret qui non aliud, ex quo Christi Ecclesia constituta est, senserunt, non aliud à majoribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt? Ego quidem, quamvis pauciora legerim, non memini me aliud audivisse à Christianis, qui utrumque accipiunt Testamentum, non solùm in catholicâ Ecclesiâ, verùm etiam in quâlibet hæresi vel schismate constitutis, non memini me aliud legisse apud eos quos de his rebus aliquid scribentes legere potui. » Lib. 1 contra Julianum, cap. 3, n. 5 et seq., postquàm dixit, in re tam apertâ et tam certâ inutile esse omnium antiquiorum Patrum sententias commemorare, adducit testimonia Irenæi Lugdunensis episcopi, Cypriani Carthaginensis præsulis, Reticii ab Augustoduno pontificis, et Olympii Hispani episcopi, duorum veterum Patrum, quorum opera non extant, Hilarii et Ambrosii... Ibidem cap. 4, n. 13, inducit Julianum provocantem ad episcopos orientales, et respondet, « eam partem orbis sufficere debere, in quâ primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio conorare, ac Innocentium primum, et Zozimum hujus Ecclesiæ præsides ab ipso audiendos esse, cùm docere non potuerint nisi quod antiquitùs apostolica Sedes et romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia. » Ubi obiter observa quantùm hallucinentur qui negant aut Petrum Romæ mortuum esse, et primatûs dignitatem ad romanos episcopos transmisisse, aut Ecclesiam romanam à fide desciscere posse. Deinde, cap. 5 et sequentibus, et toto libro secundo refert, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum, etc.

Peccati originalis fides ante Pelagium mortalium animis tam altè infixa fuit, ut nullus hæreticus vel schismaticus eam labefactare ausus fuerit. Testis iterùm est D. Aug. citato libro 3 de peccatorum meritis et remissione; imò ipsimet hæretici, quorum intererat illud dogma negare, vel in dubium vocare, in hanc audaciam non proruperunt. Enimverò S. doctor commemorato lib. 3, cap. 7, n. 13, refert ipsius Joviniani, qui nuptias monialibus suadebat asserendo eas apud Deum conjugatis nihil ampliùs meritorum consequi, in mentem nunquàm venisse affirmare absque peccato originali nasci hominum filios, quamvis ad nubendum procliviores fuissent feminæ, si se fœtus mundissimos parituras esse credidissent. Hinc eodem Augustino testante lib. 1 contra Julianum cap. 5, n. 19, synodus Dispolitana, aut Diospolitana, in Oriente ex quatuordecim episcopis conflata, « Pelagium damnavisset nisi ipse damnavisset eos, qui dicunt, quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, et non genus humanum, et quòd infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante peccatum, et infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam. » Idem Augustinus perpetuam de peccato originali traditionem delineat, quoties hoc dogma specialiter propugnat, nempe in tribus libris de peccatorum meritis et remissione, uno de peccato originali contra Pelagium et Cœlestium, duobus de nuptiis et concupiscentiâ, sex adversùs Julianum, et quatuor contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium.

Item quoties peccati originalis dogma fuit impugnatum, toties reclamavit Ecclesia. Hanc reclamationem exploratam faciunt varia concilia Orientis et Occidentis quibus pelagiana hæresis de peccato originali velut in ortu suo præfocata fuit. Ea referunt historiæ ecclesiasticæ scriptores. Obstupuit Ecclesia cùm hæresim istam tot fulminibus prostratam renovaverunt 16 seculo Anabaptistæ, et alii quidam ex Protestantium grege fanatici homines. Unde synodus Tridentina eam anathemate rursùs ferire coacta fuit sessione 5, canone 2, his verbis: « Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam à Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem et pœnas corporis tantùm, in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ, anathema sit, cùm contradicat Apostolo dicenti, *per unum hominem*, etc. » Hæc concilii verba ex antiquissimæ præsertim synodi Arausicanæ II,

canone 2, deprompta sunt; adeò verum est Ecclesiam Romanam novitatem nescire, et apostolicæ doctrinæ esse tenacissimam. Denique totius Ecclesiæ sententiam circa peccatum originale mirificè patefacit baptismi administratio; constat scilicet (neque id unquàm negare ausi sunt Pelagiani), constat, inquam, baptismum quolibet seculo, infantibus, quoties periculum imminebat, ne eâ in ætate morerentur, fuisse administratum. Etverò, quomodò id neglexisset Ecclesia cùm Christus absolutè dixerit Joannis cap. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei?* at Ecclesia iis parvulis baptismum administravit, ut eos è potestate dæmonis eriperet, et ipsi peccati remissionem perciperent. Ubi obiter nota Pelagianos eò insaniæ et temeritatis tunc non prorupisse, quò proruperunt 16 seculo Protestantes, et nostris diebus novatores, nimirùm ut totius Ecclesiæ usum floccifacerent, et subsannarent.

Probatur minor. Ecclesia aliâ ex causâ baptismum illis infantibus conferre non potuit. Etenim ex Christi institutione baptismus peccatum delet; institutus quippe est ut per gratiam renascamur; sed nemo renasci potest per gratiam nisi peccato mortuus fuerit; institutus est ut *moriamur peccato et justitiæ resurgamus*, Rom. 6; sed nullus potest mori peccato et justitiæ resurgere, nisi peccato coinquinetur, et ejus remissionem consequatur; institutus est ut per *verbum vitæ* aquæ applicatum, id est per formam baptismi, mundemur, lavemur, renascamur, regeneremur, Actuum 22, ad Ephesios 5, ad Titum 3; sed hæc necessariè maculas arguunt quæ deterguntur; ergo. — Item Ecclesia aliâ ex causâ non voluit baptismum iis parvulis impertire quàm ut ipsos ex peccato et dæmonis servitute eximeret, et servos faceret justitiæ. Enimverò, id oculis ipsis subjiciunt cæremoniæ quas velut ab incunabulis suis in solemni baptismi administratione adhibuit; illæ enim sunt exorcismi, exsufflationes et preces, etc., quibus ab infantibus spiritum immundum, sive diabolum abigit, et à Deo ejici rogat; quod profectò non fecisset nisi illos sub dæmonis jugo captivos detineri et vero inquinari peccato pro certo habuisset. Jam verò infantes, qui baptizantur ut à dæmonis servitute eripiantur, et peccati remissionem obtineant, mundari nequeunt à peccatis actualibus quorum non sunt capaces; ergo mundantur à peccato originali, id est in eis regeneratione mundatur quod generatione contraxerunt.

Hoc argumentum ventilans D. Aug. libro tertio Operis Imperfecti adversùs Julianum, hunc hæreticum sic subsannat: « Cur exsufflet baptizandos parvulos Ecclesia Christi ostende, si potes, aut eos exsufflandos non esse contende, si potes, aut obmutesce, si non potes; imò obmutesce quia non potes. » Idem S. doctor lib. 5, n. 9, eumdem Julianum reponentem parvulos per baptismum non mori peccato, sed renasci duntaxat ut meliores fiant et filii Dei adoptivi, sic compellat: « Catholica Ecclesia in parvulis exsufflat et exorcizat, utique potestatem diaboli, non imaginem Dei..... Tu magnus mirabiliarius, dicis sanguinem Christi etiam pro parvulis fundi, et negas eis per illum peccata ulla dimitti! Dicis lavandos, et negas abluendos! Dicis innovandos, et negas à vetustate mundandos! Dicis per Salvatorem adoptandos, et negas esse salvandos! » etc. Hic sanè ridendi sunt Protestantes qui commemoratas baptismi cæremonias sive ritus, quos retinuit Ecclesia romana, vituperant. Quid de illis sentiret Augustinus si hodiè viveret? Quid ipse Julianus? Non minùs ridendi sunt novi Pelagiani, id est Anabaptistæ, Sociniani, Deistæ, et aliæ hujusmodi pestes, qui D. Augustinum, ubi peccatum originale prædicavit, *novatorem fuisse* obganniunt; reclamat enim non solùm sacra Scriptura et constans Patrum et Ecclesiæ traditio et usus; ut diximus, sed etiam ipsi lapides; Romæ scilicet in Constantinianâ basilicâ leguntur ista carmina à Sixto III elaborata, et ipso jubente insculpta lapidi super sacrum fontem:

Mergere, peccator, sacro purgande fluento;
Quem veterem accipiet, proferet unda novum.
Insons esse volens, isto mundare lavacro.
Nulla renascentum est distantia: quos facit unum
Unus fons, unus spiritus, una fides.

Objici potest 1°: Clemens Alexandrinus, qui exeunte seculo 2 floruit, lib. 3 Stromatum, Basilidianos et alios nuptiarum hostes revincens originalis peccati in Adæ nepotes transfusionem apertè explodit; ait scilicet: « Dicant ergo nobis ubi fornicatus est infans natus? vel quomodò sub Adæ cecidit execrationem qui nihil est operatus? Restat ergo eis, ut videtur, consequenter ut dicant malam esse generationem, non solùm eam quæ est corporis, sed etiam quæ est animæ, propter quam etiam corpus. » Porrò, si infans non cadit sub Adæ execrationem, indubiè avitæ maculæ expers est; ergo. — Resp. 1° censere nonnullos peccatum originis Clementi non fuisse omninò exploratum,

alios è converso commemorata verba Clementis textui pelagianâ manu fuisse inserta. Etenim, inquiunt, nonnihil impeditum exhibent; et Baronio dicente post Ruffinum ad annum 186, quædam Clementis opera ab hæreticis reipsà sunt corrupta, et hâc ex causâ à Gelasio papâ apocrypha declarata. Hæc conjectura ex agendi ratione Juliani aliquatenùs etiam erui posset; ille quippe novator, qui D. Chysostomum Augustino opposuerat (lib. 1 S. doctoris adversùs Julianum cap. 6), pro immensâ suâ eruditione et sagacitate testimonium sibi tantoperè favens clausum non retinuisset si suo tempore apud Clementem extitisset. — Resp. 2°, P. Alexandrum in historiâ secundi seculi dissertatione 8, reponere 1°, Clementem ibi de originali peccato non disserere, sed unicè de hæreticorum systemate, qui innixi illo Psalmi 50: *In iniquitatibus conceptus sum,* etc., actum generandi malum, sive execrandum, esse garriebant. Eos autem refellit ostendendo infantes *non cadere sub Adæ execrationem,* id est non contrahere peccatum originale, per actum generandi qui sit peccatum, sed per aliud medium. Favent ipsa objecta verba; ex adversariorum enim systemate concludit, *malam esse generationem non solùm corporis sed etiam animæ;* et post objectas voces fatetur, infantem sic *in peccatis esse conceptum* ut *non sit ipse peccatum,* id est peccatum comitari quidem conceptum sive generationem, sed conceptum sive generationem non esse formaliter peccatum..... 2°, Clementem probâsse adversùs Basilidianos, qui, ut refert lib. 1 Stromatum, docebant animas antequàm corporibus unirentur conditas actu peccâsse; probare, inquam, adversùs illos hæreticos infantes, cùm nascuntur, actuali illo peccato non esse contaminatos; favent rursùs citata verba: *Dicant nobis ubi fornicatus est infans natus, vel quomodò sub Adæ cecidit execrationem qui nihil est operatus?* etc.

Has responsiones confirmat eruditus historicus ibidem variis rationibus; cùm scilicet D. Athanasius, patriarcha Alexandrinus, sermone in hæc Christi verba: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo,* testetur peccati originalis fidem intimis Ecclesiæ Alexandrinæ visceribus fuisse inscriptam (idem testatur Origenes Clementis discipulus); quis autem existimaverit pium et doctissimum hujus Ecclesiæ presbyterum Clementem ab illâ fide vel tantillùm recedere voluisse, aut etiam potuisse? Deinde Clemens, libro 1 Pædagogi cap. 6, docuit per baptismum qui semper infantibus in vitæ saltem discrimine constitutis fuit impertitus, peccata deleri, et ideò in illis parvulis peccatum alienâ voluntate commissum agnovit. « Tincti, inquit, illuminamur; illuminati in filios adoptamur; adoptati perficimur; perfecti immortales reddimur; multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, et lavacrum; lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus; gratia autem, quâ remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur; illuminatio autem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur, hoc est per quam id quod est divinum perspicimus; perfectum autem dicimus cui nihil deest..... »

Objici etiam posset Tertullianus apud Alex. in hist. seculi 3, diss. primâ, qui lib. de baptismo cap. 18, baptismum parvulorum differendum esse inter alia probat, quòd *fieri debent Christiani cùm Christum nosse potuerint, et incassùm festinaret innocens ætas ad remissionem peccatorum.* Verùm lectori illicò compertum fit virum eximium hæc protulisse ut privatam suam sententiam de baptismo infantium differendo (quam Ecclesia Africana S. Cypriano in epistolâ ad Fidum referente in numerosâ synodo improbavit) utcumque suaderet; parvuli scilicet rationis compotes facti fidem per se profiteri poterant, et onera sibi per baptismi receptionem imposita modo perfectiori cognoscere, et aliunde peccatorum actualium remissionem impetrare, ut mox commemoratis verbis significat, in quibus, non *peccati* singulari, sed peccatorum plurali numero mentionem facit. Etverò, vel in ipso loco objecto agnoscit parvulos à nativitate recenter baptizari solitos fuisse, eodemque in libro cap. 1, per *sacramentum aquæ à pristinâ cæcitate hominem liberari, et in Dei similitudinem restitui;* quin peccatum ab Adamo in omnes ejus nepotes diffundi expressè docet lib. de Animâ, cap. 40. « Omnis, inquit, anima eò usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur; tamdiù immunda quamdiù recenseatur. Peccatrix autem quia immunda recipiens ignominiam ex carnis societate. »

Cæterùm, hæc arguendi ratio, *innocentes sunt infantes, non indigent peccatorum remissione,* etc., peculiaris non fuit Tertulliano; quidam alii doctores negaverunt, *infantes esse peccatores,* id est propriâ voluntate peccâsse.

Objiciebat 3° Julianus (et cum ipso novi Pelagiani) apud Aug. lib 1, cap. 6, n. 21, D. Chrysostomum homiliâ ad Neophytos dicentem: « Infantes baptizamus, cùm non sint

coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint; › ergo. — Resp. cum D. Aug. ibidem 1°, n. 25, unum doctorem, quantàlibet eruditione et pietate refulserit, ubi cum aliis non concinit, non esse audiendum. ‹ Si, inquit S. doctor Joannem Chrysostomum alloquens, quod Julianus sentit te sentire claruisset, nunquàm te unum, pace tuâ dixerim, tot ac talibus præferre possemus in eâ causâ, de quâ nunquàm fides christiana et Ecclesia catholica variavit. › Quid post hæc sentiendum de istâ Jansenianorum generali propositione, *si quis invenerit doctrinam benè fundatam in Augustino, potest illam sustinere contra omnes pontificis bullas?* Quid de Jansenii temeritate ad unum Augustinum semper provocantis et Patres græcos sæpiùs contemnentis ?... 2°, n. 24 et seq., Chrysostomum, si originale peccatum negaverit, in apertam contradictionem esse prolapsum; varia ibi adducit S. doctoris testimonia in gratiam peccati originalis. Istud sufficiat, ab Augustino licet non commemoratum: homiliâ 40 in priorem ad Corinthios præclarè ait: ‹ Deus in regenerationis lavacro mentem gratiâ tangit, radicale peccatum (à radice nempe sive ab Adamo tractum) evellit, et ut tu aurum ferrumve recoquendo purum novumque facis, sic Spiritus ille sanctus in baptismate velut in fornace recoquit ipsam, et peccatum consumendo quolibet auro puriorem facit.... › 3°, n. 22, non legi apud Chrysostomum, *cùm non sint inquinati peccato*, sed *cùm peccata non habentes, propria* nempe, inquit S. doctor, sive *personalia*. Alii ejusdem homiliæ codices, quorum meminit Sylvius, habent, *ut non sint inquinati peccato*. Alii eamdem homiliam à Chrysostomo abjudicant; quidquid autem sit, agnovit hujus homiliæ auctor peccatum originale; hæc enim habet: ‹ Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis. › Vox, scilicet, *nostrum*, ostendit illud chirographum ad nos pertinuisse antequàm fœnus posterioribus peccatis augeremus.

Objiciunt 4° novi Pelagiani plurima alia D. Chrysostomi testimonia. Homiliâ X in epistolam ad Romanos Apostoli verba, *in quo omnes peccaverunt, unius inobedientiâ peccatores*, etc., exponit de morte, non de peccato, et expressè negat unius inobedientiâ homines peccatores potuisse constitui, etc. — Resp. Ibi docere Chrysostomum homines per Adam morti fuisse obnoxios, sive, ut loquitur, *supplicio obnoxios esse et ad mortem damnatos;* sed mors supponit meritum mortis et supplicium culpam; unde ibi designavit per mortem et supplicium peccatum originale, sicut causa interdùm designatur per effectum. Negat autem unius inobedientiâ alterum propriâ voluntate peccatorem constitui potuisse, quia nempe ridiculum est ut quis propriâ voluntate peccet quia alter propriâ voluntate peccavit; sed non dicit ridiculum esse asserere homines fuisse in Adamo peccatores quatenùs geniti sunt cùm peccatum in eo per modum habitûs remanebat; quinimò id agnoscit, cùm asserat eos Adæ inobedientiâ supplicio et morti obnoxios factos fuisse: illud nimirùm non fuisset justum si Adæ peccatum ipsorum non fuisset peccatum.

Quanquàm reponi potest Chrysostomum negare duntaxat homines per Adam peccatores evasisse modo irreparabili, aut cum Sylvio et Patre Alexandro, in hist. 5 seculi, dissertat, primâ, hæc illius verba, *quòd Adæ inobedientiâ alter peccator fiat, quam consequentiam habet?* ab ipso proponi per modum objectionis, quam deinde diluit dicendo homines inobedientiâ Adæ, utpote primi omnium parentis supplicio et morti fuisse subditos. Etverò, hâc in ipsâ homiliâ X passim peccatum originale prædicat, ut videre est apud D. Aug. et P. Alexandrum locis commemoratis.

Item homiliâ 17 in epist. 1 ad Corinthios peccatores exitium suum in Adam rejicientes sic revincit: ‹ Quid faciam ? inquit, propter ‹ Adam pereo? Minimè propter Adam, neque ‹ enim tu sine peccato permansisti. Quòd si ‹ non idem peccatum, aliud tamen commisi- ‹ sti, › etc. — Resp. ex ipsis objectis verbis manifestum esse adultos depingi quibus originis delictum per baptismum est remissum; at nemo ibit inficias tales homines propter peccata personalia perire. Quamobrem tantùm abest ut illud testimonium paternæ maculæ existentiam tollat, quinimò illam supponit, et ostendit.

Item homiliâ 39 in eamdem epistolam 1 ad Corinth. negat, *omnes in Adam mortuos esse morte peccati*. — Resp. ex contextu elucescere S. doctorem edisserere, non quamlibet peccati mortem, sed solam mortem æternam et irreparabilem; continuò scilicet addit: *Noe, Abraham, Job in generatione suâ* (id est vel in suâ posteritate, vel in vitæ curriculo, per externam fidei in venturum Messiam professionem) *justi fuerunt*. Unde sensus est: *Omnes in*

Adam mortui non sunt peccati morte, ex quâ nusquàm eximendi forent; aliàs nemo justus fuisset. Equidem Chrysostomus eò loci, hæc Apostoli verba : *Omnes in Adam moriuntur*, exponit de morte et resurrectione corporis : verùm quâ ex causâ ? Ut revincat Manichæos, qui de spirituali resurrectione, id est à peccati solutione, exponebant quæcumque Apostolus ad Corinthios scribens de resurrectione dixit ; at mortem animæ haudquaquàm excludere voluit ; eam enim alibi passim ex corporis morte, quam dicit esse supplicium et pœnam, eruit et colligit.

Item homiliâ 24 in Epistolam ad Ephesios hæc habet : « In corpus quidem nostrum cadit « corruptio, sed in animam non cadit. Num « autem ipsam quoque corrumpimus? hoc fecit « prius peccatum. Quod est autem post lava« crum, potest etiam animam corrumpere, et « efficere ut facile capi possit à verme mortali. » Igitur peccatum Adæ corrupit solum corpus, peccata è converso personalia corrumpunt etiam animam, et ideò non existit peccatum quod per generationem animam inficiat. — Resp. ex sermonis serie et antithesi hunc elucescere sensum. Baptizati etiam post baptismum ex patrio crimine corpus habent corruptioni obnoxium ; sed eorum mens, sive anima, per baptismum regenerata est omninò incorruptibilis, si baptismi gratiam retinere voluerint, ac ideò sola peccata mortalia post baptismum commissa, cùm in eis vita finitur, eorum animas perpetuæ corruptioni subjicere possunt. In his autem nihil deprehenditur quod peccati originalis dogmati nocere valeat.

Cæterùm, quòd Chrysostomus suam de peccato originali mentem aliquandò clarè non expresserit mirum videri non debet. « Disputans « scilicet, inquit D. Aug. Juliani objectionem « diluens, in Ecclesiâ catholicâ non aliter se « intelligi arbitrabatur ; tali quæstione nullus « pulsabatur, vobis nondùm litigantibus secu« riùs loquebatur. » Idem profectò de aliis Patribus, qui ante pelagianam hæresim floruerunt, dicendum ; idem reponendum Jansenio ejusque discipulis qui D. Aug. auctoritatem adversùs Ecclesiæ catholicæ definitiones obtrudere non desinunt.

Objiciunt 5° Theodoreti sententiam qui lib. 5 hæreticarum fabularum cap. 18, dicit, *infantes peccatum non gustàsse*. Exponens caput quintum Epistolæ ad Romanos asserit, Adæ posteros *ex occasione peccati primi parentis in peccata lapsos esse*. Alibi docet, mortem ex Adæ peccato ad nos transiisse, et propter proprium unumquemque mortem subire ; ergo. — Resp. hæc testimonia nullam, aut levem procreare posse difficultatem. In primo nimirùm actuale peccatum depingitur ; in secundo, paterni criminis existentia vindicatur ; ideò enim peccamus quia naturam corruptam et vitiatam ex Adamo trahimus. In tertio meritò dicitur nos propter *proprium peccatum* mori, cùm Adæ peccatum nostrum omnium sit. Consuli poterit eruditus Pater Garnerius è societate Jesu, qui accuratam Theodoreti editionem in lucem emisit anno 1684, et quædam obscura illius loca illustravit.

Objiciunt 6° D. Ambrosium commentario in caput 5 Epistolæ ad Romanos, Arnobium juniorem in Psalmum 50, et Lactantium, qui vixerunt initio quarti seculi. — Resp. illos commentarios opus non esse D. Ambrosii, sed Hilarii Sardi Ecclesiæ romanæ diaconi, quem pelagianæ hæreseos accusat Jansenius Yprensis aliis contradicentibus. Vide Patrem Alexandrum in historiâ seculi quarti. Quidquid sit, docet duntaxat nos peccato Adæ præcisè non pati gehennam, sed ejus occasione propriis delictis nos illo condemnari supplicio : quæ si non sunt vera (non enim consona videntur Scripturæ, D. Aug. et quorumdam aliorum Patrum dictis), existentiæ tamen peccati originalis nullum inferunt præjudicium..... Arnobius qui objicitur non is est Arnobius Lactantii præceptor, qui septem libros adversùs Gentes edidit, de quo Baronius ad annum 302, sed auctor multò recentior, qui pelagianâ hæresi fuit imbutus. Cæterùm objecto loco in parvulis excludit peccatum actuale, non originale... Demùm Lactantii opera multis erroribus conspersa sunt, ut ostendit Baronius ad eumdem annum.

Objiciunt 7° S. Gregorium Nyssenum, qui in oratione de infantibus præmaturâ morte raptis dicit : *Infans simplex omnisque malitiæ expers... sanitate, quæ per purgationem contingit, non indiget;* ergo. — Resp. Gregorium disserere de infantibus baptizatis, qui non indigent sanitate quæ per ignem purgatorium acquiritur : libro quippe de vitâ Moysis, tradit naturam nostram in peccatum lapsam esse.

Objiciunt ultimò D. Optatum Milevitanum, qui in fine 4 seculi, lib. 7 adversùs Parmenianum, asserit *non pertinuisse ad Seth Adæ filium patris admissum*. Resp. 1°, eruditos, inter quos P. Alexander in Synopsi seculi 4, inter se non convenire an liber ille septimus genuinus sit Op-

tati Milevitani fœtus. Resp. 2°, notum esse Optatum ibi refellere Donatistas, qui prætendebant imputari majorum crimina qui sacros codices certò tradiderant; quod ut obtineat, adducit Scripturæ testimonia, quæ enuntiant, *animam quæ peccaverit solam esse puniendam*. Cùm igitur illa sacrorum librorum traditio fuerit actuale peccatum, et commemorata oracula idem peccatum connotent, evidens est Optatum solum actuale et personale delictum ibi adducere, et ideò unicè intendere non pertenuisse ad Seth Adæ peccatum quatenùs erat personale, sed quatenùs erat peccatum naturæ in Adamo totius generis humani capite vitiatæ. Etverò agnoscit lib. 2 et 4, per baptismum ab homine abigi *spiritum immundum*, eumdemque hominem *spiritualiter Deo renasci*.

Principia solutionum. — Primum. Ex his elucet permulta existere Scripturæ et Patrum oracula, quæ pelagianæ hæresi de peccato originali favere videbantur. Istud tamen dogma et Scripturis et traditione extra quamlibet dubitationem innititur. Non ergo movearis cùm videris Baii, Jansenii, etc., sectatores in hexaplis et aliis pestiferis ejusmodi operibus immensam testimoniorum copiam, quorum nonnulla etiam prava ipsorum dogmata interdùm fulcire videntur, ostentantes.

Secundum. Clemens Alexandrinus, et quidam alii Patres, sacra oracula, quibus peccatum originale asseritur, de isto delicto aliquando non intellexerunt, magis scilicet hæreticis, quos impugnabant, refellendis quàm illis oraculis exponendis intenti. Eorum vestigiis inter alios D. Aug. insistens celebre Apostoli testimonium 1 ad Tim. 2: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, etc., non excluso obvio illius sensu alienis exposuit sensibus ut adversarios in majores conjiceret angustias.

Tertium. Cuncta ferè ex Patrum dictis adversùs peccati originalis sacramentum contorta argumenta concidunt attendendo ea dicta spectare vel peccatum proprium et personale, cujus incapaces sunt infantes, non originale sive alienâ voluntate commissum, vel baptizatos homines nullo indubiè peccato contaminatos, etc.

Quartum. Patres qui homines morti obnoxios et ad peccandum proclives agnoscunt inter peccati originalis dogmatis defensores recenseri debent, cùm mors et propensio in peccatum in præsenti ordine avitum delictum prænuntient.

ARTICULUS III.

Utrum peccati originalis dogma rationi repugnet?

1°. In memoriam revoca peccatum originale verum esse peccatum, non actuale quidem, sed habituale, quod omnes ab Adam naturali propagatione descendentes in primo existentiæ suæ instanti ex æquo intrinsecè contrahunt, quodque eos Deo invisos efficit, et æternâ pœnâ dignos, sive, ut loquitur Apostolus ad Ephesios 2, *iræ filios* constituit. Quæritur an hujus peccati existentia rationi adversetur.

2°. Observa cum D. Aug. nec Scripturam et traditionem divinam rationi, nec rationem Scripturæ et traditioni divinæ repugnare posse. « Si, inquit S. doctor epist. 143, aliàs 7, n. 7, « ratio contra Scripturæ divinæ auctoritatem « redditur, quàmlibet acuta sit, fallit verisimi- « litudine, nam vera esse non potest. Rursùs, « si manifestissimæ et certæ rationi Scripturæ « divinæ objicitur auctoritas, non intelligit qui « hoc facit, et non Scripturæ sensum, ad quem « penetrare non potuit, sed suum potiùs obji- « cit veritati, nec quod in eâ, sed quod in « seipso invenit opponit. » Porrò originalis peccati existentia Scripturâ et traditione constat; nulla igitur adversùs eam invicta ratio objici potest.

Tertiò. *Miro prorsùs modo fit, ut quod dimissum est in parente trahatur in prole*, inquit D. Aug., et ideò istud dogma argumentis ex ratione desumptis positivè demonstrari non potest, cùm humanæ mentis, non secùs ac cætera christianæ religionis mysteria, captum longiùs exsuperet. Hinc quæritur præcisè, an peccati originalis dogma nonnullis rationis momentis utcumque suaderi possit, et an argumenta rationis quibus impugnari potest, verè demonstrativa cordato viro videri debeant; quæ duo seorsim expendemus.

§ 1. *An ex rationis luce aliquatenùs erui possit peccatum originale?*

Negabant, ut diximus, Pelagiani, et hodiè inficiantur Anabaptistæ, Sociniani et Deistæ.

Conclusio. — Ratio nonnulla suggerit momenta quæ peccati originalis existentiæ famulari videntur.

Primum illud est quod centies adversùs Pelagianos adhibet D. Aug. Exurgit ex vehementissimâ concupiscentiâ, quâ in malum nitimur, ex dirâ morte, ex immensâ miseriarum cohorte, quibus, ne ipsis quidem infantibus exceptis, hâc in vitâ obruimur, id est, ut

omnia compendiosè dicam, ex *gravi jugo*, quod, ut refertur Ecclesiastici 40, constringit colla filiorum Adæ *à die exitùs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ*; at tot et tantæ miseriæ, quas ipsi patiuntur infantes, suadere videntur eos non nasci innocentes; nequaquàm enim concipi potest quomodò omnipotens, summè providus, sapiens et justus Deus, insontes creaturas tantoperè torqueret, vel torqueri sinere posset. Quare nonnulli veteres sapientes id seriò secum recogitantes, primævum quoddam peccatum in naturâ præcessisse conjecerunt et suspicati sunt. Non nostrum est hoc ratiocinium, sed celeberrimi gratiæ vindicis frequens argumentatio. « Si, inquit lib. 1 Operis Imperfecti adversùs Julianum, tibi placet innocentia parvulorum, remove ab eis, si potes, grave jugum... quis non videat, si habent innocentiam, in gravi jugo eorum non esse Dei justitiam?... nisi fortè dicas voluisse quidem Deum eis subvenire, quia justus est, sed non potuisse, quia omnipotens non est... Deus igitur tuus in tot et tantis malis, quæ parvuli patiuntur, aut justitiam, aut omnipotentiam, aut ipsam curam rerum humanarum est perditurus. » Hâc ratione S. doctor sibi impactum de principio increato malo Manichæorum errorem in Julianum retorquebat.

Scio quidem nonnullos recentiores reponere Augustinum ideò duntaxat hâc argumentatione usum fuisse, quia antea peccatum originale ex sacris Litteris, quas admittebant Pelagiani, evicerat. At præterquàm quòd Julianus et alii Pelagiani non ex Scripturis tantùm, sed sæpiùs ex ratione istud dogma impugnabant, qui ideò per rationem erant refellendi, certè hujus exceptionis auctores se augustinianæ doctrinæ penitùs ignaros, aut saltem eâ parùm admodùm imbutos produnt. Enimverò S. doctor, qui in libris de Civitate Dei se paganos confutare intendisse refert lib. 2 Retractationum cap. 43, lib. 22 de Civitate cap. 22, idem impendit argumentum. Neque reponant hanc ratiocinationem naturæ puræ possibilitatem vellicare; Sedes enim apostolica nunquàm definivit, justum Deum potuisse insontem hominem creare cum concupiscentiâ et aliis miseriis *quoad gradum* prorsùs æqualibus iis quas in præsenti ordine experimur, ut postea ostendemus. Cæterùm D. Thomas, lib. 4 contra Gentes, cap. 52, initio D. Augustini ratiocinium probavit, et suum fecit.

Secundum adversùs Pelagianos passim concinnat idem Augustinus. Erumpit ex intimo naturalis pudoris sensu, quem ex inordinatis exæstuantis concupiscentiæ ardoribus cuncti illicò percipiunt mortales. Bonus scilicet et justus Deus non potest hominem condere hujusmodi pudori obnoxium, sive cum pudore qui ex inhonestâ illâ concupiscentiæ libidine exoriatur. Sed audiamus eximium doctorem suum hoc argumentum cum nervoso vigore et robore proponentem. Dixerant Pelagiani, *motum genitalium, id est ipsam virilitatem sine quâ non potest esse commixtio, à Deo esse institutam.* Quid Augustinus? Reponit lib. 1 ad Bonifacium, sive contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 15, n. 31, Deum *sic primitùs instituisse motum genitalium, ut nihil haberet pudendum, quia fas non fuit ut erubesceret creatura de sui opere Creatoris.* Deinde cap. 16, n. 33, postquàm exposuit hominis in præsenti statu generationis operi vacantis erubescendi necessitatem, concludit ipsi persuasum esse debere illam oriri ex suâ culpâ, non ex naturali constitutione, de quâ non licet pudore affici. « Itaque, inquit, suâ culpâ sibi accidens malum natura humana permittatur agnoscere, ne cogatur, aut quod est impudentissimum, de his suis motibus non erubescere, aut quod est ingratissimum, de sui Creatoris operibus erubescere. » Tandem cap. 17, n. 35, mentem suam penitùs aperiens ait: « Qualis nunc sit (in generationis actu libido) profectò omnium sensus mortalium, etsi cum verecundiâ confitetur; quia et castos etiam nolentes, eamque per temperantiam castigantes, inquietudine inordinatâ importunâque sollicitat, et plerùmque sese volentibus subtrahit, nolentibus ingerit: ut nihil aliud inobedientiâ suâ, quàm illius priscæ inobedientiæ pœnam se esse testetur. Unde meritò de illâ et tunc primi homines, quando pudenda texerunt, et nunc qui se utcumque hominem esse considerat, omnis pudens, impudensque confunditur, absit ut de opere Dei, sed de pœnâ primi veterisque peccati. »

Ex his, nì fallor, evidens est Augustinum existimâsse, imò velut certum habuisse, hominem non solùm non creatum fuisse (ut somniabant Pelagiani), verùm etiam creari non potuisse cum commemoratâ sentiendi libidine; aliàs homo de *Dei opere,* sive de imperfectione etiam naturali, erubescere potuisset, quod negat S. doctor. Etverò, si talis imperfectio homini pudorem potuisset ingerere, reposuissent Pelagiani pudorem illum ex naturæ defectu dimanare, non ex peccato, et ideò irri-

tum fuisset et prorsùs inane Augustini argumentum. Igitur in puræ naturæ ordine vel præfata in generationis actu libido non extitisset, vel si extitisset, de eâ non erubuisset homo; quorum primum S. Augustini doctrinæ et argumentationi longè magis est consonum.

§ 2. *Utrum rationis argumenta ab incredulis adversùs peccatum originale vibrata cordato viro demonstrativa videri possint?*

Conclusio. — Rationis momenta, quibus avitæ maculæ dogma impugnari solet, invicta et verè demonstrativa reputari non debent ab iis præsertim qui partium studio non abripiuntur, vel præjudiciis non obcæcantur.

Priusquàm hæc argumenta profero, nonnullas præmittam annotationes, quæ eorum vigorem multùm sanè enervant, et sunt veluti principia ad illa diluenda necessaria.

Observa 1°, transmissionem habitualis Adæ peccati ad omnes et singulos ejus nepotes præcipuè oriri ex occulto quidem, sed indubiè justissimo consilio, quo sancivit Deus ut Adam totius generis humani personam gereret, cùm ipsi præceptum dedit de non comedendo fructu arboris scientiæ boni et mali, et ideò ut ipso peccante ejus delictum omnes ejus posteros inficeret, et è converso non peccante, justitia cum quâ fuerat creatus, ad cunctos ejus nepotes effunderetur. Summè scilicet providus et beneficus Deus, cujus *oculis omnia nuda et aperta sunt,* sapientissimâ illâ ordinatione efficere voluit ut sicut in primo, sive terrestri Adam per illius peccatum *omnes erant morituri,* ita in secundo, sive cœlesti Adam, id est Christo, omnes essent vivificandi, ut passim in Epistolis suis, præsertim ad Romanos et Hebræos, docet profundorum Dei consiliorum adorator Apostolus. Incredulis igitur probandum incumbit hoc supremi Numinis consilium injustitiam spirare.

Observa 2°, commemoratum Dei placitum, quo Adam omnium mortalium caput morale constituit, relativè ad jacturam aut conservationem justitiæ originalis, solitariè non esse considerandum, sed cum omnibus adjunctis, quæ Deus sapientissimo suo animo volvebat cùm illud efformavit, inprimis, ut mox diximus, cùm beneficentissimo consilio totum genus humanum è ruinâ educendi, si Adam peccaret, per sublimiorem et divinâ Majestate digniorem rationem, et cunctis Adæ nepotibus efficacissimum medium illud excidium reparandi sivè per se sivè per alios subministrandi.

Observa 3°, idem Dei placitum, non inficiantibus ipsis incredulis, justum fuisse respectu justitiæ primigeniæ, ad omnes, Adamo non peccante, transmittendæ; oportet ergo ut causam assignent propter quam justum non fuisset respectu justitiæ ad eosdem non transmittendæ, Adamo Deo non obtemperante.

Observa 4°, incredulos, vel si rumpantur, eò superbiæ devenire non posse ut asserant id omne quod supremum Numen justè facere potest, homini esse exploratum; etsi igitur non concipiunt quomodò commemoratum Dei consilium sit justum, idcircò illud esse injustum, nisi irrideri velint, pronuntiare non debent.

Observa 5°, præfatum Dei propositum omnibus et singulis Adæ posteris, acceptissimum fuisse futurum, si physicè extitissent, cùm emissum fuit, et iisis fuisset notum, cùm præsertim attendissent sive recogitâssent moralem peccandi impossibilitatem, quâ tunc feliciter irretiebatur Adam; adeò verum est illud nullam prorsùs anhelâsse ex parte Dei injustitiam.

Observa 6° cum D. Augustino argumenta ex ratione erumpentia adversùs peccati originalis dogma ita non posse liquescere ut omnis omninò evanescat difficultas; verùm id profectò mirum videri non debet, quinimò si non contingeret, prorsùs mirum esset, siquidem id evenit in naturæ sacramentis, quæ tamen humanæ mentis acumini ex se sunt accommodata, cùm è converso paternæ maculæ mysterium, ut et cætera revelatæ religionis sacramenta humanæ mentis captum longiùs exsuperent.

Observa 7°, non esse quidem de divinis per humana omnimodè judicandum, sed nihilominùs, ut intelligentia humana in enarrati consilii æquitatis notitiâ aliquatenùs adjuvetur, exemplum adduci posse terræ regum, quos excitavit Deus ut in eis divina sua majestas et potestas quodammodò reluceret. Supponamus igitur unum è mundi principibus sese, quantùm potuerit, gerere erga unum è subditis suis, ejusque stirpem, quemadmodùm se gessit Deus erga Adamum, ejusque posteros; ne unus quidem dubio procul subditi illius nepos inveniretur, si inprimis, ut diximus observatione secundâ, memori et attento animo revolveret felicem primi parentis sui statum, et insignia tum in illum cùm in se regis illius beneficia; ne unus quidem, inquam, reperiretur subditi illius nepos qui de illo principe

conquereretur, aut saltem justè conqueri posset.

Observa 8°, tela quæ è rationis armamentario adversùs peccatum originale contorquent novi Pelagiani, id est Sociniani, Deistæ, aliique increduli, ea ipsa esse quæ veteres Pelagiani, præsertim industrius et sagax Julianus, in idem dogma vibraverunt, et à D. Augustino, aliisque doctoribus, si non penitùs contrita, saltem multùm obtusa sunt. Quare hujus seculi eruditi et sapientes viri malis hisce diebus adversùs Christum ejusque Ecclesiam nefariè conjurati meri sunt compilatores, et nihil novi in innumerabilibus scriptis, quibus locustarum ad instar terræ faciem cooperiunt, præter concisum, elegantem et facetum stylum eructant.

His in antecessum emissis, prodeant incredulorum momenta.

Primum sic se habet. Quodlibet peccatum est essentialiter voluntarium et liberum; sed in parvulis nascentibus nulla reperitur libertas, imò nulla cognitio; ergo. — Resp. 1° argumentum concidere aut labefactari, illud applicando justitiæ originali, sive habituali, cum quâ nati fuissent infantes, si Adam non peccâsset. Quælibet justitia, sive quodlibet meritum est essentialiter voluntarium et liberum; sed in infantibus nulla invenitur libertas, imò nulla cognitio; ergo justitiam in Adamo mereri, et ideò in mundum prodeundo habere non potuerunt Adæ posteri. Ex hâc argumentatione nunquàm sese expedient increduli nisi dixerint Adæ nepotes justitiam Adæ nunquàm potuisse in origine consequi per *modum meriti*. — Resp. 2° ex commemoratâ retorsione elucere argumenti inanitatem; scilicet quodlibet peccatum, sive demeritum est essentialiter voluntarium et liberum, aut alienâ, aut propriâ voluntate, sicut quodlibet meritum est necessariè voluntarium et liberum vel alienâ vel propriâ voluntate; demeritum videlicet habituale, sive quod homini inest per modum habitûs, potest esse voluntarium et liberum alterius duntaxat voluntate, puta Adæ, sicut meritum habituale, sive quod habitûs ad instar homini inhæret (qualis fuisset Adamo non peccante in ejus nepotibus justitia originalis), potuisset esse voluntarium et liberum alterius tantùm voluntate, Adæ nimirùm; at peccatum actuale et personale, qualis fuit in Adam manducatio fructûs vetiti, et qualia sunt adultorum delicta, est essentialiter voluntarium et liberum propriâ cujuslibet peccantis voluntate; porrò peccatum originale in Adæ posteris est duntaxat peccatum, sive demeritum habituale, non actuale, ad eum modum quo seclusâ Adæ inobedientiâ justitia, sive meritum originale, fuisset in eis tantùm justitia, sive meritum habituale, non actuale; quare hìc supponunt increduli quod est in quæstione, nempe ad peccatum originale ut originale non suffecisse ut esset liberum in Adam. Ostendant ergo consilium, quo Deus voluit ut Adamo peccante omnes ejus nepotes in ipso peccarent, esse injustum (quod ipsis probandum unicè incumbit).

Sed, inquiunt, peccatum habituale necessariè oritur ex peccato actuali propriâ voluntate commisso, aliàs verum non esset peccatum, et justè puniri non posset; at hujus speciei non est peccatum originale; oritur enim ex *actuali* Adæ delicto, quod *moraliter* duntaxat nostrum fuit, et ideò non ex propriâ nostrûm voluntate, et tamen tanquàm propriè dicta noxa æternâ plectitur pœnâ.

Verùm, licet peccatum originale nobis inhæreat ex actuali peccato, et ideò ex voluntate Adæ, propter quam causam specie differt à peccatis habitualibus quæ propriâ nostrâ voluntate contrahimus, et in nobis longè minùs est liberum quàm ista peccata, tamen verum peccatum esse, et ut tale puniri potest, sicut justitia originalis remoto Adæ peccato verum meritum esse, et ut talis remunerari potuisset; alioqui Dei consilium, quo Adam omnium ipsius posterorum morale caput constituit, injustitiæ esset arguendum, quod gratis et absque probatione obganniunt increduli. Cæterùm, cùm peccatum originale minùs voluntarium in nobis fuerit, quàm cætera peccata, Deus efficacissimum, et non laboriosum, illius remissioni obtinendæ remedium destinavit: et si propter illud pœnâ sensûs afficit, mitiorem sine dubio imponit; quod attinet ad pœnam damni, illam sine injustitiâ huic peccato infligit, cùm nemini supernaturalem beatitudinem, sive intuitivam suî visionem, debeat.

Secundum istud est. Peccatum originale transmittitur per generationem; ideò quippe Adæ nepotes hâc inficiuntur maculâ quia ex ejus semine nascuntur; sed inde elucet generationem, et ideò nuptias, esse malam; quod enim vera est et realis formalis peccati causa indubiè malum est; ergo. — Resp. generationem, sive conjunctionem maris et feminæ, esse unicè et præcisè causam actualis hominis existentiæ, Adæ verò inobedientiam esse unicè et præcisè causam maculæ, quâ homo ille nas-

cendo maculatur. Scilicet decipiuntur increduli non attendendo ad reale discrimen quod causam inter et *conditionem sine quâ non* intercedit. Generatio nimirùm, quæ producit hominem, in quo est peccatum, est duntaxat conditio sine quâ in homine non extitisset peccatum, quia sine ipsâ non extitisset homo, ad eum modum quo generatio quæ, si Adam non peccâsset, produxisset hominem, in quo fuisset justitia, fuisset tantùm conditio sine quâ in homine illo non extitisset justitia, quia sine ipsâ homo ille non extitisset. Unde peccatum in Adæ posteris oritur ex causâ generationi extrinsecâ, quanquàm cum eâ necessariò conjunctâ; causa autem illa est delictum primi hominis quo ii omnes, qui in ejus lumbis continebantur, cum illo commiserunt, sicut causa justitiæ originalis fuisset ejusdem hominis obedientia, quam ii omnes, qui in ejus lumbis erant inclusi, cum illo præstitissent.

At, inquiunt, hæc solutio parentes generationi operam dantes à peccato eximere non potest. Etenim non ignorant actui generationis, cui liberè vacant, et quem scientes et volentes eliciunt, necessariò annexum esse peccatum, quanquàm per accidens, et ideò *consequenter* volunt et intendunt peccatum.

Verùm quàm imbellis est et præpostera hæc exceptio! An, enim, quæso, qui bona sua repetit ab eo quem hâc repetitione in iram proruptururm esse certò novit, peccat? Igitur quicumque elicit actum in se bonum, quem eliciendi jus habet, nullius peccati reus est, etiamsi ab illo actu possit abstinere, et non ignoret ex eo malum in alium esse redundaturum; sed actus conjugalis ex se bonus est, utpote qui genus humanum propaget; illum eliciendi jus habent conjuges, cùm ad multiplicandum et conservandum genus humanum eos secum invicem uniri voluerit summè bonus et providus Deus; ergo.

Sed, rursùs regerunt: Si ex præterito Adæ peccato evenit, ut quicumque nascitur peccati reus sit, Adam continuò peccat; absurdum consequens, ergo. — Resp.: Nego majorem; ad peccandum enim propriâ saltem voluntate requiritur libertas; sed Adam qui peccatum suum per pœnitentiam expunxit non potest impedire quominùs ex eo maculentur sui posteri; est enim consecutio justi consilii quo Deus omnium nostrûm voluntates in ipsius voluntate incluserat.

Tertium sic proponunt. Peccati originalis dogma Manichæismum renovat et confirmat. Enimverò, si homines mali nascuntur, diabolus eorum erit conditor; bonus quippe Deus velle non potest ut suæ creaturæ diaboli potestati subjiciantur; deinde peccatum originale est peccatum *naturale*, cùm *naturâ filii iræ simus*, et peccatum illud per generationem trahatur; Deus igitur illius peccati est auctor, cùm sit auctor naturæ; ab illo igitur peccato liberari non possumus, cùm natura, quantùmlibet expellatur, semper recurrat. — Resp. incredulos monstra suscitare ut ea debellent. Scilicet ideò homines mali nascuntur et diaboli imperio subditi, quia Adam peccavit, et in eo omnes peccaverunt. Unde *antecedenter* ad Adæ peccatum noluit Deus ut servi essent diaboli, quamvis id voluerit *consequenter*, sive supposito Adæ peccato. Etverò vitium hominis oriri non potest à Deo, qui initio naturam bonam condidit, et quidquid in eâ bonum est propagat; ergo emanat ex aliâ causâ, nempe ex Adæ peccato.... Ad confirmationem. Peccatum originale eo sensu est naturale et originale quo in statu naturæ integræ justitia fuisset originalis et naturalis; sed justitia illa fuisset originalis et naturalis non quòd fuisset pars naturæ, siquidem fuisset supernaturalis et gratia, non quòd à naturâ non separari non potuisset, siquidem in nobis à naturâ nostrâ reipsâ separatur, sed præcisè quòd à nativitate fuisset habita, et perfectio naturæ potiùs quàm personæ extitisset; ergo à pari, etc.

Quartum hunc in modum adornant. Adæ peccatum non existebat cùm filios procreavit; parentes sæpiùs justi sunt cùm filios generant; ergo nec Adam, nec illi conjuges peccatum in liberos traducere possunt; ex axiomate quippe nemo tradere potest quod non habet. — Resp. 1°, non deesse similitudines quibus speciosum hoc argumentum concutitur. Eas passim profert D. Aug.; scilicet quotidiè nascuntur filii cum oculis et integris membris ex parentibus oculis et membris orbatis; triticum paleâ expurgatum paleam cum fructu producit; vir, cujus præputium fuit præcisum, gignit hominem cum præputio, et christianus non christianum; oleaster oleæ insitus fit olea, et tamen ex ejus semine non olea nascitur, sed oleaster, etc. Consuli poterit D. Aug. lib. 3 de peccatorum meritis et remissione, cap. 8 et 9, vel lib. 6 contra Julianum, cap. 6, etc. Hæc et similia naturæ phenomena, sive miracula, impugnent vel explicent increduli, et tunc traductionem peccati originalis impugnare ipsi licebit, vel ea ipsis exponi poterit. — Resp.

2° cum eodem S. doctore lib. 1 de nuptiis et concupiscentiâ cap. 19, miris quidem modis fieri ut quod dimissum est in parente trahatur in prole, sed tamen fieri. Multa nimirùm in ipsâ rerum naturâ eveniunt quæ tamen miro modo contingunt; quantò magis in cœlestium et divinarum rerum ordine! « Mirum est, addit S. doctor, quemadmodùm à peccati vinculo per gratiam liberati gignant tamen eodem vinculo obstrictos, quos eodem modo oporteat liberari : fatemur, mirum est; sed quòd lateret fœtus oleastrorum etiam in seminibus olearum, quando et hoc crederetur, nisi experientiâ probaretur? Proinde sicut gignitur ex oleastri semine oleaster, et ex oleæ semine nonnisi oleaster, cùm inter oleastrum et oleam plurimum distet, ita gignitur et de carne peccatoris, et de carne justi uterque peccator, quamvis inter peccatorem et justum plurimùm distet. » Resp. 3° cum recentioribus, sacrum hoc ænigma ratione utcumque elucidari posse. Parentes videlicet justi peccatum in liberos transmittere non possunt, si eos procreent quatenùs in Christo regenerari, sive justi sunt, seu si eos gignant secundùm spiritum; non ita si eos gignant quatenùs præcisè homines sunt, sive secundùm carnem duntaxat; duplex nimirùm quasi substantia in homine justo generante distinguenda est, humana, quæ est homo, et divina, per quam homo justus evadit; non generat quatenùs justus est, sed quatenùs homo præcisè, et ideò eam impertit carnem quæ per primum parentem corrupta est. Etverò, homo generat hominem sibi similem *in specie*, non *in individuo*, id est communicat filio quæ toti naturæ humanæ communia sunt, non ea quæ sibi ut tali personæ conveniunt; sed justitia convenit homini ut talis est persona, cùm sit accidens personale; ergo communicat tantùm naturam qualis est in se post peccatum; ea autem est vitiata. Ita ferè Bellarminus lib. 4, cap. 10.

Quintum sic efficiunt. Peccati originalis defensores concedunt justitiam Christi iis non prodesse qui non credunt; ergo nec Adæ peccatum iis nocere potest qui actu non peccant. — Resp. 1° antecedens non esse omni ex parte verum; Christi enim merita, sive gratia, ipsis infidelibus prodest, ut in secundâ hujus tractatûs parte ostendemus. Resp. 2° justitiam Christi iis quidem qui nec in suâ nec in alienâ personâ credunt non proficere, sed nihilominùs illis aliquando prodesse qui non per se, sed per alios tantùm suam profitentur fidem. Scilicet, quemadmodùm Christi justitia infunditur parvulis dùm baptizantur, etsi non per se, sed per patrinos credant, ita iisdem detrimentum infert Adæ peccatum, quamvis non per propriam, sed per illius solius voluntatem peccaverint. Unde istud oraculum : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*. 1 Cor. 15.

Principia solutionum. — Præter observationes initio delineatas, quibus nimiùm luxuriantis et sibi non explorata subsannantis incredulorum rationis tela retunduntur, hæc addi possunt. Primum. Humana ratio dictat Deum facere posse quod homo non potest intelligere, et ideò id omne quod justè facere potest Deus homini non esse exploratum. Ad hunc scopulum appulsa incredulorum momenta penitùs confringuntur. Secundum. Aliud est argumentum esse verè demonstrativum, aliud illud omninò solvi non posse; primum enim evidentiam connotat, alterum finitæ mentis limites. Hinc, etsi dilui non possent incredulorum argumenta, non ideò reapsè essent demonstrativa. Tertium. Generatio præcisè efficit ut existat homo, Adæ verò delictum ut existat homo peccator. Hinc generatio non est causa efficiens peccati originalis, sed duntaxat conditio sine quâ non existeret illud peccatum. Quartum. Homo hominem generat quatenùs est homo, sive secundùm carnem tantùm, non quatenùs est justus, sive secundùm spiritum. Quintum. Adorandum consilium, quo Deus Adam totius generis humani caput constituit in ordine ad felicem, aut infelicem sortem, fuit tantùm *conditio sine quâ non* infelicis illius sortis, non causa efficiens, quæ sola fuit prava Adæ voluntas. Sextum. Peccatum actuale Adæ in ejus nepotibus et proprium et alienum fuit; proprium, quia illud moraliter in Adam suo capite morali commiserunt; alienum, quia illud per propriam, sive physicè existentem, voluntatem non perpetraverunt. Hinc inscitè et ineptè increduli contradictionis arguerent D. Augustinum, et alios qui peccatum Adæ in ipsius posteris *proprium et alienum esse* dicunt. Septimum. Mali angeli ex uno angelici generis capite quo peccante peccaverint nati non sunt, secùs homines. Hinc illi ob propria duntaxat peccata damnati sunt, isti è converso etiam ob alienum delictum. Octavum. Augustiniana definitio, *peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam*, convenit soli peccato actuali, non habituali, id est reatui, et maculæ, quæ transeunte actu remanet. Hinc non probat vero

peccato non coinquinari infantes Adæ nepotes, in quibus non est actus peccati, sed reatus et macula.

CAPUT II.

De naturâ peccati originalis.

Nihil, inquit D. Aug. lib. 1 de Moribus Ecclesiæ cap. 22, *peccato originali ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Optandum igitur fuisset, ut stabilitâ peccati originalis extantiâ, quæ veluti fundamentale est christianæ religionis dogma, ejus natura, quæ certò retegi nequit, non fuisset investigata. Id à theologis fidei defensioni semper invigilantibus extorsit recentiorum hæreticorum prava et procax de peccati originalis naturâ loquacitas. Necesse igitur est ut exhibeamus quid hâc in quæstione à fide catholicâ alienum sit, deinde quid in eâ tutò teneri possit. Ut primum exequamur, hæreticorum errores referemus, et refellemus; ut alterum, Catholicorum opiniones adducemus.

Cæterùm, cùm, ut diximus, peccatum originale non sit actus, sed labes sive macula, animæ inhærens, quâ mortis rei, Deo invisi, et æternâ pœnâ digni facti sumus, hîc præcisè quæritur quid sit illa labes, sive macula.

ARTICULUS PRIMUS.

Præcipui circa peccati orginalis naturam errores referuntur et exsufflantur.

Primum invexit Matthias Illyricus è grege Lutheranorum. Suî, ut magister, impos, et quodam insaniæ turbine abreptus, finxit peccatum originale non esse accidens, sed quamdam substantiam à dæmone creatam, et dæmonis vivam et essentialem imaginem, quæ per Adæ delictum animæ cujuslibet illius nepotis impressa eam in diaboli formam transmutavit, et ideò totam substantialiter immutavit, *ut*, inquiebat, *cùm ex vino fit acetum.* Sacros codices non legerat, aut non intelligebat. Referunt enim *omnia per Deum facta esse* Joannis 1. Et *omnem Dei creaturam esse bonam* 1 ad Timoth. 4.... D. Augustinum, et cum eo universam Ecclesiam, quæ Manichæorum hæresim execrata est, et innumeris rationum momentis contrivit, aut non evolverat, aut multum contemnebat. Asserebant enim illi hæretici, aliquam existere creaturam per se malam ratione suæ entitatis.... Christum, qui quidquid nostræ naturæ proprium est assumpsit, peccatum assumpsisse fateretur necesse erat.... Metaphysicos omnes, apud quos ens convertitur cum bono, irrideret oportebat.... Tandem omnem indubiè vim et efficaciam baptismo auferebat, cùm hominis substantia eadem post baptismum remaneat. Hinc Illyricus velut somniator à suis derelictus est et subsannatus. Igitur in Scripturis peccatores dicuntur *filii diaboli, semen serpentis, genimina viperarum*, etc., non ratione substantiæ, sed ratione imitationis, quia scilicet diabolum imitantur; imitatio autem modus est substantiæ, non substantia.

Secundus asserit, concupiscentiam, id est naturæ corruptionem et pravitatem per Adæ peccatum invectam, sive ignorantiam, propensionem in malum, etc., constituere peccatum originale, et ideò esse *per se* et ex naturâ suâ malam, etiam in baptizatis, quamvis credentibus, sive prædestinatis, à Deo misericorde in peccatum non imputetur. Ita multis in locis Lutherus. Ita Calvinus lib. 2 Institutionis cap. 1, n. 8, ubi postquàm dixit, « peccatum originale esse hæreditariam naturæ nostræ pravitatem, in omnes animæ partes diffusam, quæ primùm facit reos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert, quæ Scriptura vocat opera carnis, » continuò addit : « Id est propriè quod à Paulo sæpiùs peccatum nominatur. » His in verbis ipsius doctrinæ venenum continetur; significant enim, naturæ corruptionem esse verum ac propriè dictum peccatum, etiam postquàm præcipua ejus pars, id est aversio mentis à Deo, sublata est. Unde lib. 3, cap. 3, numeris 10 et 11, dicit, *fideles, qui carnis concupiscentiis obnoxii sunt, peccati esse reos;* et lib. 4, cap. 15, n. 10, negat *per baptismum solvi nos et eximi à peccato originali.*

Cornelius Jansenius lib. 1 de statu naturæ lapsæ, cap. 1, docet, *concupiscentiam esse materiale peccati originalis, concupiscentiæ verò reatum ejusdem peccati formale.* Ibidem dicit, *Augustinum concupiscentiæ nomine intellexisse omnes omninò cupiditates animi, quibus homo ad peccata propellitur, et provocatur, sive illa carne, sive solo animo peragantur;* cap. 3 addit S. doctorem *nomine reatûs indicâsse subjectionem mentis sub pondere et jugo concupiscentiæ per quod à Deo aversa est, mortua, iniqua, injusta, tenebrosa.* Unde ibidem docet, homines à maculâ originali expurgari cùm *eis infunditur dominatrix delectatio,* id est gratia cœlestis, *quæ penitùs solvat libidinosum animi vinculum, et animum convertat in Deum,* tandiù verò peccato infici, quamdiù in eis dominatur concupiscentia, etiam habitualis, quæ nempe necessariò eorum mentem avertat à Deo. *Operantur*, inquit ibidem (in-

fantes) *ex habituali animi constitutione in quâ nati sunt, quam quis dubitet esse pessimam, cùm eos ad omnia vitia, quorum ætas ista capax fuerit, instigando compellat ;*... infra : *Mens nullo modo iniqua, injusta, etc. fieret, nisi cum libidine, sive cum concupiscentiâ animum sibi subditum possidente nasceretur*... Et paulò inferiùs : *Nulla rima patet, per quam* peccatum, hoc est aversio parvulorum à Deo Creatore suo, ex parentibus, sive proximis, sive primis, in prolem serperet, si proles sine concupiscentiâ mentem rationalem possidente, depressamque retinente nasceretur.

Ex his colligit 1° eodem libro cap. 14, concupiscentiam habitualem, cui omnes obnoxii sumus, esse verum peccatum; citato enim Apostoli testimonio Rom. 6 : *Non ergo regnet peccatum in corpore vestro mortali, ut obediatis concupiscentiis ejus*, addit, *hoc est, desideriis ac motibus, quos illud peccatum* (concupiscentia habitualis) *suscitat.* Uni bona ejus fides desideratur, debuisset scilicet dicere cùm Patribus Tridentinis illud peccatum esse impropriè peccatum, quod, ut sua cohæreret doctrina, industriè omisit. Enimverò, si, ut perpetuò decantat, aversio à Deo est necessariò annexa concupiscentiæ habituali, oportet ut illa verum sit peccatum.

Colligit 2° eodem libro cap. 23, sive ultimo, *parvulorum voluntatem, cùm ad usum rationis venerunt, ita se motitare incipere, prout ante non actu, sed statu* (seu permanente quâdam habituali constitutione) *sive charitati, sive cupiditati possidenti subjacebat;* id est infantes, simul ac ratio prælucere cœperit, si baptizati non sunt, non possunt *nisi terrenæ dilectionis actus* elicere, quia viget in eis concupiscentia, sive peccatum originale, seu, ut loquitur (ibidem) *concupiscentia terrenarum rerum eorum animæ et voluntati non actione, sed permanenti constitutione incumbit ac dominatur*, et ideò præpotenti pondere avertit à Deo, et convertit ad creaturas..... si verò baptizati sunt, non possunt nisi justitiæ fructus producere, quia in eis dominatur charitas, quæ mentem eorum, id est *voluntatis apicem, pondere suo avertit à creaturis, et retorquet in Deum*, ut loquitur cap. 3.

Jansenii doctrinæ venenum in eo non consistit, quòd concupiscentiam faciat veluti *materiale* peccati originalis, et concupiscentiæ *reatum ejus formale;* quicumque enim SS. Aug. et Thomæ opera vel leviter delibaverunt, illos doctores idem dixisse noverunt; sed in eo consistit quòd asserat concupiscentiam habitualem, quæ nempe *inordinatos motus suscitat*, et ad peccata compellit, *esse pessimam, necessariò avertere à Deo, et convertere ad creaturas*, et ideò ex naturâ suâ excludere gratiam in infantibus; ipsam, cùm præponderat, necessariò abripere in peccatum, sicuti gratia, cùm prævalet, necessariò rapit in bonum, etc..... Infantes non esse justificatos, cùm rationis compotes facti feruntur versùs res terrenas, ac idcircò opera externa certam esse regulam, quâ dignosci possit, an infans charitati, aut *cupiditati possidenti* subjaceat, sive utrum remissum sit peccatum originale, vel non, cujus reatus consistit *in dominatu cupiditatis possidentis;* ex his videlicet liquet concupiscentiam ex naturâ suâ esse malam, inanem, saltem aliquandò, esse baptismi virtutem, cùm habitualem concupiscentiam semper non deleat; aut saltem baptismo non remitti quidquid habet rationem veri peccati, libertatem ad peccandum requisitam posse subsistere cum necessitate relativâ, etc.... Unde Jansenii sententia hoc in puncto parùm differt à Calvini commento. Vult scilicet Calvinus peccatum originale per baptismum nunquàm reipsà deleri, et concupiscentiam, etiam debilem, sive gratiæ inferiorem verum esse peccatum ; Jansenius verò docet avitam maculam per baptismum aliquando detergi, cùm scilicet, ut diximus, gratiam infundit habituali concupiscentiâ fortiorem, et concupiscentiam gratiâ minorem non esse verum peccatum.

Conclusio. — Concupiscentia, quatenùs importat ignorantiam, propensionem in malum, et excitationem, etiam vehementissimam ad peccatum, verum non est peccatum, et ideò peccatum originale formaliter non constituit. Est de fide.

Prob. 1° Scripturâ : Si concupiscentia, prout est propensio in malum, etiam vehemens, peccatum originale formaliter constitueret, ubi esset hæc propensio, ibi esset peccatum originale formaliter, adeòque peccatum æternâ pœnâ dignum; Scripturæ manifestè adversum consequens ; ergo, etc. — Prob. minor variis testimoniis quæ inter unum aut alterum seligo. Romanorum cap. 8, dicit Apostolus : *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*, id est (ut ipsi fatentur hæretici) qui renati sunt in Christo per baptismum. Ibi particula, *ergo*, evincit hanc sententiam deduci ex antecedentibus verbis. Antea autem dixerat Paulus, in se et in baptizatis remanere concupiscentiam, quam modò *peccatum* appellat, quia ex peccato

est, et ad peccatum inclinat, modò *legem membrorum*, cujus rebellionem invitus sentiebat; ex quibus infert, nullam prorsùs esse condamnationem, sive nullam causam damnationis ob involuntarios illos motus iis qui sunt justificati, id est justificatis nihil omninò timendum esse ex illis concupiscentiæ motibus, qui utpote involuntarii, sive in nobis sine nobis, vera non sunt peccata, nec à justo Deo imputari possunt; at ista argumentatio demonstrat, concupiscentiam, quæ tam vehemens erat in Apostolo, et in baptizatis omnibus experientiâ teste remanet, etiam cùm movet ad peccatum, et à fortiori cùm ad illud inclinat, non esse peccatum æternâ pœnâ dignum.

Idem evincunt hæc ejusdem Apostoli verba ejusdem Epistolæ cap. 6: *Mortui sumus peccato* (per baptismum), *in novitate vitæ ambulamus, vetus homo noster crucifigitur, vivimus Deo in Christo Jesu Domino nostro, justificamur à peccato*, etc.; ostendunt enim peccatum originale non solùm occultari et abscondi per baptismum, ut hæreticis placet, sed et funditùs obliterari et deleri.

Hinc meritò conc. Trid. sessione 5, can. 5, adversùs novatores hæc sancivit: « Si quis per J. C. Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit; in renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis in iis, qui verè consepulti sunt in Christo per baptismum in mortem, etc.; manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta synodus fatetur et sentit; quæ cùm ad agonem sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per J. C. gratiam repugnantibus non potest, quinimò qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat Ecclesiam catholicam nunquàm intellexisse peccatum appellari, quòd verè et propriè peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. »

Adversarii argumentum ex commemoratis testimoniis deductum sequentibus momentis sic impugnant.

1° Concupiscentia, quæ remanet in baptizatis, potest esse verum peccatum æternâ morte dignum, licet nihil damnationis sit in renatis; potest scilicet Deus baptizatis illam in peccatum non imputare, id est ejus reatum per baptismum dimittere, quamvis in se remaneat res sempiternâ damnatione digna; ergo. — Resp. effugium istud repugnare 1° contextui et fini Apostoli. Enimverò, ex eo quòd involuntarii concupiscentiæ motus non sint peccata, nec imputari possint, concludit *nihil damnationis iis esse qui sunt in Christo Jesu;* at inde elucescit nullam in eis esse causam, nullum fundamentum damnationis, et ideò concupiscentiam in eis remanentem non esse verum peccatum..... 2° Toti Scripturæ asserenti, Deum nunquàm remittere reatum, dùm manet ejus fundamentum, id est *judicium Dei secundùm veritatem esse*, ut dicitur Rom. 2, sive, ut traditur Ezechielis 18, Deum manente iniquitate punire, eâ sublatâ ignoscere..... 3° Rationi. Si enim reatus per baptismum dimittitur, non potest in baptizatis verum vigere peccatum; solus enim reatus peccatum est, sive peccatum in eo non est qui peccati reus non est.

2° Apostolus, Rom. 8, concupiscentiam vocat *peccatum*. Sed nisi ea sit propriè peccatum, perpetua erit hoc in capite nominis æquivocatio; peccatum enim ibi multoties propriè sumitur. — Resp. Ex dictis initio tractatûs constare peccati nomen in Scripturis variè accipi. Ibi autem concupiscentiam impropriè duntaxat peccatum dici, quòd nempe causa sit peccati, si ei consentiatur, vel effectus peccati, constat ex Scripturis. Asserunt quippe cuncta peccata propriè dicta in justificatione verè tolli, nec tamen concupiscentiam in justificatione auferri. Porrò mirum est adversarios diversam ejusdem nominis acceptionem in eodem capite hîc seriò objecisse. Noverant enim eam esse admittendam non tantùm in eodem capite sed etiam in eodem versu; v. g., in isto 21 capitis quinti epist. posterioris ad Corinthios, *cùm, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Igitur variè hoc in capite accipitur peccati nomen; sed diversa hæc significatio non est vera *æquivocatio,* quia nullam inducit obscuritatem, et ideò non est vitium, sed ornamentum.

3° Rom. 6 dicitur: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis ejus.* Voces, *concupiscentiis ejus,* evincunt ibi agi de concupiscentiâ: non dixit autem Apostolus: non sit, sed, *non regnet;* supponit ergo concupiscentiam semper in nobis esse peccatum, licet non semper regnet. — Resp. Apostolum supponere concupiscentiam semper in nobis esse peccatum impropriè, non autem propriè dictum. Patet ex vocibus *in ve-*

stro mortali corpore; peccatum scilicet propriè dictum non habitat in carne, sed in solà mente, quæ sola ut justitiæ sic injustitiæ sedes est. Sensus igitur est : *Non dominetur in vobis concupiscentia*, sive carni adversùs spiritum concupiscenti non consentite.

4° Cap. 6, 7 et 8 Epistolæ ad Romanos concupiscentia dicitur : *Non bonum, malum crucifigendum, morbus miserum faciens*; sed hi sunt characteres peccati propriè dicti ; ergo. — Resp. Neg. min. Cùm enim concupiscentia quædam sit naturæ corruptio sæpè incitans ad malum, hæc de eâ dici possunt. Etverò hæc conveniunt tentationibus, et habitibus pravis, qui etiam post pœnitentiam supersunt, et ideò non sunt peccata propriè dicta.

5° Rom. 7, dicit Apostolus se non cognovisse peccatum nisi per legem, *quia concupiscentiam nesciebat nisi lex diceret : non concupisces*; ergo concupiscentia est peccatum, et quidem *propriè*, cùm prohibeatur per præceptum, *non concupisces*. — Resp. Dist. conseq. Ergo concupiscentia accepta pro consensu interno, quo quis proximi bona concupiscit est peccatum propriè dictum vetitum hoc præcepto, *non concupisces*, conc. Accepta pro fomite, sive inclinatione ad malum est verum peccatum prohibitum lege, *non concupisces*, nego conseq. Apostolus ibi quidem disserit de vero peccato, id est de verâ legis prævaricatione ; verùm concupiscentiam priore duntaxat sensu sumit, adeò ut intendat tantùm interna rei illicitæ desideria vera esse peccata. Id sanè evincit 1° Apostoli finis. Vult enim explodere errorem Pharisæorum, qui, ut referunt rerum judaicarum scriptores, Josephus et alii, obganniebant interna rei illicitæ desideria non esse mala nisi exteriùs erumpant. Eumdem errorem exsufflaverat Christus his verbis Matthæi 5 : *Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis, ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*..... Evincit 2° præceptum decalogi, *non concupisces*, quod adducit Apostolus : illo nimirùm non motus indeliberati, sed sola rei illicitæ desideria interdicuntur. Probat enim Paulus legem *non esse peccatum*, id est causam peccati, sed causam cognitionis peccati, eò quòd non cognoscerent homines actus interiores, velut desideria rei alienæ, esse peccata, nisi lex dixisset, *non concupisces*. Equidem D. Augustinus aliquando dixit, hoc præceptum complecti etiam indeliberatos concupiscentiæ motus ; at intendit unicè illos motus cadere *sub finem* non *sub medium* præcepti, ut sensus esset, fortiter esse resistendum concupiscentiæ motibus, *quò in beatâ immortalitate*, ut loquitur lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 20, n. 32, *ab iis immunes simus, vel eos speciali Dei gratiâ in hâc vitâ non sentiamus*. Docet enim ubique, id quod non est voluntarium et liberum, et ideò est in nobis sine nobis, non esse peccatum, ac proinde lege prohiberi non posse.

Probatur 2° Patrum suffragio. Ac primò quidem Calvinus nobis concedit omnes, etiam antiquos, Patres, imo ipsum Augustinum. Neque, inquit lib. 3 Institutionis cap. 3, n. 10, « opus est multùm investigando hìc laborare quid hic veteres senserint, quando unus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter magnâque diligentiâ omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi velint. Porrò, inter illum et nos hoc discriminis videri potest interesse, quòd ipse quidem cùm fideles concedat, quamdiù in corpore mortali habitant, sic illigatos teneri concupiscentiis, ut non possint non concupiscere, eum tamen morbum peccatum vocare non audet, sed ad illum designandum infirmitatis nomine contentus, tunc demùm fieri peccatum docet, ubi vel opus vel consensus ad conceptionem vel apprehensionem accedit, hoc est quando primæ appetitioni cedit voluntas. Nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quòd aliquâ omninò cupiditate contra legem Dei homo titillatur. »

Cùm autem repugnet Jansenius Calvinum hâc in parte malâ fide superans, inter aperta, eaque innumera S. doctoris testimonia, hæc sufficiant. Lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ cap. 23, n. 25, hæc habet : « Concupiscentia non est peccatum (in regeneratis), quando illi ad illicita opera non consentitur... quodam modo loquendi peccatum vocatur, quia et peccato facta est, et peccatum si vicerit facit. » Quid adversariorum systemati magis adversum? Agnoscit in baptizatis concupiscentiam, et eam in eis negat esse verum peccatum ergo concupiscentia non est ex naturâ suâ mala, aliàs nunquàm desineret esse peccatum, sicut mendacium non potest non esse peccatum..... Agnoscit concupiscentiam eo duntaxat sensu peccatum esse *quòd peccato facta sit, et peccatum, si vicerit, faciat*; ergo meritò conc. Trid. declaravit eam esse peccatum, *quia ex peccato est et ad peccatum inclina*..

Lib. 1 contra duas epistolas Pelagianorum

sive ad Bonifacium, cap. 13, n. 26, rursùs ait: « Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non *radere*... Concupiscentia vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur... Nec propter concupiscentiam dicunt in oratione baptizati: *Dimitte nobis debita nostra*.... sed propter peccata quæ fiunt cùm ipsi consentitur. » Ubi hic futile novatorum effugium, *concupiscentiam esse malum in se, sed à Deo non imputari ?*

Lib. 20 de Civitate Dei cap. 26, eadem decantat: « Ex quo, inquit, commissæ prævaricationis causâ ex paradiso dimissi sunt primi parentes, atque humana in eis natura damnata est, excepto uno Mediatore, et post lavacrum regenerationis quibusque adhuc parvulis, nemo mundus à sorde. » Concupiscentia igitur in baptizatis, qui velut Christi ad instar mundi sunt, non est sordes.

Objiciunt 1°: Aug. commemorato lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ cap. 25 et 26, numeris 28 et 29, dicit, *reatum concupiscentiæ remitti in baptismo*, et ideò concupiscentiam *præterire reatu, non actu* (cùm in baptizatis remaneat) *sicut reatus adulterii indulgentiâ, sive pœnitentiâ remittitur.* Ex quibus concludit, concupiscentiam esse *peccatum*, in non baptizatis, secùs in renatis, et ideò illam esse *expiandam baptismo*, illam *reos facere infantes, cùm ejus reatus regeneratione non solvitur*, illam *tenere in morte, et pertrahere in mortem, nisi ejus vinculum baptismo solvatur*; at desipiet profectò qui negaverit talem concupiscentiam ex naturâ suâ esse peccatum; quod enim reatum habet annexum haud dubiè verum est peccatum, sicut adulterium ex se malum est quia reatum producit in animâ. Intendit ergo S. doctor, peccatum baptismo remitti non eo sensu quòd in baptizatis non remaneat, sed eo sensu quòd ipsis non imputetur, cùm in ipsis remaneat concupiscentia quæ verum est peccatum.

Resp. quidquid *reatûs* nomine intellexerit D. Augustinus (de quo postea disseremus), Calvinum et Jansenium à S. doctoris mente multùm esse alienos. Enimverò intendit vir eximius, reatum concupiscentiæ esse illigatum eo præsertim sensu quòd in præsenti ordine conjuncta est cum reatu quamdiù baptismo non remittitur, non eo sensu quòd reatus ab ipsâ oriatur et in ipsâ fundetur, quasi aliquis reus fieret per ipsam præcisè concupiscentiam. Docet nimirùm, et quidem meritò, concupiscentiam, cui, si Adam non peccâsset, obnoxii non fuissemus, in nobis supponere, et veluti commonstrare latens aliquod peccatum, quamdiù baptizati non sumus, quia in nobis est pœna propriè dicta, et talis pœna à justo Deo absque peccato imponi non potest; ex quibus elucet concupiscentiam *ratione sui* præcisè non esse verum peccatum sed *ratione alterius*, id est maculæ originalis cui annectitur, et quam supponit. Hoc autem evincitur 1° ex objecto testimonio, et constanti Augustini doctrinâ; dicit enim, et alibi centies repetit, *concupiscentiam antè baptismum esse peccatum, post baptismum non esse peccatum*; quod sanè pronuntiatum nemo intelligeret si concupiscentia *per se* verum esset peccatum, aut *prima radix ex quâ necessariò*, et nullo alio addito, *peccatum serperet* in animam... 2° Ex eodem S. doctore dicente, concupiscentiam esse peccati originalis pœnam. « Quòd, inquit lib. de Continentiâ, cap. 8, caro concupiscit adversùs spiritum.... quòd lex in membris nostris repugnet legi mentis, non est duarum naturarum ex contrariis principiis facta commixtio, sed unius adversùs seipsam propter peccati meritum facta divisio.... non est ista prior vita creati hominis, sed posterior pœna damnati. » Idem alibi millies inculcat. Porrò, quod est pœna peccati non est ipsius causa.... 3° Ex eodem Augustino qui lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ cap. 26, n. 29, ait: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati;* quæ indubiè verba explodunt effugium, quo evadere conantur adversarii dicendo *concupiscentiam non esse peccatum post baptismum quia à Deo non imputatur;* si quippe concupiscentia verum esset peccatum, cùm post baptismum remaneat, baptizatum reipsâ faceret *peccati reum*.... 4° Ex D. Thomâ. Etenim 1-2, q. 82, art. 3, in corp. explicans quomodò *concupiscentia sit reatus* peccati originalis dicit, privationem originalis justitiæ *per quam voluntas subdebatur Deo*, esse *formale* in peccato originali, *inordinationem verò potentiarum animæ*, sive concupiscentiam, *se habere in peccato originali sicut quoddam materiale;* at hæc sententia veri peccati rationem concupiscentiæ eripit, cùm peccati originalis specificam rationem in privatione originalis justitiæ constituat.

Verùm, inquiunt, Augustinus commemorato lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 25 et 26, reatum, qui concupiscentiæ inest, comparat cum reatu qui adulterio annectitur; sed reatus adulterio inhæret *ratione sui*, sive essentialiter; ergo. Resp. hanc comparationem, ut

vulgari adagio proditum est, non ex omni, sed aliquâ duntaxat ex parte stare, in hoc scilicet, quòd sicut *reatus* separatur ab adulterio, quod transit *actu* et manet *reatu*, ita *reatus* sejungitur à concupiscentiâ, quæ manet in baptizatis, non manente originali maculâ, cui conjungitur, et ex quâ in nostro statu oritur; aliàs pugnantia, ut diximus, ederet S. doctor.

Objiciunt 2°: Augustinus lib. 1 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 13, n. 27, dicit, concupiscentiam esse peccatum hoc etiam sensu, quòd *peccandi delectatione moveatur, etsi ei vincente delectatione justitiæ non consentiatur;* ergo concupiscentia verum est peccatum, præcisè quia insurgit adversùs legem et præceptum. Resp. nego conseq. Aug. enim verbis commemoratis concupiscentiam *peccatum* dicit *impropriè, non propriè.* Etverò S. doctor et hîc, et lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 25 et 26, et alibi passim concupiscentiam variis ex causis *peccatum* nuncupat, quamvis ex se non sit peccatum. 1° Enim eam in non regeneratis peccatum dicit propter *reatum* adjunctum, ut ex dictis elucet..., 2° Illam peccatum vocat *qui peccato facta est, eo*, inquit, *modo quo scriptura dicitur manus, quia manus facit scripturam, vel quia defectione consentientis est causa peccati, sicut frigus vocatur pigrum, quia pigros facit....* 3° Eam *peccatum* appellat, *quia peccandi delectatione movetur,* ut loquitur loco objecto, id est quia ipsi inest inobedientia contra *dominatum*, sive *intellectum* mentis; Hæc autem verba de peccato *materiali,* non formali intelligenda esse ex contextu ita liquet, ut mirum sit adversarios ea seriò objecisse; ibi quippe expressè dicit Augustinus, *concupiscentiam in renatis vocari peccatum, non utique quia peccatum est,* sed quia est causa aut pœna peccati, *aut quia peccandi delectatione movetur*, quod non esset verum si verum foret peccatum, *quia peccandi delectatione movetur;* deinde addit: *Non propter concupiscentiam, cujus reatus lavacro regenerationis dimissus est, dicunt in oratione dominicâ baptizati*: Dimitte nobis debita nostra, *sed propter peccata quæ fiunt in ejus consensionibus*, sive cùm *per ignorantiam peccatur;* ex quibus iterùm elucescit, concupiscentiam non esse peccatum propriè dictum, *quia peccandi delectatione movetur, cùm propter eam* remanentem et reluctantem *legi mentis non dicant baptizati*: *Dimitte nobis debita nostra.*

Probatur 3° variis rationibus theologicis, quas in expositione præcedentium argumentorum retulimus, et sic breviter resumimus.

Si concupiscentia esset peccatum originale *formaliter*, aut prima radix, ex quâ necessariò erumpit, sive si concupiscentia, quatenùs motus versùs creaturas, seu res sensibiles suscitat, quibus mens resistit, verum esset peccatum, ut placet Calvino et Jansenio, dicendum foret 1°, concupiscentiam ex se malam esse, et ideò hominem ab initio creari non potuisse obnoxium concupiscentiæ, etiam quoad speciem consideratæ..,.. 2° Peccatum in aliquo positivo consistere, cùm motus illi sint aliquid positivum, reale et physicum... 3° Concupiscentiam, etiam ubi non adest consensus, esse verum peccatum in vigilantibus, dormientibus, amentibus, sanctissimis hominibus, etc.... 4° Hominem posse vero coinquinari peccato, et non esse reum coram Deo.... 5° Christum non verè, sed imputativè tantùm homines à peccatis redemisse, etc. At hæc consectaria indubiè detestatus est D. Augustinus, et quilibet alius catholicus execrari debet; ergo.

Principia solutionum. — Primum. Jansenius concupiscentiam habitualem, sive ipsam post Adæ peccatum naturæ corruptionem, verum peccatum fecit, tum ut elevaret possibilitatem naturæ puræ suo systemati capitaliter adversam, tum ut palmare principium suum de duabus delectationibus, sive amore terreno et cœlesti, stabiliret; censet nimirùm hominem esse justum cùm amor cœlestis, sive charitas habitualis, amorem terrenum, sive cupiditatem habitualem, gradibus superat, et è converso injustum cùm cupiditas habitualis charitatem habitualem intensione vincit: unde baptismus infantem reipsà non justificat cùm in ipso relinquit cupiditatem charitate fortiorem; quod cognoscitur per impetum, quo infans rationis compos factus sese fert ad malum, et ideò iste parvulus per baptismum vel nullatenùs justificatur *à parte rei,* sive interiùs, sed tantùm per non imputationem, sive exteriùs, ut placuit Calvino.

Secundum. Concupiscentia in regeneratis nec est, nec esse potest verum peccatum, nisi cùm ipsi liberè consentitur, juxta celebre istud Augustini effatum, *peccatum si vicerit facit.*

Tertium. Nullâ ratione evinci potest concupiscentiam in baptizato potiùs esse verum peccatum quàm pravos habitus qui in homine etiam justificato non raró remanent.

Quartum. Reatus annectitur concupiscentiæ non ratione suî præcisè, sicut adulterio, sed præcipuè ratione alterius, privationis scilicet,

sive potiùs jacturæ justitiæ originalis, cum quâ in non baptizatis reperitur. Sic intelligendum esse videtur famosum D. Augustini pronuntiatum, quo abutuntur Calvinus, et Jansenius: *Concupiscentia in renatis transit reatu, manet actu.*

Quintum. Concupiscentia (quoad *speciem* accepta) non *materialiter* duntaxat, sed et *formaliter*, id est non solùm quatenùs est appetitus boni sensibilis, sed etiam quatenùs est appetitus aliquando insurgens in rationem, oritur ex naturali constitutione hominis, qui est animal rationale, et ideò ex se non potest esse *malum* moris, sed *entis* tantùm, sive imperfectio naturalis.

Sextum. Apostolus, et ipso duce Augustinus, concupiscentiam, quoad speciem et gradum, qualis est in præsenti ordine, in ipsis regeneratis *malum, peccatum,* etc., dicit, quia Adæ peccati effectus est, et actualium delictorum radix et origo; quanquàm Augustinus potuit, imò debuit, aliquando saltem, illam vocare *vitium,* sive *veram naturæ depravationem,* quia, ut ostendimus, sensit hominem creari à Deo non potuisse cum concupiscentiâ quoad gradum simili illius quâ continuò torquemur.

ARTICULUS II.

Præcipuæ theologorum catholicorum de peccati originalis naturâ sententiæ produntur.

Prima opinio — Fingit peccatum originale esse ipsam actualem Adami inobedientiam, quam Deus omnibus Adæ nepotibus in peccatum imputat. Unde Adæ posteri nullum ex eo peccatum *intrinsecè et formaliter* contrahunt, sed *effectivè* duntaxat quatenùs luunt pœnas paterni sceleris ad eum modum, quo filii nobilium virorum, qui in regem et patriam conjuraverunt, paterni criminis supplicium subire solent. Ita Albertus Pighius, insignis aliunde theologus et mathematicus, Ultrajecti mortuus anno 1543; ita Ambrosius Politus, Catharinus dictus, Dominicanus, qui conc. Trid. interfuit, vir summis adversùs sui temporis hæreticos laboribus felicissimè perfunctus, sed singularibus parùmque communibus opinionibus impensiùs addictus.

Hæc opinio doctioribus theologis non probatur, et meritò quidem. Etenim conc. Trid. sess. 5, can. 3 et 5, præeuntibus antiquis synodis, Arausicanâ secundâ, Milevitanâ, etc., definit, peccatum originale *origine unum esse et propagatione, unicuique proprium esse, per baptismum non tantùm radi, aut non imputari, sed etiam tolli, sive deleri,* etc. At hæc doctrina non cohæret cum opinione commemoratâ; quod enim in homine nonnisi per imputationem existit remittitur per solam non imputationem, sive ex homine non deletur, cùm ipsi intrinsecè non sit insitum; quod intrinsecè et formaliter non est in Adæ nepotibus, sed extrinsecè duntaxat, unicuique proprium non est, sed omnibus commune. Et verò verè et formaliter justificamus in Christo; ergo verè et formaliter peccavimus in Adamo, sive ex Adam unicuique nostrûm inhæret aliquid quod veram habet peccati rationem; *sicut* enim, inquit Apostolus, *in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*

Opinio secunda — Tradit peccatum originale consistere in morbidâ et vitiosâ mentis qualitate, id est animæ concupiscentiâ prava desideria perpetuò excitante, quæ ex corruptione sive morbidâ qualitate carnis in animam carni unitam derivatur. Ita visum fuit undecimo seculo Petro Lombardo in secundo Sententiarum libro; quam sententiam, utpote Augustinianæ doctrinæ (ut opinabantur) consonam, non pauci postea propugnaverunt.

Hæc opinio præstantioribus theologis non arridet, et ideò hodiè vulgò rejicitur, et quidem justis ex causis; 1° enim si peccatum originale est qualitas vitiosa, sive concupiscentia, quâ anima propensa est ad bona sensibilia contra rationis ordinem appetenda, ut dicunt hujus opinionis patroni, peccatum originale (quamvis negent et ideò non errent) *formaliter* post baptismum remanebit; languor enim iste et propensio ad peccatum in baptizatis viget... 2° Si, ut iisdem theologis videtur, commemorata animæ concupiscentia, quæ peccatum originale formaliter constituit, est qualitas *positiva,* Deus videbitur esse peccati auctor; est enim cujuslibet rei positivæ prima causa... 3° Etsi fortassis concupiscentia, qualis in carne ex Adamo tractâ residet, in se sit vitiosa, tamen, non admissâ justitiæ originalis jacturâ, impossibile prorsùs est, ut animam in instanti, quo carni illi unitur, propriè dicto peccato inficiat, quemadmodùm postea ostendemus.... Neque movere debent quæ congerunt isti theologi testimonia ad probandum peccatum originale *formaliter* consistere in præfatâ pravâ qualitate, sive concupiscentiâ animæ; si enim probant concupiscentiam carni Adæ insitam esse vitiosam qualitatem, certè non probant formalem peccati originalis rationem in illâ concupiscentiâ esse reponendam, cùm illa concupiscentia, ut ostendimus, non sit formaliter

peccatum, et commemorata animæ concupiscentia in baptizatis supersit, ut iterùm diximus.

Tertia opinio. — Reponit formalem peccati originalis rationem in jacturâ justitiæ, sive gratiæ, originalis, illatâ per Adæ inobedientiam, quæ nostra est *moraliter*. Quæ sententia ut intelligatur,

Observa 1°, justitiam originalem, cum quâ creatus est Adam, complexam fuisse gratiam sanctificantem, quâ Adami mens erat Deo omnimodè subdita, pars inferior, sive, ut aiunt, *sensualitas*, superiori, sive rationalitati, perfectè subjecta, et corpus omnis læsionis et corruptionis expers, ita ut sensus rationi, et ratio supremo Conditori in omnibus subjiceretur, et ideò homo ad supernaturalem dignitatis gradum evectus esset impassibilis, immortalis, etc. Jactura hujus justitiæ, in quâ originalis maculæ essentiam collocant hujus opinionis defensores, sumitur quoad primum duntaxat effectum, non quoad secundum, id est quatenùs importat rationis Deo subjectionem, per immunitatem saltem à peccatis mortalibus, non quatenùs importat, sive includit, perfectam submissionem sensûs rationi, immunitatem à doloribus, morte, etc. Scilicet quoad istum effectum jactura justitiæ originalis remanet in regeneratis, in quibus non remanet peccatum originale. Hunc sensum apertè indicat D. Thomas 1-2, q. 82, a. 3.

Observa 2°, eosdem theologos reponere peccati originalis *formale* in *jacturâ* justitiæ originalis exposito sensu sumptæ, non in ejus *carentiâ;* aliud scilicet hìc est *jactura* justitiæ originalis, aliud ejus *carentia.* In jacturâ justitiæ originalis consistit peccati originalis essentia, non in ejus carentiâ præcisè, quia in præsenti statu omnes in Adamo ad justitiam originalem destinati sumus, quo proinde peccante omnes cum ipso peccavimus, id est justitiam originalem sibi amittente et nos nobis ipsis amisimus. Unde peccato originali non inficimur præcisè quia caremus justitiâ originali (eâ enim caruissemus in statu naturæ puræ absque peccato), sed quia eam habere deberemus in Adamo, et cum Adamo, et illam non habemus, sed cum ipso et in ipso amisimus.

Observa 3°, eosdem theologos dicere illam justitiæ originalis jacturam Adæ peccato fuisse illatam. Jactura videlicet originalis justitiæ causam requirit, quæ alia esse nequit quàm peccatum alienâ voluntate commissum; non enim amittitur justitia originalis nisi per id quod eam expellit; id autem quod justitiam expellit solum est peccatum; at istud peccatum in infantibus sine justitiâ originali nascentibus non est peccatum proprium, sive propriâ voluntate commissum; ergo est alienum, seu alienâ voluntate factum.

Observa 4°, eosdem doctores asserere peccatum, quod fuit causa jacturæ justitiæ originalis, *esse moraliter nostrum,* quia vi decreti, quo Deus Adam totius generis humani caput constituerat, omnes in Adamo et cum Adamo peccavimus. Etverò, cùm omne peccatum essentialiter sit voluntarium, parvuli rei et peccatores esse non possunt nisi verè in Adamo et cum Adamo peccaverint.

Observa 5°, perfectam mentis Deo subjectionem per immunitatem saltem à delictis mortalibus, in cujus jacturâ, ex observatione primâ, peccati originalis essentiam ponunt commemorati theologi, esse habitualem, non actualem subjectionem. Enimverò, si in actualis illius subjectionis jacturâ consisteret peccati originalis essentia, baptismus, qui peccatum originale delet, actualem illam subjectionem in infantibus produceret (homo enim peccati originalis remissionem consequitur per reparationem justitiæ originalis, sive mentis Deo subjectionis), quod sanè falsum est, siquidem actualis Deo subjectionis capaces non sunt parvuli; ipsis ergo infunditur duntaxat habitus illius subjectionis per charitatem habitualem, seu gratiam sanctificantem, et ideò peccati originalis essentia consistit in habitualis illius subjectionis jacturâ.

Observa 6°, eosdem theologos peccatum originale hìc non sumere pro liberâ præcepti transgressione, sive pro actu pugnante cum lege. Hoc quippe sensu accepta fuit prima inobedientia, quam Adam, et nos cum ipso, liberè commisit; illud ergo sumunt pro eo quod in Adamo post primam inobedientiam extitit, et ideò in omnibus, qui ex eo nascuntur, quo et ipse et ipsi non *peccantes*, sed peccatores evaserunt, sive pro habituali voluntatis aversione à Deo, seu maculâ mentem Deo invisam reddente. Totum illud elucescit ex eo quòd dicant, *jacturam justitiæ originalis, in quâ peccati originalis formale constituunt, oriri ex primâ Adæ inobedientiâ, quæ moraliter fuit nostra.* Duplicem istam peccati originalis acceptionem designavit Apostolus, Rom. 5, dicendo, *in Adam omnes peccâsse, et per Adam peccatores constitutos esse multos.*

His præmissis originalis maculæ *formale*, quatenùs fuit in Adam post actuale peccatum, et est in infantibus ex eo nascentibus, consistere in prædictâ jacturâ subjectionis mentis divinæ voluntati, probare aggrediuntur commemorati theologi sequentibus argumentis.

Argumentum primum. — In sententiâ peccatum originale constituente in jacturâ justitiæ originalis quoad primarium suum effectum, qui erat voluntatem Deo subjicere per supernaturalia dona, meliùs et faciliùs exponuntur, Scripturæ, Patrum et conciliorum oracula de peccato originali; imò in adversâ opinione plura saltem nequaquàm explicari possunt; illa ergo sententia cæteris est præhabenda. — Probant ant. hunc in modum. Sacri codices, Patres, concilia, dicunt, *peccatum originale esse mortem animæ, fœditatem, injustitiam*, etc. Vi illius peccati infantem *verè et propriè esse peccatorem, peccatum illud esse peccatum Adæ, quod propagatione ad omnes est transmissum, quod unicuique inest, quod est unicuique proprium*, quod verè et *propriè tollitur per baptismum, etc.* Hæc omnia docet synodus Tridentina sessione V, de peccato originali, *secuta*, ut loquitur, *sacrarum Scripturarum, probatissimorum conciliorum, et sanctorum Patrum testimonia*, imprimis S. Augustini, cujus verba sæpiùs in fidei tesseram erexit, et tandem *Ecclesiæ judicium et consensum;* at hæc in relatâ sententiâ optimè explicantur, et in aliâ, saltem omnia, non possunt explicari; ergo.—Minorem per partes sic probant. 1° Sicut gratia sanctificans est vita, decor, bonitas, et justitia hominis, sic è converso privatio gratiæ sanctificantis est mors animæ, fœditas, injustitia, etc. 2° Per solam privationem gratiæ sanctificantis homo dicitur habitualiter peccator; neque enim dicitur peccator præcisè quia peccavit, cùm ipsi justificati peccaverint, nec dicantur peccatores; dicitur ergo et est habitualiter peccator quia habitualiter privatur justitiâ, sive gratiâ sanctificante. 3° Illa privatio propagatione transfunditur, et eâ transfusâ transfunditur ipsum Adæ peccatum, sicut si Adamus stetisset in justitiâ, propagatione transmissa fuisset justitia originalis. 4° Unicuique tam inest, et unicuique tam proprium peccatum originale quàm unicuique fuisset insita, et unicuique propria originalis justitia. 5° Per baptismum verè diffunditur in animam gratia sanctificans; ergo per baptismum verè et propriè tollitur privatio gratiæ originalis, et ideò peccatum originale.

Hæc autem, addunt iidem theologi, in aliâ sententiâ feliciter explicari non posse satis superque patet; quomodò enim in adversâ opinione infantes non peccantes sed peccatores essent? Quomodò peccatum originale esset fœditas, malitia, injustitia, etc.?

Argumentum secundum. — In eo reponenda est peccati originalis natura in quo eam reposuit D. Aug., cujus doctrinam de peccato, præsertim originali, et gratiæ necessitate specialiter approbavit Ecclesia; at Aug. peccati originalis naturam collocavit in *concupiscentiæ reatu*, id est habituali voluntatis aversione à Deo, sive in privatione gratiæ originalis quatenùs voluntas per eam Deo subjiciebatur; id enim unicè probant propè innumeri textus D. Augustini, quos adducit Jansenius toto libro 1 de statu naturæ lapsæ. Etverò S. doctor ait lib. 1 Retractationum cap. 15, n. 2, *reatum concupiscentiæ in baptismate solvi...* Lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ cap. 22, n. 25, *concupiscentiam sacramento regenerationis expiari...* Lib. 2 contra Julianum cap. 3, n. 5, *concupiscentiam remitti in reatu, manere in actu*, etc. — Hunc D. Aug. sensum esse censuit D. Thomas 1-2, q. 82, art. 3, et ex unâ Augustini auctoritate in hanc sententiam inductus videtur.

His ponderatis, D. Anselmus, lib. de conceptu virginali, cap. 26, exclamavit: « Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem. »

Neque iidem theologi moventur argutiis, quas novissimis hisce temporibus in aleam miserunt quidam (inter quos Coletus) positivæ peccati naturæ defensores. Etenim recentiores illi sic arguunt: Privatio justitiæ originalis est effectus peccati; ideò enim Adam et nos justitiæ expertes nascimur, quia cum ipso et in ipso peccavimus; ergo non est peccati originalis formalis ratio.

Verùm, inquiunt illi doctores, isti recentiores non intelligunt sententiam quam impugnant. Privatio scilicet justitiæ est simul effectus peccati et peccatum sub diverso respectu. Est effectus actualis Adæ peccati præteriti, quod nostrum est, quia illud in Adam omnes commisimus; est autem verè et propriè in nobis, et fuit in Adamo, peccatum habituale ad eum modum, quo præterito peccati actu, v. g., adulterii, stabiliter remanet intùs in homine peccatum veri nominis, sive macula, propter quod dicitur *peccator;* neque enim aliquid concipi potest quod stabiliter inhærent homini, et

habeat veri peccati rationem, postquàm transiit peccati actus, præter privationem gratiæ sanctificantis. Equidem D. Thomas citato loco et 1-2, q. 85, a. 5, dicit *subtractionem justitiæ originalis habere rationem pœnæ, sicut etiam subtractionem gratiæ* (in peccatore); at immeritò inde inferunt privationem justitiæ originalis esse tantùm effectum, sive pœnam peccati originas, non ejus *formale;* discrimen enim est inter *privationem* justitiæ originalis, et ejus *subtractionem,* de quâ solâ ibi loquitur D. Thomas; subtractio videlicet gratiæ originalis, reverà est pœna peccati in primo parente admissi, et ideò fit à solo Deo; privatio è converso illius in nostro statu verè peccatum est, quatenùs est voluntarius et liber defectus justitiæ quæ ex divinâ ordinatione homini in suâ creatione inesse debebat, ut docet S. doctor loco citato, et Sylvius in eumdem locum.

Iidem theologi mirantur quòd isti recentiores citata Scripturæ et Patrum oracula eludere conentur reponendo ea esse intelligenda de *primario peccati effectu,* qui *notior est,* et consistit in privatione justitiæ, non de *ratione* ejus *constitutivâ;* quid enim, inquiunt, talibus argutiis eludi non posset? Dicunt Patres peccatum originale consistere in *privatione* gratiæ originalis, in *reatu concupiscentiæ,* imò in alio consistere non posse; quæ profectò, si *formale* peccati originalis non tangunt, evertenda erit vocum et rerum ubique recepta notio.

Iidem commemorati theologi pluris non faciunt hanc eorumdem recentiorum cavillationem « Si peccatum originale formaliter consisteret in privatione justitiæ originalis, nullum esset discrimen inter peccatum originale, et peccatum mortale actuale; cùm istud privet etiam hominem gratiâ sanctificante, et habituali subjectione Deo... » Notum quippe est peccatum mortale actuale propriâ, originale verò alienâ voluntate contrahi, et ideò istud essentialiter referri ad primum parentem, qui ex divinâ ordinatione erat caput generis humani.

Iidem positivæ peccati naturæ patroni præfatis theologis opponunt ipsos in suâ sententiâ explicare non posse quod statuit conc. Trid. sessione 5: *Peccatum originale esse unum origine et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, et unicuique proprium inesse...* Sed plumbeum illud argumentum flocci faciunt: vel enim, inquiunt, loquitur sancta synodus de actuali Adæ peccato, vel de habituali maculâ, quâ Adam coinquinatus fuit post suam inobedientiam, vel de utroque peccato. Si primum, significavit actuale Adæ peccatum esse unum in nobis et Adamo quatenùs illud cum ipso et in ipso commisimus... Si secundum, indicavit habituale peccatum quod Adæ præteritâ actuali ejus inobedientiâ inhæsit, nobis etiam cùm ex eo nascimur inhærere... Si tertium, intendit, actuale et habituale Adæ delictum unum in Adam et in nobis esse, quia primum in illo commisimus, et altero ex eo originem ducendo inficimur, sicque *unicuique nostrûm proprium inest;* quæ profectò, addunt, nostræ sententiæ non nocent.

Opponitur tandem iisdem theologis, concupiscentiam, cùm sit effectus peccati originalis, non posse esse *materiale* peccati originalis, siquidem materiale peccati originalis est quid primum in peccato originali, quod concipitur ante ipsius formale, nec concupiscentiæ reatum esse posse peccati originalis *formale,* cùm concupiscentia subsequatur peccatum originale, non ipsum præcedat, vel comitetur, sive ejus essentiam non constituat.

Verùm respondent argumentum eò collimare ut erroris insimulentur SS. Aug. et Thomas; docet enim uterque, *formale* in peccato originali esse privationem justitiæ originalis per quam voluntas subjiciebatur Deo, *materiale* verò in eodem peccato consistere in inordinatione appetitûs inferioris, quæ remanet in baptizatis, et ideò rationem non habet veri peccati. Hæc, ut dictum est, expressisse videtur D. Augustinus, dicendo, *concupiscentiam* in baptismo *remitti reatu* (quia per eum mens per habitus supernaturales habitualiter convertitur ad Deum) *remanere* verò *actu* (quia rebellio partis inferioris adversùs superiorem manet in baptizatis, *in quibus nihil est damnationis*). Porrò mentem SS. Augustini et Thomæ assecuti non sunt commemorati argumenti architecti. Non enim intendunt *concupiscentiæ actum,* sive inordinationem appetitûs inferioris, esse in peccato originali aliquid *materiale* eo sensu quo materia est quid primum in corpore, sed eo sensu quòd sicut materiale, sive physicum peccati, non est peccatum, ita inordinatio appetitûs inferioris non est verum peccatum, quia se habet in peccato originali ut materia sive physicum in peccato; unde non ait D. Thomas inordinationem illam esse *materiam peccati originalis,* sed in eo esse sicut quiddam *materiale.* Quanquàm reponi posset, hoc sensu in mente SS. doctorum, concupiscentiam esse materiale peccati originalis, formale verò ejus reatum, sive privationem gratiæ sanctificantis

quòd Deus, qui nostram naturam in Adamo à concupiscentiâ fecit immunem, decrevit, ut gratia sua sanctificans non habitaret in animâ concupiscentiæ obnoxiâ, nisi ipse huic decreto in Christo renuntiaret.

Unde, cùm concupiscentia transit ad posteros Adæ, gratia sanctificans expellitur, non ex naturâ concupiscentiæ, ut contendit Jansenius, sed ex consilio Dei ita libere decernentis. Hâc autem admissâ hypothesi, concupiscentia est materia peccati originalis, ejus autem forma privatio gratiæ sanctificantis. Etverò priùs concipitur concupiscentia, quàm peccati originalis forma, quæ ex ipsâ sequitur, etsi privatio gratiæ sanctificantis, ubi adest concupiscentia, ex Dei consilio primitùs oriatur. Quare, pergunt iidem auctores, si adversarii attendere voluissent ad statum præsentis quæstionis, illicò intellexissent, concupiscentiam in hoc ordine esse effectum actualis Adæ peccati, non habitualis, sive originalis, quo ex eo nascendo inficimur. Eò tendit quod aiunt Patres, *animam in corpore tanquàm in vase vitiato corrumpi*, id est animam carni concupiscentiæ obnoxiæ unitam statim in præsenti ordine contrahere privationem gratiæ sanctificantis, et ideò peccatum originale.

Quid sentiendum de ultimâ opinione modò expositâ? — Si in re tam obscurâ opinionem amplecti sapientis esset, huic profectò sententiæ primas daremus, quia videtur esse opinio D. Thomæ loco citato, quia per eam minori cum difficultate exponitur celebre D. Augustini effatum, *concupiscentia in regeneratis transit reatu, manet actu*, quia per eam haud difficilè explicatur transmissio peccati originalis, quia demùm quod diximus de essentiâ peccati universim accepti, ipsum scilicet consistere in privatione, videtur exigere, ut essentia peccati originalis constituatur in privatione justitiæ, cum quâ creatus est Adam.

Nihilominùs cum peccatum originale sit peccatum singularis cujusdam speciei, non audemus commemoratam sententiam propugnare, aut certam esse pronuntiare; illam enim ignorâsse videntur SS. Augustinus, et Hieronymus. Ille videlicet citato libro de moribus Ecclesiæ, cap. 22, asserit, *nihil esse peccato originali ad intelligendum secretius*; quod verum non videtur in hoc systemate. Deinde sæpiùs declaravit se nullatenùs explicare posse peccati originalis traductionem, et ideò hàc super difficultate consuluit, ut postea ostendemus, D. Hieronymum, qui in isto nodo solvendo non fuit felicior; sed in commemorato systemate illa transmissio haud difficilè exponitur. Jam verò quæro, an certum, aut etiam probabile sit, quosdam recentiores, doctissimos licet, in intelligendâ peccati originalis naturâ acutiores fuisse duobus illis eximiis doctoribus, quos suscitavit Deus ad refellendum Pelagianorum errorem? Et ideò an hoc in puncto probabilis videri debeat opinio quam ipsi penitùs ignoraverunt? Quod certè non existimamus, præsertim cùm divina traditio circa peccatum originale eorum ætate minùs fuerit obscura quàm hisce temporibus.

CAPUT III.

De modo quo traducitur peccatum originale.

Divus Augustinus hoc Pelagianorum argumento pressus, *si anima ab Adamo non trahitur, sed à Deo creetur, et singulis infunditur, peccatum originale, quod in animâ sedem habet, non potest ab Adamo trahi*, hoc, inquam, dilemmate pressus, incertus quid responderet, D. Hieronymum epist. olim 29, nunc 167, et aliis consuluit, à quo indubiè solidam non accepit solutionem; dubitavit enim ad mortem usque, utrum anima esset *ex traduce*, an singulæ ex nihilo à Deo perpetuò crearentur.

Quamobrem, ut idem argumentum à novis Pelagianis, Socinianis, Deistis, ad nauseam usque propositum pro modulo nostro diluamus, cum doctissimo Bellarmino expendemus 1°, quænam sit animæ origo.... 2° Quomodò anima per suam cum carne unionem vitietur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam sit animæ origo?

Varia super animæ origine systemata, quorum pleraque absurda sunt, satis ostendunt quot et quanta figmenta pariat, aut parere possit ingenium humanum. Præcipua sic breviter referemus et refellemus, ut commune et certum stabiliamus.

Primum systema. — Animas quasdam divinæ substantiæ particulas effecit, quæ idcircò nec propriè crearentur, nec ex parentibus traducerentur, sed miro modo à Deo inspirarentur. Ita visum fuit primò Stoicis, deinde Gnosticis, Manichæis, et Priscillianistis, ut refert D. Aug. libro de hæresibus, hæresi 6, 46 et 70... Scripturæ, traditioni, et rationi manifestè repugnat, ex quibus constat quidquid Deo intrinsecum est esse Deum ipsum, et animam per peccatum maculari posse, quod divinæ sub-

stantiæ accidere nequit. Unde ut hæreticum et insulsum fuit eliminatum.

Secundum systema. — Animas cum Angelis à Deo primitùs ex nihilo creatas esse asseruit, ac deinde ob delicta ab ipsis eo in statu commissa ab eodem Deo in corpora veluti in carceres ad peccata expianda fuisse detrusas et amandatas. Duos maximos antiquitatis viros sibi vindicat, Platonem qui illud excogitavit, ac Origenem qui postea illud propugnavit. Nihilominùs falsissimum est, utpotè sacris Litteris manifestè adversum. Etenim, ut alia prætercam, Apostolus clamat, *electum fuisse Jacob, et non electum Esau antequàm quidquam boni aut mali egissent, et unumquemque* in ultimo judicio *ante tribunal Christi* aut puniendum aut remunerandum esse *propter opera sive bona, sive mala, quæ gessit* dùm esset in corpore; quæ sanè evincunt Jacob et Esau priusquàm nati essent, sive ex animâ et corpore coalescerent, *nihil boni aut mali egisse*, et Deum in hominibus velut bonum aut malum non esse reputaturum nisi quod dùm viverent, id est corpore et animâ compingerentur, reipsà egerunt.

Tertium systema. — Finxit, animas cum Angelis initio conditas, et peccati puras, in corpora nascentium vel divinitùs mitti, vel sponte suâ labi. D. Aug. lib. 3 de libero Arbitrio, capitibus 20 et 21, inter quatuor animarum incarnationis modos duplicem hanc animæ cum corpore unionem recenset.... Stultam sanè primâ fronte se prodit; videtur enim omninò absurdum fingere à summè sapiente Numine unam hominis partem initio mundi conditam fuisse, alteram ejusdem hominis partem post multa secula creari.

Quartum systema. — Animas *ex traduce* oriri docuit, id est ex animâ patris fieri animam filii per emissionem incorporei seminis, sicut ex corpore patris fit corpus filii per emissionem corporei seminis. Hoc est systema quod, aliis rejectis, unà cum illo quod animas in singulorum conceptione à Deo creari dicebat, in Ecclesiâ celebrius evasit. Pluribus olim placuit, Augustino verò, post exortam pelagianam hæresim, eâ potissimùm ex causâ quòd diluendis eorumdem Pelagianorum adversùs peccatum originale argumentis magis idoneum videretur. Etenim S. doctor inter opinionem de animarum traductione per mirabilem infusionem spiritualis seminis, et opinionem de quotidianâ et momentaneâ animarum creatione, ad finem usque vitæ dubius et anceps hæsit; id enim testatur D. Fulgentius. « Quæstionis, » inquit lib. 3 de Veritate prædestinationis et gratiæ cap. 18 (de origine animæ), « profunditatem sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit hujus rei definitam proferre sententiam: incongruum prorsùs existimans, aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contrariâ responsione convellere; cujus tam in decimo libro de Genes ad litteram, quàm in libris ad Vincentium Victorem de origine animæ, necnon in libro primo ex duobus, quos ad S. Hieronymum scripsit; in tribus quoque epistolis, quas ad Optatum episcopum de hâc quæstione composuit, disputatione refulget non minùs copiosâ quàm profundâ, et eo magis laudabili, quia congruâ temperie moderatâ; ubi quidquid ingenii acumine, quidquid ratiocinationis ordine, quidquid auctoritatis pondere inquirendum discutiendumque conspexit, et inquisivit singulariter, et discussit. Consensum tamen ab utrâque definitione continuit, ne laborem tantæ disputationis inaniter susciperet, quem cujuslibet sententiæ temeraria definitio vacuaret. » Prolixus ille textus eximios gratiæ præconis sensus et singularem sapientiam patefacit, et eorum ora obstruit qui hanc dubitationem Augustino crimini vertere ausi sunt; etverò, si in hoc culpandus esset S. doctor, culpandi forent et Patres et doctores quos in eâdem dubitatione ad undecimum usque seculum versatos fuisse ritè ostendit Norisius vindic. cap. 4, paragrapho 3. Neque obtendas cum iisdem censoribus evidens fuisse animam spiritualem et immortalem non potuisse esse ex traduce, et ideò illi Augustini perplexitati nullum fuisse locum; hæc enim perplexitas respexit non semen corporeum animæ, *sed incorporeum semen, an* nempe *suâ quâdam occultâ et invisibili viâ seorsùm ex patre currat in matrem* cùm fit conceptus in feminâ, ut ipse ait epist. 190 ad Optatum, aliàs 157, cap. 4, n. 15; opinio autem affirmans nihil absurdi involvit, cùm S. Bonaventura et *multi alii Scholastici admittant materiam spiritualem non esse impossibilem*, inquit Norisius loco citato; hâc quippe spirituali animæ materiâ admissâ haud difficile erit propugnare animarum eductionem secundùm formam ex eâdem materiâ spirituali. Demùm Augustini hâc super quæstione dubitatio defensore non indiget; ipse enim eam tuitus est dùm ostendit illum prudentissimum esse reputandum qui in difficillimâ quæstione judicium suspendit, cùm nihil certi ab Ecclesiâ definitum esse cognoscit.

Ubi, inquit lib. 2 de peccatorum meritis et remissione cap. 36, n. 59, quæstionem de animæ origine versans, *de re obscurissimâ disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando*

Quanquàm autem Augustini dubitatio per longam annorum seriem pluribus Patribus placuit, præsens tamen systema per modum etiam hypothesis hodie propugnare non liceret, ut mox dicturi sumus. Et verò, fatente ipso Norisio loco citato, *animarum creatio in Ecclesiâ orientali communiter* fuit credita. Præterea, istud systema incorporeum semen in animâ admittens nequaquàm potest intelligi, et omninò periculosum videtur propter admissionem partium etiam spiritualium in animâ. Tandem hujus systematis patroni, sive materiæ spiritualis animæ defensores, inter se non consentiunt circa modum quo anima ex illâ materiâ educitur, sive egreditur, quinimò sese invicem acerrimè oppugnant. Alii enim animam ex semine spirituali efformari volunt, sicut corpus ex semine corporeo producitur; alii (ut Alipius Roylof Augustinianus apud Norisium loco citato) eo sensu animarum traducem possibilem defendunt, quòd anima ut Dei instrumentum alteram animam potest creare, *quam virtutem*, inquiunt, *creaturæ communicari posse nobiles scholastici existimârunt.*

Quintum systema — Tradit omnes animas simul cum animâ Adæ creatas ab eo in nepotes suos, non ut partem seminis, sed unà cum semine esse transmittendas. Hoc fortassis systema tetigit Augustinum, cùm proximè citatâ epist. 190 ad Optatum cap. 4, n. 15, quæsivit, *an semen incorporeum animæ in semine corporis lateret*. Istud profectò systema *incredibilius esse* ibidem meritò pronuntiat S. doctor. Unde S. Leo epistolâ ad Turibium episcopum Austriensem cap. 10, Origenis sententiam de antiquâ ac simultaneâ animarum creatione refellens dixit : « Catholica fides eos Origenistas à corpore suæ unitatis abscidit, constanter prædicans atque veraciter, quòd animæ hominum priusquàm suis inspirarentur corporibus non fuêre, nec ab alio incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est creator et corporum... Hæc aliunde sententia peccati originalis transmissionis nodum non solvit. Si enim immensa animarum multitudo in Adæ animæ veluti visceribus inclusa Adamo peccante peccavit, verum non erit quod ait Apost. Rom. 5, *regnâsse mortem etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ* (omnes enim propriâ voluntate ut Adamus peccâssent) sic è converso non peccavit, unde evenit ut animæ à Deo creatæ, quæ per se nunquam peccaverunt, peccato inficiantur ?

Sextum systema — Animæ originem, ita, Deo volente, humanæ menti imperviam fecit, ut de eâ aliquid certi pronuntiare velle, temeritatis, quin et erroris sit non ferendi. Hâc in sententiâ ad mortem usque versatus fuit D. Augustinus, ut dictum est in expositione quarti systematis, quod et confirmat ista ipsius declaratio lib. 1 Retract. cap. 1, n. 3 : « Quod attinet ad animæ originem, utrum de illo uno sit, qui primùm creatus est, quando factus est homo in animam vivam, an similiter ita fiant singulis singuli, nec tunc sciebam, nec adhuc scio. » Hanc Augustini sententiam amplexi sunt sexto seculo episcopi in Sardiniâ exules, septimo SS. Gregorius Magnus, et Isidorus Hispalensis, nono S. Prudentius Tricassinus episcopus, duodecimo Hugo Victorinus apud Norisium loco citato.— Præ cæteris observatione digna sunt, et D. Augustino gloriosa SS. Gregorii et Isidori pronuntiata, quæ idcircò oculis subjiciemus. Ille, apud Norisium vindic. cap. 4, paragrapho 3, lib. 7, epist. 53, ad Secundinum ait : « De origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva versata est ; sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certè singulis detur, incertum remansit, eamque in hâc vitâ insolubilem fassi sunt quæstionem ; gravis enim quæstio est, nec valet ab homine comprehendi.... Iste apud eumdem Norisium ibidem lib. 2 Officior. Ecclesiastic. cap. 25, inter sententias, quas *de fide* tenendas proponit, hanc recenset, *quòd incerta sit animæ origo.*

Ultimum systema — Admittit et propugnat quotidianam animarum à Deo creationem, earumque corporibus, cùm in uteris matrum ad animationem præparata sunt, infusionem. Pro isto sit

Conclusio. — Animæ non sunt ex traduce, etiam per semen spirituale, sed per creationem singulis à Deo infunduntur : magno Theologorum, qui à quingentis annis floruerunt, consensu corroboratur.

Hanc sententiam probare solent multi theologi, etiam insignes, his Scripturæ oraculis, *qui finxit sigillatim corda,* id est, animas eorum, Psalmo 32 ;..... *Revertatur pulvis in terram undè erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum,* Ecclesiastæ ultimo : .... *Fingens spiritum homi-*

nis in eo, Zachariæ cap. 12 ;.... *Parentes patres carnis, Deus Pater spirituum,* Epist. ad Hebræos cap. 12, etc.

Verùm D. Augustinus epistolâ nunc 166, aliàs 28, cap. 8, n. 26, monet D. Hieronymum hæc testimonia non esse invicti roboris, nec vult opinionem de quotidianâ animarum creatione illis sibi probari, quia ita asserunt animarum omnium conditorem esse Deum, ut non indicent modum, quo à Deo sint conditæ, an per creationem ex nihilo, an per propagationem ex animâ primi parentis. Igitur aliæ adducendæ sunt probationes.

Verùm hìc sedulò observandum est(quod nonnulli recentiores vel incautè, vel inscitè, satis non attenderunt), duos ex præstantissimis doctoribus qui novissimis hisce temporibus Ecclesiam illustrârunt scilicet doctissimos cardinales Robertum Bellarminum, et Henricum Norisium à sese invicem graviter dissentire circa istam quæstionem, utrum *sententia de quotidianâ animarum à Deo creatione traditione ecclesiasticâ certa sit, vel non;* affirmaverat Bellarminus lib. 4 de amissione gratiæ et statu peccati cap. 11 et in suæ assertionis patrocinium adduxerat plurimos Patres tum græcos, cùm latinos, scilicet inter primos D. Chrysostomum homiliâ 23 in varia loca Matthæi dicentem : *Anima nec generat, nec generatur, nec ullum agnoscit patrem, præter eum cujus voluntate creata est.....* S. Cyrillum Alex. lib. 1 in Joannem cap. 9.... Gregorium Nyssenum lib. de animâ cap. 6, Theodoretum lib. 5 ad Græcos..... Inter Latinos autem : S. Hilarium lib. 10 de Trinitate ante libri medium, ubi ait: *Anima hominis opus est Dei, carnis verò generatio semper ex carne est....* D. Ambrosium lib. de arcâ et Noe cap. 4, dicentem : *Ex nullo homine generantur animæ....* D. Hieronymum in caput ultimum Ecclesiastæ asserentem, *ridendos esse eos, qui putant animas ex corporibus seri, et non à Deo, sed à corporum parentibus generari,* et epistolâ ad Pammachium, ante medium, *ecclesiasticum dogma esse, ut Deus quotidiè animas fabricetur* ...... S. Leonem epistolâ ad Turibium cap. 10, cujus verba relata sunt, et epistolâ 11 ad Julianum docentem, eo modo nobis animas inspirari, quo fuit inspirata Christo, et ideò ex parentibus non propagari; quin et ipsum S. Augustinum commemoratâ epistolâ 190 ad Optatum dicentem, *propaginem animarum inconsideratâ temeritate defendunt,* ac deinde aientem de sententiâ Tertulliani, qui proponebat traducem animarum, *quo quid perversius dici potest?* ex quibus inferunt nonnulli (non Bellarminus) meritò D. Thomam 1 p., q. 118, a. 2, opinionem de traduce animarum *hæreticam* pronuntiâsse.

At cùm recentiores quidam his Patrum testimoniis moti D. Augustini de animarum origine dubitationem *erroris* arguerent, Norisius in vindiciis suis c. 4, paragrapho 3, *animarum creationem Ecclesiæ traditione certam non esse,* et ideò deceptum esse Bellarminum, probare aggressus est. Hinc citata Hieronymi, Leonis, Augustini, et Thomæ testimonia seorsim expendit, et perperàm allegari prætendit. Etenim, ipso dicente, Hieronymus risum, de quo commentario in caput ultimum Ecclesiastæ, lectis D. Augustini epistolis, deposuit epist. 172, aliàs 30 apud Augustinum, in quâ Augustini dubitationem impensè laudat, et in hâc quæstione *unumquemque in suo sensu abundare* permittit; quod attinet ad ejus dictum epistolâ ad Pammachium reponit non legi apud S. doctorem, *ecclesiasticum dogma* (ut citat Bellarminus), sed cum parenthesi (*quod ecclesiasticum est secundùm eloquia Salvatoris*), ut sensus sit, sententiam de animarum creatione in mente illius assertorum esse consonam *eloquiis Salvatoris.* Etverò, Hieronymus, referente ipso Bellarmino loco citato, *ad quartam sententiam,* epistolâ ad Marcellinum, etc., *opinionem de traduce* in Ecclesiâ occidentali *prævaluisse* asserit..... D. Leo, addit idem theologus, epist. ad Turibium, cap. 10, solùm (ut ex contextu elucescit) refellere intendit sententiam Origenis de antiquâ ac simultaneâ omnium animarum creatione. Idem sibi proponit epist. 11 ad Julianum, in quâ improbat opinionem Eutychetis cum Origene concinentis, ut iterùm probat epistolæ tenor. Unde *principium* apud S. Leonem significat non principium animæ productivum, de quo nulla erat cum Eutychete controversia, sed principium sive initium durationis, quod idem fuit in Christo ac in nobis, nempe initium vivendi in corpore, non in cœlis ante corporis formationem..... Augustinus verò, pergit celeberrimus auctor, in epistolâ ad Optatum *inconsideratæ temeritatis* insimulat propaginis animarum assertores, non quòd illam sententiam *falsam* esse sentiret, sed quòd incertam illam opinionem ut veram mordicùs et audacter defenderent, ut patet ex eâdem epistolâ (unde adversæ sententiæ defensores eodem modo increpâsset, si se eodem modo gessissent). Pariter Tertulliani sententiam de traduce animarum *perversissimam* dixit,

non quia animarum traducem præcisè adstruebat, sed quia illam stabiliebat per emissionem corporei seminis, ut iterùm evincit contextus. Etverò, S. doctor in eàdem epistolà, ut dictum est, de animarum origine dubitat, et in scriptis quæ post illam edidit, puta in libris de origine animæ, etc., eàdem laborat anxietate..... Tandem D. Thomas *hæreticum esse* dixit asserere animam traduci cum semine, non incorporeo, sed *corporeo*, ut ipse loco objecto probat, et antea probaverat Augustinus tum citatà epistolà ad Optatum, cum libro 1 de Genesi cap. 25, n. 41.

Quanquàm, ut olim aiebat D. Hieronymus apud Augustinum epistolà nunc 198, aliàs 79, *periculosum est* de tantorum *magistrorum judicare sententiis, et alterum alteri præferre*, nihilo tamen minùs sententiam de animarum creatione traditione ecclesiasticâ *certam* non fuisse, septimo saltem seculo, inter alia demonstrant, nî fallor, antea adducta SS. Gregorii Magni et Isidori Hispalensis testimonia.

His in antecessum emissis, ne ignoraret lector litem inter duos eximios viros exortam, et existimaret in errore fidei catholicæ adverso versatos fuisse quotquot præteritis seculis quotidianam animarum à Deo creationem non propugnabant, nunc ab initio proposita assertio pro virili parte est comprobanda.

Illa sententia est amplectenda quam Ecclesiæ orientalis, sive græcæ, doctores maximâ saltem ex parte propugnaverunt, quam nonnulli Ecclesiæ occidentalis, sive latinæ, Patres defenderunt aliis eam non impugnantibus, quam theologorum et communis fidelium sensus commendat et veluti consecrat, quæ demùm rationibus ex fidei principiis erumpentibus innititur; at sic se habet sententia ferens animas ex primo parente per infusionem seminis, etiam incorporei, non traduci, sed à Deo immediatè creari, et singulis inspirari; ergo.

Prob. minor per partes. 1° Huic sententiæ suffragatur major Græcorum numerus. Jam adduximus D. Chrysostomum, S. Cyrillum Alex., S. Gregorium Nyssenum, Theodoretum, etc., quibus adjungi potest S. Joannes Damascenus lib. 2 de Fide orthodoxâ cap. 12, ubi non solùm opinionem Origenis de antiquâ et simultaneâ animarum creatione sugillat, sed etiam agnoscit, *animam et quod est et quod hâc naturâ est à Deo accepisse,* immediatè scilicet. Aliunde hanc esse Græcorum sententiam non diffitentur ipsi Augustinianæ de animarum origine dubitationis apologistæ; ait enim Norisius loco pluries adducto: *apud Græcos in orientali Ecclesiâ creatio animarum communiter tenebatur.* 2° Quidam Ecclesiæ latinæ Patres eidem sententiæ adhæserunt, quam alii non rejecerunt, saltem *expressè et directè.* Etverò protulimus testimonia S. Hilarii, et D. Ambrosii, quos Bellarmino eripere aggressus non est Norisius vindic. cap. 4, paragrapho 3. Suffragium profectò duorum illorum eximiorum doctorum, qui ante pelagianam hæresim floruerunt, ostendere videtur cæteros omnes ejusdem Ecclesiæ Patres in eamdem sententiam toto animi impetu fuisse conspiraturos, nisi Pelagianorum adversùs peccatum originale ejusque traductionem argumenta confirmare, aut corroborare pertimuissent. Suæ quippe hâc super re anxietatis non aliam, ut diximus, prodiderunt rationem. 3° Eamdem sententiam communis theologorum et fidelium consensus erigit et stabilit. Hoc scholasticorum suffragium edit Norisius mox citato loco. « Magister, inquit, Sententiarum, 2 sent. distinct. 19, dixit, Ecclesiam Catholicam docere animas non esse ex traduce, quâ sententiâ ab scholasticis receptâ animarum creatio asserta est. » Certè Hugo à S. Victore paulò ante, id est anno 1109, lib. 1 de Sacramentis, parte 7, cap. 30, dixerat: « Fides catholica magis credendum elegit animas quotidiè corporibus vivificandis sociandas de nihilo fieri, quàm secundùm corporis naturam et carnis humanæ proprietatem de traduce propagari. » Non minùs certus est super animarum perpetuâ à Deo creatione plebis christianæ consensus; si quis enim in ejus aures insusurraret, animas ex semine, etiam spirituali, ut corpus ex semine corporeo, oriri, non solùm maximo afficeretur scandalo, sed etiam hunc nebulonem novatorem illicò renuntiaret. Hæc autem sensa, sive scholasticorum, sive populorum fidelium animis indita sunt, aut continuâ traditione per opera Patrum transmissa, aut, quod fortassis verius est, traditione orali, quæ in Ecclesiâ semper viguit, et ad mundi finem vigebit. 4° Eadem sententia rationibus ex rebus revelatis scaturientibus suffulta est. Plures adduxit Hugo Victorinus loco supra indicato, et qui eum subsecuti sunt nobiles theologi, Magister Sententiarum in 2 libro, Estius in eumdem librum distinct. 17, X, 15, Bellarminus lib. 4 de amissione gratiæ et statu peccati cap. 11, etc. — Brevitatis studiosi hanc unam eligimus et urgemus.

Animæ per creationem à Deo factam singulis quotidiè infunduntur si non sunt ex traduce,

sive si à parentibus non trahuntur; alii enim traductionis modi supra sunt eliminati; at animæ à parentibus non trahuntur; si quippe animæ à parentibus traherentur, eo indubiè sensu quòd pater cum semine corporis transfunderet semen incorporeum, sive spirituale animæ in uterum matris; hic enim est sensus quo defensores traductionis animarum eam propugnabant, ut refert D. Aug. lib. 10 de Genesi ad litteram, cap. 20, n. 36; atqui modus animam traducendi, aut prorsùs concipi non potest, aut apertè falsus est; si enim semen, quod est in animâ patris, transit ex animâ patris cum semine corporis in uterum matris, oportet ut semen illud unum totum efficiat cum animâ patris, à quo dividi possit, et reipsà dividatur, ad eum modum, quo semen corporis, quod est in corpore patris, unum totum facit cum corpore patris, à quo dividi potest et reipsà dividitur, cùm migrat in ventrem matris; neque enim illud alio modo sub sensus nostros cadit; atqui apertè falsum est esse in animâ patris aliquid quod ab eâ non solùm separetur, sed etiam separari queat; nam apertè falsum est, aut saltem fidei catholicæ apertè adversum est, animam hominis non esse spiritualem et immortalem (concilium enim generale Viennense in Galliâ sub Clemente V, animæ spiritualitatem et immortalitatem vindicavit, quam aliunde insignes philosophi ex rationis lumine quotidiè evincunt); sed si esset in hominis animâ aliquid quod ab eâ aut separaretur, aut etiam separari posset, anima humana non esset spiritualis et immortalis; si enim aliquid hujusmodi in ejus substantiâ reperiretur, anima esset divisibilis, sive in animâ esset pars, et pars; atqui quod est divisibile, sive id in quo invenitur pars et pars, non est spirituale et immortale, sed materiale et mortale; ideò quippe corpus humanum materiale est et mortale, quia est divisibile, sive in eo existit pars et pars, seu quia semen ab eo separari potest, et reipsà separatur in generationis actu; ergo à pari, etc.

Atque hinc inferes materiam spiritualem, ex quâ animam humanam compingi voluerunt nonnulli antiqui scholastici et medici, de quibus Norisius loco supra commemorato, esse verum figmentum et commentum, hancque opinionem, quam traducis animarum patroni excogitaverunt, ut suum systema utcumque defenderent, quæque animæ spiritualitatem et immortalitatem radicitùs evellit, è scholis catholicis omninò expellendam esse et eliminandam.

Hinc D. Augustinus, remotâ peccati originalis transmissione, sententiam enuntiantem *singulas animas novas nascentibus fieri*, veram esse existimavit, ut patet ex ejus jam laudatâ epist. 166, aliàs 28, ad Hieronymum. Aliunde, lib. 10 de Genesi ad litteram, cap. 24, n. 40, p. 272, traducis defensores monet ne *animas corpora esse credant.*

Objiciunt 1° varia Scripturæ oracula. Genesis cap. 1 et 2 refertur, Deum sex primis diebus totum creationis opus absolvisse, et die septimo *ab universo opere suo quievisse*; animæ igitur quotidiè non creantur, sed per *rationes seminales* creaturis insitas producuntur. — Resp.: Nego conseq. Deus enim hoc sensu omnia sex primis diebus fecit, et die septimo ab opere cessavit, quòd omnes et singulas rerum species creaverit, sicque totam instituerit naturam, et nihil postea fecerit, id est, nullam novam rerum speciem creaverit, sed gubernaverit duntaxat, et multiplicaverit; at hoc non impedit quominùs animas, ubi corpora, quæ informare, sive vivificare debent, sunt sufficienter præparata, ex nihilo educat; tunc enim speciem ab eâ, quam initio efformaverat, diversam non concinnat, imò conservatio et multiplicatio speciei humanæ exigit ut animas continuò creet et infundat, cùm aliâ ratione ipsi prospicere non possit. Hæc solutio eò majoris est ponderis quòd ipsissima est quam affert D. Aug. lib. 10 de Genesi ad litteram, cap. 3, n. 5 et 6.

Genesis 5, dicitur *Adam genuisse filium ad imaginem et similitudinem suam*, sed filius est imago patris præsertim secundùm animam; ergo. — Resp. illud effatum, quod protulit Spiritus sanctus ut sese usitatæ inter homines loquendi rationi accommodaret, unicè significare Adam hominem genuisse sibi homini similem, quod certè non exprimit Adam id genuisse per quod ille homo sibi homini potissimùm similis erat. Quotidiè nempe dicunt homines *patrem suî similem generâsse*, licet non ignorent, imò firmissimè credant patrem filii sui animam non generâsse.

Genesis 46 ait Moyses, *cunctas animas, quæ egressæ sunt de femore Jacob, fuisse sexaginta sex*; sed nihil egreditur de femore patris nisi per traductionem seminis; ergo. Resp. animas eo loco, pro Scripturæ more, per synecdochen, quâ pars ponitur pro toto, accipi pro homine, ut sensus sit 66 homines egressos fuisse de femore Jacob. Sic Jeremiæ cap. 40, v. 15, anima interfici dicitur dùm homo occiditur. Totus au-

tem homo dicitur egredi de femore patris non quòd illius quælibet pars ex parentis lumbis exeat, et per virtutem seminis producatur, sed quòd virtus seminis de femore egredientis materiam præparet et disponat ad unionem cum animâ, ex quâ unione fit homo. Etverò Moysis dictum simile prorsùs est, ut jam observavimus, quotidianis dictis hominum, quibus tamen persuasum est animas à Deo perpetuò creari.

Levitici cap. 17, legitur : *Anima omnis carnis in sanguine est;* sed sanguis cum semine traducitur; ergo. — Resp. cum D. Aug. q. 57 in Leviticum, animam ibi significare vitam animalem, quæ oritur ex unione animæ cum corpore. Dicitur autem *esse in sanguine,* quia per sanguinis dispositionem vita in animali fovetur et conservatur. Cæterùm ex contextu liquet Moysen non de homine, sed de brutis animantibus præcipuè saltem ibi disserere.

Epist. ad Hebræos cap. 7, Apostolus probat sacerdotium Melchisedech, et ideò Christi, levitico longè antecellere; quia Melchisedech, et idcircò Christus, *decimavit* Levi, filium Abrahæ, qui existebat in lumbis hujus patriarchæ, cùm ille decimas impertivit Melchisedech; sed si semen animæ Levi insitum non fuit Abrahæ lumbis, nullius planè roboris erit apostolicum argumentum ; Christus enim, utpote Abrahæ filius secundùm carnem, non minùs extitit in Abrahæ lumbis, quàm Levi, et ideò non minùs *decimatus fuit* in Abraham quàm Levi; ergo.— Hoc argumentum proponit et expendit D. Augustinus lib. 10 de Genesi ad litteram cap. 19, n. 34 et sequentibus, et quia inter utramque opinionem de *traduce* et creatione animarum dubius et anceps hærebat, juxta utriusque sententiæ principia solvit et exponit. — Resp. per fidei de Christo principiorum, ex quibus arguit Apostolus, flammeum fulgorem hanc liquescere difficultatem. Enimverò Christus, utpote ex Mariâ Virgine per Spiritûs sancti obumbrantis virtutem conceptus, matrem ex Abraham habuit, non patrem; Levi è converso et patrem et matrem ex Abrahæ semine satos sortitus est. Hinc in Abrahæ lumbis aliter extitit Levi corpus, aliter corpus Christi. Corpus quippe Levi fuit in illius patriarchæ femore ratione feminei seminis et ratione seminis virilis; corpus è contra Christi fuit in ejusdem Abrahæ lumbis ratione feminei duntaxat seminis. At muliebre semen, consentientibus etiam celebrioribus medicis et physicis, est materia iners et merè passiva, ex quâ in generatione formatur et compingitur humana caro; semen verò virile est materia activa et animosa, quæ femineo semini incubans carnem humanam efformat, digerit, componit. Unde semen virile hominem verè et propriè generat ; cùm igitur Christus in Abraham non fuerit ratione illius seminis, sed ratione tantùm seminis matris suæ Mariæ, in eo propriè non fuit quatenùs homo, sive etiam quatenùs habuit humanam carnem (cùm ejus corpus sine semine virili propriè effingi non potuerit), et ideò peccatum originale contrahere non debuit, et in Abraham non fuit decimatus; cùm verò Levi in Abraham extiterit secundùm utrumque semen, et avito peccato, et decimationi fuit obnoxius.

Hanc responsionem solidè et eruditè suo more protulit et confirmavit D. Augustinus proximè citato lib. 10 de Genesi ad litteram, cap. 20, n. 35 : « Secundùm, inquit, rationem seminalem ibi (in Abrahæ lumbis) fuit Levi quâ ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundùm quam rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundùm ipsam ibi fuerit Mariæ caro; quapropter nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahæ secundùm animam ; secundùm carnem verò et Levi, et Christus; sed Levi secundùm concupiscentiam carnalem, Christus autem secundùm solam substantiam corporalem; cùm enim sit in semine et visibilis corpulentia, et invisibilis ratio, utrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariæ, quia et ipsum eo modo conceptum et exortum est; Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit, ratio verò conceptionis ejus non à semine virili, sed longè aliter ac desuper venit... Ille igitur (n. 36) est decimatus in Abraham, qui licet secundùm carnem tantùm, sic tamen fuit in lumbis ejus, quemadmodùm in sui patris etiam ipse Abraham, id est qui sic est natus de patre Abraham, quemadmodùm de suo patre natus est Abraham, per legem scilicet in membris repugnantem legi mentis, et invisibilem concupiscentiam.... non autem et ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit, » etc.

Objiciunt 2° varia ex ratione momenta. Primum. Si Deus omnium et singulorum hominum, qui generantur, animas creet, cooperabitur stupris et adulteriis, ex quibus prodeunt homines ; absurdum et impium consequens; ergo. —Hoc Apollinaris argumentum, si non insolubile, saltem solutu difficilimum olim judica-

vit S. Gregorius Nyssenus lib. de animâ, cap. 6. — Respondeo cum D. Hieronymo lib, 3 Apologiæ adversùs Ruffinum, et ipso duce S. Augustino epistolà nunc 166, aliàs 28, ad Hieronymum, cap. 5, n. 15, Deum animas à se immediatè creatas infundendo corporibus ex stupro et adulterio efformatis non magis culpandum esse quàm agricolam qui in agro suo triticum furto ablatum seruerit; quemadmodùm enim in hoc casu vitium stat ex parte furis, non *sementis,* ita et in altero culpa inest adulteris coeuntibus, non Deo animarum conditori, et inspiratori. Hæc responsio multùm non discrepat à tritâ istâ theologorum et philosophorum christianorum solutione, nimirùm supremum Numen animas uniendo fœtui ex stupro vel adulterio sato cooperari quidem *materiali,* sive physico stupri vel adulterii, id est actui naturali generationis humanæ, qui sine ipsius concursu existere non posset, sed nullatenùs cooperari *formali* sive malo morali stupri vel adulterii, id est actui hominis quatenùs in generatione militat adversùs legem; hujus quippe deformitatis sola causa est voluntas creata deficiens, ut diximus ubi de peccati universim considerati naturâ disseruimus.

Secundum. Si anima à patre non traducitur, homo animam non generabit, sed solam carnem; ergo verè dici non poterit hominis parens. — Resp. Argumentum istud nimis probare; evinceret enim hominem ipsius carnis parentem verè cognominari non posse; scilicet carnem non procreat absque influxu Dei et quidem tanquàm universalis et principalis causæ, in quâ vivimus, movemur, et sumus, et sine quâ nihil prorsùs physici agere possumus. Quemadmodùm igitur homo dicitur et est carnis humanæ parens quia sese determinando ad emittendum semen movet et excitat primum et necessarium motorem ad subministrandum suum concursum, ita idem homo dicitur et est totius hominis genitor quia vi activâ sui seminis materiam, sive femineum semen, in formam corporis humani redigendo, causa est essentialium hominis partium, id est facit ut Deus ex suo decreto animam materiæ, sive semini sic præparato infundat, sicut ex ante dictis elucescit.

Tertium. Bruta, plantæ, etc., animas suas producunt, sensitivam scilicet et vegetativam; cur homo, qui præstantioris est conditionis, animam suam non posset parere? — Resp. adversarios non attendere vim generativam homini à supremo Creatore insitam longè excellentiorem esse vi generativâ animantibus et plantis ab eodem Conditore inditâ; ex vi enim generativâ hominis necessariò, ut diximus, erumpit animæ rationalis productio; è converso, ex vi generativâ animantium aut plantarum effluit generatio animarum longè inferioris ordinis. Cæterùm, etsi homo nullatenùs suam animam posset producere, inde ipsius mirè commendaretur dignitas, utpote qui præditus esset animâ ad quam producendam nulla naturæ vis posset attingere.

Quartum. Vir innatâ seminis sui vi et virtute in filio producit animam vegetativam et sensitivam, quæ in eodem simul est intellectiva; quidni et eamdem produceret quatenùs est intellectiva? — Resp. de obscuris per obscuriora non esse judicandum. Utrum autem vis sensitiva et vegetativa, quæ inest homini, unum quid sit cum animâ ipsius rationali vel non, acerrimè disputatur inter theologos et philosophos. Censet D. Thomas, animam vegetativam et sensitivam, ad quam pertingit vis hominis generantis, adveniente animâ intellectivâ à Deo creatâ evanescere et perire; at ideò animam rationalem utriusque munia, sive agendi virtutem, obire, vel suscipere; negat celebris Scotus, et cum eo plures, quibus placet, diversas illas animas in homine remanere, et inter se reipsà distingui. Quidquid sit, si ultima sententia, quæ sola adversariis favere videtur, vera est, anima vegetativa et sensitiva virtute seminis virilis traducetur, non anima rationalis; priusquàm enim accedat et illuceat anima rationalis fœtus est purum animal, non homo. Scio quidem plures medicos et physicos, et quidem non infimi nominis, existimare animam rationalem fœtui inesse à primo suî exordio, sive in virili semine existere quidquid deinceps hominem vivificat (ex quâ opinione nonnulli Embrionistæ non ita pridem judicaverunt baptizandum esse fœtum humanum, ubi animatus est, sive ubi ipsum moveri deprehendi potest, etiam antequàm ex utero matris naturali modo egressus fuerit), sed simul scio typis excusum hâc super re opus missum ad episcopos Gallicanos, et varios tum sacros cum salubres regni Ordines, singulatim Cadomenses, absque responso mansisse, quod non leve est argumentum illud ipsis non arrisisse.

Quintum. Si Deus singulas animas quotidiè creat in ipso creationis instanti bonæ erunt, et peccati originalis expertes, siquidem Deus animam peccato infectam creare non potest;

dogmati catholico adversum consequens; ergo. — Resp. animam quoad substantiam esse à Deo, et proindè bonam, cùm *omnis creatura Dei bona sit*. Unde quòd ipso creationis momento peccato coinquinetur à Deo non oritur, sed ab aliâ causâ, ut postea ostendemus.

Ultimum. Homo hominem sibi similem secundùm speciem parit; sed humana species per animam rationalem præcipuè constituitur; ergo anima ab homine generante oritur. — Resp. hominem generare hominem quantùm ad animam præcisè quatenùs illius seminis virtute disponitur materia, sive semen fœmineum ad susceptionem animæ, sive formæ, ut diximus.

Principia solutionum. — Primum. Animæ traductio per *seminalem rationem*, id est per semen etiam spirituale et incorporeum, animam facere videtur corpoream, et ideò, licet conducere videretur ad explicationem, sive intelligentiam, transmissionis peccati originalis in principiis etiam D. Augustini et aliorum Patrum qui Tertullianum et nonnullos alios veteres increpârunt quòd *animam corpus esse* dixerant, est rejicienda.

Secundum. Anima hoc sensu ex hominis semine oritur quòd virtus seminis ordinet et efformet corpus humanum, sicque determinet Deum ad animam ipsi infundendam cùm illud debito modo dispositum est, sive concinnatum.

Tertium. Scripturæ mos est partem accipere pro toto, v. g., corpus, aut animam hominis pro homine. Hoc sensu homo alterum hominem generare dicitur, quia generat corpus.

Quartum. In generatione fœmina subministrat materiam corporis, non vim activam viri seminis propriam, quæ efformat corpus. Unde fœmina gignit *passivè*, vir *activè*. Hinc Christus, cujus corpus ex carne matris coaluit, non ex semine viri, peccatum originale ex Adæ seminatione exoriens, non contraxit, nec decimatus fuit in Abraham.

Quintum. Etsi plures hìc occurrunt difficultates solutu arduæ, aut etiam impossibiles, non ideò nostra nutabit assertio, quia negandum non est quod certum est eo quòd explicari nequit quod est obscurum. Desiperet, v. g., qui materiam extensam esse inficiaretur, quia explicari non potest, an sit divisibilis in infinitum, vel non.

Sextum. Quod obtrudere consueverunt nostrates increduli, animam humanam non minùs traduci posse vi seminis viri, quàm animam bestiarum vi ipsarum seminis, cùm inprimis anima bestiarum in pluribus saltem operationibus cum animâ humanâ concordet, hoc, inquam, hominem cordatum movere non debet; 1° enim ingenii acumine indubie non superant Augustinum et alios veteres, qui animam humanam vi seminis corporei seri non posse absque ullâ dubitatione asseruerunt. 2° Acutiores etiam non sunt Cartesio et præstantissimis aliis philosophis, qui vel in animantibus animas non agnoverunt, vel eas ab humanâ animâ excellentiâ longè discrepare affirmaverunt. 3° Quidquid effutiant de præstantiâ animarum bestiarum, nunquàm evincere poterunt nullum existere medium inter materiam et spiritum, et idcircò animam bestiarum, si non est corporea, esse ad instar animæ humanæ spiritum.

ARTICULUS II.

Quomodò vitietur anima humana per suam cum corpore unionem?

Quoniam vera non est sententia quæ asserit animam simul cum corpore per generationem ex parentibus traduci, oportet ut anima, quam Deus immediatè corpori infundit, cùm à Deo peccatum non habeat, per suam cum carne quæ à parentibus trahitur, conjunctionem peccatum contrahat. Unde præclarum istud D. Augustini pronuntiatum lib. 5 contra Julianum cap. 4, n. 17: *Profectò aut utrumque* (corpus et anima) *ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquàm in vitiato vase corrumpitur.*

Cùm autem variis modis corrumpi possit anima ex parte corporis, cui infunditur, idcircò multiplices sunt super salebrosâ istâ quæstione opiniones seorsim sedulò discutiendæ.

§ 1. *Prima opinio refertur et rejicitur.*

Hæc sententia omnes Adæ nepotes primi ipsius peccati reos exhibet, quia si Adæ ævo physicè extitissent velut Adam peccâssent, quemadmodùm si Adam non peccâsset, et ipsi etiam non peccâssent. Quamobrem in Adam peccaverunt, quia suas voluntates Adamo commisisse censentur.

Istud systema paucos habuit defensores, et contemptu magis quàm seriâ refutatione dignum est. Enimverò prætensa illa voluntatum ex parte omnium Adæ nepotum commissio meram redolet fabulam, et nullum prorsùs in verbo Dei, sive scripto sive tradito, fundamentum habet. Nihil quidem prohibet ad excusandam primam Dei ordinationem, quâ Adam totius generis humani caput morale constituit, in ordine ad justitiæ originalis conservationem, aut amis-

sionem (quam criminari solent novatores) dicere cunctos Adæ posteros, si tunc physicè extitissent, huic ordini sese lubentissimè, et etiam cum gaudio, subjecturos fuisse; verùm asserere illos moraliter etiam commisisse suas voluntates Adæ merum est commentum, sive mera conjectura. Deinde in isto systemate, peccatum originale, quod ex fide catholicâ realiter et intrinsecè contrahitur, moraliter duntaxat ad Adæ nepotes fuisset transmissum. Denique idem systema ignotum indubiè fuit D. Augustino. Etenim aureo libro de prædestinatione Sanctorum cap. 12, n. 24, obstupescit S. doctor, quòd nonnulli suo tempore dicere fuissent, ideò ex infantibus alios cum baptismo ausi ex hâc vitâ migrare, alios sine baptismo interire, *quia præscita sunt futura eorum bona, vel mala opera.* Rationem ibidem affert; Deus nimirùm remunerat, aut punit, quod *de facto* egimus bonum, aut malum, non illud quod acturi essemus, si vixissemus juxta istud Apostoli oraculum 2 ad Corinth. cap. 5 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi ut referat quisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Porrò in commemorato systemate supplicio afficerentur Adæ nepotes propter delictum quod reverà non commisissent, sed commissuri tantùm fuissent, si tempore Adam physicè extitissent.

§ 2. *Opinio secunda exponitur cum rationibus pro ipsâ militantibus.*

Secundum systema tradit, peccatum originale propagari virtute præcepti Adamo, ut totius generis humani capiti, divinitùs impositi, quo ipsi fuerat injunctum non solùm immortalitatem, immunitatem à concupiscentiâ, gratiam sanctificantem, etc., sibi servare, sed etiam in nepotes suos transmittere. Hæc scilicet fuit prima institutio, ut Adamo omnium hominum parente justitiam, quâ in origine suâ fuerat exornatus, servante, eamdem Deus cunctis ejus posteris in suâ cuique origine esset impertiturus; illo è converso justitiam abjiciente, Deus quidem non desineret condere animam in posteris ex eo nascituris, sed tamen non esset illi infusurus justitiam, quam Adam pro se et totâ stirpe suâ acceptam contempsisset. Hinc cùm anima corpori ex Adam per naturalem generationem sato infunditur, fit pars hominis nascentis ex Adam, et ideò expers est justitiæ, quam ille sibi et suis amisit, quâ ex causâ peccato originali inficitur, quod nempè in illius justitiæ privatione *formaliter consistit.*

Hoc systema tueri visi sunt D. Anselmus (1) in fine undecimi seculi lib. de conceptu virginali cap. 7 et 10, et de libero arbitrio cap. 22, et D. Thomas 1-2, q. 81, a. 1, in c. (neque enim expressam divini decreti mentionem faciunt), illud certè totis ulnis amplexus est, totisque viribus adstruit Bellarminus lib. 4 de amissione gratiæ et statu peccati cap. 12; et major cum ipso theologorum numerus. Illa est sententia quæ, ut diximus, refellendis Socinianorum, Deistarum, et aliorum Novatorum adversùs peccatum originale argutiis magis est idonea, quam idcircò vulgò admittunt hodierni christianæ religionis Apologistæ.

Igitur istud systema statuit peccatum originale transmitti vi præcepti, quo Deus voluit ut omnes et singuli Adami nepotes unam cum ipso veluti personam efficerent in ordine ad justitiæ originalis conservationem, vel privationem. Unde ad contrahendum peccatum originale requiritur et sufficit ut quis ex Adam per naturalem generationem nascatur. Porrò his innititur momentis.

Momentum primum. — *Ex Scripturis.* Rom. 5 legitur : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.... in quo omnes peccaverunt... per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Ex his sic argui potest : Ideò omnes Adæ nepotes nascendo peccati rei sunt, quia omnes in Adam extiterunt, sive eo peccante peccaverunt, *in quo,* inquit Apostolus, *omnes peccaverunt;* sed fieri non potuit, ut Adæ posteri, qui eo peccante physicè non existebant, in ipso extiterint, et illo peccante peccaverint, nisi unam cum ipso, utpote totius humani generis capite, personam moraliter effecerint, et ideò omnes eorum voluntates in ipsius voluntate quodammodò fuerint inclusæ, ad eum ferè modum, quo subditorum voluntates in principis voluntate, et omnes corporis membrorum motus voluntarii in ipsâ animæ voluntate continentur; cujus idcircò capitis voluntas fuerit moraliter voluntas omnium hominum, id est ejus posterorum. Porrò id in ordine moris, sive relativè ad justitiæ originalis transmissionem, vel privationem, locum habere non potuit, nisi intercesserit divina ordinatio, sivè constitutio.

Momentum secundum. — *Ex SS. Patribus, S. inprimis Augustino.* D. Aug. lib. 1 de peccatorum meritis et remissione, cap. 10, n. 11, hæc

(1) Apud Bell. lib. 4 de amissione gratiæ et statu peccati cap. 12, vel Estium in 2 Sent. dist. 31, 11, ubi ponit Ans. lib. de conc. virg. cap. 5.

habet : « Alia sunt propria cuique peccata, in quibus hi tantùm peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt. » Idem repetit lib. 3, cap. 7, n. 14. Epist. 98, ad Bonifacium n. 1, ait : « Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo, et in illo, à quo traxit, quando quod traxit admissum est. » Lib. 16 de Civitate Dei cap. 27, versum primum capitis 17 Geneseos sic explicat : « Intelligenda sunt hæc divina verba, tanquàm dictum sit, qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de populo ejus, quia testamentum Dei dissipavit, quando in Adam cum omnibus etiam ipse peccavit. »

Concinunt D. Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 15, his verbis : Fuit Adam, et in illo omnes fuimus, periit Adam, et in illo omnes perierunt; et alii, etc.

Ex his testimoniis, inquiunt, elucet 1°, D. Augustinum, et alios Patres agnovisse pactum, sive *testamentum*, cum Adamo initum, quo fuerat sancitum, ut quâ die fructum vetitum ederet, ipse, et tota ejus posteritas morti foret obnoxia... 2° Eos omnes, qui ex Adam nascuntur, pactum illud transgredi, et ideò peccatum nascendo contrahere, quia *omnes in Adam fuerunt, et omnes ille unus fuerunt*, quando peccavit; sed non possunt ejus infici peccato, si *in eo* fuerint, et *unus homo cum illo*, eo præcisè sensu quòd in ejus lumbis extiterint, sive carnem ex eo acceperint; aliàs dicendum foret cum Jansenio peccata proximorum parentum transmitti debere ad filios. Igitur præter naturalem ab Adamo propagationem admittenda est quædam Dei constitutio, quâ Adæ nepotes unam moraliter cum ipso personam effecerint in ordine ab bonam aut infelicem conditionem, sicque ejus peccati rei fuerint sicut ejus justitiæ fuissent participes.

Momentum tertium—*Ex communi theologorum suffragio.* D. Thomas, cujus sententiam hâc super quæstione amplexi sunt plures ipsius expositores, 1-2, q. 81, a. in c. improbatis, aut saltem parvipensis aliis peccatum originale traducendi modis ait : « Aliâ viâ procedendum dicendo, quòd omnes homines, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo in quantum conveniunt in naturâ, quam à primo parente accipiunt, secundùm quod in civilibus omnes homines, qui sunt unius communitatis, reputantur quasi unum corpus, et tota communitas quasi unus homo..... sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra. »

Jansenius, lib. 1 de statu naturæ lapsæ capite 5 et sequentibus commemoratum *pactum*, sive Dei *constitutionem*, quod attribuit Vasquesio, Bellarmino, et aliis recentioribus scholasticis, totis viribus impugnat, ut supra contritum suum de concupiscentiæ dominatu, dogma, in quo formaliter consistit peccatum originale, stabiliat; unde contendit prætensum illud pactum omninò repugnare Augustini doctrinæ, omnibusque ejus principiis, quin et totius antiquæ Ecclesiæ placitis; addit hoc systema eò collimare, « ut purgentur parentes, et culpetur Deus, qui peccatores propriâ voluntate constituat, et ideò nulli ante tempora scholasticorum in mentem venisse, licet et facillimum, et cuilibet obvium esset, et ad medendum tantis angustiis peridoneum. »

Verùm priusquàm Jansenii argumenta refero, observare operæ pretium est Yprensem, qui hîc commemoratum pactum Vasquesio, Bellarmino et aliis recentioribus scholasticis adscribit, non inscitè quidem, sed malignè siluisse sententiam Guillelmi Estii qui illud pactum ex parte saltem ad explicandam peccati originalis transmissionem omninò necessarium esse fatetur, ut postea ostendemus; scilicet Estium, ubi suo systemati favet, impensè extollit, non ita ubi placentia non eructat. Itaque

Objicit primò Yprensis lib. 1 de statu naturæ lapsæ, cap. 8 : « Augustinus, quoties Pelagiani quæsierunt, quomodò peccatum originale à sanctificatis parentibus transeat ad filios, nunquàm confugit ad pactum cum Adamo initum, aut ad nudam propagationem ex Adam, sive parentes cum libidine, sive sine libidine genuerint, licet iste modus intellectu esset facilis, et ad rem præcipuè pertineret, sed ad solam concupiscentiam, quæ per baptismum non tollitur; doctrina ergo ista mera est fabula, et posteriorum scholasticorum infirmum et inane commentum. »—Resp. falli aut fallere velle Jansenium; Augustinus enim commemoratis locis, in quibus adversùs Pelagianos disserit, pacti alicujus, quod cum Adamo violaverunt ejus nepotes, meminit. In ipsis testimoniis, quæ adducit Jansenius, mentionem facit propagationis ex Adam, quæ supponit pactum de dandâ justitiâ originali si non peccâsset Adam, de illâ autem non dandâ, si peccâsset; neque enim fieri potuit, ut ex naturâ rei, indepen-

denter à quolibet pacto, quidquid obganniat Jansenius, Adam gigneret filios justitiâ originali destitutos, vel exornatos. Quòd si ad concupiscentiam sæpiùs quàm ad pactum, aut propagationem ex Adam, recurrit S. Doctor, ratio fuit, quòd Pelagiani negare non possent existere in Adæ posteris concupiscentiam, quæ in præsenti statu effectus est Adamici delicti, et propter quam statuit Deus hominem spoliare gratiâ, quam in primo ortu habuit Adam; unde illa est, ut docet D. Thomas, veluti materiale peccati originalis.... E converso potuissent negare pactum cum Adamo initum, quod nonnisi per argumentationem ex sacris Litteris deducitur, et nodum ita non solvit, quin maximis implexum remaneat difficultatibus.

Neque, addunt iidem Theologi, reponat Jansenius Augustinum docere, *animum tanquàm in vitiato vase corrumpi*, quod evincit peccatum originale per germen concupiscentiæ physicè transmitti; hoc enim effatum unicè significat peccatum originale reipsâ contrahi per unionem animæ cum carne ex Adamo tractâ, quatenùs illa unio efficit hominem, qui filius est Adæ, et ideò cùm ipso et in ipso peccavit.

Objicit 2° Jansenius eodem libro, in fine capitis duodecimi, pactum hìc effingere nihil est aliud quàm à parentibus culpam amovere ut redundet, sive resiliat in Deum, qui sontes propriâ voluntate efficiat. Etenim simili pacto, addit cap. 15, parvuli jam nati ex patris iniquitate reatum contrahere possent, aut saltem simili pacto omnes in toto mundo homines ex cujuslibet peccato possent constitui peccatores. Tandem, si ex hypothesi quòd extitissemus, illi pacto absque injustitiâ consentire non potuissemus, Deus nostras voluntates in Adæ voluntate aliquatenùs inclusas esse injustè decrevisset; at si extitissemus, huic pacto absque injustitiâ consentire non potuissemus; tunc enim consensissemus peccato ex hypothesi quòd illud voluisset Adam, aut, si volueris, nos libenter objecissemus peccandi periculo, quod dubio procul non licet; ergo.—Respondent 1° mirum esse Jansenium, hìc cap. 8 et 12, dicere commemoratum pactum *esse intellectu facillimum*; asserit enim cap. 15, versùs medium, *illud intelligi non posse*.

Reponunt 1°, nullam ex illo pacto injustitiam in Deum redundare; se enim gessit Deus, cùm illud sancivit, velut superior qui capiti totam communitatem repræsentanti præceptum imponit justum et facile eâ intentione ut impleatur.. Quamobrem sicut ille superior nullius injustitiæ esset reus, nec præcepti illius violationis causa, sed is solus qui illud violâsset, ita et Deus in præsenti ordine. Porrò constat omnes parentes esse *purgandos* præter Adamum qui solus effecit ut proles cum peccato nascatur.

Quod attinet ad relatas argumenti confirmationes, respondent illas omnes facili negotio dilui. Prima quidem seipsâ ruit. Nihil enim impedire videtur quominùs parvuli jam nati ex parentis delicto peccatum contrahant interveniente cœlesti pacto, si illud pactum omninò simile fuerit pacti cum Adamo initi; ut enim in isto pacto nulla ostendi potest injustitia, ita nec in illo.... Secunda autem rei non est accommodata, sive præsenti ordini. Homines scilicet toto mundo dispersi libero gaudent arbitrio, et ideò suî domini sunt et arbitri; sed talium voluntates in alterius voluntate non debent includi, cùm digni sint, quibus sua committatur salus, et liberum habentes arbitrium alienâ voluntate peccare non possint .....Tertia tandem speciosa magis quàm solida est. Enimverò quomodò, si extitissemus, non consensissemus conditioni, ex quâ innumera bona in nos redundare potuissent, et ex quâ nihil omninò ex parte Dei nobis fuisset pertimescendum, imò nec ex parte ipsius Adami, quem præceptum tam facile, tam utile, tam salutare, violaturum esse nunquàm conjecissemus? Quare qui huic conditioni consensissent Adami duntaxat sapientiâ et prudentiâ innixi fuissent ad eum modum quo rex legatis probatæ peritiæ et probitatis res suas committit nullatenùs intendens malum quod præ humanâ defectibilitate agere possunt. Unde præfatæ conditioni consentiendo non proximo, sed remoto tantùm, imò ferè impossibili peccandi periculo sese objecissent, sicut rex præfatus vix ac ne vix quidem timere potest ne aliquid iniquum à legatis suis peragatur.

Objicitur 3° : Augustinus, Enchiridion cap. 46, ait : « Parentum quoque peccatis parvulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus nati sunt, non improbabiliter dicitur. » Igitur parvuli non ab Adamo solo, sed etiam à proximis parentibus culpam modò majorem modò minorem trahunt, ut docet Jansenius lib. 1 de statu naturæ lapsæ, cap. 22.

Reponunt cum D. Thomâ 1-2, q. 81 a. 2 in corp. « Augustinum quæstionem illam ibidem insolutam relinquere. » Capite nimirùm se-

quenti, sive 47, dicit, « se temerè affirmare non audere quid hâc de re tenendum sit. » Verùm « si quis, inquit ibidem Angelicus doctor, diligenter attendat, impossibile est, quòd aliqua peccata proximorum parentum, vel etiam primi parentis, præter primum, per originem traducantur ; cujus ratio est, pergit S. doctor, quia justitia originalis erat quoddam donum gratiæ toti naturæ humanæ divinitùs collatum in primo parente (quod primus homo amisit) per solum primum peccatum ; ex quo sequitur primum Adæ peccatum fuisse peccatum totius naturæ, et ideò debuisse traduci cum naturâ ad omnes Adæ posteros, sicut originalis justitia simul cum naturà traducta fuisset in omnes Adæ posteros ; cæterà verò peccata, sive Adami, sive parentum proximorum, fuisse merè personalia, et ideò traduci non potuisse, sicut grammaticus non traducit in filium scientiam grammaticæ, quia merè personalis est, seu pertinet ad individuum, non ad naturam speciei. »

Neque D. Thomas, addunt iidem theologi, id inconsultè aut temerè dixit ; ipse quippe D. Augustinus idem docuisse videtur lib. 1 de peccatorum meritis et remissione cap. 11, n. 13, ubi ait : « Omnes peccatum originale traxerunt ab Adam, qui est forma futuri (Adæ), quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris qui ejus propagine crearentur, ut ex uno omnes in condemnationem nascerentur, ex quâ non liberat nisi gratia Salvatoris » (id est secundi Adæ). Hæc indubiè, arguunt iidem doctores, noverat Jansenius, et quia suum concutiunt systema, industriè siluit.

Objicit 4° Jansenius citato libro primo de statu naturæ lapsæ variis in locis : Scriptura et Patres passim asserunt, *carnem, quæ trahitur ex Adam, esse fœdam, immundam, vitiosam ;* notum sanè est præclarum istud D. Augustini pronuntiatum lib. 2 de peccatorum meritis et remissione cap. 24, n. 38 : *Quod* (de B. Virgine) *assumpsit* (Christus) *id profectò aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit.* Illa fœditas et immunditia carnis indubiè est concupiscentia carni à peccato Adamico inhærens, sive libido, per quam, Augustino aliisque Ecclesiæ doctoribus passim intonantibus, propagatur peccatum originale, non *tanquàm argumentum corruptionis* (ut reponere solent pacti inventores) sed *tanquàm veram causam transfusionis ;* peccatum ergo originale non ex *pacto* sed ex naturâ rei, sive ex concupiscentiâ oritur in Adæ nepotibus.

Respondent pacti defensores illa Scripturæ et Patrum oracula esse intelligenda de fœditate et immunditià *impropriè*, sive *privativè*, non *propriè*, sive *positivè* acceptâ, quasi carni ex Adam tractæ inesset qualitas aliqua eam realiter et physicè inficiens (homo enim post peccatum in naturalibus suis mansit) ; unde significant duntaxat, carnem per Adæ peccatum à perfectione et integritate, quam primitùs habuit, excidisse, et concupiscentiæ, quæ in præsenti ordine certum est peccati argumentum, factam fuisse obnoxiam. Cùm autem concupiscentia naturaliter sive physicè propagetur, inde evenit, ut Scriptura et Patres, inprimis D. Augustinus, dixerint peccatum originale per concupiscentiam, quæ in præsenti statu certò commonstrat naturam corruptam, transfundi. Fieri scilicet non potest, ut sit in carne positivâ qualitas mala ; quidquid enim in naturâ physicum est, et ideò positivum, bonum est et Deum habet auctorem. Aliunde, nullatenùs concipi potest quomodò per illam corporis qualitatem anima vero inquinari posset peccato, quale est originale peccatum. Porrò, meritò dixit D. Augustinus carnem B. Virginis, ex quâ formata est Christi caro, à Christo priùs fuisse mundatam, cùm B. Virginem ab initio conceptùs gratiâ cumulaverit, in eâ concupiscentiæ fomitem aut ligaverit, aut extinxerit, vel saltem eam carnem, cùm eam suscepit, ab eo fuisse sanctificatam, et ab omni sorde expurgatam ; quæstio enim illa tempore S. doctoris nondùm erat eliquata.

§ 3. *Opinio tertia discutitur,*

Hoc systemate peccatum originale « nullo ex pacto, sed ex naturâ rei, per libidinem, sive concupiscentiam generantium, quæ carnem inficit (à parentibus ad filios) traducitur, ad eum modum, quo podagra transit à parente ad filium, aut qualitas venenosa à viperâ ad viperam. Scilicet Adam peccator, sive concupiscentiâ infectus, necessariò genuit prolem peccatricem (id est) libidine imbutam, nec aliam ullo modo gignere potuit, nisi Deus leges naturæ, quas animalium propagationi statuit, perturbaret, sicut Æthiops Æthiopem necessariò gignit. » Ita visum est Luthero et Calvino. Ita expressis terminis docet Jansenius lib. 1 de statu naturæ lapsæ, cap. 3, cap. 6, etc. Peccato nimirùm Adæ, « quod in naturam quodammodò versum est; Adæ anima penetrata est suî amore, cupiditate generali, et cæterarum omnium cupiditatum radice. Unde juxta leges animalium propagationi constitutas

seminavit animam imbutam, et penetratam defectivo illo amore ad bona temporalia. Porrò ille amor ingenitus et physicè transmissus per generationem deprimit voluntatis apicem versùs temporalia, et deprimendo inficit, sive peccatricem facit : » et ideò physicè et *per leges naturæ* traducitur peccatum originale. Idem repetit eodem libro capitibus 15, 16 et 17.

Ex illo systemate plura pullulant corollaria, quæ ipse ratiocinio potens eruit Jansenius. Primò, si Adam (idem dicendum de proximis aliis parentibus) concupiscentiam benè vivendo extirpare potuisset, nullum peccatum propagâsset in posteros, capite 21 versùs finem... 2° Si Deus utriusque sexûs corrupta semina sine congressu conjugum omnipotentiæ suæ virtute misceret, proles peccatum originale contraheret, capite 20 sub finem... 3° Sola impia nonnunquàm prægnantis imaginatio, vel cupiditas, in causâ est, cur proles ad furta, ad lasciviam, ad homicidia, ita prona nascatur, ut nullis nec honestatis retinaculis, nec supplicii minis ab illis vitiis coerceri queat, cap. 19 versùs medium (ex his inferri posse videtur à matre magis quàm à patre traduci peccatum originale)... 4° Non corporis ægritudines tantùm, sed et acquisitæ pravitates animi, sive propensiones ad malum, quas parentes malè vivendo sibi pepererunt, in prolem propagantur, initio capitis 22 (unde concludere pronum est peccatum originale non esse in omnibus æquale).

Totam istam doctrinam commendat Yprensis tanquàm *veritatem* catholicam, *tanquàm olim probatissimam per universam Ecclesiam* usque ad ætatem scholasticorum, capitibus 13 et 23.

His et similibus documentis fortassis exprimere, aut adstruere voluit Jansenius magistri sui vel amici sui Baii propositionem 73 (apud Patrem Duchesne 74) : « Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hâc vitâ sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis » (reipsà contracti). Ex matre nimirùm non minùs quàm ex patre oritur peccatum originale.

Ex modò delineato systemate hanc assertionem protulerunt Janseniani Lovanienses numero 24 inter 31 damnatas ab Alexandro VIII, anno 1690 : « Oblatio in templo, quæ fiebat à B. Virgine Mariâ in die purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quòd indiguerit purificatione, et quòd Filius, qui offerebatur, etiam maculâ Matris maculatus esset, secundùm verba legis. »

Guillelmus Estius, celebris theologus Duacensis Universitatis, qui obiit 20 septembris anni 1613, in 2 Sent. distinct. 31, 81, propendet in opinionem quæ cum modò relatâ aliquatenùs convenit. « Vitiatur, inquit, anima à corpore (ex Adam tracto) tanquàm vase corrupto et vitiato, sicut contingit pomum, vel florem, infici tetro odore ejus corporis, quo continetur, in quo si natum sit, jam ab ipsâ origine tetrum odorem contraxit. » Deinde rem sic explicat : « Sciendum est mutuam esse, eamque naturalem, sympathiam, id est passionum et affectionum communicationem inter corpus et animam, tanquàm in idem compositum naturale concurrentes partes substantiales. Unde fieri videmus, ut corpore malè affecto anima doleat, et vicissim ex animi hilaritate corpus recreetur. Cùm igitur anima à Deo neque justa fiat, neque injusta, neque ante suam cum corpore conjunctionem existat, corpus autem ante animæ infusionem ex carne peccati seminatum nondùm quidem peccatum habeat, sed tamen occultam quamdam ad peccatum dispositionem, fit ut anima, quæ in corpore nascitur, velut flos in fœtido loco, simul ex corpore trahat vitium quoddam habituale, atque culpabile; sicut enim si infunderetur anima corpori vulnerato, vel posito in igne, mox in eo corpore doleret, ita, dùm infunditur corpori ad peccatum disposito, mox in eo habitualiter quodammodò peccat.

Idem theologus sic expositam sententiam probare aggreditur, 1° Scripturâ. Scilicet Levitici cap. 15, semen humanum appellatur *fœdus humor,* et menstrua mulieris reputantur *summa immunditia :* è converso semen tritici, vel aliarum rerum nusquàm habetur velut immundum. Item Job 14 dicitur : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* Ubi, ut peccati originalis existentiam vindicando ostendimus, evidenter depingitur ipsa *interna* immunditia, cùm substantia creata immunditiam sive sordem extrinsecùs inhærentem delere possit. Item contrahitur immunditia (Levitici cap. 15) ex fluxu seminis et menstrui, non ex fluxu sanguinis, aut pituitæ, neque aliorum humorum, imò neque ex fluxu excrementorum fœtidissimorum, sive dysenteriâ, vel fluxu urinæ... 2° Auctoritate S. Augustini, qui passim Adæ semen vocat *semen vitiosum, immundum, peccati*, et lib. 2 de pec-

catorum meritis et remissione cap. 24, n. 38 jam citato, de ipsâ B. Virgine ait: *quod assumpsit Christus id profectò, aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit*. Pariter lib. 3 contra Julianum cap. 3, n. 8, dicit « concupiscentiam carnis, adversùs quam bonus concupiscit spiritus, et peccatum esse, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, et pœnam peccati esse, quia reddita est meritis inobedientis, et causam peccati esse, defectione consentientis, vel contagione nascentis.... » 3° Auctoritate Magistri Sententiarum distinct. 30 et 31, et doctissimi papæ Innocentii III, in expositione Psalmi 50, ad illud: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*. Ubi dicit: « Quis nesciat concubitum, etiam conjugalem, nunquàm omninò committi sine pruritu carnis, ac sine fervore ac fœtore concupiscentiæ, unde semina concepta fœdantur, et corrumpuntur, propter quod alibi dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine* (Job. 14)? Ex seminibus ergo fœdatis atque corruptis concipitur corpus corruptum pariter et fœdatum, cui anima tandem infusa corrumpitur, et fœdatur, non ab integritate vel munditiâ quam habuit, sed ab integritate vel munditiâ, quam haberet si non uniretur fœdato corpori et corrupto; quoniam et creando infunditur, et infundendo creatur; sicut enim ex vase corrupto liquor infusus corrumpitur, et pollutum contingens ex ipso contactu polluitur, sic ex contagio corporis anima corrumpitur, et fœdatur.... Ex concupiscentiâ procedit pruritus circa januam humanæ propagationis, per quam transfunditur originalis causa peccati. » Non minùs apertè in eadem Psalmi 50 verba loquitur Pontifex Maximus Urbanus VI, etc.

Vir tamen sagax et eruditus facilè detexit in isto systemate concipi non posse quomodò anima in instanti unionis suæ cum corpore peccato propriè dicto coinquinetur. Hinc illud conjungi voluit cum systemate docente peccati originalis *formale* consistere in carentiâ, sive potiùs jacturâ justitiæ originalis, quâ anima, ubi infunditur corpori, destituitur. « Videtur, inquit, omninò agnoscendum aliquid in semine parentis, vel carne nascentis, ex quo anima infusa corruptionem et peccatum contrahat juxta superiorem modum (paulò ante expositum), quem proindè, ut plenè et sufficienter dicta peccati (originalis) propagatio explicetur, cum hoc posteriore (jacturam justitiæ originalis exigente) putamus esse conjungendum. »

Commemoratum systema ab Estio expositum catholicum profectò est, sive ab Ecclesiâ nunquàm fuit damnatum. Hinc in eo non erravit Jansenius quòd dixerit, peccatum originale à parente in filium physicè transmitti. Plura quippe apud Augustinum et alios Patres occurrunt testimonia quæ illam assertionem confirmare videntur. Verùm culpandus, imò detestandus est Jansenius 1°, quòd asseruerit *naturæ corruptionem*, sive propensionem in malum ex se verum esse peccatum, ut antea ostendimus.... 2° Quòd constituerit peccatum originale, non in *reatu concupiscentiæ*, qui deletur per baptismum (ut D. Augustinus) sed in *dominatu* ejusdem concupiscentiæ; inde enim, ut iterùm ostendimus, inferri posse videtur baptismum aliquando non delere peccatum originale, siquidem in regeneratis concupiscentia habitualis charitatem habitualem gradibus interdùm superat..... 3° Quòd ex illo systemate plura, ut rursùs observavimus, corollaria deduxerit Jansenius, quæ Ecclesiæ, speciatim concilii Tridentini, de peccato originali decretis, non sunt consona.... 4° Quòd idem Yprensis arroganter pronuntiaverit suum systema de physicâ peccati originalis transmissione hujus maculæ transfusionem *sufficienter* explicare; at hæc omnia improbat Estius, et ex suo systemate physicam peccati originalis traductionem minimè scaturire autumavit; ergo.

Nunc prodeant rationum momenta, quibus pacti, sive moralis peccati originalis traductionis, defensores impugnant specialiter physicum illius noxæ transitum, cum solutionibus, quibus argumenta isti transfusioni patrocinantia diluere consueverunt alii theologi.

Specialia pacti defensorum argumenta adversùs physicam avitæ maculæ traductionem. — Primum. Certum est actuale Adæ peccatum esse peccati originalis causam efficientem; id quippe docet Apostolus ad Rom. 5, et D. Augustinus lib. 2 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 26, n. 43: *Voluntarium*, inquit, *peccatum hominis primi, originalis est causa delicti;* atqui actuale Adæ peccatum non est causa physica et realis peccati originalis; actuale enim Adæ delictum fuit actus voluntatis Adæ, qui subitò evanuit et physicè existere desiit; sed actus, qui physicè non existit, non potest peccatum originale physicè efficere, prius enim est physicè existere quàm aliquid physicè producere, cùm physica productio emanet ex physicâ naturâ; ergo.....

Præterea, ut in prooemio diximus, physicum,

sive materiale peccati essentialiter bonum est, sicut ejus formale essentialiter malum; sed formale peccati *nihil* est, et ideò physicè aliquid producere non potest.

Verùm reponunt adversæ sententiæ defensores imbelle esse istud argumentum, et rem non attingere. Actuale scilicet Adæ peccatum in ipso produxit germen concupiscentiæ, per quam physicè propagatur peccatum originale, sicque actuale Adæ delictum fuit causa remota et mediata peccati originalis, non propinqua et immediata, de quâ solâ hîc agitur; unde probandum foret Apostolum et Augustinum disserere de istâ causâ.

Secundum. Eo modo peccatum originale ad Adæ posteros traducitur quo ad eosdem traducenda fuisset justitia originalis, si Adam non peccâsset, ut innuit Apostolus; at avita justitia physicè non fuisset transmittenda, sed moraliter tantùm; ergo etc. Sed adversi auctores majorem negant, quam, ut ipsis videtur, nullibi insinuat Apostolus qui docet duntaxat peccatum Adæ transmitti ad ejus nepotes, ut transmissa fuisset, ipso non peccante, justitia originalis, modum transmissionis non assignando. Etverò, inquiunt, peccatum originale per concupiscentiam transfunditur.

Tertium. Illud solum quod materiale est et corporeum propagatur, et naturæ legibus subjacet; tale autem non est peccatum; ergo. At iidem indubiè reponent, concupiscentiam, quæ est *veluti materiale* peccati originalis, junctam saltem cum jacturâ justitiæ originalis, quæ est illius formale, transmittere illud peccatum.

Quartum deducitur ex iis, quæ fatente ipso Jansenio, ex isto systemate pullulant, consectariis. Etenim sequitur, peccata parentum ad filios æquè transire ac Adæ peccatum, ac ideò peccatum originale in omnibus æquale non esse. At hoc corollarium contradicit Apostolo docenti, *unius delicto omnes mortuos esse, in uno omnes peccâsse, ex uno delicto in omnes homines esse condemnationem*.... Patribus, quos supra laudavimus, et D. Thomæ 1-2, q. 82, a. 4, ubi dicit, *peccatum originale æquale esse in omnibus*, et q. 81, a. 2, in c., ubi docet solum primum Adæ peccatum traduci in posteros, et a. 5 ejusdem quæstionis, ubi tradit, ex Adæ, non ex Evæ peccato oriri peccatum originale.... Item sequitur eos, qui viâ naturali ex Adam non nascerentur, peccatum originale esse contracturos, modò adfuisset concupiscentia. Opponitur Apostolo dicenti, *omnes in uno peccâsse*, quia nimirùm *in ejus lumbis erant*, ut loquuntur Patres, et concilio Trident. docenti sess. 6, cap. 3, homines *non nasci injustos nisi quia ex semine Adæ nascuntur*.... Tandem sequitur peccatum originale traduci independenter à jacturâ justitiæ originalis, et ideò concupiscentiam ex se et naturâ suâ verum esse peccatum, quod Jansenii systema est planè hæreticum.

Physicæ peccati originalis traductionis argumenta prout à pacti defensoribus diluuntur. — Jansenius, lib. 1 de Statu naturæ lapsæ, à cap. 6 ad 7, plura D. Augustini testimonia profert quibus probare conatur peccatum originale per concupiscentiam trajici eo modo quo cuncta generantia similem sibi fœtum procreant. Ea brevitatis causâ quoad substantiam duntaxat et summatim referemus.

1° Yprensis, à cap. 6 ad 12, varios S. doctoris textus exhibet enuntiantes peccatum Adæ transmitti per concupiscentiam, seu libidinem, eodem peccato in naturâ humanâ productam, quæ concupiscentia est causa propinqua propagationis peccati originalis. Unde parentes baptizati illud peccatum trajiciunt, quia servant concupiscentiam, per quam generant filios; at parentes physicè transmittunt concupiscentiam; ergo. — Reponunt S. Augustinum his in locis intendere tantùm concupiscentiam, cui parentes, etiam regenerati, sunt obnoxii, esse causam moralem, ac veluti materiam, peccati originalis. Ideò enim, ut dictum est, Adæ nepotes gratiâ sanctificante in ortu suo destituuntur, quia Deus, cùm Adam creavit, decreverat, ut concupiscentia in homine non remaneret, sive non vigeret, cum gratiâ sanctificante, cui ordinationi Deus non renuntiavit nisi in Christo per baptismum. Addunt hoc sensu concupiscentiam potuisse dici causam peccati originalis, quòd illius traductionis certum esset signum et indicium, quatenùs scilicet in præsenti ordine est pœna peccati. Notum videlicet est, Augustinum peccati originalis existentiam quasi perpetuò adversùs Pelagianos evincere, ex miseriis, concupiscentiâ præsertim, quibus obruuntur Adæ nepotes. Hinc particulæ, *quia*, *ex*, *per*, aut vox, *causa*, quibus utitur S. doctor, non strictè, sed latè sunt accipiendæ. Porrò Augustinus, inquiunt, alio sensu intelligi nequit; ubique enim docet concupiscentiam in regeneratis non esse verum peccatum, et ideò per eam peccatum originale physicè non posse trajici.

2° Idem Yprensis ibidem plures D. Augustini textus producit, quibus asserit peccatum ori-

ginale à parente in filium projici per concupiscentiam, sive vitium naturæ, sicut podagra, etc., à patre ad filium transit; at consentientibus physicis et medicis podagra physicè trajicitur; ergo. — Respondent Augustinum his et similibus comparationibus unicè intendere peccatum originale reipsà transire in Adæ filios, ut podagra reipsà transmittitur à parente in filium. Unde comparatio stat ex parte realis traductionis avitæ maculæ, non ex parte modi illius traductionis. Enimverò obstinata Pelagianorum in negandà peccati originalis existentià, ejusque transfusione pertinacia coegit S. doctorem illas similitudines, licet à longinquo petitas, adducere, ut ostenderet mirum non esse si in cœlestibus contingeret quod in physicis et naturalibus quotidiè contingere constat.

3° Jansenius, cap. 9 et 23, profert D. Augustini testimonia, quibus asseverat, Christum ob solius carnis concupiscentiæ præsentiam ex commixtione maris et fœminæ procreari noluisse, ne in ipsum, sicut in alios Adæ nepotes, originalis culpa serperet. Hinc tota ratio eximiæ Christi animæ puritatis ex eo emanavit quòd carne peccati, cui anima ipsius infunderetur, caruerit. — Reponunt hanc Yprensis doctrinam, Augustini testimoniis, quæ ibi commemorat, non exprimi. Ea enim ponderanti facilè innotescet iis significari duntaxat Christum, qui concupiscentià caruit, non habuisse peccatum originale, è converso eos omnes, qui concupiscentiam habent et vià ordinarià generantur, hujus peccati esse reos; quod quidem verissimum est; concupiscentia quippe in nobis est pœna peccati, et ideò certum est peccati contracti signum et indicium. Enimverò, quod hîc ait Jansenius de Christo, supponit concupiscentiam ex sese peccatum esse, et à peccato absolutè separari non posse, quod passim refellit D. Augustinus; quin enuntiat animam Christi non magis mundam fuisse, quàm Adæ animam; cùm initio carni peccati mixta non fuerit Adæ anima; at ista blasphemia nunquàm profectò in Augustini mentem venit; ergo.

Eodem modo exponunt ea Patrum, summorum pontificum, et theologorum testimonia, quæ paulò ante adducebat Estius, et refert Jansenius toto capite 13.

§ 4. *Quid sentiendum de duabus ultimò commemoratis opinionibus, id est de relatis Estii et Bellarmini sententiis?*

1°. Concilia adversùs Pelagianos celebrata unicè definierunt existentiam peccati originalis, et ideò nulla sententia de ejus naturâ, aut traductionis modo ad fidem pertinet. 2°. D. Augustinus privatam suam de peccati originalis naturâ, et modo transfusionis, sententiam, si quam habuit, velut certam nec habuit, nec haberi voluit; enixè enim, ut diximus, hâc super re D. Hieronymum consuluit, et dixit, *peccato originali nihil esse ad intelligendum secretius*. 3°. Qui studio partium, aut vertiginoso hæresis spiritu non adiguntur et dementantur, fateri debent Augustinum negare, concupiscentiam in renatis verum esse peccatum, et idcircò non potuisse docere peccatum originale præcisè consistere in naturâ hominis vitiatâ, quâ propagatâ formaliter et necessariò propagaretur idem peccatum. 4°. Pactum admittens sententia videtur magis idonea explicandæ peccati originalis transmissioni, et revincendis incredulorum adversùs istud sacramentum cavillationibus, et ideò illam opinioni physicam avitæ labis traductionem propugnanti, lubenter præhaberemus, et eò quidem magis quòd, ipso fatente Estio, posterior ista sententia non conjuncta cum priore est prorsùs insufficiens ad Adamici delicti trajectionem explicandam. Nihilo tamen minùs illam propugnare non audemus, tum quia, quemadmodùm, ubi de peccati originalis naturâ, observavimus, Hieronymus et Augustinus illam ignorâsse videntur, tum quia non minoribus difficultatibus obnoxia est quàm altera, ut satis superque produnt quæ ex utràque parte afferri solent illarum difficultatum enodationes; antequàm autem maximè reconditæ ac, si quæ unquàm fuit, intricatæ controversiæ ultima admoveatur manus, duo paucis expendenda sunt eruditorum sanè attentione digna.

Primum. An istud pronuntiatum circa D. Augustini dubitationem de animæ origine, sitne scilicet ex *traduce* vel ex *creatione*, quod reperitur versùs finem capitis undecimi libri quarti de Statu peccati et gratiæ amissione apud Bellarminum: *Certè S. Augustinus, si nunc inter homines viveret, non solùm faveret, sed etiam gratias ageret iis, qui nostram hanc sententiam* (de creatione) *tuerentur;* an inquam, istud pronuntiatum sit probandum vel non.

Affirmant nonnulli recentiores gratiæ vindicis gloriæ parùm studiosi, et insignium rationum, quæ ipsum in hanc dubitationem induxerunt, ignari; negant quotquot S. doctori impensè, ut decet, addicti sunt, et acerrimum ipsius ingenium, ut et strenuum catholicæ fidei defendendæ et promovendæ ardorem

noverunt. Si sanè Ecclesia catholica, cujus auctoritatem cum encomio ubique celebrat S. doctor tanquàm errori nunquàm obnoxiam, sententiam de animæ creatione aliquo decreto consecràsset, plaudendum foret commemoratæ Bellarmini assertioni; verùm, si nihil hujusmodi pronuntiavit Ecclesia, saltem velut inconsiderata habenda est; omnia enim gravissima momenta, quæ Augustinum in hanc perplexitatem immergebant, sese magno ejus animo iterùm sisterent, et ideò ipsum acerrimè utrinque torquerent. Etenim, si *hodiè viveret* Augustinus, sententiam de animarum creatione non magis Scripturis consonam inveniret quàm olim; recentiores quippe in ejus sensu detegendo feliciores dubio procul non fuerunt quàm veteres.... Item scholasticorum auctoritate non moveretur præ tot Patribus qui hoc in puncto hæserunt... Item eorumdem scholasticorum adversùs traducem rationes ipsius anxietatem non dissiparent; eas enim materiæ spiritualis architecti, inter quos multi scholastici, se facilè solvere prætendunt, et aliunde ad summum S. doctorem ab amplectendo traduce averterent, non ad admittendam sententiam de creatione animarum, quæ ipsi, hodiè etiam multis hirsuta difficultatibus videretur, cùm inprimis attenderet scholasticos hujus sententiæ defensores in explicandâ peccati originalis transmissione (quæ difficultas in hâc opinione S. doctori gravissima semper visa fuit), non solùm inter se non consentire, sed etiam sese invicem acerrimè impetere; quare *si viveret Augustinus* in suspenso maneret, et gratias non ageret recentioribus, nisi cùm in suâ de animarum creatione sententiâ felicissimè et evidentissimè peccati originalis propagationem exposuissent.

Secundum. « Cur D. Augustinus reatum concupiscentiæ, et quidem ut adulterio, in præsenti statu semper illigaverit in non baptizatis, nunquàm verò mortalitati, vel corruptibilitati, cùm inprimis in communi systemate hæ miseriæ non minùs conjunctæ fuerint cum privatione justitiæ originalis, quàm concupiscentia? » Nonnulli eruditi viri, quos super hâc quæstione consuluimus, autumaverunt Augustinum concupiscentiæ nomine his in locis designâsse totam naturæ corruptionem, et ideò non solam concupiscentiam prout distinguitur à mortalitate et corruptibilitate. Verùm, pace ipsorum dixerim, hæc solutio vera non videtur; enimverò, si Augustinus concupiscentiæ nomine æquè indicâsset cæteras miserias ac concupiscentiam, reatus his miseriis non minùs annexus fuisset quàm concupiscentiæ, et ideò Christus ipse, qui fuit obnoxius non concupiscentiæ, sed pluribus ex illis miseriis (per omnia enim nobis similis factus est absque peccato), habuisset *reatum*, quod dictu nefas. Videtur igitur per concupiscentiam depinxisse concupiscentiam qualis est in nostro statu, id est, ut diximus, quoad gradum similem illi quam experimur, quæ est vera naturæ depravatio, cum quâ ideò creari non potest homo, sive quæ est, ut antea dicebat Estius, *occulta quædam ad peccatum dispositio, facitque ut anima unita corpori, hâc dispositione affecto, mox in eo habitualiter quodammodò peccet;* hâc enim in sententiâ concipitur quomodò reatus concupiscentiæ sicut adulterio per se etiam non formaliter sed dispositivè et præparatoriè annectitur.

CAPUT QUARTUM.

De peccati originalis subjecto.

Duo hìc in controversiam veniunt, primum, an B. Virgo Maria sine peccato originali sit concepta; alterum, an filii Christianorum peccatum originale contrahant.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum B. Virgo in suo conceptu à peccato originali fuerit immunis?

Figitur quæstionis sensus et status. — 1° Duplex quasi conceptio, prima, et secunda; prior est formatio corporis in utero matris ex semine humano; posterior infusio animæ corpori sufficienter disposito sive formato. De istâ duntaxat conceptione quæstio movetur; constat enim, B. Virginis carnem, ut aiunt Patres, fuisse *carnem peccati*, et aliundè verum peccatum non posse residere in carne. 2° Non quæritur an B. Maria in nativitate, et ante nativitatem fuerit sancta; cùm enim hâc prærogativâ insignitus sit Joannes Baptista, et, ut non paucis placet, Jeremias Propheta, haud dubium quin eadem prærogativa Mariæ, *propter honorem Domini*, ut loquitur Augustinus, fuerit concessa. 3° Non quæritur, an B. Virgo in primo animationis instanti ab avitâ maculâ eximi potuerit. Deus enim miseretur cujus vult misereri. Hinc, si Deus solam Mariam illius noxæ puram esse voluerit, ejus circa peccati originalis traductionem ordinatio, antea delineata, fuit absoluta relativè ad cæteros Adæ nepotes, non relativè ad Mariam. 4° Ex dictis peccatum originale est mortiferum peccatum habituale, hominem Deo

invisum efficiens, et dæmonis servum reddens. Hinc, cùm præsens quæstio attingat primum instans, quo anima B. Virginis corpori in utero B. Annæ infusa est, præcisè quæritur, utrum eo momento B. Virgo fuerit exosa Deo, æternæ damnationis rea, et ideo dæmonis imperio mancipata.

Opiniones. — Prima Mariam peccato originali commemorato instanti reipsà coinquinatam fuisse docet. Hanc sententiam exosculati sunt multi insignes Dominicani, qui D. Thomæ suffragio gloriantur. Eamdem propugnaverunt Protestantes, quibus patrocinari videtur Jansenius lib. 3 de Statu naturæ puræ cap. 9 et sequentibus; ibi nimirùm contendit mortem corporis, ejus corruptibilitatem, aliasque hujusmodi miserias, in quâcumque hypothesi à Deo rationali creaturæ sine culpâ præcedente non posse imponi; quod sanè principium alicui peccato subjicere videtur B. Virginem, quæ illis miseriis fuit obnoxia. Hoc tamen occurrit discriminis Thomistas inter et Protestantes, quòd illi sententiam de intemerato Virginis conceptu nullâ configant censurâ, licet illam Scripturæ et traditioni minùs consonam existiment; isti è converso eam *erroneam* vel *hæreticam* pronuntient. Hæreticis rursùs manum tendere videtur Yprensis eodem lib. 3 de Statu naturæ puræ, cap. 15, ubi probare aggreditur, « palpabilium malorum in quolibet statu absque præeunte delicto impositionem ducere ad diversas impietates, ad blasphemiam in Deum, ad Manichæismum, » etc.

Secunda vult intemeratum, aut temeratum B. Virginis conceptum nullo modo in Scripturâ et traditione consignari, et ideò ab Ecclesiâ catholicâ velut dogma ad fidem pertinens definiri non posse. Hæc fuit singularis opinio Melchioris Cani, eruditi ex nobilissimâ Dominicanorum familiâ theologi. « B. Virginem, inquit lib. 7 de Locis, cap. 3, à peccato originali fuisse penitùs liberam, è libris sacris juxta germanum litteræ sensum nusquàm habetur... nec per traditionem Apostolorum in Ecclesiam descendit.... opposita etiam assertio.... non est in numero dogmatum catholicorum (utpotè in verbo Dei scripto aut tradito non contenta). Neutram ergo ex illis opinationibus potuerunt tanquàm dogma catholicum approbare (Patres Tridentini). Ita is erravit qui asseruit erroneum esse aliquem præter Christum à lege originalis peccati liberare. Erravit ac multò etiam magis Basileense concilium, cùm definivit doctrinam illam, quæ docet... Mariam nunquàm originali subjacuisse peccato, tanquam consonam Scripturæ sacræ ac fidei catholicæ amplectendam fore (nullique de cætero licitum) esse contrarium docere. In pari quippe errore versantur, qui alterutram partem ad catholicam fidem attinere posse credunt. »

Tertia B. Virginem originalis maculæ et *quoad actum et quoad debitum* omnino expertem fuisse asserit. Hujus opinionis defensores, qui pauci sunt, duas in classes dividuntur. Alii Mariam eximunt *à debito* duntaxat *proximo* peccatum originale contrahendi, et ideò opinantur eam non fuisse comprehensam in pacto quod Deus cum Adamo inivit. Ita inter alios Gorgius de Rhodes, tom. 2, disputatione unicâ, de Deiparâ Virgine Mariâ, n. 4, sec. 2; auctor et dicendi perspicuitate, et objectionum, ex ratione præsertim depromptarum, solutione commendabilis.... Alii Mariam *debito* etiam *remoto* primigeniam labem contrahendi caruisse censent, quia nimirùm non extitisset, si Adam non peccavisset, et ideò in pacto cum Adamo inito comprehendi non debuit, quamvis apta fuerit ut in illo pacto includeretur, sicque sufficienter à Christo fuerit redempta. Ita P. Salazar, è Societate Jesu, in opere de conceptione.

Quarta docet B. Virginem peccatum originale *de facto* non contraxisse, sed habuisse *debitum* illius contrahendi, sive, quod idem sonat, Mariam peccatum originale *quoad debitum* contraxisse, non *quoad actum*. Hæc sententia pluribus probatur. Solent theologi, ut tam celebrem quæstionem cum ordine et perspicuitate tractent seorsim expendere 1°, an Virgo Deipara in primo conceptûs instanti ab originali labe fuerit immunis.... 2° An illam noxam contrahendi *debitum* habuerit.

Verùm quæ in primi articuli discussione dicturi sumus non exigunt ut secundum speciatim proponamus. Quare sit

Paragraphus unicus. *Utrum B. Virgo absque originali maculâ concepta fuerit?*

Conclusio. — B. Virgo peccati originalis contagio nunquàm fuit inquinata, et ideò nunquàm fuit Dei inimica, nunquàm dæmonis potestati subdita.

Non est de fide; sed pia est, Scripturæ et traditioni minimè contraria, imò si communis fidelium sensus, et eorum qui ab Ecclesiâ hâc super re præscripta sunt, ratio habeatur (ut indubiè haberi debet) plus quàm probabilis esse videtur.

D. Thomas, 3 parte, q. 27, a. 1, in c., dicit, *de sanctificatione B. Mariæ in utero nihil in Scripturâ canonicâ tradi*, scilicet juxta germanum litteræ, ex quo solo (nisi constet spiritualem sensum à Spiritu sancto specialiter intentum fuisse) firmum et efficax eruitur argumentum. Hinc B. Virginem, in nativitate, et ante nativitatem, immaculatam fuisse, probat S. doctor traditione, Ecclesiæ auctoritate, et congruentiæ rationibus, id est, ex iis quæ sive in scripto, sive in tradito Dei verbo de B. Mariâ traduntur, decerptis. Tam eximii ducis vestigiis insistentes eumdem disserendi modum, quem, si hodie viveret, in hujus assertionis probatione usurparet, adhibebimus.

Momentum primum. — *Ex Patribus.* — Priusquàm illud expono argumentum, observa illud magni roboris futurum iri, etiamsi non pauci veteres B. Mariam ab originali peccato in primo conceptûs momento immunem fuisse negaverint, aut negari visi fuerint, modò plurimi hanc in B. Virgine prærogativam agnoverint; nemo enim negaverit Verbi divini cum Patre consubstantialitatem ex Patrum traditione constare, licet nonnulli Antenicæni doctores aut eam impugnaverint, aut saltem impugnâsse videantur... Dogma de æternâ beatitate justis, quibus nihil luendum superest, illicò à morte repetendâ, ex iisdem Patribus satis comprobari, etsi plures ex veteribus illud non docuerint, aut saltem non docuisse videantur... Matrimonii rati, et non consummati, vinculum per solemnem in religione approbatâ professionem, invito etiam altero conjuge, dissolvi, ut definivit conc. Tridentinum, quamvis illud ex Scripturâ et traditione vix ac ne vix quidem probari possit, etc.

His præmissis, Patres purissimo Virginis conceptui faventes duas in classes divido.

Prima classis. — Patres mox adducendi non expressè quidem, sed tamen non obscurè Virginis conceptum absque maculâ extitisse tradiderunt.

Divus Andreas Apostolus. Etenim presbyteri Achaiæ in opere de ejus passione, quod genuinum esse probant Baronius ad annum Christi 69, et P. Alexander in historiâ primi seculi, referunt eum dixisse: *Sicut de terrâ immaculatâ factus fuerat homo primus, ita necesse erat ut de immaculatâ Virgine Christus nasceretur.* Sanè comparatio, quam inducit Apostolus, ostendit ipsum sensisse Christum nasci debuisse de Virgine omnis maledictionis, et ideò omnis peccati experte, sive de Virgine Adami instar factâ de terrâ immaculatâ, seu non maledictâ, id est, veri peccati contagio non infectâ.

D. Hieronymus in Psalmum 77, aut potiùs auctor commentariorum in Psalmos (eruditi enim inter quos Desiderius Erasmus in editione operum Hieronymi anni 1546, et P. Alexander in historiâ quarti seculi, etc., contendunt hos Commentarios non esse Hieronymi, sed auctoris qui vivebat versùs annum 479, licet Bellarminus aliter sensisse videatur), auctor, inquam, Commentarii in Psalmum 77 exponens versum, *deduxit eos in nube diei*, illum Mariæ accommodat; *pulchrè*, inquit, *dixit diei, quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Sanè vox, *semper*, ipsum evidenter explodit peccatum originale, quod densas Mariæ animæ in primo conceptu offudisset tenebras. Equidem iste auctor, quem Bellarminus lib. 4 de Amissione gratiæ et Statu peccati, cap. 15, immeritò dicit esse Hieronymum, prædictum versiculnm malè fortassis Mariæ inserit, sed nihilominùs inde elucet antiquissimo illi scriptori persuasum fuisse B. Virginem avitæ maculæ caligine in ortûs sui principio non fuisse offuscatam, quod unicè intendimus.

D. Ambrosius sermone 22 in Psalmum 118 Christum inducit dicentem: « Suscipe me non ex Sarâ, sed ex Mariâ, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati. » Verba, *incorrupta, ab omni integra labe peccati,* corruptionem quolibet peccato invectam excludunt: evidentiùs adhuc eam exsufflant voces, *non ex Sarâ, sed ex Mariâ*; Salvatori scilicet non magis honorificum fuisset ex Mariâ originem ducere quàm ex Sarâ, si Maria in Adamo ut Sara cecidisset.

D. Augustinus libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 36, n. 22, hæc habet: « Exceptâ itaque S. Virgine Mariâ, de quâ propter honorem Domini, nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, haberi volo quæstionem; inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere et parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. » Hoc in testimonio singulæ voces clamare videntur S. doctorem non minùs disserere de originali quàm de actuali peccato. Immunitas enim B. Matris ab originali peccato, utpote necessariò mortali, magis honorifica fuit Domino, quàm immunitas à peccato actuali, quod veniale esse potuit. Verùm, esto, Augustinus disputet de solo actuali peccato, eo ipso

amovet à B. Virgine peccatum originale. Constanter enim docet, peccata actualia ab originali tanquàm à radice oriri.

Præterea legimus lib. 4 Operis Imperfecti cap. 122, Julianum exprobràsse Augustino, quòd pejor esset Joviniano, *qui Virginitatem Mariæ partùs conditione dissolvit, cùm Augustinus ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcriberet.* Quid ad hæc S. doctor? Mariam à communi conditione non fuisse immunem? Minimè. Quid ergo? *Mariam à Catholicis diabolo non transcribi conditione nascendi, quia ipsa conditio solvitur gratià renascendi,* id est, quia Deus impedivit quominùs in originis peccatum incideret. *Gratia* quippe *renascendi,* ibi non sumitur pro externo signo fidei in Messiam venturum, et ideò pro contracti peccati originalis remissione, sed pro contrahendæ avitæ maculæ, nisi misericors subveniret Deus, condonatione; in stylo scilicet Augustini, præservatio à peccato est peccati dimissio, ut patet ex lib. 2 Confessionum cap. 7, n. 15, ubi ait : *Omnia mihi dimissa esse fateor, et quæ meâ sponte feci mala, et quæ te duce non feci.*

Infinitus sim si enumerarem eos omnes qui vocant B. Virginem *immaculatam, incontaminatam, intemeratam, nunquàm maledictam, totam pulchram, totam sine maculâ, ab omni contagione liberam, ab omni labe peccati integram et alienissimam,* etc. — *Ingressus est,* inquit Sophronius, patriarcha Hierosolymitanus in epistolâ ad Sergium Constantinopolitanum præsulem, quæ, Baronio teste ad annum 681, n. 15, lecta fuit in sextâ synodo generali actione 11, *uterum Mariæ sanctæ, et ab omni contagione liberatæ et corporis et animæ.*

Hæc et similia effata, quæ in veterum Patrum operibus passim occurrunt, eò collimant ut Christum inter et ejus Matrem quædam inducatur sanctitatis similitudo et quasi consonantia, quæ tota profectò evanesceret si Maria vel uno instanti tartareis compedibus fuisset constricta.

Secunda classis. — Patres mox laudandi clariùs, sive minùs obscurè, purissimum Virginis conceptum prædicaverunt.

S. Ildephonsus episcopus Toletanus, mortuus anno 667, sermone de Assumptione B. Virginis, apud Petavium lib. 14 de Incarnatione cap. 2, n. 5 (auctorem hàc in parte minimè suspectum), ait : *Caro Virginis ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit.* Certè Adæ maculæ sunt et peccata actualia, et præsertim peccatum originale, quibus S. Præsul Mariam obnoxiam non fuisse asserere non dubitat. Hinc falli videtur Petavius dùm loco citato conjicit Ildephonsum *non loqui de originali maculâ, sed de vitiis quæ Adæ posteros inficiunt.* B. Virginis apparitione honoratus fuerat, ut ostendunt Baronius ad annum 652, et P. Alexander in historiâ septimi seculi.

D. Joannes Damascenus, qui floruit initio seculi octavi, oratione primâ de nativitate B. Mariæ exclamat : « Natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est : verùm tantisper expectavit, donec gratia fructum suum produxisset... O beatos Joachim lumbos, ex quibus prorsùs immaculatum semen fluxit! O præclaram Annæ vulvam, in quâ tacitis incrementis ex eâ auctus atque formatus fuit fœtus sanctissimus! O beatum ventrem, qui vivum cœlum cœlis ipsis latius peperit! » Amputatæ dextræ per calumniam Leonis Isaurici restitutionem ferventibus orationibus à B. Virgine obtinuit, si Baronio fides ad annum 728, et P. Alexandro in historiâ seculi octavi. Porrò singula ferè vocabula peccatum originale à B. Virgine arcent. Si quippe corrupta Adæ natura gratiæ fœtum antevertere non est ausa, anima Mariæ per eam nullo instanti fuit infecta; si ex Joachim lumbis prorsùs intemeratum semen effluxit, *concupiscentia peccati vinculum in Mariam projicere non potuit*, ut Jansenii verbis utar, etc.

Paschasius Ratbertus, abbas Corbeiensis anno 844, quem inter recentiores impensè extollit doctissimus Pater Mabillonius, in elogio ejus historico, in libello de Partu B. Mariæ Virginis, dicit : « Eximiæ pietatis est beatissimæ Virginis pudicitiam prædicare incorruptam et incontaminatam, et ab omni contagione primæ originis confiteri alienam. »

Antiquus auctor, cognomento Idiota, qui juxta Bellarminum lib. 4 de Amissione gratiæ et Statu peccati, cap. 15, vixit post annum 800, in contemplatione B. Virginis cap. 2, exclamat : *Tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, et macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in te.* Idem tradit cap. 6.

S. Petrus Damianus, vel Damiani, innumeris laudibus à summis pontificibus cumulatus, qui obiit anno 1072, sermone de natali S. Joannis Baptistæ, docet B. Virginem perfectiore modo à peccato originali mundatam fuisse, quàm Joannem et Jeremiam; qui modus repetendus videtur à primo instanti conceptûs B. Virginis, cùm sequentibus momentis Joannes in utero matris sanctificatus fuerit. Hinc sanctissimi

viri mentem assecutus non est Petavius cùm loco commemorato adducens opusculum sextum, cap. 19, inter sexaginta, ubi dicit Petrus, *Carnem Virginis de peccato esse conceptam*, cùm, inquam, hunc afferens textum ait : *Manifestè Petrus hoc loco B. Virginem originali affectam vitio fatetur*. Verba quippe illa unicè ostendunt, quod omnes ferè intemerati conceptûs fatentur assertores, carnem Mariæ concupiscentiæ germine pollutam fuisse, et ideò animam ipsi unitam remoto cœlesti auxilio reipsà peccatum originale fuisse contracturam.

S. Bruno, Carthusianorum institutor, qui in cœlum evolavit anno millesimo et uno, versum 20 Psalmi 101 : *Dominus de cœlo in terram aspexit,* exponens hæc habet : « Dominus de cœlo in terram aspexit, dùm de regalibus sedibus in uterum Virginis venit. Hæc est incorrupta terra illa cui benedixit Dominus, ab omni propterea peccati contagione libera. » Ubi voces, *incorrupta, ab omni peccati contagione*, quodlibet propriè dictum peccatum et contagium excludunt.

D. Anselmus, archiepiscopus Cantuariensis, qui in libris, *cur Deus homo,* quos juxta P. Alexandrum in hist. undecimi seculi perfecit anno 1098, docuerat B. Virginem cum originali peccato fuisse conceptam (nempe lib. 11, cap. 16 et 17), hanc opinionem postea deposuisse videtur. Enimverò, libro de conceptu virginali, quem anno sequenti scripsit, cap. 18, ait : « Decebat ut Christi conceptio de Matre purissimâ fieret ; nempe decens erat, ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, » etc. Nemo autem non videt majorem, *etiam sub Deo,* concipi posse puritatem, si Maria vel unico momento peccati labe fuisset inspersa ; Angeli nimirùm sub Deo puritate refulgent, qui tamen nullâ unquàm noxâ fuerunt conspurcati.

Fulbertus Carnotensis, mortuus anno 1028, *sapientissimus et incomparabilis episcopus* dictus, in gravi morbo ob insignem pietatem sacris B. Virginis uberibus lactatus, si quæ refert P. Alexander in historiâ XI seculi vera sunt, sermone secundo de nativitate B. Mariæ hæc asserere non dubitavit : *In hujus conceptione haud dubium quin utrumque parentem vivificus et ardens spiritus singulari munere repleverit*. Hæc profectò significare videntur B. Virginem absque concupiscentiâ, ac proinde sine peccato originali conceptam fuisse.

S. Yvo, Carnotensis præsul, qui obiit anno 1115, inter sermones 24 hæc protulit sermone de natali Domini : « Quomodò Matrem carnis suæ sanctificaverit, audiamus, ut inde lætetur catholicus, et hæreticus confundatur ; omnem quippe nævum tam originalis, quàm actualis culpæ in eâ delevit, sicque carnem de ejus carne sumens in divinam munditiam transformavit. » Certè nulla foret Catholicis lætitiæ, et hæreticis confusionis causa, si Christus Mariam ut Joannem Baptistam et Jeremiam sanctificâsset.

Hildebertus, archiepiscopus Turonensis, anno 1125, quem D. Bernardus *Ecclesiæ columnam* appellavit, sermone de assumptione dicit : « Non de ardore libidinis concepit, nec peccato originali, sicut aliæ solent, deturpavit Filium, sed immaculata, et intacta, et immunis ab omni peccato Sanctum sanctorum edidit. »

Rupertus Tuitiensis abbas initio 12 seculi, quem P. Alexander refert B. Virginis, in quam piè affectus erat, intercessione Scripturæ sacræ intelligentiam obtinuisse, septem librorum in Cantica 5, cap. 5. B. Virginem sic loquentem inducit : *Nullus est qui non veraciter dicat, ecce in iniquitatibus, etc., præter me, et hunc unum et unicum, quem sine iniquitate concepi*. Maria igitur quasi Christi adinstar sine peccato fuit concepta.

Guerricus Cisterciensis, defunctus anno 1157, pietate et eruditione clarissimus, in piissimis et elegantissimis sermonibus, v. g. 13, qui est de verbis Domini ista consignavit : « Non est in filiis hominum, magnus, vel parvus, tantâ præditus sanctitate..... qui non fuerit in peccatis conceptus, præter Matrem immaculati peccatum non facientis. »

Arnoldus Bonnævallis abbas prope Carnutum in libro de cardinalibus Christi operibus ad summum pontificem Adrianum IV hæc scripsit : « Innoxiam affligi non decuit, non sustinebat justitia ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimùm à cæteris differens naturâ communicabat, non culpâ. »

Jacobus de Voragine, vir sanctimoniâ vitæ et doctrinâ conspicuus, Genuensis archipræsul, qui è vitâ excessit anno 1298, *in Mariali,* id est, libro *de laudibus Deiparæ Virginis,* sic explicat istud Canticorum, *tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te :* « Ipsa enim pulchra fuit, quia sine peccato originali ; » quæ haud dubiè primum etiam Mariæ conceptûs momentum tangunt.

Georgius de Rhodes disputatione unicâ de

Virgine Mariâ, q. 4, sectione 2, 13°, hæc habet: « Nemo mentem suam explicâsse videtur clariùs (circa immaculatum Mariæ conceptum) quàm S. Dominicus, in mirabili eo libro, cujus veritas et auctoritas ignes divinitùs superavit, ut testantur S. Antonius 3 p. tit. 19, c. 1, 11, Vincentius Bellovacensis in speculo historico lib. 29, c. 49, Pelbartus, Canisius, Coccius; sic autem loquitur: Sicut primus Adam fuit ex terrâ virgine, et nunquàm maledictâ formatus, ita decuit in secundo Adam fieri, id est, Christo; cujus Mater Virgo nunquàm fuit maledicta, quibus verbis apertiùs explicari non potuit pia sententia, ut meritò sanctum Patrem, ex eâ nobilissimâ familiâ (Dominicanorum) secuti sint doctissimi theologi supra quadraginta, quorum catalogum dabit præter cæteros Christophorus Vega palæstra 3, certam. 3. »

Notum, est Seraphicam scholam, id est, Fratres Minores, piæ huic sententiæ à longo tempore impensè addictos esse. Verbo dicam, piissima de purissimo Mariæ conceptu opinio à quadringentis annis principatum in scholis obtinet. Testis est Petrus de Alliaco apud P. Alexandrum in hist. 14 seculi ad annum 1387. Insignis ille vir ad Cameracensem episcopatum et cardinalitias infulas ob eximiam eruditionem: evectus sacræ Facultatis Parisiensis censuram ejusdem sacri Ordinis nomine defendens adversùs Joannem de Montesono Dominicanum, qui inter alias hanc protulerat assertionem: *non omnem hominem præter Christum contraxisse peccatum originale, est expressè contra fidem*, illam, inquam, censuram vindicans, dixit: « Multi sancti et doctores catholici, multi summi pontifices, et sanctæ romanæ Ecclesiæ cardinales, et alii majores prælati, et plures particulares Ecclesiæ, imò ferè universalis Ecclesia, aut ejus major et sanior pars, asserunt et publicè dogmatizant, B. Virginem sine peccato originali fuisse conceptam. » Hinc concilium Basileense sess. 36, anno 1439, declaravit doctrinam de intemerato Mariæ conceptu *tanquàm piam, et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi, et sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis, approbandam fore, tenendam, et amplectendam*. Hanc declarationem avidè amplexa est sacra Facultas Parisiensis; anno 1497, solemne edidit decretum, quo cavit ne ad ullos gradus scholasticos admitteretur, qui priùs non juraret se defensurum B. Virginem ab originali noxâ. Decretum exhibet P. Alexander in historiâ 14 seculi, ubi Joannis-Duns, id est, Scoti historiam texit.

Idem historicus dissertatione octavâ in 15 seculum, cap. 5, agnoscit, « pium et salubre esse de immaculatâ B. Virginis conceptione concilii Basileensis decretum, quod observari statuit concilium Avenionense anno 1457. licet synodi Basileensis judicio in dogma fidei non evaserit, et sacram Facultatem Parisiensem in hanc doctrinam meritò conspirâsse; » quod adversùs quosdam Dominicanos piæ huic sententiæ non addictos observandum est.

Intemerati B. Virginis conceptûs veritas tam altè Gallicanorum præsulum animis erat infixa, ut Spondanus Appamiarum in Galliâ Narbonensi episcopus, et Baronii continuator, hæc ad annum 1350, n. 24, super eâ proferre operæ pretium duxerit. « Nos sanè pro assertione immaculatissimæ conceptionis Deiparæ Virginis, ejusque propugnatione, parati essemus toties vitam profundere, quoties contingeret eam in dubium vocari. Idque toto animo scribimus, et profitemur, in ipsissimâ ejus festivitate anno 1632. »

Refert idem historicus ad annum 1387, n. 8, quemdam Dominicanum theologum publicè Rothomagi declaravisse se assertiones Joannis de Montesono adversùs intemeratam B. Virginis conceptionem esse evicturum, quod nisi præstaret, se velle vocari, *Huetum*, id est, *virum diabolicum*; quæ conditio cùm non sine risu à populo accepta fuisset, *nec ille potuisset satisfacere*, ipsum et Dominicanos, *ubivis res audita est*, nuncupari cœpisse *Huetos*, atque exinde Rothomagi natam fuisse solemnem prœmiorum distributionem in honorem Conceptionis B. Virginis (saltem ut nonnulli existimant). Eadem consuetudo quotannis ab antiquis temporibus in Neustriacâ Universitate viget et religiosè servatur; quæ retuli ut eximii erga Deiparam Virginem nostræ gentis sensus magis ac magis, si fieri posset, explorati fierent.

Objiciunt 1° Scripturæ auctoritatem. Quoties de primigenio delicto disserit, toties declarat, *omnes in Adam peccâsse, omnes in Adam esse mortuos*, quia *Christus pro omnibus mortuus est*, etc. Sed hæc evincunt B. Virginem paternâ labe fuisse infectam. Hoc argumentum velut Achillæum ostentare solent adversarii. — Resp. 1° istud argumentum retorsione plumbeum fieri et planè evanidum. Etenim sacri Codices passim renuntiant, *non esse hominem qui non peccet, in multis omnes offendere, Deum à nemine vivente unquàm visum fuisse, sed nec videri posse*, etc. Sed hæc evincunt B. Virginem peccato

actuali necessariò fuisse coinquinatam, et sententiam asserentem Deum à Moyse, aut Paulo, dùm viverent, visum fuisse, sacris Litteris repugnare. Quis istas ferat consecutiones? Meritò igitur Canus, doctissimus ex nobilissimâ Dominicanorum familiâ Theologus, lib. 7 de Locis, cap. 3, hunc in modum arguit : « Assertionem, quæ dicit B. Virginem peccatum originale contraxisse, non esse in numero dogmatum catholicorum, manifestissimè colligitur ex eo quòd à lege universali per singulare privilegium unam Dei Matrem excipere, sacrarum Litterarum fidei nullo pacto adversum est; alioqui cùm sacræ Litteræ in universum clament : *Non videbit me homo, et vivet, Deum nemo vidit unquàm,* qui Paulum aut Moysen excepisset, sacras Litteras contrapugnâsset. » — Resp. 2°, nego minorem. Nam 1°, ex generalibus Scripturæ, aut Patrum, de peccato originali ab omnibus contracto effatis nihil ampliùs colligi potest, quàm ex generalibus ejusdem Scripturæ, vel Patrum locutionibus de peccato actuali, cui *omnes* obnoxii sunt... 2°, Conc. Trid. sessione 5, declarando *suæ intentionis non esse* D. Virginem comprehendere in generali suo de peccato originali decreto, consequenter declaravit non esse suæ intentionis eam comprehendere in generalibus sive Scripturæ, sive Patrum de peccato originali oraculis... 3° Divina ordinatio circa peccati originalis transmissionem Deo non abstulit facultatem quos voluisset ab illâ lege eximendi. Unde generales illæ locutiones semper intelligendæ sunt hypotheticè, id est, ex hypothesi quòd Deus per singulare privilegium aliquem non exemerit à peccato originali. Porrò voluit Deus *propter honorem Domini,* ut lex, quæ erat pro omnibus, non esset pro Mariâ, ad eum ferè modum quo lex Assueri erat pro omnibus, non pro Esther... 4° Generales illæ locutiones rectè intelliguntur de B. Virgine, quamvis cùm existere cœpit, justificationis gratiâ fuerit exornata ; exprimunt enim omnes, qui fuerunt in lumbis Adæ, in eo peccâsse, et peccatum, secluso speciali privilegio reipsà in primo existentiæ suæ instanti contrahere debuisse, quo sensu, ut posteà dicemus, B. Virgo in Adam peccavit, et mortua est.

Instant, et cœlesti oraculo, *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus,* innixi arguunt : Ii omnes pro quibus reverà mortuus est Christus, reverà mortui sunt in Adamo : sed Christus reapsè mortuus est pro Mariâ ; ergo Maria reapsè mortua est in Adamo; si autem reapsè mortua est in Adamo, reapsè contraxit peccatum originale; ergo. — Resp. Mariam, utpote ex Adam generatione naturali cum concupiscentiæ fervore prognatam, Adamo actu peccante cum ipso et in ipso actu peccâsse, et hoc sensu in Adam reipsà mortuam esse ; unde cùm Mariæ anima creata est, et carni ex Adam tractæ unita, debuisset peccatum habituale Adæ contrahere, et illud reverà contraxisset, nisi Deus meritorum Christi intuitu actualem illam corruptionem impedivisset; tota igitur Mariæ sanctitas et gloria ex Christo ejus Redemptore oritur ; quòd enim in primo conceptûs instanti, peccato, ut ipsius exigebat natura et conditio, non sit infecta, unici effecerunt Christi merita. Quare Christus per gratiam suam realem Mariæ depravationem arcendo non minùs ejus Salvator fuit quàm si Mariam per eamdem gratiam ex reali corruptione extraxisset, ad eum ferè modum quo vir, qui centum nummos præstaret, ut alicujus criminis rei realis amoveretur condemnatio, æquè foret ejus redemptor ac si ipsum per centum nummorum donationem à realis condemnationis effectu liberâsset. Unde Augustinus, ut antea ostendimus, agnovit *sibi dimissa esse* à Deo et quæ reverà commiserat, et quæ cœlestis gratiæ protectione non commiserat peccata.

At, iterùm arguunt, si commemorata oracula intelligenda sunt de iis, qui *actu* aut debito mortui sunt in Adam, plures alii pari distinctione à peccati originalis reatu liberari poterunt, sicque tandem hujus delicti existentia è medio tolli ; absurdum consequens ; ergo. — Resp. commemoratam distinctionem iis duntaxat convenire posse, in quos Scriptura, aut traditio, Ecclesiæ catholicæ judicio eam cadere asserit; talis autem est sola Deipara Virgo. Quod enim quidam dixerunt, B. Joseph, et nonnullos alios eximiæ sanctitatis homines, maculæ originalis puros et expertes fuisse, omni destitutum est fundamento. Hinc Sylvius in 1-2, q. 81, a. 2, conclusione quartâ hæc meritò statuit : « Temerarium est, quin de hæresi suspectum, aliquem ex Adam seminaliter descendentem, præter Deiparam, à peccato originali eximere, etiamsi hoc ex speciali privilegio factum diceretur, quia esset facere exceptionem à regulâ absque fundamento, et contra omnium orthodoxorum sententiam. »

Obtendunt tandem, Apostolum ad Ephesios 2 docere omnes, qui naturam ex Adamo trahunt, esse *filios iræ;* sed Maria est filia Adæ ; ergo, etc. — Resp. Mariam vi naturalis suæ ex

Adam generationis cum libidine *dispositivè*, ut aiunt, et *inchoativè*, sive, ut antea loquebatur Estius, *quodammodò habitualiter*, fuisse *filiam iræ*, seu peccàsse, licet interveniente, *propter honorem Domini*, Dei auxilio cùm primùm existere incœpit ejus anima, non fuerit *formaliter* et *consummativè filia iræ*, sive peccatrix. Porrò evidens est D. Paulum loco objecto disserere de se et *cæteris*, quibus speciale privilegium, ut Mariæ, non est concessum.

Objiciunt 2° auctoritatem veterum Patrum, quos plures in classes dividunt.

Prima classis ex iis coalescit qui asserunt omnes homines vulgari utriusque parentis propagatos satu peccatum originale contraxisse, et ideò solum Christum ab eo fuisse immunem. Ita D. Augustinus pluribus in locis, et alii non pauci, quorum testimonia exhibet Petavius lib. 14 de Incarnatione cap. 2. — Resp. simili argumento adversarios, si libuerit, probare posse quamcumque immortalitatem, immunitatem à peccato, bonitatem, sanctitatem, soli Deo convenire posse; Scriptura enim et Patrum opera affluunt testimoniis, quæ asserunt ea solius Dei esse propria. Quid ergo intenderunt Patres? Hoc unum, omnes homines vi generationis suæ in concupiscentiâ et naturâ suâ contrahere debuisse peccatum originale, quod soli Christo, qui Deus est, et *de Spiritui sancto* conceptus fuit, convenire non potuit; unde illa oracula præsentem quæstionem non tangunt, cùm B. Virgo non ex se aut per se à peccato originali fuerit exempta. Etverò, qui vel tantisper attenderit ad commemorata testimonia, is illicò agnoscet hunc esse germanum eorum sensum.

Secunda classis ex iis compingitur, quibus visum fuit *B. Mariæ carnem fuisse carnem peccati, carnem Mariæ in iniquitatibus fuisse conceptam, carnem Mariæ habuisse in se peccatum, carnem Mariæ vitiatæ originis contagium contraxisse*, etc. Ita apud Petavium citato lib. 14 de Incarnatione, cap. 2, numeris 3 et sequentibus plures ex illis, quos in sententiæ nostræ patrocinium protulimus, D. Augustinus, lib. 10 de Genesi ad litteram, cap. 18 et 20, S. Fulgentius, lib. de Incarnatione cap. 6, Ferrandus diaconus, Fulgentii discipulus, S. Ildephonsus Toletanus, lib. de perpetuâ virginitate B. Mariæ, Petrus Damiani opusculo 6, cap. 19, Rupertus, lib. 1 Commentariorum in Cantica sub initium, Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, etc. — Resp. ea testimonia, ut illa consideranti illicò apparet, unicè evincere B. Mariæ, quæ naturali modo ex Adam per concupiscentiam genita fuit, carnem ex corrupto Adæ semine oriri, et ideò esse carnem peccati; at id concedunt omnes ferè intemerati conceptûs defensores, et quidem sine ullo prorsùs suæ sententiæ detrimento; hæc enim non probant B. Virginis animam eo instanti, quo carnem primùm informare cœpit, in peccatum fuisse immersam, sed solùm, nisi impedivisset Deus, immergi debuisse. Porrò fomes, sive concupiscentia, carnem inficiens hîc vocatur *peccatum* non propriè sed impropriè dictum. Asserunt autem commemorati doctores Mariam ab omni maculâ, et contagione peccati originalis per Spiritum sanctum mundatam fuisse, quia ille fomes qui carni Mariæ inerat per gratiam omnimodè extinctus est, sive in ejus conceptione, seu animatione, ut placet multis recentioribus, sive in momento annuntiationis, cùm eam affatus est Gabriel, et Filium Dei concepit, ut opinantur SS. Thomas et Bonaventura, et multis antiquis visum est.

Objiciunt 3° auctoritatem D. Bernardi, qui Ecclesiam Gallicanam illustrare desiit anno 1153, ut Beatorum numerum in cœlo augeret, et eximio in B. Virginem affectu et pietate fuit conspicuus. Variis in operibus conceptum B. Virginis minimè culpæ originalis expertem fuisse non solùm asseveravit, sed etiam festum ejus diem celebrantes canonicos Lugdunenses severè increpavit epistolâ 174. Ita Petavius lib. 14 de Incarnatione cap. 2, n. 7, qui et hîc citat sermonem 78 in Cantica, et cap. 1, n. 13, sermonem secundum de assumptione, ubi mellifluus doctor disertè asserit B. Virginem peccatum originale contraxisse, à quo ante nativitatem mundata fuit, et solum Christum huic noxæ non fuisse obnoxium; ergo. — Resp. 1°, verum esse D. Bernardum citatâ epist. 174 increpâsse canonicos Lugdunenses, quòd solemne Conceptionis festum instituissent anno 1136. Verùm hujusmodi objurgationem non emisit ob ipsam præcisè intemerati Mariæ conceptûs assertionem, sed ob illius festi institutionem inconsultâ Sede apostolicâ, *ad cujus incudem*, inquit Baronius hoc factum expendens ad annum 1136, *quæque à quolibet verè catholico probanda sunt, antequàm recipiantur in usum*. Quare lubenter existimarem cum erudito Annalium parente, et P. Alexandro in historiâ duodecimi seculi, ubi disserit de S. Bernardo, S. doctorem inter utramque opinionem hâc in epistolâ incertum et suspensum vacillâsse nihil de alterutrâ judicando, et ideò summo ardore Ecclesiæ romanæ cæterarum omnium matris et magistræ hâc

super quæstione decretum, sive sanctionem, expectavisse. Quam quidem responsionem eò avidiùs amplecterer, quòd S. doctor suam epistolam his claudat verbis quæ illam suggerunt: « Quæ autem dixi absque præjudicio sanè dicta sint saniùs sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc sicut et cætera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo; ipsius, si quid aliter sapit, paratus judicio emendare. » — Resp. 2° fortè D. Bernardum in hâc epistolâ et aliis operibus objectis, loqui intendisse de primâ Virginis conceptione, qualem supra delineavimus, quæ *in iniquitate facta est,* aut de liberatione ipsius post animationem, à peccato impropriè dicto, id est, à concupiscentiâ, quæ post animæ infusionem in eâ aut ligata fuit, aut extincta, ut diximus. Sanè argumenta, quibus Lugdunenses canonicos premit, has expositiones suadere videntur; eò enim summatim rediguntur: *Non potuit sancta esse antequàm nasceretur... Inter maritales amplexus sanctitas et Spiritus sanctus se non immiscuit... Non est concepta de Spiritu sancto,* etc. — Cæterùm, cum S. doctor canonicorum Lugdunensium temeritate vehementer offensus sancto *zelo* ardentiùs commoveretur, nimis urgendæ non sunt quædam ipsius super hoc propositiones, sed benignum in sensum interpretandæ.

Objiciunt 4°: D. Thomas 3 p., q. 27, n. 2, in c., docet *B. Mariam nonnisi post animationem sanctificatam fuisse,* et, responsione ad 2, adversam opininionem *derogare dignitati Christi, secundùm quam est universalis omnium Salvator,* etc. Eadem docuit D. Bonaventura in 3 Sententiarum. Præiverant Hugo Victorinus Sentent. tractatu 1, c. 16, et Petrus Lombardus, lib. 3 Sent. distinct. 3, 11, etc., ubi dicunt, Mariam angelicæ Salutationis tempore *per Spiritum sanctum à peccato prorsùs purgatam fuisse, et à fomite etiam peccati* liberatam, quæ etiam tradunt DD. Thomas 3 p., q. 27, a. 33, et Bonaventura in 3 Sent. dist. 3; ergo. — Resp. certum videri D. Thomam, cùm scriberet in lib. 1 Sent. dist. 44, q. 1, a. 3, ad 3, et etiam Commentariis, in Epistolas D. Pauli, et opusculo 4 in Salutationem angelicam; docuisse, *B. Virginem immunem fuisse à peccato originali et actuali.* Etenim, referente Patre Alexandro dissertatione 6 in 14 seculum, articulo 12, doctissimi Scotistæ omni argumentorum genere adversùs Thomistas pro intemerato Virginis conceptu decertantes commemoratos D. Thomæ textus ipsis constanter objecerunt. Quid eruditi Dominicani adversæ opinioni addictissimi? D. Thomam illis in operibus hanc doctrinam non consignâsse? Minimè; quid ergo? S. doctorem tertiam partem adornando hanc deposuisse opinionem; hoc autem factum in dubium vocari posse probare videntur nonnulla in ipsâ tertiâ parte adspersa, ex quibus ratiocinando colligi potest ipsum aut sententiam non mutâsse, aut saltem mutare non debuisse. Etenim 3 p., q. 27, a. 1, in c., ait: « Rationabiliter creditur, quòd illa quæ genuit Unigenitum à Patre, plenum gratiæ et veritatis, præ omnibus aliis majora gratiæ beneficia acceperit; unde Angelus (Lucæ 1) ei dixit: *Ave, gratiâ plena.* » Majus igitur privilegium à Deo accepit Maria, quàm Joannes Baptista et Jeremias, quos tamen in utero sanctificatos fuisse ibidem asserit S. doctor.

Item 3 p., q. 27, a. 2, B. Virginem post animationem fuisse sanctificatam hâc ratione ostendit, quòd à Christo redimi non potuerit nisi maculam originalem reipsà contraxerit; at istam rationem exsufflaverat et priusquàm tertiam partem concinnaret, nimirùm 2-2, q. 106, a. 2, in c., ubi docet, innocentem, cui Deus gratias infudit (ad non peccandum), gratias Deo rependere teneri..... et postquàm eamdem partem emisit, scilicet in supplemento 3 partis q. 78, vel 80, a. 1 ad 3, ubi tradit, aliquem duplici modo per Christum à malo liberari, cùm nempe in illud malum reverà immersus est, aut illius debitum incurrit. Cùm igitur B. Virgo debitum habuerit peccatum originale contrahendi, potuit à Christo redimi, etsi illâ maculâ reipsà non fuerit conspersa. Etverò, quomodò D. Thomas, qui ante citatum caput septimum libri 2 Confessionum D. Augustini apprimè noverat, hujus doctrinæ vindex non fuisset?

Item 3 p., q. 27, a. 2, in c., colligit Mariam post animationem fuisse sanctificatam ex eo quòd ante animationem sanctificari non potuerit; at istud ratiocinium tanto doctore dignum non videtur; datur enim medium inter instans animationem præcedens, et instans animationem subsequens, ipsum scilicet animationis momentum.

His et aliis causis adducti conjiciunt nonnulli eruditi adulterâ manu corruptam fuisse tertiam partem D. Thomæ, et supplementi locum ubi dicit, neminem præter Christum originalis noxæ expertem esse potuisse, si tamen supplementi auctor est S. Doctor. Conjecturæ quamdam inspergunt probabilitatem, quædam vetera

Summæ exemplaria, in quibus (ut ferunt) non inveniuntur quæ adversùs intemeratum B. Virginis conceptum militant; imò legitur ipsam in sui animatione fuisse sanctificatam. Unum, inquiunt, extat in Cœnobio Carmelitarum discalceatorum ad muros Hispalenses, alterum Massiliæ apud FF. Dominicanos, tertium in bibliothecâ Capucinorum Aurelianensium. — Resp. 2°, quidquid sit de doctrinâ in tertiâ parte Summæ D. Thomæ contentâ, illam nullum prorsùs piæ de purissimo B. Virginis conceptu opinioni præjudicium inferre posse, etiamsi illi adversaretur. Etenim S. doctor Viaticum recipiendo hæc catholico viro digna verba protulit: « Ego de sanctissimo Corpore D. N. J. C. et aliis Sacramentis multa docui, multa scripsi in fide J. C. et sanctæ romanæ Ecclesiæ, cujus correctioni cuncta subjicio, cuncta suppono. » Aliunde S. Thomæ doctrina non est usquequàque probanda, quia in eâ multæ contrarietates et repugnantiæ continentur, ut plurimis exemplis demonstrare curavit Petrus de Alliaco, insignis Parisiensis academiæ theologus in erudito suo Tractatu adversùs 14 propositiones Joannis de Montesono Dominicani à sacro Ordine Parisiensi proscriptas anno 1387, qui extat ad calcem Magistri Sententiarum; quin P. Alexander, dissertatione 6 in 13 seculum articulo 16, hunc Tractatum non sine encomio refert.

Quod attinet ad S. Bonaventuram, ejus super istâ quæstione sententia non est pluris facienda quàm D. Thomæ opinio. Pater Frassen, doctissimus è familiâ Franciscanorum theologus, qui circa hujus seculi initium è vivis excessit, contendit et probare aggreditur festum Conceptionis B. Virginis in Ordinem D. Francisci introductum fuisse jussu capituli generalis, cui præerat D. Bonaventura. Unde inferri potest S. doctorem circa vitæ finem à veteri opinione fortè recessisse.

Aliorum scholasticorum, qui nobis contradicunt, dicta morari non debent; quid enim duce suo principe (ut putabant) D. Thomâ non dixissent? Quibus nituntur rationibus? Unicâ, quâ innixus dicitur S. Thomas, et nullius, ut ostendimus, est ponderis. Demùm opinionem, quæ uno tempore probabili est, altero non probabilem esse posse, re diligentiùs excussâ, et accedente Ecclesiæ catholicæ suffragio, abundè demonstrat infelix controversia de Probabilismo.

Momentum secundum. — *Ex Ecclesiæ catholicæ auctoritate.* — D. Thomas, 3 p., q. 27, a. 1, in argumento, *sed contra*, B. Virginis nativitatem sanctam fuisse sic probat: « Ecclesia celebrat nativitatem B. Virginis; non celebratur festum in Ecclesiâ nisi pro aliquo sancto. Ergo B. Virgo in ipsâ suâ nativitate fuit sancta. »

Simili prorsùs argumento purissimam fuisse B. Virginis conceptionem probamus: Ecclesia celebrat B. Virginis conceptum, id est, ipsum instans, quo anima Mariæ creata et corpori infusa speciali Dei gratiâ ab originali labe fuit præservata; ergo conceptio Mariæ sic intellecta fuit sancta.

Prob. ant. Sixtus IV, ad avertendam pestem Romæ grassantem, et propagandum B. Virginis cultum, anno 1476 edidit Constitutionem, quâ omnibus immaculatam Mariæ Conceptionem devotè celebrantibus, et missæ atque ejus officio assistentibus eas impertiit indulgentias, quas Urbanus IV concesserat anno 1262 in Corporis Christi solemnitate. Cùm autem nonnulli suis in concionibus et scriptis hæreseos notam, non obstante illâ Constitutione, ei sententiæ inurerent, ac officium intemerati Conceptûs celebrantes graviter peccare assererent, idem S. pontifex, septimo post anno, id est, anno 1483, aliam emisit Constitutionem, quâ illos declamatores damnavit, et in hâc sententiâ pertinaciter perseverantes excommunicatione percussit, ut et illos qui adversam sententiam, quamdiù quæstio à Sede apostolicâ non fuisset definita, peccati pariter mortalis aut hæresis accusarent. Has Constitutiones approbavit concilium Tridentinum sessione 5, ubi declarat, « suæ intentionis non esse comprehendere in decreto de peccato originali beatam et immaculatam Dei genitricem Mariam, sed observandas esse Constitutiones Sixti papæ quarti sub pœnis in eis contentis, quas innovat. » Porrò conceptio his in Constitutionibus evidenter accipitur pro instanti, quo anima Mariæ fuit creata et corpori unita; quæstio scilicet de alio instanti nunquàm fuit proposita, et commemorati auctores, ut et omnes theologi catholici, fatebantur Mariam ante nativitatem fuisse sanctificatam.

Sixti IV Constitutiones à concilio Trid. confirmatas renovavit S. Pius V ex Ordine Dominicanorum, anno 1570, et Paulus V anno 1616. Primus tamen non vetuit ne, secluso scandali loco, hæc agitaretur controversia. Alter verò prohibuit ne in quibuscumque publicis actibus aliquis B. Virginem in peccato originali conceptam esse asserere auderet, licet id privatim sentire non vetuerit.

Gregorius XV, Pauli V successor, prædecessoris Constitutionem amplians anno 1622, vetuit sub gravissimis censuris ne in ipsis actibus privatis aliquis B. Virginem originali maculâ infectam fuisse affirmaret, et de hâc assertione ullo modo tractaret. Jussit insuper ut in festo Conceptionis nulli omninò in Officio et Missâ tam publicè quàm privatim alio quàm *Conceptionis nomine* uterentur. Permisit tamen Dominicanis inter se solùm de eâ quæstione disceptare.

Alexander VII prædecessorum Constitutiones renovavit anno 1662; prioribus pœnis in delinquentes sancitis novas addidit, prohibendo ne quis sub quovis prætextu, et quovis excogitabili modo, sive directè, sive indirectè contra illibatam Mariæ conceptionem scripto aut voce loqueretur. Hâc in bullâ idem pontifex expressè dicit, Ecclesiam credere B. Virginis animam in primo instanti creationis, et infusionis in corpus, fuisse Dei gratiâ, intuitu Christi meritorum, à maculâ peccati originis præservatam.

Igitur objectum festi Conceptionis, quod celebrat Ecclesia, est primum instans unionis ejus animæ cum corpore.

Accedit communis fidelium sensus, qui, ut in suâ Constitutione observat Alexander VII, firmiter credunt B. Virginis animam in primo creationis instanti à peccati originalis maculâ immunem fuisse, et graviter offenderentur si quis aliam insusurraret doctrinam. Hinc Paulus V in suâ Constitutione observat, ex occasione assertionis, quòd B. Virgo cum peccato originali concepta sit, oriri in populo christiano scandala, jurgia, dissensiones, etc. Hinc imperator apud Innocentium X graviter conquestus est contra decretum à Magistro sacri Palatii promulgatum, quo illibata Virginis conceptio deflorari videbatur. Hinc rex Catholicus cum omnibus ferè episcopis et capitulis Hispaniarum, misso ad Alexandrum VII legato, querimonias detulit adversùs eos qui vellicabant festum intemeratæ B. Virginis Conceptionis. Hinc summi pontifices, Julius II, Leo X et Alexander VI, religionem quamdam sub nomine *Immaculatæ Conceptionis* institutam confirmaverunt, cujus tertia regula fert, *animam B. Virginis à primo creationis instanti fuisse sanctam.*

Objiciunt festum conceptionis divi Joannis Baptistæ celebrari in Ecclesiâ græcâ 24 septembris, ut et in nonnullis Ecclesiis latinis, inter quas, ut ferunt, reperitur Melitensis; ergo festum Conceptionis non probat B. Virginem in primo existentiæ suæ momento fuisse sanctam. — Resp. : Nego conseq. Summi scilicet pontifices declaraverunt, ut diximus, objectum festi Conceptionis B. Virginis respicere primum illius instans, quod nunquàm de B. Joannis conceptione dixerunt.

Momentum tertium. — *Ex congruentiæ rationibus.* — Quatuordecim adducit Suarez, quinquaginta P. Salazar; sequentes adducimus.

Prima hæc est. Rationes, quibus D. Thomas 3 p., q. 27, a. 4, in c., B. Virginem peccati actualis puram fuisse probat, istæ sunt : « Idonea non fuisset Mater Dei, si aliquando peccâsset; ut enim gloria filiorum patres eorum, Proverbiorum cap. 17, sic ignominia matris in filium redundâsset... » Item : « Singularem habuit cum Christo affinitatem, qui ex eâ carnem accepit; *nulla autem conventio Christi ad Belial*, 2, c. 6..., » Item : « Singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsâ habitavit non solùm in animâ, sed etiam in utero; at Sapientiæ cap. 1, dicitur : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis,* et sic debuit in eâ impleri quod Canticorum 4 habetur : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* At evidens est istas rationes aut nihil probare, aut ostendere B. Virginem non ab actuali tantùm, sed et ab originali peccato eximi debuisse, cùm peccatum originale necessariò sit mortale; si autem D. Thomas nihil hìc probavit, et nihil probavit Augustinus cùm lib. de Naturâ et Gratiâ, cap. 36, dixit, *propter honorem Domini* Mariam à peccatis fuisse immunem.

Secunda sic se habet : Nemo negaverit B. Virgini ad summum dignitatis fastigium evectæ, et omnibus creaturis, etiam Angelicis, præstanti, concessum fuisse privilegium, aut donum, quod alicui creaturæ fuit collatum, si ejus dignitati non repugnaverit; at primi parentes gratiâ sanctificante in creatione suâ sunt ornati, et sancti Angeli eâdem gratiâ insigniti nullo unquàm peccato polluti sunt; quæ profectò privilegia B. Virginis conditioni non repugnant.

Tertia sic conficitur : Maria, ut docet D. Thomas cum pluribus, non fuit obnoxia corporis corruptioni, indeliberatis concupiscentiæ motibus, etc., ob honorem Domini, sive divinam maternitatem; quantò minùs ob eamdem rationem originali peccato contaminari debuit? Certè, si B. Virgini optio data fuisset, maluisset carere peccato originali quàm iis donari privilegiis.

Quarta ista est : Sicut primus homo, qui figura fuit secundi, ex terrâ nunquam maledictâ formatus est, ita decuit ut secundus homo, ex terrâ non maledictâ, id est, ex Virgine omninò purâ, formaretur. Item sicut mater omnium viventium vitâ animali sine peccato fuit condita, ita congruum erat ut mater omnium viventium vitâ spirituali sine peccato conciperetur, cùm inprimis Eva figura fuerit Mariæ, et res figurata re ipsam figurante perfectior esse debeat.

Quinta sic redigitur : Si quod in Canticis legitur, *sicut lilium inter spinas, etc.*; *tota pulchra es, etc.*; *hortus conclusus, etc.*, de B. Virgine, ut multis Patribus placuit, sunt intelligenda, ex iis confici poterit Mariam sine peccato fuisse conceptam.

Ultima efflorescit ex miraculis, quibus nonnulli graves auctores asserunt Deum piam hanc sententiam quasi confirmâsse. Etenim Spondanus ad annum 1550 refert, quemdam monachum, Paulum nomine, qui Cracoviæ in sacrâ ad populum concione ausus fuerat dicere, Deiparam Virginem in peccato originali fuisse conceptam, subitò cecidisse et expiravisse, quod multis eâdem de materiâ disputantibus grandem incussit timorem. Idem auctor ad annum 1459 asserit gravissimam pestem, quæ Basileæ grassabatur, immediatè post Patrum de immaculatâ Conceptione decretum cessavisse, etc.

Corollarium primum. — Etsi insultare iis non soleo, quorum ingenia et eruditionem miror, tamen modum, quo purissimum B. Virginis conceptum vindicat Petavius lib. 14 de Incarnatione cap. 2, non improbare non possum. Etenim n. 8, dicit *opinionem* (de temeratâ Mariæ conceptione) *antiquioribus placuisse*, et n. 10 se in contrariam sententiam ire *ob romanorum pontificum, Tridentinæ synodi auctoritatem, ac communem maxime sensum fidelium omnium*; fatetur aliunde hanc sententiam sacris Litteris minimè comprobari posse. Jam verò ex his principiis colligi, ni meus me fallit animus, posse videtur, Ecclesiam commendare posse dogma neque in sacris codicibus, neque in *antiquioribus Patribus* consignatum, et ideò illud dogma vel à novâ revelatione, vel ab *orali* traditione tenere : primum sanè falsum est : alterum verò traditionem oralem, communemve sensum fidelium, in contradictionem cum traditione scriptâ, sive *antiquiorum Patrum* scriptis immergeret, quod profectò absurdum est. Et verò, traditio oralis, et communis fidelium sensus circa purissimum Mariæ conceptum, antiquioribus Patribus vel erat exploratus, vel non : si exploratus, nihil ipsi adversum protulissent ; si ignotus, qui id contingere potuit, cum inprimis eorum quàm præsenti ætate clarior fuerit traditio? Qui eodem tempore traditio scripta, id est, certa fidei regula, cum traditione orali, id est, alterâ certâ fidei regulâ cohærere non potuit? Apage figmenta.

Corollarium secundum. — B. Virgo debitum habuit peccatum originale contrahendi. Ex dictis enim elucescit verbum divinum seu scriptum, seu traditum enuntiare omnes homines per naturalem generationem ab Adamo descendentes in *Adam peccâsse*. Adamo ergo peccante peccavit Maria, ut et cæteri Adæ nepotes, quatenùs scilicet illius, ut et aliorum hominum, caput morale fuit, quamvis cùm physicè existere incœpit, peccatum ex speciali privilegio non contraxerit. Et verò constat Christum B. Virginis Salvatorem fuisse, quod ipsa agnoscit in suo Cantico : *Exultavit*, inquit, *spiritus meus in Deo salutari meo*, Lucæ 1. Unde Alexander VII, mox laudatus, dixit, Mariam à peccato originali *ex Christi meritis* præservatam fuisse ; at Christus non est Salvator hominum nisi quia homines à peccato vel contracto vel saltem contrahendo eximit.... Item B. Augustinus et alii Patres clamant carnem B. Virginis *fuisse carnem peccati*, ipsam morti, et aliis ærumnis, quæ in præsenti ordine pœnæ sunt peccati, fuisse subditam ; quæ vera esse nequeunt nisi in Adamo peccaverit, et ideò peccati in origine contrahendi debitum habuerit.... Denique qui B. Virginem isti debito subtrahunt, vulgò docent Verbi incarnationem et Mariæ matris existentiam decretas fuisse ante prævisum Adæ peccatum, quod D. Thomæ et communi sententiæ repugnat, *cùm Christus venerit populum suum salvum facere à peccatis eorum*, Matthæi 1. Hinc Bellarminus et plures alii eximiâ in B. Virginem pietate flagrantes adversam opinionem *periculosam, et fidei minùs consonam esse* asserere non dubitaverunt ; sicut error esset B. Virginis meritis, imò et Christi dignitati derogans affirmare Mariam absolutè, et absque speciali Christi gratiâ peccare non potuisse.

Neque obtendas cum nonnullis, qui sese in Mariam piissimè affectos prætendunt, et justos ipsi debitæ pietatis limites ignorant, semper præhabendam esse opinionem quæ præstantiorem B. Virgini honorem defert. Cùm generalem istam præscribunt regulam, ad so-

brietatem non sapiunt. « Eorum, inquit Petavius lib. 14 de Incarnatione cap. 8, Gersonio præeunte, immoderata licentia intra modum sobriæ et robustæ pietatis coercenda est; monendi sunt ut veris contenti solidisque præconiis ficta et commentitia repudient, suæ in B. Virginem devotioni nimiùm non indulgeant, abstineant ab hujusmodi regulis, quæ multùm abhorrent ab theologiæ, id est, cœlestis sapientiæ, gravitate, quam nihil sentire, aut asseverare par est, nisi quod ad certam et exactam (Scripturæ et traditionis) regulam sit exactum. » Enimverò, admissâ hujusmodi regulâ, sentiendum foret B. Virginem non debuisse peccatum originale contrahere (nonnulli enim hanc opinionem amplexi sunt).... Christum eidem Virgini plenam et liquidam rerum, quæ utrique eventuræ erant, notitiam impertire debuisse, cùm hæc scientia Dei genitricem docere videretur..., Mariam à primo creationis instanti intuitivâ Dei visione donatam fuisse, cùm eo privilegio insigniri potuerit, ipsi convenire videretur.... Mariam nunquàm somniâsse, aut in omni somno actu Deum per mortalis vitæ curriculum fuisse contemplatam, etc. Quæ omnia aut falsa sunt, aut saltem Scripturâ et traditione probari nequeunt, quod sufficit ut B. Virgini certò affingi non possint. Hinc meritò D. Bernardus epist. 174 dicit: *Valdè honoranda est, inquis, Mater Domini* (quæ Christianorum omnium in D. Joannis personâ ab ipso Christo Mater constituta fuit, Joannis 19), *benè admones: sed honor reginæ judicium diligit. Virgo regia falso* (in Scripturâ et traditione non delineato) *non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum.* Non nostro quippe, sed divino arbitrio metienda sunt tum Dei dona, tum quis honor illis respondeat.

Principia solutionum. — Primum. Non te moveat quòd de purissimo Mariæ conceptu nihil in Scripturâ litterali sensu affulgeat: nihil videlicet offert de Mariæ sanctificatione in utero, nihil de ejus nativitatis sanctitate, nihil de illius à peccato actuali immunitate, nihil de perpetuâ ipsius Virginitate, quæ tamen fide constant.

Secundum. Sedulò distingue primum Virginis conceptum à secundo, id est, formationem corporis Mariæ in Annæ utero ab instanti unionis ejus animæ cum corpore; iste enim, non ille, fuit intemeratus.

Tertium. Si dies sacer et festivus virginei conceptûs certò attingeret primum instans infusionis animæ in corpus Mariæ, omnis de hujus conceptûs puritate, dubitatio illicò evanesceret.

Quartum. Cuncta ferè sive Scripturæ sive Patrum oracula adversùs intemeratum Mariæ conceptum unicâ distinctione culpæ originalis contractionis quoad *actum et debitum* exponuntur et robur amittunt.

Quintum. Quòd purus Mariæ conceptus Scripturæ et plurium etiam Patrum testimoniis niti non videatur, nullum inde ipsi accedit præjudicium. Quot enim sunt dogmata sic se habentia, quæ tamen reapsè illis testimoniis non sunt contraria?

Sextum. Nec antiquiorum Patrum traditio communi fidelium sensui, nec communis fidelium sensus antiquiorum Patrum traditioni repugnare potest, et ideò, si uni conformis est purus Virginis conceptus, et alteri erit conformis.

Ultimum. Unicè legitimus B. Virginem honorandi modus est eam honorare modo à Dei verbo præscripto.

ARTICULUS II.

Utrum filii fidelium peccatum originale contrahant?

Hanc quæstionem veluti excitavit singularis Joannis Calvini doctrina. Lib. 4 institutionis cap. 16, sectione 24 et seq., asserit Christianorum liberos, etiam ante Baptismum, novi fœderis esse participes. *Qui*, inquit, *à Christianis originem ducunt infantes, in fœderis hæreditatem statim ac nati sunt à Deo excipiuntur.*

A Calvini sententiâ multùm alienus non est Yprensis, cujus systema super avitæ maculæ naturâ antea delineavimus. Ipso nempe dicente, contingere potest ut aliqui ex Adam naturali generatione sati primigeniâ noxâ non inficiantur, si videlicet *concupiscentiam benè vivendo*, ut loquitur, *exuerint*; è converso potest fieri, ut nonnulli, ex Adam etiam seminaliter non geniti, originali delicto coinquinentur, puta *si Deus omnipotentiæ suæ virtute sine congressu conjugum corrupta utriusque sexûs semina misceret,* ut rursùs loquitur idem Yprensis; hâc enim in hypothesi vigeret concupiscentia, in quâ juxta Jansenium consistit formale peccati originalis.

Conclusio. — Fidelium liberi vi naturalis suæ ex Adam generationis peccatum originale contrahunt, ut alii, et ideò salutem assequi non possunt, nisi baptizati fuerint.

Ita definiit conc. Trid. sessione 5, canone 4,

ubi Calvini errorem his verbis perstrinxit : « Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa, intelligatur, anathema sit. » Probatur 1° ex Scripturâ, cujus ante adducta oracula evincunt eos omnes, qui naturali generationis viâ ab Adam oriuntur, originali peccato esse coinquinatos. Apostolus indubiè non minùs disserit de fidelium quàm de infidelium filiis, cùm Rom. 5, dicit, *omnes in Adam peccâsse*, et ad Ephesios cap. 2 addit : *Eramus et nos naturâ filii iræ sicut et cæteri ;* hæc enim verba specialiter tangunt fidelium natos ; Paulus videlicet ad Philippenses cap. 3, refert se oriundum esse ex tribu Benjamin. 2° Ex Patrum suffragio, quod exhibet Bellarminus lib. 4 de Amissione gratiæ et statu peccati, cap. 14. Unus sufficiat Augustinus, lib. de peccato originali cap. 40, n. 45, hæc habet : « Regeneratus non regenerat filios carnis, sed generat.... sive reus infidelis, sive absolutus fidelis, non generat absolutos uterque, sed reos. « Hæc dubio procul commentario non indigent. Notum est istud Tertulliani et Hieronymi effatum : *Christiani non nascuntur, sed fiunt ;* quod falsum esset si, ut mentiuntur Protestantes, filii fidelium nascerentur sancti et Ecclesiæ membra.

3° Ex antiquâ et nunquàm interruptâ Ecclesiæ praxi, et communi fidelium sensu. Ad illos sensus Julianum provocat D. Aug. lib. 6, cap. 5, n. 11 : « Verum est, inquit, quod antiquitùs veraci fide catholicâ prædicatur, et creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, et à principe mortis erueret. » Eadem habet epistolâ 166 ad Hieronymum cap. 7, n. 21, his verbis : « Quisquis ait quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vitâ exeunt, hic profectò et contra apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam; ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omninò non posse. »

Atque ex his abundè refelluntur et corruunt duæ commemoratæ Yprensis hypotheses. Clamante enim Apostolo, et Augustino ad peccatum originale reipsà contrahendum requiritur et sufficit naturali generatione ex Adam descendere.

Objicit Calvinus citatis libro et capite : Genesis 17 refertur, Deum cum Abraham et cunctis ejus nepotibus fœdus inivisse, quo hunc patriarcham et omnem ipsius prosapiam sibi semper acceptissimos esse futuros pollicitus est; at filii Christianorum sunt filii Abrahæ; ergo pertinent ad populum Dei, et ideò aut peccatum originale non contrahunt, aut saltem illa macula ipsis non imputatur. — Resp. : Dist. min. Filii Christianorum sunt Abrahæ filii secundùm fidem, per baptismum scilicet, in cujus susceptione Abrahæ et parentum suorum fidem imitari incipiunt, conc. Ante baptismi receptionem, nego min. et conseq. Promissio nimirùm Abrahæ facta, quatenùs erat spiritualis, et ad vitam æternam pertinebat, facta fuit Abrahæ filiis secundùm spiritum et fidem, ut passim docet Apostolus ; at infantes non fiunt Abrahæ filii secundùm spiritum et fidem nisi per baptismum, sicut apud Judæos non fiebant Abrahæ liberi secundùm spiritum nisi per signum quoddam externum suæ fidei in Messiam venturum, quod baptismi vices gerebat. Hinc D. Aug. lib. 1 de peccatorum meritis et remissione cap. 27, n. 40, exclamabat : « Quis nesciat credere esse infantibus baptizari, non credere non baptizari?.... quia ergo de ovibus ejus non esse incipiunt parvuli nisi per baptisma, profectò si hoc non recipiunt peribunt. »

Objicit iterùm Calvinus ibidem : 1 ad Corinthios cap. 7, v. 14, *filii* (fidelium) dicuntur *sancti;* unde Rom. cap. 11, v. 16, legitur : *Si radix sancta, et rami;* ergo. — Resp. cum Estio in hæc loca ibi delineari sanctitatem non *formalem* (de quâ solâ est quæstio), sed præparatoriam repositam in piâ et sanctâ educatione quâ verisimile erat informandos esse liberos ex sanctis parentibus ortos. Scilicet Apostolus 1 ad Corinthios cap. 7, excitat mulierem fidelem ad non deserendum virum infidelem, et vicissim, duabus ex causis, 1°, quia *vir infidelis per mulierem fidelem sanctificabitur,* id est, ad veram religionem, sive veri Dei cultum, adducetur, et vice versâ..... 2° Quia filii jam prognati, cùm mulier fidelis virum infidelem deseruerit, *immundi fient,* id est, patris exemplo in idololatriam, et peccata adversùs naturam immergentur, à quibus, si illa mulier cum viro re-

manserit, iidem retrahentur, et baptismo sancti fient.... Idem intendit in epist. ad Romanos; in eâ enim probat Judæos gratiæ Dei potiori ratione participes fieri posse quàm gentiles, quia nati sunt ex patribus quibus factæ sunt divinæ promissiones, et qui Deo erant accepti. Scilicet per institutionem plerùmque fit, ut posteri majorum suorum religionem et pietatem accipiant et retineant, et ideò congruebat, ut judaicus populus sanctitatem quasi hæreditariam haberet. Igitur Apostolus judaicam gentem *sanctam* vocat, non quòd sanctitatem ratione nativitatis habuerit, sed quòd ex nativitate habuerit unde sanctificaretur, tanquàm rami ex radice, ita ut sancta dici potuerit veluti in quâdam præparatione, quam Scriptura non raró *sanctificationem* appellat.

Principia solutionum. — Primum. Sancti filios generant *sanctos dispositivè* et *præparatoriè*, non *efficienter*, et *formaliter*.

Secundum. Christiani sunt Abrahæ filii non *secundùm carnem*, ut Judæi, sed *secundùm fidem et spiritum*, quâ eximiâ dote non insigniuntur nisi per baptismum.

Tertium. Ad peccatum originale reipsà contrahendum, secluso speciali Dei privilegio, absolutè requiritur et sufficit naturali *seminatione* ab Adam oriri et descendere.

CAPUT V.

De præcipuis peccati originalis effectibus.

Effectus peccati originalis alii ad præsentem, alii ad futuram vitam pertinent.

ARTICULUS PRIMUS.

De pœnis peccati originalis in præsenti vitâ.

Concilium Tridentinum præeunte D. Augustino, et veteribus synodis adversùs Pelagianos et Semipelagianos habitis, præsertim Arausicanis, definivit sess. 5, can. 1, *totum Adam per primæ prævaricationis offensam secundùm corpus et animam in deterius commutatum fuisse*. Quomodò stupendæ hujus commutationis in animâ radix fuerit et origo amissio justitiæ originalis, in quâ consistit peccati originalis *formale*, exponere aggreditur D. Thomas 1-2, q. 85, a. 3, hoc venerabilis Bedæ in caput 1 Lucæ dictum, *homo* (per peccatum) *spoliatus est gratuitis, et vulneratus in naturalibus*, suum faciens, rem sic explicat : « Justitia originalis (id est, cum quâ creatus est Adam) subtracta est per peccatum primi parentis, et ideò omnes vires animæ remanent quodammodò destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, et ipsa destitutio dicitur vulneratio naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, scilicet ratio, in quâ est prudentia, voluntas, in quâ est justitia, appetitus irascibilis, in quo est fortitudo (unde dicitur quasi *nervus animi* fortitudinem, constantiam ac robur ad res benè et suo ordine gerendas subministrans, et datus est ut imperanti rationi tanquàm miles obediat), et concupiscibilis, in quo est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ; in quantum verò voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ; in quantum verò irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; in quantum verò concupiscibilis destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ. Sic igitur ista quatuor sunt inflicta toti naturæ humanæ ex peccato primi parentis.... ut etiam sint ex peccatis actualibus consequentia; in quantum scilicet per peccatum (actuale) et ratio hebetatur (præcipuè in agendis) et voluntas induratur ad bonum, et major difficultas benè agendi accrescit, et concupiscentia magis exardescit. »

Hunc D. Thomæ textum expendens Philippus Gamachæus, eruditus doctor et professor Sorbonicus, illum sic exponit : « Quatuor istis modis natura humana læsa fuit per peccatum (non quidem intrinsecùs) vulnere aliquo positivo, sed extrinsecùs, quia per prævaricationem Adæ privati sumus donis gratuitis, nobisque quodammodò derelicti. Hinc igitur infirmitas ad laudabiles et arduas actiones; hinc ignorantia ad multa cognoscenda, quæ sine ullo labore in statu innocentiæ cognita fuissent, quæque ad virtutem spectant; hinc malitia, quatenùs voluntas spontè adhæret peccato; denique et concupiscentia satis omnibus nota ex parte inferioris appetitûs, qui per justitiam originalem alioqui fuisset in omnibus rationi obediens, nunc autem ei sæpiùs reluctatur. »

Ex hâc Gamachæi explanatione illius patroni colligunt 1°, naturam humanam *extrinsecùs* duntaxat fuisse vitiatam. Ipsi scilicet in primâ origine inerat justitia velut forma quædam supernaturalis, quâ perficiebatur in ordine ad Deum; unde illâ formâ per peccatum destructâ corrupta fuit natura humana, id est, spoliata qualitate inhærente, per quam ex Dei liberalitate speciali modo ad Deum dirigebatur; sicut si alicui hodiè eamdem justitiam infunderet

Deus, et ipse eam suâ culpâ amitteret, corruptus diceretur, hoc est privatus formâ ipsi priùs ex Dei munificentiâ insitâ. Quamobrem homo hujus justitiæ expers sibi derelictus est, id est, in suis naturalibus mansit, et ideò defectibus, sive imperfectionibus ipsius naturæ propriis, obnoxias, qui defectus in eo nunc *vulnera* dicuntur; quia supposito præsenti rerum ordine in homine non sunt ex conditione naturæ, sed ex Adæ peccato, et ideò habent rationem pœnæ et vindictæ..... 2° *Malitiam*, quam Adæ peccatum in voluntate produxit, sive per quam, inquit S. Thomas, *voluntas sponte adhæret peccato*, utpote humanæ naturæ appendicem, non consistere in aliquo actu vel habitu vitioso, sed in privatione felicis propensionis, quâ hominis voluntas vi originalis justitiæ speciali modo ad Deum ordinabatur, ita ut peccato, quantumvis eam delectaret, spontè non adhæreret.

Qui censent Deum posse creare hominem cum iisdem omninò sive animi sive corporis miseriis, quibus in præsenti statu obnoxii sumus, ii lubenter agnoscunt naturam humanam per Adæ peccatum non intrinsecùs sed extrinsecùs fuisse corruptam; verùm qui existimant Deum non potuisse condere hominem cum miseriis (non quoad speciem quidem) sed *quoad gradum* nostris similibus (quæ sententia, ut supra diximus, videtur fuisse sententia D. Augustini et multorum aliorum Patrum), ii contendunt naturam humanam per primigeniam maculam non extrinsecùs tantùm sed etiam intrinsecùs vitiatam fuisse.

Præter enumerata animæ mala, quæ subindicavit D. Thomas, et invexit peccatum originale, alia sunt ad corpus pertinentia, quod justitiâ originali ab omni corruptione et læsione eximebatur, et per Adæ noxam non minùs quàm anima in deterius commutatum est. Tales dolores et ærumnæ, talia innumera morborum genera, talis brevis vita, imò ipsorum cervorum et cornicum vitâ brevior, talis continuus mortis timor, talis mors, etc., et alia quibus humanum corpus subjacet. Consuli poterit Scriptura Genesis 2, v. 17, 3, v. 19, Job. 5, v. 7, Rom. 5, etc.

Commemorata mala vulgò à theologis *interna* dicuntur, quia sunt in ipso homine, id est, in animâ et corpore. Alia sunt extra hominem, quæ idcircò ab eisdem theologis *externa* vocantur. Scilicet post Adæ peccatum ipse beneficentissimus hominis Conditor ejus inimicus factus est, quem idcircò in ipso ortùs principio velut *iræ filium* habet..... Diabolus intolerabilem in mortales exercet tyrannidem, quosdam invadit et miserum in modum torquet, omnium mentes ad peccatum diversi generis tentationes suggerendo, et insidias tendendo titillat et allicit, perpetuò *tanquàm leo rugiens circuit quærens quem devoret*..... Ipse homo hominis opes et sanguinem sitit, et quorum debuisset esse cor unum et anima una, ii quasi perpetuis à sese invicem dissident odiis, ut *nihil in terris* (quod olim sapientissimè observavit Diogenes) *frequentiùs et rariùs sit homine*.... Bestiæ terræ, cœli volatilia, pisces maris, etc., quibus Deus hominem præfecit (Genesis 1) regem et dominum non agnoscunt, quin in eum insurgunt, et contempti Dei vindices illum non raró puniunt, et enecant...... Demùm, cœlum, tellus, mare, tota rerum universitas stare non videtur nisi ad hominem terrendum, affligendum, destruendum, etc.

Hæc omnia mala solidè et eleganter describit D. Aug. lib. 22 de Civitate Dei cap. 22, n. 1 et seq..... Deinde cap. 23 ostendit, concupiscentiam à quâ hàc in vitâ perfectè liberari non possumus, justis, sive iis, qui ipsi non consentiunt, sed per J. C. gratiam viriliter resistunt, labores quidem multos facessere, sed præmiorum ac meritorum fontem esse ac originem, quod postea definivit conc. Trid. sess. 5, can. 5...... Denique cap. 24, n. 2 et seq., demonstrat innumerabiles hujus vitæ ærumnas singulari divinæ misericordiæ beneficio inflictas fuisse, ut intelligerent propriâ experientiâ quanto ardore, quanto studio fugiendum esset peccatum tot malorum in præsenti vitâ principium, et graviorum post mortem origo futurum..... Miseriam generis humani, in quâ laudatur justitia punientis, et à divinâ bonitate multis conditam esse bonis; indita nimirùm terræ et hominibus fœcunditas post Adæ peccatum remansit; in homine penitùs extincta non est quædam velut scintilla rationis, quâ factus est ad imaginem Dei, ut splendidè commonstrant tot opera laude digna, quæ sive per se sive cum gratiâ Dei producit, et tot mirabilium rerum inventiones; idem pariter remansit humani corporis situs et conformatio interna. Demùm damnati hominis exilium, id est, aspectabilis iste mundus incredibili relucet pulchritudine, hominem in admirationem et delectationem suavissimè immergens, vitæ miserias et tædia blandè temperat et solatur, Deique flammeam notitiam et amorem perpetuò instillat, ut S. Augustino duce feliciter et jucundè demonstravit unus ex viris litteratis re-

giæ academiæ Massiliensis in aureo poemate non ita pridem edito, cui gallicè titulus : *Les grandeurs de Dieu dans les merveilles de la nature*. Si hæc D. Augustini et Ecclesiæ catholicæ documenta attentè et seriò, ut decet, recogitentur et perpendantur, quàm dulcem, quàm amplam dicendi segetem cœlestis verbi præconibus suggerent ! Quàm affluentem, quàm copiosam, subministrabunt ansam miseros mortales solandi, et ab infandorum vitiorum barathro et gurgite ereptos in saluberrima virtutum omnium pascua deducendi ! Quàm efficax, quàm nervosum christianæ religionis apologistis et defensoribus ingerent argumentum ad hujus temporis incredulorum adversùs miseram mortalium conditionem declamationes sedandas, et querimonias, quibus supremi Numinis justitiæ proterviùs insultant, reprimendas, etc. !

Hucusque recensita præsentis vitæ mala, consentientibus Catholicis, et recentioribus vulgò novatoribus, ex peccato originali scaturiunt. At isti ex eâdem maculâ alia dimanare mala obgannierunt. Etenim Calvinus lib. 2 Institutionis cap. 21 (cui vulgò adstipulantur Protestantes), docuit naturam humanam per avitum delictum à propriâ intrinsecâ perfectione hoc sensu excidisse, quòd liberum ejus arbitrium eodem peccato non læsum tantùm fuerit, sed etiam penitùs extinctum. Hinc ibidem asserit hominem lapsum liberam non habere boni et mali electionem, et ideò quidquid benè aut malè operatur, illud necessariò, quamvis non coactè, sed spontè, agere; quin naturæ corruptionem tantam esse vult, ut non possit homo, etiam justificatus, non semper peccare; unde in ejus systemate inter prædestinatum et reprobum, sontem et insontem, hoc duntaxat intercedit discrimen, quòd Deus isti non illi peccata imputet; ex quibus colligit ignorantiam invincibilem legis divinæ non excusare à peccato.

Yprensis Protestantium systema quoad substantiam retinuit: docuit enim nullam esse in statu naturæ lapsæ immunitatem à necessitate relativâ, et ideò delectationem cœlestem, aut terrestrem, prout una prævalet, modò ad bonum, modò ad malum necessariò rapere; quâ ex causâ asseruit ad merendum, aut demerendum in præsenti ordine sufficere *libertatem à coactione;* reprobis tamen gratias temporales à Deo impertiri confessus est, quibus adjuti bona opera eliciunt, et ideò hominem non semper peccare asseruit.

Controversiam de libero arbitrio ventilabimus in tertio libro de homine reparato. Quare eam solam, quæ ignorantiam spectat attingemus.

Paragraphus unicus. *Utrum ignorantia invincibilis excuset à peccato?*

Errores. — Lutherus in caput 12 Geneseos scholasticis crimini vertit, quòd dixerint, ignorantiam invincibilem à peccato excusare. Hâc sententiâ *everti Scripturam sacram, et è medio tolli Christum justitiæ solem,* pro solitâ suâ impudentiâ affirmavit. Subsecutus est Calvinus tum in caput 12 Lucæ, tum lib. 2 Instit. cap. 2, etc., ubi *D. Augustinum suum esse* renuntiat. Acceptam à magistris opinionem fusè pertractavit Hieronymus Zanchius lib. 1, tract. theolog. cap. 12, de ignoratione Dei, thesi 1, et, ut ipsi, de D. Augustini suffragio gloriatus est. *Est,* inquit, *Augustinus Patrum omnium nomine patronus noster in hâc causâ.*

Jansenius Yprensis cæcos illos et impudentes duces sequi operæ pretium duxit indubiè ut suum de libertate naturæ lapsæ propriâ stabiliret, aut corroboraret systema. Lib. 2 de Statu naturæ lapsæ, capiti 2, hunc præfixit titulum : *Ignorantia, etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est invincibilis, non caret peccato, ut dogma fidei ab antiquis traditum.* Initio capitis refert « generale scholasticorum pronuntiatum esse, quòd quidquid ex invincibili fit ignorantiâ, hoc ipso culpâ vacat. » Ibidem dicit, « hanc doctrinam, quamvis humanæ rationi, quâ nititur, valdè plausibilis esse videatur, cum Augustini doctrinâ difficilè conciliari posse. » In fine capitis 4, concludit, « ignorantiam invincibilem et incavibilem, in quâ nati sumus, nullo modo excusare peccatum, licet ab eo excusâsset primum hominem, si Deus eum cum eâ condidisset; » deinde addit : « Hoc si lector capit, gratuletur sibi ; si non capit, adhuc difficilius captu et cautu esse cogitet originale peccatum ; sed quia utrumque fide facile est, tribuamus utrumque arcanis tremendisque judiciis Dei, ne contra res in antiquâ Ecclesiâ certas, quantùm judicare licet, argutiis humanis disputando, non scientiæ veritatem capiamus, sed ignorantiæ pœnam augeamus. » Cap. 5, triplicem distinguit ignorantiam insuperabilem *juris naturalis, juris divini positivi, et facti,* sive factorum. Concedit ignorantiam juris divini positivi, et facti, si insuperabilis est, excusare à toto peccato, secùs

ignorantiam invincibilem juris naturalis. Hujus disparitatis, sive, ut loquitur, *arcanæ hujus doctrinæ, radicem* indagat cap. 6, eamque pullulare facit ex naturâ illorum jurium et factorum ignorantiæ, sive potiùs diversæ scientiæ; *scientia* scilicet, inquit, *juris naturalis humanæ naturæ connaturalis est; scientia verò juris divini positivi, et factorum nullo modo;* id est homo sine lege naturali non potest vitam homine dignam ducere, et ideò sine juris naturalis scientiâ creari nequit; è converso homo vivere potest sine scientiâ factorum, *quæ singularia sunt, et sine fine variari possunt,* aut juris divini positivi, quod à liberâ Dei voluntate pendet, et idcircò sine tali scientiâ condi potest.

Igitur ante peccatum ignorantia juris divini positivi, aut factorum, non juris naturalis, potuit existere; cùm verò peccatum præcessit, ignorantia ista in pœnam delicti potest infligi, sicque voluntaria est in causâ, nec idcircò à peccato excusat.

Conclusio. — Ignorantia invincibilis, quæ scilicet, quidquid agatur, expelli non potest, etiam juris naturalis, si detur, ab omni peccato eximit. Cuilibet catholico probata esse debet, præsertim post censuram contradictoriæ sententiæ.

Probatur. 1°, auctoritate D. Augustini, quâ gloriatur Yprensis. Lib. 3 de libero Arbitrio cap. 18, n. 50, ait S. doctor: « Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene: Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti sine peccato, ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur; an tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ita est, nulla peccata sunt; quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem, caveri igitur potest. » Eodem libro cap. 19, n. 53, hanc objectionem: *Si Adam et Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate... nasceremur;* sic solvit: « Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras; » deinde, n. 54, expressè asserit, ea, quæ fiunt ex ignorantiâ invincibili, esse *peccata* eo modo quo *sermo dicitur lingua*, id est impropriè tantùm. Libro de verâ religione cap. 14, n. 27, hæc habet: « Usque adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium; et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.... Servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter (id est liberè); quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent. » Idem asserit lib. de duabus animabus cap. 11, n. 15: « Peccatum, inquit, est voluntas retinendi, vel conservandi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere. » Idem adstruit in decursu capitis.

Istorum testimoniorum vim et efficaciam subodoratus Yprensis (quod enim ex insuperabili fit ignorantiâ nullatenùs caveri potest, et nequidem est voluntarium cùm ad rationem voluntarii requiratur cognitio intellectûs, et ideò non potest esse formale peccatum), horum, inquam, textuum nervoso robore commotus Jansenius tria citato lib. 2 de Statu naturæ lapsæ, cap. 4, reponit. 1° Respondet, humanâ ratione concipi non posse « quomodò homo in eo peccet quod neque scit neque scire potuit, id esse nodum insolubilem, sed tamen ab Augustino et antiquâ Ecclesiâ ut in Scripturis consignatum constanter fuisse traditum; quâ de causâ illud firmissimè credendum est, catholica enim doctrina non Aristotelicis argumentis et argutiis nititur, sed Scripturâ et traditione. » Igitur concedit rationem ab Augustino allatam demonstrare actus ex ignorantiâ invincibili elicitos non posse esse vera peccata. Undè 2° respondet Augustinum, cùm adversùs Pelagianos decertavit, sententiam mutâsse, et idcircò docuisse, ignorantiam invincibilem juris naturalis, quæ in nobis est ex originali peccato, *peccandi necessitatem inducere, etsi nullum sit personalis voluntatis voluntarium;* quæ responsio præterquàm quòd D. Augustino injuria est, quem in apertam secum contradictionem præcipitat, manifestis S. doctoris adversùs ipsos Pelagianos dictis refellitur.

Libro de naturâ et gratiâ cap. 67, Pelagius Augustino objicit verba supra relata lib. 3 de libero Arbitrio cap. 18. Quid S. doctor? Hoc: *potest peccatum vitari, sed opitulante illo qui non potest falli.* Ibi ergo existimavit illud verum non esse peccatum quod nullo modo vitari potest. Lib. 1 Retractionum, cap. 9, n. 3, citatum libri 3 de libero Arbitrio locum commemorat, et dicit, se hoc testimonio ita liberi arbitrii existentiam vindicavisse, ut gratiæ necessitatem non excluserit.

In his profectò locis suam adversùs Manichæos peccati definitionem emendare debuisset D. Augustinus, si emendandam esse credidisset, et observare ad peccatum, saltem aliquando, voluntarium non requiri; cùm ignorantia invincibilis, quæ est pœna peccati Adæ, verum

sit peccatum, sive potiùs actus ex eâ malè eliciti; de quo tamen siluit.

3° Reponit, commemoratam D. Augustini peccati definitionem de eo duntaxat peccato, ipso S. doctore interprete, esse intelligendam quod primus parens in paradiso summâ voluntatis libertate perpetravit. Duplex enim peccatum distinguit Augustinus, aliud quod *peccatum est*; aliud quod ita *peccatum est ut sit etiam pœna peccati*. Illud ita est in motu voluntatis, ut ab eo abstinere liberum sit; hoc liberum est eo sensu quòd ex voluntate liberè peccante (Adæ nempe) proficiscatur, sed pœnâ ex judicio Dei sontem premente et puniente necessarium. Unde ad istud peccatum non requiritur voluntarium et liberum; cùm ergo quod ex insuperabili ignorantiâ juris naturæ committitur sit *peccatum et pœna peccati*, quia hæc ignorantia in pœnam peccati originalis est inflicta, illi non convenit ut sit voluntarium, et possit caveri.

Hæc responsio ex Calvino excerpta est. Calvinus, inquit Bellarminus lib 5 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 27, « ad alterum perfugium se conferens dicit, Augustinum loqui de peccato primi hominis, quod verè non necessitate, sed voluntate commissum est. Id autem probat ex lib. 1 Retractationum cap. 13, et lib. 1 Retractationum cap. 9 ; » at duo ista testimonia, in gratiam suæ opinionis adducit Jansenius lib. 2 de Statu naturæ lapsæ, cap. 4, etc.

Bellarminus autem ibidem fusè ostendit Calvinum ab Augustini mente alienissimum esse. Etenim 1° S. doctor nihil antiquius habet in tribus libris de libero arbitrio quàm ut probet hominem post Adæ lapsum libero pollere arbitrio ; debuisset igitur in Retractationibus sua in illis libris pronuntiata non explicare, sed abjurare.... 2° Cùm suas libertatis definitiones adversùs Manichæos de statu naturæ integræ in Retractationibus, vel operibus contra Pelagianos, intelligendas esse dixit, læsum duntaxat, non extinctum in homine post lapsum liberum arbitrium connotare intendit. Obtrudebant scilicet Pelagiani libertatem, quâ homo post Adæ lapsum erat præditus, eam ipsam esse quâ insignitus erat insons Adam, ad quod evincendum obtendebant D. Augustini assertiones in libris de libero arbitrio. Quid doctor sagacissimus ? Adæ libertatem ante lapsum nostrâ pluribus ex titulis fuisse robustiorem ; insontis nimirùm Adæ libertas nullâ partis inferioris rebellione debilitabatur ; aliunde libertas nostra per peccatum vulnerata tentationibus sine speciali Dei adjutorio resistere non potest, quod absque isto auxilio, saltem tam potenti, poterat Adam sano et forti libero arbitrio pollens. Non igitur mirum si Augustinus dixerit suas libertatis definitiones contra Manichæos, secundùm totam suam extensionem, soli naturæ integræ ordini competere, cùm in eo solo perfecta fuerit hominis libertas.......3° Cùm lib. 1 Retractionum cap. 13 dixit Augustinus suam definitionem lib. de verâ Religione cap. 14 consignatam commonstrare peccatum quod *tantummodò fuit peccatum* (quale fuit delictum quod Adam et nos in ipso et cum ipso commisimus), non *peccatum quod peccatum est et pœna peccati* (quale est peccatum originale, et peccata ex cupiditate aut ignorantiâ in præsenti statu facta), cùm, inquam, hoc dixit S. doctor, intendit rationem voluntarii et liberi *perfectissimè et plenissimè* non convenire nisi soli primi parentis peccato, quod idcircò *perfectissimè et plenissimè* fuit peccatum; unde peccata ex cupiditate, vel ignorantiâ orta, et ideò ex Adamico delicto, haud sunt tam voluntaria et libera quàm peccatum primi parentis, quâ ex causâ multò minùs gravia sunt ; quæ tamen fiunt ex dominante concupiscentiâ possunt vitari cum Dei auxilio, in quo omnia possumus, et ideò absolutè et simpliciter peccata meritò reputantur. Verùm quæ ex insuperabili ignorantiâ committuntur, impropriè duntaxat sunt voluntaria, id est voluntaria *voluntate facti*, non *voluntate peccati ;* qui scilicet ex invincibili ignorantiâ peccat facit quod facit, sed si sciret esse peccatum nec vellet facere nec faceret ; unde sunt impropriè tantùm peccata.

Hanc Bellarmini solutionem, quam ob oculos habebat Yprensis indubiè non improbavit nisi quia cum suo systemate cohærere non poterat. Et verò noverat Estium, quem sæpiùs impensè commendat, in 2 Sent. distinct. 24, paragrapho 10 et seq. asserere commemorata Augustini loca ad naturam etiam corruptam pertinere.

Probatur 2° auctoritate Ecclesiæ, *cujus doctrina,* inquit D. Augustinus lib. 6 contra Julianum cap. 5, n. 11, *tenenda est, etiamsi nec ratione indagari, nec sermone explicari possit.* Concilium Trid. sessione 6, can. 6, anathema denuntiat iis qui negaverint *esse in hominis potestate vias suas malas facere.* Ejusdem sessionis cap. 11, præeunte D. Augustino dicit, *Deum impossibilia non jubere ;* at, etsi daremus Yprensi, voluntarium sufficere ad peccatum, et ideò id esse liberum quod fit à voluntate cum plenâ

advertentiâ rationis, sive à principio intrinseco cum cognitione, scholasticorum de insuperabili ignorantiâ pronuntiatum his decretis vindicaretur; quod enim ex eâ ignorantiâ fit malum esse funditùs ignoratur; peccatum ergo esse non potest.

Inter 79, aut octoginta (juxta P. Duchesne) Baii propositiones à Pio V anno 1566, Gregorio XIII anno 1579, Urbano VIII anno 1641 proscriptas, hæc numero 67, vel 68 (apud P. Duchesne) invenitur: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit*; sed quod fit ex ignorantiâ insuperabili fit necessariò; ergo. Ex triginta et unâ Jansenianorum propositionibus ab Alexandro VIII damnatis anno 1690, hæ numero 1 et 2 sunt proscriptæ. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale et demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in causà suà, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.—Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex eà non excusat à peccato formali*, etc.,

Probatur 3° unanimi doctorum catholicorum consensu. Hoc suffragium, ut diximus, non inficiatur Jansenius, sed Lutheri et Calvini sententiæ inhærens floccifacit. Certè Lutherus hæreticorum omnium impudentissimus in cap. 12 Geneseos dixerat: « Scholastici invincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, quæ simpliciter à toto excuset, id est peccatum prorsùs tollat; tanta cæcitas est in papæ scholis et Ecclesiis! »

Ipsius physicæ prædeterminationis patroni, quos Jansenii defensores perperàm et incassùm sibi arrogare consueverunt, hæreticorum de invincibili ignorantiâ dogma apertè rejiciunt et irrident. Generaliter dixerat D. Thomas 1-2, q. 76, a. 3, in fine corporis: « Si verò talis sit ignorantia, quæ omninò sit involuntaria (sive quia est invincibilis, sive quia est ejus quod quis scire non tenetur), talis ignorantia omninò excusat à peccato. » Hanc sententiam avidè amplexi sunt insigniores Thomistæ, Dominicus Bannes, Petrus Ledesma, Didacus Alvares, Gregorius Martines, et alii qui uno ore asserunt, *certum esse secundùm fidem*, omne peccatum esse voluntarium, et neminem peccare in eo quod nullo modo vitare potest.

Nihilosecius Jansenii defensores magistro audaciores Guillelmum Estium tot theologorum choro opposuerunt. Etenim, inquiunt, in 2 Sentent. distinct. 22, paragrapho 13, *expendens quænam juris ignorantia excuset*, annotat, constare invincibilem ignorantiam facti, aut juris positivi divini vel humani à peccato excusare, sed id non constare de ignorantiâ juris naturalis; quidam enim (inter quos recenset cardinalem Cajetanum, et ipsum Adrianum VI) existimant *ignorantiam juris naturalis neminem prorsùs excusare*, etiamsi invincibilis sit. Scilicet, inquit vir eruditus, « ignorantia facti, vel juris positivi, si invincibilis sit, reddit actum involuntarium quoad rationem peccati; nam qui eum facit nescit eum esse prohibitum; non est autem hujusmodi actus peccatum, nisi quatenùs prohibitus est, et ideò si ignorantia quâ ignorat esse prohibitum, sit prorsùs involuntaria, erit et actus ipse secundùm rationem peccati prorsùs involuntarius; at ignorantia juris naturalis nunquàm facit actum prorsùs involuntarium, etiam quâ ratione peccatum est, quia non facit, ut malum prorsùs ignoretur, sed semper permittit ipsum aliquo modo fieri. » Actus nimirùm ille non est malus quia prohibitus est, sed potiùs prohibitus est quia malus est, et ideò qui ignorat actum illum esse prohibitum fertur nihilominùs in malum; quod ratiocinium sic illustrare et confirmare aggreditur. « Exempli causâ, inquit, qui mentitur officiosè, putans tale mendacium esse licitum, is quidem nescit tale mendacium pertinere ad genus peccati, ideòque putat non esse peccatum; scit tamen se mentiri, et proinde actum, qui essentialiter malus est, voluntariè committit. »

Porrò ex his, inquiunt Yprensis sectatores, evidenter colligitur ignorantiam, etiam insuperabilem juris naturæ, à peccato non excusare, et meritò prorsùs Jansenium hanc virtutem inseruisse invincibili ignorantiæ juris positivi, et factorum, non juris naturalis; ergo. — Resp. 1°, Jansenii defensores sese hìc magistro industriores et sagaciores ostentare; Yprensis enim, qui Estium, ubi sibi favet, laudare solet, hunc theologum hâc in controversiâ non adduxit, indubiè quia ejus doctrinam suæ causæ patrocinari non censuit; in quo eruditionis suæ specimen exhibuit. Etenim Estius in 2 Sent. distinct. 24, paragrapho decimo, celebre Augustini adversùs Manichæos effatum, *quidquid non est voluntarium et liberum non potest esse verum peccatum*, naturam etiam corruptam spectare asserit, ut observavimus, quod suum de ignorantiâ invincibili systema evertere credidit Jansenius, ut iterùm diximus. Item Estius quæ dixit loco objecto de ignorantiâ invincibili juris naturæ non minùs de ta-

turâ integrâ quàm de vitiatâ intelligi voluit; quam enim ibidem affert ratio utramque naturam pariter spectat, ut ad eam vel tantisper attendenti illicò videbitur; è converso et Yprensis, et omnes ejus discipuli ignorantiam invincibilem juris naturalis nonnisi in naturâ corruptâ à peccato non excusare contendunt. Item Estius loco proposito suam de invincibili ignorantiâ legis naturalis sententiam non ut certam, sed velut problematicam repræsentat, siquidem varias super hoc opiniones refert; è converso et Jansenius et cuncti ejus patroni suam de eâdem ignorantiâ opinionem *velut dogma fidei ab antiquâ Ecclesiâ traditum* traducunt, etc. — Resp. 2°, ex adductâ Estii argumentatione manifestum fieri ipsum censuisse actum in se prorsùs involuntarium, id est actum qui propriâ voluntate non est volitus, non posse esse verum peccatum (personale nempe de quo solo hîc est quæstio); quæ sententia prorsùs adversatur systemati Jansenii et ejus sectatorum, qui contendunt in præsenti statu ad verum peccatum sufficere ut actus non propriâ voluntate, sed alienâ, Adami scilicet, sit volitus; unde in eo duntaxat deceptus fuit vir eximius (si de ignorantiâ omninò insuperabili juris naturæ disseruit), quòd in transgressione legis naturalis *voluntatem peccati cum voluntate facti* necessariò conjunctam esse crediderit, id est quòd existimaverit materialem juris naturæ violationem semper importare voluntatem ponendi actum prohibitum; qui quidem facti error excusatione dignus est in viro cui explorata non erant decreta Sedis apostolicæ adversùs Baium, inprimis citata definitio Alexandri VIII anni 1690.

Quod attinet ad Adrianum VI, et Cajetanum, quos Estius laudat, Jansenii sententiæ nullatenùs favent. Ille enim (quodlibeto 4) expressè asserit, *ignorantiam legis naturæ, si sit invincibilis, omninò excusare à peccato;* iste in 1-2, q. 76, a. 3 et 4, probat D. Thomæ de ignorantiâ insuperabili doctrinam Yprensis systemati, ut ostendimus, omninò adversam. Cæterum. super his consuli poterit Stephanus Deschamps de hæresi Jansenianâ, lib. 2, disp. 5, cap. 6.

Probatur 4°, ratione quæ plura nobis suggerit argumenta adversùs Jansenium. Etenim 1°, dicente Augustino libro de verâ Religione cap. 14, totus orbis hoc resonat effato, *quod non est voluntarium verum peccatum esse non potest;* at quod ex insuperabili ignorantiâ fit nullatenùs est voluntarium; nam totus iterùm orbis per *voluntarium* id intelligit quod fit à principio cognoscente actum bonum aut malum esse, quæ cognitio conjungi nequit cum invincibili ignorantiâ. 2° Si quod fit ex insuperabili legis naturæ ignorantiâ, quamvis in se involuntarium, est verum peccatum, quia voluntarium est in causâ, id est in Adæ peccato, ut placet adversariis, homo poterit in iis versari circumstantiis, in quibus, quidquid moliatur, necessariò peccabit, vel de commisso peccato non poterit dolere, aut propositum de non peccando in posterum non elicere; at ista absurda, divinæ bonitati et justitiæ contraria sunt, et divinis cohortationibus, quibus in sacris Commentariis sontes ad meliorem frugem invitat Deus, apertè repugnant; ergo. Probatur major. Sit homo qui invincibiliter credat sibi præceptum esse furari, aut mentiri ad egeno asservandam vitam, aut parenti vitæ in discrimine constituto subveniendum. Hæc hypothesis in principiis Jansenii non repugnat; at iste homo, quidquid agat, peccabit, sive furetur, aut mentiatur, sive non; si enim furatur, aut mentitur, peccabit adversùs legem naturæ, cujus insuperabilis ignorantia non excusat à peccato; si non furatur, aut non mentitur, aget contra conscientiam invincibiliter errantem, quam tunc audire et sequi præcipit lex naturæ. Jam verò, quomodò iste homo, si furatus fuerit, de peccato contra legem naturæ commisso dolere poterit? Dolor enim, ut hîc sumitur, est detestatio malitiæ et perversæ voluntatis; non fuit autem in isto homine malitia et perversa voluntas, sicut nec in eo qui præceptum violat positivum ex invincibili illius ignorantiâ; quomodò eliciet propositum non peccandi de cætero? cùm in ipsius potestate non sit postea non agendi ex insuperabili legis naturæ ignorantiâ. 3° Palmare adversariorum principium fert, invincibilem juris naturæ ignorantiam ideò non excusare à peccato quia est *pœna peccati originalis;* si ergo insuperabilis juris positivi ignorantia, v. g., legis evangelicæ, sit etiam pœna peccati originalis, à peccato non magis excusare poterit quàm ignorantia invincibilis juris naturæ; utraque enim ex hypothesi æquè libera erit in Adamo; at invincibilis juris positivi ignorantia est pœna peccati originalis; « Si, inquit D. Thomas 2-2, q. 10, a. 1, in c., infidelitas accipiatur secundùm negationem puram, sicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed

magis pœnæ, quia talis ignoratio divinorum ex peccato primi parentis consecuta est; unde Dominus dicit (Joannis cap. 15): *Si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent* (infidelitatis in Christum); *nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* » Hoc Christi oraculum expendens D. Augustinus tractatu 89 in Joannem n. 1 et seq. docet, Judæos peccatum infidelitatis in Christum habituros non fuisse si non venisset Christus, et *infideles negativos*, qui scilicet nihil unquàm audierunt de Evangelio, *habere excusationem non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.*

Objicit 1° Jansenius lib. 2 de Statu naturæ lapsæ, cap. 2: D. Augustinus libro de gestis Pelagii, cap. 18, n. 42, refert in synodo Palæstinâ damnatam fuisse hanc Pelagianorum propositionem excerptam ex septimo Cœlestii capitulo: « Oblivio et ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem. » At synodus Pelagianorum propositionem intellexit de solâ ignorantiâ juris naturæ, quæ erat invincibilis, utpote quæ non secundùm voluntatem, sed secundùm necessitatem esset; ergo. — Resp.: Nego minorem. Si Yprensis quæ ibidem post commemorata verba immediatè addit Augustinus proferre voluisset, evanuisset difficultas; « cùm, inquit S. doctor rationem censuræ adducens, David dicat (Psalmo 24): *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris;* et in lege (Levitici 4) sacrificia pro ignorantiâ sicut pro peccato offerantur; » at certum est ignorantiæ peccatum, pro quo sacrificium in Levitico præcipitur, esse ignorantiam juris positivi. Etenim cap. 5 sacrificium imperatur pro homine qui aliquid immundum tangit per ignorantiam: et cap. 22, pro homine qui de sanctificatis per ignorantiam comedit. Pariter textus Davidis potest intelligi de peccatis quæ David sciens et volens commisit, ac deinde oblitus est, id est de peccatis ex ignorantiâ vincibili factis. Constat etiam SS. Hieronymum et Augustinum alibi adversùs Pelagianos synodi Palæstinæ censuram defendendo adduxisse exempla tum juris positivi cùm factorum; v. g., Jonathæ qui lib. 1 Regum cap. 4, mel contra patris imperium ignorans gustavit, et viri qui occidit hominem putans esse feram. Synodus igitur Palæstina Cœlestinianam assertionem de ignorantiâ etiam juris positivi et factorum intellexit. Præterea damnata Pelagianorum propositio non disserit de iis quæ fiunt ex oblivione et ignorantiâ, sed de oblivione et ignorantiâ. Unde synodus edixit tantùm, oblivionem et ignorantiam, quam inviti patimur, *subjacere peccato*, id est esse ex peccato, sive pœnam peccati, quomodò concupiscentia dicitur ab Apostolo peccatum.

Verùm, arguit Yprensis ibidem, Pelagiani fatebantur, ignorantiam, quæ ex voluntatis negligentiâ nascitur, esse culpabilem; cùm igitur dicebant, *ignorantiam non subjacere peccato*, loquebantur de ignorantiâ invincibili; ergo synodus definivit ignorantiam invincibilem *subjacere peccato*, alioqui Pelagianorum propositionem sensu ab eis intento non damnavisset. — Resp. 1° Jansenium fortè non attendisse hoc ratiocinium nimis probare; probaret enim ipsam invincibilem juris positivi, aut facti ignorantiam non excusare à peccato. — Resp. 2° Pelagianos, etsi, D. Hieronymo epistolâ ad Ctesiphontem referente, *quid sentirent apertè non dicerent,* et ideò difficillimum sit eorum sensa certò figere, videri tamen duplicem habuisse opinionem circa ignorantiam; etenim D. Augustinus passim asserit, eos sensisse *difficultatem et ignorantiam esse primordia, non supplicia naturæ;* quem errorem ut eliminaret synodus Palæstina, definiit *ignorantiam subjacere peccato,* id est, ut diximus, in nostro statu Adæ peccati esse effectum... Item videntur existimâsse ea, quæ fiunt ex ignorantiâ, quam homo olim potuit et debuit vincere, sed quam eo instanti, quo agit, vincere non potest, non esse peccata, quia *illa eveniunt non secundùm voluntatem* (actualem nempe), sed *secundùm necessitatem;* hunc iterùm errorem proscribere potuit definiendo, ea, quæ ex tali ignorantiâ fiunt, esse peccata, quia illa ignorantia vinci potuit, et quam includit necessitas non antecedens, sed consequens est.

At reluctatur Yprensis ibidem. Augustinus, inquit, lib. de Naturâ et Gratiâ cap. 17, n. 19, hæc Pelagii verba refert: « Homo prævigilare « debet ne ignoret, ideòque est culpanda igno- « rantia, quâ id homo nescit negligentiâ suâ, « quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset. » Item S. doctor lib. 6 contra Julianum cap. 1, n. 2, Julianum sic affatur: *Ecce meritò reprehendisti eos qui supersederunt scienda cognoscere;* sed hæc evincunt Pelagianos docuisse ignorantiam vincibilem non esse culpæ expertem; cùm ergo synodus Palæstina, et S. Augustinus de eorum ignorantiâ opinionem damnaverunt, ignorantiam invincibilem peccato subjacere

asseruerunt.—Resp. 1° ut supra, argumentum probare insuperabilem ipsam juris positivi, aut factorum ignorantiam non excusare à peccato, et ideò Jansenio esse solvendum. — Resp. 2°, facilè contingere potuisse, ut Pelagiani pro hæreticorum more revocaverint quod antea asseruerant; quòd si Yprensis pertinaciter contenderit eos constanter docuisse ignorantiam vincibilem peccato subjacere, multùm non repugnabimus; verùm reponemus Pelagianos hoc uno nomine damnatos fuisse à synodo et S. Augustino quòd assererent ignorantiam in nostro statu non arguere peccatum primi parentis, sive vitiatam naturam. Etverò, in objectis locis relatis Pelagii et Juliani verbis statim concludit, ignorantiam ostendere humanam *originem vitiatam, massam damnatam*, etc.

Objicit 2° Jansenius eodem libro cap. 3 diversa Augustini testimonia. Enarratione in Psalmum 35, n. 3 et seq., eos qui dolosè quærunt iniquitatem suam ab iis qui illam sincerè scrutantur hâc regulâ discerni vult : « Cùm viderit, quia peccatum est, et destiterit facere ipsum peccatum, quod ideò faciebat, quia ignorabat, verè sic voluit nôsse iniquitatem, ut inveniret, et odisset; » ergo quis ex ignorantiâ peccare potest. — Resp. 1° textum istum ipsi Jansenio esse explicandum ; in eo scilicet nulla prorsùs occurrit mentio juris naturalis; generalis est, et ideò ipsis factis et juri positivo convenit. Enimverò applicari potest Abimelech, qui Genesis 20 dicitur peccâsse quando ex ignorantiâ Saram Abrahæ uxorem ducere statuit, et errore cognito eam statim remisit. 2° Dist. conseq. : Ergo quis ex ignorantiâ peccare potest impropriè, sive *materialiter*, ut aiunt, conc. *Formaliter*, subd. : Si ignorantia sit vincibilis, conc. Si sit invincibilis, nego conseq. Augustinum ibi disserere vel de peccato duntaxat materiali, sive de actione contra legem factâ, vel de ignorantiâ vincibili demonstrat contextus. Ibi enim delineat hominem, qui potest *quærere iniquitatem suam, et timet illam invenire;* aliunde adducit illud Psalmi 24 : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.* Epistolâ 194, aliàs 105, n. 26, legitur : « Humana superbia tanquàm præsumens de viribus liberi arbitrii excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis videtur esse quòd peccat...... » N. 27 : « Inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat, quia et ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati; ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio. » Ibi sermo de ignorantiâ sive vincibili, sive invincibili. Asserit autem S. doctor *inexcusabilem esse* omnem peccatorem, sive *peccaverit quia noluit scire quod lex jubebat,* sive *quia scire non potuit,* quod de Gentilibus Dei lege et cognitione, et ideò orationis etiam subsidio, destitutis, præcipuè intelligit. — Resp. ex contextu manifestum esse Augustinum Evangelii ignorantiam ventilare; numero enim 26 hoc Christi oraculum adducit Joannis cap. 15 : *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo* : quo adducto observat verba, *peccatum non habent,* non significare Judæos nullum habuisse peccatum (pleni enim, inquit, erant magnis et multis peccatis) sed, si non venisset Christus, *non habituros fuisse peccatum,* quo, *cùm audissent eum, non crediderunt in eum.* Disserit ergo S. doctor de infidelitatis peccato. Igitur quando, postquàm dixit Judæos de illo peccato excusationem non habere, immediatè addit : *Humana quippe superbia*, etc., et hæc conjungit per particulam *quippe*, loqui pergit de ignorantiâ legis evangelicæ, sive potiùs ostendere vult, ignorantiam vincibilem, qualis fuit in Judæis circa Christi Divinitatem, eos excusare non posse. Equidem n. 27 dicit inexcusabiles esse infideles qui non audierunt legem evangelicam. Verùm quid his intendit? Ignorantiam legis evangelicæ ipsis in peccatum esse imputandam ? Minimè profectò; si enim imputata non fuisset Judæis, certè nec Gentilibus. Quid ergo intendit? Refellere Pelagianos, qui contendebant infideles esse excusandos ab omnibus illis peccatis, quæ non commisissent si evangelicâ doctrinâ non fuissent imbuti, quia, inquiebant, quòd *peccent non audito Evangelio ignorantiæ est, non voluntatis;* hoc autem systema evertit Augustinus ostendendo illos infideles excusandos quidem esse à peccato infidelitatis in Christum, si de eo nihil audierunt, sed nihilosecius jure esse damnandos, aut *propter reatum originis,* aut *propter peccata propriâ voluntate addita*, quamvis ea non commisissent, si Evangelium ipsis fuisset annuntiatum. Ignorantia nimirùm legis evangelicæ eos excusare non potest ; vel enim potuerunt hanc legem intelligere, et noluerunt, et tunc illius ignoratio in eis verum est peccatum ; vel non potuerunt eam cognoscere, quia non audierunt, et tunc illius ignorantia est pœna peccati propter

quod justè damnantur: ergo, sive potuerint intelligere Evangelium, sive non potuerint, justè damnantur.

Libro de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 3, n. 5, habetur : « Graviùs peccat homo legem sciens, quàm nesciens ; nec tamen ideò confugiendum est ad ignorantiæ tenebras ut in eis quisque requirat excusationem ; aliud enim est nesciisse, aliud scire noluisse : voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, noluit intelligere ut benè ageret : sed et illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum qui tanquàm simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omninò quid crederet, sed fortassè ut mitiùs ardeat ; non enim sine causâ dictum est : *Effunde iram in gentes, quæ te non noverunt* (Psalmo 78), et illud quod ait Apostolus (epist. 9 ad Thessalonicenses cap. 1.) : *Cùm venerit in flammâ ignis dare vindictam in eos qui ignorant Deum.* » Ex his elucet juxta D. Augustinum *simplicem nescientiam*, id est ignorantiam, quæ voluntatem conjunctam non habet, esse peccatum, siquidem non impedit quominùs aliquis *sempiterno igne ardeat;* ergo. — Resp., Jansenio rursùs solvendum esse istud pronuntiatum : in eo enim D. Aug. verba facit de ignorantiâ juris divini positivi. Id quippe demonstrant verba, *si propterea non credidit, quia non audivit omninò quid crederet;* demonstrant adducti Scripturæ textus ; gentes enim Deum ignorant, quia fide destitutæ non cognoscunt Deum quomodò vult ab hominibus cognosci. Porrò Augustinus evidenter loquitur de infidelibus qui aliquid de evangelicâ lege audierunt, quam ideò invincibiliter omninò non ignorant, unde ait : *Qui tanquàm simpliciter nesciunt,* et eos distinguit ab illis qui *scire nolunt cùm possunt;* docet autem tales infideles ignorantiâ, seu *nescientiâ suâ,* non sic excusandos esse, *ut non ardeant, sed fortassè ut mitiùs ardeant;* ubi adverbium, *fortassè,* ostendit Augustinum à Janseniano systemate fuisse maximè alienum ; demonstrat enim ipsum dubitâsse de eorum sorte qui evangelicam legem omninò invincibiliter non ignoraverunt. Etverò, si Augustinus de simpliciter invincibili ignorantiâ fuisset locutus, duas particulas, sive adverbia, *tanquàm, fortassis,* non adhibuisset.

Epistolâ 47, n. 4, aliàs 154, hæc reperiuntur : « Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, et fecerit, hoc putando utique peccat, et ea sunt omnia peccata ignorantiæ quando quisque benè fieri putat, quod malè fit. » *Ibi,* inquit Jansenius in fine tertii capitis, *generalis et decisiva sententia de ignorantiâ, quòd nempe non excusat à peccato.* — Resp. Augustinum, ut ex solâ lectione cognoscitur, loqui de esu carnium idolis immolatarum, et ideò de ignorantiâ vincibili. Etverò fatetur Jansenius ibi agi *de homine de rei bonitate ac malitiâ dubitante*, quod demonstrant verba, *putaverit, putando,* quibus utitur Augustinus ; putare enim est cum oppositi formidine credere. Præterea, in Jansenii etiam systemate non potuit Augustinus *generalem et decisivam de ignorantiâ, quòd nempe à peccato non excuset, ferre sententiam*, cùm ignorantia invincibilis juris positivi et factorum non sit culpabilis.

Objiciunt ultimò Jansenii discipuli. Si insuperabilis juris naturæ ignorantia excuset à peccato, dabitur peccatum philosophicum ; absurdum consequens ; ergo. — Resp. : Nego majorem. Peccatum scilicet philosophicum est peccatum propriè dictum contra conscientiam factum, ideò *philosophicum* dictum, quia licet conscientiæ et rationis dictamini adversetur, Deum tamen non offendit ; at si invincibilis juris naturæ ignorantia à peccato excusat, actus qui ex insuperabili ignorantiâ fit contra legem naturalem, non est verum peccatum ; ergo non est peccatum philosophicum, quod, ut diximus, propriè dictum est peccatum, cùm fiat contra conscientiam. Etverò fatentur adversarii actionem, quæ fit ex ignorantiâ invincibili contra legem divinam positivam, Deum non offendere, nec peccatum esse philosophicum, quia non est verè peccatum ; ergo à pari actio, quæ ex eâdem ignorantiâ fiet contra legem naturalem, Deum non offendet, nec erit peccatum philosophicum, quia non potest esse propriè dictum peccatum. Quamobrem actus, qui ex invincibili ignorantiâ elicitur contra æternam legem, *materialiter*, non *formaliter* militat adversùs illam legem : lex enim æterna per se et immediatè non obligat, sed mediante duntaxat conscientiâ, per quam homini promulgatur ; unde D. Thomas docet legem æternam esse remotam actuum humanorum regulam, proximam verò eorumdem actuum regulam, esse conscientiam, quam idcircò agens consulere debet ; at evidens est actionem, quæ ex ignorantiâ invincibili fit contra legem æternam et naturalem, non esse contra conscientiam, imò fieri juxta conscientiam, cùm tunc dictet conscientia legem æternam nihil præcipere aut vetare ; ergo illa actio, etsi

legi naturali et æternæ repugnet *materialiter*, sive ratione sui præcisè, tamen ei non repugnat *formaliter*, et ideò non est verè et propriè peccatum, nec proinde peccatum philosophicum.

Verùm, inquiunt, supponamus Deum ab aliquo invincibiliter ignorari. Iste agendo contra conscientiam Deum non offendet, et tamen verum committet peccatum ; ergo in nostris principiis dabitur peccatum philosophicum. — Resp. fieri non posse ut Deus ab homine rationis compote invincibiliter ignoretur ; sua scilicet existentia et aliarum rerum, Entis supremi extantiam ipsi necessariò instillat. Verùm, esto, Deus ab aliquo sic ignorari possit, actio, quam contra conscientiam eliciet, vera erit Dei offensa, quia invincibilis Dei ignorantia in isto agente non impedit quominùs Deus puniat, aut detestetur actionem contra conscientiam elicitam, sive quominùs Deus necessariò vetet agere contra conscientiam ; unde Deus in talem hominem iram suam meritò effundere potest ; quanquàm nondùm definitum est in hâc hypothesi non dari peccatum philosophicum.

Principia solutionum. — Primum. Ut Jansenius et ejus sectatores suum de invincibili ignorantiâ systema stabiliant, tria ostendere debent. 1° Textum, quem assumunt, respicere ignorantiam juris naturalis..... 2° Eumdem textum arguere ignorantiam invincibilem... 3° Textum exprimere peccatum formale. Si vel unum ex istis tribus defecerit, inane prorsùs et plumbeum erit eorum argumentum.

Secundum. Commemoratum Yprensis super ignorantiâ systema secum non cohærere videtur, et virum alti consilii, et ratiocinii non decere ; quidquid enim proponit ut illud confirmet, in ipsum retorqueri potest, siquidem concedit ignorantiam invincibilem juris positivi, et factorum excusare à peccato.

Tertium. Omnia ferè testimonia quæ adversùs catholicam sententiam hîc objici possunt, aut ignorantiam vincibilem tangunt, aut unicè significant ignorantiam invincibilem esse peccatum *effectivè*, id est pœnam seu effectum peccati, non formaliter.

Quartum. Præ oculis habe singulare Pelagianorum super ignorantiâ systema, ut argumenta, ex D. Augustino præsertim, adversùs nostram sententiam desumpta in fumos abeant.

ARTICULUS SECUNDUS.

De effectibus peccati originalis in futurâ vitâ.

Præcipua, quæ sese hîc offert quæstio et difficultas spectat parvulos sine baptismo ex mortali vitâ, et ideò cum solo peccati originalis reatu, migrantes, utrum nempe aliquo afficiantur supplicio, et quodnam illud sit. Quid in celeberrimâ istâ quæstione certum sit primùm exhibebimus; quid in eâ problematis sit postea assignaturi.

§ 1. *Errores circa parvulorum absque baptismo pereuntium sortem referuntur, et exploduntur.*

Primus error commemoratos parvulos, peccato licet originali coinquinatos, regni cœlorum cum sanctis participes fecit. Ita olim, referente D. Augustino lib. 1 de Animâ et ejus Origine cap. 9, n. 10, visum fuit cuidam Vincentio, quem ibidem refellit S. doctor, et lib. 3, cap. 9, n. 12, ubi ait : *Noli hoc credere, nec dicere, nec docere, si vis esse Catholicus.* Eumdem errorem 16 seculo recoxit inter Protestantes Zuinglius, et respectu fidelium Calvinus ut articulo præcedente diximus.

Ad istum errorem revocari debet, aut saltem revocari potest, singulare Pelagii systema, qui, D. Augustino teste, illis parvulis non equidem *regnum cœlorum* concedebat (Christi verbis Joannis cap. 3, *nisi quis renatus fuerit* etc., indubiè perterritus) sed tamen *æternam et beatam vitam* promittebat. Etenim in Scripturis, et quidem in ipso capite tertio Joannis, regnum cœlorum et vita æterna idem sonant. Christus quippe v. 16 *regnum cœlorum æternam vitam* nuncupat : *ut*, inquit, *omnis, qui credit in illum, non pereat*, *sed habeat vitam æternam.* Quare hæc distinctio miserum fuit delirantis hæreseos effugium.

Ab isto errore multùm discrepare non videtur Ambrosii Catharini in libro de *Statu puerorum sine baptismo decedentium*, et quorumdam aliorum systema, quod ineunte præsenti seculo amplexus est, et illustrare conatus est in *suo Nodo prædestinationis dissoluto* cardinalis Sfondratus ob id à cardinali Noallio, et quinque Galliarum episcopis Innocentio XII denuntiatus. Isti nempe docuerunt commemoratos infantes supernaturali quidem privandos esse beatitudine, id est intuitivâ Dei visione, sed naturali tamen felicitate esse donandos, saltem post extremum judicium, et eos in quodam velut paradiso terrestri perpetuò et feliciter victuros esse, virtutibus moralibus instructos, imò Angelorum consortio et revelationibus honoratos, etc. Hoc, inquam, systema proximè accedere videtur ad errorem Pelagianorum ; etsi enim difficillimum est determinare quid Pelagiani intelligerent per vitam æternam,

quam parvulis extra regnum cœlorum condebant, ex D. Augustino tamen non obscurè colligi potest. Etenim lib. 5 contra Julianum cap. 11, n. 44, dicit à Pelagianis *infantes alienatos fuisse à vitâ Dei, et regno Dei*. At vita Dei et visio Dei unum et idem sunt; ergo ipsis promittebant beatitudinem ab intuitivâ Dei visione distinctam, quæ alia esse non potuit quàm beatitudo naturalis. Unde in lib. de Hæresibus refert Pelagianos non æternam vitam simpliciter, sed *quamdam æternam vitam* infantibus non baptizatis pollicitos fuisse. Sit igitur.

Conclusio. — Parvuli sine baptismo pereuntes omni beatitudine, sive supernaturali, sive etiam naturali privantur. Est de fide quoad primam partem, et quoad secundam ad fidem proximè saltem accedere videtur.

Probatur prima pars assertionis, id est infantes absque baptismo pereuntes omni beatitudine supernaturali privandos esse. Christus Joannis cap. 3 clamat : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei...* Apocalypsis cap. 21 dicitur : *Nihil coinquinatum in civitatem sanctam*, id est in regnum cœlorum, *intrabit*, etc. At supernaturalis beatitudo æterna, et regnum cœlorum in Scripturis, ubi de præmio et felicitate post hanc vitam res est, idem omninò significant, ut diximus... Item Patres infra referendi commemoratos parvulos non solùm felicitate supernaturali destituunt, sed etiam in infernum amandant et detrudunt... Hinc synodus Florentina in decreto unionis Latinorum et Græcorum anno 1439, canone 4, definivit, *eorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali, decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*.

Probatur secunda conclusionis pars, sive parvulos sine baptismate intereuntes nullâ beatitudine, etiam naturali, potiri; probatur, inquam, ex Scripturis docentibus, eos, qui naturali generatione ex Adam oriuntur, quamdiù baptizati non sunt, esse *filios iræ*, esse *in condemnatione, in morte*, nullam aliam esse beatitudinem in præsenti statu præter eam quæ consistit in clarâ Dei visione, etc... Ex exsufflationibus, exorcismis, precibus in solemni baptismi administratione ab Ecclesiâ semper adhibitis, ut parvulos à diaboli potestate erueret, etc... Ex Patribus dicentibus, parvulos sine baptismo morientes *perire, damnari, in infernum descendere, nullum misericordiæ locum invenire*, cùm tempus mortem subsequens sit justitiæ, non indulgentiæ tempus, etc. At ex his manifestum est præfatos infantes naturali beatitudine non donari, etiam post generalis judicii diem, ut somniavit Catharinus; ergo. Certè pudere debuisset viros catholicos illud recudere systema, quod in Pelagianis universa execrata est Ecclesia. « Novellos, inquit D. Augustinus lib. 2 de Animâ et ejus origine, cap. 12, n. 17, hæreticos Pelagianos justissimè conciliorum catholicorum, et sedis apostolicæ damnavit auctoritatis, eò quòd ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis et salutis locum, etiam præter regnum cœlorum. »

§ 2. *Opiniones de sorte parvulorum sine baptismo morientium adducuntur, et una eligitur.*

Tres de sorte commemoratorum infantium Scholasticorum sententias recenset Bellarminus lib. 6 de Amissione gratiæ et statu peccati, cap. 1.

Prima parvulos cum solo originali peccato è vitâ migrantes nulli ex damnatione, sive cœlestis gloriæ privatione, dolori sive interno sive externo subjicit. Ita D. Thomas in 2 Sentent. distinct. 33, a. 4, ubi in fine corporis ait : « Parvuli sine baptismo decedentes pœnâ sensibili non puniuntur, sed solâ carentiâ visionis divinæ; » idem docuit q. 5 de malo a. 2 et 3. Ita D. Bonaventura et alii plures è scholasticis.

Secunda eosdem infantes igneam combustionem experiri negat; eos tamen interno quodam dolore ex amissione cœlestis beatitudinis, quæ est pœna damni, torqueri asserit. Ita Petrus Lombardus lib. 2 Sent. distinct. 33, litterâ E, et alii, quibus adhæsit Bellarminus loco citato cap. 6.

Tertia eosdem parvulos flammeâ concremmatione, mitissimâ licet, cruciari docet. Ita celebris nominis auctores, Gregorius Ariminensis in 2 Sent. distinct. 33, q. 3; Joannes Driedo lib. 1 de Gratiâ et libero Arbitrio, tract. 3, cap. 2; Sylvius in 1-2, q. 85, a. 6; Dionysius Petavius, lib. 9 de Deo et ejus Attributis, qui est de prædestinatione cap. 10, n. 10 et seq.; Henricus Norisius in Vindiciis cap. 3, paragrapho 5, etc. Eadem sententia multis ex Protestantibus arridet. Jansenius etiam et eruditi illius sectatores, inter quos auctor tractatûs de Statu parvulorum sine baptismo decedentium, qui reperitur ad calcem Augustini Yprensis, eamdem opinionem (quam ut dogma catholicum habent), totis ulnis amplexi sunt. Illa nimirùm sententia ipsis perquàm idonea visa est ad stabiliendum palmare principium, quo obtrudunt, libertatem ad merendum aut demerendum in

statu naturæ lapsæ requisitam, stare cum necessitate relativâ ad bonum aut malum, et ideò aliquem posse à Deo justo æternis addici flammis propter peccatum à quo (propriâ voluntate) abstinere non potuit.

His opinionibus alia adjungi posset, in quam olim propenderamus, quia inprimis nonnullis Augustini testimoniis innixa videtur, ea scilicet quæ prædictorum parvulorum sortem respectu pœnæ sensûs, Deo volente, omninò occultam et incertam esse, et idcircò ab Ecclesiâ definiri non posse tradit, ad eum ferè modum quo censuit Melchior Canus intemeratum B. Virginis conceptum ex Scripturis aut traditione certò colligi non posse.

Etsi tertia opinio hæreticis perquàm accepta est, tamen improbabilis æstimanda non est si aliunde verbo Dei scripto et tradito magis consona apparet; quemadmodùm enim non sunt facienda mala ut eveniant bona, ita ut error eliminetur, veritas non est impugnanda. Porrò omnibus ritè perpensis existimamus hanc sententiam, non quidem certam esse qnasi opposita erronea foret (ut falsò prætendunt novatores), sed Scripturæ et traditioni magis conformem, et Jansenii patronis Augustini et ejus discipulorum pronuntiatis addictissimis ab obstinatissimâ suâ adversùs Ecclesiæ Constitutiones pertinaciâ abducendis longè magis aptam. Hinc eam primùm adstruere aggrediemur, subinde ostensuri eam à Jansenii defensoribus in perversi sui dogmatis confirmationem immeritò adduci.

Probabilius est parvulos sine baptismo è seculo raptos non damni tantùm, sed et sensûs pœnam, mitissimam tamen, subire. — Prob. Ea sententia viro theologo probabilior videri debet quæ argumentis ex omnibus fontibus theologicis erumpentibus solidatur, quibus ex adversâ parte minùs solidæ responsiones inducuntur; sic se habet commemorata assertio; ergo, etc. Probatur minor inductione.

Primum momentum. — *Ex Scripturis.* — Sacri codices plurima offerunt testimonia in hujus assertionis commendationem, quibus D. Augustinus adversùs Pelagianos pueros sacris aquis inexpiatos decedentes non in *quamdam æternam vitam,* sed in *gehennam ignis* mitti solidè et nervosè demonstravit.

Primum testimonium extat Matthæi cap. 25, ubi refertur Christum in universali judicio prædestinatos à dextris suis, reprobos verò à sinistris esse collocaturum, et illos sic esse compellaturum : *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi,* istos è converso sic : *Discedite in ignem æternum.* Non nostrum, sed S. Augustini super hoc adsit ratiocinium : « Venturus Dominus, inquit sermone 294, aliàs 14 de verbis Apostoli, cap. 3, n. 3, et judicaturus de vivis et mortuis... duas partes facturus est, dextram, et sinistram. Sinistris dicturus : *Ite in ignem æternum.....* dextris dicturus : *Percipite regnum,* etc. Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis et mortuis judicabitur; alii erunt ad dextram, alii ad sinistram, non novi aliud... Si ergo dextra erit, et sinistra, et nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in dexterâ regnum cœlorum est... qui ibi non est, in sinistrâ est. Quid erit in sinistrâ? *Ite in ignem æternum.* In dextrâ ad regnum, utique æternum; in sinistrâ, in ignem æternum. Qui non in dextrâ, procul dubio in sinistrâ; ergo qui non in regno, procul dubio in igne æterno. »

Hæc publicè protulit S. doctor Carthagine perorans coram Aurelio Africæ primate anno 413, ut tradunt Patres Benedictini, et elucet ex libro de gestis Pelagii cap. 11, imò ex ipso isto sermone cap. 20, n. 19, ubi concionem finiens ait : « Rogo vos, ut paululùm adquiescatis. Lego tantùm. Sanctus Cyprianus est, quem in manus sumpsi, antiquus episcopus Sedis hujus. » Porrò S. doctor sententiam de sensibili puerorum pœnâ fidelibus publicè annuntiabat non tanquàm dubiam, sed tanquàm certam et indubitatam; *qui,* inquit, *non in regno, procul dubio in igne æterno.* Neque Augustinus hoc cursim, vel in uno alterove opere, sed constanter et in cunctis adversùs Pelagianos scriptis protulit, v. g., lib. 1 de peccatorum meritis et remissione, cap. 28, n. 55, etc.

Adversarii incerti quid reponant in varias abeunt solutiones, sive potiùs conjecturas. Celebris Catharinus, opusculo de Statu parvulorum confidenter asserit parvulos extremo judicio non esse adfuturos. Aliis videtur puerorum judicio præsentiam non esse certam, aut saltem non constare utrum infantes in eo, ut judicentur, sint comparituri; aliis tandem placet eosdem parvulos in judicio fortè non in sinistrâ, sed in medio quodam loco esse collocandos. Eruditus Bellarminus lib. 6 de Amissione gratiæ et Statu peccati, cap. 5, hoc expendens argumentum ad nullam ex istis responsionibus confugit, et meritò quidem; etenim concilium Africanum ex 214 episcopis conflatum apud

Carthaginem anno 418 adversùs Pelagianos habitum canone 2 definiit non baptizatos parvulos Christi Judicis sinistram esse occupaturos. Idem sancivit S. Gelasius papa in epistolâ ad episcopos per Picenum contra Senecam Pelagianum; scio quidem hunc canonem à nonnullis concilio Africano abjudicari; sed scio etiam Augustinum passim inter Pelagianorum errores hunc annumerare quòd illis pueris *quasi medium locum* destinaverint inter tartari supplicium, et regni cœlestis præmium; unde colligebant eos à Christi sinistrâ non esse futuros. Jam verò quæro an probabile sit Patres Africanos ad perstringendos omnes et singulos Pelagianorum errores congregatos hunc intactum relinquere voluisse? Verùm utquid hæc? Adversarii huic responsioni firmiter inhærere non poterunt nisi Augustinum intolerandæ temeritatis et impudentiæ insimulaverint. Scilicet in celebri epistolâ 217, quæ est ad Vitalem, aliàs 107, cap. 5, n. 16, duodecim figit sententias adversùs Pelagianos (quas omnes ibidem cap. 6, n. 24, p. 807, *ad fidem catholicam pertinere* dicit), quarum septima et octava ferunt commemoratos parvulos à Christo judice *esse condemnandos.*

His indubiè alto animo perpensis Bellarminus aliam loco citato excogitavit et edidit solutionem; scilicet omnes prorsùs homines extremo judicio adfuturos esse, siquidem erit universale, sed Matthæi 25 solam tangi judicii formam Ecclesiæ membra spectantem, et ideò hunc textum parvulis, de quibus res est, adaptari non posse; unde colligit Augustinum locis in probatione adductis per ignem æternum, in quem illos parvulos ituros esse dicit, designâsse *infernum, ubi est ignis æternus,* sive *damnationem* in genere, non *certam pœnæ speciem, sive qualitatem, cùm* præsertim lib. 5 adversùs Julianum cap. 11, edicat, se definire non audere *qualis et quanta futura sit pœna,* quâ illi parvuli mulctabuntur. Verùm salvâ, quæ eruditissimo christianæ religionis dogmatum vindici debetur, reverentiâ, hæc responsio non solida, quinimò periculosa videtur; eâ enim admissâ, quis insulsam judicet evasionem Origenistarum circa pœnarum æternitatem, nempe reprobos ituros esse in infernum, *ubi est ignis æternus,* non in ignem æternum? vel ignem, in quem ibunt impii, æternum esse respectu durationis, non respectu impiorum combustionis? Quis absurdum Pelagiani alicujus effugium, scilicet infantes sacris undis non ablutos descensuros esse in infernum, *ubi est ignis æternus,* sed ibi non ignis ustionem, at cujusdam æternæ vitæ dulcedinem esse experturos? etc. Deinde quàm aliena est hæc responsio à constanti doctrinâ Augustini, qui ubique, et speciatim in cap. 5 modò laudatæ epist. 217 ad Vitalem, asserit in extremo judicio judicandos esse parvulos quatenùs in baptismi receptione vel non receptione, non per se sed per alios crediderunt, vel non crediderunt? « Scimus, inquit, quòd omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundùm ea, quæ per corpus gessit... sive bonum sive malum... Scimus parvulos, si in illâ parvâ ætate moriuntur, utique secundùm ea quæ per corpus gesserunt, id est tempore, quo in corpore fuerunt, quando per corda, et ora gestantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati sunt, etc... judicari, » etc. Tandem quid intendit S. doctor lib. 5 contra Julianum cap. 11? Hoc unum, « se non dicere parvulos sine Christi baptismate morientes tantâ pœnâ esse plectendos, ut eis non nasci potiùs expediret, cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis et impiissimis dixerit; » quæ sedulò observanda sunt, cùm ibidem inter peccatores, de quibus Christus id non protulit, ipsos recenseat Sodomitas, qui sanè æterno comburentur igne: ex quibus ibidem concludit, « parvulos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissimâ esse futuros; qualis autem et quanta erit, » illa levissima damnatio, pro suâ sapientiâ declarat « se definire non posse » (quia illud soli Deo exploratum est) sed interim « se non audere dicere quòd parvulis illis ut nulli essent quàm ut ibi essent potiùs expediret, » cùm Christo dicente id ipsis Sodomitis non congruat. Augustinus igitur incertus fuit de damnatione parvulorum non quoad speciem (sciebat enim eam, *levissimam* licet, consistere in ignis combustione) sed quoad gradum duntaxat; quod aliunde ostendit ejus dubitatio circa *qualitatem* pœnæ Sodomitarum et aliorum peccatorum de quibus ibidem mentionem facit. Cæterùm, priusquàm alia profero oracula, nota adversarios, ipsumque Bellarminum, quoties objiciuntur testimonia enuntiata omnes ante Christum judicem comparituros esse, in ignem æternum mittendos, toties ad relatam distinctionem de *loco inferni, ubi est ignis æternus, non de igne æterno,* veluti ad anchoram confugere; unde cùm ista anchora lanea sit, non ferrea, in naufragium perpetuò incurrunt.

Alterum Scripturæ oraculum ex variis coa-

lescit textibus qui omnium et singulorum Adæ nepotum sub dæmone servitutem prædicant. Extant inprimis Matthæi 12, v. 29, Marci 3, v. 27, Lucæ 11, v. 21, Joannis 12, v. 31, 2 Petri 2, v. 19, etc. Eòdem recidunt quæ docet Apostolus epist. ad Rom. cap. 9, eosdem scilicet Adæ posteros, quamdiù sacris undis abluti non sunt, esse *vasa iræ et contumeliæ* in domo dæmonis; ipsos enim infantes inter illa vasa ab Apostolo annumeratos fuisse asserit D. Augustinus lib. 1 Operis Imperfecti contra Julianum cap. 141 : « Nos, inquit, Deum quidem parvulorum opificem prædicamus; sed ex eâdem massâ medium locum vasis, ubi nec in honorem fiant, nec in contumeliam, quem non dedit Apostolus, non damus. »

Non nostrum iterùm, sed eruditissimi gratiæ vindicis super divinum hoc pronuntiatum subministrabimus commentarium : « Tu, inquit Julianum alloquens et ipsi commemoratos textus objiciens, lib. 3 Operis Imperfecti cap. 199, qui eam negas (imaginem Dei) à diabolo possideri, procul dubio negas à potestate erui tenebrarum, cùm in Christi regnum regeneratione transfertur, et accusas universam catholicam Ecclesiam (quæ in exorcismo exsufflat parvulos priusquàm baptizentur) magno crimine Majestatis... Exsuffletur itaque Juliani amentia, ne majestatis rea in parvulorum mundatione et exsufflatione dicatur Ecclesia. Si autem non eruitur (parvulus sine baptismate mortuus), à potestate tenebrarum, et illic remanet, quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, cui in Dei regnum intrare non sinitur? » Parvuli igitur sine baptismo pereuntes dæmonis servituti addicti manent et ideò *æterno igne* cum diabolo comburentur.

Idem S. doctor ex eo quòd infantes sine baptismo è vitâ exeuntes vasa sint *iræ et contumeliæ,* passim colligit eos obnoxios esse *morti secundæ,* quæ consistit in combustione æternâ corporis et animæ, juxta istud oraculum Apocalysis cap. 20, v. 14 : *Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.* « Si, inquit lib. 1 ad Bonifacium cap. 22, n. 40, evangelicis vocibus cogimini confiteri (Pelagianos affatur), nec vitam salutemque posse habere parvulos de corpore exeuntes, nisi fuerint baptizati, quærite cur compellantur non baptizati secundæ mortis subire supplicium, etc. »

Theologi adversæ partis pœnam sensûs et immanem diaboli tyrannidem infantibus surripientes in hoc argumento diluendo, sive eludendo, mirum in modum laborant, et seipsos mutuò refellunt.

Reponunt nonnulli, iique non infimi nominis, pueros, peccato licet originali coinquinatos, dæmonis servituti non addici, quia pœna illa illi delicto non debetur. Verùm hæc responsio ipsius Juliani nefariam exprimit sententiam : « asseritis, inquit D. Augustinus Julianum alloquens lib. 6 Operis Imperfecti cap. 20, parvulos non esse sub potestate diaboli... dicit Jesus, qui secundùm hoc nomen suum salvum facit populum suum à peccatis eorum : *Nemo intrat in domum fortis ut vasa ejus eripiat, nisi priùs alligaverit fortem* (Matthæi cap. 12, v. 29), et vos in hoc populo Christi, quem salvum facit à peccatis eorum, parvulos non esse contenditis, quos ut propriis, ita nec originalibus vultis obstrictos esse peccatis, et cum fallaci vestro sermone minuitis vires ejus, quem dixit *Veritas fortem...* » Eadem responsio *omnibus Patribus* exsufflatur, ut ostendit Bellarminus lib. 6 de Amissione gratiæ et Statu peccati cap. 2; et tandem anathemate percussa est à conc. Trid. sess. 5, can. 1, ubi decernit, « Adam incurrisse cum morte captivitatem sub ejus potestate qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli. »

Respondent quidam alii cum audaci Catharino in commemorato opusculo, dæmonem in pueros primigeniâ licet maculâ fœdatos elapso extremi judicii die nihil juris esse habiturum, quia pro illis etiam Christus diabolum foràs ejecit. Sed ista solutio, Bellarmini etiam judicio loco citato, hæresim spirat; indicat enim commemoratos parvulos post judicii diem à paternâ noxâ esse eximendos, licet baptizati non fuerint; quod fidei catholicæ repugnat; *fides* scilicet *christiana,* inquit D. Augustinus lib. 1 de Nuptiis et concupiscentiâ cap. 20..... *non dubitat eos... qui lavacro regenerationis nondùm redempti sunt, etiam parvulos, sub diaboli esse potestate captivos, nisi et ipsi eâdem Christi gratiâ redimantur;* saltem significat eosdem parvulos, originali licet peccato coinquinatos, è dæmonis servitute esse eripiendos; quod iterùm errorem propinat ex dictis nimirùm stante vel non stante Adamico peccato, stat vel non stat dæmonis in homines etiam rationis non compotes immane jus et imperium.

Alii obtendunt pueros eo duntaxat sensu dæmonis servituti addici, quòd in Adam peccaverint; sed non attendunt hoc responsum nequaquàm cohærere cum Scripturæ et Pa-

trum oraculis enuntiantibus Adæ nepotes factos fuisse diaboli captivos, quia Adamo peccante peccaverunt; hæc enim loquendi ratio evincit Adæ posterorum captivitatem ortam esse ex delicto quod in Adamo et cum Adamo commiserunt, et ideò illam servitutem non minùs discrepare à maculâ, quæ eos sontes effecit, quàm effectum à causâ. Sanè eodem ratiocinio probare possent captivitatem Judæorum sub Assyriis nihil aliud fuisse, quàm peccata quibus iidem Hebræi Deum offenderant.

Aliis placet ideò mortalium genus dæmon subditum dici quia dæmon ex peccato originali jus et potestatem obtinuit homines tentandi et sic in infernum præcipitandi. Quæ profectò solutio cæteris non præstat. An enim, quæso, diabolus parvulos rationis usu destitutos potest tentare? An dæmon Adamum ante peccatum tentare non potuit, imò reverà non tentavit? Qui tentari possunt captivi quidem esse possunt; sed suntne reapsè captivi? Porrò parvuli non solùm esse possunt sed et reverà sunt dæmonis servi, aliàs reverà per baptismum à dæmonis captivitate non eruerentur, ut arguunt sancti Patres, inprimis Zozimus papa, apud D. Augustinum epist. cxc, aliàs 157, cap. 6: *Nullus*, inquit,... *redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus.* Cæterùm falluntur quidam hujus solutionis amatores, dùm fingunt hominem per peccatum originale eodem prorsùs modo fieri dæmonis captivum ac per peccatum actuale. Scilicet exorcismi, et exsufflationes, quibus ab Apostolicis temporibus utitur Ecclesia ad spiritum immundum à non baptizatis abigendum, demonstrant eos verè et intùs à dæmone possideri, et ideò illos esse veluti propria ejus mancipia; quos ritus non impendit eadem Ecclesia ubi vel insigniores peccatores Deo reconciliat, nisi sint energumeni. Præterea D. Augustinus, *cujus doctrinam*, inquit P. Alexander, super his *sequitur Ecclesia*, epist. 217, ad Vitalem, aliàs 107, cap. 3, numeris præsertim 10 et 11, dæmonis in infideles, sive non baptizatos, singulare dominium refert et graphicè describit.

Ex his, nî fallor, probatum manet pueros sine baptismate mortuos futuros esse crudelissimi tyranni potestati subditos, et ideò pœnis sensibilibus ab ipso infligendis obnoxios.

Momentum secundum.—*Ex sanctis Patribus.*— Oleum sanè operamque perderemus, si D. Augustinum hîc adduceremus, cujus tot decretoria testimonia hactenùs attulimus, et postea producemus. Aliunde adversarii non pauci S. doctorem *excessûs* hâc in parte insimulare ausi sunt, quos pro suâ eruditione, æquitate, et pietate revicit ipse Bellarminus. *Augustinus*, inquit lib. 6 de Amissione gratiæ et statu peccati, cap. 3, *aliquid humani passus esse, aut excessisse hoc in dogmate censendus non est; sed illi planè humanum aliquid patiuntur, et excedunt* (plures scholasticos perstringit), *qui parvulos in superiore parte terræ, quasi in terrestri paradiso collocant, eosque beatos ac felices dicunt.*

D. Hieronymus, ut notum est, tres dialogos adversùs Pelagium exaravit, in quibus sub nomine Critoboli Pelagium, sub nomine verò Attici virum catholicum mutuis colloquiis sese compellantes introducit. Critobolus autem versùs finem tertii dialogi, p. 102, c. 1, litt. C, hæc quærit: « Oro te, quid infantuli peccavêre? Nec conscientia eis delicti imputari potest, nec ignorantia, qui juxta Jonam Prophetam manum dexteram nesciunt et sinistram. Peccare non possunt, et possunt perire, genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua ridetur, *et æternæ miseriæ cruciatus miseris præparantur!* » Quid ad hanc Pelagii interrogationem sive objectionem Hieronymus? *Æternæ miseriæ cruciatus* in alterâ vitâ non subire infantulos? (hoc sanè reponere debuisset in adversariorum sententiâ.) Minimè. Quid ergo? Hoc unum, infantulos illos ex Apostolo Rom. cap. 5 peccato originali coinquinari, cui illi cruciatus debentur.

Idem dubio procul senserunt antiqui quibus probatum fuit istud D. Augustini pronuntiatum epist. supra citatâ 294, cap. 3, n. 3, aliàs 14 de verbis Apostoli, et alibi passim (quod verum esse fatetur ipse Bellarminus lib. 6 de Amissione gratiæ et Statu peccati, cap. 3) « Medium locum inter gehennæ supplicium, et regnum cœlorum pueris assignare error est pelagianus; » inter quos plurimi sanè extiterunt, v. g., omni laude major pontifex ad apostolicam Sedem ex Africâ evectus anno 491 Gelasius; in epistolâ quippe, quam ad episcopos per Picenum adversùs Senecam delirum senem Pelagianorum direxit, hæc habet: « Tollant de medio (Pelagiani) nescio quem tertium, quem decipiendis parvulis faciunt, locum; et quia nonnisi dexteram partem legimus, et sinistram, non illos faciant in sinistrâ regione sine baptismate permanere, sed baptizatos sinant ad dexteram salutarem sacrâ regeneratione transferri. » Enimverò dicente Bellarmino loco mox citato, « theologi scholastici, qui docent parvulos sine baptismo decedentes

non pati pœnam sensibilem ignis corporalis, propter Augustinianum effatum docent parvulos illos esse in inferno, et pœnam damni perpetuò luere, et ideò non assignant eis medium locum inter gehennæ supplicium, et cælorum regnum, sed in ipsâ gehennâ mitiore pœnâ quàm cæteros puniendos esse confirmant. »

Quòd si scholastici illi per mitiorem pœnam intelligerent mitissimam ignis exustionem, ipsam D. Augustini sententiam exprimerent; verùm, cùm per has voces designare velint meram beatificæ visionis privationem, aut saltem quemdam dolorem internum ex eâ orientem, toto cœlo recedunt ab Augustino, Gelasio, et aliis, qui asserunt commemoratos parvulos ideò futuros esse in inferno, et à sinistrâ supremi Judicis quia « ibunt in supplicium gehennæ, in combustionem æternam, in ignem sempiternum, in locum ubi torquetur dæmon, qui suam in eos tyrannidem exercebit, » etc. Etverò utquid illi parvuli in infernum descendunt? Nonne ut æternum supplicium cum aliis reprobis subeant?

Augustinus sanè et alii litem super hoc Pelagianis nunquàm fortè movisset, si in tertio quem fingebant loco concessissent infantes non solùm quâlibet æternâ vitâ privari, sed etiam supplicio quoad speciem æquali supplicio aliorum reproborum affici. Quamobrem præfati theologi verbis duntaxat, non re cum Augustino consentiunt, et si nos *tortores parvulorum* vocare pergant, eos *puerum deceptores* cum S. Gelasio appellabimus.

S. Avitus Viennensis in Galliâ præsul, « vir, inquit, Baronius, pietate, eloquentiâ, et præclaris adversùs sui temporis hæreticos scriptis apud antiquos scriptores et tabulas ecclesiasticas celeberrimus, qui concilio Epaunensi 24 episcoporum aliisque præfuit, » D. Augustini de parvulis doctrinam in carmine ad Fuscinam sororem his verbis consignavit :

Omnibus id verò gravius, si fortè lavacri
Divini expertem tenerum mors invida natum
Præcipitat, durâ generatum sorte gehennæ.
Qui mox ut matris cessavit filius esse,
Perditionis erit; tristes tunc edita nolunt,
Quæ flammis tantùm genuerunt pignora matres.

Eodem seculo quindecim episcopi Byzacenæ provinciæ in Africâ doctissimi ac sanctissimi exules in Sardiniam jussu Trasamundi regis Vandalorum Ariani deportati, eamdem sententiam consecraverunt. Scilicet cùm Petrus diaconus et alii monachorum Scytharum oratores Romam missi ad componendas quasdam de cœlestis gratiâ quæstiones in Oriente agitatas de Africanorum præsulum in Sardiniâ exulum eruditione certi facti fuissent, libellum de incarnatione et gratiâ Christi à seipsis exaratum ad eos miserunt expendendum et approbandum, si operæ pretium ducerent. Re in deliberationem missâ, Byzaceni præsules provinciam demandaverunt Fulgentio episcopo Ruspensi decreta sua litteris consignandi et ad commemoratos monachos dirigendi; hic Patribus sese morigerum præbens illicò ejusdem argumenti librum suo et fratrum suorum nomine scripsit, nimirùm de incarnatione et gratiâ. In eo autem opere Augustinianum de parvulorum supplicis pronuntiatum tam clarè expressit ut nullâ tergiversatione eludi possit. Hæc quippè reperiuntur cap. 14 : « Quæ justitia est, ut imago Dei, quæ nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? quò utique quisquis non ingreditur, interminabilibus ignis æterni cruciabitur pœnis..... Si ergo nolunt in ipsius Dei contumeliam mortiferâ impietate versari, fateantur hominem primum in omnes homines cum morte transmisisse peccatum. » Similia repetit cap. 30. Istum autem librum à Patribus Byzacenis fuisse approbatum evincit caput primum, quod sic incipit : « Dilectissimis, et in Christi fide atque gratiâ plurimùm amplectendis sanctis Fratribus Petro diacono, Joanni Leontio, et alii Joanni, cæterisque Fratribus quos unà vobiscum in causâ fidei directos Romæ litteris intimâtis (monachis Scythis de quibus supra) Dacianus, Fortunatus, Boethus, Victor, Scholasticus, Horontius, Vindicianus, Victor, Januarius, Victorianus, Photinus. Quod vult Deus, Fulgentius, Felix, et Januarius in Domino saltem (quindecim episcopi Africani). » Hæc videlicet ostendunt ista omnium Patrum Byzacenorum nomine à B. Fulgentio esse conscripta, qui eorum *lingua erat et ingenium*, ut loquitur Ferrandus in ejus vitâ, cap. 20.

Igitur episcopi in Sardiniam pro fide orthodoxâ amandati in suâ ad Petrum diaconum et alios monachos Scythas responsione parvulos cum peccato originali è vitâ migrantes pœnâ sensûs affici autumaverunt. Eamdem sententiam in eximiis aliis suis operibus non solùm ut probabiliorem (quod nobis sufficeret) verùm etiam ut certissimam, quin quasi fidei dogma proposuit, aut saltem proposuisse videtur B. Fulgentius. Enimverò, cùm Petrus diaconus

cum aliis monachis Scythis Româ in Orientem reversurus esset, per litteras rogavit S. Fulgentium ut compendiosam fidei catholicæ regulam ad se mitteret quò faciliùs à grassantibus in Oriente hæresibus sibi caveret. Ruspensis præsul ejus precibus annuens librum, cui titulus : *De fide ad Petrum*, composuit, et ad eum misit. Eo autem in opere cap. 27, hæc præscribit : « Firmissimè tene, et nullatenùs dubites, non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum, sive cùm de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis.... de hoc seculo transeunt, *ignis æterni supplicio puniendos*, quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, et nativitate traxerunt. » Hoc unum est è quadraginta dogmatibus, sive, ut loquitur, *capitulis*, de quibus capite 44 hæc pronuntiat : « Hæc interim quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissimè pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende. Et si quem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquàm pestem fuge, et tanquàm hæreticum abjice. »

Scio quidem multos eruditos, inprimis recentiores, reponere Fulgentium inter fidei dogmata hîc retulisse sententiam asserentem parvulos sine baptismo morientes æternam pœnam subire, quæ peccato originali debita est, non eam quæ eos æterni ignis supplicio addicit, quamvis istam amplexus fuerit, quia ejus propositio, unica licet apparenter, duplici tamen æquivalet; verum esto; nihilominùs certum erit S. doctorem hanc sententiam tenuisse et propugnâsse, et quidem *firmissimè*, quod sanè cum tanto ardore non defendisset, nisi persuasum ipsi fuisset ita ab antiquis diebus sentire Ecclesiam Africanam, in quâ juxta plures extabant 566 Cathedræ episcopales; deinde, si Fulgentius nonnisi damni pœnam hic inter fidei dogmata recensere voluisset, Petrum diaconum, virum licet eruditissimum, erroris periculo exposuisset; multi enim, etiam doctissimi viri, id in ejus loquendi et scribendi ratione non deprehendunt.

Idem S. doctor non in uno alterove loco pœnam ignis peccato originali deberi asseruit, sed constantissimè et quasi in omnibus scriptis suis. Id enim inculcat in libris de veritate prædestinationis et gratiæ ad Joannem presbyterum et Archimandritam, et Venerium diaconum, quos à variis Patribus et conciliis inprimis ab episcopis Africanis impensè commendatos esse refert P. Alexander in hist. seculi 6. « Nulla est, inquit lib. 1, cap. 12, causæ diversitas in infantibus, quæ faciat unum eligi, alterum reprobari. Si verò parentum consideretur voluntas, illi qui christiani sunt, ut eorum filius baptizaretur sollicite voluerunt,.... quorum tamen filius, antequàm baptizaretur, morte præventus æternis est ignibus deputatus, » etc. Et cap. 14 : « Causa majorum atque minorum, qui sine baptismate cursum vitæ præsentis in infidelitate consummant, quantùm attinet ad communionem originalis peccati, una est; ex hâc utrique ibunt in ignem æternum.... quia in eis chirographum, quo sibi eos deceptoris nequitia subdidit, Salvatoris gratia non delevit..... Majores verò (qui cum peccato originali et actualibus peccatis moriuntur) non solùm pro originali peccato æternis ignibus ardebunt (quibus arsuri sunt sine baptismate morientes etiam parvuli, qui nihil boni aut mali egerunt) sed etiam pro suâ voluntate malâ tantò deteriùs torquebuntur, quantò ampliùs propriæ iniquitatis adjecerunt. »

Non me latet nonnullos adversæ sententiæ defensores, qui sese consuetis distinctionibus et argutiis ex his testimoniis expedire non possunt, D. Fulgentii hâc in causâ auctoritatem parvipendere, ipsumque præpostero Augustinianæ doctrinæ studio et amore delusum lapsûs et excessûs accusare; sed quàm immeritò nôrunt eruditi; etenim, ut modò observabat Ferrandus, B. Fulgentius suo tempore Ecclesiæ Africanæ lumen fuit et decus, et ille contemni vel erroris reus traduci nequit, quin in eumdem contemptum et errorem incurrant *sexaginta et ampliùs Africæ episcopi, quos tunc catena ligabat exilii*, siquidem *eorum lingua fuit et ingenium*. Præterea quibusvis doctis viris indubiè acceptum est quod dixit P. Alexander in historiâ seculi 6, scilicet « Fulgentium in Scripturâ sacrâ, et in doctrinâ SS. Patrum, et præsertim S. Augustini versatissimum, verbo et scriptis hæreses debellâsse, ædificâsse Ecclesiam, fidelium mores informâsse. » Præiverat enim Baronius ad annum 539, ubi postquàm mirè commendavit sanctitatem et eruditionem Fulgentii, addit : « Quæ extant ejus lucubrationes majori faciunt eas quæ exciderunt dolore percupere. Planè contigit morte Fulgentii, tanquàm fulgentis sideris radiis ad occasum dilapsi, universam Africanam provinciam tetrâ noctis caligine remansisse perfusam. Etenim nullus post Fulgentium tanti fulgoris posterioribus seculis illuxisse visus est

doctrinæ et sanctitatis claritudine conspicuus Africanus antistes. » Venerentur saltem judicium S. Isidori de Script. ecclesiasticis cap. 14, ubi his de Fulgentio dictis, fuit in confessione fidei clarus, in Scripturis divinis copiosè eruditus, in loquendo dulcis, in docendo ac disserendo subtilis. » Varia ejus opera sibi nota cum encomio enumerat.

Eodem seculo 6 exeunte, D. Gregorius Magnus pueros sine sacris undis è vità abeuntes *sempiternis tormentis* cruciari censuit. Etenim lib. 9 Moralium in Job cap. 16 (qui libri omnibus fatentibus in Oriente à S. Gregorio conscripti sunt), exponens hæc Job verba: *Multiplicavit vulnera mea etiam sine causâ*, ait: « Nonnulli etenim priùs à præsenti luce subtrahuntur, quàm ad proferenda bona, malave merita activæ vitæ perveniant. Quos quia à culpâ originis sacramenta salutis non liberant, et hìc ex proprio nihil egerunt, et illùc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus est, corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis, justoque judicio etiam sine causâ vulnera multiplicantur. Perpetua quippè tormenta percipiunt qui nihil ex propriâ voluntate peccaverunt.... districtus judex quâ eos animadversione trucidat, si et illos in æternum percutit, quos reatus arbitrii non addicit? » Hæc, nì fallor, commentario non indigent, et adversariorum fauces ita comprimunt ut S. Gregorium illa non ex Ecclesiæ visceribus, sed ex suo cerebro excerpisse aliquando asserere ausi fuerint.

Septimo ineunte seculo, D. Gregorii, ex cujus Moralibus tribus suis sententiarum libris multa inseruit, de parvulis sententiam secutus est S. Isidorus Hispalensis. Libro quippe 2 Differentiarum n. 26, hæc habet: « Illud tamen tenendum est, parvulorum animas nexu peccati originalis esse adstrictas, quæ nisi percipiant baptismatis sacramentum, regni cœlestis participes esse non possunt, sed cum carne et commune habebunt peccatum, et pari judiciò *damnabuntur in ignem æternum.* » Similia tradit lib. 1 sententiarum cap. 22: *Pro solo originali reatu*, inquit, *luunt in inferno nuper nati infantuli pœnas.*

Neque aliquis hìc Isidoro inconsiderantiæ, aut partium studii labem inspergat; ejus enim laudes sic celebrat concilium octavum Toletanum cap. 2: « Nostri seculi doctor egregius, Ecclesiæ catholicæ novissimum decus; præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, atque quod majus est, jam finitorum seculorum doctissimus, cum reverentiâ nominandus Isidorus. »

S. Prudentius Trecensis episcopus, qui obiit anno 861, D. Augustini doctrinam de sorte parvulorum velut certam tradidit. Enimverò, libro de prædestinatione cap. 16 ait: « Punitio in gehennâ tam primæ prævaricationis merito quàm aliorum multiplicitate criminum libidinosâ perversitate contractorum acquisita est. » Ibidem de parvulis hæc pronuntiat: « Extra baptismi gratiam morientes, non suo, sed protoplasti peccato *perpetuâ plexione* damnantur. » Etverò, quomodò S. pontifex aliter sentire potuisset qui D. Augustini documenta impensè, ut par est, extollit? « S. Augustini, inquit in epistolâ ad Hincmarum et Pardulum episcopos, doctrina sanctarum Scripturarum auctoritati in omnibus concordissima est: quarum abstrusa nullus doctorum scrupulosiùs rimatus diligentiùs exquisierit, veriùs invenerit, veraciùs protulerit, luculentiùs enodaverit, fideliùs tenuerit, robustiùs defenderit, effusiùs disseminaverit: » postea commemoratos præsules enixè rogat ut eam impugnari non sinant, « cùm, inquit, eam et apostolicæ Sedis sublimitas, et totius Ecclesiæ catholicæ unitas auctoritate concordissimâ approbârint ac roborârint.

Neque S. Prudentii nomini invidia accedere potest quòd nonnulli eum velut Gotthescalci errorum fautorem traducant, et hodiè Janseniani ejus auctoritate immaniter abutantur. Utrosque enim solidè suo more revincit tum in Synopsi hist. sec. 9 et 10, cùm dissertatione 5 in eadem secula P. Alexander.

Prodeat alter eruditissimus Augustinianæ doctrinæ sectator et vindex D. Anselmus Cantuariensis mortuus anno 1109. Lib. de conceptu virginali et peccato originali cap. 22, hæc docuit: « Cùm nemo dubitet, quia par pœna non sequetur imparia peccata, in hoc tamen similis est et personalis et originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine quo non redditur quod pro Adæ peccato debetur, quamvis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam post diem judicii nullus erit Angelus, aut homo, *nisi in regno Dei, aut in inferno.* » Ecce Augustini placita tum de mitissimâ ignis pœnâ soli originali peccato infligendâ, cum de chimerico loco inter regnum Dei et infernum medio post judicii diem.

Accedat tandem B. Ælredus Cisterciensis monachus, abbas Rievallensis in Eboracensi diœcesi, pietate, doctrinâ, mellifluo stylo Bernardus alter, qui ad cœlum raptus est anno 1166. Inter eximia alia opera Speculi charitatis tres composuit libros, in quorum primo cap. 15 huic objectioni, *parvulos quæ ratio addicit damnationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas fecit injustos?* sic respondet : « Quid enim? Injustum æstimas, ut lignum inutile, et infructuosum *ignis* depascat? Cogita, quæso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsâ radice vitiatum, utpote veneno antiqui serpentis inficiatum, justissimè addictum *flammis, igni* destinatum, adjudicatum damnationi. « Quid ergo? ingratum te præbes, ô lignum inutile, quòd quidam ramusculi à tuâ præmortuâ præcisi radice eripiuntur incendio, quatenùs stipiti cuidam fructuoso inserti pristinæ libertati donentur. »

En Ecclesiæ latinæ doctores qui sensibiles parvulorum sine baptismo mortuorum pœnas prædicaverunt. Hanc sententiam, non ut dubiam, sed ut in Ecclesiis suis certam tradiderunt, quemadmodùm eorum evincunt testimonia. Proferant adversarii vel unum ejusdem Ecclesiæ Patrem ad 12 usque seculum qui controversiâ istâ à se ex professo examinatâ contrarium docuerit, et eorum eruditioni impensè gratulabimur.

Objiciunt 1°, cum Bellarmino, lib. 6 de Amissione gratiæ et Statu peccati cap. 4 : D. Augustinus, libro 3 de libero Arbitrio, cap. 23, n. 66, de parvulis disserens ait : « Non metuendum est ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium. » Ibi, ut arguit Bellarminus, Augustinus docet fieri posse ut parvuli non quidem occupent locum medium inter cœlum et infernum, sed ut subeant sententiam mediam inter præmium actuali bono destinatum, et supplicium actuali peccato debitum, ideòque dubitavit an parvuli illi pœnam ignis experiantur vel non; *nusquàm autem id retractavit S. doctor,* etsi pluries sese obtulerit occasio.

Eâdem dubitatione angitur in libris ipsis adversùs Pelagianos; v. g., lib. 5 contra Julianum cap. 11, n. 44, ubi ait « se non dicere parvulos sine Christi baptismate morientes tantâ pœnâ esse plectendos, ut eis non nasci potiùs expediret, et se definire non posse quæ, qualis, et quanta erit eorum pœna; » item lib. 6, cap. 10, n. 32, ubi profitetur se ignorare *ubilibet et quomodolibet* sint illi infantes. — Resp. nos in expositione primi momenti assignâsse germanum duorum ultimorum testimoniorum sensum. Ipse Bellarminus, et alii, ultimum textum solvere debent; fatentur quippe certum esse, etiam ex Augustino, commemoratos infantes futuros esse *in inferno,* ut ex dictis elucescit, et in ipsâ objectione observat Bellarminus. Quod attinet ad primum testimonium, certè unus textus obscurus omnium optimæ criticæ peritorum judicio proferri non potest adversùs sexcentos alios longè minùs obscuros. Porrò S. doctor sexcentis in locis clarè asserit infantes sine baptismo è vitâ migrantes ire *in mortem secundam, in ignem æternum, in combustionem et supplicium sempiternum,* propter solum peccatum originale quo sunt coinquinati, ut ex adductis probationibus abundè constat. Juvat tamen primum illud testimonium profundiùs discutere. Unde

Resp. 1°, Massilienses eumdem textum Augustino objecisse ad probandum ipsum antea dubitâsse de pœnis parvulorum. Igitur adversarii ipsis Semipelagianorum armis sese defendere aggrediuntur. Patet ex epistolâ Hilarii ad Augustinum, inter Augustinianas 226, quæ reperitur ante librum de Prædestinatione Sanctorum. « Parvulorum causam, inquit Hilarius n. 8, ad exemplum majorum non patiuntur afferri (Massilienses) quam et tuam sanctitatem dicunt eatenùs attigisse, ut incertum esse volueris, aut potiùs de eorum pœnis malueris dubitari; quod in libro tertio de libero arbitrio (cap. 23) ita positum meministi, ut hanc eis occasionem potuerit exhibere. » Quid ad hæc Augustinus? Duo : unum, se, etiamsi tunc dubitâsset, non ideò postea dubitare debuisse; alterum, se etiam tunc temporis reverà non dubitâsse; quæ indubiè penitùs exsufflant Bellarmini, Goneti, et aliorum observationes. « Si, inquit libro de dono perseverantiæ cap. 12, n. 30, quando libros de libero arbitrio laicus (Romæ) cœpi, presbyter (in Africâ) explicavi, adhuc de damnatione infantium non renascentium, et de renascentium liberatione dubitarem, nemo, ut opinor, esset tam injustus atque invidus, qui me proficere prohiberet, atque in hâc dubitatione remanendum mihi esse judicaret. » Deinde dicit *non oportere credi se eâ dere dubitâsse,* sed quòd Manichæi, quidquid esset de parvulorum pœnis, essent refellendi, *ne duarum naturarum,* scilicet *boni malique, permixtio, crederetur;* et demùm sic pronuntiat ;

« Absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in æternam salutem; non regenerati autem transeant in mortem secundam, » etc. Idem longè ante, nempe anno 415, D. Hieronymo declaraverat, scilicet epistolâ ad ipsum nunc inter alias epistolas 166, olim 28, cap. 7, n. 20 : « De baptismo, inquit, parvulorum in eodem libro (tertio de libero Arbitrio cap. 23) non quidem sufficienter, sed quantùm illi operi satis esse videbatur, utcumque respondi, quòd etiam nescientibus, et fidem suam non habentibus prodest; non tamen de damnatione eorum parvulorum qui sine illo (baptismo) ex hâc vitâ emigrant, tunc aliquid dicendum putavi, quia non quod nunc agitur agebatur. » Disputabat scilicet tunc temporis de pœnis quibus in hâc vitâ obnoxii sunt parvuli.

R. 2°, Augustinum citato cap. 23, lib. 3 de libero Arbitrio, solvere objectionem quâ nonnulli imperiti effutiebant opus non fuisse ut nascerentur parvuli, qui neque inter justos esse potuerunt, quoniam nihil rectè fecerunt, neque inter malos, quoniam nihil peccaverunt. Respondet autem *superfluè quæri qualis in futuro judicio futurus sit qui nihil boni aut mali fecit, et ideò nihil meruit,* siquidem in hâc hypothesi *potuit esse aliqua vita media inter rectè factum atque peccatum*, et ideò media Dei sententia illi vitæ accommodata. Ubi vides S. doctorem non dicere vel vitam vel sententiam aliquam *esse* mediam (ut arguunt Bellarminus et alii) sed *esse posse,* nempe in chimericâ et calumniosâ imperitorum illorum objectione sive sententiâ.

Objiciunt 2°, cum eodem Bellarmino, loco citato, sequentes Patres. D. Gregorius Nazianzenus oratione in S. lavacrum, ante medium, dicit : « pueros, nec cœlesti gloriâ, nec suppliciis à justo judice affici, utpote qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potiùs fuerint quàm fecerint; » ergo. Resp. verum Gregorii sensum ex contextu subelucere. Tres nempe hominum sine baptismo pereuntium ordines enumerat; primum illorum qui baptismum nihili fecerunt; secundum illorum qui eum ex negligentiâ non receperunt; tertium eorum qui illum nec contempserunt nec neglexerunt. Comparationem inter illorum omnium pœnas inducit, et asserit baptismi contemptores graviter puniri, neglectores verò minùs graviter, illius tandem nec contemptores nec neglectores relativè ad alios *nec cœlesti gloriâ, nec suppliciis affici*; quod profectò certissimum est, cùm isti nullius actualis peccati rei sint; si tamen Nazianzenus inter postremos non comprehendat etiam adultos qui nec contempserunt, nec neglexerunt baptismum, sed sine illo subito et improviso casu mortui sint; eos enim ab ipso sub istorum nomine etiam, imò præcipuè fuisse designatos probabilius videtur. Id enim suggerunt quas adducit rationes; *utpote qui*, inquit, *licet signati non fuerint, improbitate tamen careant*, id est improbitatis puri sunt quantùm ab baptismi omissionem, quæ sine eorum culpâ contigit; item, addit, *hanc jacturam potiùs passi sunt quàm fecerunt;* hoc est baptismi omissionem potiùs passi sunt quàm fecerunt, quod si de parvulis dictum esset, adverbium *potiùs* fuisset auferendum. Equidem adulti illi in isto necessitatis casu cum voto baptismi æternam vitam consequi potuissent; at votum illud conjunctum esse debet cum sincero dolore de peccatis, quod non semper accidit. Demùm, quomodò Bellarminus, qui pueros ex damni pœnâ internum dolorem experiri censet, non animadvertit Gregorium sibi non favere?

D. Ambrosius in cap. 5 epist. ad Romanos ait : « Est et alia mors, quæ secunda dicitur, quam non peccato Adæ patimur, sed ejus occasione propriis peccatis acquiritur; » sed mors secunda est gehennæ supplicium ; ergo. Resp. ipsum Bellarminum citato libro 6, cap. 4, meritò suspicari Ambrosium non esse auctorem commentariorum in epistolas D. Pauli; *Ambrosio* enim, inquit P. Alexander in hist. seculi 4, *ab eruditis omnibus abjudicantur.* Non pauci, reclamante tamen erudito Petavio lib. 1 de ecclesiasticâ Hierarchiâ cap. 12, eos adscribunt Hilario Sardo romanæ Ecclesiæ diacono, quem D. Hieronymus dialogo adversùs Luciferianos *Deucalionem orbis* nuncupavit, eo quòd esset Luciferianorum antesignanus, et Rebaptizantium errore imbutus. D. tamen Augustinus ipsum *sanctum* vocat, quia Sedi apostolicæ reconciliatus in Ecclesiæ unitate obiit, laudatque ejus commentarium in caput 5 ad Romanos super existentiâ peccati originalis, sed non super pœnâ ipsi destinatâ. Jansenius Yprensis lib. 7 de hæresi pelagianâ, cap. 4, cui plures eruditi assentiuntur, inter quos Conrius et Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 5, sentiunt et probare aggrediuntur, præfatos commentarios Pelagianorum sententiis passim inspersos esse; qui aliter sentiunt, ut P. Alexander et alii, fatentur *aliqua in iis esse dicta paulò duriùs, et*

quæ, si per se sola spectentur, hanc ingenerare suspicionem possunt, quæ ideò volunt *benignâ interpretatione mollienda esse*, quemadmodùm molliri solent in D. Chrysostomo, et quibusdam aliis patribus græcis, qui ante pelagianam hæresim scripserunt. Quidquid sit, quod iste auctor hìc dicit pœnam sensûs à Deo peccato originali non rependi, hæreticum non est et pelagianum (nisi intenderit mortem secundam, quæ est in gehennâ, à primo parente in posteros non traduci, sive pœnam gehennæ non esse in præsenti statu effectum Adæ peccati), sed non est verum, ut abunde constat ex dictis, talisque viri auctoritas nullam ipsi probabilitatem inducere potest.

Gregorius Nyssenus oratione 1, dicit parvulos sine baptismate mortuos neque in doloribus ac mœstitiâ esse; ergo. — Resp. 1° hoc adversariis ipsis exponendum esse qui, ut diximus, sentiunt illos pueros interno dolore ac tristitiâ affici. — Resp. 2° D. Gregorium huic sententiæ tam parùm patrocinari, ut subtilis Bellarminus eum pro suâ opinione non protulerit. Etverò, S. doctor in hâc oratione ingenuè fatetur controversiam de illis parvulis sibi videri *difficilem ac perplexam*, et quædam ibidem inducit dubia quæ manifestè ostendunt ipsum in eà parùm omninò versatum esse; declarat enim se nescire, an *illa quæque anima* (parvulorum) *judicem visura sit, et tribunali cum aliis sistenda sit?* etc.

Innocentius III, doctissimus pontifex, lib. 3 Decretalium, titulo de baptismo, cap. *Majores*, scribit: *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei; actualis verò pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus;* ibi per *gehennæ cruciatum* intelligit S. P. pœnam sensibilem quæ opponitur pœnæ damni, ideòque non originali, sed actuali tantùm peccato debetur pœna sensûs. — Resp. adversarios inaniter exultare in objiciendâ tanti pontificis auctoritate. Etenim sermone 1 de omnibus Sanctis, cujus fragmentum refert Sylvius in 1-2, q. 85, a. 6, quæsito 2, recensens tria loca, in quibus sunt homines post hanc vitam, *supremum* nempe, sive cœlum, in quo sunt *summè boni, et infimum*, sive infernum, in quo sunt *summè mali*, id est *damnati*, et *medium*, sive *purgatorium*, addit: *Qui sunt in inferno* (damnati nempe)..... *pertinent ad exercitum diaboli, quibus tandem dicetur: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo*, etc. Ex quibus hoc scaturit argumentum: Quicumque peccato originali, etiam solo, coinquinati moriuntur, sunt in inferno; damnati enim sunt, et juxta pontificem omnes damnati sunt in inferno; at omnes qui sunt in inferno, sunt in igne; nam dicente Innocentio, *pertinent ad exercitum diaboli*, et ipsis dicetur: *Ite in ignem æternum*, etc. ergo, etc. — Quamobrem sicut pontifex dicendo *actualis culpæ pœnam esse gehennæ cruciatum in inferno*, non exclusit pœnam damni, quia non adhibuit particulam exclusivam, *tantùm, solùm*, ita dicendo pœnam originalis peccati esse carentiam visionis Dei, non exclusit pœnam sensûs, quia eamdem particulam exclusivam non inseruit. Vult scilicet S. P. peccato originali, utpote peccato per quod homo non propriâ voluntate, sed alienâ nascitur aversus à Deo, præcipuè et directè deberi carentiam visionis Dei; actuali è converso culpæ, per quam homo propriâ voluntate recessit à Deo, directè et præcipuè convenire sensûs pœnam. Cæterùm non audiendus est Bellarminus cùm hìc dicit, Patres, ubi asserunt *parvulos æternis pœnis in gehennâ torqueri, gehennæ cruciatum accepisse pro genere infernalium pœnarum*, ita ut de solâ damni pœnâ locuti sint, aut saltem loqui potuerint; constat enim ex dictis Patres per hunc cruciatum intellexisse pœnam sensûs, cùm expressè dicant parvulos esse *in igne æterno, per ignem comburi*, etc.

Hìc autem obiter observa quòd etiamsi Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, aut alii quidam Græci, vel etiam Latini ante exortam pelagianam hæresim adversariorum sententiæ favissent, nostra nullum inde detrimentum pati posset; respondere nimirùm nihil vetaret quod olim respondit D. Aug. Massiliensibus, qui prætendebant antiquos Patres alios ab Augustino circa hominum prædestinationem sensus animo volvisse; *quid*, inquiebat lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 14, n. 27, *opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquàm ista hæresis nasceretur, non habuerunt necessitatem in hâc difficili ad solvendum quæstione versari? Quod procul dubio facerent* (Massilienses) *si respondere talibus cogerentur. Unde factum est ut de gratiâ Dei* (diceremus de infantium pœnis) *quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis et transeunter attingerent; immorarentur verò in eis, quæ adversùs inimicos Ecclesiæ disputabant.*

Objiciunt 3° alii (hæc enim proponere erubuisset eruditus Bellarminus) mox adducendos doctores. D. Ambrosius lib. 2 de Abraham cap. ultimo de infantibus sine baptismo morientibus hæc habet: *Habeant tamen illam opertam pœnarum immunitatem, nescio an habeant regni hono-*

rem; ergo. — Resp. : Nego conseq. 1° Enim loquitur Ambrosius de *opertâ*, sive occultâ, *pœnarum immunitate*, quod evincit ipsum nescivisse quamnam pœnarum immunitatem habeant. 2° Verbum, *habeant*, significat hæc dicere S. doctorem per modum puræ concessionis non assertionis. 3° Verba, *nescio an habeant regni honorem*, si ad litteram sumerentur, ostenderent in dubium vocari posse Christi oraculum Joannis cap. 3 : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. quod ipso loco objecto negat S. doctor : *nisi*, inquit, *quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei; utique nullum excipit, non infantem, non aliquâ præventum necessitate.* 4° Ex mox citatis verbis elucet Ambrosium loqui non solùm de infantibus, sed etiam de adultis qui per *necessitatem* baptismo non abluuntur ; at nemo dixerit eos habere pœnarum immunitatem; sensus igitur Ambrosianæ propositionis iste est : *Etsi concederetur tales* (infantes et aliquâ præventos necessitate) *habere opertam aliquam pœnarum immunitatem, non tamen assero illos habere regni honorem;* noluit nempe iterùm asserere quod ibidem asseruerat : *Nemo ascendit in regnum cœlorum nisi per sacramentum baptismi.*

D. Gregorius Magnus lib. 13 Moralium, cap. 21, innuit pœnam originalis peccati esse *speciem Creatoris non videre, propriorum verò actuum pœnam supplicium pati.* — Resp. ex contextu evidens esse Gregorium disserere de veteris fœderis sanctis, qui in pœnam peccati originalis, etiamsi ejus remissionem obtinuissent, in inferno detinebantur, nec ideò speciem Creatoris videre poterant, quod tædium ipsis afferebat, quamvis *ex propriis actibus supplicium non haberent*, quia nempe justi erant. Quid autem illud habet connexionis cum præsenti controversiâ in quâ agitur de peccato originali non remisso, quod *perpetuis tormentis* obnoxium asserit lib. 9 Moralium, cap. 16, ut ostendimus.

D. Bernardus sermone 3 de resurrectione Domini litt. B, c. 1, ait : *Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem?* At parvuli propriâ voluntate non peccaverunt ; ergo. — Resp. 1° inde inferri posse parvulos nullâ prorsùs pœnâ puniri ; ibidem enim dicit : *Quid odit aut punit Deus præter propriam voluntatem?* Neque eos esse damnandos, sive in inferno esse futuros ; *cesset propria voluntas, et infernus non erit;* falsum conseq. ergo. Resp. 2° manifestum esse ex toto sermonis tenore S. doctorem alloqui adultos baptizatos, quos in infernum nihil præcipitare nequit nisi culpa propria, id est personali voluntate commissa. Resp. 3° Bernardum ibidem explicare quid intelligat per *voluntatem propriam*, eam scilicet, *quæ non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantùm, quando quod volumus non ad honorem Dei facimus.... cui contraria est charitas.* Porrò, licet pueri nihil personali voluntate fecerint, aliquid tamen fecerunt voluntate propriâ, id est Deo et charitati oppositâ, cùm in Adam peccaverint.

Momentum tertium. — *Ex Ecclesiæ sensu in conciliis manifestato.* — Nemo negaverit concilium Diospolitanum habitum anno 415, et varias synodos Africæ, nempe duas Carthaginenses, Milevitanam, etc., et S. P. Innocentium I, Pelagianos asserentes pueros baptismate non regeneratos, si è vitâ exirent, vitam æternam extra regnum cœlorum consequi, anathemate confixisse; præterquàm quòd enim id ex ecclesiasticis annalibus constat, hæc invenire est apud D. Augustinum epistolis nunc 175, aliàs 90, 176, aliàs 92, 177, aliàs 95, etc.

Unde sic arguimus : Si Pelagiani per æternam vitam, quam illis pueris pollicebantur extra regnum cœlorum, claram Dei visionem non intellexerunt, sed secundùm quamdam felicitatem minorem eâ quâ potiebantur sancti in regno cœlorum, per quam infantes per totam æternitatem à cruciatibus immunes essent futuri, Ecclesia definiit illos parvulos fruituros non esse felicitate æternorum cruciatuum experte; damnavit enim pelagianum dogma; atqui Pelagiani per æternam vitam suam secundam istam felicitatem intellexerunt; enimverò per æternam vitam eam intellexerunt vitam quæ opponitur morti secundæ, id est, inquit D. Fulgentius lib. 1 ad Monimum cap. 6, post D. Augustinum, morti quæ consistit *in æternâ cruciatione animæ et corporis,* sed vita æterna isti morti opposita, est vita expers cruciatuum animæ et corporis; ergo. — Probatur major 1° ex D. Augustino, qui epistolâ 186 ad Paulinum, aliàs 106, cap. 8, n. 30, ex Pelagianorum sententiâ pueris non regeneratis vitam negante concludit eos æternâ pœnâ puniri : *Quis,* inquit, *negat aut dubitat parvulos non acceptâ gratiâ regenerationis... non habere in se vitam, ac per hoc sempiternæ pœnæ esse obnoxios?* Idem lib. 2 Operis Imperfecti, cap. 113, dicit Pelagianos *facere duas æternas felicitates, unam quæ sit in regnc Dei, alteram, quæ sit extra regnum Dei;* sed felicitas regni Dei indubiè erat intuitiva

Dei visio; ergo felicitas extra Dei regnum erat alterius generis felicitas, ea nempe quam descripsimus;... 2° Ex eodem Augustino variisque conciliis, ex quibus constat Pelagianos admisisse medium quemdam locum, inter regnum cœlorum et infernum, in quo beatè viverent infantes, et ob id damnatos fuisse; at felicitas medii illius loci erat felicitas expers felicitatis *regni Dei*, et pœnarum inferni, quod aliunde satis indicant voces, *regnum Dei*; significant enim eos quibus sese intimè inserit Deus, et qui *vident Deum sicuti est*; ergo.

His conciliis adjungimus concilium Florentinum, *quod*, inquit P. Alexander in hist. 15 seculi, *ratione saltem dogmatum ab eo finitorum, œcumenicum totius Ecclesiæ catholicæ consensu prædicatur.* In decreto unionis Latinorum et Græcorum, edito 6 julii anni 1439, utriusque Ecclesiæ præsules can. 4, definierunt, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Porrò, ut optimè arguit doctissimus Petavius lib. 9 de Prædestinatione cap. 10, n. 12, concilium hic definit, eorum animas, qui cum solo peccato originali pereunt, iisdem *in inferno* addici pœnis quibus eorum animæ, qui cum actuali peccato moriuntur *in eodem inferno* plectuntur, et ideò eâdem ignis combustione, quoad speciem, sive naturam et qualitatem, etsi non eâdem quoad gradum, sive intensionem. Enimverò *disparitas pœnarum,* de quâ S. synodus, est disparitas gradûs, sive intensionis, non speciei. Sicut enim concilium, cùm ibidem finit inter Beatos *alium alio pro meritorum diversitate Deum clariùs videre,* intendit tamen omnes Deum videre quoad speciem, ita cùm statuit decedentes in actuali, aut solo originali peccato in inferno disparibus pœnis affici, vult tamen eos iisdem concremationis pœnis quoad speciem affici; vocem enim, *disparibus,* non adhibuit nisi ut quod antea de Beatis dixerat, nempe illos alium alio perfectiùs, sive intensiùs, Deum videre, non repeteret.

Momentum quartum. — *Ex theologorum suffragiis.* — Theologi parvulos sine baptismo mortuos sensûs pœnæ non subjicientes omnes ferè scholasticos, qui à duodecimo seculo floruerunt, non sine ostentatione objiciunt, et adversarios irrident, quòd obsoletam opinionem in vigorem reducere aggrediantur. Verùm quæ dicturi sumus eorum risum omninò sardonium esse reputandum patefacient. Etenim

1° Ex theologorum, quos hic objiciunt, albo expungendi sanè sunt quotquot inter eos pueros in superiore terræ parte, quasi in terrestri paradiso collocaverunt, ut loquitur antea citatus Bellarminus, eosque felices ac beatos esse futuros cum Pelagianis obgannierunt. At multi inter antiquos, ac etiam nonnulli inter recentiores hoc errore imbuti sunt, ut non diffitetur ipse Bellarminus.

2° Ejusdem Bellarmini loco citato, nempe lib. 6 de Amissione gratiæ et Statu peccati, cap. 3, judicio pluris faciendi non sunt scholastici qui D. Augustinum hoc in dogmate *erroris et excessûs* accusare ausi sunt. Sed plurimos recentiores hanc in accusationem prorupisse exploratum est; quinimò non pauci veteres, v. g. Scotus, Richardus, Major, Capreolus, hanc præmiserant cantilenam; notum etiam est ipsum S. Bonaventuram occasione hujus D. Augustini placiti dixisse, *plus dixit minùs volens intelligi,* quod pronuntiatum velut oraculum evulgaverunt quicumque ex recentioribus in D. Augustinum ejusque doctrinam parùm propensi sunt.

3° Contemnendi veniunt apud omnes sapientes et cordatos viros quicumque hoc celebris Vasquesii placitum colunt et mirantur : *Negare non possumus prædictam opinionem* (de sensibilibus parvulorum pœnis) *fuisse Augustini et Fulgentii, à quâ non multùm abhorret Gregorius Magnus.* Etenim Bellarminus mox laudatus concedit illam sententiam, si fuit Augustini, veram esse et propugnandam, et aliunde quis theologicis imbutus principiis istorum recentiorum opinionem præhabuerit sententiæ D. Augustini et aliorum quos excitavit Deus ad veram doctrinam de peccato originali et gratiâ exponendam, et vindicandam ?

4° Si ipsorum Patrum suffragium sentiendi necessitatem non inducit nisi quando est unanime, à fortiori theologorum consensus multi roboris non erit nisi quando concors erit et constans; at quantæ circa præsentem controversiam inter scholasticos lites et discordiæ? Alii pueros eximunt ab omni dolore, etiam interno, alii eos huic mœrori subjiciunt, alii eos naturali quâdam felicitate donant, alii illos eâ beatitudine destituunt, alii eos in inferno collocant, alii eos extra infernum reponunt, alii D. Augustini tribunal in hâc causâ agnoscunt, alii illud rejiciunt, etc. Igitur inter ingentem scholasticorum cohortem, qui parvulos sacris aquis non ablutos ante mortem pœnâ sensûs affici inficiantur, permulti non sunt qui hanc sententiam sub eodem respectu

defendant, v. g., eo sensu quo à Bellarmino probabilior existimatur; è converso theologi qui adversam opinionem tuentur, secum invicem omninò consentiunt, et scholasticos ex adverso decertantes eodem modo, et iisdem armis, numero, et fortassis eruditione, indubiè superant. Plures sanè magni nominis et in lectione S. Augustini versatissimos, cujuslibet scholæ ordines recenset Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 5, in 4° argumento, et Sylvius in 1-2, q. 85, a. 5, quæsito 2. His addi possunt inter antiquos Guillelmus Estius, cujus nota est eruditio, in 2 Sententiarum, distinctione 33, paragrapho 8, ubi rationes pro utrâque opinione militantes ita librat, ut non obscurè innuat standum esse D. Augustini sententiæ, etc. Inter recentiores Franciscus Sylvius loco citato ubi doctè et solidè Augustinianam sententiam vindicat, Dionysius Petavius lib. 9 de Prædestinatione cap. 10, n. 7 et seq., ubi eamdem sententiam non solùm Augustino et aliis Patribus, sed etiam ipsi concilio Florentino adscribit, ut diximus, Gaspardus Jueninus, etc. Verùm, demus adversum dogma æquali, aut etiam majori theologorum calculo comprobari, non idcircò nostrum minùs probabile censendum erit. Etenim « theologorum scholasticorum, inquit Melchior Canus, lib. 8 de Locis cap. 4, etiam multorum suffragium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobârit. Videlicet in scholasticâ disputatione plurium auctoritas theologum obruere non debet; sed si paucos viros modò graves secum habet, poterit sanè adversus plurimos stare; non enim hæc numero judicantur, sed pondere. » Porrò nemo, opinor, negaverit in præsenti controversiâ doctos viros pugnare contra multos. Istorum ergo auctoritas non plus valet quàm ratio ipsorum, aut gravior auctoritas quam opponunt; at graviorem sanè non opponunt auctoritatem, cùm sacris Scripturis, D. Augustino, et veterum conciliorum, et etiam recentiorum oraculis contradicere videantur, ut ostendimus, nec maximi roboris rationibus nituntur, ut mox probabimus; ergo.

Hìc fortassis quæret quis cur tanta scholasticorum multitudo à duodecimo seculo, id est veluti ab initio scholæ, in commemoratam opinionem, quæ Scripturæ et Patribus tam adversa videtur, ierit? Reponit Norisius loco citato id contigisse ex eo quòd « veteres illi summa ingenia scholæ subtilitatibus devoverant, plusque studii et laboris in explicando Aristotele impenderant, quàm in Patrum et synodorum voluminibus evolvendis; » ego verò, etsi hanc rationem non improbo, quam aliunde confirmat P. Alexander in Hist. ecclesiasticâ, ubi ostendit ipsum scholæ principem Patrum opera parùm legisse, censeo tamen hanc sentiendi rationem oriri potuisse tum ex doctrinâ vetusti auctoris Commentariorum in epistolas D. Pauli, quem illi D. Ambrosium esse existimabant, tum ex clementiæ erga parvulos, qui nihil propriâ voluntate peccaverant, affectu et propensione, cùm demùm ex argumentis quæ in gratiam hujus opinionis suppeditare videbatur ratio. Quidquid sit, D. Thomas qui eamdem sententiam junior amplexus fuerat in 2 Sent. distinct. 33, a. 4, eam senior in Summâ non confirmavit, nempe ubi de peccato originali disseruit 1-2, q. 81 et seq.; quod probare videtur ipsum tandem detexisse illam Scripturæ et Patribus repugnare.

Momentum quintum. — *Ex rationibus theologicis.* — Prima. Peccatum originale invexit in pueros immensam illam miseriarum cohortem quam à die ortûs sui ad mortem usque patiuntur; quinimò iidem pueri dæmonis furori et tyrannidi non raró subduntur, et ab eo stupendum ad mortem usque torquentur; quæ omnia indicavit Spiritus sanctus sub *nomine jugi gravis, quod incubat super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ*, Ecclesiastici cap. 40; ergo idem peccatum, quamdiù durabit, easdem pœnas sensibiles in eosdem pueros transmittet. Patet antecedens. Prob. conseq., tum quia pœnæ illæ annexæ sunt peccato originali, tum quia per illas, quantælibet sint, non potest expiari per vitæ mortalis curriculum originalis peccati labes.

Adversarii vulgò reponunt miserias peccato originali in statu præsenti per accidens tantùm esse annexas; justitiâ nempe originali, quæ hominem ab illis miseriis ex nativâ ipsius constitutione fluentibus eximebat, per peccatum originale sublatâ, homo illis factus est obnoxius. At 1°, quæro an tormenta, quibus infantes à dæmone affliguntur, proveniat ex eorum naturâ? 2° Duce D. Augustino, supra ostendimus Deum creare non potuisse hominem cum præsentis statûs miseriis non quidem quoad speciem (exceptis tamen eis quæ à dæmone inferuntur), sed quoad gradum consideratis. 3° Si miseriæ justitiæ originalis privationem in præsenti vitâ consequuntur, cur

in alterâ eædem miseriæ ejusdem innocentiæ privationem per accidens non comitarentur, cùm præsertim Deus in futurâ vitâ peccatum severiùs puniat quàm in præsenti? 4° Deum propter solum originale peccatum æternas pœnas ab infantibus justè repetere posse evincit hypothesis in quâ sontem Adam à morte exemisset, eumque cum nepotibus æternùm miseriis obnoxium vivere voluisset.

Secunda. Apostolo dicente ad Ephesios 2, pueri avitâ maculâ contaminati sunt *iræ filii*, et ideò Deus illis iratus est et eos odio habet: sed tales pœnis etiam sensûs justè addicere potest Deus: *si enim*, inquit D. Augustinus tractatu 44 in Joannem n. 1, *filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ*; ergo. — Respondere solent pueros esse filios *iræ, vindictæ, pœnæ, etc.* ratione pœnæ damni, quâ æternùm afficientur, non pœnæ sensûs quæ solùm debetur peccato actuali, cujus illi rei non sunt, cùm actuale Adæ peccatum in eis tantùm sit habituale. Verùm multa istam solutionem infirmare videntur. 1° Enim clamante Apostolo Rom. 5: *Omnes peccaverunt in Adam*, et ideò illud idem peccatum quod commisit reipsâ commiserunt: unde D. Augustinus Pelagianis quærentibus quomodò Adæ peccatum ad ejus posteros transire potuerit, nil aliud offert quàm apostolicum oraculum, ex quo constat eos cum Adam et in Adam peccâsse. At peccatum Adæ pœnam sensûs subiit; ergo et in ejus posteris, originale licet, sive habituale, eamdem pœnam subire potuit. 2° Ex D. Thomâ 1-2, q. 81, a. 2, ad 1, « pœnâ corporali interdùm judicio divino, vel humano puniuntur filii pro parentibus, in quantùm filius est aliquid patris secundùm corpus. » Et verò filium David, licet ejus delicti non reum, ob adulterium patris rapuit Deus, qui alibi passim dicitur *visitare iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem;* at exinde elucet *à fortiori* Deum posse justè infligere pœnam sensibilem parvulis primorum parentum peccato reapsè coinquinatis.

Tertia. Parvuli electi propter cœlestis Adæ, sive Christi, merita in alterâ vitâ gloriosis corporis dotibus exornabuntur: ergo parvuli reprobi ob terrestris Adæ demerita in aliâ vitâ malis corporis subjicientur; quæ paritas eò majoris est ponderis quòd, ut arguit D. August. adversùs Julianum lib. 6, cap. 10, n. 29, quemadmodùm *parvuli de alieno rectè facto reportant bonum* (cùm in baptismo credunt per alterum), ita *de alieno peccato reportant malum.* Nihilominùs paritatem elevare conantur, quia summè bonus Deus potest corporis bona iis impertire qui per corporis ministerium iis obtinendis operam non impenderunt; è converso, non potest sine injustitiâ mala corporis iis rependere qui per idem corpus nunquàm peccaverunt, cùm inprimis pœna sensûs ad corporis vitiosas delectationes præcipuè referatur. Verùm hæc solutio facile exsufflatur. Nam, licet pueri corpore non peccaverint, possunt tamen non secùs ac dæmones, qui hoc modo non deliquerunt, sensibili pœnâ affici, idque eò magis quòd omni ex parte incurrerint reatum Adæ peccati cui, ubi pomum comedit, annexa fuit sensûs delectatio. Deinde, quis non videt Deum in alterâ vitâ habere ut filios diaboli qui sine baptismo, ut filios è converso Christi qui cum baptismo è vitâ exierunt, et ideò velle ut illi sub diabolo mala corporis experiantur, quemadmodùm isti sub Christo bona corporis recipiunt?

Objiciunt 1°, cum Bellarmino. Peccatum originis non aufert ordinem naturalem, sed supernaturalem, id est conversionem habitualem ad Deum per donum gratiæ sanctificantis, cùm peccatum illud nihil aliud sit quàm privatio originalis justitiæ; pœna ergo ipsi debita nihil aliud esse potest quàm privatio boni supernaturalis, qualis est carentia Dei visionis, non illatio pœnæ sensibilis, quæ ipsam vulnerat naturam. — Resp. 1°: Retorqueo argum. Peccatum actuale non tollit ordinem naturæ, sed spoliat duntaxat gratiâ sanctificante; ergo pœna sensûs ipsi infligi non debet. Resp. 2° mirum esse adversarios, qui D. Thomam hic suum esse gloriantur, ipsum tam citò deserere. Docet enim 1-2, q. 71, a. 6, ad 4, et alibi, quodlibet verum peccatum esse *contra naturam,* quia inordinationem essentialiter involvit. Deinde peccatum originale, ut diximus, hominem diaboli servum facit; an talis servitus ordinem naturalem non tollit? Præterea certum non est, ut antea ostendimus, peccatum originale consistere in unicâ privatione justitiæ originalis, et aliunde quomodò privatio gratiæ potest esse pœna peccati? Pœna enim peccati oritur à Deo, non peccatum, quod adversarii formaliter constituunt in privatione gratiæ. Tandem per peccatum Deus, cujus majestas est infinita, offenditur; sed ad reparationem talis injuriæ non sufficit privatio doni olim liberaliter collati, sed alia quoque pœna requiritur; ut demonstrat exemplum regis adversùs quem conjuraverunt subditi.

Objiciunt 2°, cum eodem. Qui habitualiter

caret virtutibus, et proclivis est ad vitia, puniri nequit pœnâ sensûs ; an enim puniuntur à magistratibus qui habitûs justitiæ sunt expertes, vel proni sunt ad homicidia, etc., si nullum crimen reipsâ committant ? Sed parvulorum peccatum est duntaxat habituale, et habitualiter tantùm proni sunt ad concupiscendum.— Resp. 1° argumentum nimis probare ; magistratus enim dispositiones ad vitia, etiam voluntarias, nullâ prorsùs pœnâ mulctant. Resp. 2° : Neg. majorem ; dispositiones enim ad vitia, et habitualis carentia virtutum, si voluntariæ sint, et ideò propriè dicta peccata, merentur etiam pœnam sensibilem ex parte Dei cujus oculis omnia nuda sunt et aperta, quique corda scrutatur ; pueri autem in Adamo hæc voluerunt, cùm in eo verè peccaverint, et ad verum peccatum voluntarium essentialiter requiratur. Quod attinet ad magistratus, judicant duntaxat de externis, et ideò pœnas hujusmodi dispositionibus, etiam liberè volitis, inferre non possunt. Respondeo tandem peccatum originale involvere non tantùm carentiam virtutum et pronitatem ad vitia, sed insuper aversionem habitualem à Deo, eamque voluntariam, quæ eos Dei inimicos efficit et ideò pœnâ sensûs dignos.

Objiciunt 3°, cum eodem. Baptizandis ob avitum delictum nulla præcipitur satisfactio, nullus de illo peccato dolor ; cur, nisi quia ut peccata actualia pœnâ sensibili dignum non est ? Resp. 1° plurimos ex adversariis, et speciatim Bellarminum, fateri parvulos ex amissione cœlestis beatudinis internum animi dolorem percipere ; argumentum igitur nimis probat. Resp. 2° : Esto ant., nego conseq. Innumeræ scilicet præsentis vitæ miseriæ oriuntur ex originali peccato, et cùm divinâ opitulante gratiâ pro illo delicto sint sustinendæ, frustra sanè altera pœna hominibus hujus maculæ reis infligeretur. Resp. 3° adversarios dùm à baptizandis omnem pœnitentiæ et doloris sensum ob peccatum originale amovent, sese in Augustini iectione parùm versatos prodere. Etenim hunc dolorem propter illud peccatum passim inspirare nititur. *Corripiatur*, inquit lib. de Correptione et gratiâ cap. 6, n. 9 (ubi ostendit quomodò peccatum originale alienum sit et nostrum) *origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur*, etc. Idem ante docuerat lib. 1 de peccat. meritis et remissione cap. 19, n. 25, ubi tradit infantes ut *fideles ita et pœnitentes* nuncupari ; quantò magis adultis ad baptismum accedentibus pœnitentia conveniet !

Objiciunt 4° : Divinæ bonitati minimè congruit, ut parvuli qui non propriâ sed alienâ voluntate peccaverunt, æternam ignis combustionem patiantur ; ergo.— Resp. 1° argumentum nimis probare ; suaderet enim æternis pœnis addici non posse hominem ob unicum perversum desiderium quod illicò dissipatum est ; hoc enim divinam bonitatem decere non videtur ; consequens fidei catholicæ repugnat ; ergo. Resp. 2° Julianum similem objectionem proposuisse D. Augustino lib. 5 Operis Imperfecti cap. 13, cui reponit S. doctor audiendas hic non esse *humanas ratiocinationes*, et aliunde ipsum et Pelagianos multa alia credere et fateri cogi quæ dura videntur, et divinæ bonitati contraria. Etverò hæc et similia argumenta eò tendunt ut elevetur peccatum originale, et ideò corruunt solutionibus quibus incredulorum momenta supra amovimus.

Objiciunt 5°, cum Vasquesio, Goneto, etc.: Pœna irrogari non debet nisi peccato vituperatione ac reprehensione digno ; at tale non est peccatum originale ; illud enim solum peccatum vituperio ac reprehensione dignum est quod vitari potuit, ex Aristotele, et etiam D. Augustino lib. citato de duabus animabus cap. undecimo ; sed Adæ posteri peccatum originis vitare non potuerunt ; ergo. — Resp. mirum profectò videri debere Vasquesium, Gonetum aliosque viros eruditos, et catholicæ fidei observantissimos, hìc recurrere ad argumentum olim Augustino objectum ab infensissimis peccati originalis et gratiæ hostibus, et hodiè adversùs idem dogma ab incredulis contorquetur, quod aliunde solvit S. Aug. mox citato libro de Correp. et Gratiâ, cap. 6. Cæterùm docet fides Deum pueris, cùm nascuntur, iratum esse, eosdem pueros esse *vasa contumeliæ*, etc. Et ideò eos esse dignos vituperio et reprehensione ob peccatum quod in primo parente commiserunt, quodque, ut diximus, suo modo liberum fuit.

Principia solutionum. — Primum. Pœna puerorum in inferno erit, ut loquitur D. Aug. Enchiridion cap. 93, *omnium mitissima*, et ideò ignis tartareus eos quâdam afficiet molestiâ, sed non comburet.

Secundum. Intolerabilis videtur nobilissimorum scholasticorum opinio omnem tristitiam à pueris ex damni pœnâ enascentem removens; vel etiam omnem ipsis gloriæ æternæ notitiam eripiens. Pelagianos quippe hæc sentientes, primùm præsertim, durè increpavit D. Aug. ut fusè et eruditè probat Norisius,

Vind. cap. 3, paragrapho 3. Unde Bellarminus et multi recentiores hanc improbaverunt opinionem.

Tertium. *Humanæ ratiocinationes*, ut iterùm Augustini verbis utar, hìc audiendæ non sunt; è medio quippe tollerent, aut saltem multùm labefactarent peccati originalis dogma, et ideò viros catholicæ fidei cultores omninò dedecent.

Quartum. Præ oculis habe ingenuam tum Bellarmini confessionem, hàc in causâ Augustinum *excessûs* accusari non posse, sed potiùs scholasticos, qui hoc crimen Augustino impegerunt, cùm Vasquesii, Augustinum, Fulgentium, Gregorium Magnum reipsâ stare pro sensibili puerorum pœnâ; exinde enim duo insignes viri in discordiam abeunt, et magnam nostræ sententiæ probabilitatem accersunt.

Quintum. Quilibet æquus æstimator sibi facilè persuadebit hâc in controversiâ iis potiùs inhærendum esse Patribus qui ex professo adversùs Pelagianos eam tractaverunt (quales sunt S. Augustinus et alii quos laudavimus), quàm illis qui illam obiter et transitoriè et ante exortam pelagianam hæresim delibaverunt (quales sunt adversariorum doctores).

Sextum. Consuetæ adversariorum responsiones, *infantes mitti in ignem æternum hoc sensu quòd detrudantur in locum ubi erit ignis æternus*, Origenistis circa pœnarum æternitatem auxiliarem ferunt opem.... Item *Patres dicendo pueros in ignem ituros esse, genericam, non specificam, eorum pœnam tetigisse*, etc., ignis inferni, aut purgatorii, realitatem tollunt, aut concutiunt, etc.

Septimum. Patres qui pueros *pœnâ damni* afficiunt non excludunt pœnam ignis, cùm in præsenti statu qui non ibunt in *regnum cœlorum* ituri sint in *ignem æternum*.

Sententia de sensibili puerorum sine baptismo morientium pœnâ perverso Jansenii systemati non favet. — Jansenius in suo Augustino, ejusque pestiferi dogmatis assertores, in suis scriptis sententiam de puerorum sine baptismo decedentium sensibilibus suppliciis ventitant et ostentant, ut evincant Deum justè infligere posse ignis pœnam adultis pro peccatis ab ipsis necessariè commissis. Distinguunt scilicet duplex peccatum, unum quod est *peccatum tantùm*, sive *simpliciter* (quale fuit actuale Adæ peccatum in paradiso); alterum quod est *peccatum simul et pœna peccati* (quale fuit actuale peccatum Adæ è paradiso expulsi; qualia sunt actualia delicta præsentis statûs). Primum fuisse liberrimum et ideò nullâ prorsùs verâ et simplice necessitate commissum fuisse, vel committi potuisse ultrò fatentur; non ita secundum quod liberum est non in se quidem (in theologorum sensu), sed in Adamo, in quo omnes peccaverunt, et ideò quidquid Adæ peccato inductum est liberè voluerunt, ac proinde relativam necessitatem ad bonum aut malum prout delectatio cœlestis aut terrestris præponderat; cùm autem catholici theologi ipsis exprobrent Deum in hoc systemate injustum esse futurum, utpote qui adultos æternis suppliciis pro peccatis necessariè commissis condemnaret, ut hanc objectionem utcumque diluant, adducunt exemplum puerorum qui pro originali peccato in Adam necessariè patrato sempiterni ignis supplicio à Deo justè damnantur; hoc autem paritatis argumentum vanum esse et caducum sic ostendimus.

1° Jansenius et ejus sectatores negare non possunt adultos baptizatos vel in uno peccato mortali vitam finientes gravem ignis æterni combustionem subire; è converso, D. Augustinus docet, et quidem constanter, infantulos è seculo sine sacris undis migrantes *omnium mitissimam pœnam* experiri, ut diximus, non aliâ indubiè ex causâ quàm quòd peccatum quod in Adam commiserunt, non fuit tam liberum quàm actuale adultorum peccatum.

2° Constat peccatum originale per baptismum adultis remissum esse; non minùs certum est in eis per Adæ crimen non periisse liberum arbitrium, ut in secundâ parte demonstrabimus, licet *attenuatum* fuerit et *inclinatum*, ut definiit concilium Tridentinum; at inde elucescit peccatum adultorum, ita esse *peccatum et pœnam peccati*, ut nullâ prorsùs necessitate fiat, et peccatum originale non posse, saltem ratione culpæ, in eorumdem adultorum damnationem influere, et ideò Deum justum non posse eosdem æterno ignis supplicio addicere pro peccatis quæ necessariè commisissent.

3° Peccatum personale necessariè liberum est in se vel in causâ *propriâ voluntate volitâ*, aliàs non esset personale, sive personæ sui juris; sed adultorum peccata sunt personalia, ut passim clamat D. Augustinus; ergo.

Pars secunda.

DE COELESTIS ADAM, SIVE CHRISTI, GRATIA.

GENERALIS PARTITIO.

Ut eliminentur fastidiosæ retractationes, quibus doctorum scholasticorum, etiam recentiorum, de gratiâ disputationes vulgò onerantur, hic Tractatus quatuor absolvetur libris. Primus disseret de gratiæ necessitate, et ideò extantiâ (si enim gratia homini necessaria est indubiè existit).... Secundus de gratiâ sufficiente..... Tertius de gratiâ efficaci.... Quartus de præcipuis gratiæ effectibus.

Quoniam autem, quod à Platone priùs, et Aristotele, traditum præcipit Cicero, omnem institutionem, quæ de re quâcumque suscipitur, debere à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disseritur, idcircò priusquàm primum librum inchoo, duas de essentiâ gratiæ è vulgatis ejus divisionibus quæstionem præmittam.

Quaestio prooemialis prima.

DE GRATIÆ ESSENTIA.

Gratia, inquit D. Aug. lib. de Naturâ et Gratiâ cap. 4, n. 4, Apostolo præeunte (Rom. cap. 11, v. 6), *gratia nominatur quia gratis datur.* Gratis autem dari censetur quod datur citra dantis debitum, et jus accipientis.

Spiritus sanctus gratiæ nomen multiplici sensu suis in oraculis usurpavit, licet prævideret Pelagium et alios hujus vocabuli latibula dolosè ingressuros esse ad erroris sui venenum obtegendum et faciliùs propinandum. Etenim accipitur pro amore et benevolentiâ, qui fons est et origo bonorum quibus Deus justos homines cumulare dignatur, Genesis cap. 6, v. 8, Lucæ 1, v. 30... Item pro beneficio ex amore gratis impenso, Joannis 1, v. 16, etiamsi illud beneficium naturalis sit ordinis. Rationem affert D. Aug. epist. 177, aliàs 95, ad Innocentium, n. 7; hæc enim bona *non præcedentium aliquorum bonorum operum meritis, sed gratuitâ Dei bonitate donata sunt.* Talia sunt dona creationis, corporis et animæ dotes, etc.... Item pro grati animi testificatione in beneficii largitorem, lib. 2 Regum cap. 2, v. 6.... Demùm pro dono naturæ gratis adveniente, quod ad æternam salutem per se pertinet, et conducit, Rom. cap. 5, v. 21, et alibi passim.

Gratiæ nomen ultimo sensu, qui solus strictus est et proprius, in toto hoc tractatu accipiemus. Nunc quæritur quænam legitima sit gratiæ sic inspectæ definitio, sive potiùs descriptio.

Conclusio. — Gratia stricto sumpta sensu, id est quatenùs denotat beneficium supernaturale gratuitum, abstrahendo an oriatur ex Christi meritis vel non, definienda, sive describenda est : *Donum supernaturale creatum creaturæ intellectuali gratis à Deo impertitum propter æternam salutem;* si verò Christi meritorum ratio habeatur, et ideò gratia spectetur quatenùs gratia Salvatoris, erit describenda : *Donum supernaturale creatum naturæ rationali gratis à Deo infusum intuitu meritorum Christi propter æternam salutem.*

Probatur et explicatur definitio. —1° Dicitur, *donum,* quod nomen genus exprimit quo supernaturalis gratia convenit cum gratiâ naturalis ordinis. Etverò, gratia supernaturalis passim in Scripturis dicitur, *adjutorium, auxilium, donum,* etc. In ipso solo capite 5 Epistolæ ad Rom. ter *donum* appellatur. 2° Dicitur, donum *supernaturale,* quidquid tandem hâc voce præcisè significetur, quod satis exploratè cognitum non est; illud tamen satis elucescere videtur ex cognitione naturalis doni. Istud scilicet donum *naturale* dicitur, quia creatura ex nativâ conditione illud exigit; è converso igitur donum, quod creatura ex naturâ suâ non exiget, non naturale, sed supra naturam, et ideò supernaturale erit; at talis est gratia, de quâ hìc sermo, quæ idcircò creaturæ gratuitâ Dei bonitate accedit; unde patet gratiam hâc voce à donis naturalibus discriminari. 3° Vocatur donum *creatum,* ad majorem explicationem, id est à Deo distinctum. Discrimen scilicet est inter dantem, et datum à dante, sive donum dantis; sed gratia est donum Dei; ergo.

Aliunde, gratia non est aliquid merè privativum, ut peccatum formaliter sumptum, sed aliquid reale et positivum animam illius, cui

conceditur, afficiens; enimverò passim referunt Scripturæ, Deum homini *dare gratiam, gratiam diffundi in cordibus hominum, per gratiam homines ad Deum converti, per gratiam auferri cor lapideum, et dari cor carneum, homines adjuvari, ad vitam æternam deduci, omnia aggredi posse,* etc.; quæ sanè aliquid animæ reipsà intrinsecè inhærens, non aliquid merè privativum, aut animæ extrinsecum important et arguunt. Cæterùm, cùm Dei donum à Deo secernatur, et ideò creatum sit, hanc vocem adhibuimus ut eliminaretur error novatorum obgannientium gratiam nihil aliud esse quàm *omnipotentissimam Dei voluntatem.* 4° Dicitur, datum *creaturæ intellectuali,* quia subjectum gratiæ capax sola est creatura intellectualis, scilicet Angelus et homo.

5° Dicitur *gratis impertitum;* ubi adverbium, *gratis*, explodit 1° omne debitum ex parte dantis, sive Dei; Deus enim gratiam instillat quia vult, et ideò ad eam infundendam absolutè non adstringitur: *cujus vult miseretur,* inquit Apostolus Rom. cap. 9... 2° Explodit debitum etiam ex parte accipientis; debitum enim ex parte accipientis exurgeret aut ex meritis accipientis (et tunc esset debitum quod dici solet personæ), aut ex nativâ conditione et exigentiâ naturæ accipientis (et tunc debitum foret quod vulgò nuncupatur *naturæ*). At duplex illud debitum arcet gratia; primum quidem Apostolo dicente Rom. cap. 11: *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia;* secundum verò, quia si gratia naturali hominis conditioni debita foret, non minùs homini naturalis dici posset, quàm ratiocinandi aut liberè agendi facultas, adeòque homo innocens creari non posset sine gratiâ, quod Baii et ejus defensorum dogma meritò proscripsit Ecclesia, ut postea ostendemus. 6° Dicitur, *à Deo infusum propter æternam vitam;* quæ voces indicant 1°, causam gratiæ efficientem, scilicet Deum, et ideò specialiter designant gratiam Angelis, et Adamo et Evæ primitùs concessam sine ullâ Christi meritorum consideratione; 2° finalem gratiæ causam, nimirùm vitam æternam ex intuitivâ Dei visione exorientem, ad quam Angelos et primos parentes insigni dilectione destinaverat Deus. Ultimò additur, *donum intuitu Christi meritorum propter æternam salutem collatum;* quibus verbis depingitur gratia hominis lapsi propria, et ejus causa meritoria, scilicet Christus mediator, in quo et per quem *gratia et vita æterna*, Rom. cap. 6, v. ult.

Hæc gratiæ descriptio convenit gratiæ tum habituali, cùm actuali, de quibus postea disseremus: imò supernaturalibus donis externis ad æternam salutem conferentibus, v. g., incarnationi Verbi, Christi passioni, Evangelii prædicationi, sacramentorum institutioni, etc. Hæc enim totidem sunt insignia divinæ bonitatis dona, et præclara specialis illius in homines dilectionis effecta et specimina.

De gratià Christi, quæ dicitur *medicinalis*, quia sanat, aut sanare potest omnes infirmitates nostras, hoc in tractatu potissimùm disseremus.

Corollarium primum. — Cùm gratia sit donum Dei supernaturale creatum, et Thomâ dicente 1-2, q. 110, a. 2, in c., cum insignioribus ipsius expositoribus, *gratuitæ Dei voluntatis effectus,* describi nequit *omnipotens Dei voluntas*, etsi ratione principii, sive causæ efficientis, spectata, sic nuncupari potest, sicut ratione finis, sive objecti ad quod proximè conducit, dici posset *vita*, sive *beatitudo æterna.* Quamobrem, cùm D. Prosper in poemate de ingratis cap. 15, et nonnulli alii Patres gratiam omnipotentem Dei voluntatem, sive dilectionem, dixerunt, causam gratiam producentem delineaverunt, Apostoli vestigiis insistentes, qui Epist. ad Ephesios cap. 1, v. 6, et alibi, Dei bonitatem, sive benevolentiam, *gratiam* appellavit. Etverò, relata gratiæ in seipsâ descriptio adversa est 1° Scripturæ asserenti gratiæ resisti, Actuum cap. 7, etc., et tamen omnipotenti Dei voluntati creaturam nunquàm resistere, Rom. cap. 9, v. 19, imò resistere non posse, Esther cap. 13, v. 9; item *gratiam esse donum, lumen, auxilium*, etc., quo Deus movet et flectit mortalium voluntates; sed adjutorium Dei moventis et flectentis insulsè diceretur *Deus*, sive *omnipotens Dei voluntas*, sicut vis à movente corpori moto impressa insulsè diceretur *movens*.... 2° D. Augustino dicenti sermone 144 de verbis Evangelii Joannis, aliàs 61 de verbis Domini, cap. 1, n. 1, *gratiam Dei donum Dei esse*.... 3° Theologis, qui duce D. Thomâ 1-2, q. 113, art. 1, docent gratiam esse quid creatum in animâ realiter existens.... 4° Rationi ex principiis fidei emergenti. Scilicet fide constat dari gratiam purè sufficientem; sed si gratia etiam ex parte principii spectata esset Dei voluntas *quatenùs omnipotens,* exsufflaretur gratia purè sufficiens; voluntas enim Dei, quatenùs omnipotens, summæ efficaciæ ideam suggerit, saltem in mente novatorum; et ideò sola gratia

summè efficax sibi gratiæ rationem vindicaret; at gratia purè sufficiens non est summè efficax, cùm sola gratia efficax effectum sortiatur. Hinc Ecclesia verò suo meritò confixit hanc inter centum et unam propositionem 11 : *Gratia non est aliud quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, et facientis quod jubet....* Item 19 : *Dei gratia nihil est aliud quàm ejus omnipotens voluntas; hæc est idea quam Deus nobis tradidit in omnibus suis Scripturis;* tandem 21, quæ idem enuntiat. Istarum assertionum auctor Jansenii doctrinæ impensè addictus eas emisit, ut probaret in statu naturæ lapsæ gratiæ interiori nunquàm resisti, imò nec resisti posse, ut ferunt Yprensis propositiones 2 et 4, et idcircò in eodem statu nullum dari adjutorium verè sufficiens, quin simul sit efficax, ut passim loquitur idem Jansenius. Idem auctor, ut veritatis impugnatoribus gentile est, hìc sibi non constat; gratiam enim vocat *lumen*, propositione 14, *unctionem*, 15, *illecebras*, 16, *vocem*, 17; sed hæc indubiè non sunt ipse Deus, sive ipsa Dei voluntas, entitativè, ut aiunt, spectata. Porrò lumine considerationis gratiæ ex *parte principii*, ex *parte termini*, et *in seipsâ præcisè* (de quâ duntaxat hìc est sermo), liquescent omnes adversariorum objectiones.

Corollarium II. Cùm gratia sive habitualis, sive actualis donum sit supernaturale homini ex speciali Dei amore reipsà inditum ob æternam vitam, donum illud ab extrinsecâ Spiritûs sancti erga hominem dilectione tanquàm effectus à causâ distinguitur, et ubi de habituali, sive justificante gratiâ res est, donum illud est quid fixum et permanens, ab actu distinctum, intrinsecè et realiter animæ inhærens, quidquid tandem illud sit, sive qualitas habitusve propriè dictus, sive non, quod hactenùs non definivit Ecclesia, et nos ignorare profitemur. Unde homo non fit formaliter justus extrinsecâ tantùm denominatione, sive per solam externam imputationem justitiæ Christi, aut per solam peccatorum remissionem, nullo gratuito dono ipsi infuso, quo sanetur et exornetur, ut asseruerunt Protestantes in hoc Pelagianos imitati qui nullam specialem Dei gratiam agnoscebant nisi peccatorum remissionem. Istud dogma, quod sancivit concilium Trid. canone 11, quodque vindicaturi sumus quarto hujus operis libro, sic summatim adstrui potest. Scripturæ testantur *Deum in justis mansionem facere*, Joannis cap. 14, v. 23, *charitatem diffundi in cordibus*, Rom. cap. 5, v. 5, *gratiam esse in nobis*, 1 ad Tim. cap. 4, v. 14, 2 ad Tim. cap. 1, v. 6, etc. *Semen Dei*, id est gratiam manere in nobis, 1 Joann. cap. 3, v. 9, etc.; quæ propriè intellecta, ut dubio procul intelligi debent, aliquid fixum et animæ intrinsecè adhærens denotant. Unde Ecclesia, cujus est judicare de vero Scripturarum sensu, in concilio Trid. citato canone, hæc oracula de gratiâ animæ inhærente intellexit.

Nihilo tamen minùs incertum est an illa gratia verus sit habitus, vel qualitas philosophorum sensu animum informans, et ipsi permanenter impressus, an habitus aut qualitas alterius naturæ. Etenim Melchior Canus, lib. 7 de Locis, cap. 2, et plures alii eruditi, existimant Scripturæ testimonia de primi generis qualitatibus non esse intelligenda. Aliunde parvuli, seclusâ christianâ institutione, cùm usum rationis attigerunt per habitualem baptismi gratiam in divinas et supernaturales actiones non erumpunt, quod tamen evenire deberet, si gratia illa esset propriè dictus habitus. Porrò evanescent Calvini et aliorum Protestantium argumenta, si attendatur 1°, in Scripturis Christi justitiam dici *causam nostræ justificationis efficientem et meritoriam*, non *formalem*, quia scilicet Christus promeritus est gratiam sanctificantem, quâ formaliter justi evadimus... 2° In iisdem Scripturis peccata sic *tecta et non imputata* dici, ut tamen *deleantur*, et ideò non ampliùs appareant; ait enim Psalmista Psalmo 50 : *Iniquitates meas dele...* 3° in Scripturis *hominem* dici *non justificari in conspectu Dei* (v. g. Psalmo 142), non *absolutè*, sed *comparatè* ad Dei justitiam; ait enim David Psalmo 7 : *Judica me secundùm justitiam meam...* 4° Auctores quidem profanos justificationis nomine intellexisse innocentiæ declarationem, sed auctores sacros, quibus standum est, hoc nomine intellexisse interiorem hominis per inhabitantem Spiritum sanctum renovationem. Unde D. Aug. lib. de spiritu et litterâ, cap. 9, hæc observavit : *Non dixit justitia hominis* (Rom. cap. 3) *manifestata est, sed justitia Dei, non quâ justus est, sed quâ induit hominem, cùm justificat impium.*

Corollarium III. — Cùm gratia sit donum supernaturale animæ à Deo impressum, ut in *esse divino* constituta, et divinæ naturæ suo modo consors facta, Deo sit accepta, et supernaturales actus elicere valeat, gratia quatenùs actualis et excitans non solùm in intellectûs collustratione, ut censuit Vasquez, sed etiam in voluntatis motione collocanda est. Patet 1° ex Scripturis, Psalmo 118 : *Inclina cor meum*

in testimonia tua, Deus operatur in nobis velle et perficere, Epist. ad Philippenses, cap. 2; hæc enim passim intelligit D. Aug. de immediatâ per gratiam voluntatis inclinatione... 2° Ex Patribus, inprimis Augustino, qui lib. 4 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 5, n. 10, asserit, *gratiam propriè esse inspirationem dilectionis;* sed dilectio est proprius voluntatis actus; alibi passim dicit, *voluntates, corda hominum per gratiam trahi*... 3° Ex argumentis è fidei principiis deductis; gratia quippe nostri statûs propria medetur infirmitati nostræ, quæ præcipuè residet in voluntate, et ideò voluntas cœlesti indiget motione ut feratur in Deum; deinde auxilium naturæ lapsæ non est auxilium *sine quo*, ut adjutorium Adæ, sed *auxilium quo*, ut loquitur D. Augustinus, sed *auxilium quo* voluntatem immediatè afficit. Porrò adversariorum momenta concident, si recogites intellectum esse quidem facem voluntatis, quæ suâpte naturâ cæca est, sed non ideò, ubi de opere salutis est sermo, objecti exhibitionem intellectûs ministerio factam sufficere ut voluntas feratur in objectum, cùm insuper requiratur ut à cœlesti Patre tracta ad illud tendat.

Corollarium IV. Cùm gratia donum sit supernaturale à Deo animæ instillatum, ut per actus bonos æternam adipisci possit salutem, gratia illa, quatenùs præveniens et excitans in deliberatâ animæ actione non est reponenda. Aliter passim in operibus suis censuit Antonius Arnaldus, qui prodigisiosè eruditus causam catholicam egregiis operibus adversùs Protestantes feliciter promovit; utinam illi idem præstitisset auxilium adversùs Jansenium Yprensem et ejus sectatores! Enimverò epistolâ 598 ad dom. du Vaucel de commemoratâ gratiâ ait : *On ne voit point dans tout cela* (in Augustini testimoniis) *ni de* qualitas fluens, *ni d'*actus indeliberatus, *dans lequel M. d'Ypres a fait consister sa délectation victorieuse* (lib. 4 de Gratiâ Salvatoris cap. 11), *en quoi certainement il s'est trompé*. Verùm ipse deceptus est vir doctissimus, dùm gratiam excitantem ipsam liberam voluntatis actionem fecit. Etenim concilium Trid. sessione 6, can. 4, docet aut supponit hominem ope gratiæ excitantis eidem gratiæ liberè consentiendo se ad justificationem disponere; at hoc documentum, si gratia præveniens esset ipse liber voluntatis consensus, insulsum hunc exhiberet sensum : *homo libero suo gratiæ consensui liberè consentiendo se disponit ad justificationem.*

Deinde, Augustinus adversùs Pelagianos decertando gratiam secernit à consensu, docetque ipsam bonam voluntatem gratiam non esse, sed illius inspirationem et præparationem : *Est*, inquit, apud ipsum Arnaldum citatâ epistolâ, *inspiratio dilectionis;* quod evincit S. doctorem spectâsse deliberatam voluntatis actionem non ut gratiam, sed ut gratiæ effectum.

Tandem fide constat, eam esse naturæ gratiam, ut homo *possit ei dissentire si velit*, quemadmodùm definit concilium ibidem; sed si gratia esset actio libera, nunquàm homo, etiamsi vellet, posset ei dissentire, cùm consensus et dissensus simul existere nequeant. Porrò contra militantia momenta illicò contenentur si in hanc intuearis distinctionem, *gratia est deliberata voluntatis actio causaliter, non formaliter.*

Corollarium V.— Cùm gratia donum sit supernaturale à Deo homini infusum in ordine ad vitam æternam, vera Christi gratia non est sola charitas propriè dicta, aut illius inspiratio; unde errant Michaelis Baii et Yprensis defensores, ubi cum magistris decantant, omnem voluntatis actionem, quæ non oritur ex propriè dictâ charitate, hoc ipso oriri ex vitiosâ cupiditate, quæ creaturæ tanquàm fini ultimo inhæret. Scilicet actus veræ fidei, et spei possunt absque charitate elici, ut definit concilium Trid. sess. 6, can. 28, et tamen non sunt vitiosi, imò à Spiritu sancto excitantur, ut postea ostendemus. Neque hîc cum adversariis obtendas obsistere D. Augustinum, qui passim, inprimis libro de Gratiâ Christi, contra Pelagium et Cœlestium, cap. 35, n. 38, gratiam Christi definit, *inspirationem flagrantissimæ et luminosissimæ charitatis;* præterquàm quòd enim hæc expendere hujus loci non est, istud testimonium, si strictè sumeretur, etiam in mente Baianistarum nimis probaret. Etenim S. doctor lib. de Naturâ et Gratiâ contra Pelagium cap. ultimo, n. 84, agnoscit ipsam inchoatam charitatem à Deo inspirari : *Charitas*, inquit, *inchoata, inchoata justitia est... charitas provecta, provecta justitia est... charitas perfecta, perfecta justitia est.* Ergo gratia non est inspiratio solius *flagrantissimæ*, sive *intensissimæ charitatis.* Deinde, cùm Augustinus fatente Cano lib. 12 de Locis cap. 12, *quæ adversùs hæreticos disseruit, invenerit acutiùs, et dixerit subtiliùs quàm ut quivis ea possit agnoscere*, nemo citra omnem dubitationis aleam asseruerit. S. doctorem ibi etiam charitatis nomine specialem charitatis strict

sumptæ virtutem depinxisse. Notum quippe est ipsum sæpiùs quamcumque bonam voluntatem *charitatem* appellare ; quid, inquit, charitas nisi bona voluntas? Notum etiam est ipsum per charitatem aliquando intelligere complexionem omnium virtutum, adeò ut sensus sit, per gratiam inspirari omnes virtutes christianas, adeòque ipsam etiam fidem, aut spem à charitate sejunctam. Et verò ignorare non potuit quod dixit Apostolus 1 Cor. cap. 12, neminem *ipsum Jesu nomen* pronuntiare posse *nisi in Spiritu sancto.*

Corollarium VI. Cùm gratia sit supernaturale Dei donum animam intrinsecè alliciens, quod ad finem supernaturalem, qui ex intuitivâ Dei visione oritur, ex naturâ suâ tendit, ejus natura homini omninò explorata esse nequit. Unde tot varia et omninò discrepantia systemata tum circa gratiæ supernaturalitatis rationem, cùm circa gratiæ sanctificantis, sive habitualis, et actualis, præsertim excitantis primæ, notionem, quæ videre est apud D. Thomæ commentatores, et recentiores theologos. Hæc sanè systemata quemadmodùm non vituperamus, ita prorsùs approbare non possumus. Et verò, præterquàm quòd eorum auctores, ut in aliâ causâ meritò observavit Canus, *fortassis non intelligunt quod dicunt*, certè per se obscuram gratiæ naturam obscurant, nedùm elucident, cùm inprimis ipsis fatentibus suis in placitis aliquid semper occurrat quod nec intelligi nec explicari potest. Aliunde Augustino indubiè non acutiores cur intelligere et exponere tentant quod S. doctor morti etiam proximus se intelligere unquàm potuisse confessus est? *Gratia*, inquit lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 8, n. 13, *quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, nimiùm est secreta, et à sensibus remota.* Unde, cum Pelagianis super gratiæ necessitate disputando nunquàm gratiæ labyrinthum ingressus est nisi quando sese in eo occultaverant adversarii. Quibus autem armis tunc eos oppressit? His : *Negandum non est quod est apertum* (gratiæ interioris necessitas in Scripturâ et traditione manifesta) *quia comprehendi non potest quod est occultum* (gratiæ natura et distributio) lib. de Dono perseverantiæ, cap. 14, n. 37... His : *Altiora te ne quæsieris... In pluribus operibus Dei ne fueris curiosus... Plurima super sensum hominis ostensa sunt tibi*, Ecclesiastici cap. 3... His : *O altitudo!* etc., Rom. cap. 11... Iisdem armis debellari possunt nostrates increduli, qui gratiæ mysterium ut et cætera revelatæ religionis sacramenta subsannare solent. In aspectabili hoc mundo, sive in ordine naturali, imò in seipsis mirabilia et incomprehensa conspicere coguntur, et nulla in ordine morali, sive supernaturali conspicere dignabuntur ! Ipsis arridet Neutonianum systema totum in occultissimâ attractionis qualitate corporibus mirabiliter insitâ fundatum, et sive permanens gratiæ habitualis, sive citò effluens gratiæ actualis qualitas animæ cœlitùs indita ipsis displicebit! Materiæ, luminis, colorum, imò, omnium ferè rerum physicarum naturam, creatæ licet intelligentiæ accommodatam, penetrare non possunt, et cœlestis luminis et pluviæ essentiam penetrare volent, vel si non penetraverint, irridebunt! Quid sit motus, quid ejus acceleratio, quomodò unum corpus alterum moveat, etc., concipere nequeunt; et quomodò supremum Numen per gratiam actualem hominum voluntates moveat concipere volunt! In his ergo, ut ait Augustinus, *melior est fidelis ignorantia quàm temeraria scientia.*

Quaestio prooemialis secunda.

DE VULGATIS GRATIÆ DISTRIBUTIONIBUS.

Varia gratiæ antea delineatæ consideratio varias illius peperit divisiones. Quæstiones super his nonnullorum disserendi prurigine subortas, utpote inutiles, aut parùm utiles silebimus : « ridiculum enim est, inquit Canus lib. 12 de Locis, cap. 5, nervos omnes corporis et animi intendere in eâ quæstione solvendâ, cujus inscientia nihil periculi habet, error nihil habet criminis. Theologia, addit ibidem, inutilia non colligit, quin super fidei fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificat. » Porrò, cunctas istas divisiones ad strictam divisionis amussim confictas esse asserere nobis non est animus.

Partitio prima. — Gratia alia increata, quæ est æterna et supernaturalis Dei in homines dilectio ab ipso Deo non distincta, quâ eos relativè ad vitam æternam amat... Alia creata consistens in collatione omnium beneficiorum ex commemorato divini Numinis amore velut ex causâ scaturientium. Ex relatâ gratiæ descriptione satis cognoscitur.

Partitio II. — Gratia creata, de quâ hîc inprimis controversia, alia *Dei*, quæ et *sanitatis* dici solet, Christi meritorum contemplatione non collata (in eorum sententiâ qui cum Tho-

mistis censent Adamicum delictum Verbi incarnationis causam fuisse)... Alia *Christi*, quæ et *medicinalis* nuncupatur, quia Christi meritorum intuitu infusa animi morbis medetur. E converso, Scotistæ, qui Adamo etiam non peccante futuram fuisse incarnationem autumant, gratiam creatam dividunt in gratiam *sanitatis*, sive *Christi ut Capitis*, et in gratiam *medicinalem*, sive *Christi ut Redemptoris*. Hæc iterùm ex dictis elucescunt.

Partitio III. — Gratia Christi, de quâ potissimùm quæstio, alia externa, quæ extrinsecùs, alia interna, quæ intrinsecùs homini advenit. Utraque suo modo hominis salutem promovet.

Partitio IV. — Gratia interna alia *gratis data*, alia *gratum faciens*. Prior vulgò describitur : Donum supernaturale gratuitum, non in *propriam recipientis* (ut gratia gratum faciens), sed in proximi sanctificationem primariò et per se ordinatum. Depingitur 1 Petri cap. 4, v. 10, et 1 Corinth. cap. 12, his verbis : *Unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem.* Ibidem à versu 8 ad 11, recensentur novem hujus gratiæ species... Posterior, id est gratia *gratum faciens*, vulgò dicitur : *Donum supernaturale gratuitò à Deo inspiratum ad propriam uniuscujusque salutem per se et primariò destinatum.* Hæc gratia in Scripturis passim delineatur, v. g., Epist. ad Ephesios cap. 1, v. 7 : *Habemus* (in Christo) *redemptionem... secundùm divitias gratiæ ejus.*

Dixi in utrâque descriptione, *per se et primariò*, quia *secundariò et per accidens* gratia *gratum faciens* aliorum utilitatem promovere potest, Epist. Jacobi cap. 5, v. 16, 1 Joannis cap. 3, v. 21 et 22, etc. E vice versâ gratia *gratis data* illius, cui conceditur, salutem potest provehere, si eâ ut par est usus fuerit, Matthæi cap. 25, v. 21. Porrò, relata descriptio gratiæ *gratum facientis*, quæ Deo immediatè unit, et idcircò dignior est gratiâ datâ, quæ Deo *præparatoriè* duntaxat, et *mediatè* conjungit, relata, inquam, delineatio *gratiæ gratum facientis* convenit tum habituali cùm actuali gratiæ, diverso licet modo; utraque enim animam efficit sanctam *formaliter* nimirùm, si sit gratia habitualis sanctificans, efficienter verò, si sit gratia actualis, aliquo saltem ex his tribus modis, videlicet aut dispositivè, disponendo ad sanctitatem, vel conservativè, sanctitatem conservando, vel *directivè*, dirigendo ad opera salutis meritoria. Quod attinet ad unionem gratiarum gratis datarum vel secum invicem, vel cum gratiâ *gratum* faciente, vel gratiæ *gratum facientis* cum gratiis *gratis datis*, docet Apostolus citato loco unam gratiam gratis datam uni competere, alii alteram, et ideò illas gratias à se invicem sejungi posse. Item docet Christus Matthæi cap. 7, v. 21, gratiam *gratis datam* existere posse sine gratiâ *gratum faciente*. Item constat gratiam gratum facientem non esse semper gratiæ *gratis datæ* comitem ; justi enim ad aliorum salutem promovendam non semper à Deo mittuntur ; quinimò, in ipso Ecclesiæ exordio, omnibus fidelibus non inerat gratia gratis data.

Partitio V. — Gratia *gratum faciens* alia habitualis, alia actualis. Habitualis ea dicitur, quæ impertitur per modum habitûs, sive qualitatis permanentis, et hominem ad vitam æternam disponit et dirigit. Triplex vulgò secernitur, nimirùm gratia sanctificans, sive justum reddens, virtutes infusæ, et dona Spiritûs sancti. Gratia habitualis justificans ea est quâ homo formaliter justus evadit, dùm ei quoddam *esse divinum* communicatur, et suo modo divinæ fit particeps naturæ. Designatur Joannis cap. 14, v. 23, 2 Petri cap. 1, v. 4, etc.

Virtutes infusæ illæ sunt quæ propriis naturæ viribus obtineri nequeunt, sed à solo Deo animæ instillantur. Distribuuntur in theologicas, quæ sunt fides, spes, charitas, de quibus Apostolus 1 Cor. cap. 13, v. ultimo, et morales infusas, quas inter quatuor eminent, ideò cardinales nuncupatæ, scilicet justitia, prudentia, fortitudo, temperantia.

Dona Spiritûs sancti sunt habitus supernaturales, quibus homo propriè præparatur, ut à Spiritu sancto impellatur ad quædam heroica facinora producenda. Septem vulgò computantur, nempe donum sapientiæ, intellectûs, scientiæ, consilii, pietatis, fortitudinis, et timoris.

Quatuor prima intellectum afficiunt, tria posteriora voluntatem.

Gratia actualis, quæ et *auxilium* dici solet, ea est quæ per modum actûs, sive motionis transeuntis, qualitatisve effluentis infunditur. Anima scilicet per habitualem gratiam, et alios supernaturales habitus infusos potens quidem fit *in actu primo*, ut aiunt, ad supernaturales actus eliciendos, sed ut actu illos eliciat, sive de illâ potentiâ in actum secundum transeat, indiget auxilio speciali ipsam movente ad agendum, et cum ipsâ operante ; quod exemplo actuum naturalium aliquatenùs illustrari potest ; quemadmodùm enim causæ secundæ,

sive naturales, quæ in Dei substantiâ ubique mirabiliter diffusâ veluti immerguntur, nullum actum naturalis ordinis edere possunt absque generali concursu immediato, aut saltem mediato, quo suprema causa eas de potentiâ ad actum reducat, et eumdem actum cum illis saltem mediatè eliciat; ita multò magis homo non poterit edere actum supernaturalem sine auxilio supernaturali et actuali gratiæ, quo Deus veluti *actuet* liberam ejus voluntatem, faciatque ut supernaturale bonum velit et perficiat, licet ipsi indiderit gratiam sanctificantem, sive quamdam fixam formam supernaturalem per quam id possit.

Quid autem sit transiens gratiæ actualis motio, an ipse formaliter vitalis actus indeliberatus, quem excitante Deo anima eliciat, an quid ipsi prævium, quod illius actûs causa sit, ut censent Thomistæ, nos prorsùs ignorare fatemur; neque enim obscura per obscuriora explicare nobis est animus. Porrò, D. Aug. de gratiâ præsertim actuali, quæ ubique in Scripturis depingitur, adversùs Pelagianos disserit, eamque ad omnes edendas actiones quæ ad salutem remotè etiam conducunt prorsùs necessariam esse ex professo ostendit libris de gratiâ Christi.

Non attulimus distinctionem gratiæ habitualis in *primam et secundam*, quia ex se satis innotescit. Gratia scilicet habitualis prima ea est quæ animam de injustâ justam formaliter efficit... *Habitualis secunda* quæ animam de justâ justiorem formaliter reddit, per augmentum videlicet gratiæ sanctificantis Rursùm non expendimus cur Deus, qui ut Ens simplicissimum decet semper agit simplicissimo modo animæ gratiam habitualem infundere voluerit (ipsi enim ad supernaturaliter agendum actualis suffecisset gratia). Præterquàm quòd enim id ex dictis satis elucescit, rationem affert D. Thomas 1-2, q. 110, a. 2, in c.: « Habituale donum, inquit, à Deo animæ infunditur, quia non est conveniens ut Deus minùs provideat eis quos diligit ad supernaturale bonum habendum quàm creaturis quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus sic providet ut non solùm moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum ut secundùm seipsas inclinentur ad ejusmodi actus, et sic motus, quibus à Deo moventur fiunt creaturis connaturales et faciles secundùm illud Sapientiæ cap. 8: *Disponit omnia suaviter*. Multò igitur magis illis quos Deus movet ad consequendum bonum æternum, infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundùm quas suaviter et promptè ab ipso moveantur ad bonum æternum consequendum, et sic donum gratiæ (habitualis) qualitas quædam est (fixa et permanens). »

Partitio VI. — Gratia actualis alia intellectûs, alia voluntatis. Prior consistit in internâ mentis illustratione, quâ Deus intellectui veritates supernaturales credendas, vel supernaturalia bona patranda offert et repræsentat.... Posterior in indeliberatâ et immediatâ motione, sive inclinatione, quam Deus in voluntate producit, ut eam ad bonum supernaturale diligendum excitet et accendat. Utraque statûs naturæ lapsæ propria est, ut docet D. Augustinus, et concilium Tridentinum ex constanti traditione sess. 6, cap. 5, et canone 3, ubi ait, *Deum tangere cor hominis per Spiritûs sancti illuminationem*, et neminem justificari posse sine *Spiritûs sancti inspiratione et adjutorio; illuminatio* enim ut et *inspiratio* intellectûs collustrationem, et *tactus cordis* ut et *adjutorium* voluntatis motionem designat.

Partitio VII. — Gratia actualis sive intellectûs sive voluntatis, mox descripta, generatim distribuitur in *antecedentem, comitantem, et subsequentem*. Hanc quippe distributionem tradit synodus Tridentina sess. 6, cap. 16, his verbis: « Christus tanquàm caput in membra, et tanquàm vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine quâ nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent. »

Ad gratiam antecedentem pertinet, aut saltem pertinere potest, gratia quæ dicitur *præveniens, excitans, vocans, inspirans,* imò et *operans;* hæc enim gratia describi potest: *Momentanea illustratio intellectûs, et motio voluntatis, quas Deus in nobis sine nobis efficit, ut scilicet benè velimus, et benè agamus.* Etenim D. Aug. concione 1 in Psalmum 58, n. 19, prævenientem gratiam vocat *excitantem:* Deus meus, inquit, misericordia ejus præveniet me; *non enim prior ad te exsurrexi, sed tu ad me excitandum venisti;* et libro de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 17, n. 33, dicit, gratiam operantem eam esse per quam Deus ut *velimus operatur incipiens, et ut velimus sine nobis operatur.* Dixi, *quas Deus in nobis sine nobis efficit*; quæ non significant Deum se solo hos producere motus quasi nullo modo activè concurramus; quis enim nesciat actum vitalem, qualis est illustra-

tio intellectûs, et inclinatio voluntatis, a propriâ vitali potentiâ necessarie elici? Sensus ergo est, hæc in nobis fieri sine nobis liberè concurrentibus, quia isti motus, sive actus, sunt indeliberati. Dixi etiam, *ut benè velimus, et benè agamus*, quia D. Augustinus dicendo universim, Deum per gratiam operantem *efficere ut velimus*, videtur gratiam operantem non restrinxisse ad *solam primam bonam voluntatem*, id est conversionis desiderium, sed eam quoque extendisse ad eam actualem gratiam, quâ movemur ad perseverandum in gratiâ jam acceptâ, cùm inprimis libro de Correptione et gratiâ, cap. 11, doceat esse in nobis per gratiam operantem *non solùm posse quod volumus, sed etiam velle quod possumus*.

Ad gratiam concomitantem revocatur, aut revocari potest, gratia dicta *cooperans, dirigens, gubernans, protegens, adjuvans;* hæc enim describi potest : *Inspiratio, sive concursus supernaturalis, quo Deus nobiscum concurrit ad omnes et singulos actus supernaturales ac liberos.* Etenim D. Aug. citato capite 17 libri de Gratiâ et libero Arbitrio dicit, gratiam cooperantem eam esse gratiam, *per quam Deus volentibus cooperatur perficiens;* quod sanè idem est ac si dixisset, *per quam Deus cùm volumus, et sic volumus ut faciamus nobiscum cooperatur.* Et verò, hæc tradit Apostolus 1 Cor. cap. 15, v. 10, quem textum expendens D. Aug. lib. de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 5, n. 12, dixit : Ne ipsa voluntas sine gratiâ Dei putetur aliquid posse, continuò cùm dixisset, gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi, subjunxit : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum, id est non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.*

Dixi, *ad omnes et singulos actus;* nullus enim excipiendus est actus supernaturalis liber, nequidem parva et invalida voluntas, quam nonnulli immeritò excipiunt. Scilicet D. Augustinus gratiam cooperantem firmæ duntaxat voluntati non illigavit; quinimò eam cuilibet bonæ voluntati supernaturali liberæ annexuit. Ad gratiam subsequentem reducitur, aut reduci potest, gratia nuncupata *confirmans et consummans;* etenim describi potest : *influxus, sive concursus supernaturalis, quo Deus voluntatem prævenienti, sive excitanti gratiæ cum Dei auxilio jam consentientem corroborat, ut in bono proposito permaneat, et fortiùs in actus, quibus perficiatur, erumpat.* Etenim hæc ex Scripturis passim tradere videntur Patres : *prævenit Deus,* inquit D. Augustinus libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 31, n. 35, *ut vocemur, subsequitur ut glorificemur, prævenit ut piè vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere.*

Magistrum sequitur Fulgentius. « *Prævenit* (Deus) inquit lib. 1 ad Monimum cap. 11, impium, ut fiat justus, subsequitur justum ne fiat impius. Prævenit cæcum, ut lumen.... donet, subsequitur videntem, ut lumen quod contulit servet. Prævenit elisum ut surgat, subsequitur elevatum ne cadat. Prævenit donans.... bonam voluntatem, subsequitur benè volentem operando in illo boni operis facultatem. » Concinit D. Gregorius Magnus homiliâ 9 super Ezechielem in hæc verba (cap. 2 Prophetæ) : *Ingressus est in me Spiritus :* « Mala nostra, inquit, solummodò nostra sunt; bona autem nostra, et omnipotentis Dei sunt, et nostra, quia ipse inspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus. Præveniente ergo gratiâ, et bonâ voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum. » Cæterùm, omnes illæ gratiæ actualis distinctiones ad duas universim revocari possunt, nimirùm ad operantem vel cooperantem; omnis enim inspiratio, quâ Deus nos ad supernaturale bonum movet, aut est *in nobis sine nobis,* et sic est gratia *operans,* aut in nobis et nobiscum, et sic est gratia *cooperans.*

Enumeratas gratiæ divisiones vulgò admittunt theologi; at circa earum notionem mirè inter se dissident; quâ ex causâ quidquid modò diximus de gratiâ operante, cooperante et subsequente, per modum dubitationis proposuimus, nullam prorsùs amplectendo sententiam. Etenim Thomistæ universim partiuntur gratiam voluntatis in *excitantem* et *adjuvantem.* Utraque semper prævenit voluntatem; excitans enim, quæ eadem est ac *sufficiens,* unicè destinatur ad suscitandos in intellectu et voluntate indeliberatos actus, quibus homo ad conversionem allicitur... Adjuvans, quæ non differt ab efficaci, facit ut voluntas indeliberatis illis motibus sese morigeram præstet, et conversionem reipsâ appetat. Iidem Thomistæ gratiam adjuvantem subdividunt in *operantem* et *cooperantem;* operans producit primum liberum ac supernaturalem voluntatis motum, ad quem voluntas sese moraliter non inflectit, sive per prævium motum deliberatum, sed à solo Deo impulsa est; quod illustrari dicunt exemplo

Saüli, qui liberum suum Christo obediendi actum primum emisit his verbis : *Domine, quid me vis facere?* Actuum cap. 9... Cooperans, quam et *subsequentem* suo sensu nuncupant, est illa quæ voluntatem postea impellit ad pietatis opera, quæ primum bonum, et liberum voluntatis actum sequuntur, v. g., ad eximios pietatis actus quos Saulus post primum suum obedientiæ actum edidit.

Celebris Norisius, et alii nonnulli, autumant gratiam *operantem* et *cooperantem* naturâ quidem inter se distingui, sed gratiam *operantem* reipsâ non differre à *præveniente, excitante* et *sufficiente,* et cooperantem à *subsequente, adjuvante,* et *efficaci,* quia duæ illæ gratiæ species his donantur nominibus ob variam ingenitam vim et virtutem.

Gamachæus et alii censent 1°, gratiam *operantem, prævenientem,* et *excitantem,* eamdem naturâ gratiam esse, indeliberatam scilicet mentis illustrationem et voluntatis motionem. ...... 2° Gratiam *cooperantem, subsequentem* et *adjuvantem,* eamdem omninò esse gratiam, concursum nimirùm supernaturalem, quo Deus cum homine agit. Unde in hoc cum Norisio et aliis commemoratis auctoribus consentiunt, quòd gratia *operans* et gratia *cooperans* duæ sint gratiæ species realiter distinctæ. Verùm in eo discrepant, quòd velint solam gratiam *operantem* subdividendam esse in sufficientem et *efficacem.*

Alii gratiam voluntatis dividunt in tres species, quarum prima vocatur gratia *operans, præveniens* et *excitans.....* Secunda *cooperans, concomitans,* et *adjuvans....* Tertia, *subsequens.* Hanc opinionem exposuimus.

Ludovicus Molina et ejus vulgò sectatores gratiam *operantem, prævenientem, excitantem, cooperantem, concomitantem,* et *subsequentem,* et ideò ipsam sufficientem et efficacem inter se, non entitate, sed solâ consideratione discrepare sentiunt. Scilicet opinantur gratiam essentialiter consistere in indeliberatis intellectûs et voluntatis affectionibus. Unde idem *entitativè* motus indeliberatus dicitur, *gratia operans,* quia Deus illum in nobis liberè cooperantibus producit, *præveniens,* quia liberum voluntatis consensum præcedit, *excitans,* quia suaviùs allicit voluntatem, *sufficiens,* quia voluntas cum illo potest agere vel non agere. Pariter idem ille indeliberatus motus, qui, ut diximus, est vitalis animæ actus, vocatur gratia *cooperans, concomitans, subsequens,* et *efficax,* quia suo in liberum voluntatis consensum influxu cooperatur voluntati, et ipsam ad consentiendum *moraliter* inflectit. Nonnulli tamen cum Suaresio hoc systema ingeniosè emollire et restringere conati sunt dicendo, *gratiam efficacem eamdem quidem naturâ esse cum sufficiente,* sed nihilominùs *efficacem* præstare *ratione doni et beneficii,* gratiæ merè operanti et sufficienti, quatenùs scilicet efficax, non sufficiens, opportunis in circumstantiis infunditur.

Partitio VIII.—Gratia *antecedens,* sive *præveniens, operans,* sive *excitans,* alia *sufficiens,* alia *efficax.* Hæc est insignior partitio, cujus occasione tot in scholâ exorta sunt dissidia. De utrâque gratiâ in secundo et tertio libris disseremus.

Hic observâsse sufficiat gratiam purè et strictè sufficientem, quatenùs nempe adversa est efficaci, illam esse quæ realem et expeditam impertit voluntati potentiam ad adversam hic et nunc stimulantem concupiscentiam vincendam et bonum supernaturale agendum, cum quâ tamen voluntas non operatur. E conversò, gratia efficax, quatenùs sufficienti contraria est, ea reputatur quæ suum effectum certò et infallibiliter semper obtinet. Si effectus semper et certò oritur ex ingenità ipsius gratiæ virtute, vocatur *ex sese et ab intrinseco efficax;* si ex convenientiâ circumstantiarum, dicitur *congrua;* si ex prævisione Dei, appellatur *efficax ab eventu.*

Gratia efficax iterùm distribuitur in *efficacem in actu primo,* et *efficacem in actu secundo;* item sufficiens in proximè et remotè duntaxat sufficientem. Verùm de his postea fusiùs.

Partitio ultima. — D. Aug. libro de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 8, n. 20, gratiam partitus est in *gratiam tantummodò,* sive unicè, et *gratiam pro gratiâ;* ibidem enim ait : « Si vita nostra nihil aliud est quàm Dei gratia, sine dubio et vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est, et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur sed illa cui datur tantummodò gratia est ; hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratiâ, tanquàm merces pro justitiâ. « Igitur gratia *tantummodò* sive *simpliciter* ea est quam Deus ex Christi meritis confert, sine ullo ex parte hominum prævio merito, etiam ex gratiâ... Grata verò pro gratiâ ea est quæ conceditur propter meritum antecedens, quod ex ipsâ gratiâ exsurgt; talis cœlestis gloria, sive, ut loquitur S. doctor, *vita æterna,* quæ simul est præmium sive merces, et gratia, quia merces meritis redditur, gratia quia illa merita ex gratiâ emanant. Hinc D. Aug. epist. 194 ad Sixtum, aliàs 105, cap. 5,

n. 19, dixit: « Cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quàm munera sua. »

His ad rerum tractandarum notitiam delibatis, sit

Liber primus.

DE GRATIÆ NECESSITATE.

Exponendum utrum gratia necessaria sit in diversis hominis statibus. Ideò sequentia recogita.

Status, ut hìc sumitur, est certa quædam hominis sors relativè ad finem ultimum. Alius *termini*, proprius patriæ incolarum, alius *viæ*, proprius mortalium ad terminum aspirantium; alius qui extitit, status scilicet Adæ, sive naturæ innocentis, et status naturæ lapsæ et reparatæ, in quo versamur; alius merè possibilis, ut status *naturæ integræ*, in quo homo sine peccato et gratiâ dirigente ad finem supernaturalem cum quodam subsidio naturalis ordinis, indebito tamen exigentiæ naturæ, immunis fuisset ab insultu appetitûs sensitivi adversùs rationem.... Item status *naturæ puræ*, et status naturæ lapsæ, et nullo remedio à Deo reparatæ.

Qui in merè possibilium regionem evolant, in fragili conjecturarum nido requiescere solent. Idcircò certi et veri amore accensi brevem de necessitate gratiæ in statu tantùm naturæ innocentis, et naturæ lapsæ et reparatæ instituemus sermonem.

CAPUT PRIMUM.

De necessitate gratiæ in statu naturæ innocentis.

Tria præsertim hìc sese offerunt; an Adam primitùs justitiam et dona ipsi annexa acceperit.... An hæc beneficia insonti homini essent debita.... An et quâ gratiâ indiguerit insons Adam ad benè agendum et perseverandum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Adam cum justitiâ originali, et donis et affixis creatus fuerit?

Inficiati sunt olim Pelagiani, et hodiè inficiantur Sociniani, etc., prætendentes hominem jam nasci qualis initio creatus fuerat, sine peccato et gratiâ.

Conclusio. — Adam originali justitiâ fuit exornatus, saltem ante peccatum.

Est de fide, ut patet ex concilio Tridentino sess. 5, de peccato originali can. 1. Ibi enim definit Adam ante peccatum justitiam habuisse; sed fidem non tangit, quatenùs innuit aut supponit Adam ab initio creationis justitiâ supernaturali refulsisse; nonnulli enim theologi censent ipsum primitùs fuisse efformatum cum rectitudine merè naturali.

Probatur. Præcipuæ justitiæ originalis dotes erant, gratia sanctificans, sufficiens rerum notitia, appetitûs submissio, corporis immortalitas, etc. At his donatus fuit Adam; ergo.

Prob. minor per partes. 1° Gratiâ sanctificante decoratus est; eum enim Deus *rectum* fecit, ut dicitur Ecclesiastæ cap. 7; sed hæc rectitudo fuit supernaturalis; id enim suggerere videtur Apostolus, cùm Epistolâ ad Ephesios cap. 4, v. 24, eam comparat cum ipsâ justitiâ et sanctitate quæ per Christi merita acquiritur. Aliunde, D. Augustinus id adversùs Pelagianos passim asserit. Saltem aureo libro de Correptione et gratiâ cap. 6, n. 9, locum Ecclesiastis de gratiâ sanctificante exponit. 2° Sufficienti rerum notitiâ fuit informatus, Ecclesiastici cap. 17, v. 5 et 6. Unde D. Aug. lib. 5 Operis Imperfecti contra Julianum, cap. 1, dicit in Adam *excellentissimam fuisse sapientiam.* 3° Appetitûs inferioris adversùs rationem impetum nunquàm expertus est, imò ejus corpus animæ perfectè famulabatur, ut passim tradit D. Augustinus. 4° Corporis immortalitate gaudebat, et morborum aliarumque molestiarum omninò expers fuit, Genesis cap. 2, v. 17, Sapientiæ cap. 2, v. 24, Rom. cap. 5, v. 12; quæ loca sic intellexit conc. Trid. sess. 5, can. 1 et 2, post antiqua concilia adversùs Pelagianos et Semipelagianos habita. Ea etiam sic exposuit D. Aug. v. 9, lib. 6 de Genesi ad litteram, cap. 25, n. 36, ubi ait *Adam mortalem fuisse conditione corporis animalis, immortalem autem beneficio Conditoris,* et Deum istud *beneficium ipsi contulisse per lignum vitæ, non per constitutionem naturæ.* Licet autem in libris de Genesi ad litteram *plura quæsierit, quàm invenerit,* ut ipse loquitur in Retractationibus, in libris tamen sub vitæ finem conscriptis idem repetit, v. g., lib. de Civitate Dei cap. 26; quo in capite insignes et mirabiles Adæ in paradiso prærogativas luculentissimè refert et describit.

D. Augustinus censuisse videtur, Adam priùs creatum fuisse *ad imaginem Dei secundùm naturalia,* subinde *ad similitudinem Dei secundùm supernaturalia.* Verùm, si hæc commemoratis theologis favent (possunt enim exponi de *prioritate* rationis, originis, ac naturæ, non de prioritate temporis), saltem hæreticis non favent,

ARTICULUS II.

An justitia originalis, et dona ipsi affixa insonti homini debita fuerint, et ideò ejus naturæ appendices sint reputandæ?

Hæc quæstio, si non est eadem, saltem intimè connexa est cum quæstione de possibilitate statûs naturæ puræ. Majoris tamen claritatis causâ eas seorsim tractabimus.

§ 1. *Utrum justitia originalis, et alia dona recensita Adæ innocenti debita fuerint, et ideò naturalia reputanda sint?*

Quæstionis sensus et cardo. — Non quæritur utrum beneficia Adæ primitùs collata naturalia dici possint hoc sensu quòd illa vel ab ortu habuerit, vel ejus naturam perfecerint, vel suppositâ gratuitâ Dei voluntate ejus naturæ sint impressa; quis enim hæc in dubium revocet?

Non quæritur etiam utrum Deus illa dona impertiverit ex convenientiâ, vel decentiâ, etiam ex attributis suis oriente; hanc enim opinionem vulgò tuentur Augustiniani, inprimis doctissimus cardinalis Norisius. « Hæc duo distinguenda sunt, inquit, Vindiciarum cap. 3, paragrapho 2, concupiscentiæ subjectionem datam (esse) primo homini ex exigentiâ rei creatæ, vel ex purâ putâ decentiâ; primum enim negatur, alterum à nobis asseritur; et hoc patet ex Augustino scribente lib. 3 contra Julianum cap. 11 : *In naturâ hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum.* » Hanc autem nobilissimæ scholæ sententiam censurâ adversùs Baium latâ fuisse proscriptam asserere non minùs falsum foret quàm temerarium, ut ex dicendis elucescet.

Quæritur ergo præcisè, an Deus illa dona concedere debuerit, aut quia id absolutè exigebant attributa sua, aut quia fluebant ex naturæ humanæ principiis, vel ex necessariâ naturæ exigentiâ.

Errores. — Lutherus in caput 3 Geneseos, cui favit Calvinus lib. 1 Instit. cap. 15, docuit, « justitiam originalem tam fuisse Adæ naturalem quàm usum visûs, et ideò eâ per peccatum deperditâ non mansisse integra naturalia, ut delirant Scholastici. »

Michael Baius, doctor Lovaniensis, commemoratam Lutheri doctrinam (ut suum de strictè dictâ charitate, qui solus est rectus creaturæ rationalis amor, et ipsâ concupiscentiæ substantiâ, seu specie, quæ essentialiter vitiosa est, staret systema), relatam, inquam, Lutheri doctrinam expressit, vel saltem ab eâ multùm non recessit propositionibus 22, 24, 25, 27, 79 et 80, inter proscriptas à Pio V, anno 1567, Gregorio XIII, anno 1579, et Urbano VIII anno 1641, reduci possunt ad vigesimam septimam, quæ sic se habet (in historiâ Baianismi P. Duchesne Duaci typis mandatâ anno 1731, quam solam citabimus) : *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

Jansenius Yprensis commemoratum Baii systema ut ingeniosiùs et solertiùs defenderet docuit justitiam originalem dici posse *supernaturalem, et naturalem, indebitam, et debitam,* sub diverso respectu; *supernaturalem et indebitam,* quia non erat debita personæ, sive meritis Adæ; *naturalem et debitam,* quia erat debita naturæ, sive exigentiæ naturæ Adæ. Hæc consignavit lib. 1 de Statu naturæ puræ, capitibus præsertim 17, 18, et ultimo. Unde in mente Jansenii relatæ Baii assertiones ideò tantùm damnatæ sunt, quia videbantur enuntiare justitiam originalem debitam fuisse *personæ Adæ*, et hoc sensu non fuisse supernaturalem. Verùm deceptus fuit, si non decipere voluit vir eruditus et sagacissimus. Baius enim per gratiam, sive supernaturale et indebitum donum, cum theologorum choro intellexit donum non solùm *debitum personæ*, sed etiam omne debitum, omnem *exigentiam* naturæ excludens.

Auctor centum et unius propositionum ab universâ Ecclesiâ proscriptarum Baii et Yprensis systematis maximè retinens illud consignavit in suis observationibus moralibus. *Gratia Adami*, inquit propositione 34, *non producebat nisi merita humana;* iterùm propositione 35, *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ.*

Concinunt inter Baii et Yprensis sectatores quotquot eorum systema optimè intelligunt.

Conclusio. — Justitia originalis et ipsi annexa dona Adæ primitùs impertita verè supernaturalia fuerunt, et ideò citra necessariam saltem naturæ sanæ et integræ exigentiam.

Prob. 1° ex Scripturâ et Patribus, Augustino præsertim ad cujus tribunal provocant adversarii. Justitia originalis, ut diximus, complectebatur gratiam sanctificantem, concupiscentiæ carentiam, corporis immortalitatem, etc. Sed hæc singula verè fuerunt supernaturalia bona naturali hominis constitutioni prorsùs indebita. Enimverò, quid, quæso, gratia sanctificans Adæ et nobis in præsenti ordine concessa? Quinam mirabiles ejus effectus, sive dotes? Augustinus, Enchiridion cap. 95, n. 24, asse-

rit, *sanctos in æternâ vitâ pleniùs cognituros esse quid boni eis* (in terris) *contulerit gratia.* Interea docet Scriptura eam hominem reipsâ efficere *filium Dei*, 1 Joannis cap. 3, et quodammodò *divinæ consortem naturæ* 2 Petri cap. 1. Unde D. Augustinus, libro de Gratiâ Christi contra Pelagium, cap. 12, n. 13, dicit hominem per gratiam *ad summam perfectionem glorificationemque perduci.* Sed donum tam sublimis ordinis, tantæque efficaciæ evidenter superat exigentiam et debitum creaturæ rationalis. Unde Scriptura, ipso citato Joannis loco, et Patres illud exhibent velut *maximum et pretiosum*, et velut *immensam* ex parte Dei *charitatem.* Deinde Scriptura et Patres beneficium Adæ à Deo in ortu præstitum vocant *gratiam. Sed*, inquit Aug. sermone 26 de verbis Psalmi 94 et Apostoli, aliàs de verbis Apostoli 11, cap. 13, n. 14, *non gratis datur quod ex debito redditur;* quâ ex causâ D. Thomas ante laudatus 1-2, q. 110, a. 2, in c., quem Yprensis velut *Augustinum magnâ ex parte contractum* commendat, dicit gratiam esse *gratuitæ Dei voluntatis effectum....* Item concupiscentiæ subjectio, quâ in creatione potitus est Adam, ejus naturæ debita non fuit. Etenim Aug. lib. 2 de peccat. meritis et remissione cap. 23, n. 37, dicit obedientiam appetitûs sensitivi rationi *primum fuisse justitiæ Adam effectum*, et lib. 4 contra Julianum cap. ultimo, n. 82, eamdem obedientiam, sive subjectionem, vocat *magnam gratiam*; sed *primus effectus* gratiæ sanctificantis non minùs est supernaturalis quàm gratia sanctificans, et *magna gratia* non potest dici homini *debita* et *connaturalis.* Præterea, quis genuinam Augustini super hoc sententiam meliùs cognovit quàm Henricus Norisius, quem Yprensis defensores impensè (et meritò quidem) extollere consueverunt? At hic loco ante adducto rationem censuræ 27 Baii propositionis afferens explodit vanam distinctionem Yprensis, *debiti* nempe *personæ*, et *debiti naturæ.* « Scio, inquit, Augustinum lib. 2 de peccatorum meritis et remissione cap. 22 (n. 36), hæc scribere de primis parentibus : Quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversùm se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo justitiæ, ut quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine ullâ resistentiâ famulatum. Ubi nomine justitiæ non rigorosum debitum in naturâ humanâ fundatum intellexit (Augustinus) sed ex decentiâ solius Creatoris derivatum. » Denique D. Thomas 1 p., q. 95, a. 1, in c., novatorum dogma refellit : « manifestum est, inquit (nota illam vocem) subjectionem corporis (Adæ) ad animam.... non fuisse naturalem, alioquin post peccatum mansisset, cùm etiam in dæmonibus dona naturalia post peccatum permanserint... » Item corporis Adæ immortalitas ipsius naturæ appendix non fuit : « Adam enim (ut ante dicebat Augustinus) mortalis fuit conditione corporis animalis, immortalis beneficio Conditoris. » Idem dicendum de defectu aliorum malorum corporis Adæ; innocentem enim eis obnoxium esse posse ostendunt exempla Christi, et B. Virginis. Hinc meritò damnata est hæc Baii assertio numero 79 : « Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio; » item ejusdem propositiones 73 et 74, quæ ferunt solum sontem affligi posse; ac tandem ista 70 inter centum et unam : « Nunquàm Deus affligit innocentes, et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. »

Probatur 2° ex universæ Ecclesiæ judicio adversùs commemoratas Baii et auctoris centum et unius propositionum assertiones. Ubi notandum est Ecclesiam damnando propositiones 34 et 35 ultimi auctoris, consequenter damnâsse distinctionem *debiti personæ* et *debiti naturæ*, quâ Yprensis eludere conatus est censuram Pii V adversùs Baium. Ultimus enim ille auctor Yprensis sensum indubiè expressit.

Jansenius suum de justitiæ originalis *connaturalitate* systema isto stabilire nititur principio, charitatem strictè dictam solam esse virtutem, etiam naturalem, et ideò quemlibet creaturæ rationalis amorem ab illâ charitate diversum essentialiter esse vitiosum, proindeque nullam creaturam rationalem ab omnipotente Deo sine charitatis amore condi posse; quod principium postea confutabimus. Quare hîc sufficiat quædam in antecessum emittere solutionum principia, tum ut Janseniani dogmatis latibula magis reserentur, cùm ut illius fundamenta concutiantur.

Principia solutionum. — Primum. Gratia strictè sumpta, quæ Jansenio dicente sola est charitas propriè dicta, aut illius inspiratio, ex parte Dei excludit debitum *absolutum*, non *hypotheticum*, cùm Deus decretis et promissis stare teneatur. Hoc autem Yprensi non favet; gratiæ enim originalis *debitum* et *connaturalitatem* deducit, non ex solis Dei attributis,

sed ex naturæ humanæ exigentiâ, et integritate. Unde vult illius justitiæ privatione naturam vitiari sicut vitiatur corpus incompositâ membrorum concinnatione.

Secundum. Creatura rationalis condi non potest sine aliquo Dei amore. Verùm amor ille non est amor castus et supernaturalis; ipso enim dicente Yprensi, fundatur *in integritate et exigentiâ naturæ*; quod verò est verè supernaturale totius naturæ vires et exigentiam superat. Quamobrem Augustini testimonia quæ coacervat Yprensis ut probet illum amorem esse *castum et supernaturalem*, ejus systemati non favent. Disserit enim S. doctor de præsentis statûs amore ex cujus *supernaturalitate* erui nequit supernaturalitas alterius statûs.

Tertium. Hoc est in præsenti quæstione Yprensis principium: *Amor naturæ innocentis castus fuit et supernaturalis quia licet non excluderet debitum naturæ, tamen exclusit debitum personæ.* At principium istud aut intelligi non potest, aut secum non cohæret; quomodò enim quod naturæ debetur, quod est integralis naturæ perfectio potest efficere amorem supernaturalem? etc.

Quartum. Frequens D. Augustini effatum, *charitatis defectus vitium est naturæ*, Yprensi non favet; verum quippe est 1°, si *charitas* idem sonat ac *rectus et honestus amor;* amor enim iste est naturale animæ bonum, cujus ideò, aut saltem ad illud obtinendum medii privatio, esset naturæ vitium. Hoc sensu charitatem interdùm accepisse S. doctorem infra probabimus... 2° Si charitas significat *castum et supernaturalem amorem*, verum est relativè ad præsentem statum, in quo suppositâ gratuitâ Dei ordinatione natura illo amore accendi debet; falsum è converso relativè ad naturam innocentem fini supernaturali non destinatam. Notum autem est D. Augustinum plerumque charitatem spectâsse sub primo respectu, et nunquàm intendisse defectum amoris *casti* vitiare posse naturam innocentem ad finem supernaturalem non elevatam, cùm passim doceat justitiam originalem Adæ concessam insigne fuisse Creatoris beneficium.

Quintum. Famosum Augustini testimonium lib. 3 contra Julianum cap. 11, n. 23: *In naturâ hominis ante peccatum pacem decebat esse, non bellum*, quod in suæ opinionis patrocinium adducit Norisius, potest significare decentiam emanantem ex decreto Dei de manifestando in primo homine quid posset liberum arbitrium. Quidquid sit, textus ille Yprensi non favet, ut et opinio Norisii; omne enim quod decere videtur agere non tenetur Deus, et aliunde celebris iste theologus magis loquitur de decentiâ oriente ex divinis attributis, quàm ex naturali hominis constitutione super quam Jansenius suum dogma fundare nititur.

Sextum. Citatum Augustini pronuntiatum lib. 2 de peccatorum meritis et remissione, cap. 22, n. 36, *justitiæ ordinem* effecisse ut primus homo sine concupiscentiâ conderetur, quod exponit Norisius de debito *decentiæ ex parte solius Creatoris*, non autem necessitatis ex parte naturæ humanæ, hoc, inquam, pronuntiatum, videtur intelligendum, non de debito rigoroso, aut etiam decenti in naturâ humanâ divinisve attributis fundato, sed de ordine justitiæ originalis, quâ Deus insigni benevolentiâ primos parentes donaverat; id enim ex contextu Augustini videtur elucere, in quo describit justitiæ originalis effectus et ordinem.

§ 2. *Quid sentiendum de statu qui dicitur naturæ puræ?*

Status naturæ puræ is est, in quo homo nullo dono supernaturali insignitus, nullo coinquinatus peccato, cum propriis naturæ perfectionibus et imperfectionibus crearetur, subditus idcircò ignorantiæ, concupiscentiæ, morbis, morti, etc. Pelagium et ejus asseclas hujus statûs extantiam propugnantes confutavit Augustinus in operibus præsertim adversùs Julianum. Unde quæritur tantùm an sit possibilis.

Errores. — Retulimus errores Lutheri, Baii, Yprensis, et observationum moralium in novum Testamentum architecti circa justitiæ originalis *naturalitatem.* Illi ideò totis viribus impugnaverunt statûs naturæ puræ possibilitatem. *Deus,* inquit Baius propositione 56, *non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur.* Verùm Jansenius Yprensis hujus statûs possibilitatem præ cæteris impetivit editis in eam tribus integris libris, et quidem prolixioribus. Censuit scilicet vir acutus ab istâ quæstione quasi à radice et fundamento pendere suum de concupiscentiâ, sive terrenâ delectatione relativè victrici, et peccati originalis essentiam constituente, systema.

Opiniones. — Nonnulli theologi statûs naturæ puræ possibilitati *quoad viam*, ut à summis pontificibus statutum est, addicti, illum *quoad terminum per accidens* possibilem non

esse existimant, quia naturalis beatitudo ipsis non videtur vera beatitudo. Hæc opinio, quam, pro nostro instituto, intactam relinquemus, fortassis conducere potest ad diluenda argumenta quibus Yprensis in libris de statu naturæ puræ ex Augustino probare aggreditur hominem in quocumque statu nonnisi ad supernaturalem felicitatem posse destinari.

Doctissimus cardinalis Norisius Vindiciarum cap. 3, postquàm dixit paragrapho secundo « falsum esse subjectionem concupiscentiæ non fuisse ex dono Creatoris, sed ex exigentiâ naturali humanæ substantiæ, » paragrapho tertio expendens censuram 56 propositionis Baii cum Gregorio Ariminensi hæc reponit : « Deus non potest de justitiâ quæ potest de potentiâ : ita nulla est impossibilitas Judam in cœlum trahi, sed id contra justitiam Dei est; quare licet sit possibile potentiæ, non est possibile justitiæ talem condi hominem, qualis modò nascitur; in priori verò tantùm sensu qui negat cum damnatâ Baii propositione sentit. » Paulò ante dixerat : *Quod ex amore erga homines, et suâ ipsius bonitate nunquàm Deum facturum esse* (nempe hominis creationem cum tantis miseriis quibus obnoxii sumus) *Bellarminus docuit* (lib. 6 de Amissione gratiæ et Statu peccati, cap. 15); *id Augustinus cum tot Patribus* (quos ante citaverat) *ex Dei justitiâ fieri non posse affirmavit.*

Ex his patet existimâsse Norisium statum naturæ puræ ex parte Dei bonitatis, sapientiæ, justitiæ, etc., repugnare, licet non repugnet ex parte Dei potentiæ absolutè et *solitariè* consideratæ. Concinunt vulgò alii Augustiniani; P. Bernenc, doctor Sorbonicus, in opere Lugduni impresso anno 1768, duobus tomis in octavo comprehenso cui titulus : *Systema Augustinianum de divinâ gratiâ excerptum ex operibus R. R. P. P. Fulgentii Bellelli, et Laurentii Berti Ordinis Eremitarum S. Augustini*, tom. 1, q. 10, hæc habet : « Statum naturæ puræ, quem de facto existentem dogmatizabant Pelagiani, plurimi scholastici possibilem affirmant, tametsi de facto existentem negent. Contendimus nos (Augustiniani) impossibilem esse, non quidem absolutè in se, et ratione omnipotentiæ divinæ, sed ex quâdam decentiâ, quatenùs infinitæ Dei bonitati, justitiæ et sapientiæ minùs congruit. »

Hæc opinio, quæ magis subtiliter, quàm scitè excogitata videtur, hucusque ab Ecclesiâ damnata non fuit saltem *expressè et formaliter*. Hoc autem præ adversâ habet commodum quòd ipsâ peccati originalis adversùs incredulos dogma ex ratione feliciter comprobatur. Cæterùm, videtur auxiliarem opem ferre Yprensi qui libenter fatebitur statum naturæ puræ esse possibilem ex parte omnipotentiæ Dei, si sit impossibilis ex parte ejus sapientiæ et justitiæ. Quare sit

Conclusio. — Status naturæ puræ possibilis est saltem quoad viam.

Ita ferunt commemoratæ Constitutiones Pii V, Gregorii XIII, et Urbani VIII, quibus inter alias relata propositio 56 Baii fuit damnata.

Jansenius, lib. 3 de Statu naturæ puræ, cap. 22, Constitutiones Pii V et Gregorii XIII sibi objiciens exclamat : *Hæreo, fateor, quia apostolicæ Sedis auctoritas Catholicis omnibus tanquàm obedientiæ filiis* (hæc apprimè observa) *veneranda est.* Deinde confugit ad consuetam responsionem, *oppositam* scilicet *Augustini doctrinam ab eâdem Sede per plura secula approbatam esse.* Ut ergo sancta Sedes secum consentiat, reponit præfatam Baii assertionem, ut et alias, proscriptam tantùm esse ut *turbas excitantem.* Verùm vir eruditus ibidem satis innuit hanc solutionem potiùs esse effugium quàm solutionem, cùm *aliam quærere permittat*, ut mirum sit eam de novo ab ejus sectatoribus obtrusam fuisse.

Iis perpensis, quæ de originalis justitiæ supernaturalitate diximus assertio nostra probata manet et stabilita; eam nihilominùs novis, quantùm fieri poterit, astruemus momentis, quia Yprensis illam specialiter impugnavit.

Momentum primum. — *Ex D. Augustino.* — D. Augustinus censuisse videtur hominem talem omninò condi non potuisse qualis nunc nascitur ; aliàs ejus argumenta pro asserendâ avitâ maculâ adversùs Pelagianos ex nostris miseriis et Dei in iis infligendis injustitiâ petita manifestâ principii petitione laborarent, quemadmodùm in primâ parte ostendimus. Hinc in censurâ commemoratæ 56 Baii propositionis vox *qualis* non omnimodam, sive gradualem, sed specificam duntaxat sive substantialem qualitatem videtur denotare. Cùm S. doctor perquàm sollicitus fuerit de refellendis Pelagianis qui initio saltem effutiebant præsentem statum esse ipsum naturæ puræ statum, mirum sanè non est quòd pauca admodùm de istius statûs possibilitate dixerit, et quòd tam multa ipsis in speciem opposita protulerit; quinimò, id, si non contigisset mirum profectò esset, cùm inprimis S. doctori res esset cum viris, Julia-

no præsertim, acris ingenii, et subtilioris dialecticæ, quibus aliquid concedere fuisset periculosum. Ad hæc si attendere voluisset Yprensis, naturæ puræ possibilitatem inter dogmata pelagiana fortassis non recensuisset. Nihilominùs S. doctor, ubi exigit institutum, hanc possibilitatem non obscurè asseruit. Etenim 1° justitiam originalem (id est gratiam sanctificantem, immunitatem à concupiscentiâ, morte, morbis, et aliis miseriis) quâ initio donatus fuit Adam, vocat *magnam gratiam*, ut in præcedentis quæstionis discussione ostendimus; has ergo dotes eidem Adæ indebitas fuisse credidit, etiam quatenùs fuit homo; insulsa quippe est Yprensis exceptio; illas nimirùm dotes fuisse debitas non quidem *Adæ meritis*, sed *ejus naturæ*, quasi Adam in ipso creationis suæ momento mereri potuisset! 2° S. doctor supponit, in ipsis libris quos sub vitæ finem adversùs Pelagianos edidit, Deum potuisse hominem in eo constituere statu, in quo supernaturali gratiâ non indiguisset, sed naturali tantùm. Etenim libro de Correptione et Gratiâ, cap. 11, n. 32, hæc habet: « Si hoc adjutorium (sine quo) vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis facta erat natura ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent; adjutorium quippe defuisset sine quo manere non possent. » Hæc sanè observatio, *quoniam non talis facta erat natura ut sine divino adjutorio possent manere si vellent*, insulsa foret, vel inconcinna et præpostera, si in quolibet statu possibili gratia supernaturalis homini ut Deo inhærere posset, fuisset necessaria. 3° Licet doctissimus cardinalis Norisius Vindiciarum capite 3, paragrapho secundo, P. Bernenc citato opere tom. 1, q. 10, p. 405 et 406, et alii vulgò Augustiniani, quò relatum suum de statu naturæ puræ systema salvum maneat et incolume, quibus inter alios Thomistas assentitur eruditus P. Alexander in historiam seculi quinti, dissertatione primâ, quæ est de peccato originali contra Pelagianos, licet, inquam, docti illi viri cum Yprensi lib. 3 de statu naturæ puræ, cap. 20, contendant D. Aug., ubi lib. 3 de lib. Arbitrio, cap. 20, 22 et 23, tradit Deum condere potuisse hominem, cui concupiscentia et ignorantia essent naturales, Manichæos revincere *argumento ad hominem*, et ex *hypothesi impossibili*, tamen celebre illud S. doctoris testimonium non quidem tanquàm invicti roboris, sed tanquàm valdè probabile argumentum in gratiam possibilitatis naturæ puræ adduci potest. Etverò, ipse Jansenius lib. 3 de Statu naturæ puræ, cap. 17 et 19, ingenuè fatetur illud *procreare difficultatem magnam quâ magnoperè arctatur*; quod certè non evenisset, si existimâsset D. Augustinum hìc ex *impossibili* argumentatum fuisse. Itaque D. Augustinus rationis ope (Manichæi enim nisi quæ sibi favebant Scripturas admittebant) solvere aggrediens argumentum quo illi hæretici mundi Creatorem ob ignorantiam et benè agendi difficultatem, quâ angimur, velut mali auctorem traducebant, quatuor possibiles incarnationis animarum modos proposuit lib. 3 de libero Arbitrio, capite vigesimo, n. 56. Secundum autem modum producens hæc habet: « Si sigillatim fiunt (id est si singulæ animæ singulis corporibus per creationem uniuntur), non est perversum, imò convenientissimum, et ordinatissimum apparet, ut malum meritum prioris natura sequentis sit, et bonum meritum sequentis natura prioris sit. Quid enim indignum, si etiam sic voluit Creator ostendere usque adeò excellere creaturis corporeis animæ dignitatem ut ab eo gradu possit esse ortus alterius, ad quem alterius perductus est occasus? Nam cùm ad ignorantiam difficultatemque pervenerit illa peccatrix, ideò pœna rectè dicitur, quia melior ante hanc pœnam fuit. Si ergo altera (anima) talis esse cœpit, non solùm ante peccatum, sed ante omnem vitam suam qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet unde Conditori suo gratias agat, quia ipse ortus ejus, et inchoatio quovis perfecto opere est melior; non enim mediocria bona sunt non solùm quòd anima est, quâ naturâ jam omne corpus præcedit, sed etiam quòd facultatem habet ut adjuvante Creatore seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes, per quas et à difficultate cruciante, et ab ignorantiâ cæcante liberetur; quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium; non enim ante omne meritum boni operis parùm est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, et quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat. »

Idem repetit S. doctor ejusdem libri cap. 22, n. 64, et cap. 23, n 68; hæc autem non per transennam et in æstu disputationis, sed constanter cum maturâ deliberatione ad mortem usque tradidit; ea enim confirmat lib. 1 Retractationum cap. 9, n. 6, imò et libro de

dono perseverantiæ, cap. 11, n. 27; primo loco hæc profert: « Quamvis ignorantia et difficultas (orta ex concupiscentiâ) essent primordia naturalia, nec sic culpandus sed laudandus esset Deus, sicut in eodem tertio libro (de libero Arbitrio cap. 20, 22, etc.), disputavimus: quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non recipiunt Scripturas sanctas veteris Instrumenti (et etiam novi), in quibus peccatum originale narratur;... contra Pelagianos autem hoc defendendum est quod Scriptura commendat, quam se accipere profitentur. »

Fatemur illud testimonium in aliquibus esse involutum, et unam ex illis argumentationibus exhibere quas S. doctor *subtiliùs invenit et acutiùs disseruit ut quilibet eas intelligere possit.* Nihilo tamen minùs liquidò apparet Augustinum disserere de animâ, quæ in ortûs exordio nullum commisisset peccatum; *ante peccatum*, inquit, *et omnem vitam suam*, in quâ ignorantia et difficultas non esset pœna, sive *supplicium peccati* (siquidem nullum commisit), *sed proficiendi admonitio, et perfectionis exordium, quæ Deo adjuvante virtutes acquirere posset*, etc., auxilio scilicet naturalis ordinis; *per naturale* enim *judicium*, inquit, *sapientiam præponeret errori*, etc. Sed talis animæ status esset evidenter status naturæ puræ; cùm igitur dicat Augustinus hâc in hypothesi *Deum non culpandum sed laudandum esse futurum*, credidit illum statum esse possibilem.

Novum isti argumento accedet robur et splendor ex solutionibus objectionum Jansenii. Iste, ut diximus, etsi fateatur relatum Augustini pronuntiatum *magnam procreare difficultatem*, tamen lib. 3 de Statu naturæ puræ, cap. 17, contendit illud nequaquàm favere possibilitati statûs naturæ puræ. Verùm, priusquàm ejus rationes profero, quis, quæso, existimaverit ipsum in detegendo Augustini sensu feliciorem fuisse, quàm Pium V, Gregorium XIII, imò totam Ecclesiam, quæ D. etiam Augustini auctoritate mota relatam Baii 56 assertionem confixit, et sanxit laudandum fore Deum, si hominem qualis nunc nascitur (eo quo diximus sensu) crearet. Optandum igitur ut hîc omninò alienus fuerit à Pelagianis de quibus dixerat lib. 6 de hæresi Pelagianâ cap. 25: *Magnam Sedis apostolicæ præferebant reverentiam, et omnia romani pontificis judicio se submittere simulabant.* Itaque Yprensis citato libro. Reponit 1°, capite 17, Augustinum in hâc hypothesi supponere *peccatum;* patet ex istâ Manichæorum objectione, quam refert Augustinus lib. 3 de libero Arbitrio, cap. 19: *Si Adam et Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate et difficultatis cruciatibus nasceremur?* Idem evincunt voces commemorati testimonii, *malum meritum prioris naturæ sit sequentis;* sed puræ naturæ status præcedens peccatum nescit: ergo.

Respondeo Augustinum supponere peccatum præcessisse in primo duntaxat homine, non in subsequentibus hominibus, sive animabus; ait enim ibidem, sive cap. 20, ut in probatione observavimus, *ante peccatum, et ignorantia et difficultas non erit supplicium peccati.* Quod attinet ad voces, *malum meritum prioris naturæ sit sequentis*, significant ignorantiam et concupiscentiam, quæ in unâ animâ est malum meritum, sive pœna præcedentis peccati, in aliâ animâ esse naturalem, ut multùm non repugnat ipse Jansenius, et satis aliunde ostendunt voces, *malum meritum.*

Reponit 2° in commemoratâ hypothesi Augustinum agnoscere *gratiam, quâ adjuvante Deo*, inquit *ad beatitudinem perveniat*, etc. At puræ naturæ status gratiam et beatitudinem excludit; ergo. — Resp. ex contextu elucescere gratiam et beatitudinem illam esse naturalis ordinis, designatam nempe per *naturale judicium*, ut iterùm in probatione observavimus.

Reponit 3°, capite 19, Augustinum *senem et peritum* dimicando *contra Pelagianos puræ naturæ architectos emendâsse quod contra Manichæos fuderat.* « Quomodò, inquit, in fine vitæ repetit Augustinus (lib. 1 Retractationum cap. 9, et libro de Dono perseverantiæ cap. undecimo), quod libro 3 de libero Arbitrio dixerat contra Manichæos? Arctat, fateor, magnoperè me difficultas ista, ut nisi audaciùs aliquid asserendi Augustinus aperuisset viam, penè succumberem.... Igitur ipse Augustinus animadvertit hallucinationem suam.... Accipe ingenuam ejus confessionem ad Hieronymum (epistolâ olim 28, nunc 169, cap. 6, n. 16); nam propositâ illâ sententiâ quæ singulas animas à Deo recentes condi et corporibus infundi statuit, ex quibus una fuerat juxta quam ignorantiam et difficultatem docuerat esse posse naturalem, jam pressus à Pelagianis, qui sententiam illam arripuerant » fatetur 1°, se cùm ad pœnam parvulorum ventum est, quid respondeat prorsùs non invenire; 2°, « quod dixerat citato lib. 3 de libero Arbitrio de pœnis parvulorum (ignorantiâ inprimis et concupiscentiâ) esse insufficiens in quæstione con-

tra Pelagianos ; » ergo. — Resp. 1°, Augustinum *senem et peritum* reipsâ de novo docuisse citatis lib. 1 Retractationum cap. 9, et libro de Dono perseverantiæ capite undecimo, quod libro 3 de libero Arbitrio dixerat contra Manichæos, ut supra ostendimus. Illa quippe duo opera emisit post citatam epistolam ad Hieronymum, quam scripsit anno 415, cùm duos ultimos libros ediderit anno 427 et 428, aut 429. — Resp. 2°, Augustinum dixisse, *se quid Pelagianis responderet prorsùs non invenire, et esse insufficiens adversùs illos hæreticos*, hâc ex causâ reposuerat Manichæis lib. 3 de libero Arbitrio, cap. 23, n. 68, in hypothesi quòd ignorantia, concupiscentia, cæteræque hujus vitæ miseriæ essent primordia hominis naturalia, has miserias infantibus eas non merentibus justè infligi potuisse *ob bonam compensationem ipsis à Deo in secreto judiciorum suorum destinatam*, ita ut ad id explicandum necesse non esset admittere peccatum originale. Hanc responsionem sagaces Pelagiani arripuerunt, et ideò reposuerunt Augustino parvulos justè affligi, etsi nullius peccati reos ob aliquid bonæ compensationis ipsis à Deo in alterâ vitâ reservatum, atque ideò ipsum immeritò asserere istos parvulos sine baptismo morientes æternæ damnationi subjici. Hæc est retorsio quæ Augustinum in tantas adigebat angustias, non autem ejus argumentatio contra Manichæos, quam usque in vitæ finem adversùs eos et eorum principia firmam et validam esse sensit; cùm enim isti peccatum originale negarent, nec Scripturas admitterent, et miserias, quibus parvuli nascendo sine ullâ præviâ culpâ obnoxii sunt, in principium malum rejicerent, Augustinus ratione adversùs eos disputans ipsis reponebat istas miserias à bono Deo justè infligi posse propter aliquod bonum quod ipsis reservabat, quæ reservatio à Manichæis Scripturam non admittentibus falsitatis argui non poterat, non ita à Pelagianis qui per Scripturam et veterem et novam, quæ ipsis accepta erat, probâssent infantes sine baptismo è vitâ migrantes damnari. Quamobrem coactus est S. doctor Manichæos ex ratione et ipsorum principiis revincere, Pelagianos verò ex Scripturis quæ has generis humani miserias ex primi parentis peccato in præsenti statu dimanare docent.

Reponit 4°, capite vigesimo, Augustinum ibi Manichæos revincere argumento, ut aiunt, *ad hominem*, et ex hypothesi impossibili, petito scilicet ex Manichæorum principiis sive assertionibus, quas tamen falsas et impossibiles judicabat, in hunc modum : « Contenditis hominem cum concupiscentiâ, quæ est in se malum, creatum fuisse, et sine illâ nequaquàm creari potuisse; et ideò hominis Creatorem esse malum et culpandum ; ego è converso contendo Creatorem hominis in vestrâ etiam sententiâ non esse malum et culpandum, sed potiùs laudandum; si quippe Creator hominis non potuit hominem creare sine concupiscentiâ nullam prorsùs culpam commisit illum cum concupiscentiâ creando, et ideò in vestris principiis erit laudandus. »

Quòd autem sic arguat Augustinus probat 1° ex eo quòd hic arguendi modus adversùs Manichæos et Pelagianos Augustino maximè familiaris est; in ipso quippe libro 3 de libero Arbitrio, cap. 16, n. 46, probat Creatorem esse laudandum, etiamsi, ut obganniebant Manichæi, homo necessitaretur ad peccandum: « vel enim, inquit, defendi potest peccator, vel non; si justè defenditur, non est peccator, lauda ergo Creatorem; si defendi non potest, in tantùm peccator est, in quantùm se à Creatore avertit, lauda ergò Creatorem ; omninò igitur non invenio.... quomodò tribuantur peccata nostra Creatori nostro Deo... » 2° ex eo quòd contextus Augustini id evincit... 3° ex eo quòd adversùs Pelagianos præfatam hypothesim falsam et impossibilem agnoscit dicendo injustum fore Deum si hominem creâsset cum concupiscentiâ, ignorantiâ, etc. Hanc Jansenii responsionem propugnant Norisius et P. Bernenc, ut supra diximus.

Resp. Augustinum hæreticos aliquando premere argumento *ad hominem*, et ideò ex ipsorum placitis, falsis licet et impossibilibus, ut reipsâ fecit cap. 16 libri tertii de libero Arbitrio. Verùm S. Doctorem hìc illo arguendi modo non uti multa evincere videntur, 1° ejus scopus. Manichæos scilicet Scripturas, ut diximus, non recipientes, et ignorantiam ac difficultatem benè agendi, quam experimur, nonnisi à malo principio oriri posse mordicùs affirmantes, ex ratione refellere voluit variis incarnationis animarum modis, in quibus ignorantia et rectè agendi difficultas animabus sic esset naturalis, ut illæ de Creatore conqueri non possent, « quinimò ipsi gratias agere deberent, cùm inprimis ipso adjuvante virtutes acquirere possent quibus ab ignorantiâ illâ et difficultate liberarentur ; » at talis argumentatio non solùm ex Manichæorum principiis non erumpebat, sed ipsis etiam erat admodùm ad-

versa, cùm illi hæretici animas ab illâ ignorantiâ et difficultate Creatoris adjutorio eximi posse pertinaciter negarent... 2° Modus quo S. doctor illam proponit argumentationem, absolutè scilicet et nullâ habitâ ratione falsorum principiorum Manichæorum asserit non solùm « non perversum, sed etiam convenientissimum et ordinatissimum fuisse ut ignorantia et difficultas, quas dicit malum meritum animæ peccatricis, sint natura sequentis, additque in eâ hypothesi ignorantiam et difficultatem futuram esse proficiendi admonitionem et perfectionis exordium... » 3° Constans S. doctoris in illo ratiocinio adversùs Manichæos urgendo ad mortem usque propositum; illud enim, ut diximus, lib. 1 Retractationum cap. 9, et ipso libro de Dono perseverantiæ post Retractationes conscripto impensè laudat et commendat. An, quæso, merum argumentum *ad hominem* et *ab impossibili*, tot ac tantis encomiis extollere potuisset, cùm inprimis ex impossibili reipsà non sequatur nisi impossibile? 4° Ratio quâ lib. 1 Retractationum cap. 9, refert argumentum contra Manichæos lib. 3 de libero Arbitrio adhibitum; dicit enim illud non esse minoris roboris quàm argumentum adversùs Pelagianos adornatum; at istud certè non erat ad hominem et ex falsis Pelagianornm placitis... 5° Infelix et malè procedens, quâ adversùs Manichæos usus esset, disputatio; quomodò enim systema Manichæorum ignorantiam et difficultatem rectè agendi à malo principio necessariè prodire propugnantium diluisset? in mente quippe Yprensis, Norisii, etc., sentiebat Augustinus Creatorem non potuisse condere hominem cum ignorantiâ et rectè agendi difficultate nisi agendo contra suam sapientiam, bonitatem et justitiam. Jam verò Manichæis objiciebat, non culpandum, sed laudandum futurum esse Deum qui hominem condidisset cum ignorantiâ et concupiscentiâ, etiamsi hæ miseriæ essent primordia hominis naturalia. Quid ad hæc Manichæi? Nonne statim reposuissent, quinimò maximè culpandum esse illum Deum utpote qui juxta Augustinum talem hominem creando violâsset jura sapientiæ, bonitatis et justitiæ? Pariter, juxta Norisium et P. Bernene, Manichæi in suo systemate fateri tenebantur Creatorem non esse culpandum, sed laudandum, necessariè creando hominem cum concupiscentiâ ex se malâ, *quia nulla ipsius culpa fuisset facere quod aliter fieri non poterat;* at è converso, respondissent Manichæi talem Creatorem eo ipso quòd ex naturâ suâ talem conderet hominem tanquàm necessarium principium omnis mali omni prorsùs detestatione esse dignum. Tandem, si tam clarum est Augustinum hic arguere *ad hominem*, et ex falsis Manichæorum principiis, cur Jansenius fatetur se istâ difficultate magnoperè arctari?

Igitur nec modus arguendi ad hominem, quem nonnunquàm adhibet Augustinus, nec Augustini contextus vigesimo capite libri tertii de libero arbitrio evincit S. doctorem vigesimo illo capite Manichæos confutavisse ex hypothesi impossibili, et non ex suâ, sed ex ipsorum sententiâ. Quod attinet ad ejus pronuntiatum adversùs Pelagianos, *injustus foret Deus si hominem crearet cum concupiscentiâ, ignorantiâ*, etc., illud est intelligendum aut de injustitiâ hypotheticâ, sive relativâ ad decretum de condendo homine sine illis miseriis, aut potiùs de gradu, sive intensione et gravitate, non de specie, sive substantiâ illius ignorantiæ, sive concupiscentiæ, etc.; hominem enim cum tot ac tantis miseriis, quibus obnoxii sumus absque injustitiâ à Deo absolutè creari non potuisse censuisse videtur S. doctor, ut diximus.

Idem Jansenius, libris 2 et 3 de Statu naturæ puræ, ex Augustini doctrinâ de hominis beatitudine, sive ordine ad finem ultimum, de concupiscentiâ, de mortalitate, et aliis hujus vitæ miseriis, statum naturæ puræ impugnat. Illius argumenta seorsim confusionis declinandæ causâ expendemus.

Argumenta ex parte beatitudinis. — Augustinus, inquit Yprensis lib. 2, cap. 3, centies Pelagianis objicit supernaturalem felicitatem in quocumque statu homini innocenti absque injustitiâ à Deo denegari non posse. Ex millibus testimoniis istud sufficiat. *Responde*, inquit Julianum alloquens lib. 1 contra ipsum cap. 7, n. 32, *utrum Deus justus nulli obnoxiam peccato imaginem suam privare vitâ possit æternâ?* — Resp. : Neg. ant. De quâcumque hypothesi adversùs Pelagianos hîc non disserit Augustinus, sed de solo præsenti statu, in quo homo ex beneficâ Dei ordinatione ad finem supernaturalem evectus est, quâ semel à Deo decretâ Deus qui *seipsum negare non potest* (2 ad Tim. cap. 2), sine injustitiæ labe insonti homini beatitudinem supernaturalem non potest eripere. Id declarant singula penè propositi textûs verba, quæ hominem exhibent ad imaginem et similitudinem Dei conditum, sive nulli, sive proprio, sive alieno obnoxium peccato, etc. Idem elucescit vel ex solo intuitu testimoniorum, quæ toto cap. 3 congerit Yprensis, ut planè non intelligam quomodò vir artis disserendi tam

peritus ea pro hâc causâ adducere potuerit.

Neque reponas hanc solutionem Augustinum *in vitium principii petitionis* præcipitare; vitium enim illud detergitur cùm suppositum ante probatum fuit. At Augustinus ex sacris Scripturæ et traditionis monimentis supernaturalem statûs nostri ordinationem relucere fecerat.

Eâdem distinctione in fumos abeunt quæ Yprensis tum toto lib. 1 de Statu naturæ puræ cùm cap. 1 secundi libri ex Scripturis et Augustino ostentat; scilicet sine supernaturali Dei dilectione in quolibet rerum ordine creaturam rationalem *quâcumque* beatificâ visione potiri non posse; Scripturæ videlicet, ut et Augustinus qui eas profert, dilectionem et beatificam fruitionem naturæ elevatæ delineant, non naturæ puræ et sibi derelictæ, in quâ homo ante mortem Deum tanquàm principium et finem naturæ per auxilium naturæ suæ accommodatum diligeret, post mortem verò per auxilium singulare, ejusdem tamen ordinis, Deo suo modo frueretur, eique amore ejusdem generis suaviter, et sine ullâ animi anxietate et perturbatione insereretur, si tamen, quod definire non intendimus, Deus ex merâ liberalitate visionem beatificam sive supernaturalem illi non impertiret.

Argumenta ex parte concupiscentiæ. — Argumenta ista cætera difficultate superant tum ex se, cùm ex obscuris quibusdam ad juliana ratiocinia Augustini responsis. Hinc, ut nostræ solutiones faciliùs intelligantur, finiendum quid sit concupiscentia, et sub quibus respectibus considerari possit et debeat.

Concupiscentia hìc *in actu primo*, ut aiunt, est homini innata vis, sive potentia sese ferendi versùs bonum sensibile; in *actu secundo* actualis hujus potentiæ motus versùs bonum sensibile. Scilicet naturale est homini quatenùs est animal concupiscere bonum sensibile, sicut, quatenùs est rationalis, ipsi est naturale appetere bonum spirituale. Concupiscentia descripta est sub duplici respectu consideranda, *materialiter,* et tunc est præcisè propensio in bonum sensibile, et *formaliter,* et tunc est inclinatio in bonum sensibile, quatenùs præcisè in appetitum rationalem insurgit et erumpit. Ista, non illa depingitur Rom. cap. 7, à versu 15 ad 25, 2 Corinth. cap. 12, v. 7, 1 Joannis cap. 2, v. 10.

D. Augustinus lib. 4 contra Julianum, cap. 14, n. 65, quatuor in concupiscentiâ secernit, « vivacitatem sentiendi, quâ alius magis, alius minùs in rebus corporeis pro earum modo et naturâ quod verum est percipit, et à falso magis minùsve discernit... Utilitatem sentiendi, quâ corpori et vitæ ad aliquid approbandum, vel improbandum, sumendum, vel rejiciendum, appetendum, vitandumve consulimus.... Necessitatem sentiendi, quando sensibus nostris etiam quæ nolumus ingeruntur... Libidinem sentiendi, quæ nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit; hæc est contraria dilectioni sapientiæ, hæc virtutibus inimica; » deinde addit adversùs Julianum : « Hanc libidinem si voluisses, vel valuisses à sentiendi vivacitate, utilitate, et necessitate discernere, videres quàm superfluò tam multa dixisses; » quibus significat se in concupiscentiâ unicè improbare *libidinem sentiendi.* His prænotatis, Augustini doctrinam de concupiscentiâ scrutemur.

1° Augustinus, inquit Yprensis lib. 2, cap. 11, 13 et seq., in duodecim libris adversùs Julianum concupiscentiam *esse malam* mordicùs contendit. Ipsum modò audivimus dicentem, *concupiscentiam propter libidinem adjunctam contrariam esse dilectioni sapientiæ virtutibus inimicam,* etc.; ergo.

Ut adducenda hujus argumenti solutio magis eluceat, observa appetitum sensitivum homini, quatenùs est animal, naturalem, in desiderium boni delectabilis, quod ipsi per sensus offertur, utpote principium necessarium suorum actuum, nisi à causâ exteriore coerceatur, necessariè erumpere; unde, suppositâ hominis constitutione, fieri non potest, ut appetitus inferior, sive sensibilis adversùs superiorem, sive rationalem interdùm non insurgat; impossibile enim est ut inter tot objecta delectabilia, quæ sensibus sese offerunt, non reperiantur multa bono spirituali adversa. Hinc concupiscentia etiam *formaliter,* sive quatenùs pugnat contra rationem, non potest esse malum morale, sive culpæ; sed malum duntaxat pœnale, aut physicum, exurgens ex naturali hominis imperfectione. Hinc D. Augustinus istam concupiscentiam tanquàm veri nominis peccatum in quâcumque hypothesi vituperare non potuit.

Observa iterùm ex D. Augustino peccatum originale in nostro statu ad Adæ nepotes transmitti per concupiscentiam eo quo in primâ parte diximus sensu; unde frequens S. doctoris effatum, *concupiscentia in baptizatis manet actu, transit reatu,* significat concupiscentiam in regeneratis remanere sine gratiæ sanctificantis

privatione, in quâ potissimùm consistit ipsius reatus, non autem concupiscentiam saltem quoad speciem sive substantiam, spectatam ex se esse intrinsecè et moraliter malam, cùm in baptizatis, in quibus nihil est damnationis, sub isto respectu supersit.

Ex his proposita evanescit difficultas. Itaque ad argumentum, resp. : Dist. ant. : Augustinus docet concupiscentiam in præsenti ordine esse malam impropriè, concedo; propriè, iterùm distinguo : Si de non baptizatis agitur, conc.; si de baptizatis ipsi non consentientibus res est, neg. ant. et conseq. Solutio ex dictis elucescit; duplici enim ex causâ dixit Augustinus concupiscentiam in statu naturæ lapsæ (de quo solo, aut saltem præcipuè cum Juliano et Pelagianis disputat) *esse malam;* scilicet, quemadmodùm observatum est ubi de peccato originali disseruimus, concupiscentia in mente Augustini mala est *origine et effectu,* quia nempe, ut loquebatur S. doctor, *peccato facta est, et peccatum si vicerit facit, et libidine sentiendi,* ut modò arguebat S. doctor, per quam libidinem intellexit vel negationem moderationis in appetitu sensitivo, vel defectum virtutis in animâ ad cohibendum appetitûs sensitivi æstum; quæ duo licet in nostro statu invexerit peccatum originale, tamen ex ipsâ hominis constitutione, ex parte saltem emanant, ut diximus, et ideò mala non sunt moralia, sed naturalia duntaxat.

Instabis : Si Augustinus voluisset *concupiscentiæ libidinem,* sive concupiscentiam *formaliter* prout pugnat adversùs rationem esse *malum entis et naturæ,* non *moris* sive *peccati*, incidisset in Juliani sententiam, tantùm abest ut eam refellisset; nunquàm enim negavit Julianus concupiscentiam *formaliter* sumptam esse naturæ humanæ imperfectionem, sive malum *entis:* falsum consequens; ergo. Resp. : Neg. majorem... Ad probationem dico Julianum *ipsam concupiscentiæ libidinem* bonam et laudandam existimâsse, quia erat positiva naturæ humanæ qualitas auctorem habens Deum, et nullo prorsùs inducta fuerat peccato. Id quippe passim docet aut supponit D. Augustinus. Etenim libro 3 contra Julianum cap. 21, n. 49, Julianum irridens ait : *Ego bello adversùs malum, tu adversùs bonum,* etc. Item lib. 3 Operis Imperfecti, adversùs Julianum, cap. 209, hæc habet : *Apud te quando concupiscitur fornicatio, concupiscentia carnis non est mala, quia, ut dicis, bono malè utitur, qui sic utitur.* Etverò, Julianus nihil in concupiscentiâ improbat præter ejus *excessum;* at per *excessum* malum concupiscentiæ usum intelligebat, qui in voluntatis consensu consistit; Augustinus videlicet Julianum sic compellat lib. 5 adversùs ipsum, cap. 7, n. 29 : *Quid te adjuvat quòd reprehendere videris ejus excessum, cujus approbas motum? tunc enim excedit licitum limitem quando ejus motibus ceditur,* etc. E converso, contendebat S. doctor concupiscentiam *formaliter,* sive quoad libidinem esse naturæ qualitatem non realem et positivam, aliàs Deus ejus fuisset auctor, sed merè negativam sive privativam, cujus ideò nulla est causa efficiens, sed deficiens duntaxat, scilicet naturalis creaturæ conditio, quæ idcircò sub hoc respectu mala erat, *dilectioni sapientiæ repugnans, virtutibus inimica,* et etiam quatenùs in nostro statu erat peccati pœna.

2° Augustinus lib. 1 contra duas epistolas Pelagianorum cap. 15, n. 31, ait *fas non esse de opere Creatoris erubescere;* at ibidem, n. 33, dicit hominem de concupiscentiâ erubescere; illa igitur Dei opus non est, et ideò necessarius est peccati effectus. Jansenius, lib. de Statu naturæ puræ, cap. 17, hoc argumentum velut peremptorium venditat, et Augustinum eo *velut insolubili* adversùs Julianum usum esse asserit. —Resp. Augustinum hoc argumento optimè probare existentiam peccati originalis adversùs Pelagianos qui concupiscentiam, prout etiam effrenem libidinem includebat, in præsenti statu opus Dei esse contendebant, et tamen fateri cogebantur hominem de illâ erubescere. Cæterùm, S. doctor censuisse videtur, ut diximus in primâ parte, ubi peccati originalis existentiam vindicavimus, commemoratam in generationis actu libidinem in alio naturæ ordine extituram non esse, siquidem existimavit, ut iterùm non semel observavimus, Deum justum non posse hominem talem omninò creare qualis nunc nascitur. Tandem nihil impediret quominùs homo in statu naturæ puræ de concupiscentiâ quoad speciem consideratâ pudore afficeretur, etiam prout adversùs rationem aliquando insurgit; sub hoc enim respectu est tantùm privatio perfectionis ex essentiali hominis constitutione exurgens, quæ idcircò non efficientem sed deficientem duntaxat causam habet, ut jam observavimus.

3° Augustinus, lib. 3 contra Julianum, cap. 16, n. 64, docet eos qui concupiscentiam aliquod malum reputant, et tamen eam à peccato oriri inficiantur, *Manichæismum* renovare; at in statu naturæ puræ concupiscentia esset aliquod malum, et à peccato non emanaret; ergo,

— Resp. concupiscentiam in statu naturæ puræ futuram esse malum naturale, non positivum, sed negativum, ut diximus; sed malum negativum non potest Deo tribui, sed soli creaturæ, ut iterùm diximus; ergo status naturæ puræ Manichæismum non importat. Porrò Augustinus disserit de malo positivo et reali quod si non esset à peccato, oriretur à Deo, et idcircò à malo creatore.

Argumenta ex parte miseriarum. — Ea proponit Yprensis in libro tertio de Statu naturæ puræ. Ad ista reduci possunt :

1° Augustinus cum Pelagianis disputans centies asserit hujus vitæ ærumnas peccatum originale arguere ; eas ergo ut naturæ humanæ appendices non habuit. — Resp. 1° Jansenium lib. 3, cap. 19, fateri *adultos absque peccato sine Dei injustitiâ talibus ærumnis affligi posse ad promovendam propriam eorum utilitatem;* peccatum igitur necessariè non arguunt. — Resp. 2° : Dist. conseq. : Ergo eas in præsenti statu ut naturæ appendices non habuit, conc. Absolutè et in quocumque alio statu, iterùm distinguo : Si quoad gradum hujus statûs proprium considerentur, conc. ; si quoad speciem præcisè spectentur, neg. conseq. Alibi enim fatetur illas esse posse *primordia hominis naturalia,* ut ostendimus.

Verùm, inquiunt Yprensis defensores, Augustinus lib. 1 Operis Imperfecti, cap. 39, hæc absolutè asserit : *Neque sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest;* ergo. — Resp. ut supra, Augustinum adversùs Pelagianos disserere de præsentis statûs miseriarum intensione, quæ *sub Deo justo* aliâ ex causâ quàm ex peccato oriri non potest. Unde miseriam *pœnalem* non naturalem describit.

2° Augustinus lib. 4 contra Julianum, cap. ultimo, n. 83, dicit, gentilium philosophos ex miseriarum nostrarum contemplatione primævum peccatum cognovisse; ergo suggerit ratio illas miserias necessariam habere cum peccato connexionem. — Resp. peccatum originale certò etiam in Augustini mente deduci posse ex hujus vitæ miseriis, quæ longè vehementiores sunt quàm forent in statu naturæ puræ ; cum illis enim hominem à Deo creari non posse censuit, ut ostendimus. Unde hanc philosophorum notitiam ut certum etiam argumentum Juliano objicere potuit ; illam enim ex ipso lumine naturali haurire potuerunt illi philosophi, si eam non acceperunt ex lectione sacrorum voluminum (quod negare videtur Augustinus lib. 8 de Civitate Dei cap. undecimo), aut ex commercio cum Judæis. At non ideò ex illis miseriis quoad speciem tantùm in mente S. doctoris primigenium delictum erui potest cùm agnoscat, illas esse potuisse *primordia hominis naturalia.*

Momentum secundum. — *Ex auctoritate theologorum.* — Jansenio dicente lib. 1 de puræ naturæ Statu, cap. 1, « plerique scholasticæ doctrinæ professores.... in asserendo puræ naturæ statu à principiis Augustini adversùs Pelagianos et Manichæos (ut ipsi videtur) recesserunt. » Idem ante supposuerat Michael Baius propositione octogesimâ : *Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari sine justitiâ originali.* Accedit censura sacri Normanniæ Ordinis lata 24 februarii anni 1740, in assertiones Falesiæ publicè propugnatas in abbatiâ D. Joannis ejusdem urbis, quæ Baii et Jansenii doctrinam de statûs naturæ puræ repugnantiâ subdolè et artificiosè renovabant, quod quidem judicium à S. P. Benedicto XIV, sacrâ Facultate Parisiensi, cæterisque totius regni sacris Ordinibus summo plausu exceptum est, ut fidem faciunt ipsorum epistolæ publicis ejusdem sacræ Facultatis tabulis inscriptæ. Prodeat ergo solus scholæ princeps D. Thomas, quem non deserunt aut saltem deserere non debent Yprensis sectatores. Magister enim lib. proœmiali de ratione et auctoritate, cap. 22, eum vocat *magnâ ex parte contractum Augustinum.*

Docet 1°, duplicem esse ultimum finem, unum homini connaturalem, Deum nempe quatenùs est principium et finis naturæ, qui per auxilia naturalis ordinis impetrari potest.... Alterum naturâ sublimiorem, Deum scilicet intuitivè videndum, qui per gratiam potest obtineri, et ideò, ut alibi dixit, carentiam divinæ visionis non esse pœnam, sed defectum consequentem naturam creatam, 1-2, q. 109, a. 3 ad 1, et ibidem artic. 5, ad 3.... 2° Hominem innocentem *manifestè* condi potuisse cum concupiscentiâ etiam formaliter sumptâ, 1 p., q. 95, a. 1 ; verba supra protulimus.... 3° Immunitatem à miseriis et ipsâ morte non esse naturale sed supernaturale donum, 1-2, q. 85, a. 5 et 6 ; sed hæc naturæ puræ possibilitatem evincunt ; ergo.

Reponere solent adversarii D. Thomam multis in locis asserere hominem appetitu necessario et innato ferri in finem supernaturalem, visionem nimirùm intuitivam. Homo ergo creari non potuit sine ordinatione ad illum finem.— Resp. hoc divi Thomæ effatum tangere Dei vi-

sionem non quatenùs est finis speciatim et *in particulari* consideratus, sed præcisè quatenùs est finis confusè inclusus in beatitudine *in communi*, quam naturaliter desiderat. Seipsum enim sic exponit S. doctor, v. g. in 4 Sent. distinct. 49, art. 3, ad 3, ubi docet hominem appetitu naturæ insito desiderare *beatitudinem in communi*, id est in genere tantùm, non *in particulari*, id est Dei visionem. Aliunde insigniores S. doctoris commentatores obscura ejus testimonia per clariora, ut æquum est, explicantes, ipsum hoc modo cum ipso conciliant. Sic etiam intelligendus est D. Augustinus qui pluries dicit, *naturâ Dei visionem nos appetere;* suppositâ quippe divinâ revelatione natura desiderando *beatitudinem in communi* desiderat Dei visionem quam per illam revelationem cognoscit.

Scio adversarios cum Yprensi lib. 1 de Statu puræ naturæ, cap. 15, objicere Scotum et plures ejus scholæ theologos admittere innatum sive naturalem appetitum beatitudinis supernaturalis ; sed simul scio novissimis hisce temporibus Patrem Frassen, doctissimum ejusdem Seraphici Ordinis theologum, genuinum Scoti et aliorum sensum retexisse, et ostendisse ipsos per illum appetitum non actum, sed meram passivam capacitatem , sive potentiam passivam recipiendæ beatitudinis, designâsse (quemadmodùm non omninò diffitetur ipse Jansenius loco citato).

Momentum tertium. — *Ex rationibus theologicis.* — Prima. Non negant adversarii puræ naturæ statum , attendendo præcisè ad Dei omnipotentiam, esse possibilem ; ergo videtur omnimodè possibilis , quod enim non repugnat uni Dei attributo nec aliis repugnat , et vicissim.

Secunda. Creari potuit homo 1° sine gratiâ et donis ipsi annexis, cùm naturæ non sint debita ;... 2° sine peccato , cùm condi nequeat cum peccato ;... 3° sine immunitate à concupiscentiâ, quæ , ut probavimus, fluit ex nativâ hominis constitutione ;... 4° sine immunitate à morte et aliis miseriis , cùm illæ iterùm ex hominis compositione quasi nascantur ; ergo.

Objiciunt : Homo produci non potest cum eo quod ad peccatum inclinat ; sed concupiscentia ad peccatum inclinat ; ergo. Resp. : Dist. maj. Non potest homo creari cum eo quod per se et ex naturâ suâ inclinat ad peccatum, v. g., cum vitioso habitu qui per se ad peccatum trahit, conc. Cum eo quod per accidens duntaxat ad peccatum inclinat, qualis est, v. g., potentia gratiæ resistendi , cum quâ primitùs homo conditus est, nego majorem, et similiter distinctâ minore, neg. conseq. Concupiscentia per se inclinat tantùm ad bonum naturæ sensitivæ proprium, quod indubiè peccatum non est ; per accidens verò ad malum excitat, quatenùs cum ratione conjuncta eam præveniendo ipsi interdùm reluctatur, quod evenit non ex intentione Creatoris, à quo data est, non ut spiritum vincat, sed ut à spiritu vincatur, non ex ipsâ concupiscentiâ physicè consideratâ, cùm sit præcisè inclinatio in bonum sensibile, sed ex naturali hominis imperfectione, qui ex se habilis est ad percipiendam majorem impressionem ex rebus sensibilibus quàm ex spiritualibus.

Verùm, inquiunt, si valeret ista responsio, concupiscentia *physicè,* sive prout unicè est inclinatio ad bonum sensibile , posset absolutè separari à concupiscentiâ *formaliter ,* sive pugnante contra rationem, cùm illa sit à Deo et bonum , non ista ; falsum consequens ; ergo. — Resp. : Neg. minorem. 1° Enim in primo et secundo Adam et Mariâ, illa fuit, non ista. 2° Entis imperfectio, sive defectus essentialiter non sequitur ex ente, cùm merè privativum essentialiter non sequatur ex positivo ; sed concupiscentia *formaliter* est, ut diximus, imperfectio hominis sive purus defectus, consistens in negatione moderationis in appetitu sensitivo, vel in privatione virtutis in animâ ad cohibendum illum appetitum, quæ negatio, ut diximus, vel privatio exurgit ex innatâ hominis habilitate ad majorem impressionem recipiendam ex rebus corporeis quàm ex spiritualibus; unde concupiscentia *formaliter,* nisi à causâ exteriore reprimatur, quasi necessariè ebullit in homine, etsi nec ex intentione Dei, nec ex naturâ concupiscentiæ fluat.

Sed , rursùs excipiunt, si concupiscentia *formaliter,* nisi à Deo coerceatur, necessariè fluit ex unione appetitûs sensitivi cum rationali , concupiscentia *formaliter* orietur à Deo, cùm Deus in quocumque statu sit illius unionis auctor ; falsum consequens ; ergo. Resp. : Neg. maj. Neque enim concupiscentia formaliter ex unione utriusque appetitûs tanquàm ex *formali,* sed solùm tanquàm ex *occasionali* causâ oritur. Positâ scilicet illâ unione, existit homo, cui propter suam idoneitatem ad majorem impressionem recipiendam ex rebus corporeis quàm ex spiritualibus naturaliter inest negatio moderationis in appetitu sensitivo, aut privatio virtutis in animâ ad reprimendum illum ap-

petitum. Unde concupiscentia *formaliter* ex utriusque appetitûs unione oritur per accidens et præter intentionem et exigentiam illius unionis ; quâ ex causâ Deus non est auctor illius defectûs, cùm velit tantùm illam unionem et non defectum ipsi annexum, sicut architectus domûs ex vitiosis lapidibus et lignis coalescentis non est auctor defectuum illius domûs.

Principia solutionum. — Primum. Amor creaturæ in naturâ purâ, naturalis licet, verus esset, quia tenderet ad Deum qui ut principium et finis naturæ super omnia diligeretur.

Secundum. Amor castus, sive charitas tendens ad Deum ut est objectum beatitudinis supernaturalis gratiam exigit; amor verò naturalis tendens ad Deum ut finem ultimum naturæ exigit auxilium merè naturale, sive naturæ proportionatum.

Tertium. Sublatâ revelatione beatitudo supernaturalis cognosci nequit, et ideò non datur innatum ipsius desiderium. Natura tamen aliquatenùs dici potest illam appetere, sive quia per revelationem ipsi innotescit, sive quia beatitudinem genericè appetendo in id omne, quod ipsam beare potest, sive cognitum, sive incognitum, fertur.

Quartum. Quidquid requiritur ad beatitudinem naturæ puræ propriam sine gratiâ propriè dictâ, consequeretur homo per auxilium speciale naturalis ordinis, nisi dicas Deum ex merâ liberalitate intuitivam suî visionem in hoc statu esse concessurum.

Quintum. Concupiscentia *materialiter* ex *entitativè*, sive quatenùs est inclinatio in bonum sensibile, est verum bonum, *formaliter*, sive quatenùs avocat à spirituali bono, malum est naturale, seu carentia perfectionis naturalis; malum verò morale fit per solum liberum voluntatis consensum.

Sextum. Quidquid dixerunt Augustinus, alii Patres et concilia de hominis beatitudine, de ejus concupiscentiâ, de illius miseriis, etc., illud dixerunt relativè ad præsentem naturæ lapsæ statum, de quo solo eos inter et Pelagianos erat controversia, non absolutè et relativè ad alium statum possibilem. Quare argumenta Yprensis et aliorum adversariorum non sunt ad rem, et hâc distinctione planè concidunt.

Septimum. Adeò verum est hominem ex se dolori et aliis miseriis obnoxium esse, ut fatente ipso domino Nicole in Symbolo vix intelligi possit quomodò Deus Adam in paradiso à dolore exemerit : id enim contigit aut quia Deus speciali providentiâ omnes doloris causas amovit, aut quia, si illas agere permisit, impedivit ne Adam doloris sensum experiretur.

Octavum. Quanquàm Yprensis lib. 3 de Statu naturæ puræ, cap. 16, meritò probare aggreditur initio sermonis Augustini in Psalmum 70, legendum esse : *Quis Deo diceret : quid fecisti, si damnaret injustum ? quanta ergo misericordia si justificet injustum !* Ibidem tamen fatetur Augustinum potuisse scribere, *si damnaret justum,* cum editis S. doctoris manuscriptis; quomodò autem hâc in hypothesi asserere potuit in Augustini mente miseriarum inflictionem absque prævio peccato à Deo oriri non posse?

ARTICULUS III.

An, et quâ gratiâ indiguerit insons Adam ad benè agendum et perseverandum.

Gratia innocenti Adæ, ut in suâ integritate maneret fuit necessaria. Id enim apertè docet D. Augustinus pluribus in locis. Jam protulimus celebre ejus testimonium in libro de Correptione et Gratiâ cap. 11, n. 32. Idem rursùs docet Enchiridion, cap. 106, n. 28 : *Sine gratiâ,* inquit, *nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Hinc concilium Arausicanum secundum illud definivit can. 19 his verbis ex Augustini epist. 186, aliàs 116 desumptis : « Natura humana, etiamsi in illâ integritate, in quâ est condita, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret. »

Hæc, cùm apud recentiores hæreticos, tùm apud orthodoxos theologos sunt extra controversiam. Verùm utrique plurimùm inter se dissentiunt circa hujus adjutorii naturam, et ideò discrepantiam ab auxilio naturæ lapsæ proprio, quam designavit Augustinus lib. de Correptione et Gratiâ cap. 12. Quare referemus novatorum errores, subinde theologorum opiniones adducturi.

§ 1. *Referuntur novatorum placita circa naturæ innocentis et lapsæ auxiliorum discrimen.*

Lutherus et Calvinus, ille præsertim libro de servo Arbitrio, hic lib. 2 Institutionis cap. 5, etc., docent Adæ insontis libertatem ipsius peccato prorsùs extinctam fuisse, et ideò in hoc differre gratiam statûs innocentiæ à gratiâ statûs naturæ lapsæ quòd illam liber et potens Adam pro libito inflecteret, hæc è converso infirmum et virium omninò expertem Adam, ejusque posteros necessitate absolutâ et immutabili agat et determinet.

Jansenius Yprensis, frequenti operum D. Au-

gustini inprimis adversùs Pelagianos lectione infeliciter deceptus, censuit commemoratum Calvini systema ab Ecclesiâ quoad substantiam non fuisse improbatum, sed quoad modum, id est quoad necessitatem absolutam et immutabilem, quam ille ex Augustino, cujus mentem ex parte tantùm assecutus erat, in homine lapso collocaverat. Hinc asseruit ex Augustini principiis gratiam *liberationis*, sive *medicinalem*, *non absolutam et invariabilem*, sed *relativam et alternantem* necessitatem homini lapso imponere, et ideò gratiam *sanitatis*, sive statûs innocentiæ, in eo à gratiâ naturæ lapsæ discrepare, quòd prima nullam prorsùs liberrimæ hominis voluntati necessitatem incuteret, altera verò infirmissimæ hominis lapsi voluntati realem quidem, sed tamen variabilem incutiat necessitatem.

Hoc discrimen stabilire aggressus est vir acutus celebri inprimis distinctione *adjutorii sine quo non*, et adjutorii *quo* quam ad utriusque statûs gratiam discriminandam Augustinus morti proximus attulit libro de Correptione et Gratiâ cap. 12. Scilicet, Jansenii judicio, adjutorium *sine quo*, seu sufficiens, quod solum in innocentiæ statu ita viguit ut ad naturæ lapsæ ordinem non transierit, fuit quodlibet auxilium, etiam voluntatis, cujus usus vel non usus à voluntatis arbitrio pendebat, quod ideò ita dabat *posse benè agere*, ut *ipsum benè agere* non daret, et idcircò fiebat efficax vel non efficax per consensum vel dissensum voluntatis... Adjutorium è converso *quo*, sive efficax, quod in homine lapso solummodò reperitur, illud est quod non pendet à voluntatis arbitrio, quod ita dat *posse operari* ut simul det necessariè *ipsum operari;* cui idcircò voluntas saltem relativè non possit resistere.

Hanc adjutorii *sine quo non*, et adjutorii *quo* notionem consignavit Yprensis lib. de Gratiâ primi hominis, cap. 14 et sequentibus, et libro 2 de Gratiâ Christi, cap. 1 et sequentibus, imò eam inculcare non desinit, *eò quòd*, inquit in fine capitis 17 libri de gratiâ primi hominis, *est clavis quâ aditus in Augustini scripta aperiendus est, et sine quâ qui ea molitur ingredi velut cœcus palpabit in meridie.*

Ex eâdem Jansenii *adjutorii sine quo* et *quo*, notione, evidens est quinque famosas ejus propositiones, uno verbo totum ipsius systema erumpere, ut postea ostendemus, ubi de sufficiente, et præsertim de efficaci gratiâ disseremus. Satis sit hîc observâsse Jansenium, lib. 8 de Gratiâ Christi, cap. 1 et 2, asserere Thomistas, qui adjutoria *sine quo* et *quo*, in prædeterminatione physicâ constituunt, *totam basim doctrinæ Augustinianæ vellicare*. Unde Thomistæ, quibus arridet Jansenianum systema, quive illius censuram suo systemati præjudicium intulisse autumant, si qui sunt, sui ipsius inimici sunt, aut suam produnt inscitiam.

§ 2. *Recensentur theologorum opiniones de gratiæ* sanitatis *et liberationis discrimine.*

Quoniam illæ opiniones satis exploratæ sunt, et in operis decursu de illis disserendi occurret occasio, eas idcircò perstringemus duntaxat.

1° Thomistæ multùm laborant in isto assignando discrimine. Gratiam scilicet physicè præmoventem ob titulum summæ dependentiæ creaturæ à Creatore in statu etiam innocentiæ admittere coguntur. Nonnulli illam differentiam ex gratiâ sufficiente oriri censent, quæ nimirùm in innocente homine sola fuit intellectûs illustratio, in lapso autem simul est illustratio et motio voluntatis... Alii eamdem differentiam in eo constituunt quòd in statu innocentiæ præmotio physica minùs fuerit virtuosa quàm in nostro... Alii tandem eam reponunt in diverso modo quo eadem gratia præmovens in utroque statu fuit necessaria. In insonte scilicet Adam fuit necessaria titulo tantùm dependentiæ, in sonte verò titulo simul dependentiæ et infirmitatis, ut nempe voluntas continuò nitens in vetitum, bonum constanter et infallibiliter ageret.

2° Alii gratiam intellectûs et voluntatis in utroque statu exigentes censent voluntatem in nostro ope sufficientis gratiæ posse verè et relativè bonum agere, quod tamen *de facto* sine gratiæ efficacis adjutorio nunquàm aget, quâ gratiâ efficaci opus non habuit innocens Adam.

3° Alii autumant in statu naturæ innocentis solam extitisse gratiam sufficientem, sive, ut aiunt, *auxilium sine quo;* in statu verò naturæ lapsæ, præter gratiam sufficientem, existere etiam gratiam efficacem, *sive adjutorium quo*, maximè ad perseverantiam; sed per gratiam efficacem non intelligunt specialem aliquam gratiam, sed copiam gratiarum cujuslibet generis, quas Deus electis largitur, ut omnes tentationes vincant, et ad mortem usque in justitiâ permaneant.

4° Alii credunt Adam gratiâ sanctificante jam exornatum cum solâ mentis illustratione potuisse bonum agere, in præsenti verò ordine præter gratiam intellectûs necessariam esse gratiam voluntatem moventem et prævenien-

tem, sive ex naturâ sit efficax, sive non. Vulgo tamen ad primum bonum actum Adæ et Angelorum requirunt gratiam voluntatis, non autem ad actus sequentes.

5° Alii conjiciunt hominem innocentem nullam habuisse gratiam prævenientem, etiam intellectûs, sontem verò gratiâ actuali præveniente indigere. Edocti ab Augustino *periculosum esse de magistrorum judicare sententiis, et alterum alteri præferre* epistolâ nunc 198, n. 7, nullum in re tam obscurâ et incertâ amplectemur systema, cùm aliunde illud exigat nostrum propositum.

Nihilo tamen minùs secunda opinio magis consona videretur doctrinæ D. Augustini, libro de Correptione et gratiâ cap. 11 et 12. Ibi enim 1°, per adjutorium *sine quo* Angelis et Adæ primitùs concessum intelligit auxilium « quo sic adjuvabantur, ut sine illo in bono non manerent, sed hoc auxilium si vellent desererent, non quo fieret ut perseverarent, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non possent; » at tale auxilium nihil aliud fuisse videtur quàm gratia sufficiens quæ promptam et expeditam benè agendi potentiam subministrabat, et fiebat efficax aut inefficax per assensum vel dissensum voluntatis... 2° Per *adjutorium quo* sonti Adæ et ejus posteris datum illud non designat *sine quo aliquid non fit* (est enim adjutorium *sine quo non*, et aliunde expressè distinguit adjutorium *sine quo* ab adjutorio *quo*, et gratiam quâ boni Angeli per assensum perseveraverunt nunquàm vocavit adjutorium *quo*), sed illud indicat *quo aliquid fit, certò* nempe et *infallibiliter;* atqui talis gratia est gratia efficax; neque dicas prætensam illam Augustini sententiam commemorato Jansenii systemati favere; istud quippe systema excludit à statu naturæ lapsæ gratiam verè et relativè sufficientem, quam in eo admittit Augustinus, ut postea ostendemus.

CAPUT II.

De gratiæ necessitate in statu naturæ lapsæ.

Quid sit status naturæ lapsæ ex dictis, ubi de statu innocentiæ et naturæ puræ verba fecimus, satis exploratum est. Hominem hoc in ordine sic regenerari voluit Christus, ut tamen concupiscentiæ et aliis animæ et corporis miseriis obnoxius esse non desineret, quo adjuvante gratiâ per continua certamina, per patientiam, et omnimodam divinæ voluntati submissionem majus meritum consequeretur, quemadmodùm docet Apostolus 2 Cor. cap. 12, et ubique D. Augustinus.

Antequàm progrediar ad majorem rerum discutiendarum intelligentiam, quædam de hæresi pelagianâ et semipelagianâ illiusque historicis præmittam.

Cornelius Jansenius historiam pelagianæ et semipelagianæ hæreseos libris octo primùm contexuit, ut quæ postea impugnaturus erat dogmata, libro scilicet proœmiali de ratione et auctoritate, libro de gratiâ primi hominis et Angelorum, libris quatuor de statu naturæ lapsæ, tribus de statu naturæ puræ, et decem de gratiâ Christi Salvatoris, ab illis hæreticis priùs propugnata fuisse, et ideò veteris Ecclesiæ sensis repugnare quantùm fieri poterat evinceret. Hinc inter illa dogmata recensuit liberi arbitrii indifferentiam, naturæ puræ possibilitatem, potentiam resistendi gratiæ interiori, mortem Christi pro omnium et singulorum hominum salute, uno verbo omne systema suo adversum. Suæ sanè saluti minimè consuleret qui aquas ex fonte tam luculento salientes combibere vellet.

Henricus Norisius, vir exquisitâ eruditione et pietate conspicuus, eamdem historiam memoriæ consecravit duobus libris, quos censurâ configi vetuit Benedictus XIV, ut postea ostendemus, sed fine ab Yprensis fine omninò diverso, scilicet ut catholicum Augustinianorum systema, quod adæquatè spectatum cæteris fortassis præhabendum est, adversùs Molinistas et alios firmiùs stabiliret.

De eâdem historiâ unum misit librum Dionysius Petavius, qui in tertio tomo Dogmatum reperitur. Nullum alium sibi in eo finem proposuisse videtur quàm ut veritatem, discussis nebulis quibus eam insperserant novatores, pristino splendori restitueret, nulli aliunde scholæ systemati addictus, nullo partium studio abreptus, ut magnum et sapientem decet virum, et suam sententiam liberè et candidè, ubi opus est, retegens.

Ex hoc opere, et certis aliis historiæ ecclesiasticæ monimentis hæc obiter referre operæ pretium duximus.

Pelagius patriâ Scotus, vel Britannus, professione monachus, ineunte seculo quinto, errores suos disseminare cœpit. Isti præcipuè fuerunt : 1° Adam moriturus fuisset etiamsi non peccâsset.... 2° Peccatum Adæ ipsum solum læsit, non genus humanum.... 3° Infantes recens nati in eo statu sunt in quo fuit Adam ante prævaricationem.... 4° Per mortem et delictum Adæ non moritur genus humanum, et non resurget per Christi resurrectionem.....

5° Infantes etsi non baptizentur vitam æternam habere possunt.... 6° Divites baptizati regnum Dei non consequentur nisi omnibus renuntient.... 7° Gratia homini lapso necessaria ut actus salutis meritorios possit elicere non est gratia interior saltem voluntatis, sed gratia illa vel est natura et liberum arbitrium, vel peccatorum remissio, vel lex sive prædicatio Christi ejusque exemplum, vel interior mentis illustratio, ad faciliùs tantùm operandum, vel adoptio ac filiorum status baptismo comparatus, vel vita æterna (unde sex gratiarum genera constituit Pelagius).... 8° Gratia Dei meritis nostris rependitur.... 9° Homines non possunt vocari filii Dei nisi omnimodò absque peccato fuerint, et ideò possunt, si velint, omni carere peccato.... 10° Liberum arbitrium nomine tenùs existit, si Dei auxilio indigeat, quoniam unusquisque in propriâ voluntate habet aliquid facere vel non facere.... 11° Victoria nostra non est ex Dei auxilio, sed ex libero arbitrio nostro.... 12° Petentibus venia non datur secundùm gratiam et misericordiam Dei, sed secundùm merita et laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerint misericordiâ.... 13° Non est jurandum.... 14° Ecclesia militans potest esse sine maculâ et rugâ.... Tandem Nestorianâ hæresi infectus fuit Pelagius.

Pelagius præcipuos sectatores habuit Cœlestium qui Pelagio patriâ et professione par fuit, sed magistro liberior, imò istius sectæ fuit Antesignanus..... et Julianum in Apuliâ natum, Augustino primùm amicitiâ conjunctum, episcopum Capuanum, aut Celianensem. Pelagii errorum non modò acerrimus fuit defensor, sed etiam iis addidit, aut ex iis ad libitum detraxit, ut non tam sectator quàm novi systematis auctor habitus sit.

Ad debellandam hæresim pelagianam inprimis suscitavit Deus divum Augustinum qui illud munus gloriosè et feliciter per viginti circiter annos adimplevit sequentibus operibus, tribus libris de peccatorum meritis et remissione, uno de spiritu et litterâ, uno de naturâ et gratiâ, uno de perfectione justitiæ, uno de gestis palæstinis, sive Pelagii, sermone nunc 131 de verbis Apostoli, uno libro de gratiâ Christi, uno de peccato originali, duabus epistolis ad Sixtum, duobus libris de nuptiis et concupiscentiâ, libris quatuor contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium romanum pontificem, epistolâ 217, aliàs 107 ad Vitalem, libris sex contra Julianum, quos in retractationibus vocat *magnum et elaboratum opus,* uno libro de fide, spe, et charitate, sive Enchiridion ad Laurentium, quem nonnulli appellant *Augustinianæ doctrinæ specimen,* uno libro de gratiâ et libero arbitrio ad Valentinum et monachos Adrumetinos, uno libro de correptione et gratiâ, sex denique libris adversùs Julianum dictis, *opus imperfectum,* quia morte præventus non respondit nisi sex octo librorum quos Julianus in secundum librum de nuptiis et concupiscentiâ ediderat.

Contrito Pelagii errore, nova exsurrexit secta, dicta *Semipelagianorum,* quia partem duntaxat Pelagii systematis conservabat, et *Massiliensium* ab urbe Massiliensi in quâ ejus defensores erant numero plures. Eorum antesignanus fuit Joannes Cassianus à D. Chrysostomo diaconus consecratus, postea apud Massilienses presbyter, cui se adjunxit Faustus ex abbate monasterii Lirinensis factus episcopus Regiensis in Galliâ. Hæc duo potissimùm propugnabant: Primum, salutis initium esse à nobis, nosque solâ vi arbitrii posse conari, velle, ordiri; alterum, hominem nisu et conatu suo gratiam Dei mereri. Errores istos peperit malè intellecta Augustini et Ecclesiæ adversùs Pelagianos doctrina. Scilicet Massilienses existimaverunt liberum arbitrium pessumdari, si divinâ præveniatur gratiâ, et Deum futurum esse personarum acceptorem si præveniat, utpote qui secundùm voluntatis suæ propositum *occulto judicio et opere manifesto* aliud vas conderet in honorem, et aliud in contumeliam. In errorem semipelagianum ante pontificatum impegit Augustinus, ut fatetur in libro de prædestinatione sanctorum, cap. 3.

D. Augustinus, de Semipelagianorum erroribus certior factus per Epistolas SS. Prosperi et Hilarii, illos errores duobus libris confutavit, nimirùm libro de prædestinatione sanctorum, et libro de Dono perseverantiæ, in quibus potissimùm ostendit, non incrementum duntaxat, sed et ipsum initium fidei, ac in eâ perseverantiam esse Dei donum.

His summatim descriptis ut errores tum Pelagianorum et Semipelagianorum, cùm recentiorum hæreticorum eliminentur, quæremus 1°, an gratia sit necessaria ad veritates supernaturales credendas;.... 2° an gratia necessaria sit ad opus bonum supernaturalis ordinis peragendum.... 3° an sine fide et charitate aliquod bonum opus elici possit; .... 4° an sine gratiâ actuali possit homo aliquod bonum opus morale perficere.... 5° an gratia sit necessaria ad perseverandum in bono.

ARTICULUS PRIMUS.

An gratia sit necessaria ad veritates supernaturales cognoscendas et credendas?

Sermo non est de notitiâ conjecturali, qualis fuit cognitio Platonicorum de Verbi divinitate, Augustino referente lib. 7 Confessionum cap. 9, sed de notitiâ errori non obnoxiâ quâ mens veritatibus per revelationem cognitis firmissimè inhæreat.

Semipelagiani, ut diximus, gratiam interiorem ad initium fidei, sive *pium credulitatis affectum*, non exigebant, sed tantùm ad ipsius augmentum. Contra eos sit

CONCLUSIO. — Nemo consequi potest fidem theologicam, et ipsius initium quod Semipelagiani vocabant *pium credulitatis affectum*, sine gratiæ interioris adjutorio. Ita adversùs Semipelagianos definivit concilium Arausicanum secundum, canone 5 et 7, quod confirmavit concilium Trid. sess. 6, can. 3.

Probatur rationibus, quas ex sacris codicibus deducit D. Aug. libro de Prædestinatione sanctorum.

Prima. *Credere nihil aliud est quàm cum assensione cogitare.* Si ergo non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (ut docet Apostolus epistolâ 2 ad Corinthios, cap. 3, v. 5), indubiè non erimus idonei credere aliquid quasi ex nobis, sed sufficientia nostra, quâ credere incipimus, ex Deo erit cap. 2, n. 5. Secunda. Deus *nos discernit*, et nihil habemus quod ab eo non acceperimus, Epist. 1 ad Cor. cap. 4, v. 7; ergo quam habemus, fides, aut ejus initium, in nobis est non à nobis sed à Deo, cap. 3, n. 7. Tertia. Si initium fidei ex nobis est, et ipsa fidem nobis à Deo obtinet, gratia fidei meritis naturalibus rependitur, et ideò non est gratia, cap. 2, n. 6. Quarta. Fides et ipsius exordium est fons et radix justificationis; sed origo justificationis à gratiâ oriri debet, cùm non minùs supernaturalis sit, quàm ipsa justificatio, et *homo prior Deo non det ut ipsi retribuatur* (Epist. ad Rom. cap. 11, v. 35) cap. 2, n. 4. Ultima. Rogatur Deus ut det quod jubet (pium credulitatis affectum), rogatur ut augeat fidem; rogatur ut non credentibus det fidem; ergo fides et in suis incrementis et in suis initiis est Dei donum, cap. 11, n. 22.

Antiqui et novi Semipelagiani hæc vulgò objiciunt. 1° Deus ab homine fidem exigit; ergo est in hominis potestate; ergo per naturam haberi potest. — Resp. 1° argumentum probare ipsam fidem esse ab homine, non solùm ejus initium, et ideò nimis probare. — Resp. 2°: Dist. Ant.: Deus ab homine fidem exigit seipso adjuvante, concedo; secùs, neg. ant. et conseq. Deus nempe exigit ut homo cœlesti auxilio præventus et roboratus actus fidei eliciat, quo sensu dixit Augustinus, Deum ipsa sua dona præcipere.

2° Nonne hæretici absque interiori gratiâ plura credunt mysteria, v. g., Trinitatis, Incarnationis, etc.? ergo. — Resp. hæreticos potiùs non negare illa mysteria quàm ea credere; per verbum enim *credere* hìc intelligitur firmissimus assensus summâ Dei revelantis veracitate innixus, qui apud hæreticos reperiri nequit; revelatio nimirùm certò non innotescit nisi per infallibilem Ecclesiæ catholicæ auctoritatem quam negant hæretici. Hinc dixit Augustinus Enchiridion cap. 5, apud *hæreticos nomine tenus non reverà esse Christum.* Deest etiam iisdem pius erga Deum affectus qui necessarius est ad *credendum sicut oportet ad salutem*; unde iterùm ait Augustinus sermone 71 de Verbis Evangelii Matthæi, cap. 19, n. 32: *Præcisis ab Ecclesiâ inesse potest forma pietatis, non virtus*; igitur hæretici mysteria quædam credunt non fide divinâ, de quâ hìc agitur, sed humanâ tantùm.

3° Fidei mysteria motivis evidenter credibilibus nituntur; ergo sine gratiâ credi possunt. — Resp. fidem divinam habere pro objecto formali immediato summam Dei revelantis veracitatem; fides igitur innixa motivis credibilitatis immediatè et præcisè non est divina, sed humana, licet fidei divinæ locum præparet. Deinde motiva credibilitatis naturam mysteriorum non elucidant. Unde, ut intellectus ipsis firmissimè assentiatur, superno indiget auxilio ne apparenti eorum repugnantiâ dissentiat.

4° Potest quis sine gratiâ credere res falsas rationis acumen superantes, v. g., Christi corpus esse ubique; quidni et veritates supernaturales? Resp. disparitatem esse quòd veritates supernaturales credantur ex affectu erga Deum ut gloriæ auctorem; res è conversò falsæ rationis aciem fugientes ex præjudiciis et affectu erga res suas.

PRINCIPIA SOLUTIONUM. — Primum. Fides, de quâ hìc agitur, ea est quâ, ut loquitur concilium Trid. *creditur sicut oportet ad salutem*, id est cum firmissimâ et omnimodâ Deo subjectione, et ideò erga ipsum affectu.

Secundum, Fides est in nostrâ potestate per

gratiam, non per naturam, et ideò eam in nobis exigit Deus *positis ponendis*.

Tertium. Fides, licet Dei donum, ex nobis est hoc sensu quòd mens illius actum ex Dei gratiâ eliciat, juxta istud oraculum, *faciam ut operemini*, Ezechielis cap. 36.

Quartum. Malè cohærebat Semipelagianorum systema; nulla enim est ratio cur gratia potiùs requiratur ad fidem perfectam quàm ad inchoatam; imò titulo dependentiæ creaturæ à Creatore magis necessarium videretur Dei auxilium ad fidei initium quàm ad ejus augmentum.

ARTICULUS II.

An gratia ad bonum opus supernaturale volendum et perficiendum absolutè requiratur.

Conclusio. — Nemo in statu naturæ lapsæ sine speciali gratiæ interioris adjutorio absolutè potest ullum opus ad salutem pertinens velle aut perficere.

Est de fide adversùs Pelagianos et Semipelagianos quos confutavit Augustinus libris commemoratis. Recentiores novatores in errores è diametro oppositos impegerunt gratiæ vim nimiùm extollendo, et libertatem tollendo, aut saltem enormiter deprimendo.

Probatur 1° innumeris Scripturæ testimoniis, quorum præcipua extant Joannis cap. 6, v.44,15,v.4 et 5,Epistolâ ad Philippenses cap.1, v. 6, et 2, v. 13. Hæc et alia urgebat D. Augustinus, ostendendo illa saltem ad salutis opera pertinere, et non esse intelligenda aut de solâ externâ revelatione, sive de lege et doctrinâ, aut de potestate faciliùs tantùm Dei præcepta adimplendi, aut de internâ duntaxat mentis illustratione, exclusâ inspiratione et motione voluntatis (ut ea interdùm exponebant Pelagiani), sed de interno Dei auxilio, *sine quo*, ut loquitur S. doctor libro de gratiâ Christi, cap. 26, n. 27, *voluntas omninò nihil boni, quod ad pietatem pertineat veramque justitiam, facere potest.*

Probatur 2° ex conciliis adversùs Pelagianos habitis, Diospolitano, sive Palæstino, anno 415, in quo Pelagius censuræ articulorum supra relatorum fallendo, ut hæreticorum moris est, subscribens absolutionem suffuratus est.... Arausicano 2°, anno 529, etc., quorum sanctiones expressit et renovavit concilium Tridentinum sessione 6, can. 3, his verbis: « *Si quis dixerit sine prævenientis Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* »

Probatur 3° rationibus theologicis, quibus D. Augustinus Pelagianos repressit. Innumeræ sanè sunt, quas ad duas universim reducimus.

Prima hæc est: Christus in Evangelio orationem impensè commendat et præcipit. *At*, inquiebat S. doctor, *oratio est gratiæ testificatio;* fit enim præcipuè ut *Deus in nobis operetur velle, et perficere*, sicque per opera supernaturalia ad vitam perveniamus æternam; unde Ecclesia quasi continuò orat, ut *Deus per merita Christi gratiæ suæ virtute nostras etiam rebelles ad se propitius compellat voluntates.*

Secunda sic se habet: Adæ peccato non solùm hominis mens densis ignorantiæ tenebris obnubilata est, sed etiam voluntas multùm debilitata, et ab incommutabili bono ad commutabile bonum funestâ propensione conversa (quod aliunde non recurrendo ad primigeniam maculam, quam negabant Pelagiani, experientiâ exploratum est); sed inde elucet ad pietatis opus exercendum non sufficere ut intellectus cœlesti luce perfundatur, sed et insuper requiri ut cœlesti adminiculo sublevetur voluntas, et ad supernaturale bonum appetendum occultâ et suavi virtute deducatur.

Objiciebant 1° Pelagiani: Psalmo 9, v. 11, Proverbiorum cap. 16, v. 1, Zachariæ cap. 1, v. 3, Matthæi 25, v. 15, Lucæ 11, v. 9, Rom. cap. 7, v. 18, etc., dicitur homo *quærere Deum, præparare animam suam, disponere viam suam, converti ad Deum, Deum orare, salutem velle, propriâ virtute talenta accipere, etc.* ergo. — Resp. Pelagianos in his et similibus oraculis inanem triumphum aucupatos fuisse. Illi enim hominis actus ex gratiâ præveniente oriuntur. Scilicet præter gratiam quæ *dat agere*, sive *perficere* (ad Philippenses cap. 2), necessaria est gratia quæ *facit velle* (ibidem), et ideò quæcumque iis in textibus velle dicitur homo ex Dei auxilio vult. Porrò in Scripturis pietatis actus modò homini, modò Deo tribuuntur, quia fiunt ex gratiâ cui liberè consentit homo. *Non ego,* inquit Apostolus 1 ad Corinth. cap. 15, *sed gratia Dei mecum.*

Objiciebant 2°: Zachæus, Lucæ cap. 19, latro, Lucæ cap. 23, Cornelius, Actuum cap. 10, Paulus epist. 1 ad Tim. cap. 1, etc., gratiam fidei per bonos actus promeruerunt; ergo. — Resp. cum concilio Arausicano 2, canone 25, bonos illos actus à gratiâ præveniente ortos fuisse. Etverò Christus Zachæi, cujus hospitium elegerat, voluntatem ad se allexerat;

latronem efficaci gratiâ converterat; Cornelio implicitæ et inchoatæ fidei gratiam infuderat, quæ post accessum Petri explicita et perfecta evasit, ut docet D. Aug. lib. de Prædestinatione sanctorum, cap. 7, n. 12. Quod attinet ad Paulum, particula *quia*, quâ utitur, non causam formalem, sive moventem, sed objectivam duntaxat significat, ut Psalmo 40, v. 5 : *Sana animam meam quia peccavi tibi,* et ideò sensus est : *Gratuita Dei misericordiæ ignorantiæ meæ rationem habere dignata est.*

Objiciebant 3° : Epistolâ ad Rom. cap. 2 legitur : *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Ergo natura sufficit ad implendam legem. — Resp. : Nego conseq. Hæc enim aut cum Cajetano et aliis intelligenda sunt de Gentilibus à Christi fide alienis, aut cum pluribus de gentibus fide Christi imbutis; si primum, significant infideles posse fortassis solis naturæ viribus aliqua legis præcepta implere, v. g., inopi subvenire, etc. « Quod, inquit Estius in hunc locum, sanæ doctrinæ nihil habet contrarium ; nam infideles posse absque gratiâ facere quædam opera moraliter bona communis est et vera theologorum sententia. » (Hæc tamen sententia, ut postea ostendemus, nequaquàm certa est, quinimò Scripturæ et Patribus, Augustino inprimis repugnare videtur).... Si secundum, significant gentes per gratiam, non per legem Mosaicam, Dei præcepta exequi, et ideò *vox, naturaliter, opponitur legi scriptæ, non gratiæ,* inquit ibidem Estius. Cæterùm hoc testimonium accuratiùs postea discutiemus.

Objiciebant 4° Semipelagiani, qui, ut elucet ex epistolâ S. Prosperi ad Augustinum, conquerebantur quòd S. doctor in gratiæ controversiâ antiquos Patres contempsisset, objiciebant, inquam, veteres doctores.

D. Justinus Apologiâ præsertim 2, Christi gratiam explodit docendo philosophiam sufficere ad salutem. D. Irenæus lib. 4 adversùs hæreses cap. 72, scribit *in nobis esse operari bonum.* D. Clemens Alexandrinus in libris Stromatum quos impensè commendat D. Hieronymus epistolâ ad Magnum, docet philosophiam Græcos ad Christum duxisse ; « iis, inquit libro 1, qui à philosophiâ fuère justificati, auxilium tanquàm thesaurus reconditur; ea quoque consensio quæ ducit ad Dei cultum, et pietatem in Deum.... quanquàm per se quoque aliquando Græcos justificabat philosophia. » D. Chrysostomus initium fidei et salutis liberi arbitrii viribus adscribit : « Patriarcha, inquit hom. 42 in Genesim, (Abram) ante gratiæ tempus, et ante legem à seipso, et à scientiâ quæ naturæ insita est... pervenit in virtutis fastigium... nisi primùm et ipse quod suum erat fecisset, non tanta à Domino obtinuisset; » idem habet hom. 12 in Epistolam ad Hebræos : « Nostrum est, inquit, præeligere et velle; Dei autem est perficere, et ad finem deducere. » Similia dixerat homiliâ 8 in Epistolam ad Philippenses ubi Apostoli verborum, *Deus enim est qui operatur in nobis et velle et perficere,* hunc assignat sensum : « Si volueris, tunc operabitur ut velis.... etenim ubi voluerimus de cætero augebit propensionem voluntatis. » Tandem ipse Augustinus in Epistolam ad Romanos, n. 6, tradit gratiam non præire voluntatis conatibus et desideriis, sed ea subsequi; ergo.

Neque soli Semipelagiani hanc sententiam illis Patribus affinxerunt, sed et inter Protestantes plures ex eruditissimis, v. g. Isaac Casaubonus in exercit. adversùs Annales Baronii, etc.

Respondeo super his, quæ longâ indigerent disquisitione, consuli posse P. Alexandrum in hist. seculi secundi et quarti, ubi nævos à Protestantibus illis Patribus inustos feliciter detergit. Unde satis sit hæc observâsse :

1° Augustinus libro de Prædestinatione sanctorum cap. 14, n. 27, generatim tantùm Semipelagianis respondit, illos Patres scripsisse *ante hæresim pelagianam*, eos *in hâc difficili quæstione versatos non fuisse,* gratiam Dei *breviter et transeunter* attigisse, etc. Cæterùm *frequentem orationem* consulendo *quid de gratiæ necessitate sentirent,* satis indicâsse, etc. Si tantus doctor illorum Patrum opuscula scrutari in hac causâ necesse non judicavit, cur ea scrutari teneremur?

2° Genuinus illorum Patrum sensus ex eorum scopo potest elucescere. D. Justinus hìc et alibi intendit probare adversùs gentiles christianæ doctrinæ antiquitatem; hunc in finem dicit, eos, qui ab initio rationem ducem secuti sunt, *Christianos fuisse* (imperfectè et secundùm quid, ut aiunt), scilicet S. doctor ibidem declarat se per *rationem* non solùm legem nostris mentibus à Creatore impressam intelligere, sed præcipuè Christi, qui Patris est ratio et Verbum, aliquam cognitionem, et huic notitiæ consonam vitam. « Christum, inquit, primogenitum Dei esse instituti sumus, et rationem atque Verbum esse, cujus universum hominum genus est particeps, et quicumque cum ratione ac Verbo vixère, Christiani

sunt. » Quare vult eos omnes, qui ab initio mundi unum Deum agnoverunt, et vitam huic cognitioni congruentem duxerunt, hæc ex illustratione rationis et Verbi, quod est Christus, fuisse consecutos, et sub eo respectu dici posse Christianos, quamvis non tam perfectè ac illi qui explicitam Christi notitiam habuerunt. Etverò, vel in ipsâ Apologiâ citatâ agnoscit absolutam baptismi necessitatem ad salutem impetrandam juxta Christi oraculum Joannis 3 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, et gratiam ad vitam baptizato dignam ducendam requiri, ad quam obtinendam quasi continuas preces effundit Ecclesia ; unde supra meritò dicebat Augustinus Patres qui ante hæresim pelagianam floruerunt orationem consulendo gratiam agnovisse et exegisse.

D. Clemens intendit præcisè philosophiam Græcis instillâsse unius veri Dei cognitionem , et ab eis amovisse errorum portenta Dei notitiam ejusque cultum impedientia , sicque eos remotè disposuisse ad Christi agnitionem , et ideò ad justificationem ; quinimò S. doctor existimavit philosophiam ad justificationem absque cœlestis gratiæ adjutorio ne remotè quidem disponere posse , ut fusè et eruditè ostendit P. Alexander dissertatione 8 in secundum seculum. Unde non vult S. doctor philosophiam , bonave opera moralia , justificationem Græcis aut ex justitiâ , aut etiam ex convenientiâ promeruisse. Etverò , quomodò D. Hieronymus , qui in epistolâ ad Ctesiphontem et alibi Pelagium et ejus asseclas *velut sacrilegos* habuit , tantoperè extulisset Clementis Stromata si in eis Pelagianum dogma consignâsset.

D. Irenæus meritò dixit *bonum operari* (non à nobis solis) sed *in nobis esse* ; hæc enim docet Apostolus epist. 1 ad Corinthios cap. 15 : *Plus omnibus laboravi , non ego , sed gratia Dei mecum ;* homo scilicet lapsus libero potitur arbitrio quod prævenienti et adjuvanti gratiæ consentiendo bonum opus elicit. Enimvero S. doctor in libris adversùs hæreses passim agnoscit et exigit gratiam , puta lib. 4, cap. 27, ubi dicit *Christum infigere justificationes in nobis, Verbum liberare animam, etc.* , et ib. 3, cap. 19, ubi asserit *Spiritum sanctum voluntatem Patris operari in nobis , renovare nos à vetustate in novitatem Christi , nos confirmare*.... Consuli poterit P. Alexander dissert. 7 in secundum seculum.

D. Chrysostomus primo loco non excludit gratiam prævenientem et excitantem , sed legem duntaxat evangelicam cum uberioribus suis gratiis , quibus licet destitutus Abraham *ante gratiæ tempus et legem , pervenit tamen in virtutis fastigium ;* unde S. doctor , ut patet ex ipso contextu , vult pios conatus cum auxilio præveniente elicitos majora à Deo obtinere auxilia , quod probat exemplo Abrahæ et aliorum justorum veterum qui Deo interiùs et exteriùs vocanti sese morigeros exhibendo eximiam sanctitatem adepti sunt.... nihil aliud intendit duobus ultimis locis ubi sic adstruit liberum voluntatis arbitrium ut doceat nos primum gratiæ vocanti consentire debere, quò Deus postea gratiam largiatur sanctificantem , aut uberiorem actualem. Enimverò , inquit P. Alexander in Synopsi historiæ seculi quarti, articulo trigesimo, « objecta Chrysostomi verba gratiæ necessitatem non magis excludunt , quàm illa Christi : *Petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis.* Unde sicut hæc sententia, quæ solam hominum operationem innuere videtur, per aliam exponenda est , quæ Dei præveniens auxilium necessariò exigit : *Nemo potest venire ad me , nisi Pater meus traxerit eum ,* ita illa quæ objiciuntur S. Joannis Chrysostomi verba, ex aliis explicantur, quæ primam salutis originem gratiæ excitanti acceptam ferunt. » Porrò S. doctor in ipsâ homiliâ 12 in Epistolam ad Hebræos, hanc gratiæ excitantis necessitatem agnoscit et prædicat ; etenim ibi observat cœleste , quo indigemus , auxilium nostræ libertati non nocere ; « in Dei , inquit , potestate sunt omnia, sed non ita ut nostrum lædatur arbitrium. Si ergo , inquis , est in Dei potestate , cur in nos confert culpam ? Propterea dixi , ita ut non lædatur nostrum liberum arbitrium ; est ergo et in nostrâ et in ejus potestate ; oportet enim nos primùm bona eligere (ipso adjuvante) et tunc affert quæ sua sunt (gratiam fortem et efficacem) non prævenit nostras voluntates (cogendo aut necessitando) ne perdat nostrum liberum arbitrium ; » quod quidem clariùs exprimit dùm ibidem istud Apostoli : *Non volentis , neque currentis , sed miserentis est Dei* , ita exponit ut totum Deo in operibus bonis tribuat , quia primas et præcipuas in eis habet partes , et sine eo quod nobis confert auxilio omnes nostri conatus essent supervacanei. « *Non volentis* , etc. , inquit, hic duo [illegible] et præclara efficit (Apostolus); unum quidem ne efferamur, etiamsi curras, etiamsi studium ponas, inquit , ne tuum esse existimes quod rectè gestum est. Nam nisi à

superis opem adipiscaris, frustra erunt omnia... Non dicit quòd frustra currimus, sed quòd frustra currimus, si totum nostrum existimamus, si non plus Deo tribuimus. Non enim suum esse totum voluit Deus, ne videretur nos temerè coronare ; neque rursùs nostrum , ne incidamus in arrogantiam. Nam si cùm minorem habeamus partem efferimur, et præclarè de nobis sentimus, quid faceremus si totum esset in nostrâ potestate? »

Ex his patet quàm falsò et temerè Yprensis Patres græcos, inprimis Chrysostomum, inter gratiæ et liberi arbitrii hostes annumeraverit. Quid aliunde ista declamatio ingerit ? Nonne Semipelagianos sibi illos Patres meritò vindicâsse , et Augustinum eos immeritò excusâsse ?

3° D. Augustinus, qui, ut diximus, ante pontificatum fuit Semipelagianus, revocavit libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 3, et lib. 1 Retractationum, cap. 23, quod scripserat in Epistolam ad Romanos.

Objiciebant 3° Pelagiani et Semipelagiani diversa ex ratione momenta. Primum. Gratiæ necessitas tollit libertatem : voluntas enim cœlesti indigens auxilio, aut gratiæ vi impulsa desinit esse suorum actuum domina. — Resp. 1°, idem argumentum vibrari posse adversùs necessitatem concursûs immediati naturalis, aut adversùs Dei præscientiam. — Resp. 2°, cum Augustino, libro de spiritu et litterâ, cap. 30, n. 52, et 31, n. 54, *libertatem gratiâ stabiliri sicut legem per fidem*, tantùm abest ut illâ destruatur; per gratiam nimirùm liberi arbitrii vires peccato debilitatæ restituuntur, et nulla prorsùs voluntati imponitur necessitas, cùm gratiæ cuilibet possit resistere.

Secundum. Ex celebri axiomate: *Deus facienti quod in se est non denegat gratiam ;* ergo bona voluntas gratiam præcedit. — Resp.: Neg. conseq. Illius enim effati sensus est : *Facienti quod in se est per gratiam prævenientem et excitantem Deus non denegat operantem.*

Tertium. Si Deus fidei gratiam pro libito uni daret alteri denegaret *esset personarum acceptor ;* falsum ex Scripturâ consequens, Actuum cap. 10; ergo. — Resp. cum Augustino, lib. 2 contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 7, n. 13 et seq. : Nego majorem. Acceptio enim personarum est vitium contra justitiam, quo nempe quis re sibi debitâ privatur ; at Deus uni gratiam dans, alteri pro libito denegans, non peccat contra justitiam ; gratiam enim, quæ purè gratuita est, nemini debet. Deus ergo in iis quæ justitiæ sunt erga omnes æquus est, neque personas accipit, sed unicuique reddit secundùm opera sua. Verùm in donis gratiæ nemini facit injuriam si uni dat quod alteri negat.

Quartum. Si fides et ejus initium esset Dei donum, à Deo, qui omnes salvos fieri vult, omnibus daretur, et qui illud donum non recipiunt, essent *excusabiles*, cùm illud habere in eorum potestate non sit; falsum consequens ergo. — Resp. 1°, hîc nobis præcisè incumbere gratiæ prævenientis et excitantis necessitatem adversùs veteres et novos Pelagianos vindicare, non autem Dei judiciorum *profunditatem* sive *abyssum* reserare; porrò illam necessitatem ex Scripturis contra veteres hæreticos, et ex concursûs naturalis extantiâ pro actibus physicis contra incredulos nostros facilè adstruimus. — Resp. 2° cum Augustino, lib. de spiritu et litterâ cap. 33, n. 57, et seq. fidem non omnibus impertiri quia *multi libero arbitrio malè utentes* vocanti Deo per gratiam non obediunt. Jam verò, addit ibidem, cur illi ita *suadeatur* (fides) *ut persuadeatur, illi verò non ita, ò altitudo !* etc. *Cui ista responsio displicet quærat doctiores.* Idem alibi reponit ad istam quæstionem, *cur è duobus impiis unus trahitur, alter relinquitur;* qui enim relinquitur justo et occulto judicio ob delicta, vel delictum relinquitur, qui eligitur ex purâ Dei misericordiâ salvatur ; ex quibus concludit epistolâ, 194, aliàs 105, ad Sixtum, sontes esse inexcusabiles *vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis.* Ad elucidandam istam *profunditatem*, ut loquitur idem Augustinus priore loco, addi fortassis posset cum D. Thomâ, hominem si legem naturalem (cum gratiâ quam ipsis non denegat Deus), ut oportet observaverint evangelicâ gratiâ esse illuminandos.

PRINCIPIA SOLUTIONUM. — Primum. Hæresis genius, qui maximè tortuosus est, flexibilis, industrius, singulariter potens, et potenter singularis, in Pelagio, Cœlestio, etc., sese stupendum in modum exeruit. Pelagius scilicet Patres Palæstinos decepit, Cœlestius Zozimum papam, ipse Augustinus penè existimavit Pelagium *gratiam, de qua agebatur*, agnoscere, ut candidè fatetur libro de gratiâ Christi, cap. 37, n. 4. Quid inde inferes? Hæreticis sensa sua catholicis etiam verbis exprimentibus semper non esse credendum.

Secundum. Pelagius, Augustino referente lib. de gestis Pelagii, pietatis famâ excelluit.

Non ergo te moveat morum sanctitas, quæ in hodiernis novatoribus commendatur, cùm, eodem Augustino dicente, *apud hæreticos pietatis forma esse possit, non virtus*.

Tertium. Pelagius et ejus asseclæ agnoverunt gratiam esse necessariam (intelligebant naturam et liberum arbitrium).... gratiam à naturà et libero arbitrio distinctam (intelligebant legem et doctrinam).... gratiam à lege et doctrinà diversam (intelligebant exemplum et imitationem Christi).... gratiam ab iis omnibus discrepantem (intelligebant peccatorum remissionem) ... demùm gratiam illustrationis, id est revelationem divinam, si non ex parte potentiæ, quæ nempe intellectum intrinsecè afficeret, elevaret, et corroboraret ad credendum, saltem ex parte objecti, id est veritatis menti clariùs oblatæ. Ad quid autem tot effugia? nisi ad obscurandam, si fieri potuisset, interiorem intellectùs et voluntatis lucem in Scripturis emicantem, cujus ideò insignia fuerunt argumenta. Unde D. Hieronymus epistolà ad Ctesiphontem Pelagianos sic compellabat: *Ecclesiæ victoria est vos apertè dicere quod sentitis*.

Quartum. Augustinus, lib. 2 ad Bonifacium cap. 9, n. 21, gratiæ dogma tum adversùs Pelagianos cùm adversùs Semipelagianos sic breviter et solidè expressit: *Multa Deus facit in homine bona quæ non facit homo* (indeliberatos ad pietatem motus) *nulla verò facit homo quæ non facit Deus ut faciat homo*; hinc enim elucescit esse in homine lapso veram, absolutam, et physicam impotentiam ad bonum saltem supernaturale sine gratià sive volendum sive perficiendum, et ideò omnes illius actus sive indeliberatos sive deliberatos salutem spectantes totidem esse Dei dona.

Quintum. Cuncta Scripturæ et Patrum testimonia, quæ bonam voluntatem, bonum pietatis opus hominis tribuunt, supponunt, aut arguunt gratiam prævenientem, et liberam voluntatis gratiæ cooperationem.

Sextum: Omnia Scripturæ aut Patrum oracula quæ in operibus bonis totum Deo tribuunt (quibus abutuntur novatores), unicè significant Deum, qui hominem ad opus bonum movet et dirigit in eo primam et præcipuam habere partem. Sic cùm palatium pulchrè constructum conspicimus, totum illius artificis esse dicere solemus, licet et latomi aliique operarii, ut et dominus qui materiam et impensas subministravit, ad ædis ædificationem activè etiam concurrerint.

Septimum. Ne hic objicias Origenem; judicio enim eruditorum, v. g., Yprensis, lib. 6 de hæresi pelagianà cap. 15, cui Norisius lib. 1 de eàdem hæresi, cap. 1, Huetius lib. 2 Origenariorum cap. 2, et P. Alexander in historià sæculi tertii, consentiunt, Pelagianorum et Semipelagianorum circa gratiam errorem præformavit.

Octavum. Virtus, cujus intuitu Deus aliquando dicitur talenta, sive gratiam, distribuere, virtus est non ex naturà, sed ex gratià, et quidem nonnunquàm *gratis data*, ut Matthæi cap. 25, v. 15.

Nonum. Deus ab homine conversionem exigit, non quòd in ejus sit potestate, sed quòd det, aut dare paratus sit gratiam, quà conversionem postulemus.

Decimum. Cur non omnes ad Evangelii notitiam perveniant potest absolutè afferri ratio, quia scilicet non omnes oblatæ gratiæ obediunt; sed comparatè ratio reddi nequit; cur, v. g., inter eos qui vocanti Deo obluctantur unus potiùs quàm alter Deum reverà sequatur, sicque unus pereat alter non pereat.

Undecimum. Gratia ad actus supernaturales eliciendos homini necessaria est gratia actualis. Eruditus tamen P. Thomassin, in suis de gratià Commentariis, censuit gratiam habitualem ad illos actus sufficere, quia ex sese est activa. Verùm D. Augustinus et theologi vulgò hanc improbant opinionem. « Homo, inquit, S. doctor libro de naturà et gratià, cap. 26, n. 29, etiam perfectissimè justificatus, nisi æternà luce justitiæ adjuvetur, rectè non potest vivere, sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus nisi candore lucis adjutus non potest cernere. »

Ultimum. Philosophia, sive legis naturalis ex viribus liberi arbitrii observatio (si ex solis illius viribus in statu præsenti fieri potest), non est præparatio positiva, quæ sit Deo motivum, causa, regula, vel occasio eum determinans ad conferendam gratiam (nullo enim pacto potest homo se præparare ad gratiam sine gratià); potest tamen dici dispositio negativa, sive removens, ad gratiam, quatenùs scilicet removet prohibentia, sive peccata contra legem naturæ, modò fatearis Deum aliquando gratiam iis impertire qui hanc præparationem non adhibuerunt, et ideò ipsum nullà prorsùs lege aut promissione adstringi ad gratiam hoc modo dispositis infundendam. Sic intelligendi videntur nonnulli antiqui Patres qui dixerunt, « homines per philosophiam fieri Christianos, Deum ad bonas naturæ actiones

attendere, semina virtutum in cordibus hominum respicere, » etc. Cæterùm cùm ex dicendis nulla fieri possit actio omni ex parte bona etiam moraliter sine gratiâ, illæ actiones meritò dicuntur remotè disponere ad justificationem.

ARTICULUS III.

An sine fide et charitate aliquod bonum opus elici possit?

Quanquàm, ut ostendemus, hodierni novatores, fidem et charitatem unam et eamdem quoad speciem esse virtutem obtendunt, tamen majoris claritatis causâ quæremus an sine fide theologicâ aliquod bonum opus morale fieri possit, eamdem quæstionem de charitate subinde in medium adducturi.

§ 1. *Utrum sine fide theologicâ bonum opus morale possit elici?*

Fides theologica ea est quâ Deo christianæ religionis mysteria revelanti creditur.

In opere bono moraliter duo accuratè considera, *officium*, id est objectum et materiam operis et *finem*, hoc est id propter quod fit opus. Officium et finis ad integram actionis moralis bonitatem requiruntur. Rursùs in actione morali duplicem distingue finem, scilicet *finem operis*, id est finem ad quem actio ex naturâ suâ refertur, puta in actu misericordiæ *afflicti sustentationem....et finem operantis*, id est finem quem operans pro libito intendit, honestum vel inhonestum.

Quæritur præcisè utrùm sinè fide theologicâ nulla actio bona esse possit non ratione objecti (omnes enim fatentur inopi, v. g., subvenire *in se* bonum esse) sed ratione finis.

ERRORES. — Michael Baius hoc imbutus errore, *liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio* (quod sit ipsa fides et charitas propriè dicta vel illius inspiratio *nonnisi ad peccandum valere* (quem consignavit propositionibus præsertim 28, 29, 36, 37, 38, 66, etc). Hoc, inquam, obcœcatus principio, asseruit propositione 26, *omnia infidelium*) id est eorum qui fide et charitate theologicâ destituti sunt *opera esse peccata, et philosophorum virtutes esse vitia*.

Jansenius Yprensis magistri principium et consectarium avidè exosculatus est. Hæc nimirùm asserit lib. 3 de Statu naturæ lapsæ, cap 20: *Augustinus tanquàm verissimum docet non posse esse opus bonum* (vult opus non meritorium vitæ æternæ non esse bonum etiam moraliter, quia nullum prorsùs datur bonum opus nisi ex charitate fiat), *nisi ipsa justitia cœlesti charitate diligatur, et ad Deum ipsum veluti ultimum finem referatur, quorum neutrum sine gratiâ et fide perfici potest.*

Ex hâc Yprensis doctrinâ prodiit hæc propositio inter 31 quas damnavit Alexander VIII, die 7 decembris anni 1690, numero octava: *Necesse est infidelem in omni opere peccare.* Nihilominùs tamen Jansenii sectatores inter se omninò non consentiunt circa modum magistri dogma exprimendi. Alii enim docuerunt explicitam in Christum fidem prorsùs esse necessariam ut homo sine propriè dicto peccato agere valeat... Alii distinguentes inter *opus infidelis*, et *infidelem operantem* asseruerunt opus infidelis bonum esse posse ex *officio et fine*, etsi infidelis operando semper peccati reus sit, saltem *omissionis*, quia videlicet actionem non refert in Deum tanquàm finem ultimum ex motivo fidei et charitatis.

Auctor centum et unius propositionum, quas Clemens XI proscripsit anno 1713, cujus definitioni accessit universæ Ecclesiæ suffragium, Baii et Yprensis sententiam quantùm in se fuit renovavit; eorum quippe principium de peccandi necessitate sine gratiâ Salvatoris (quæ sit fides et charitas vera, vel illius inspiratio) consecrat. *Voluntas*, inquit propositione 39, *quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali et incapax ad bonum omne.* Idem ferunt propositiones 38 et 40. Deducit autem propositionibus præsertim 26 et 27, conclusionem ex hoc principio scaturientem, scilicet infidelem in omni opere suo necessariè peccare; in eis docet *nullas dari gratias nisi per fidem, fidem esse primam gratiam, et fontem omnium aliarum*, etc.

OPINIONES CATHOLICORUM. — Nonnulli existimaverunt infideles nullâ prorsùs Dei notitiâ imbutos in actibus suis non semper peccare; secùs infideles aliquâ Dei cognitione illustratos, quia ex malo fine (ut ipsis videtur) semper operantur. Nonnulli alii cum erudito cardinali Norisio in Vindiciis cap. 3, paragrapho 4 censent opera bona, si quæ sunt in infidelibus, cœlestis gratiæ (à fide et charitate theologicâ distinctæ) beneficio esse bona.

CONCLUSIO. — Sine fide theologicâ elici possunt aliquæ actiones tum ex officio cùm ex fine bonæ, sive illæ adscribendæ sint divinæ gratiæ, sive non, et idcircò omnia infidelium opera non sunt peccata.

Probatur assertio variis momentis.

Momentum primum. — *Ex Scripturis.* — Sacri Codices duo inprimis argumenta hîc suppeditant.

Primum effloreseit ex locis, quæ aliquibus infidelium operibus, utpote bonis et honestis, temporalem aliquam mercedem repensam fuisse referunt. Exodi cap. 1, cùm obstetrices ægyptiæ ex affectu misericordiæ contra Pharaonis edictum mares Hebræorum incolumes servâssent, *ipsis benefecit Deus*, v. 20, et *ædificavit eis domos*, id est earum familias liberorum et opum copiâ amplificavit, v. 21. Ezechielis cap. 29, Nabuchodonosor ob bellum adversùs Tyrum, ut jusserat Deus, gestum, Ægyptum in præmium accepit. Matthæi cap. 5, v. 46, Christus supponit ethnicos amicos diligendo ex honesto et naturali motivo temporali mercede dignos esse.

Ex his sic arguimus : Opera temporali mercede cœlitùs donata indubiè bona sunt tum ex objecto cùm ex fine; vera quippe peccata non benevolentiam, sed iram Dei provocant ; at talia exstiterunt opera commemoratorum infidelium. Ergo.

Secundum elucet ex locis, quæ in gentilibus actiones bonas et honestas agnoscunt. Unum propono. Epistolâ ad Rom. cap. 1, Apostolus increpat gentiles quòd *cùm Deum cognovissent non sicut Deum glorificaverunt;* at id supponit eos potuisse Deum *glorificare* et ideò aliquid boni patrare, Deo saltem adjuvante, ut ostendemus articulo 4 sequentis libri; ergo.

Plurimi hîc adducunt Apostolicum textum epist. ad Rom. cap. 2, v. 14 : *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Hoc enim oraculum, inquiunt, gentiles adumbrat fide non imbutos, legem positivam non habentes, qui aliqua opera à lege positivâ præscripta, *naturaliter,* sive naturâ duce egerunt; hanc quippe expositionem suggerunt contextus, et scopus Apostoli, Patres græci, et inter latinos S. Cyprianus lib. 3 ad Quirinum cap. 99, et D. Hieronymus epistolâ ad Algasiam quæstione 8, interpretes, imò Ecclesia catholica quæ damnavit hanc Baii propositionem numero 23 : « Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli Rom. cap. 2 : *Gentes quæ legem non habent*, etc., intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. » Verùm hoc argumentum Baio, Jansenio et auctori 101 propositionum exasperandis magis quàm convincendis idoneum esse videtur; Augustinus enim (et ipso duce SS. Fulgentius et Prosper) adversùs Pelagianos disputans hunc textum passim exponit de gentibus ad fidem conversis ; aliàs, ut censuisse videtur S. doctor, gentiles naturaliter ea quæ totius legis sunt facere possent, quod negant ipsi adversæ sententiæ doctores. Quamobrem, addunt, censura Baii propositionis cadit tum in ejus acrimoniam, cùm in ejus falsitatem : qui enim Apostoli textum intelligunt de gentibus non conversis, non docent, ut Pelagiani, omnia legis naturalis præcepta solis naturæ viribus observari posse, sed quædam duntaxat faciliora. Idem dicendum, inquiunt, de Baii assertione 58 : *Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Hanc enim sententiam defendunt celebris Vasquez et alii insignes theologi, qui contendunt Baii censuram, non ejus assertum, esse proscriptam, ut postea fusè referemus.

Objiciunt 1° exemplum obstetricum nihil, aut nimis probare. Etenim primo Exodi cap. 1, v. 21, dicitur eas *timuisse Deum;* aliquam ergo Dei notitiam habuerunt. 2° Eodem Exodi loco refertur eas mendacio reposuisse hebræas mulieres non indigere ministerio obstetricum ; Deus igitur mercedem rependisset ipsi mendacio. 3° D. Gregorius libro 18 Moralium cap. 2, versùs finem expendens factum illud ait : « Nonnulli de obstetricum fallaciâ conantur asserere hoc mendacii genus non esse peccatum.... quia ædificavit illis Dominus domos ; in quâ magis recompensatione cognoscitur quid mendacii culpa mereatur ; nam benignitatis earum merces, quæ eis in æternâ potuit vitâ retribui, pro admissâ culpâ mendacii in terrenam est recompensationem declinata, ut in vitâ suâ quam mentiendo tueri voluerunt ea quæ fecerunt bona reciperent, et ulteriùs quod expectarent mercedis suæ præmium non haberent. » Hoc S. doctoris testimonium referens D. Thomas 2-2, q. 110, artic. 4 ad 4, dicit « mendacio obstetricum spectato quantùm ad affectum benevolentiæ in Judæos, et reverentiam divini timoris, debitam fuisse remunerationem æternam, et per mendacium illud, etiam quoad actum exteriorem, illas non meruisse amittere remunerationem æternam quam jam ex præcedenti affectu meruerant. »

Ex his evidens fit obstetrices per suum misericordiæ actum non solùm veri Dei timore perculsas fuisse, sed etiam æternam vitam promeritas esse, et ideò nec infideles fuisse, nec actum moraliter duntaxat bonum elicuisse; ergo.

Resp. : Nego ant. Unde dico ad primum, Dei notitiam, quam habuerunt obstetrices, ipsis Dei amorem propter se non instillâsse, ut exigunt adversarii, sed solùm quemdam exploratæ Dei Hebræorum potentiæ timorem, quo ad Israelitis benefaciendum impulsæ sunt. Dico ad secundum cum D. Augustino lib. contra mendacium cap. 15, n. 32, in obstetricibus *non fuisse remuneratam fallaciam, sed benevolentiam, benignitatem mentis, non iniquitatem mentientis;* unde, ut observat Jansenius in vigesimum versum capitis primi Exodi, remuneratio Dei non respexit actum mendacii obstetricum, sed ipsarum misericordiæ actum in parvulos. Dico ad tertium, genuinum SS. Gregorii et Thomæ sensum ex eorum scopo innotescere. Ille intendit adversùs *nonnullos* mendacium obstetricum esse verum *peccatum;* hoc autem probat ex eo quòd actus misericordiæ, quem obstetrices in Hebræorum pueros exercuerunt, si non fuisset conjunctus cum mendacio, *potuisset eis mercedem in æternâ vitâ* mereri, sed cùm per mendacium illud fuerit quasi deturpatus, illi mercedem duntaxat temporalem rependit Deus... Iste vult probare mendacium obstetricum non fuisse peccatum mortale, quia *per illud non meruerunt amittere remunerationem æternam quam jam ex præcedenti affectu meruerant,* aut potiùs mereri potuerant (Gregorius enim, quem ibi citat S. doctor, non dicit obstetrices actu promeritas esse remunerationem æternam, sed tantùm illam mereri *potuisse*); porrò uterque loquitur de merito, non *de condigno* sive ex justitiâ, quod supponit fidem et charitatem saltem habitualem, sive gratiam sanctificantem, sed de merito de *congruo,* sive ex misericordiâ, fundato in cœlesti auxilio sive gratiâ, cujus virtute obstetrices illum misericordiæ affectum conceperunt et ediderunt; actus scilicet ab ipsis infidelibus ex gratiâ eliciti remotè disponunt ad æternam vitam, ut postea ostendemus.

Objiciunt 2°. Epistolâ ad Romanos. cap. 14, ait Apostolus : *Quod non est ex fide peccatum est,* at infidelium opera nunquàm sunt ex fide ; ergo. — Resp. : Conc. majorem ; distinguo minorem : Nunquàm sunt ex fide theologicâ, conc. Ex fide practicâ sive conscientiâ, neg. minorem et conseq. Apostolum ibi disserere de solâ conscientiâ evincere videtur 1° finis Apostoli hìc eos increpantis qui vescebantur cibis quos vetitos esse existimabant ;... 2° auctoritas plurium Patrum græcorum et latinorum apud interpretes, et speciatim Estium;... 3° auctoritas totius Ecclesiæ in magno concilio Lateranensi quarto, anno 1215, cap. 41, ubi hoc textu probat sine bonâ fide non valere præscriptionem tam canonicam quàm civilem.

Scio quidem sanctos Augustinum, Fulgentium, Prosperum, et alios, quos adducit doctissimus Norisius in Vindiciis cap. 4, paragrapho 5, hoc oraculum de fide theologicâ intelligere videri ; quod si verum esset, eorumne, quæso, auctoritas præhaberi, aut etiam adæquari posset concilio Lateranensi œcumenico? cùm inprimis Augustinus contra Manichæos disputando tanti fecerit Ecclesiæ catholicæ auctoritatem, ut eâ seclusâ sese *ipsi Evangelio non esse crediturum* asserere non dubitaverit. Verùm absit ut tam eximios doctores adversariis concedamus ; cur enim non stant expositioni D. Thomæ circa mentem D. Augustini (quam non improbat eruditus ipse Norisius ut mox ostensuri sumus)? Etenim S. doctor 2-2, q. 10, artic. 4 ad 1, et præsertim quæstione 23, artic. 7, ad 1, ex divo Augustino docet id quod non est ex fide *contrariè,* id est quod fit contra charitatem, sive ex animo infidelitatis esse peccatum ; secùs quod non est ex fide *privativè,* id est ex solâ fidei absentiâ, cùm infidelis aliquando non ex infidelitate, sed ex honesto motivo agere possit.

Objiciunt 3° : Epistolâ ad Titum cap. 1 legitur : *Infidelibus nihil est mundum :* et Epistolâ ad Hebræos cap. undecimo : *Sine fide impossibile est placere Deo ;* ergo.—Resp. : Ad primum, cum Augustino, lib. 31 contra Faustum, cap. 4, loqui Apostolum de infidelibus *carnaliter sapientibus,* et contra conscientiam agentibus, et ideò infideliter, et non secundùm rationis et conscientiæ dictamen viventibus. — Resp. ad secundum, ibi, ut evincit contextus, sermonem esse de fide supernaturali, sive theologicâ, cujus expers opera supernaturalia vitæ æternæ meritoria elicere nequit, non opera moraliter bona, temporali mercede digna, quam aliquando infidelibus, ut diximus, concessit Deus.

Momentum secundum. — *Ex Patribus.* — D. Augustinum potissimùm adducam, quem solum cum SS. Prospero et Fulgentio objicere solet Jansenius.

1° Docet infideles aliqua bona operari ex gratiæ dono. Libro de gratiâ Christi cap. 24, n. 25 ait, « Deum immutâsse cor Assueri quia mirabili et ineffabili potestate operatur in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. » Norisius Vindic. cap. 4, paragrapho 5, agnoscit Augustinum ibi censuisse infideles *aliquos actus bonos elicere ad*

quos à Deo præmoventur, qui profectò peccata esse non possunt; idque contra Jansenium lib. 4 de Statu naturæ lapsæ, cap. 6. Epistolâ 144, aliàs 130, n. 2, de Polemone pagano, quem ex ebrioso temperantem fecerat Xenocrates hæc habet: *Hoc non humano operi tribuerim, sed divino.* Unde ipse Norisius Vindiciarum cap. 3, paragrapho 4, dicit illam continentiam non solùm bonam fuisse *in se*, sed etiam *opus bonum;* idque iterùm adversùs Yprensem lib. 4 de Statu naturæ lapsæ, cap. 5. Libro ipso 4 contra Julianum, cap. 3, n. 16, dicit: « Quantò tolerabiliùs illas, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potiùs quàm eorum tribueres tantummodò voluntati (modò scilicet confiteretur illas etiam ex fine bonas esse)? » Libro de patientiâ cap. 26, n. 27, quærit, an schismatici vel hæretici mortem pro Christo obeuntis actio esset laudanda et an, à gratiâ an à solo libero arbitrio prodiret? Cui quæstioni reponit 1°, *illam esse laudandam...* 2°, hæreticum ob illam *in alterâ vitâ fortassè mitiùs esse puniendum...* 3°, per illam timore æterni supplicii superari pœnam temporalem... 4°, rationem illam esse Dei donum, non hæredum, sed exhæredatorum proprium.

Quid ad ista Jansenius lib. 4 de Statu naturæ lapsæ, cap. 5, 6, etc.? Hæc, etsi ratione *finis* mala, tamen ratione *officii* esse bona, et sub hoc respectu ab Augustino dici *Dei dona*, ut ipse testatur lib. 4 contra Julianum, cap. 3, n. 22.

Verùm apertè fallitur Yprensis; ibi enim dicit quidem S. doctor, *posse aliqua bona fieri non benè facientibus à quibus fiunt,* id est impios, v. g., eleemosynam malè erogare posse; sed non dicit eorum actiones in hoc casu *esse Dei dona*, cùm defectu finis, ex quo potissimùm æstimatur actionis moralis honestas et rectitudo, vitiosæ sint.

Igitur ex his sic arguimus: Qui aliquas infidelium actiones simpliciter bonas ac Dei donum esse asserit, ille agnoscit in infidelibus opera bona non ex parte tantùm objecti, sed etiam ex parte finis; sed hæc docet D. Augustinus; ergo, etc.

2° Tradit esse in infidelibus nonnulla opera laudanda, et remuneratione etiam ex parte Dei digna. Etenim libro de spiritu et litterâ, cap. 27, n. 48, ait: « Quorum etiam impiorum nec Deum verum veraciter justèque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus, quanquàm si discutiantur quo fine fiant vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur. » Rationem affert initio capitis 28, his verbis: « Quia non usque adeò in animâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit in ipsâ impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere (etsi hæc, ut ibidem observat, defectu scilicet fidei in Christum, ad salutem æternam (proximè saltem) nihil ipsis prosint. » Libro contra mendacium cap. 15, docet, ut diximus, obstetricibus Hebræis, et Rahab meretrici Deum benefecisse ob humanitatis affectum erga Israelitas; ergo.

Ex his sic rursùs argumentamur: Augustinus primo loco disserit de operibus infidelium bonis non ex parte objecti tantùm, sed etiam ex parte finis; dicit enim, *si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur,* etc.; ergo censet aliqua, licet rarissima infidelium, opera etiam ex parte finis esse bona. Item ibidem dicit opera illa esse laudabilia: at opus ex fine pravum, licet ex objecto bonum, non laudandum, sed damnandum est. Tandem adversariorum principium ibidem evertit dicendo liberum arbitrium non omninò in homine lapso extinctum esse; inde enim sequitur illud saltem cum gratiâ posse non peccare. Hinc isto testimonio adeò pressus fuit Jansenius ut lib. 4 de Statu naturæ lapsæ, cap. 6, reposuerit Augustinum hìc ex Pelagianorum mente loqui, aut potiùs particulam *vix* hìc significare *non...* Item S. doctor secundo loco disserit de bonis infidelium actibus à Deo remuneratis; sed Deus non potest remunerare actiones ex objecto bonas, ex fine vero pravas, cùm illa opera vera sint peccata.

3° Augustinus, ut mox ostendemus, sermone 349 admittit *charitatem humanam, propriam Paganorum, Judæorum, hæreticorum,* etc., quam asserit non solùm *licitam esse,* sed etiam *præceptam.* Eamdem agnoscit Gregorius Magnus homiliâ 27 in Evangelia versùs exordium.

Magistro sanè dextras dederunt SS. Fulgentius, Prosper, et Thomas. Hic 2-2, q. 10, artic. 4, in c., ait: « Manifestum est quòd infideles non possunt operari bona opera quæ sunt ex gratiâ, scilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ (quod in eis remanere paulò antè dixerat) aliqualiter operari possunt; unde non oportet quòd in omni opere suo peccent. »

Jansenius libro inprimis quarto de statu na-

turæ lapsæ Augustini mentem circa infidelium virtutes et opera scrutatur, quâ, ut putat, inventâ et reseratâ, exclamat in titulo capitis 17: « Nugæ, delirium, insania, error, impietas contraria Christianorum sensui, Scripturis, et fidei, quòd infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato juxta Augustinum, et concilium Arausicanum. » In quibus etiam in styli furore Calvinum imitari voluisse videtur.

Immensæ foret operæ Augustini testimonia hîc sigillatim referre et exponere. Ea idcircò ad quasdam objectionum species ex eis enascentes restringemus generatim duntaxat indicando præcipua opera in quibus reperiuntur.

Objiciunt 1° testimonia enuntiantia *liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valere, si lateat veritatis via,* lib. de spiritu et litterâ cap. 3. n. 5. Idem alibi passim inculcat. Unde concilium Arausicanum secundum can. 22, hoc adversùs Pelagianos et Semipelagianos sancivit: *Nemo de suo habet nisi mendacium et peccatum.* — Resp. hæc et similia, unicè probare posse, ut postea longâ dissertatione ostendemus, infidelium opera sine gratiæ (à fide et charitate propriè dictâ distinctæ) adjutorio bona esse non posse; quod adversùs nostram assertionem non militat.

Verùm, inquiunt, Augustinus lib. 1 Retractationum cap. 15, n. 4, ait: *Voluntas* (sine gratiâ sive charitate) *tota est vitiosa cupiditas;* quidquid ergo etiam in ordine naturali sine gratiâ vult homo est peccatum. At id, ut modò diximus, non impugnat nostram assertionem, quæ absolutè non enuntiat hominem sine gratiâ catholico sensu acceptâ aliquid boni facere posse. Deinde voluntas, de quâ hîc disserit S. doctor, non est actus, sed ipsa voluntatis potentia, ex quâ peccatum oriri ostendit S. Augustinus, non autem ex concreato principio, sive malitiâ nobis à malo Deo inditâ, ut oggannicbant Manichæi quos ibi refellit. Porrò peccatum oritur ex voluntate quia per Adam ipsi inditus est habitus vitiosæ cupiditatis, cui per gratiam obsistit.

Atquid indè? Voluntatem nihil omninò boni, etiam moraliter, sine charitatis habitu, aut sine gratiâ Baii et Jansenii sensu acceptâ, agere posse? Minimè; in voluntate enim charitate destitutâ cum habitu cupiditatis viget inclinatio naturalis versùs bonum; quæ non est habitus pravus, sed ipsa natura inclinata in bonum, ex quâ gratiâ saltem adjuta potest aliquod opus prodire, quod non sit peccatum.

Ad istam testimoniorum, quæ objiciunt adversarii, classem, sequentia possunt revocari: « Ante fidem nihil boni, nihil virtutis esse potest, sine fide, etiam Christi, quod videtur esse virtus peccatum est, omnis virtus in vitio est, etc. »

Hæc enim reperiuntur apud Augustinum libro de gestis Pelagii cap. 14, n. 34 et alibi passim, et ideò apud ejus discipulos Prosperum, Fulgentium, etc., apud Hieronymum in caput 3 Epistolæ ad Galatas, apud Gregorium Magnum libro 2 super Ezechielem, homiliâ 19, versùs medium, ubi ait *per fidem pertingi ad virtutes* quod probat Cornelii exemplo, etc.

Hæc autem, si de fide theologicâ, ut videtur, intelligenda sunt, de peccato et vitio latè sumpto exponi possunt; quod scilicet non habet omnem perfectionem quam habere posset (qualia sunt bona infidelium opera quæ sterilia sunt, et ad fidem et justificationem remotè etiam, nisi quando cum gratiâ facta sunt, non disponunt, sed digna tantùm sunt mercede temporali, vel minori pœnâ in inferno); quod, inquam, non habet omnem perfectionem quam posset habere, dici potest et reipsâ à Patribus interdùm dicitur lato modo *peccatum et vitium.* Etverò D. Augustinus ipso capite 3 libri quarti contra Julianum postquàm dixit *nullas esse in infidelibus virtutes, nulla opera bona,* hanc affert rationem: « Si ad consequendam veram beatitudinem, quam fides promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo possunt esse virtutes. » Adde ex aliorum Patrum verbis, inprimis ex contextu D. Gregorii loco adducto, elucescere eos disserere de spe, charitate, aliisque Spiritùs S. donis ad quæ per *fidem pertingitur.*

Quod attinet ad testimonia charitatem *ad benè agendum* exigentia ea in sequenti quæstione exponemus.

Objiciunt 2° testimonia, quibus Augustinus ex professo disputans contra Pelagianos, et speciatim contra Julianum, de infidelium virtutibus asserit eas esse *vera vitia,* et eorum opera, utpote sine fide et rectâ intentione facta, vera peccata. Ita inprimis lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, capitibus tertio et quarto, et lib. 4 contra Julianum cap. 3, n. 14, ubi resumit et confirmat quod lib. 1 de Nuptiis, etc., cap. 3, et 4, dixerat de pudicitiâ conjugali infidelium, et à Juliano fuerat reprehensum. Unde de Augustini mente circa infidelium opera omninò judicandum est per prolixum caput tertium libri quarti adversùs Julianum.

Resp. Augustinum hæc cap. 3 libri quarti

adversùs Julianum tradere : Numero 14 docet in infidelibus veram non esse pudicitiam conjugalem ut placebat Juliano, qui virtutes officiis non finibus distinguebat numero 21, quia *eorum animus fornicatur à Deo,* id est ex fideli fine actui conjugali operam impendit. Numero 15 ostendit gratiæ necessitatem etiam ad salutis operis inchoationem. Numero 16 Julianus objicit eximias infidelium virtutes, quibus simpliciter boni et justi essent, sicque, ut saltem inferebat Augustinus, ad regnum cœlorum pervenire possent, quod systema refellit numero 17 et sequentibus dicendo *neminem sine fide justum esse posse quia justus ex fide vivit,* Epistolà ad Romanos cap. 1..... Bonas infidelium actiones, utpote ex perversà intentione factas, ad bonorum auctorem Deum non tetendisse, sicque *vera fuisse peccata...... Infidelium virtutes naturam beatificare non potuisse,* etc. Numero trigesimo Juliano quærenti, *si gentilis nudum operuerit, numquid quia non ex fide peccatum est?* reponit *peccatum esse,* non ratione officii, sive objecti, quod bonum est, sed ratione finis perversi omnem ad Deum relationem excludentis. Numero 33 refert Julianum tandem concessisse bona infidelium opera esse sterilia, sive ad æternam salutem nihil proficere, et tamen semper censuisse infideles illis operibus absolutè bonos et justos esse, cujus systematis contradictionem reserat dicendo, omne bonum opus (in Juliani sensu, sive quo quis absolutè bonus et justus est), non posse esse sterile, et ideò infidelium opera, si sterilia fuerunt, ad salutem non fuisse bona. Eodem numero 33 in fine concludit, *amore Dei,* (supernaturali) *opus esse ut bonum sit beatificum et pudicitia conjugalis,* quibus significat se Juliani doctrinam de infidelium virtutibus et bonis operibus eâ præcipuè saltem ex causâ impugnâsse quòd eos illis bonis ad æternam vitam pervenire posse contenderet.

Igitur D. Augustini dicta de infidelium operibus tum cap. 3 lib. 4 contra Julianum, cùm alibi triplici sensu videntur intelligenda. 1° De opere infidelis, quatenùs est infidelis, id est quatenùs operatur ex principiis infidelitatis, superbiâ, vanâ gloriâ, inhonesto fine, etc., ut passim docet citato cap. tertio... 2° De opere infidelis absolutè bono et ad æternam salutem conducente, ut sæpè tradit eodem capite, v. g. n. 33. 3° De opere bono infidelis maximè raro et perpauco in comparatione malorum operum; quo sensu dicere potuit nullas esse in infidelibus virtutes (*cùm virtus sit habitus rationi consentaneus*, numero 19 citati capitis tertii, et habitus frequenti actuum repetitione comparetur), nulla in iisdem infidelibus esse bona opera, non absolute (siquidem lib. de spiritu et litterà, cap. 27, nonnulla agnoscit), sed relative ad mala, quomodò Genesis cap. 6 dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam,* et Psalmo 13 *omnes declinaverunt*, *etc.* Neque dicas Augustinum numero 33 libri 4 contra Julianum, et alibi passim docere, *bonum opus intentione fieri, intentionem verò fide per dilectionem operante* (quæ non potest esse in infidelibus) *dirigi*; intendit enim eò loci opus sine fide et intentione supernaturali factum ad salutem esse inutile, licet si moraliter, sive ex officio et fine bonum. Unde D. Thomas hoc Augustini dictum expendens 2-2, q. 10, a. 4 ad 2, ait : « Fides dirigit intentionem respectu ultimi finis supernaturalis, sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis. »

Objiciunt 3° testimonia quibus Augustinus asseruit virtutes in infidelibus, si quæ sint, *esse Dei dona*, quæ infideles ad suum auctorem non referendo, hoc ipso fiunt injusti, lib 4 contra Julianum cap. 3, etc. ergo. Resp. morales ipsorum infidelium virtutes esse Dei dona; eas enim exercere aut acquirere non possunt contra passionum et tentationum violentiam sine Dei gratiâ. Illæ etiam virtutes vitia evadunt et homines injustos efficiunt cùm ad Deum nec *explicitè*, nec *implicitè* referuntur; tunc scilicet positivè et reapsè finem ultimum excludunt; non ita cùm exercentur ex ipso præcisè motivo moralis honestatis; in hâc quippe hypothesi aut ab agente implicitè referuntur ad Deum, aut ex seipsis sese ad Deum referunt. His nova accedet lux ex dicendis in prolixâ dissertatione super modo eliciendi actionem moraliter bonam.

Sed excipiunt adversarii, quibus favere videtur Norisius in Vindiciis cap. 3. paragrapho 4, actio quæ refertur ad intrinsecum virtutis finem, sive virtus quæ ob suî tantùm honestatem appetitur, hoc ipso vitium fit; id enim evidenter asserit D. Augustinus lib. 4 contra Julianum cap. 3, et iterùm lib. 19 de Civitate Dei cap. 25, ubi ait : « Licet à quibusdam tunc veræ et honestæ putentur esse virtutes cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc superbæ et inflatæ sunt, et ideò non virtutes, sed vitia judicandæ sunt; » ergo. — Resp. Augustinum hos actus vitia reputare, quia, ut faciebant, et contendebant

Stoici quos hic et alibi, inprimis sermone 156, aliàs 13 de verbis Apostoli, cap. 7, n. 7, refellit. illi actus ad virtutis bonum, ut ad finem ultimum referebantur, et ideò qui eos eliciebant inani gloriâ intumescebant, non ut ad finem *ordinabilem* ad finem ultimum, quâ in hypothesi liquet creatum bonum increato præhaberi. Id elucescit ex ipsis citatis verbis, *nec propter aliud expetuntur, superbæ et inflatæ sunt, etc.*, et ex citato sermone 156 de verbis Apostoli, ubi S. doctor Stoicorum dogma sic refert: *Extiterunt alii superbi* (Epicureos priùs depinxerat) *quasi à carne se removentes et totam spem beatitudinis suæ in animâ suâ constituentes, posuerunt summum bonum in virtute suâ;* deinde observat Apostolum Actuum cap. 17 utrosque confutavisse. Neque omninò repugnat doctissimus Norisius commemorato loco; relato enim Augustini ex Dei Civitate testimonio supra adducto ait: « Itaque cùm virtus etiam ob suî tantùm honestatem appetitur, facit ut illam prosequens, atque assequens sibi complaceat in suo opere, ac philautiæ vitio laboret..... Augustini pronuntiatum, nempè virtutem, cùm ob suî honestatem appetitur, esse superbam, ac philautiâ vitiari probatur fusè ab eodem S. doctore sermone 13 de verbis Apostoli exemplo Stoicorum, qui sectabantur virtutem propter seipsam, et tamen eorum virtutes superbiæ ancillabantur, » etc.

Objiciunt 4° D. Augustini discipulos SS. Prosperum, epistolâ ad Rufinum, et in Carmine de ingratis cap. 16, Fulgentium, et alios plures apud Norisium Vindic. cap 3, paragrapho 4, et cap. 4, paragrapho 5, asserere fidem *esse fontem bonorum operum, et nulla post Adæ peccatum in animâ humanâ remansisse virtutum semina, etc.*; ergo. — Resp. SS. Prosperum et Fulgentium Semipelagianos refellere qui contendebant bona naturæ opera fidem precædentia *fidem promereri*, et esse *semina virtutum*, ut loquebatur Cassianus, quem S.Prosper refellit in libro contra Collatorem, *quibus homo præparatur ad gratiam.* Unde uterque intendit fidem theologicam esse fontem operum salutis æternæ meritoriorum, et ideò omnia opera ante eam elicita esse peccata vel impropriè tantùm, quia non sunt verè meritoria, aut propriè, quia ex perverso fine fiunt. Porrò remoto hæretico Cassiani sensu verum est in animâ post Adæ peccatum remansisse *semina virtutum*, si his vocibus intelligatur lumen intellectûs practici, et inclinatio voluntatis ad bonum appetendum et vitandum malum. Quod attinet ad Patres qui apud Norisium locis indicatis dicere videntur *omne quod non est ex fide* (theologicâ) *esse peccatum*, germanum eorum sensum exposuimus, et infra cum ipso Norisio fusiùs exponemus.

Momentum tertium. — *Ex rationibus theologicis.* — Prima exurgit ex principiis SS. Augustini et Thomæ asserentium per Adæ peccatum naturam humanam *totaliter* non fuisse corruptam, quod in fidei tesseram erexit concilium Trid. sessione 6 de justificatione, cap. 1, ubi ait Adæ delicto *liberum arbitrium minimè extinctum esse, viribus licet attenuatum, et inclinatum;* sed inde elucet superesse hominis lapsi voluntati vim quamdam, etsi exiguam, ad bonum sibi congruum, sive naturalis ordinis, saltem cum aliquâ gratiâ, amandum, et idcircò infideles posse ejusmodi bona opera aliquandò elicere.

Secunda erumpit ex absurdis adversæ sententiæ. Scilicet in hoc systemate 1°, infideles nunquàm sese præparare possent ad fidem recipiendam; fides enim in eo systemate est *prima gratia*, et cuncta opera fidei prævia sunt vera peccata... 2° Quoties iidem infideles adimplere vellent legem naturalem, de eleemosynâ, v. g., erogandâ, de colendis parentibus, etc., vellent nollent, peccarent; si enim non adimplerent, peccarent; si è conservo adimplerent, etiam peccarent, tum quia actionem ad ultimum finem non referrent, cùm quia gratiâ fidei et charitatis destituerentur, etc.

Tertia enascitur ex palmari principio quo adversarii prætendunt nullum dari medium inter vitiosam cupiditatem et veram charitatem; hoc autem systema mox confutabimus.

Quarta sic se habet: Si quid impediret quominùs infideles quædam opera omni ex parte bona producere possent, maximè eorum infidelitas, aut defectus illorum operum relationis ad Deum; falsum consequens. Major patet ex ipso adversariorum systemate; clamant enim opera infidelium, quæ sunt ex objecto bona, necessariè esse peccata quia producuntur ab hominibus destitutis charitate quæ per dilectionem operatur et Deo propter se inhæret. Igitur probatur minor.

1° Infidelitas necessariè non coinquinat gentilium opera ex parte objecti bona; gentiles enim necessariè non agunt ex habitu cupiditatis sicut justus necessariè non agit ex habitu charitatis; possunt videlicet opera ex objecto bona producere aut propter intrinsecam illorum operum honestatem, vel ex innato beatitudinis in genere desiderio, vel ad Deo ut na-

turæ auctori obediendum, quæ motiva prava non sunt.

2° Defectus explicitæ relationis ad Deum non coinquinat opera infidelium ratione objecti bona. Etenim præceptum de referendis actionibus ad Deum est affirmativum, et ideo *pro semper* non obligat, sed certis tantùm momentis. Aliunde infideles, qui etiam Deum ignorant ut Deum, sive ut Ens supremum per quod omnia facta sunt, opera ex objecto bona faciendo propter intrinsecam eorum honestatem, æquitatem, etc., ea consequenter faciunt propter Deum, à quo illa honestas et æquitas necessariè emanat; honestas nimirùm illa et æquitas per se dirigitur in Deum; quinimò illi infideles possunt etiam illam in Deum explicitè referre; Deus quippe ut justitia, veritas, sapientia, lex, etc., ab illis penitùs ignorari nequit. Hæc mox confirmabimus dictis et argumentationibus ipsius domini Nicole, ubi expendemus an sine gratiâ actuali aliquod bonum opus morale fieri possit.

Objiciunt 1°, ex D. Thomâ 1-2, q. 1, a, 6 ad 3: « Virtus primæ intentionis, quæ est respectu « ultimi finis, manet in quolibet appetitu cu« juscumque rei, etiamsi de ultimo fine actu « non cogitetur, sicut non oportet quòd qui « vadit per viam in quolibet passu cogitet de « fine; » at prima intentio infidelis est in idolum, sive in creaturam tanquàm finem ultimum; ergo illa intentio semper remanet in infideli liberè agente, saltem virtualiter; ergo ille infidelis semper refert opera sua ad creaturam, et ideò semper et necessariè peccat. — Resp. 1° quosdam infideles, v. g., Ciceronem, Horatium, etc., aliquam veri Dei habuisse notitiam, et idcircò actiones suas ad idola, quæ contemnebant, non retulisse. Resp. 2° nullum esse infidelem, cui prorsùs ignotus sit Deus, quatenùs est justitia, æquitas, sapientia, lex, etc., ut posteà dicemus cum domino Nicole, et ideò infidelem sua opera ad creaturam necessariè non dirigere. Resp. 3°: Dist. minorem: Prima intentio infidelis est in idolum tanquàm finem ultimum particularem, conc. Tanquàm finem ultimum generalem, nego minorem et conseq. Et similiter dist. conseq.: illa intentio semper remanet virtualiter in infideli liberè agente respectu finis ultimi generalis, conc.; particularis, neg. conseq. Finis ultimus generalis est bonum perfectum et beatificum quod quilibet homo necessariè appetit; particularis res specialis, in quâ bonum perfectum et beatificum constituitur. Avarus, v. g., finem ultimum suum generalem, velit nolit, in bono perfecto collocat, finem verò particularem in possessione divitiarum, quam vult esse summum bonum beatificum. Porrò, quandò aliquis opus eligit ex objecto bonum, nisi positivè velit opus istud ad finem ultimum particularem vitiosum referre, actio illa non refertur ad istum finem particularem, sed tantùm ad generalem, siquidem actio illa propter intrinsecam objecti honestatem non est ad finem ultimum particularem pravum *referibilis*, benè verò ad generalem. Unde, cùm præfatus avarus pauperi subvenit, nisi malum finem aliunde intendat, ejus actio non refertur ad avaritiæ affectum, sed ad primam intentionem boni perfecti et beatifici, ad quod de se tendit omne bonum et honestum. Unde D. Thomas videtur loqui de primâ intentione respectu ultimi finis generalis, non particularis, aliàs quilibet avarus, v. g., etiamsi esset fidelis, in omnibus actionibus suis necessariè peccaret, quod certè et rationi et fidei adversum est. Etverò, sicut justi, qui suas actiones ad Deum retulit, omnia opera in Deum virtualiter non tendunt, nisi ex objecto bona sint, ita infidelis, qui suas actiones in idolum retulit, omnia opera in idolum non diriguntur nisi ex objecto mala fuerint.

Objiciunt 2° nonnulli Yprensis sectatores. Quælibet actio infidelis non est peccatum, quia recta et honesta esse potest tum ex officio cùm ex fine proximo; sed nihilominùs quilibet infidelis in omnibus actibus suis liberis peccatum committit saltem omissionis, opus suum ad Deum ut oportet non referendo; ergo. Resp. Nego ant. quoad secundam partem. Etenim actio libera infidelis, et infidelis liberè agens unum et idem sonant, si ergo unum non est semper peccatum nec alterum, et vice versâ. Etverò hîc non diffitentur adversarii ordinationem saltem explicitam ad finem ultimum non esse de intrinsecâ bonitate actionis infidelis; ergo et fateri debent infidelem non teneri ad eam cum istâ ordinatione eliciendam, siquidem præcisè adstringitur ad actionem cum debitis dotibus producendam.

Monitum. — Ubi objectiones ex Scripturis diluimus, Apostoli oracula de omnibus operibus in Dei gloriam referendis, epist. 1 ad Corinthios cap. 10, v. 31, cap. 16, v. 14, Epist. ad Colossenses cap. 3, v. 17, etc.; his ex causis non retulimus.

1° Scotistæ, à quibus multùm alieni non sunt Gamachæus in 1-2, q. 18, cap. 4, Corne-

lius à Lapide, Bellarminus lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 10, etc., commemorata testimonia de consilio, non de præcepto intelligunt.

2° Estius, cui assentit Sylvius, etc., eosdem textus ad solos Christianos pertinere censet.

3° D. Thomas apud Estium in caput decimum prioris ad Corinthios, intelligit quidem, et non immeritò fortassis, illos textus de *præcepto*. Verùm S. doctor observat illud præceptum esse 1° negativum, sicque *semper et pro semper* obligare, id est quemlibet teneri nihil unquàm agere quod gloriæ et amori Dei adversetur, et ideò ea semper facere quæ ex se in Dei gloriam referri possint, quod idem sonat, ac actiones in Deum referri *implicitè et mediatè*.... 2° esse affirmativum, sicque non *semper et pro semper* obligare, sed iis duntaxat momentis quibus urget præceptum diligendi Deum, et ideò non peccare qui extra illa momenta actiones suas ad Deum explicitè aut virtualiter non refert, ex motivo inprimis charitatis. Porrò infideles, etiam veri Dei notitiâ non imbuti, id agendo quod ex officio et fine proximo bonum est sine ullâ prorsùs intentione pravâ, nihil agunt quod amori Dei contrarium sit, quinimò id agunt quod tendit ad Dei gloriam, cùm talis actus ex se ad Deum ut totius naturæ et boni auctorem referatur. Unde tantùm abest ut illud præceptum violent, quinimò illud adimplent.

4° Adversarii obtendunt iis textibus absolutam incumbere necessitatem sub pœnâ peccati saltem omissionis omnes et singulos actus suos deliberatos ad Deum referendi ex motivo propriè dictæ charitatis ; quod systema mox refellemus, et tanquàm falsum et erroneum explodunt insignes etiam Thomistæ, v. g., Dominicus Soto lib. 1 de naturâ et gratiâ cap. 21, Gonetus disputatione primâ de necessitate gratiæ, art. 3, paragrapho primo, ubi ait : « Falsum pariter et erroneum est nullum opus bonum fieri posse sine charitate, hoc est nisi in Deum propter se dilectum referatur, et sine tali relatione et charitatis imperio actus cæterarum virtutum esse malos, et veri peccati contaminatione pollutos ; » hoc ipsum est Yprensis et ejus sectatorum systema.

Principia solutionum. — Primum. Hic præcisè asserimus verè non peccare infideles qui opus ex objecto bonum faciunt ob illius honestatem tanquàm finem proximum, non ultimum, nullo aliunde perverso fine, aut circumstantiâ ad id inducti. Hinc ad rem non sunt Scripturæ aut Patrum testimonia quæ assertionem sic spectatam non impugnant.

Secundum. Hic præcisè asserimus aliqua esse infidelium opera bona moraliter, et ideò non solùm ratione objecti, sed etiam ratione finis, sive solis naturæ viribus fiant, sive non. Hinc ad rem non sunt testimonia, quæ ea opera inter Dei dona numerant.

Tertium. Opus non factum ex fide *contrariè*, id est factum modo fidei et amori Dei adverso, verum est peccatum ; secùs non factum ex fide *negativè*, id est factum ex solo defectu fidei, cùm fide destitutus possit rem ex officio bonam ex illius honestate ad finem ultimum ex se *referibili* facere.

Quartum. Adversarii censent fieri etiam non posse ut infidelium opera vera non sint peccata, cùm impossibile sit ut infidelis, quatenùs infidelis, fide et charitate præditus sit. Ipsis igitur probandum incumbit Scripturam et Patres id docuisse.

Quintum. Cùm bona infidelium opera, utpote sine fide et charitate facta, æternæ vitæ non sint meritoria, carent perfectione quæ sibi in ratione præcisè operum inesse posset, et hoc sensu dici possunt, et reipsà nonnunquàm à Patribus nuncupantur *mala et vitiosa.*

Sextum. Actio moralis ex officio bona, ex fine mala, verum est peccatum (*bonum enim ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu*), cui ideò Deus mercedem nequidem temporalem reddere potest ; at Scriptura, Augustinus, et alii Patres asserunt nonnullis infidelium operibus in hâc vitâ præmium temporale à Deo fuisse repensum, et in alterâ minus supplicium.

Septimum. In hoc præcipuè Pelagiani relativè ad infidelium actiones erraverunt quòd contenderent eos posse sine gratiâ universam implere legem, tentationes superare, et veram adipisci justitiam. Hinc immeritò Jansenius lib. 4 de hæresi pelagianâ cap. 8, erroris pelagiani tacitè insimulat Bellarminum, et alios quibus videtur pauca quædam opera facillima moraliter bona solis naturæ viribus ab infidelibus elici posse, idque confirmant ex capite 2 Epistolæ ad Romanos, quanquàm hæc opinio fortassis vera non sit.

Octavum. Ad moralem actuum infidelium bonitatem, sufficit ut non sint contra gloriam Dei per oppositionem mali finis, et in gloriam Dei implicitè tantùm tendant. Omnes enim actiones deliberatæ in materiâ virtutum moralium elicitæ propter propriam et objectivam ipsarum honestatem, sunt bonæ, quamvis non

dirigantur explicitè in gloriam Dei, neque imperentur ab ullo actu charitatis propriè dictæ, nec procedant ex aliquo ejus influxu actuali aut virtuali.

Nonum. Ad solvendas ex Augustino objectiones in libris præsertim adversùs Julianum ad ista attende. 1° Infideles agentes ut infideles, id est adversùs rectæ rationis dictamen; semper peccant.... 2° Infideles, etiam sapientiores, sæpiùs superbiâ intumescebant, sicque sæpiùs malè operabantur. Unde apud infideles rara admodùm fuerunt opera ex recto fine facta; quo sensu ex maximâ parte omnia eorum opera fuerunt peccata.... 3° Infideles suis virtutibus non fuerunt *simpliciter boni* Juliani sensu, qui eos his virtutibus justificari garriebat.... 4° Apud infideles nec vera virtus fuit nec bona voluntas, non philosophica, sive simpliciter moralis, sed conjuncta cum charitate, aut fide.... 5° Liberum arbitrium nihil quidquam valet Pelagianorum sensu qui ipsum nimis extollebant, et ideò aut nihil potest sine gratiâ, aut parùm potest, sicut dicitur ægrotantem nihil posse.... 6° Omnis voluntas infidelium pro *potentiâ* accepta, non pro *volitione* sive *actu*, utpote per Adæ peccatum vitiata, est mala.... 7° Infidelium virtutes non fuerunt *veræ*, ac *simpliciter bonæ*, ad sensum Juliani, qui eas, licet *ex officio* tantùm, non *ex fine* bonas, tamen *simpliciter bonas* interdùm dicebat. Eædem virtutes ad regnum cœlorum non fuerunt steriles in mente ejusdem Juliani, qui eas simpliciter bonas esse, iisque homines justificari asserebat, et tamen ipsas ad regnum cœlorum steriles esse saltem aliquando dixit. Item eædem virtutes, etiam ratione finis bonæ, non erant bonæ relativè ad eumdem Julianum, qui aliquando dixerat eas utiles esse ad vitam æternam, etc. Tot autem tergiversationes, in homine etiam erudito qualis fuit Julianus, nemini miræ videri debent; Julianus enim doctus quidem fuit, et maximè acutus, sed fuit hæreticus; hæresis autem genius, ut in fine præcedentis articuli diximus, maximè tortuosus est, et flexibilis, et ideò varias et multiplices induit formas.

Decimum. Si cui fortassis displicuerint solutiones in præcedenti principio consignatæ hanc accipiat solutionem desumptam ex Henrico Norisio, adversariis vulgò acceptissimo, quem in Augustini lectione et notitiâ versatissimum fuisse fatentur omnes eruditi. « Duo, inquit in Vindiciis cap. 3, paragrapho 4, post longam meditationem asseruit Augustinus (cap. 3 libri 4 contra Julianum), primum, nullas in infidelibus ex solius liberi arbitrii viribus virtutes reperiri; alterum, si quæ in eisdem virtutes fuerint, easdem nequaquàm ipsorum voluntati, sed divinæ gratiæ esse adscribendas.... » Ibidem concedit Augustinum in infidelibus unum actum bonum agnovisse sine gratiâ, illum nempe quo homo appetitu innato amat summum bonum.... Ibidem non improbat interpretationem Apostolici textûs : *Omne quod non est ex fide*, etc., Rom. cap. 14 de eo qui agit non ex solâ fidei theologicæ absentiâ, sed modo fidei adverso.... Tandem ibidem docet sententiam Augustini contra Julianum fuisse infidelium virtutes ob intrinsecam earum honestatem in primâ sui productione factas inani gloriâ actu reflexo semper vitiari nisi divina gratia impediat ne de iis glorientur. » Porrò evidens est hæc omnia nostræ assertioni nullatenùs nocere, quinimò Baii et Yprensis dogmata funditùs evertere, etc.; ergo.

Si tamen eximius theologus docuisset, omnem actionem quæ non supponit fidem theologicam in operante, à quâ in ultimum finem dirigatur, esse veri nominis peccatum, quia dictamen conscientiæ à fide theologicâ dirigi debet à quâ solâ opus in ultimum finem refertur (ut sensisse videtur Vindiciarum cap. 4, paragrapho 31), salvâ quæ ipsi debetur reverentiâ, ipsum desereremus quemadmodùm ipse deseruisset citatum Thomam 2-2, q. 10, a. 4 ad 2, alio modo, ut diximus, apostolicum textum Rom. cap. 14 exponentem. Verùm cùm, ut iterùm diximus, ille Vindic. cap. 3, paragrapho 4 idem testimonium de actione non factâ ex fide *contrariè*, non *negativè* intelligi posse dixerit, nullam in tanto viro contradictionem suspicari fas est.

§ 2. *Utrum sine charitate bonum opus morale produci queat.*

Charitas hic strictè sumitur, nimirùm pro supernaturali amore, quo Deus ut auctor gloriæ propter se diligitur. Dividitur in habitualem et actualem; hæc autem juxta Yprensem in *firmam* Deum super omnia diligentem, et *infirmam* hunc perfectionis gradum nondùm adeptam.

Errores. — Wiclefus et Joannes Hus, quos damnavit concilium Constantiense sessione 15, docuerunt hominem peccatorem, sive charitate habituali destitutum, nullum opus bonum elicere posse, et ideò omnes ejus actiones necessariè esse vitiosas; hoc systema extenderunt Protestantes ad ipsa justorum opera, quæ ta-

men in ipsis propter fidem in Christum peccata coram Deo non reputantur. Eos damnavit concilium Trid. sess. 6, cap. 6, et canone 7, et sess. 14, cap. 4, et can. 5.

Michael Baius docuit solâ charitate actuali (ut videtur) perfectâ sive dominante, peccati affectum extingui, et ideò omnem actionem ex illâ charitate non elicitam verum esse peccatum. Id exhibere videntur istæ ejus propositiones, 36 : *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est...* 41 : *In omnibus suis actibus peccator* (non habens charitatem dominantem) *servit dominanti cupiditati...* 17 : *Non est vera legis obedientia* (per quam quis formaliter justus fit et meretur, ex propositionibus 14 et 16), *quæ fit sine charitate...* 39, hujus et aliorum errorum radix : *Omnis amor creaturæ rationalis aut est vitiosa cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Damnatus est, ut diximus, à Pio V, Gregorio XIII et Urbano VIII, quorum Constitutionibus accessit totius Ecclesiæ suffragium.

Jansenius Yprensis relatum Baii systema paululùm emolliit lib.5 de Gratiâ Christi,cap.7, ubi docet ad opus bonum moraliter, sive ad opus ut non sit peccatum, initium charitatis propriè dictæ, sive infirmam charitatem sufficere. Inter 31 ejus sectatorum propositiones damnatas ab Alexandro VIII, 7 decembris anni 1690, hæc numero 7 invenitur : *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est;* idem offerunt propositiones 8, 11, etc.

Baii et Yprensis doctrinam suam fecit auctor centum et unius propositionum à Clemente XI anno 1713, et universâ Ecclesiâ, ut non semel diximus, proscriptarum; hæc enim offert propositio 44 : « Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus. » Idem ferunt propositiones 45, 46, 47, 48, 49, 50, 51, etc.

Error Baii et ejus asseclarum ex parte intrinseci et proximi fundamenti nihil aut parùm differt ab errore Hussitarum et Protestantium. Cur enim, quæso, in mente Hussitarum carentia charitatis habitualis actiones sontium intrinsecè corrumpit, aut in mente Protestantium ipsa justitiæ Christi imputatio non impedit quominùs actiones justorum vera sint peccata, nisi quia actiones illæ concupiscentiæ, sive pravæ cupiditatis substantiâ vel excessu semper inficiuntur? Unde Norisius Vindiciarum cap. 3, paragrapho 4, versùs finem dicit, *novatores* damnatos à concilio Trid. sess. 6, can. 7, sensisse *omnia opera facta ab homine extra charitatem et in peccato constituto esse peccata, quòd illa à conscientiæ reatu vitiantur;* quod et enuntiare videtur auctor 101 propositionum dicendo propositione 45, *carnalem cupiditatem in peccatore regnantem omnes ejus actiones corrumpere.* Unde sit

Conclusio unica. — Homo absque charitate sive habituali, sive actuali propriè dictâ, etiam debili et infirmâ, potest bonum opus, etiam supernaturale, per actualem gratiam perficere. Quid de istâ assertione sentiendum sit ex relatis summorum pontificum et Ecclesiæ judiciis abundè innotescit.

Probatur. Baii, Yprensis, et eorum defensorum præsertim (quos hìc præcipuè refellere aggredimur) systema, hoc, ut diximus et ex relatis eorum assertionibus manifestum est, nititur principio, nullum esse posse rectum et honestum Dei amorem præter charitatem strictè dictam, et ideò actum omnem, qui non oritur ex hâc charitate, oriri ex vitiosâ cupiditate, et consequenter veram Christi gratiam aut esse ipsam formaliter charitatem, aut essentialiter inspirare charitatem; at istud principium falsum esse evincunt

1° Scripturæ. Etenim 1°, passim excitant insignes peccatores ad justificationem per bona opera impetrandam; v. g., Danielis cap. 4 : *Peccata tua*, inquit Propheta Nabuchodonosori, *eleemosynis redime,* etc. An, quæso, illæ Nabuchodonosor eleemosynæ fuissent vera peccata propter absentiam charitatis habitualis? An iste paganus eas fecisset ex dominante, aut etiam ex initiali charitate propriè dictâ? Illæ igitur eleemosynæ neque exortæ essent ex vitiosâ cupiditate, neque ex verâ charitate, sed ex amore honesto inter utramque medio... 2° Passim sontes hortantur ad timorem Dei vindicis, ut à peccatis resipiscant et salvi fiant, v. g., Exodi cap. 20, v. 20, *venit Deus,* inquit Moyses, *ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis*; at timor ille omne peccatum avertens non fuit timor castus, sive *dilectionis,* siquidem Jansenio ibidem explicante, *dilectio nondùm erat in Israelitis*; ergo fuit timor simpliciter servilis, qui nec ex vitiosâ cupiditate nec ex verâ charitate

erumpit... 3° Commendant fidem, spem et charitatem tanquàm virtutes inter se specificè distinctas : *Manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum charitas*, Epist. 1 ad Corinthios cap. 13. Hæc scilicet loquendi ratio tria reipsà naturà diversa connotat, et aliunde concilium Trid. sessione 6, canone 28, adversùs Protestantes, definivit veram fidem absque charitate existere posse ; sed in adversariorum systemate specifica illa fidei, spei, et charitatis distinctio omninò commentitia foret ; clamant enim nullam esse virtutem præter charitatem; *nec Deus est, nec Religio*, inquit auctor 101 propositionum, propositione 58, *ubi non est charitas*. Etverò, si duo tantùm esse possunt creaturæ rationalis actus, sive motus, unus essentialiter bonus oriens ex charitate, alter essentialiter vitiosus oriens ex cupiditate, duo etiam tantùm esse possunt ejusdem creaturæ habitus, unus essentialiter bonus, alter essentialiter malus; ergo habitus fidei et spei, si ab habitu charitatis distinguantur, erunt vitiosi sive ipsa vitiosa cupiditas, quæ creaturæ positivè inhæret tanquàm fini ultimo ; ergo illi habitus erunt naturà suà mali, et ideò vitia, non virtutes; ergo actus fidei et spei ex fidei et spei habitibus eliciti non extrinsecè tantùm, et defectu relationis, sed et intrinsecè et naturâ suâ erunt mali.

2° D. Augustinus, cujus præcedenti paragrapho plures adduximus textus. Unde unum tantùm, eumque invictissimum hìc adducam. Sermone 349, qui est de Charitate, aliàs 52, de Tempore, cap. 1, n. 1, duplicem secernit charitatem, divinam et humanam; rursùs humanam partitur in licitam et illicitam: *Charitas*, inquit, *alia est divina, alia humana ; alia est humana licita, alia illicita*... Cap. 2, n. 2, ait: *Non solùm ita licita est charitas humana, ut concedatur, sed ita licita, ut, si defuerit, reprehendatur*. Ecce evidenter amorem *humanum* omninò diversum à divino (cùm diversam habeat notionem) quem Augustinus honestum et licitum, imò præceptum esse pronuntiat; ergo.

3° Concilium Tridentinum citatis locis, maximè sess. 6, cap. 6, ubi refert plures actus prævios charitati, quibus sontes ad justificationem disponuntur, qui ideo nec sunt ipsa charitas, nec ab ipsâ emanant, et tamen recti sunt, laudabiles, imò supernaturales, cùm eis sontes ad justitiam præparentur.

4° Theologorum suffragium. Illud non obscurè exhibet Yprensis lib. 5 de Gratiâ Christi, cap. 3, ubi ait : « *Augustini doctrina* (*virtutem creaturæ rationalis non esse prorsùs aliam quàm amorem Dei*) *philosophiæ moralis Aristotelicæ sectatoribus valdè exotica videbitur. Sed si ponderibus christianis trutinetur, castissima, dignissima, verissima, et ex intimis penetralibus christianæ religionis prompta videbitur.* »

Idem suffragium luculentiùs exhibet illustrissimus Bossuetius in fervidis suis adversùs Franciscum de Salignac de la Motte, archiepiscopum Cameracensem, quem Quietismi accusaverat, concertationibus eruditis omnibus exploratis. Dixerat vir eximius et apostolicæ mansuetudinis, in pastorali documento spem theologicam sine quodam saltem initio charitatis esse non posse ; hæc reposuit Meldensis præsul libro, cui titulus : *Quietismus redivivus* : « Hoc falsissimum est, cùm omnes theologi uno ore sentiant, charitatem quidem non sine fide et spe, sed fidem ac spem sine charitate esse posse, contrariamque sententiam reputant erroneam. » Idem consensus elucet ex fidei formulâ bullæ Pii V adversùs Baii articulos congruente emissâ à sacrâ Facultate Lovaniensi, quam repræsentat P. Duchesne in appendice ad historiam Baianismi ; cap. 5, ait sacer Ordo : « Omninò à vero abhorrere censemus, omnem creaturæ rationalis amorem aut vitiosam cupiditatem esse, quâ mundus diligitur.... aut laudabilem illam, quâ per Spiritum S. in corde diffusâ Deus amatur, charitatem. Est indubiè medius quidam amor, quem naturæ auctor inseruit, quo non modò beatitudinem omnes expetimus, sed et parentes et amicos, liberos et conjuges, et quâcumque aliâ ratione propinquos irreprehensibiliter, ipsâque naturâ impellente diligimus, etc. » Idem historicus refert sacram Facultatem Duacenam et plures alias in eamdem conspirâsse sententiam.

Non potuit sanè schola hanc non amplecti sententiam quam ejus princeps eximiis suis consignavit operibus. Enimverò 2-2, q. 17, a. 8, in c., dicit, *origine spem charitate esse priorem, charitatem verò perfectione spem antecedere*. Per spem autem ibi non intelligit charitatem remissam, quasi spes et charitas per accidens tantùm et secundùm gradus distinguerentur, ut placet adversariis, sed virtutem specie distinctam à charitate ; ibidem scilicet dicit S. doctor, hominem per charitatem *inhærere Deo propter Deum*, per spem *autem Deo ut sibi bono* (id est propter retributionem ut proximum non ultimum finem), quæ duo objecta, sive motiva, *formaliter* et non *gradualiter* sunt diversa.

Idem clariùs exprimit ibidem q. 19, a. 6, in c. his verbis : « Amor suî tripliciter potest se habere ad charitatem; uno enim modo contrariatur charitati, secundùm quod aliquis in amore proprii boni finem constituit ; alio modo in charitate includitur, secundùm quod homo se propter Deum et in Deo diligit : tertio modo à charitate quidem distinguitur, sed charitati non contrariatur, puta cùm aliquis diligit seipsum secundùm rationem proprii boni, ita tamen quòd in hoc proprio bono non constituat finem; sicut etiam ad proximum potest esse aliqua specialis dilectio præter dilectionem charitatis, quæ fundatur in Deo, dùm proximus diligitur ratione consanguinitatis, vel alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis sit ad charitatem. » Ecce apertè amorem aliquem *à charitate distinctum*, charitati non solùm non adversum, sed etiam intrinsecè rectum, cùm ad charitatem ex se referatur; ecce doctrinam quam D. Augustinus, dom. Bossuetius, doctores Lovanienses et Duaceni citatis locis evulgaverunt; quinimò eamdem doctrinam admittere coactus est ipse cardinalis Noallius : *agnosco,* inquit in responsione ad quatuor epistolas archiepiscopi Cameracensis, *amorem quemdam esse naturalem, qui sit medius inter vitiosam cupiditatem et charitatem.*

5° falsa hæc et perniciosa consectaria. Commemoratum videlicet principium suggerit et quidem necessariè gratiam Adamo innocenti impertitam ipsi fuisse debitam et connaturalem. et ideò ipsam non fuisse propriè gratiam, ipsam merita merè humana sive naturalia produxisse, adeòque vitæ æternæ retributionem insonti Adæ fuisse debitam, et impossibilem esse statum non solùm naturæ puræ, sed etiam integræ... Fidem esse *primam gratiam,* cùm omnis gratiæ motus sit charitas cui præire debet fides, sive supernaturalis objecti notitia, et ideò *extra* Ecclesiam *non concedi gratiam,* et cuncta infidelium opera esse peccata... Omnia justorum etiam opera sine charitate actuali elicita vera esse peccata, ut et actus timoris gehennæ, fidei, spei, etc... *Soli charitati Deum loqui, solam charitatem à Deo remunerari,* unicam esse virtutem, scilicet charitatem, et ideò nullum naturalem Dei ut *auctoris naturæ* amorem dari, nullum actum merè moraliter bonum, nullum bonum opus sine charitate actuali.... *Liberum arbitrium sine Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valere....* Unumquemque teneri omnes actiones suas deliberatas ad Deum referre ex motivo charitatis etiam *actu* et *explicitè,* si qui dem quælibet gratia est charitas, aut inspiratio charitatis actualis, et ideò quælibet actio ex gratiâ elicita actualem spirat charitatem. Hæc equidem omnia, aut saltem ferè omnia corollaria agnoscunt adversarii, sed agnoscendo quàm nefarium sit et perniciosum principium suum de impossibilitate amoris medii cupiditatem inter et charitatem liquidò ostendunt; ergo.

Objiciunt 1° Protestantes, aut potiùs eorum antesignani. Sacri codices ipsa opera, quæ in insontibus extollunt, in sontibus ut delicta exhibent, Proverbiorum cap. 15, v. 8, Isaiæ cap. 1, v. 13, etc. ; ergo. — Resp. : Dist. ant. : Ob pravum finem et affectum sontium, conc. Ob ipsa opera à sontibus præcisè facta ex bono etiam animo et recto fine, neg. ant. et conseq. Ex ipso contextu liquet ibi sermonem esse de Judæis qui sacrificia offerendo cor habebant à Deo prorsùs alienum, et existimabant sibi ipsa crimina licere modò cæremonias legales observarent.

Objiciunt 2° iidem. Matthæi cap. 7 : *Non potest arbor mala* (qualis est peccator) *bonos fructus facere;* ergo. — Resp. : Dist. ant. : Peccator, qui est arbor mala, quando agit *ut peccator,* sive ex malitiâ et malâ voluntate, non potest bonos fructus facere, conc. Si non agit ut peccator, sive ex malâ intentione, nego ant. et conseq. Ita ferè D. Augustinus libro 4 contra Julianum cap. 3, n. 22. Peccator scilicet non agit semper *ut peccator*, cùm agere possit ex amore justitiæ naturalis. Addi potest ad mentem D. Augustini loco citato, peccatorem non benè, id est non meritoriè agere.

Objiciunt 3° iidem sectarii. Joannis cap. 9, dicitur : *Deus peccatores non audit;* ergo. — Respondet D. Augustinus Tractatu 44 in Joannem, n. 13, *non Christum, sed cæcum natum adhuc inunctum* (id est nondùm plenè illuminatum) hæc protulisse; *si enim,* addit, *Deus peccatores non exaudiret, Publicanus dicendo* (Lucæ 18) : *Deus propitius esto mihi peccatori, non meruisset justificationem.* Nihilominùs respondeo : Dist. ant. : Deus peccatores non audit cùm à Deo miracula postulant quibus suam innocentiam aut doctrinam comprobent (de his enim ibidem loquitur cæcus), conc. Cùm alia postulant, subdist. : Ex pravâ intentione, esto; secùs, nego ant. et conseq. Certum scilicet est sontes et in temporalibus et in spiritualibus interdùm à Deo exaudiri, et insuper Deum aliquando ipsis perversè etiam orantibus ex *irâ* sive vindictâ concedere quæ ex misericordiâ negaret, ut observat D. Augustinus.

Objiciunt 4° conjunctis animis Protestantes et Baii ac Yprensis sectatores. Augustinus Enchiridion cap. 117, n. 31 ait : *Regnat carnalis cupiditas ubi non est Dei charitas.* Similia habet lib. 9 de Trinitate cap. 7 et 8, n. 13. Concinunt SS. Leo sermone 5 de jejunio septimi mensis versùs finem, et Gregorius Magnus lib. 18 Moralium in fine capitis 19, etc., et alii, etc.; ergo. — Resp. 1° Yprensem ipsum aliquod agnoscere medium inter vitiosam cupiditatem, et charitatem perfectam quæ justificat, initialem scilicet sive remissam charitatem ; ergo ipsi etiam exponendi sunt illi textus, cùm inprimis per charitatem Augustinus et alii non rarò intelligant charitatem saltem *appretiativè* summam quæ justificat. — Resp. 2° : Dist. ant. Regnat carnalis cupiditas quoad *habitum* et ratione *subjecti* ubi non est charitas (cùm homo sit justus vel non justus), conc. Regnat *quoad actum*, iterùm distinguo : Ordinariè (cùm homo ex habitu dominante ut plurimùm operetur) conc. *Absolutè* et *semper*, rursùs distinguo : Regnat cupiditas ubi non est charitas latè accepta pro aliquâ bonâ voluntate, pro aliquo recti et honesti amore, conc. Propriè sumpta, sive theologica, quæ respicit Deum propter se super omnia amatum, nego ant. et conseq. Hæc unicè intendit Augustinus (ut et adducti Patres) quoties dicit *esse cupiditatem vitiosam ubi non est Dei amor*, aut quidquid non *fit ex charitate peccatum esse*, aut *quidquid fit ab homine fieri ex charitate, vel cupiditate;* rejectâ enim hâc expositione, Augustinus nec secum nec cum Ecclesiæ definitionibus, quibus obloqui nefas duxisset, unquàm conciliari poterit.

Verùm, instat Jansenius, et ejus discipuli : Augustinus libro de Gratiâ Christi, cap. 21, n. 22 ait : *Quasi verò aliud sit bona voluntas quàm charitas !* et lib. 2 ad Bonifacium cap. 9, n. 21 : *Quid enim est boni cupiditas nisi charitas?* Sed hinc elucet gratiam nihil aliud esse quàm ipsam charitatem, aut charitatis inspirationem, et nihil omninò boni fieri posse absque charitate; ergo. — Resp. : Dist. maj. Boni cupiditas est charitas *latè sumpta*, sive pro quolibet recti ac honesti desiderio accepta, conc. *Strictè accepta*, id est pro amore Dei propter se, nego maj., et contra distinctâ minore, nego conseq. Yprensis defensores in iis testimoniis præsidium quærunt quibus debellantur. Evidens enim est quamlibet *bonam voluntatem*, sive quemlibet pium et ordinatum voluntatis motum, non posse esse Dei amorem propter se, cùm amor Dei *propter se* per seipsum justificet, non amor ab illo diversus, et uterque amor motivum habeat specie diversum.

Neque dicas Augustinum citatis in operibus loqui de charitate de quâ D. Joannes 1 Epist. cap. 4, siquidem illum laudat ; hoc quippè oraculum unicè adducit ut probet adversùs Pelagianos quemlibet pium voluntatis actum *ex Deo esse*, sive *ex gratiâ*, et illos charitatis actus locum *parare* charitati *perfectæ*, *quam veluti seta filum introducunt*, ut alibi loquitur.

Principia solutionum. — Primum. Unâ et eâdem assertione systema Protestantium, et Baianistarum hîc eliminavimus, licet illi loquantur de habituali, isti de actuali charitate, quia Baianistæ ultimò tandem fateri debent suo in systemate sontium actus non extrinsecè tantùm, sive defectu relationis in Deum, sed et intrinsecè à conscientiæ reatu, sive habituali aversione à Deo, vitiari, ut in fine probationis ex Scripturis ostendimus.

Secundum. Tres saltem sunt amores à laudabili charitate, et vitiosâ cupiditate essentiâ distincti; scilicet indeliberatus boni universim ac propriæ felicitatis amor.... Ordinata ac deliberata cùm Dei ut auctoris naturæ, tum suî et proximi dilectio..... Amor supernaturalis spei theologicæ, quo Deus amatur ut auctor et objectum nostræ beatitudinis. Ergo, quidquid non fit ex charitate propriè dictâ, non fit ex vitiosâ cupiditate; ergo datur amor medius inter carnalem cupiditatem, et laudabilem charitatem.

Tertium. Non expendimus utrum omnis actus voluntatis oriatur ab amore, ut censuisse videntur SS. Augustinus et Thomas, sed contendimus quosdam esse voluntatis actus, qui non oriuntur ab amore vitioso cupiditatis, aut laudabili strictè dictæ charitatis dilectione.

Quartum. Actus ut et habitus inter se essentialiter distinguuntur præcipuè per objecta, motiva, et effectus; ergo actus fidei, spei realiter distinguuntur ab actu veræ charitatis.

Quintum. Yprensis systema de verâ charitate tenui et debili, quæ omnes virtutes tum theologicas cùm cardinales gignit, quâ homo nondùm diligit Deum *super omnia*, est systema quod 1° implicare videtur; si enim Deus diligitur propter se, quomodò super omnia non diligi potest ?.... quod 2° D. Thomas in Augustino non deprehendit, cùm dixerit : *Minima charitas plus diligit Deum quàm millia auri et argenti.....* quod 3° doctissimus Bossuetius antea laudatus *falsissimum esse* judicavit.

Sextum. De sincerâ mente D. Augustini circa præsentem quæstionem judicandum est per

citatum sermonem 349, cùm in eo ex professo expendat *quid sit charitas,* et D. Thomæ per laudata verba ex 2-2, q. 17, a. 8, et q. 19, a. 6, propter eamdem rationem. Obscura aliunde utriusque testimonia per clariora indubiè exponenda sunt.

Septimum. Amor qui hæret in creaturâ vitiosus est cùm in ipsâ hæret *positivè* et *exclusivè,* ita nempe ut omnem relationem in Deum, etiam implicitam, excludat, sive, ut loquitur D. Thomas, *cùm hæret in creaturâ tanquàm fine ultimo;* non vitiosus cùm hæret in creaturâ *præcisivè* tantùm, ita scilicet ut præscindat à relatione explicatâ ad Deum, non implicitâ, sive, ut ait D. Thomas, *cùm hæret in creaturâ sic ut in eâ finem ultimum non constituat.* Pariter amor qui hæret in Deo per formalem et explicitam relationem ad Deum propter se dilectum, est vera charitas, et ideò perfectus amor; amor verò qui hæret in Deo propter implicitam relationem ad Deum, quatenùs nempe ordinatur ad finem rectum et honestum, qui *proximè* tantùm intenditur, est charitas latè sumpta, et ideò imperfectus amor; quod expressit D. Thomas dicendo esse *amorem à charitate distinctum qui non contrariatur charitati.* His observationibus in fumos abit famosum adversariorum dilemma. *Omnis amor vel hæret in creaturâ, vel in Deo, si primum, vitiosa est cupiditas; si alterum, vera est charitas.*

Octavum. Peccator non semper agit ex dominante cupiditate sicut justus non semper agit ex dominante justitiâ; unde falsum istud effatum: *Regnat carnalis cupiditas ubi non est charitas,* si de actu sermo sit; quoad habitum enim si homo est injustus, in eo est habitualis cupiditas; si justus, habitualis charitas.

Ultimum. Distinctione *quoad habitum*, et *quoad actum*, et *charitatis strictè* et *latè sumptæ*, in Augustino etiam fundatissimâ, tota corruit immensa testimoniorum Augustini moles ab Yprensi coacervata.

ARTICULUS QUARTUS.

An sine gratiâ actuali possit homo aliquod opus moraliter bonum perficere ?

Sensus quæstionis est, ut ex dictis præcedenti articulo satis elucescit, utrum absque Christi gratiâ produci possit opus bonum naturalis ordinis, non solùm ratione *objecti,* sive *officii* (quod nemo inficiatur), sed etiam ratione omnium circumstantiarum, finis præsertim, sive utrum homo lapsus absque Christi gratiâ possit elicere aliquam actionem ex omni parte, sive circumstantiâ, *moraliter* bonam.

ERRORES.— Michael Baius, ut duobus præcedentibus paragraphis per antecessum observavimus propositionibus inter damnatas 23, 28, 29, 35, 37, 38, 62, 65, etc., docuit *fidem theologicam omnium gratiarum primam esse,* et sine illâ et charitate propriè dictâ nihil omninò boni moralis fieri posse, et idcircò *liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio,* id est sine charitate strictè dictâ, *nonnisi ad peccandum valere,* cum Pelagio sentire qui *dicit liberum arbitrium ad ullum peccatum vitandum valere,* sive *qui boni aliquid naturalis, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit commentitiam esse distinctionem amoris in naturalem, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuitum, sive supernaturalem, quo Deus diligitur ut beatificator sive auctor gratiæ et beatitudinis supernaturalis....* Item *distinctionem operis in moraliter bonum,* sive ex objecto et omnibus circumstantiis rectum, et *æternæ vitæ meritorium,* sive *factum à vivo Christi membro per spiritum charitatis,* cùm opus sine verâ charitate, id est gratiâ, factum *moraliter* etiam bonum esse nequeat, et ideò verum sit peccatum.

Hæc documenta exultanti animo excepit Yprensis. Ejus testimonium ex libro 3 de Statu naturæ lapsæ, cap. 20, articulo præcedenti, paragrapho 1, retulimus. Hæc rursùs habet lib. 4 de Statu naturæ lapsæ, cap. 18 : *Quæ si vera sunt, sicut juxta Augustini principia vera esse dubitare non sinimur,* perspicuè sequitur, *omnem omninò libertatem arbitrii ad bonum morale faciendum ita periisse, ut nullum omninò opus moraliter bonum sine verâ proprièque dictâ gratiâ possit facere.* Hinc lib. 3 de Gratiâ Christi cap. 11, docet *fidem esse primam gratiam. Ante fidem,* inquit, *Augustinus nullam omninò gratiam, sive efficacem, sive sufficientem ad quidquam benè operandum in infidelibus novit.* Infinitus essem si locos omnes, in quibus hanc doctrinam repetit et inculcat, enumerare vellem.

Eumdem errorem mellitis sermonibus renovavit auctor centum et unius propositionum; etenim 1°, docet *fidem esse primam gratiam; nullæ,* inquit propositione 26, *dantur gratiæ nisi per fidem,* et propositione 27, *fides est prima gratia, et fons omnium aliarum...* 2° Tradit quidquid non fit ex fide theologicâ et charitate verâ esse non posse moraliter etiam bonum, et ideò esse necessariè peccatum à propositione 44, ad 58... 3° Asserit sine gratiâ nihil omninò boni elici posse; *peccator,* inquit propositione 38, *non est liber, nisi ad malum, sine gratiâ liberatoris;* propositione 39, *voluntas, quam gratia*

non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum; et propositione 40, *sine gratiâ nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

Hæc documenta, quatenùs enuntiant nihil boni, naturalis etiam ordinis, fieri posse sine gratiâ sumptâ pro fide supernaturali et strictè dictâ charitate, ac illâ fide et charitate destitutos in omnibus et singulis actibus suis necessariè peccare; item opera omnia, quæ justificationem præcedunt, esse necessariò peccata propter conscientiæ sive cupiditatis peccatoris reatum, etc.; hæc, inquam, dogmata, quatenùs hæc enuntiant duobus præcedentibus paragraphis confutavimus. Postea ostendemus, nimirùm in secundo et ultimo libro, fidem non esse primam gratiam, sed necessariè admittendas esse gratias quasdam supernaturales quæ ad fidem disponant et præparent; quod etiam innotescet ex prolixâ dissertatione, quam mox sumus adornaturi adversùs quosdam nostræ et Augustinianæ doctrinæ pseudo-censores.

Theologorum placita. — Modò recensitis dogmatibus tum adversùs Protestantes cùm adversùs Baii et Yprensis sectatores in tuto collocatis theologi anxiè quærunt, an absque gratiâ (à fide et charitate strictè dictâ diversâ) possit homo aliquod bonum opus morale in præsenti statu elicere, saltem facile, et cùm nulla gravis superanda occurrit tentatio; vulgò enim consentiunt hominem lapsum non posse hujusmodi opus producere, si arduum fuerit et gravis *saltem* urgeat tentatio (nonnulli enim contendunt nequidem levem tentationem sine eâdem gratiâ vinci posse, ut mox dicemus).

Circa celebrem istam quæstionem duæ generatim in scholâ vigent opiniones, quarum nullam pro nostro instituto amplectemur, sive propugnabimus, repressis tamen pro virili parte posterioris sententiæ patronorum in prioris defensores præpostero zelo et inanibus non minùs quàm inconsideratis declamationibus.

Opinio prima. — Non pauci theologi, quos adducit et sequitur celebris Vasquez in 1-2, disput. 190, cap. 2, n. 10 et seq., negant liberum arbitrium solis naturæ viribus opus quod peccatum non sit elicere posse, nisi gratiâ *entitativè* quidem naturali, sed indebitâ tamen, et per Christum collatâ, et ideò extrinsecè supernaturali, præveniatur. Hoc quippe, inquiunt, vulnus infirmitatis per peccatum homini illatum est, ut absque gratiâ nihil prorsùs boni facere possit. Contendunt autem hanc esse doctrinam D. Augustini et aliorum Patrum qui adversùs Pelagium hominem lapsum sine Christi gratiâ nonnisi peccare posse quasi perpetuò asserunt.

Concinunt plures ex nobilissimâ Augustinianorum præsertim scholâ doctores, quorum nonnullos profert Norisius in Vindiciis cap. 3, paragrapho 4, et cap. 4, paragrapho 5. Hi sunt Gregorius Ariminensis, Basilius Poncius, Franciscus Macedo, doctissimus Gaspardus Casalius episcopus Leirensis qui concilio Tridentino interfuit, et ibi ingens volumen, de quadripartitâ justitiâ legalis sanctæ Sedis consecratum edidit, etc. — Illos equidem contemnere solent nonnulli recentiores zelo, ut putant, Dei, et ejus adversùs Baium Ecclesiæ decretorum accensi, et inter infimæ notæ doctores recensere; at quàm immeritò nôrunt omnes eruditi; Poncius enim, inquit Norisius loco ultimò adducto, inter principes sui seculi theologos à doctis quibuscumque recensetur. Concinit P. Alexander in historiâ 16 seculi, cujus etiam judicio alii theologi commemorati rarâ admodùm eruditione conspicui fuerunt.

Vasquesii opinionem ex parte saltem amplexus est doctissimus cardinalis Henricus Norisius in Vindiciis cap. 3, paragrapho 4, ubi ex mente D. Augustini asserit: « virtutes, si quæ sunt in infidelibus, non nudæ eorum voluntati, sed divinæ gratiæ esse tribuendas, atque nonnisi per accidens, et ex auxilio gratiæ infideles in primâ bonorum suorum operum productione posse in seipsis non gloriari, quia tanta est hominis fragilitas, ut nisi divinitùs adjuvetur illicò ab actu virtutis in vitium proruat. » Suam sententiam

Probant 1° ex D. Augustino. Scilicet S. doctor epistolâ 157, aliàs 89 ad Hilarium, cap. 2, n. 5 ait: « Liberum arbitrium desertum à divino adjutorio quàmlibet scientiâ legis excellat, nullo modo habet justitiæ soliditatem, sed inflationem et exitiosum tumorem. » Rursùs sermone 26 de verbis Psalmi 94, aliàs undecimo de verbis Apostoli cap. 7, n. 8, dicit: *Liberum arbitrium sine gratiâ nihil valet;* addunt eumdem S. doctorem opera ipsa facillima infidelium, v. g., actus misericordiæ et humanitatis obstetricum ægyptiarum, Rahab meretricis, Assueri, etc., inter Dei dona recensere. Testimonia præcedenti articulo, paragrapho primo retulimus. Citant etiam illud Augustini lib. de Prædestinatione sanctorum cap. 7: *Quidquid antequàm crederet in Christum* (Cornelius) *benè*

operatus est, totum Deo dandum est. (Fidem tamen habebat *in Deum* ut ibidem docet Augustinus et D. Gregorius Magnus homiliâ 19 in Ezechielem; unde istud exemplum non apposité adduceretur pro bonis infidelium operibus.) Sed, inquiunt, inter bona opera Cornelii erant etiam facillima, v. g., eleemosynæ quas egenis, et subsidia quæ miseris ex affectu misericordiæ impenderat, et tamen Augustinus ea etiam Deo danda esse vult, non ut Creatori tantùm, sed etiam ut Redemptori, aliàs Augustini propositio esset intelligenda de concursu naturali Dei respectu operum facilium, de gratiâ verò respectu arduorum, quod sanè absurdum foret cùm generaliter dicat, *totum Deo dandum est*, id est non minùs unum quàm alterum. Adducunt quoque eumdem Augustinum libro de Hæresibus, hæresi 88, dicentem Pelagianos in eo errâsse quòd assererent omnia divina mandata sine gratiâ impleri posse; sed D. Thomas 1-2, q. 109, a. 4, in *argumento sed contra* id intelligit de omnibus mandatis etiam legis naturæ, à quibus Augustinus non excepit mandata facilia. Idem demùm significant hæc quæ S. doctor passim decantat effata: *Homo de suo malus, de Deo bonus; voluntate suâ cadit qui cadit, voluntate Dei stat qui stat*, etc.

Probant 2° ex canonibus Arausicanis et Milevitanis plerumque excerptis ex D. Augustino, qui ferunt *neminem de suo habere nisi peccatum et mendacium.*

Probant 3° ex ratione desumptâ ex concessis ab oppositæ opinionis theologis. Fatentur enim, inquiunt, hominem lapsum ita liberum remansisse, ut tamen ad se et sua aliaque sensibilia jugiter et fortiter inclinetur, ipsumque ut hanc propensionem excutiat speciali Dei auxilio indigere; at inclinatio illa, cùm sit perpetua, vincenda est ubi etiam elicienda sunt opera moraliter bona facilia.

Iidem theologi, eodem innixi principio, docent nullum omninò præceptum naturale, etiam facillimum, impleri, et nullas tentationes, etiam levissimas, sine gratiâ vinci posse. Etenim, inquiunt, ipse Bellarminus lib. 5 de gratiâ et libero Arbitrio cap. 7 ait: *Magis consentaneè ad Scripturas et Patres loquuntur qui dicunt nullam tentationem sine Dei auxilio vinci posse;* at, inquiunt, cur theologi modo Scripturis et Patribus consono loqui detrectarent, cùm alio modo, si officio fungi velint, disserere nec possint nec debeant? Deinde, addunt, hæc tradit D. Augustinus libro de perfectione Justitiæ cap. ultimo, n. 44: « Quisquis, inquit, negat nos orare debere ne intremus in tentationem, negat autem qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse necessarium... ore omnium anathematizandum esse non dubito. » Ubi nulla distinctio tentationis gravis et levis. Addunt rectum honestatis motivum non sufficere ut homo lapsus levem etiam vincat tentationem, etsi motivum purè humanum, v. g., vana gloria, ad gravissimam etiam tentationem superandam sufficiat, quia scilicet homo bonum morale obscurè apprehendit et frigidè amat, bonum verò sensibile distinctè cognoscit, intensè prosequitur, et pro inveteratâ consuetudine in illud movetur, nisi gratiâ adjuvetur, ut passim observat D. Augustinus. « Cupiditas, inquit libro de Patientiâ, cap. 17, n. 14, mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis. » Similia habet lib. 2 de peccatorum meritis et remissione, cap. 17, n. 26.

Isti theologi, quod maximè observandum est, vulgò agnoscunt Deum infidelibus gratias impertiri ad benè operandum necessarias. Frustra autem ab eis quærerent adversarii quid sit illud adjutorium; reponunt enim illud in adversariorum etiam sententiâ explicari non posse (illud quippe admittunt pro operibus arduis, etc.), et D. Augustinum libro de Patientiâ cap. 28, satis habuisse dicere illud auxilium *exhæredatorum* esse proprium.

Neque isti doctores patiuntur sibi objici Norisium, et alios quorum defendunt sententiam, Baio assentire; reponunt enim S. P. Benedictum XIV in Brevi ad magnum Hispanæ Inquisitionis præsidem, dato anno 1748, vetuisse ne doctrina Norisii Baianismi argueretur. Hoc Breve ad hujus tractatûs calcem referemus.

Hæc opinio convincendis et ad Ecclesiæ gremium reducendis Baii et Yprensis sectatoribus magis apta et idonea videtur; quidquid enim egeris, nunquàm ipsis persuadere poteris hominem lapsum solis naturæ viribus opus ex omni parte bonum, vel facillimum, edere posse, cùm inprimis D. Augustinus ejusmodi etiam opera gratiæ tribuere videatur, et canones Arausicani liberum arbitrium ex se nonnisi ad peccandum valere videantur docere. Verùm, quomodò hæc opinio cum censurâ Baii potest conciliari? Hoc opus, hic labor. Ejus quippe 28 propositio fert « liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valere,

et 31 nullam tentationem sine gratiæ adjutorio superari posse. »

Vasquez in 1-2. disp. 190, c. 18, n. 173 et seq., Baii propositiones circa istud argumentum proscriptas fuisse, non ut *erroneas et falsas*, sed ut scandalosas et *fidelium offensivas*, utpote quæ intolerandâ acrimoniâ et superbiâ opinionem adversam pelagiani erroris notâ inurerent, ita ut per censuram non *assertum* sed *assertio* confixa fuerit.

Idem alii vulgò reponunt. At meliùs fortassis reposuissent commemoratas propositiones ideò fuisse damnatas, quia ad omne opus bonum morale exigebant gratiam à fide theologicâ et charitate strictè dictâ non distinctam, sive hanc fidem et charitatem producentem.

Opinio secunda. Tradit hominem lapsum non posse quidem omnia opera moralia elicere, et ideò omnia legis naturæ præcepta adimplere sine speciali gratiæ auxilio, sed ipsum posse sine illo per solas naturæ vires cum solo generali Dei concursu exercere quædam opera moralia faciliora, cùm scilicet non occurrit gravis tentatio aliudve impedimentum ad quod superandum peculiari Dei adjutorio et protectione opus sit.

Hujus sententiæ, quam D. Thomas 1-2, q. 109, a. 2 et seq., aut saltem ejus vulgò expositores, tenuisse videntur, defensores eam probare aggrediuntur et auctoritate et ratione. Auctoritatis argumenta potissimùm desumunt ex censurâ Baii propositionum, 28 præsertim, et 31, quas paulò ante retulimus, et aliunde ex testimoniis quibus supra ostendimus omnia infidelium opera non esse peccata. Quod attinet ad rationis momenta ea vulgò reducunt ad ea quæ reperiuntur apud D. Thomam citato loco in c., his verbis : « Quia natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono naturæ privetur, potest... per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, et alia hujusmodi, non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quòd in nullo deficiat, sicut homo infirmus potest per seipsum aliquem motum habere, non tamen perfectè potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ. Igitur virtute gratuitâ superadditâ virtuti naturæ (id est gratiâ supernaturali) indiguit homo in statu naturæ integræ (innocentis) quantùm ad unum (tantùm) scilicet ad operandum et volendum bonum supernaturale ; sed in statu naturæ corruptæ quantùm ad duo, scilicet ut sanetur, et ulteriùs ut bonum supernatura virtutis operetur, quod est meritorium; ulteriùs autem in utroque statu indiget homo auxilio *divino, ut ab ipso moveatur ad benè agendum* » (id est, inquiunt, concursu Dei Creatoris).

Gregorius de Valentia in hunc D. Thomæ locum hoc addit argumentum : « Quæ, inquit, difficultas, v. g., in salutando amico sine malo fine? in matrimonio contrahendo, aut in vero testimonio ferendo ad proximi utilitatem ? aut in aliis similibus operibus facillimis ? Sanè in iis auxilium peculiare necessarium non esse Apostolus primâ epist. ad Corinthios cap. 7 significâsse videtur cùm ait, eum qui matrimonio jungit virginem suam benè facere, qui non jungit secundùm propositum voluntatis suæ etiam benè facere ; id enim significat utrumque positum esse in hominis facultate sine peculiari auxilio quo ad id benè faciendum indigeat ; quod notavit Augustinus libro de perfectione justitiæ sub finem (cap. 19, n. 41), ubi Cœlestio objicienti citatum Apostoli locum contra gratiæ necessitatem respondet : *Videte, obsecro, quale sit, ideò volenti et currenti misericordiam Dei non esse necessariam, quæ etiam eum prævenit, ut curreret, quia de quodam ait Apostolus : quod vult faciat* (1 Cor. 7, v 36.)... *non peccat si nubat; quasi pro magno habendum sit velle nubere, ubi adjutorio divinæ misericordiæ operosiùs disputatur; hoc enim significat velle nubere, quod Apostolus ait non esse peccatum, non esse tale opus, qualia sunt ea quæ requirunt Dei misericordiam et gratiam.* »

Verùm opinionis adversæ theologi reponerent, Augustinum ibidem addere, *voluntarium bonum non esse aliter bonum nisi cùm Deus operatur in nobis velle*, et aliunde S. doctorem noluisse hoc Apostoli oraculum ibi discutere, quod satis indicat ejus loquendi modus, *quasi pro magno*, etc., cùm inprimis in eo sermo non esset de præcepti executione. Isti theologi suâ de hominis potestate aliquod opus morale naturalis ordinis absque gratiâ exequendi propositâ sententiâ anxiè quærunt quodnam sit illud opus.

Ac primò quidem cum D. Thomâ citato loco articulo 3 expendunt an homo lapsus absque gratiâ possit Deum diligere *affectivè et appretiativè;* sive *per omnia* amore non supernaturali (quem sine gratiâ elici non posse docet fides), sed naturali, sive quatenùs Deus est auctor naturæ. Alii affirmant cum Scoto, Durando, Cajetano, etc., suis in Magistrum Sententiarum et D. Thomam commentariis ; alii negant cum D. Thomâ loco indicato in c., cujus sententiam

omnes ferè ejus expositores defendunt. Nonnulli tamen, ut Estius in cap. 1 ad Romanos, et Tornelius, etc., existimant hominem sine gratiâ posse diligere Deum ut auctorem naturæ amore *inchoato et imperfecto,* sive qui nondùm est *super omnia.* Hanc opinionem explodit Bellarminus lib. 6 de Gratiâ et libero Arbitrio cap, 7 : « Non potest, inquit, Deus sine ope ipsius diligi neque ut auctor naturæ, neque ut largitor gratiæ et gloriæ, neque perfectè, neque imperfectè ullo modo; atque hanc non dubitamus sententiam esse S. Augustini, imò etiam Scripturarum et conciliorum, quidquid aliqui minùs consideratè in hâc parte dixerint. »

Primæ opinionis defensores his præcipuè nituntur momentis. Homo naturali lumine noscit Deum esse summè amandum; cur eum naturæ viribus summè diligere non posset? Reponunt alii hominem per peccatum graviùs vulneratum fuisse in voluntate, quàm in intellectu; unde istud : *video meliora proboque,* etc... Item homo potest amicos, aut patriam super omnia diligere, cùm plures pro illis mortem obierint, quidni et naturaliter Deum super omnia diligere? Respondent alii hominem per peccatum à Deo aversum fuisse, et ad creaturam conversum, et ideò faciliùs posse creaturam super omnia diligere quàm Deum.... Item *natura* dicente D. Thomâ lóco citato (in responsione ad primum) *diligit Deum super omnia prout est principium et finis boni naturalis;* ergo natura sibi sufficit ad Deum amandum super omnia. At alii observant hoc D. Thomæ dictum intelligendum esse de naturâ sanâ et integrâ, non de corruptâ, aliàs non cohæreret cum citato articuli tertii corpore.... Item naturalia hominis post peccatum intemerata remanserunt; cur ergo Deum naturæ viribus appretiativè diligere non posset homo? Verùm reponunt alii naturalia post peccatum integra mansisse ratione facultatis naturalis, non ratione virium, juxta concilium Trid. sess. 6, cap. 1... Tandem homo naturaliter potest Deum super omnia diligere, amore spei, sive concupiscentiæ, cùm talis amor ex amore suî erumpat; ergo. — Respondent alii amorem concupiscentiæ effluere ex amore suî recto et perfectè ordinato, quæ ordinatio gratiâ producitur, sive restituitur; addunt isti has argutias dialecticos decere, non theologos, quos præcipuè movere debet doctrina in Scripturis et traditione contenta.

Secundò exquirunt an homo lapsus absque gratiâ adimplere possit præcepta naturalia non *quoad modum*, id est quatenùs ordinantur ad æternam vitam (fides enim docet ea sub hoc respectu sine Christi adjutorio impleri non posse), sed *quoad substantiam,* id est quoad se et ratione honestatis naturalis sive moralis. Circa hanc quæstionem gravis inter eos dissensio; alii enim, ut Dominicus Soto, Grandinus, etc., censent hominem lapsum posse *potentiâ physicâ,* id est cujus virtus activa operi exequendo ex se sufficiens est, cuncta legis naturalis præcepta tum distributivè cùm collectivè adimplere, posse verò potentiâ morali, id est non solùm operi exequendo sufficiente, sed etiam à cunctis difficultatibus, saltem gravibus, immuni, omnia *distributivè,* si gravis absit tentatio, sed *non collectivè* servare.... Alii, ut Bellarminus, etc., opinantur hominem lapsum non posse potentiâ physicâ aut morali omnia legis naturalis præcepta sine gratiâ adimplere, posse tamen, si omnis absit tentatio, quædam facilia solis naturæ viribus observare.... Alii, ut Gregorius Ariminensis, Norisius, etc., contendunt, ut diximus, nullum omninò bonum opus morale sine gratiâ elici posse, nec ideò ullum præceptum servari. Quid de istis opinionibus sit sentiendum ex dictis jam liquet, et ex dicendis magis adhuc liquebit. Porrò auxilium quod exigunt primæ opinionis defensores, ut tota lex naturæ servetur *quoad modum,* id est utiliter ad salutem, est auxilium actuale supernaturale tum *quoad modum*, sive principium, id est ex parte Dei qui illud non debet, tum quoad *entitatem,* sive supernaturalem operis bonitatem, quia adversùs Pelagianos definitum est nullum prorsùs opus in ordine ad vitam æternam sine gratiâ elici posse; auxilium verò quod requirunt ut tota lex naturæ servetur quoad *substantiam* duntaxat, id est quoad naturalem operis bonitatem, ipsis dicentibus est auxilium supernaturale *quoad modum*, sive ratione principii, id est Dei qui illud homini non debet, sed naturale quoad substantiam, sive ratione objecti, quia hominem ordinat ad finem duntaxat naturalem; quâ ex parte videntur assentire Vasquesio qui ad omnia opera moraliter bona exigit adjutorium Dei peculiare naturalis ordinis, indebitum tamen naturæ lapsæ, quod nonnisi ex Christi meritis impertitur; at ultimæ sententiæ patroni satis habent, ut diximus, cum Augustino repenere gratiam ad opus moraliter bonum necessariam esse gratiam *exhæredato-*

rum, sive non Dei filiorum, propriam, cujuscumque naturæ sit.

Tertiò quærunt an homo lapsus ex motivo naturalis honestatis tentationes sine gratiâ superare possit; super quo in varias iterùm abeunt sententias; nonnulli enim absolutè affirmare non erubuerunt; alii distinguendo inter tentationes graves et leves. Has non illas sine gratiâ vinci posse dixerunt, quia homo per solas naturæ vires bonum aliquod morale naturalis ordinis elicere potest; addunt hanc esse Ecclesiæ sententiam quæ relat.m 51 Baii propositionem super istâ quæstione damnavit.... Alii quibus, ut diximus, persuasum est nullum omninò opus etiam moraliter bonum sine Dei adjutorio, cujuscumque naturæ sit, in statu naturæ produci posse, contendunt nullas prorsùs tentationes sine gratiâ ex recto honestatis motivo debellari posse; quam sententiam ipse Bellarminus amplecti coactus est. Eorum rationes retulimus, et ampliores mox referemus.

His in utramque partem discussis, duo quæ dogma propiùs attingunt, expendemus; primum an gratia necessaria sit ad vitanda omnia omninò peccata; alterum an homo sine gratiâ possit se præparare ad gratiam.

Dissertationem nostram super opinionibus scholasticorum circa potentiam hominis lapsi actus moraliter bonos sine vel cum gratiâ eliciendi prout supra jacet in sacris Neustriæ scholis anno 1773 dictaveramus, cùm eodem exeunte anno terribilis in nos exorta est tempestas, quæ nomen nostrum è terrâ viventium penè delevit, et discipulos nostros idem malum incurrendi metu dispersit, et scholam nostram fugere adegit. Singularis illius scenæ hæc fuit causa et occasio. Quidam clericus nostris imbutus prælectionibus interrogatus super commemoratâ quæstione relatam Vasquesii et Norisii opinionem catholicam conclamavit; tum interrogator zelo *sanæ doctrinæ*, ut existimabat, vindicandæ adactus, quemdam concinnavit codicillum in quo conquestus est 1°, quòd in Vasquesii et Norisii opinionem propenderimus; ipsius enim judicio erronea et Baiana reputari debet;... 2°, quòd doctores eidem opinioni addictos impensè extulerimus, etsi nonnulli, qualis, v. g., Gregorius Ariminensis, his præconiis indigni forent, dùm de præclaris theologorum pro adversâ sententiâ decertantium dotibus omninò siluimus;..... 3°, quòd consuetum priorum doctorum responsum, sive, ut ipsi placet, effugium quo Baii assertiones plerùmque ob censuræ acrimoniam damnatas esse prætendunt, non improbaverimus;.... 4°, quòd damnatas ejusdem Baii propositiones super istâ quæstione de gratiâ fidei theologicæ et charitatis propriè dictæ, aut saltem has virtutes importante, intelligi posse dixerimus;.... 5° demùm, quòd in Vasquesii, sive potiùs Norisii, sententiam propendendo à communiori et *omninò certâ* doctorum sententiâ recesserimus.

Cùm hæc publico rumore, et rapidè effluentis commemorati censoris codicilli lectionis auditione (illius enim copiam anxiis precibus incassùm ambivi), in meam devenissent notitiam, consilium primitùs inieram S. P. Benedicti XIV Breve tum anni 1745 cùm anni 1748 in gratiam religionis Augustinianæ, et doctissimi cardinalis Norisii fideliter exscriptum ad clarissimum denuntiatorem mittendi; recogitaveram enim insignia illa rescripta, quæ præsentem controversiam omninò dirimunt, ex illius memoriâ indubiè excidisse. Spes aliunde affulgebat attentâ illarum declarationum lectione illicò sedandos esse clamores, quibus nos obruerat. At omnibus ritè perpensis existimavi viri theologi officii et muneris esse sibi impactam malè aut suspectè in fidei negotio sentiendi gravissimam accusationem amplissimo modo detergere et diluere; cùm inprimis jubeat Spiritus sanctus ut quilibet boni nominis studio et amore tangatur, et D. Hieronymus doctorem erroris fidei adversi insimulatum quietum ac patientem esse non sinat. Nihilo tamen minùs ut adversarios venerandæ auctoritatis suffragio ad saniorem mentem efficaciùs reducerem, dissertationem, de quâ lis est, accuratè exscriptam misi ad dominum sacri Ordinis Parisiensis syndicum ipsum enixè rogans ut quid de eâ sentiret sacra Facultas me certum facere dignaretur. Vir eruditissimus eâ lectâ cum censoriis Aristarchi nostri observationibus, miratus est quòd vir theologus tam falsam et præposteram denuntiationem intentâsset, eamque sacri Ordinis attentione et disquisitione indignam judicans, illam quibusdam tantùm doctoribus commisit, quorum responsa cum domini syndici epistolâ postea referemus.

Cæterùm, suavi gaudio perfundor, dùm recogito hâc in disceptatione virum eximium et nos Ecclesiæ catholicæ decreta adversùs Baium et ejus defensores mutuo cordis affectu colere et venerari, totamque inter nos litem et dissensionem circa genuinum illorum decretorum sensum versari; sic enim uterque violatæ, quæ

summi pontificis et majoris episcoporum partis in rebus fidei et morum definitionibus et interiùs et exteriùs debetur, obedientiæ insimulari non poterit, et pax Christi, Deo dante, in cordibus nostris permanebit.

Igitur, priusquàm duas propositas quæstiones expendo, specialem paragraphum instituam in quo quinque adversùs nos intentatæ accusationis capita refellam.

§ 1. *Confutantur diversa dicteria et convicia in Vasquesianam, aut Norisianam super gratiâ ad omne opus bonum morale necessariâ contorta.*

Censoria illa dicta versantur, ut diximus, circa damnationem et falsitatem illius sententiæ, circa pravas dotes nonnullorum ipsius defensorum, circa effugia quibus Ecclesiæ definitiones eludere conantur ejusdem sententiæ patroni, circa perversam Baii propositionum interpretationem, et tandem circa istius sententiæ scholæ sensis oppositionem, quæ totidem sectionibus, ut major dicendis affulgeat splendor, ventilabimus, et in nihilum, Deo dante, redigemus.

Sectio prima. — Baianismi, patrociniive Baio et ejus asseclis impensi immeritò accusarentur doctores qui præfractè etiam asserunt hominem lapsum sine gratiâ (à charitate propriè dictâ distinctâ) nullum opus moraliter bonum, etiam non arduum, et cùm nulla gravis titillat tentatio, posse elicere.

Assertio his universum innititur momentis mox singulatim exponendis. Opinio scilicet illa consona est sacris codicibus, Patrum monimentis, inprimis D. Augustini, conciliorum canonibus, Sedis apostolicæ decretis quæ eam improbare prohibuerunt; theologi insuper catholici, qui etiam pro adversâ decertant sententiâ, hanc opinionem catholicam esse unanimi suffragio profitentur; stabilitur tandem gravibus rationibus ex fidei principiis scaturientibus.

Momentum primum. — *Ex sacris Litteris.* — Primò quidem commemoratam sententiam sacris in codicibus consignari asseverat pontifex omni laude major, Innocentius I. Enimverò acta Patrum Milevitanorum anni 416 adversùs Pelagianos comprobans eos sic compellat : « In omnibus divinis paginis voluntati liberæ nonnisi divinum adjutorium legimus esse nectendum, eamque nihil posse cœlestibus præsidiis destitutum. » Quid censor ? Indubiè tangi opus salutis meritorium, ad quod gratiam haud necessariam esse obganniebant Pelagiani ! at tum ex voce, *nihil,* cùm ex Pelagianorum doctrinâ manifestum fit designari et istud opus, et opus moraliter bonum. Pelagiani quippe ut evincerent posse hominem sine gratiâ benè operari, exempla infidelium producebant quos absque illâ pluribus floruisse virtutibus asserebant. *Soletis,* inquit Augustinus lib. 4 contra Julianum cap. 3, n. 14, *negantes dona Dei esse virtutes, hoc uti argumento, quòd eas nonnunquàm habeant infideles.* Similia habet n. 16; Pelagiani autem non sentiebant infideles, quatenùs infideles, id est quatenùs gratiâ sanctificante, sive habituali jus dante ad gloriam, destitutos (quam testibus Norisio Vindic. cap. 3, paragrapho 4, et P. Alexandro in historiâ seculi 5 cum Catholicis admittebant), non sentiebant, inquam, infideles opera gloriæ meritoria posse producere, siquidem ad illa opera gratiam habitualem divinitùs infusam, saltem *tanquàm conditionem sine quâ non* exigebant; ergo bonitatem tantùm moralem in eorum actibus agnoscebant, ideòque Innocentius et Patres Milevitani cùm illorum doctrinam improbaverunt, ipsos actus moraliter duntaxat bonos sine gratiâ fieri non posse definierunt. Intendit igitur Innocentius voluntatem cœlesti auxilio spoliatam nullum prorsùs bonum morale, cujuscumque naturæ sit, operari posse. Quid ? hunc sensum vel ipse adversarius cum suis admittere cogitur; velit enim nolit, Innocentii testimonium probat voluntate sine gratiâ nullam tentationem vincere, et nullum opus morale difficile elicere posse, cùm id adversùs Pelagianos sit definitum. Cùm ergo summus pontifex utatur voce, *nihil,* explodit etiam opus morale facile.

Meritò sanè summus pontifex hanc sententiam sacris Tabulis ubique inscriptam asserit. Ipsa enim bona infidelium opera (quæ censor in suo libello pro se incautè adduxit), ex speciali Dei gratiâ facta sunt. Talia opera humanitatis et misericordiæ obstetricum ægyptiarum erga mares Hebræorum, Exodi cap. 1, Rahab meretricis erga exploratores Judæorum, Josue cap. 2, Assueri erga gentem Israeliticam, Esther cap. 16. Hæc scilicet et similia gratiæ tribuit D. Augustinus, nimirùm lib. de Gratiâ Christi, cap. 24, n. 25, epistolâ 144, aliàs 130; n. 2, lib. 4 contra Julianum, cap. 3, n. 16, et 32, etc. Verba retulimus præcedenti paragrapho primo, his exceptis ultimo numero 32 contentis : « Ex quo colligitur etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui benè utitur malis. »

Neque evadere poterit censor reponendo S.

doctorem verba facere de concursu naturali, non speciali, sive gratiâ; præterquàm quòd enim nullatenùs constat Pelagianos rejecisse generalem concursum, ut postea ostendemus, certè Augustini verba speciale Christi auxilium apertè designant: « Conversio enim voluntatis per mirabilem et ineffabilem, occultissimam et efficacem potestatem » est interna non intellectùs tantùm, sed et voluntatis gratia quam nunquàm admiserunt Pelagiani. Pariter, qui legerit caput tertium libri 4 contra Julianum, aut caput vigesimum libri primi ad Bonifacium n. 38, is, nisi ad omne audendum sit projectus, non poterit non agnoscere in Augustini dictis cœlestem gratiam. Etverò gratia, quam ibi prædicat, est gratia quâ Deus *benè utitur malis*, sive peccatis impiorum et infidelium, quâ *rectè vivitur*, quâ *bonum opus elicitur*, quâ *Deus transtulit voluntatem lædendi* (Assueri) *in voluntatem favendi, etc.* Unde doctissimi Patres Benedictini ad marginem istorum locorum hanc meritò apposuerunt observationem: *Gratiæ vis demonstratur, Deus operatur voluntatem in cordibus hominum, occultissimâ et efficacissimâ potestate convertit voluntatem, etc.*

Tam multis Spiritûs sancti oraculis adjungi potest illud Christi (Joannis 15): *Sine me nihil potestis facere*, quod exponens eximius gratiæ vindex Tractatu 81 in Joannem dixit: *Sivè parùm, sivè multùm, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* Sed audio adversarium clamantem tum ex præcedentibus, cùm ex consequentibus elucescere loqui Christum de opere supernaturalis non naturalis ordinis. Ita quidem; sed Augustinus existimavit Christum generali hâc assertione ipsum etiam moralis ordinis bonum expressisse; sed exemplum palmitis, quo utitur Christus, qui à vite præcisus omninò arescit, et nullum nequidem tenuem et degenerem gignere potest fructum, ostendit hominem gratiæ Christi expertem nullius planè ordinis bonum posse producere; sed si Christus loqueretur tantùm de opere salutis meritorio, exinde inferri posset omne bonum morale absque Christi gratiâ elici posse.

Non minoris ponderis esse videtur istud Apostoli pronuntiatum (2 Cor. cap. 3): *Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est;* si enim nulla cogitatio absque Dei gratiâ potest concipi, à fortiori non potest voluntas sine gratiâ bonum aliquod moraliter bonum operari.

Momentum secundum. — *Ex Patrum, inprimis D. Augustini, monimentis.* Omnium Patrum et fidelium sensa super hâc quæstione exhibuit Innocentius I, cùm ad Patres concilii Carthaginensis anni 416 scripsit: *Sancti omnes nihil sine Dei adjutorio se agere posse testantur.* Vox enim, *Sancti*, fideles omnes adumbrat, ut patet ex D. Pauli Epistolis, qui nihil boni, etiam naturalis, absque gratiæ auxilio se, vel alios, peragere posse autumant. Id sanè suggerunt D. Cyprianus cùm lib. 2 epist. 2 (apud Bellarminum lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 11) dixit: *Dei est omne quod possumus*, et D. Ambrosius lib. 2 in Lucam: *Vides quòd ubique studiis humanis virtus divina cooperatur, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo incipere sine Domino.*

Hanc sententiam totis ulnis in suis adversùs Pelagianos elucubrationibus amplexus est D. Augustinus. Opus in immensum cresceret si singula ejus testimonia referre mihi animus foret.

Primò docet liberum arbitrium sine gratiâ in philautiæ peccatum necessariè prolabi. Jam adduximus in expositione Vasquesii et Norisii opinionis peremptorium ejus testimonium epist. 157, aliàs 99 ad Hilarium cap. 2, n. 5. Ibidem cap. 3, n. 16, loquens de gratiâ Christi ait: *Libertas sine gratiâ non est libertas, sed contumacia.* Eat nunc censor, et Norisio, Ripaldæ, et aliis exprobret quòd doceant liberum arbitrium sine Christi gratiâ nonnisi superbire posse.

Secundò inculcare non desinit, liberum arbitrium « sine gratiâ nihil valere, nihil cogitare, nihil recti agere posse, nonnisi ad peccandum valere, nihil sibi esse nisi ducem in præceps, nihil posse nisi mendacium et peccatum, » etc. Etenim omisso testimonio sermonis 26 de verbis Psalmi 94, aliàs de verbis Apostoli, 11, quod referendo opinionem Vasquesii, etc., protulimus, libro de spiritu et litterâ cap. 3, n. 5 legitur: « Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via. » Libro 1 ad Bonifacium cap. 3, n. 7, dicit: « Nec potest homo aliquid velle nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est gratiâ Dei per Jesum Christum; omne enim quod non est ex fide (theologicâ) peccatum est, epist. ad Romanos cap. 14 *contrariè* ut exponit Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 4, non *privativè*). » Eodem libro cap. ultimo, n. 42 addit: « Nemo illo (libero arbitrio) benè uti potest nisi per gratiam. » Libro 3 ad Bonifacium cap. 8, n. 24, ista inveniuntur: « Liberum arbitrium captivatum

nonnisi ad peccandum valet, ad justitiam verò nisi divinitùs liberatum, adjutumque non valet. » Tractatu 5 in Joannis Evangelium ait : « Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem homo habet veritatis atque justitiæ ab illo fonte est, quem debemus sitire in hâc eremo, ut ex eo quasi guttis irrorati... non deficiamus in viâ. » Libro 4 Confessionum cap. 1, n. 1, exclamat : « Quid sum ego mihi sine te, nisi dux in præceps? aut quid sum, cùm mihi benè est, nisi fugens lac tuum aut fruens te cibo, qui non corrumpitur? » Libro 1 Retractionum, cap. 9, n. 4, hæc habet : « Quamvis et in his libris, qui non contra illos omninò (Pelagianos).... sed contra Manichæos conscripti sunt de libero arbitrio, non omni modo de istâ gratiâ reticuimus.... diximus enim in secundo libro (cap. 19), non solùm magna, sed etiam minima bona non esse posse nisi ab illo, à quo sunt omnia bona, hoc est, Deo. » Demùm sermone 32 in Psalmum 143, cap. 10, n. 10, ait : « Quære quid sit hominis proprium, peccatum invenies; quære quid sit hominis proprium, mendacium invenies; tolle peccatum, et quidquid consideraveris in homine, Dei est; » similia habet sermone 186, aliàs 10, de verbis Apostoli n. 6 : *nostrum,* inquit, *nihil nisi peccatum.*

Hæc et similia testimonia exponere solent adversæ opinionis theologi, etiam insigniores, puta Bellarminus lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 12, etc., de bono ad salutem perducente, sive æternæ vitæ meritorio. Verùm hæc solutio tum ex verbis Augustini, tum ex ejus adversùs Pelagianos scopo, cùm ex constanti ejus doctrinâ, quâ cuncta et singula bona infidelium opera gratiæ adscribit, antea explosa est.

Iidem theologi reponunt Augustinum meritò asserere « liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valere, quia magnas vires ad peccandum habet, et utplurimùm reipsà peccat nisi divinitùs adjuvetur; pauca quippe opera quæ facere potest pro nihilo reputantur, cùm nihil prosint ad salutem æternam, et obruantur multitudine peccatorum » (ita Bellarminus ibidem). At subtilis illa solutio nihil aliud suggerere videtur, quàm raram artem tot Augustini propositiones *absolutè* exclusivas convertendi in propositiones absolutè non exclusivas. Etverò, si sensisset Augustinus liberum arbitrium sine gratiâ opera moraliter bona facilia elicere posse, nonne sagaces Pelagiani, inprimis callidus et versutus Julianus, et ad Augustini effata sugillanda promptissimi, tam multas ejus assertiones modo prorsùs exclusivo enuntiatas irrisissent? Nonne ipsi exprobrâssent quòd homo lapsus, ipso non repugnante, quædam opera moraliter bona sine gratiæ adjutorio producere posset? Tandem quis non videat et ingenuè fateatur D. Augustinum, si censuisset liberum arbitrium nulla opera, naturalis etiam ordinis, sine cœlesti auxilio producere posse, verbis significantioribus et expressioribus uti non potuisse?

Tertiò. Augustini mentem circa istam quæstionem splendidè patefaciunt generalia hæc oracula, quibus illius non secùs ac ejus discipulorum, imò et aliorum Patrum opera scintillant : « homo de suo malus, de Deo bonus; voluntate suâ cadit qui cadit, voluntate Dei stat qui stat, per peccatum amissâ rectitudine secutum est non posse rectè agere; per malum velle perdidit homo bonum posse, » etc. liquet nimirùm in censoris mente hominem aliquando *de suo* esse bonum, aliquando *sine Dei* voluntate, *sive gratiâ, stare, deperditâ per peccatum rectitudine non semper secutum esse non posse rectè agere,* hominem per malum velle *in omni circumstantiâ* non perdidisse bonum posse, etc.

Tot et tam insignium testimoniorum ineluctabilem vim et robur tribus ejusdem S. doctoris effatis debilitare conantur.

Primum extat lib. de Perfectione justitiæ cap. 2; ad tertiam enim Cœlestii objectionem, n. 3, hæc habet : « Respondeo.... parùm esse ad non peccandum voluntatis arbitrium nisi adjuta sanetur gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. » Similia legere est cap. 10, n. 21. Alterum affert liber primus de Nuptiis et Concupiscentiâ cap. 3, n. 3, his verbis : « Cùm dona Dei esse monstrantur (de pudicitiâ conjugali disserit de quâ Apostolus 1 Corinth. cap. 7, v. 7) à quo petenda sint discitur si non habeantur, et cui sint agendæ gratiæ si habentur, nostrasque voluntates ad hæc expetenda, sumenda, et retinenda parùm valere nisi divinitùs adjuventur. » Ultimum his terminis exhibet aureus liber de Correptione et Gratiâ cap. 11, n. 31 : « Nec ipsum (Adam insontem) Deus esse voluit sine suâ gratiâ quam reliquit in ejus arbitrio (erat enim adjutorium sine quo non cujus efficacia pendebat à libero arbitrio), quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parùm est, nisi adjuventur ab omnipotente Bono. »

Ex his sic arguunt : « Si parùm valet ad bonum, aut non peccandum, liberum arbitrium

(hominis lapsi); ergo saltem tantillùm aliquid valet, seu illud bonum naturalis ordinis, quod facillimum est, sine speciali gratiæ auxilio operari potest. » — Verùm qui hæc seriò, et non jocosè proponunt, irrideri volunt. Scilicet Augustinus his omnibus in locis per *parùm* manifestè intellexit *nihil*, vel *non*, quod quidem evincitur tum ex auctoritate doctissimorum Augustini editorum, cùm ex S. doctoris contextu, sive, quam tractat, quæstione, ac demùm ex intimo sensu ipsorum insignium theologorum qui gratiam ad opera moraliter bona facilia non exigunt.

Etenim eruditissimi P. P. Benedictini Congregationis D. Mauri, quos novissimis hisce temporibus suscitavit Deus ad pretiosa immortalium Ecclesiæ doctorum monumenta pristino suo nitori ac puritati restituenda, isti capitis undecimi libri de Correptione et Gratiâ effato, *liberum arbitrium ad bonum parùm est, nisi adjuvetur ab omnipotente Bono*, hanc affixerunt notam: *Lovaniensis editio* (fert) *nihil est; editi alii et manuscripti parùm est, eodem sensu, ut liquet ex libro de perfectione justitiæ cap.* 10, n. 21; ergo *parùm est* eodem sensu intelligendum est ac *nihil est*. Etverò D. Augustinus apprimè versatus in lectione veterum scriptorum profanorum (ut patet ex opere de Doctrinâ christianâ, et ex libris de Civitate Dei; *nemo aliunde*, si Cano fides lib. 10 de Locis cap. 5, *ipso unquàm doctior fuit*), et edoctus eos nonnunquàm per *parùm* significâsse *nihil*, vel *non*, hanc vocem hâc in quæstione hoc sensu accipere voluit, ne vocem, *nihil*, aut *non*, quam in ejusdem quæstionis discussione centies usurpaverat, semper repeteret. Id sanè demonstrat Augustini contextus, sive (ut schola loquitur) *subjecta materia* Augustini testimoniorum.

Etverò, libro de perfectione justitiæ cap. 10, n. 21, ait: *Quæ charitas* (de quâ Apostolus Epist. ad Rom. cap. 5, v. 5, et Joannes 1 epist. cap. 4, v. 18) *ut habeatur parùm est nostræ voluntatis arbitrium, nisi adjuvet gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quis, nisi pelagianâ vertigine dementatus, dixerit liberum arbitrium *tantillùm* valere ad habendam charitatem, quam ideò sine speciali gratiæ actualis auxilio aliquando obtinere potest? Sensus igitur est: *Quæ charitas ut habeatur*, nihil, *aut* non *valet liberum arbitrium nisi gratiæ cooperando*, sive *nisi adjuvet gratia Dei*. Eodem libro cap. 2, cùm dicit, *parùm esse ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adjuta sanetur gratiâ Dei per Jesum Christum*, loquitur de peccato generatim et non speciatim accepto, quod evincunt tum libri titulus, in quo aiunt celeberrimi editores: *Cœlestius... perperàm definit posse hominem hîc sine peccato esse*, cùm tertia Cœlestii objectio, quam hîc liquescere facit Augustinus, quæ sic concipitur: *potest homo sine eo esse quod vitari potest, et ideò sine peccato.* Unde in objecto textu illud *ad non peccandum* non significat *ad peccatum aliquod vitandum, sed ad vivendum sine peccato;* at nemo rursùs, nisi ejus mens cœlestianâ fuligine nigrescat, dixerit liberum arbitrium in præsenti statu *tantillùm* vel *aliquid* valere ad vivendum sine peccato; parùm igitur eò loci indicat, *non* vel *nihil* prodesse ad vivendum sine omni peccato liberum arbitrium nisi adjutum sanetur gratiâ Dei.

Aliud non intendit S. doctor lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 3; ibi enim verba facit de pudicitiâ conjugali, de quâ Apostolus 1 ad Corinth. cap. 7, v. 7, *quæ est Dei donum.* Deinde addit: *Ad Dei dona expetenda, sumenda, retinenda,* (notandæ sunt istæ voces) *nostræ voluntates parùm valent nisi divinitùs adjuventur.* Sed quis denuò Catholicus dixerit, *ad petenda, sumenda, et retinenda Dei dona* liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio aliquid valere? Iterùm igitur *parùm* idem est ac *non* vel *nihil.*

Demùm, vox *parùm* alium non habet sensum libro de Correptione et Gratiâ cap. undecimo. (Interim lectorem monitum velim industrios et sagaces adversæ partis theologos, ad probandum liberum arbitrium per peccatum attenuatum et inclinatum posse sine gratiâ aliquod opus moraliter bonum elicere, hîc adducere exemplum sani et integri insontis Adæ liberi arbitrii.) Etenim hoc in capite loquitur Augustinus de auxilio *ad perseverandum in justitiâ* Adæ concesso; unde ad marginem posuerunt eruditi patres Benedictini: *Primus homo gratiam sibi ad perseverandum necessariam acceperat, sed in ejus relictam arbitrio;* item in ipso capite undecimo n. 31 ait S. doctor: *Tale erat adjutorium* (Adæ datum) *quod desereret cùm vellet, et in quo permaneret si vellet,* et antea: *Deseruit, et desertus est.* Sed tale adjutorium Adæ absolutè fuit necessarium, ejusque voluntas sine illo nullam prorsùs habuit in bono perseverandi potentiam; ait enim S. doctor initio numeri 31 ibidem: « Habuit gratiam (primus homo) in quâ si permanere vellet nunquàm malus esset, et sine quâ etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam

tamen per liberum arbitrium deserere posset ; » et numero 32 ibidem : « Natura Angeli et hominis, cùm primùm facti sunt, non talis facta est ut sine divino adjutorio posset manere si vellet. » Quod alibi illustrat exemplo oculi, qui licet perfectissimè sanus, si non sit candore lucis adjutus, rectè non potest cernere. « Sicut, inquit, oculus, etsi perfectissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere, ita homo perfectissimè justificatus, nisi divinâ gratiâ adjuvetur, rectè non potest vivere. » Liberum ergo Adæ arbitrium sine Dei adjutorio nihil valebat ad perseverandum in bono ; ergo vox *parùm* ibi idem designat ac *nihil* vel *non*.

Id tandem suggerunt ipsi insignes theologi qui gratiam ad opera moralia facilia non exigunt. Talis Bellarminus lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 9, ubi omnia D. Augustini testimonia ad suam opinionem comprobandam summo studio et curâ quæsivit, et protulit, et tamen ne unum quidem verbum fecit de tribus mox relatis. Hinc cardinalis Norisius, et alii eruditi, qui gratiam ad eadem opera requirunt, eadem testimonia sibi non objecerunt, quia dubio procul nullam offerebant difficultatem.

Feliciùs rem suam non promovent boni moralis facillimi sine gratiâ perpetrandi assertores dùm famosum sermonem 349, quo Augustinus charitatem partitur in divinam et humanam, sibi favere obtendunt. Hoc (fateor) testimonio optimè refellitur hæretica et insulsa Baii et ejus defensorum doctrina de duplici tantùm amore creaturæ rationalis, qui sit vitiosa cupiditas, et charitas strictè dicta, quasi nullus esset amor medius inter utrumque. Verùm non videmus quomodò inde possit inferri censuisse Augustinum posse hominem sine gratiâ aliquod bonum opus facile naturalis ordinis producere; proferendum enim esset aliquod testimonium quo S. doctor assereret posse hominem sine cœlesti adjutorio ut oportet, v. g., parentes honorare, Deum colere, eleemosynam impertiri, aliaque præcepta moralia observare, quod certè à nemine peragi posse confidimus.

Momentum tertium. — *Ex conciliis adversùs Pelagianos et Semipelagianos habitis.*—Ex synodis adversùs Pelagianos et Semipelagianos habitis solamad ducemus Arausicanam secundam, convocatam, ut vulgò creditur, anno 529, cujus 25 canones ex S. Augustini sententiis maximâ ex parte conflati à Bonifacio II, et Ecclesiâ catholicâ summo plausu recepti sunt, et idcircò eum habent sensum quem ipsis affixit S. doctor.

Canone 9, aiunt Patres : « Divini muneris est cùm pedes nostros ab injustitiâ detinemus... » Canone 20 : « Multa Deus facit in homine bona quæ non facit homo ; nulla verò facit homo bona quæ non Deus præstet ut faciat homo. » Hanc definitionem præformaverat D. Aug. lib. 2 ad Bonifacium cap. 9, n. 21. « Quapropter, inquit, multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo : nulla verò facit homo quæ non facit Deus ut faciat homo.

Scio quidem hunc canonem primariò significare totum bonum opus divinæ gratiæ tribuendum esse, id est, initium, et progressum, et perseverantiam ; Semipelagiani scilicet, quos percellit, initium et perseverantiam in bono opere gratiæ annectere detrectabant ; sed simul scio patres Arausicanos præter hoc totum intendisse quod D. Augustinus intendit citato lib. 2 ad Bonifacium cap. 9, siquidem ejus verba exscripserunt. At S. doctor hic adversùs Pelagianos intendit non solùm opera ad salutem conducentia, sed etiam non ardua, gratiæ esse tribuenda, ut antea fusè probavimus.

Iidem Patres humani arbitrii adversùs gratiam tumorem compescuerunt et confregerunt canone 22 his verbis : *Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum.* Hic canon desumptus est ex citato Tractatu 5 D. Augustini in Joannem et ex ipsius verbis concinnatus. Verba autem *de suo* idem apud S. doctorem significant ac ista, *sibi derelictus, ex proprio fundo, ex propriis viribus ;* id quippe apud ipsum passim connotant, v. g., in isto ejus effato, *homo de suo malus, de Deo bonus,* ideòque sensus canonis est : *Homo solis naturæ viribus instructus nonnisi peccare potest, et ideò si gloriari voluerit, non in se, sed in Domino gloriari debet.*

Hæc Ecclesiæ definitio censoris auctores extremis constrinxit et implicuit angustiis. Eorum Coryphæus doctissimus Bellarminus, qui suam hìc opinionem timidè et dubitanter defendit, se hærere in salebrâ dissimulare non potuit. Libro 5 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 11, versùs finem, duas proponit responsiones. Prima fert decretum concilii conditionatè intelligendum esse in hunc modum : *Nemo habet de suo, cùm adsunt tentationes, nisi mendacium et peccatum.* Altera decretum exponit de concursûs generalis privatione, *qui,* inquit, *pariter à Pelagio negabatur,* ut sensus sit : *Nemo sibi derelictus, et ideò Dei concursu destitutus, habet nisi mendacium et peccatum.*

Istæ solutiones à viro licet doctissimo propositæ quibusdam recentioribus placuisse non videntur. Alias excogitaverunt quæ profectò fœcundi Bellarmini ingenii aciem non fugerant, quas tamen in aleam mittere ausus non est. Prima docet concilii decretum connotare peccatum *latè sumptum*, id est, opus, cui non est insita virtus ducendi ad æternam vitam; unde significavit synodus hominem ex se nihil *in ordine ad vitam æternam* habere *nisi peccatum;* quidquid nimirùm sine gratiæ adjutorio et ex solis naturæ viribus operatur nihil ipsi proficit ad æternam salutem. Etverò, inquiunt, canon iste excerptus est ex tractatu 5 Augustini in Joannem ubi dicitur : *Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum; si quid autem homo habet veritatis et justitiæ ab illo fonte est, quem debemus sitire in hâc eremo ;* at justitiæ nomine hîc indubiè designatur justitia ducens ad vitam æternam... Alias voces, *de suo*, interpretatur de ignorantiâ, et concupiscentiâ; quæ *sunt vitiosa radix ex quâ nihil boni oriri potest*, non de intellectu et voluntate, quasi sensus esset, *homo nihil veri intelligere, et nihil boni moralis velle potest sine gratiâ.*

Quid autem tot ac tam discrepantes solutiones suggerunt? Nonne amplam portendunt victoriam primæ concilii decreti expositionis defensoribus, quorum adversarii incerti quò sese vertant retortis in se gladiis sese mutuò confodiunt? Enimverò, ubi Bellarminus *verum* intellexit peccatum, alii *improprium* subodorantur delictum ; ubi Bellarminus voces *ex suo* exponit de propriis intellectûs aut voluntatis viribus, alii eas alio modo explicant. Nulla autem ex relatis expositionibus concilii sanctioni est accommodata. Non prima ; conciliienim decretum non secùs ac Augustini testimonium tractatu 5 in Joannem absolutum est, non conditionatum, ut inspicienti illicò innotescit. Deinde, si referretur ad tentationes , quasnam respiceret? Levesne, an graves tantùm? Non leves certè; vulgò enim sentiunt, non graves quidem, sed leves tantùm tentationes ab homine propriis naturæ viribus posse superari. Graves igitur; et quomodò Augustini, vel concilii textum eas tangere probarent? Demùm quis non videat scopum concilii et Augustini eò collimare ut reprimant arrogantiam Pelagianorum qui se bonum naturæ viribus operari posse gloriabantur?

Non secunda. Primò enim haud constat Pelagianos naturalem concursum rejecisse, ut hîc gratis et sine probatione sub difficultatis pondere deficiens obtendit Bellarminus. Altum de hoc Pelagianorum errore apud eos qui illorum historiam accuratè scripserunt silentium, Baronium, Norisium, Petavium, P. Alexandrum, etc. Tres ultimi apprimè noverant Yprensem lib. 5 de historiâ pelagianâ capitibus 19, 20, 21, etc., mordicùs asseruisse hunc concursum à Pelagianis admissum fuisse etiam ad operationes voluntatis, et tamen hujus novatoris errores circa Pelagianorum historiam refellendo de isto prorsùs siluerunt : prætereà naturale Dei auxilium à Pelagianis fuisse improbatum solâ Hieronymi ad Ctesiphontem epistolâ probari posse videtur; àt omnibus eruditis notum est Hieronymum cùm hanc emisit epistolam, parvam admodùm Pelagii dogmatum habuisse notitiam, et aliunde ex obscuro ejus in eâ epistolâ testimonio nihil certi erui posse..... 2° Patres Arausicani loquuntur de concursu quem delineavit Augustinus tractatu 5 in Joannem; sed iste concursus manifestè est supernaturalis : « Si quid, inquit S. doctor, homo habet veritatis et justitiæ ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ... ne deficiamus in viâ,.... et venire ad salutem » non possimus.

Non tertia. Etverò, synodus et Augustinus ibi accipiunt peccatum quatenùs opponitur justitiæ, sicut mendacium quatenùs opponitur veritati; sed quod opponitur justitiæ verum est peccatum; justitia enim ibi sumitur quomodò Augustinus eam sumit libro de spiritu et litterâ capitibus 27 et 28 ubi dicit, *quædam infidelium et impiorum opera esse secundùm justitiæ regulam*, id est, habere moralem bonitatem; justitia ergo ibi significat moralem bonitatem, quemadmodùm veritas ibidem significat veritatem naturalem.....Neque reponas concilium et Augustinum ibi non magis requirere gratiam ad bonum morale facilè perficiendum, sive ad non peccandum, quàm ad aliquam veritatem naturalem cognoscendam; at indubiè speciale gratiæ auxilium ad hujus veritatis notitiam non exigit. Etenim concilium et Augustinus ibi accipiunt verum naturale morale non quatenùs est merè speculativum, sed quatenùs est practicum, sive quatenùs ordinatur ad movendum hîc et nunc hominis affectum; unde intendunt neminem ex se absque speciali gratiæ auxilio cognoscere verum morale practicum. Hinc accipiunt mendacium prout opponitur efficaci notitiæ veri moralis practici, quod aliunde satis indicat vox *mendacium.*

Non quarta. Concilium quippe et S. doctor

disserunt de facultatibus, ex quibus prodeunt mendacium et peccatum, quales certè sunt intellectus et voluntas. Præterea, cùm ignorantia insideat intellectui, et concupiscentia voluntati, quomodò illæ duæ facultates his irretitæ laqueis possent sine gratiâ verum practicè cognoscere et bonum morale elicere ? Demùm quam hìc comminiscuntur ignorantiæ et concupiscentiæ ab intellectu et voluntate separatio est fictitia, siquidem, ut diximus, ignorantia et concupiscentia intellectui et voluntati inhærent. Tandem Ecclesia in hymno Spiritûs sancti canit, *nihil sine ejus gratiâ esse innoxium.*

Momentum quartum.—*Ex summis pontificibus qui sententiam de gratiæ necessitate ad opera moralia facilia velut non catholicam habere expressè prohibuerunt.*— Talis inter alios Clemens X, talis Innocentius XII. Iste eruditum Norisium, postquàm accurato examine præmisso, cui Sedis apostolicæ suffragium accessit, ejus opera à sacrâ Inquisitione romanâ pluribus vicibus à Baii erroribus immunia sunt renuntiata, in præmium sanæ doctrinæ, et eximiorum in Ecclesiam meritorum, sacro cardinalium collegio inseruit.

Talis doctissimus pontifex Benedictus XIV, qui in famoso Brevi dato 31 julii anni 1748 ad magnum Hispanæ inquisitionis præsidem hæc declaravit : « Norisiana opera Baianismi, aut Jansenismi notâ carent, et carere constat post multiplicatum super eis examen in hâc supremâ Inquisitione romanâ, cui summi pontifices pro tempore existentes præsunt, quique mox recensita examina suo calculo comprobârunt. » Deinde refert atroces, et rabiosè iteratas Norisii inimicorum delationes, uno verbo, totam acrimoniam quâ in ipsum et scriptis et virulentis buccis despumabant, additque *celeberrimum auctorem ex iis victorem exiisse,* cùm, ut dictum est, in mercedem *doctrinæ* et summorum beneficiorum, quæ reipublicæ christianæ contulerat, inter primarios cardinales relatus sit. At ex dicendis elucescet. Norisium et in Vindiciis, et in Janseniani erroris calumniâ sublatâ pro commemoratâ opinione tanquàm pro aris et focis decertare.

Idem pontifex ibidem et in Brevi dato 31 maii anni 1745 in gratiam religionis Augustinianæ, et Norisii operum de Augustianâ scholâ dicit : « Augustiniani traducuntur tanquàm sectatores Baii et Jansenii. Reponunt ipsi se humanæ libertatis esse fautores, et oppositiones *pro viribus* eliminant, cùmque eorum sententia usque adhuc à Sede apostolicâ damnata non sit, nemo est qui non videat a *nullo Superiore ecclesiastico* prætendi posse ut à suâ sententiâ discedant. » Notum autem est celebrem Augustinianorum scholam eamdem opinionem totis viribus propugnare tanquàm sinceram D. Augustini, imò et Ecclesiæ catholicæ doctrinam.

Momentum quintum. — *Ex ipso theologorum, qui pro adversâ opinione stant, suffragio.* — Inter theologos catholicos, quibus placet aliquod opus moraliter bonum facile sine speciali Dei gratiâ fieri posse, nullum omninò invenire potui (multos tamen evolvi) qui adversam opinionem pro catholicâ non habuerit. Hinc amplissimas censori grates rependemus, si vel unum sic sentientem nobis indicaverit. Robertus Bellarminus, vir singulari animi moderatione et eruditione cunctis scholis acceptissimus, lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 4, relatis contrariis Pelagianorum et Lutheranorum erroribus ait : « Conveniunt theologi catholici omnes 1°, non posse fieri ulla opera solis naturæ viribus quæ sint meritoria gratiæ, idque contra Pelagianos ; 2°, non esse peccata opera omnia quæ justificationem præcedunt, idque contra Lutheranos. Intra hos terminos disputant aliqui pro libero arbitrio fortassis liberiùs quàm par esset, ut Scotus, Durandus, Gabriel, etc. Alii fortassè minùs tribuunt libero arbitrio quàm oporteret, ut Gregorius Ariminensis, Capreolus, Marsilius, » etc. Ubi vides Bellarminum apprimè distinguere sententiam theologorum à sententiâ hæreticorum inter utramque Catholicorum opinionem vacillare, ut indicat vox, *fortassis*, et pro *Catholicis* habere qui alterutram propugnant. Eodem libro, cap. 9, dicit, « certissimum esse non esse peccata opera omnia quæ fiunt sine fide, præsertim si fiant cum auxilio Dei speciali ; » ergo, si fiant sine isto auxilio, illud certum non est. Gregorius de Valentiâ, alter insignis Societatis Jesu theologus in 1-2, disput. 8, q. 1 de necess. gratiæ puncto 3, ait : « Quæritur, an sine ullo gratiæ auxilio possimus in hoc statu naturæ corruptæ facere aliquod opus bonum morale, quod tum ex objecto, tum ex circumstantiis sit rectum. Quâ de re quatuor sunt sententiæ ; duæ extremæ hæreticorum (supra à Bellarmino relatæ) et duæ mediæ *theologorum orthodoxorum*, quorum alii etsi ad omne opus bonum morale non requirant auxilium gratiæ justificantis, aut etiam fidei (in quo omnes orthodoxi consentiunt), tamen requirunt aliquod auxilium gratiæ actuale, quo scilicet homo incitetur et adjuvetur ad quodcumque bonum opus morale

exercendum. Ita Gregorius Ariminensis. » Hæc, opinor, commentario non indigent. Gregorius de Rhodes, alter ejusdem Sodalitii theologus, tom. 1, disput. 2, de gratiâ, sectione 4 *de necessitate gratiæ ad opera moralia facillima*, dicit: *Hæc est nobilis ima controversia quæ scholam theologicam divisit in partes.* Deinde paragrapho primo affert dissidentes opiniones.

Quoniam autem longum foret, et (ut puto) planè inutile cæteros adducere, prodeant nonnulli recentiores, quorum judicium profectò non abnuet censor.

Honoratus Tournely de Gratiâ q. 4, a. 2, relatâ Baii et Jansenii circa præsentem quæstionem opinione, ait : « Gabriel Vasquez plures appellat è scholâ theologos qui docent nullum opus morale ex omni circumstantiâ bonum posse fieri sine aliquo divinæ gratiæ auxilio, quam sententiam ipse sequitur... At sensu (hæc apprimè observa) à Baio et Jansenio multùm alieno; isti quippe sine fide supernaturali et charitate propriè dictâ, sive theologicâ nihil omninò boni fieri posse, et quidquid ita fit verum esse peccatum, contendunt; non ita Vasquez. » Deinde addit : « Communior scholæ sententia est S. Thomæ 1-2, q. 109, a. 2,... videtur hæc esse Bellarmini sententia lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 5 et seq. » Theologi ergo catholici, et quidem *plures*, sentiunt nullum prorsùs opus bonum morale sine gratiâ elici posse *sensu à Baii et Jansenii sensu multùm alieno*, ideòque *Baianismi* absque injustitiâ insimulari non possunt : *Communior* igitur *tantùm scholæ opinio est D. Thomæ*, etc.; contraria ergo *communis* est, *videtur hæc esse Bellarmini sententia;* ergo *certum* non est celebrem istum virum illam opinionem defendisse.

Concinunt Tornelii redactores, sed non tam accuratè quàm magister; unus enim, relatâ Baii et Jansenii sententiâ, ait *: Quin et eidem* (Baii et Jansenii doctrinæ) *adhæsère nonnulli è Catholicis, ut cardinalis Norisius in Vindiciis*, etc., quæ propositio à Tornelii relatione in duobus discrepat; enuntiat enim 1°, Norisium et alios Baii et Jansenii doctrinæ circa istam quæstionem sese morigeros præstitisse, et ideò cum Baio fuisse damnatos, quod negat Tornelius... 2° *Nonnullos* duntaxat Catholicos huic sententiæ adhæsisse, cùm referente Vasquesio, et post eum Tornelio *plures* ipsi adhæserint. Idem auctor ait : *Communis* (non communior ut Tornelius) *sententia est in præsenti statu aliquod bonum opus morale ordinis naturalis per solas naturæ vires fieri posse;* ut scilicet innuet contradictoriam opinionem non esse *communem*, quod falsum esse postea ostendemus.

Concinit alter doctor Parisiensis, socius Sorbonicus nuper summum suî desiderium derelinquendo è vivis excessus censori certè non posthabendus, Franciscus de la Chambre, in erudito et optimo opere quod inscripsit : *Traité historique et dogmatique sur la doctrine de Baius, et sur l'autorité des bulles des papes qui l'ont condamnée.* Etenim in monito operi præfixo n. 3, sapientem hanc præscribit regulam, quam ob oculos habere debuisset Censor : « Lorsqu'il s'agit de fixer la doctrine et de combattre l'erreur, il faut éviter deux excès : le premier de donner pour erreur et pour condamné ce qui est laissé à la liberté des écoles (in hoc hallucinatus est censor); le second, de regarder comme opinion permise, et comme laissée à la dispute des théologiens, ce qui est réellement contraire à la foi, et réprouvé comme tel. » In illustratione super Baii tractatu n. 4, ait : « Le libre arbitre n'a point entièrement péri en Adam, quoiqu'il ait été affaibli. Voilà ce que la foi enseigne, et ce que nie Baïus... L'homme tombé, en vertu des restes et des traits de la droiture du premier état, qui n'a point été absolument détruite en lui par la désobéissance du premier père, peut-il d'un pouvoir réduit à l'acte observer quelque précepte de la loi, sans un secours actuel, distingué du don de la création et accordé en vertu des mérites de Jésus-Christ? Question laissée à la liberté des Théologiens, pourvu cependant qu'on reconnaisse que ce secours nécessaire pour pratiquer le bien est totalement différent de cet esprit de charité proprement dite que le Saint-Esprit répand dans nos cœurs. » Eadem habet in eodem tractatu, paragrapho 3, n. 5, etc.

Verùm adsit testis insignior et præstantior dominus Languet olim Suessionensium episcopus. In quintâ epistolâ pastorali, 3 parte, n. 59 et 60, de bonis infidelium operibus hæc habet : « Les théologiens sont partagés en différentes opinions sur cette matière; opinions sur lesquelles l'Eglise leur laissant la liberté, j'ai cru devoir les abandonner à leur dispute sans m'y engager. (Hæc observatione digna sunt.) En effet, tandis qu'ils soutiennent tous, en conséquence des jugements que l'Eglise a rendus, que les actions des infidèles ne sont pas toutes des péchés, ils se partagent en différentes classes dans l'explication de cette vérité. Quelques-uns prétendent (debuisset dicere : *plusieurs*, cùm postea dixerit ; *le plus commun sentiment*, etc.) que les

actions de charité et de justice que font quelquefois les infidèles sont dirigées par une grâce générale méritée par Jésus-Christ et répandue sur tous les hommes, qui les conduit dans ces actions qui sont louables. Les autres, et c'est le plus commun sentiment, soutiennent que par la lumière naturelle que le péché n'a pas entièrement effacée, les hommes peuvent être dirigés dans quelques œuvres justes et bonnes, et les faire sans péché. Entre ceux-ci, quelques-uns croient que l'homme qui, par les lumières naturelles peut connaître l'existence d'un Dieu infini dans sa bonté, peut aussi par ses forces naturelles, aimer Dieu par dessus toutes choses d'un amour naturel. Tels Cajétan et Dominique Soto... D'autres soutiennent que cet amour naturel n'est pas possible à l'homme. Tel Bellarmin. Mais ces théologiens, en se partageant sur ces sujets de dispute, conviennent tous, » etc.

Celebriores igitur defensores religionis agnoscunt istam quæstionem, *utrum infidelium opera omni ex parte bona divinæ gratiæ adscribenda sint vel non*, Scholæ libertati *ab Ecclesiâ* relinqui, et nunquàm ipsis in mentem venit opinionem affirmantem *Baianismi* aut *Jansenismi* censurâ configere, aut etiam asserere illam Baio favere.

Veneranda tamen adversùs tot illustrium virorum suffragium auctoritas objici potest (quam censor in suâ dissertatiunculâ non adduxit, aut quia illius oblitus fuerat, aut quia eam multi non facit). Censura scilicet sacri Ordinis Parisiensis lata 27 junii anni 1560 in 18 Baii propositiones, postulantibus Petro de Quercu Guardiano Nivellensi et Ægidio de Querceto Guardiano Athensi. Quarta hæc erat : *Liberum arbitrium ex se non potest nisi peccare, et omne opus liberi arbitrii sibi dimissi est peccatum mortale aut veniale.* Hâc autem censurâ confixa est : *Pro utrâque parte est hæretica ;* nemo igitur *nisi hæreticus* asserere potest liberum arbitrium sibi dimissum non posse nisi peccare.

Verùm plurima sanè hanc censuram elidunt, atque etiam, si prout jacet et sine ullo ad Baii sensum respectu est intelligenda, penitùs subruunt. Etenim primò ex sacri Ordinis Statutis et laudabili usu nulla prorsùs et irrita sunt acta quæ in sequenti congregatione relata non sunt et confirmata ; at, inquit socius Sorbonicus dominus de la Chambre in commemorato opere p. 124 (edit. in-12.) *On ne voit pas que la censure ait été relue et confirmée selon l'usage dans une assemblée suivante.....* 2° Omnes auctores, etiam Sorbonici, qui ab anno 1560 ad hanc usque ætatem floruerunt, pro catholicis habuerunt theologos docentes, liberum arbitrium *ex se*, id est, sine gratiâ à verâ charitate distinctâ, non posse nisi peccare, ut modò ostendimus. Illam igitur prætensam censuram nihili fecerunt.... 3° Gamachæus, Tornelius et alii cùm veteres tum recentiores Sorbonici doctores, qui in confirmationem suarum opinionum doctrinalia judicia sacræ Facultatis afferre consueverunt, de isto judicio in præsenti controversiâ omninò tacuerunt; quin P. Alexander in historiâ 15 et 16 seculi uno aut altero verbo de illo injecto statim et non sine encomio adducit sententiam Vasquesii ipsi, ut notum est, è diametro oppositam ; ipsis igitur fuit persuasum hanc censuram aut nullius esse ponderis, aut suæ opinioni non favere. . . . 4° Illa censura, si quid unquàm roboris habuit, illud totum amisit post solemne judicium Clementis X, Innocentii XII, et Benedicti XIV, totiusque sacræ Inquisitionis romanæ, qui in Norisio et aliis Augustinianis orthodoxam renuntiaverunt sententiam quam *hæreticam* declarat... 5° Commemoratum judicium seipso ruit. Sic enim arguimus : Censura propositionis quartæ pluris facienda non est quàm censura propositionis 16 ; si quippe ultima censura malè fuit lata, quidni et altera ? At nihili prorsùs facienda est, quin potiùs omninò est improbanda censura 16 propositionis; illa enim assertio sic concipitur : *Nemo præter Christum est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum quod contraxerat ex Adam.* Quid censura ? *Hæc propositio est hæretica.* Quis, quæso, ferat tam inconsideratum, et tam temerarium judicium ? Sixtus IV, anno 1484, sub excommunicationis pœnâ vetuerat ne opinio affirmans aut negans intemeratum B. Mariæ Conceptum hæresis notâ configeretur (quam Constitutionem confirmaverat concilium Trid. sessione 5, anno 1546, et Pius V Constitutione super speculam) et generosi censores negantem assertionem hæreticam esse conclamant, sicque Thomistas et alios excommunicatos declarando ipsi in excommunicationem incurrunt ! Doctissimus Bellarminus, cui super hoc omnes eruditi assentiunt, dixit libro 4 de amissione gratiæ et statu peccati cap. 15, *impudentissimum esse mendacium* asserere ab Ecclesiâ in fidei tesseram erectam esse opinionem de immaculato Virginis Conceptu ; dixit illam opinionem esse duntaxat *piam admodùm et probabilem, et contrariâ longè probabiliorem*, et

doctiores censores illam sententiam inter fidei dogmata annumerare audebunt !

Doctissimi viri Vasquesius, Suaresius prolegomeno 6 de Gratiâ, cap. 2, n. 16, Lens in corpore doctrinæ Baianæ p. 172, asserunt in bullâ Pii V Baii propositionem 74 (in editione P. Duchesne): *Nemo præter Christum est absque peccato originali, etc.*, propter *doctrinam eâ expressam*, sive nudam assertionem, de conceptione B. Virginis in originali peccato, non fuisse proscriptam (idem censuit Bellarminus qui Pii V Constitutionem ad opinionem suam de intemerato Conceptu probandam, non adduxit), et quis illam sententiam *hæreticam* renuntiare non erubescet ? Idem judicium propositiones æquivocas, sive quæ multiplicem patiuntur sensum, absque ullâ sensuum distinctione speciali notâ configit, sicque distinctionibus multiplicandis magis quàm sedandis et finiendis est idoneum, et omninò alienum à mente Pii V, qui Baii propositiones damnando, generatim licet et respectivè, observavit *tamen nonnullas aliquo pacto sustineri posse, quamvis non in rigore et sensu ab auctoribus intento.*

Dicendum igitur omninò est commemoratam censuram aut ab initio fuisse irritam, aut tacito saltem consensu ab ipso sacro Ordine revocatam, quod profectò *perpetuo et semper viventi Galliarum concilio*, ut olim loquebatur dominus Mezeray, injuriosum non est, cùm sol ipse, qui totum terrarum orbem fulgore suo collustrat et vivificat, defectioni nonnunquàm sit obnoxius.

Nihilo tamen minùs conjicerem sacram facultatem quartam propositionem declarâsse *hæreticam* aut quia existimavit illâ proscribi indifferentiam activam humanæ voluntatis ad bonum aut malum, sive innatam homini ac post Adæ peccatum superstitem potentiam faciendi bonum aut malum, legem implendi vel non implendi (quo certè sensu est hæretica), aut potiùs quia eamdem propositionem proscribere voluit relativè ad sensum Baii, qui intendebat liberum arbitrium *ex se*, id est, sine charitate habituali aut actuali propriè dictâ (quam unicam gratiam admittebat), nonnisi peccare posse (quo iterùm sensu propositio est hæretica). Etverò duo commemorati Guardiani prælectiones theologicas, quas sui Novitii à Baio acceperant, in quibus iste sensus exprimebatur, ad sacrum Ordinem indubiè miserant, qui ideò tam perversam doctrinam explodere fuit sollicitus.

Momentum ultimum. — *Ex rationibus ex fidei principiis scaturientibus.* — Rationes illas deducemus ex doctrinâ quam ipsimet operis moraliter boni facilis sine gratiâ faciendi assertores scriptis suis consignârunt. Bellarminus, lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 5, hanc ex D. Thomâ rationem affert ut probet solis naturæ viribus omnia præcepta moralia secundùm substantiam operis adimpleri non posse. « Quoniam natura humana per peccatum primi parentis depravata aversa est à Deo, et conversa ad creaturas, præsertim ad se, ac proinde finem ultimum vel actu, vel habitu, vel certè propensione quâdam in creaturâ, non in Deo, constitutum habet. Quare, quando occurrunt aliqua agenda, vel evitanda, ex fine illo præconcepto quasi naturaliter inclinatur ad malum, et violenter ad bonum, et ideò necessaria est vis quædam et ut homo vigilet et præmeditetur, et contra propensionem amoris proprii pugnet, quod impossibile esse moraliter non solùm ratio sed experientia docet. »

Hæc eruditi viri doctrina innititur hoc concilii Trid. decreto sessione 6, c. 1 : *Etsi liberum arbitrium minimè extinctum sit, viribus tamen attenuatum est et inclinatum;* inde enim elucet hominem ita liberum remansisse, ut tamen ad se et sua aliaque sensibilia jugiter et inordinatè inclinetur. Hoc sanè argumentum plus probat quàm hìc probare intendit eximius ejus auctor. Evincit enim, ut vel tantisper attendenti facilè innotescet, quotiescumque occurrunt aliqua agenda vel evitanda, cujuscumque naturæ sint, sive facilia, sive ardua, *vim quamdam* necessariam esse ut homo à se, sive inordinato suî amore et creaturâ retrahatur, et ad bonum assurgat, quæ suavis violentia nonnisi ex gratiâ oriri potest.

Idem insignis theologus ibidem sententiam suam sic probet : « Si D. Augustinus libro de Correptione et Gratiâ, cap. 12, affirmat, ipsum etiam hominem justificatum, nisi is divinâ gratiâ indeclinabiliter et insuperabiliter (id est, infallibiliter) ageretur ob naturæ infirmitatem sine dubio casurum esse, quantò nos id majori ratione affirmare possumus de homine infideli, et qui solis nitatur viribus naturæ per peccatum corruptæ et vitiatæ ! »

Hæc iterùm ratio probat hominem *ob naturæ infirmitatem* ipsum opus moraliter bonum facilè non posse elicere. Cùm enim dixit Augustinus justum esse prolapsurum si à divinâ gra-

tiâ non agatur, significare voluit justum bonum supernaturale nec *collectivè*, nec *distributivè* agere posse sine gratiæ auxilio; ergo, ut valeat Bellarmini ratiocinium, oportet ut idem homo solis naturæ per peccatum corruptæ viribus bonum morale nec *collectivè* nec *distributivè* possit operari.

Doctissimus cardinalis eodem libro 5, cap. 7, ex Scripturâ et Patribus asserit nullam prorsùs tentationem sine speciali Dei auxilio, id est, internâ illustratione, et motione supernaturali, ab homine posse superari; et lib. 6, cap. 7, « non posse Deum sine ipsius ope diligi neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ et gloriæ, perfectè, neque imperfectè ullo modo; » deinde addit: « Atque hanc non dubitamus sententiam esse S. Augustini, imò etiam Scripturarum et conciliorum, quidquid aliqui minùs consideratè in hâc parte scripserint. »

Quis autem illicò non intelligit hanc doctrinam minimè cohærere cum opinione asserente opus moraliter bonum facilè solis naturæ viribus fieri posse? An enim levis tentationis victoria majus voluntati humanæ facessit negotium quàm operis moraliter boni etiam facilis perpetratio? Si infirmus, ut utar exemplo, quod ad nauseam usque adducunt, calculum invenerit in viâ, nonne eum tam facilè amovebit quàm parvum iter perficiet, pedesve movebit? Imò prorsùs impossibile est ut quis opus moraliter bonum facilè eliciat, nisi experiatur quamdam tentationem, juxta illud *nitimur in vetitum semper, cupimusque negata;* et istud Jacobi, *unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus.* Hinc theologi Bellarmini opinioni infensi suam sententiam iisdem probant argumentis quibus ejusdem opinionis defensores hominem aliquod opus moraliter bonum solis naturæ viribus agere posse ostendere conantur.

Item perquàm facile est Deum diligere ut auctorem naturæ et beneficiorum naturalium, amore saltem imperfecto, cùm inprimis, ut in Confessionibus clamat Augustinus, *cuncta,* id est, aspectabilis hic mundus, *cuilibet dictare non desinant ut Deum amet;* et Apostolus Romanorum cap. 1, obstupescat quòd gentiles, cùm Deum cognovissent, illum sicut Deum non glorificaverint, sive coluerint. Hinc rursùs qui hic Bellarmino dexteram non porrigunt hæc facilia esse proclamant.

Palmaris ratio, quam hic ostentant, efflorescit ex conditione liberi arbitrii, cujus vires ad bonum, licet per peccatum plurimùm imminutæ, omninò tamen non fuerunt extinctæ. Hinc postquàm D. Augustinus libro de Spiritu et Litterâ, cap. 27, n. 48, dixit infideles et impios nonnulla aliquando opera elicere *secundùm justitiæ regulam laudanda*, hanc cap. 28 addit rationem: *Quia usque adeò in animâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita non est, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanserint; unde meritò dici possit etiam in ipsâ impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Istorum verborum, inquiunt, sensus est, infideles et impios notitiam boni et mali, et illud agendi potentiam per peccatum non omninò amisisse, et ideò superstitibus viribus illud aliquando operari.

At hoc argumentum plurima enervant: 1° enim ipse Bellarminus lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 9, ingenuè fatetur genuinam illius testimonii significationem sibi non esse exploratissimam; ait enim: *Quorum verborum hic esse videtur sensus.* 2° Augustinus hæc dixit *transitoriè et quasi aliud agendo,* ut patet ex contextu, et per *figuram concessionis,* ideòque de sincerâ ejus mente circa præsentem quæstionem per hunc locum judicandum non est, sicut per alia ejus opera in quibus *ex professo* hanc quæstionem tractavit, qualia sunt ea quæ in secundo argumento protulimus. 3° Quâ arte posset evinci bona opera, de quibus hic Augustinus, non ardua, sed facilia fuisse. 4° Pauca infidelium et impiorum opera, quæ Augustino dicente, etiam ratione finis, bona fuisse leguntur, evidenter sunt regis Assueri misericordia in Judæos, obstetricum ægyptiarum in Hebræorum parvulos humanitas, continentia Polemonis, quorumdam Romanorum virtutes; sed hæc ipsa Dei gratiæ tribuere S. doctorem antea ostendimus; nec ipse contradicit Bellarminus qui loco citato dicit *Romanorum virtutes Dei gratiæ tribui posse.*

Igitur Augustinus his verbis: *Imago Dei in infidelibus et impiis omninò non est deleta, qui ideò aliqua legis faciunt vel sapiunt,* significavit remanere in homine lapso aliquam legis naturalis cognitionem, et activam indifferentiam ad bonum et malum, sive naturale, sive supernaturale, quam aliquando reducit ad actum, sive cum gratiæ auxilio, sive sine illo, quod hic ex professo non expendit. Etverò ibi disserit Augustinus de impiis qui in impietate obduruerunt, et *lassati sunt in viâ iniquitatis,* ut Scripturæ verbis utar; sed nunquàm profectò in S. doctoris mentem venit tales homines bo-

num etiam morale sine gratiæ auxilio posse operari; quinimò passim docet, eos *bonum morale non apprehendere et prosequi, sed in malum pro inveteratâ consuetudine moveri nisi gratiâ adjuventur.* Legi poterit libro de Patientiâ cap. 7, n. 14, et lib. 2 de peccatorum meritis et remissione, cap. 17, n. 26, etc.

Sectio ii. — *Theologi pro operum moraliter bonorum sine gratiâ eliciendorum impossibilitate decertantes, ipso etiam Gregorio Ariminensi non excepto, præ aliis Theologis eorum adversariis in hâc controversiâ laudandi fuerunt.*

Notum est eruditis quàm indignis modis, inprimis post exorta Janseniana dissidia, à nonnullis recentioribus tractati sint D. Augustinus et celeberrima ejus schola. Unus ex illis, eximius aliunde theologus, in Commentario capitis 8 Matthæi v. 18 in hæc audacter prorupit : « Nec enim sequenda illa opinio est, quam Tridentinum concilium nuper meritò damnavit, omnia peccatorum aut etiam infidelium opera esse peccata, quamvis maximum auctorem Augustinum lib. 4 contra Julianum cap. 3, et lib. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 5, et Prosperum habuisse videatur. » Quis tam tetram ferat calumniam? Augustinus docuit *omnia peccatorum opera esse peccata* dùm illum errorem à concilio Trid. damnatum sessione 6, can. 7, libro de Patientiâ cap. 26 et alibi passim refellit! Augustinus absolutè docuit omnia infidelium opera esse peccata dùm (ut ex dictis constat) illud nonnisi conditionatè tradidit, si nempe gratia non impediat ne in superbiæ peccatum actu reflexo incidant, vel eos à suî et creaturæ inordinato amore non retrahat!

Alia convicia recoquere horreret animus. Doctissimum virum Norisium ad evulgandas Vindicias Augustinianas novissimis hisce temporibus adegerunt, quas illi recentiores torvis quidem aspexerunt oculis, sed ne extremis quidem unguiculis vellicare hucusque ausi sunt.

Si igitur illis recentioribus adversi doctores suam opinionem eâ, quâ decet, modestiâ defenderunt, nullis prorsùs in adversarios probris contortis, censor vel quilibet alius æquus arbiter nedùm nobis succenseat quòd illos magistros impensè extulerimus, aliorum meritis silentio prætermissis, quinimò nobis debet summoperè gratulari; at insignes illos viros in præsenti controversiâ sese sic gessisse testantur auctores fide dignissimi, quos inter solum Bellarminum, ne longior sim, adducam. Libro 5 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 4, relatâ opinione Gregorii Ariminensis, Capreoli, Marsilii, etc., ait : « Eâ modestiâ disserunt isti, ut et parati sint judicio Ecclesiæ semper acquiescere, et ante Ecclesiæ definitionem non audeant fratres suos damnare, neque pro hæreticis habeant qui contra sentiunt. » Ubi vides comprehendi ipsum Gregorium Ariminensem, in quem tam acriter invehitur censor. Sed, inquit (et hæc est palmaris ejus accusatio in istum theologum), « Gregorius Ariminensis impudenti et sacrilego Lutheri ore summis laudibus exornatus est quòd cuncta et singula infidelium opera defectu relationis in Deum vera esse peccata asseverâsset. » Non inficior; factum enim illud referunt maximâ fide digni testes Bartholomæus Medina, Dominicus Soto, et Andreas Vega; sed quid inde? Istum theologum hæreticorum albo esse inscribendum? Quæ, Deus immortalis, consecutio! Joannes Calvinus in quatuor Institutionis libris, in Antidoto, etc., et Cornelius Jansenius in suo Yprensi D. Augustinum *totum esse suum* vociferantur; ergo D. Augustinus Calvini et Jansenii hæresi prælusit, sive illius fundamenta jecit! ergo minimè laudandus est D. Augustinus! Quis tam intolerabile pronuntiatum non execretur et exhorrescat? Itaque Gregorius Ariminensis laudatus quidem fuit à Luthero, ut Augustinus à Calvino et Jansenio, sed non ideò Lutheri errori circa infidelium opera, sicut nec Augustinus Calvini et Jansenii systemati favit. Quotquot scilicet extant insignes theologi longum latumque discrimen agnoscunt inter Lutheri et Gregorii sententiam de infidelium operibus. Supra audivimus Bellarminum dicentem : *Catholici omnes theologi* (inter quos expressè recenset Gregorium Ariminensem) *consentiunt non esse peccata opera omnia quæ justificationem præcedunt, idque contra Lutheranos;* ergo Gregorius Ariminensis Lutheri hæresi de infidelium operibus viam non stravit. Concinunt theologi antea laudati, Gregorius de Valentiâ, Georgius de Rhodes, Honoratus Tournely, Henricus Norisius, etc. Hic Vindic. cap. 4, paragrapho 5, Gregorium sic excusat : « Noster Gregorius Ariminensis in hâc thesi cum Baio et Luthero neutiquàm convenit; nam licet in 2 Sententiarum distinct. 26, q. 1, dicat omnia infidelium opera esse peccata, attamen articulo tertio in responsione ad testimonia Augustini ait : Si tamen aliquod taliter factum, scilicet debito fine, et aliis debitis circumstantiis reperiatur in infidelibus, dicendum est eos

fecisse non sine Dei adjutorio ; quod in responsione ad 8 de facto in obstetricibus ægyptiis factum concedit, nempe Deo specialiter adjuvante, quæ etiam ibidem probat Augustini testimonio lib. 4 contra Julianum cap. 3, ubi concedit aliqua bona opera in infidelibus ex speciali tamen Dei gratiâ derivata, et admittit insuper adjutorium Dei, seu Spiritûs nondùm inhabitantis, quorum neutrum Baius asserebat. » Antea, cap. 3, paragrapho 4, dixerat : « Gregorius Ariminensis concedit in Infidelibus aliqua opera bona, in primâ saltem sui productione, ex gratiâ tamen derivata. » Ex quibus patet Gregorium intendisse infideles nulla quidem bona opera non adjuvante Deo producere posse, sed tamen cum Dei adjutorio aliqua interdùm ejusmodi opera elicere, quæ tamen nisi de novo subveniat Deus, brevi superbiæ vitio coinquinantur; quæ certè toto cœlo differunt ab hæresi Lutheri, qui docebat omnia opera facta ab homine extra charitatem, sive in peccato constituto, esse peccata, quia à conscientiæ reatu vitiantur.

Non aliam profectò Gregorii mentem fuisse satis ostendunt quibus à summis et minimè suspectis viris insignitur encomia. Non solùm enim à Norisio vocatur *insignis theologus*, sed et ejus laudatores esse voluerunt Stephanus Deschamps de hæresi Jansenianâ lib. 3, disput. 3, cap. 8, n. 1; Natalis Alexander in historiâ 14 seculi, ubi postquàm dixit, *ipsum nomen inter eruditos sibi peperisse*, addit : Ejus cum laude meminêre Trithemius abbas, Sabellicus, Sixtus Senensis, etc. (vir insignis eruditionis et pietatis qui Pii V fuit coætaneus, et arctissimo fœdere cum ipso conjunctus).

Sectio iii. — *Consuetum Vasquesii, Norisii, et aliorum ad nonnullas Baii assertiones responsum, ipsas ob acrimoniam censuræ fuisse proscriptas, non est improbandum.*

Censor novum, ut diximus, adversùs nos accusationis caput intentavit, quòd mox commemoratam theologorum responsionem non exploserimus; nos, è converso, contendimus illam rejicere temerarium esse et erudito theologo indignum. Enimverò ipsâ Pii V Constitutione innititur; illam aliunde admittunt apprimè catholici auctores, qui etiam Vasquesii et Norisii sententiam impugnant, etiam ubi agitur de propositione Baii 27 vel 28 : *Liberum arbitrium sine Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*, vel 26 : *Omnia infidelium opera*, etc., quibus pelagiani erroris nota expressè non infligitur; tandem ipse censor eam admittere tenebitur; ergo, etc.

Ac primò quidem innititur ipsâ Pii V adversùs Baium Constitutione. Etenim illa Constitutio Baii assertiones interdicit *respectivè tanquàm hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes ;* quæ verba significant inter Baii propositiones alias esse hæreticas, alias erroneas, alias tandem simpliciter scandalosas et temerarias, et ideò nonnullas in seipsis præcisè consideratas, et abstrahendo à verbis quibus enuntiantur, circumstantiis temporis quibus proferuntur, et personis coram quibus recitantur, esse veras, et ut tales defendi posse. Scilicet, ut fert usus Romæ et inter theologos receptus, et testatur Melchior Canus lib. 12 de Locis, cap. 11 tanquàm falsæ non damnantur propositiones quæ declarantur duntaxat scandalosæ et aurium piarum offensivæ. Prætereà eadem Constitutio fert, *nonnullas Baii propositiones aliquo pacto sustineri posse, licet non in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento. At Vasquez*, inquit dominus de la Chambre citati operis p. 150, *meritò asserit istud pronuntiatum permittere ut nonnullæ defendantur quantùm ad doctrinam, sublatâ tamen censurâ in oppositas.*

Eadem responsio accepta est theologis catholicis qui etiam Vasquesii et Norisii sententiam improbant, ubi etiam res est de propositione 27 vel 28, *liberum arbitrium*, etc., cui pelagiani erroris nota expressè non est annexa. Illi inter alios sunt Natalis Alexander, qui in historiâ 16 seculi Vasquesii interpretationem non sine laude refert, ut dictum est. Franciscus Suarez toto terrarum orbe et eruditione et pietate celebris. Libro 1 de Necessitate gratiæ cap. 8, n. 46 dicit, Baii propositionem 26, *omnia infidelium opera*, intellectam de infidelibus Dei gratiâ destitutis (quo sensu illam catholicam declarat) damnatam fuisse ob acerbitatem censuræ ei licet non expressè affixam, quia suâ cum aliis assertionibus circa eamdem materiam versantibus, quibus annectitur pelagiani erroris nota, conjunctione illam acrimoniam spirat. Concinunt Vasquez in 1-2, disp. 190, cap. 18, n. 184, etc., et Norisius Vind. cap. 4, paragrapho 5, et cap. 3, paragrapho 4.

Idem Suarez ibidem numeris 45 et 46 Vasquesio præeunte eâdem ex causâ idem asserit de propositione, *liberum arbitrium sine Dei adjutorio nonnisi ad peccatum valet;* et Norisius

Vindiciarum cap. 4, paragrapho 5, et cap. 5, paragrapho 4. Etverò propositio, *liberum arbitrium*, etc, idem quoad doctrinam exprimit ac ista immediatè sequens : « Pelagianus est error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum ; » aut 38 : « Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit. »

Quid quòd iidem insignes viri, quibus adjungendus Henricus à sancto Ignatio Carmelita, Joannes Lens in corpore doctrinæ, etc., regulas figunt ad discernendas Baii propositiones ob censuræ acerbitatem duntaxat proscriptas, ab aliis ob doctrinam damnatis? Consuli poterit dominus de la Chambre citato opere. Ipse Joannes Baptista Duchesne quintâ illustratione super istâ 22 vel 23 propositione : « Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli Rom. 2 : *Gentes quæ legem non habent*, etc., intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus, » ait : « Tout le monde est d'accord que cette proposition a été condamnée à cause de la note de Pelagianisme. » Adeò verum est *Censuram* Baii, non verò assertum, non rarò ab Apostolicâ Sede fuisse damnatam.

Tandem eamdem sententiam, velit nolit, exosculabitur censor. Sentit enim indubiè nullam tentationem, etiam levem, sine Dei adjutorio ab homine lapso posse superari ; pro suâ scilicet pietate nefas duceret recedere à sententiâ quam Bellarminus lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 7, dicit *magis consentaneam esse Scripturæ et Patribus ;* at istâ imbutus sententiâ fateatur necesse est hanc 31 Baii assertionem, *Fures sunt et latrones*, qui docent tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio *resistere hominem posse sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ non superetur ;* fateatur, inquam, oportet illam propositionem ob censuram duntaxat fuisse proscriptam. Saltem lubenter, nî fallor, concedet 74 Baii propositionem, *nemo præter Christum*, etc., sive quæ intemeratum Virginis Conceptum negat, ob duriorem tantùm censuram, ipsi licet non expressè illigatam, fuisse damnatam, nisi, ut supra dictum est, Thomistas velut hæreticos traducere velit.

Sectio iv. — *Baii propositiones, quæ liberi arbitrii vires relativè ad bonum morale tangunt, ad quod gratiam exigunt, possunt et debent intelligi de gratiâ fidei theologicæ et charitatis propriè dictæ, aut saltem hanc virtutem importante.*

Sermo hic instituitur præsertim de propositione, *liberum arbitrium sine Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*, et aliis quæ idem enuntiant. Censor suo more, id est, confidentissimè, asseruit vocibus, *sine Dei adjutorio*, quodlibet auxilium actuale cœlitùs emissum, etiam non efficax et à verâ charitate diversum, adumbrari et ideò ex censurâ elucere liberum arbitrium sibi soli derelictum aliquando ad non peccandum valere. Nos verò dixeramus easdem voces, *sine Dei adjutorio, fortassis* designare *gratiam efficacem charitatis propriè dictæ*, et idcircò præfatam censuram aliqua opera moraliter bona perficiendi vim libero arbitrio *certissimè* non attribuere ; ob quam assertionem dubitanter licet prolatam adversarius censorio suo telo nos configere tentavit, sed, ut spes affulget, non magis feliciter quàm olim Saül Davidem hastâ confodere aggressus est ; quàmplurima enim hujus censorii judicii, ac fiduciæ temeritatem, ne quid ampliùs dicam, patefaciunt ; quomodò scilicet vir sapiens sensum Constitutionis varias assertiones *relativè* tantùm damnantis *certò* et sine ullâ dubitatione se determinare posse existimavit? Quomodò asserere ausus est relatam propositionem, et similes absque sensuum, quos plures patitur, distinctione, esse damnatam, et quidem sensu à se assignato? Quomodò eximiis viris commemoratis, speciatim Suaresio, Joanni Lens, Bellarmino, domino de la Chambre, etc., qui ex censurâ relatæ assertionis hominem aliqua opera moraliter bona sine quâcumque cœlesti gratiâ elicere posse certò concludi non posse censuerunt, et ideò ad id probandum illam censuram adducere noluerunt ; quomodò, inquam, tot ac tantis viris sese sagaciorem et doctiorem existimare potuit?

Verùm, ut quid generalia ista momenta, cùm positivum et omni exceptione majus ex ipsiusmet Baii et ejus asseclarum doctrinæ visceribus erumpens sese offerat argumentum, à quo si censor sese prosperè expediat, eum sanè tanquàm magnum, imò maximum virum habebimus?

Sic arguimus : Commemorata Baii assertio, ut et cæteræ, à Pio V damnata est *in rigore et proprio verborum sensu ab auctoribus intento ;* hæc enim expressè leguntur in fine pontificiæ Constitutionis ; unde P. Duchesne accuratus historiæ Baianismi scriptor in quintâ illustratione super historiâ suâ ait : *Cette proposition : Sans le secours de la grâce le libre arbitre ne peut que pécher, est réprouvée dans le sens de l'auteur comme toutes les autres ;* at Baius nullum

verum Christi adjutorium admisit distinctum ab adjutorio fidei theologicæ et veræ charitatis, aut saltem illam virtutem importante; notum enim est illum novatorem et ejus defensores quasi perpetuò decantare istud D. Augustini effatum: *Gratia est inspiratio flagrantissimæ et luminosissimæ charitatis* libro de Gratiâ Christi cap. 35, n. 38, notum est famosam ejus assertionem 39 ferre, *omnem amorem creaturæ rationalis aut vitiosam esse cupiditatem, aut veram charitatem;* notum ipsum docere propositionibus 23, 29, 35, 37, etc., *fidem theologicam esse omnium gratiarum primam,* et sine illâ et charitate nihil omninò boni moralis fieri posse. Hinc Jansenius, cui sanè præ cæteris exploratus fuit genuinus Baii sensus, quem ubique extollit et confirmare nititur, solam fidei et veræ charitatis gratiam admisit; *nullum*, inquit lib. 3 de Statu naturæ lapsæ, cap. 14, *bonum opus, nequidem moraliter, ab humano arbitrio potest fieri nisi per gratiam, non quamlibet* (hæc diligenter attende) *sed fidei liberetur;* et cap. 20, *non potest esse opus bonum* (etiam morale, nullum enim bonum opus agnoscit nisi æternæ vitæ meritorium) *nisi ipsa justitia cœlesti charitate diligatur, et ad Deum ipsum velut ultimum finem referatur, quorum neutrum sine gratiâ et fide perfici potest.* Hinc lib. 3 de Gratiâ Christi cap. 11 docet *fidem esse primam gratiam.* Tandem auctor 101 propositionum utriusque sensis optimè imbutus eamdem doctrinam pro virili parte renovavit charitatis gratiam impensè commendando propositionibus 26, 27, 38, 39, 40, et à propositione 44 ad 59.

Atque exinde contigit ut omnes auctores, pontificiis etiam decretis maximè addicti, illud conspirantibus suffragiis confessi fuerint; tres quatuorve duntaxat referemus.

Illustrissimus Suessioniensium episcopus quintâ epistolâ pastorali 1. p. n. 135, et 137. hæc observat: « Le système de l'auteur de l'examen théologique (illud accepit à Baio et Jansenio) est que la charité actuelle est l'unique grâce de Jesus-Christ, et qu'il n'y a point de grâces distinguées de la charité que des grâces extérieures; » quod systema refellit auctoritate cardinalis Norisii Vindic. cap. 3, paragrapho 6. Eâdem epistolâ p. 3, n. 57, hæc decretoria adjicit: « Les propositions de Baïus 25, 27 et 38, sur les actions des infidèles, et le libre arbitre, signifient que ces actions sont de vrais péchés, parce qu'elles ne sont pas rapportées à Dieu connu par la foi, et par le motif propre de la charité, c'est-à-dire, l'amour de Dieu aimé pour lui-même. « Honoratus Tournely, tract. de Gratiâ, nostram interpretationem his exprimit verbis: « Baius contendit omnia infidelium opera esse peccata, nullumque opus bonum dici posse nisi quod fit ex motivo charitatis veræ et propriè dictæ, quæ actionem vel præcedat, vel comitetur. » Tandem P. Duchesne Historiæ lib. 2, ex propositione Baii 38 — hæc deducit: « Conséquemment les œuvres des infidèles sont des péchés, et les vertus des philosophes sont des vices, et tout précepte devient impossible aux infidèles qui n'ont jamais la grâce; car étant une inspiration de charité, selon ce système, elle ne peut être accordée à ceux qui n'ont pas la foi. »

Concinit dominus de la Chambre in commemorato opere.

His pro altâ mente suâ ritè ponderatis, Bellarminus censuram Baii propositionis non adduxit lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 9, ut jam observavimus, ad probandum liberum arbitrium sibi derelictum aliqua opera moraliter bona elicere posse. Cur? nisi quia ipsi persuasum fuit summum pontificem definiisse duntaxat, liberum arbitrium gratiâ veræ charitatis destitutum posse aliqua bona opera producere. Nulla sanè alia hujus facti ratio potest afferri; Bellarminus enim Lovanii docuerat, et quid Baianistæ et eorum adversarii sentirent apprimè erat edoctus, ut testatur P. Duchesne lib. 3. Aliunde lib. 5 de justificatione capitibus 14 et 19, et alibi passim citat Constitutionem Pii V adversùs Baium.

Igitur omnes eruditi consentiunt Baium nullam gratiam à verâ charitate diversam admisisse, et ideò in prædictâ propositione voces, *sine Dei adjutorio,* significare gratiam, fidem et charitatem inspirantem, vel eam præcedentem, comitantemve

Verùm magna inter eos est dissensio, utrum gratia, de quâ Baius in relatâ propositione 28, sit charitas, sive gratia habitualis, an charitas sive gratia actualis. Vasquesius in 1-2. disput. 190, cap. 18, n. 184, et Norisius Vindic. cap. 4, paragrapho 5, postquàm dixerunt propositionem 26, *omnia infidelium opera,* etc. damnatam esse *ob censuræ acrimoniam,* quia idem exhibet quod 25, *cum Pelagio sentiunt,* etc., addunt eamdem assertionem damnatam esse in sensu Baii, qui gratiam sive charitatem habitualem admittebat, non actualem, et ideò intendebat, nullos actus bonos etiam ex Dei

gratiâ fieri ab infidelibus, quia gratiâ habituali destituti nullam habent gratiam : hunc autem Baii sensum probare conantur ex propositione 36 : *Omne quod agit peccator vel servus peccati peccatum est*, cujus respectu, inquiunt, damnata est propositio 26 ; inde enim sequitur infideles, qui sunt peccatores, in omnibus suis operibus peccare. Quare illæ Baii propositiones meritò damnatæ sunt cùm doctrinam continerent proscriptam à concilio Trid. sessione 6, can. 7, et eadem synodus sess. 14, cap. 4, admittat *Spiritûs sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis.* Hæc equidem responsio Jansenio accepta est, sed non ideò, inquiunt, est rejicienda ; quidquid enim dixit Jansenius non est falsum et erroneum.

E converso P. Duchesne in quintâ illustratione epist. 7, p. 64 et seq., Honoratus Tournely tom. 2 de Gratiâ, p. 82, et alii existimant Baium nullam admisisse gratiam habitualem, sive inhærentem, ab actuali distinctam, et idcircò ipsum in relatis propositionibus intendisse, liberum arbitrium sine gratiâ, sive charitate actuali, nullum opus bonum, etiam morale, producere posse. Hæc, opinor, diversitas opinionum ex Baii doctrinæ obscuritate exorta est. Illam scilicet, ut novatoribus gentile est, densis inspersit tenebris ut faciliùs et securiùs posset defendi. Verùm, sive habitualem, sive actualem gratiam, seu charitatem designaverit Baius, nihil refert; sensus enim commemoratæ propositionis iste erit : *Liberum arbitrium sine gratiâ habituali vel actuali, quæ sit vera charitas, aut illam pariat, nonnisi ad peccandum valet ;* ex quibus malè inferretur liberum arbitrium sine *quolibet Dei adjutorio* bonum aliquod morale elicere posse. Existit enim speciale Dei adjutorium omninò distinctum ab adjutorio charitatem inspirante, quale est illud quod omnibus infidelibus et impiis à Deo concedi agnoscit Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 6, in fine, præeunte Augustino libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 67, quædam scilicet mentis illustrationes, et voluntatis motiones, quibus Deus *miris modis* hominem ad bonum erigit. Hoc adjutorium Jansenio erat exploratum, qui ideò illud explosit modò citato libro 3 de Statu naturæ lapsæ, cap. 14, dicendo : *Nullum bonum opus, nequidem moraliter, ab humano arbitrio potest fieri, nisi per gratiam,* non quamlibet, *sed fidei liberetur.*

His, ut necesse erat, paululùm fusè expositis, repeto et contraho argumentum antea delineatum, et rogo censorem aliosve ipsi patrocinantes, ut illud diluant. Ecclesia hanc propositionem, *liberum arbitrium sine Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*, eo duntaxat sensu damnavit, quòd liberum arbitrium sine gratiâ charitatem inspirante, vel charitatem comitante nonnisi ad peccandum valeret ; Baii enim sensum duntaxat proscribere voluit ; ergo eamdem propositionem non perstrinxit eo sensu quòd liberum arbitrium sine gratiâ à charitate distinctâ nonnisi ad peccandum valeret.

Vel si censor maluerit, hoc alterum argumentum deglutiendum ipsi amicè porrigimus.

Sedes apostolica, cujus est genuinum Constitutionum, quæ ab ipsâ emanârunt, sensum retegere, pluries declaravit, doctrinam celebris Augustinianorum scholæ, et speciatim cardinalis Norisii, ab adulterino Baii assertionum sensu omninò esse immunem, ut ostensum est; sed Augustiniani, et nominatim Norisius tum in Vindiciis cùm in Janseniani erroris calumniâ sublatâ, constanter et animosè docent liberum arbitrium sine gratiâ à charitate distinctâ nullum prorsùs opus bonum morale, etiam facile, elicere posse, ut indubiè non negabit censor ; ergo hæc sententia est prorsùs aliena à Baii sensu ; ergo Sedes apostolica in propositione 27 vel 28, per voces, *sine Dei adjutorio, quamlibet* Dei gratiam non intellexit, sed aliquam duntaxat à Baio nimirùm requisitam, id est gratiam charitatis sive habitualis, sive actualis, ut ostendimus.

Sed exquirent fortè nonnulli, *cujus naturæ est ista gratia à charitate* diversa et omnibus infidelibus et impiis concessa? O lepidam et ingeniosi cerebri interrogationem! Clamant adversarii, et meritò quidem, cunctis infidelibus et impiis speciales gratias impertiri ad vincendas graves saltem tentationes, et opera moraliter bona producenda. Illarum gratiarum naturam reserare dignentur, et nos naturam gratiæ ad opus morale facilè eliciendum necessariæ illicò detegemus. Consulant, si velint, Vasquesium et Dechamps, qui illorum auxiliorum essentiam aperire aggressi sunt ; nos à gratiæ præcone edocti, *meliorem esse fidelem ignorantiam quàm temerariam scientiam,* cum eodem universim reponemus, illud auxilium *exhæredatorum, sive non Dei filiorum esse proprium*, cujuscumque naturæ sit, libro de patientiâ, cap. 28, et *miris modis in hominum cordibus operari*, lib. 4 ad Bonifacium cap. 19, n. 37, quos ideò, ut optimè observat Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 6, *satius est humili*

silentio venerari quàm curiosâ disputatione perquirere.

Unde illustrissimus Bossuetius, justificationis paragrapho 17, sapientissimè dixit : *Dieu s'est réservé la connaissance de ces secours.* Nihilominùs, cùm nihil ordinis naturalis possit ad fidem disponere, cogitationes et motiones infidelibus à Deo immissæ videntur supernaturales, utpote indebitæ et à Spiritu sancto ad fidem et salutem directæ.

Sed, inquiunt, liberum arbitrium illâ etiam gratiâ adjutum, in mente Norisii et aliorum morale etiam opus undequàque bonum operari non potest, cui nimirùm nihil desit tum ex parte operis cùm ex parte operantis. Etverò, Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 4, dicit velle Augustinum lib. 4 contra Julianum cap. 3, voluntatem etiam solâ fide (theologicâ) dirigi posse ad faciendum opus cum debitâ circumstantiâ relationis in Deum juxta illud Rom. 14 : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Censuit ergo cum Baio et Jansenio, omnes actiones morales referendas esse ad Deum, et vera esse peccata, saltem omissionis, nisi referantur ad Deum aut actu aut virtute ex motivo charitatis propriè dictæ, cujus relationis prorsùs incapaces sunt infideles.

Sed hæc objectio, si Norisii sententiam ferit, nostram certè non lædit; licet enim omnes actiones morales ad Deum tanquàm finem ultimum suo modo referri debeant, attamen eorum detestamur systema qui eas ad Deum ex motivo strictè dictæ charitatis in omni circumstantiâ referendas esse contendunt. Hoc enim systema virtutes omnes ad unam reducit charitatem, illas propriis motivis et finibus spoliat, omnemque laudem et pretium ipsis suffuratur contra Apostoli oraculum 1 Cor. 13: *Nunc manent fides, spes, charitas,* etc.; in his ergo standum est sententiæ Bellarmini cujus laudes celebrat Norisius. « Possunt, inquit lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 9, ethnici etiam sine fide cognoscere Deum esse et curam nostrî gerere... proindeque poterunt operari bona moraliter, ut Deo auctori naturæ obediant... Non est necesse omnia referre in Deum explicitè, sed satis est si opus referatur in bonum finem proximum; tunc enim per se dirigetur in Deum ut in finem ultimum; sicut enim omne agens particulare agit in virtute primi motoris, id est, Dei, sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis; alioqui non solùm infideles, sed etiam fideles et justissimi quique semper peccarent, cùm inter operandum de Deo non cogitant, sed operantur quia ratio dictat esse bonum et faciendum. Itaque nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur in Deum etiamsi auctor operis id non cogitet vel intendat. » Hæc doctissimi viri assertio eò majoris est ponderis quòd Angelici doctoris verbis ex parte constet, ejusque sententiam 2-2, q. 19, a. 6, in c., apertè exprimat.

Verùm accedat vir qui Baii et Jansenii defensoribus magis arrideat dominus Nicole. Tractatu de Gratiâ generali tom. 2, p. 523, 538, etc., ait : « On dit qu'on ne saurait rapporter ses actions à Dieu sans le connaître... On répond que les païens, et même les athées, connaissent Dieu par ces grâces faibles qui produisaient ces consentements imparfaits, mais libres. Ils le pouvaient aussi connaître comme justice, comme loi, sans savoir que cette loi et cette justice fussent Dieu; et on ne voit pas que les complaisances qu'ils avaient en cette loi fussent péché, puisqu'ils l'aimaient pour elle-même. On dit qu'on ne saurait *connaître Dieu sans la grâce.* On répond que les idées, soit de Dieu comme Dieu, données par des grâces excitantes à la foi, soit de la justice, et de la vérité, et de la loi éternelle, étaient des espèces de grâces excitantes, et que, comme le dit l'auteur que j'ai rapporté (*Huygens*), et ces idées et ces complaisances, *humanâ ope obtineri non poterant.* On ne peut ici se servir de la raison qu'on allègue d'ordinaire, que ces mouvements étaient mauvais, parce qu'ils n'étaient pas rapportés à Dieu comme fin; car rapporter quelque mouvement à Dieu comme fin, n'est autre chose, selon saint Augustin, que d'aimer l'objet de ce mouvement pour lui-même, ce qui s'appelle *frui;* or, on ne voit pas que les païens n'aient pu avoir une complaisance dans la justice pour elle-même, ou pour Dieu créateur, sans la rapporter à autre chose. Ils ont pu ensuite penser que cette justice les pourrait honorer, et leur servir d'ornement, et en concevoir de la vanité; mais cela suppose toujours la première complaisance en la justice, qui est toute gratuite. Et ainsi c'était toujours une action parfaite et exempte de péché, et le rapport de cette action à une fin de vanité est une nouvelle action qui ne gâte pas la précédente. »

Neque repugnat, ut obtendit objectio, cardinalis Norisius; ibidem enim seipsum exponit his verbis : « Scio nonnullos asserere Augustinum dixisse illa opera esse peccata quæ in Deum ultimum finem non referuntur positivè, non

autem negativè : v. g., qui continens est ut sibi vel aliis placeat gloriam apud se vel alios quærens peccat, quia inanem gloriam sibi finem illius pudicitiæ destinat, et tunc positivè illud opus deviat à Deo tanquàm ultimo fine. At si continentiæ propositum eliciat motus honestate tantùm operis, nec in eodem apud se vel alios gloriatus, tunc ille actus negativè Deum non respicit tanquàm ultimum finem; ex nullà tamen parte vitiosus apparet. Hæc doctrina admitti potest (*nota*), præsertim quia S. doctor inde virtutes vitiari docuit quòd iidem de illis vel apud se vel apud alios gloriam quærerent. » At nemo non videt hanc sententiam à Bellarmini et Nicolii sententià non esse alienam, et quadrare in tritam istam scholæ solutionem : *Peccata sunt actiones quæ non sunt ex fide theologicà contrariè, non privativè.*

Tandem nedùm sententia quæ apud Baium *per Dei adjutorium* intelligit gratiam fidei et charitatis theologicæ Sedis apostolicæ adversùs Baium decretis repugnet (ut quidam pusillanimes viri sibi fingunt), quinimò illas sanctiones longè feliciùs promovet et obfirmat quàm opposita opinio. Etenim Baius et ejus asseclæ decantant *fidem esse primam gratiam*, et ideò omnia infidelium opera esse peccata; sed ista assertio per primam sententiam illicò concidit, cùm infideles omnia bona opera sua per gratias à charitate diversas sibi à Deo concessas eliciant; ..... non ita per alteram; posset enim contingere ut infideles nulla alia bona opera producerent quàm facilia (saltem censura propositionis Baii ad aliud credendum non adstringit); quo casu eveniret ut fides theologica prætendi posset *prima gratia;* aut saltem adversùs novatores evinci non posset illam non esse primam gratiam. Adde in priori sententià multò meliùs explicari Scripturæ, S. Augustini, et conciliorum, inprimis Arausicani, oracula adversùs Semipelagianos; quibus ex causis diximus eamdem sententiam Baii et Jansenii sectatoribus ad Ecclesiæ gremium reducendis longè magis videri idoneam, et oppositam stupendum in modum eos exasperare, ac illis in infandà suà rebellione remanendi et Ecclesiæ proterviùs insultandi ansam subministrare. Cùm enim omne Dei auxilium ab operibus moraliter bonis facilibus excludat, et liberum arbitrium sibi derelictum sine omni speciali Dei adjutorio aliquid boni facere posse pronuntiet, illam S. Augustini et veteris Ecclesiæ sensis apertè contrariam esse conclamant, et quidquid egeris, eos ab illà sententià retrahere nunquàm poteris, atque exinde ortum esse existimo istud furibundum Jansenii pronuntiatum lib. 4 de Statu naturæ lapsæ, in titulo capitis 17 : « Nugæ, delirium, insania, error, impietas, contraria Christianorum sensui, Scripturis et fidei, quòd infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato, juxta Augustinum et concilium Arausicanum. »

Tandem opera moraliter bona sine gratià facta viderentur meritoria *de congruo;* decet enim ut Deus iis magis moveatur quàm si essent indifferentia, sive neque bona vel mala, etc. Hinc meritò dixit dominus de la Chambre in proœmio tractatûs super Baii doctrinà : « La religion et la raison demandent qu'en combattant l'erreur on ménage ceux qui la soutiennent; qu'on ne confonde pas les opinions fausses avec ceux qui en sont les défenseurs, et qu'on ait toujours une grande attention dans le choix des expressions dont on se sert, afin de ne pas révolter ceux qu'on veut éclairer. La douceur est la voie la plus sûre pour ramener à la vérité, et l'on ne peut user de trop de modération lorsqu'on a pour but de faire avouer aux hommes qu'ils se sont trompés. » Quod sapientis viri monitum omninò consonum est consiliis quæ passim suggerit gratiæ præco. « Debent, inquit sermone 357 de laude pacis, aliàs 35, n. 4, Ecclesiæ doctores debent hæreticis litigantibus et conviciantibus christianam exhibere mansuetudinem, quà de toto terrarum orbe triumphavit Christus, et sese non ad jurgia (ut illi) sed ad preces convertere, quia hæretici etiam fratres sunt, et licet in Ecclesiam blasphemias evomant, rogat Ecclesia ut ferantur. » Et verò dolendi magis sunt quàm detestandi hæretici, cùm Apostolo dicente 2 ad Thessal. cap. 3, *non omnium sit fides.* Unde *omni ope laborandum est ut ad Ecclesiæ unitatem redeant,* inquit S. doctor lib. de Utilitate jejunii cap. 9; *quomodò enim tu solves glaciem iniquitatis eorum, si non ardeas flammà charitatis?* Porrò inter conatus, quos ibi commendat S. doctor, existimamus eum non infimum tenere locum quo hæreticis conceditur quidquid Ecclesiæ adversùs eos definitiones ipsis concedere sinunt (non semel enim sic sese gessit S. doctor), et quo cum pertinacià non defenduntur opiniones, quæ licet catholicæ sint, et etiam communiores, tamen eosdem novatores in furorem adigere et amplius Ecclesiæ odium conjicere possent; qualis profectò est opinio relata de operum moraliter bonorum facilium sine gratiæ auxilio productione.

SECTIO V. — *Etsi opinio asserens opus moraliter bonum facile sine gratiæ auxilio fieri posse hodiè sit communior, oppositam tamen in scholis proponere et propugnare licet.*

Censor ultimam in nos contorsit criminationem quòd in nostrâ dissertatione sententiam gratiam ad opera moraliter bona facilia exigentem, ut paucis licet probatam theologis, adversæ prætulerimus; quæ accusatio ut exsuffletur et dispereat, ostendemus 1°, illam sententiam magno doctorum catholicorum suffragio muniri; 2° illam, etsi majori aut æquali quàm altera theologorum approbatione careret, posse tamen absque ullo erroris periculo defendi.

Sententia opera moraliter bona facilia gratiæ tribuens multorum insignium doctorum placitis est consona. — Dies sanè me deficeret si sigillatim recensere vellem magni nominis theologos qui illi sententiæ suum impenderunt patrocinium. Eruditos non latet Augustinianos pro eâ tanquàm pro aris et focis olim decertavisse, et etiam nunc decertare. Ipsis enim semper fuit persuasum hanc esse Patris sui Augustini sententiam, à quâ vel tantillùm recedere nefas duxissent. Factum istud testatur Benedictus XIV in Brevi tùm anni 1745 cùm anni 1748. Quis autem enumeraverit theologos quos celebris ista schola, eximiorum virorum quolibet ævo ferax, edidit? Cardinalis Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 4, brevitati consulens tres adducere fuit contentus, quia præ cæteris eruditione claruerunt, ut ex nostrâ dissertatione supra delineatâ constat.

Neque soli Augustiniani eidem sententiæ sese devoverunt. Dexteras in illius defensione ipsis porrexerunt quàmplurimi ex aliis Ordinibus doctissimi theologi. Istud iterùm factum refert testis omni exceptione major Benedictus XIV initio Brevis anni 1748 ad magnum Hispanæ inquisitionis præsidem. « Ex proscriptione, inquit, (doctrinæ Norisii) unitas Ecclesiæ Hispaniæ scinderetur obstrepentibus Augustiniani ordinis alumnis, obstrepentibus aliis viris doctis...... partium studio non abreptis, paratisque ad assumendam auctoris defensionem non incogniti, non gregarii, sed litterarum sui temporis facilè principis, et eo solo litteraturæ ecclesiasticæ et profanæ meritò sacro Cardinalium collegio adscripti. » Etverò plures protulit Vasquesius loco antea citato. Paucos tantùm referam, quorum agmen claudet et illustrabit splendidissimum Ecclesiæ gallicanæ lumen, quin et novissimis hisce temporibus totius regni decus et ornamentum Meldensium episcopus, qui solus sufficeret ad auctoritatem isti sententiæ conciliandam.

Petrus Soto Dominicanus, insignis fuit theologus, *cujus mors* (21 aprilis anno 1502), inquit cardinalis Pallavicinus, *conjuncta cum perfecto religiosæ pietatis exemplo, summoperè displicuit concilio* (Tridentino), *cui visum est relinqui in infaustâ caligine, ademptis sibi in omni genere quibusdam è suis magnis luminibus.* Is autem, fatente ipso P. Duchesne, lib. 1 Hist. p. 21, non probavit prætensam censuram Sorbonæ anni 1560 in 4 Baii propositionem inter 18, quod sanè ejus mentem ita in præsenti quæstione patefacit, ut nullo alio testimonio opus sit.

Joannes Capreolus, Ordinis Fratrum Prædicatorum celebris theologus, *qui,* inquit P. Alexander in historiâ seculi XV, *principis Thomistarum nomen promeritus est,* in 2 Sent. distinct. 28, Bellarmino dicente lib. 5 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 4, *Gregorium Arminensem super istâ quæstione secutus est.*

Ambrosius Catharinus, alter Familiæ Dominicanæ doctor, et concilii Trid. theologus idem sensit, teste Gregorio de Rhodes T. 2 de necessitate gratiæ.

Marsilius d'Enghen nulli religioso Ordini, ut videtur, mancipatus, referente Bellarmino citato lib. 6 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 4, idem censuit.

P. Macedo ex Ordine Fratrum Minorum in Cortinâ D. Augustini q. 2 de Necessitate gratiæ, hanc defendit opinionem, et quidem *doctissimè*, inquit Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 4.

Eidem opinioni suffragati sunt è Molinistarum Ordine præter Vasquesium et alios, Ripalda celebris inter recentiores theologus, qui scripsit adversùs Baium, et disput. 20, sectione 6, n. 25, apud Norisium ait : *Rectè dicitur voluntatem in hoc ordine providentiæ destitutam auxilio gratiæ, suisque viribus relictam, solùm posse superbiam et peccatum;* deinde adducit textum Augustini supra relatum, *liberum arbitrium desertum à divino adjutorio, etc.;* quin et Franciscus Toletus inter ejusdem sententiæ patronos numerari potest; referente enim Vasquesio, *testatus est, et propriâ manu subscripsit,* plures è Baii propositionibus *ob acerbitatem duntaxat censuræ fuisse damnatas,* et ideò sublatâ censurâ posse quoad doctrinam propugnari.

Verùm, aliis prætermissis, accedat doctissimus Bossuetius, qui, ut D. Augustini operum

lectioni sedulò et fructuosè incubuit, ita ejus doctrinæ acerrimus fuit defensor. Is autem apud dominum Languet 3 parte 3 epist pastorali n. 62, justificationis cap. 19, p. 78 sic loquitur : *L'homme n'a de lui qu'ignorance, mensonge, aveuglement et péché; tout ce qui est en lui, ou est cela, ou y aboutit.* Hæc sanè exprimere videntur canonem 22 concilii Arausicani *nemo habet de suo* (id est, sine gratiâ impediente ne cùm actus honestos elicit apud semetipsum inani complacentiâ turgescat), *nisi mendacium et peccatum;* aliud enim non spirant voces, *ou y aboutit*, quas addidit eruditus præsul, ut significaret infidelem qui honestè operatur, v. g., eleemosynam pauperi erogat, posse cùm ejus mens aliò à novo objecto illicò trahitur apud seipsum jactantiâ per actum reflexum non titillari, quo casu ejus actus ex gratiæ tamen beneficio non est peccatum ; quod cùm *per accidens* contingat, illustrissimus vir post generalem et indefinitam assertionem, *hominem* nempe sibi *soli derelictum non habere nisi ignorantiam* (in moralibus saltem), *mendacium et peccatum, et quidquid in ipso est id esse* exceptionem addidit, *ou y aboutit.* Eximius videlicet pontifex Augustini sententiam, quam Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 4, eleganter et solidè exposuerat, patefacere voluit; docet enim passim actus bonos infidelis statim inanis complacentiæ fine vitiari, nisi subveniat Deus. Quærenti, v. g., Juliano, *si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est?* Respondet lib. 4, cap. 3 : *Prorsùs in quantùm non est ex fide* (id est, propter pravam intentionem fidei contrarium est), *peccatum est, non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari solus impius negat esse peccatum.* Item docet infidelem, etiam cùm actum virtutis ob solam ipsius honestatem tanquàm finem proximum elicit, philautiæ vitio, quasi subitò inquinari, nisi impediat gratia. Legi possunt quæ hanc in rem præclarè dixit lib. 4 contra Julianum cap. 3, lib. 19 de Civitate Dei cap. 25, etc. Hinc Norisius mox citato loco meritò dixit : Per accidens contingit *ut mens infidelis eleemosynam pauperi dantis, cujus mens subitò aliò avocatur,* in se non glorietur (id est, seipsam inordinatè non diligat); « nam agens morale debet considerare an rectè operatum sit, an optimè se habeat erga suum finem ex illâ actione; quæ quidem considerans amat suum opus ac in seipso gloriatur. Censeo tamen hæc opera bona non fuisse facta ab infidelibus suis ipsorum viribus derelictis, sed præmotis specialibus divinæ gratiæ auxiliis, quibus fortè aliquando factum est ut benè operantes novo proposito objecto de bono opere minimè gloriarentur. Etenim, cùm adeò facilis, imò inevitabilis sit casus ab actu virtutis in philautiam, divinæ gratiæ fuit quoties infideles nullâ ex opere bono superbiâ intumuêre. Amor quippe suî (inordinatus) virtutum omnium venenum est solius divinæ gratiæ antidoto expellendum. »

Censor in suo Codicillo unum Bossuetii testimonium in aleam misit, quod certè ad rem non pertinet; refellit enim, et quidem meritò, vir insignis Protestantes unius alteriusve theologi catholici privatam opinionem allegantes; v. g., Ambrosii Catharini circa naturam characteris baptismo in animâ impressi (quem dixit denominationem duntaxat externam sicut est denominatio doctoratûs). Quid autem hæc argumentatio connexionis habet cum præsenti sententiâ pro quâ stant integra Augustinianorum schola, et plures alii doctissimi viri, quam non damnavit Ecclesia, imò damnari expressè prohibuit?

Hîc sibi vindicare solent D. Thomam 1-2, q. 109, a. 2, in c., et alibi ubi ait : « Potest homo lapsus per virtutem naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, et alia ejusmodi. » Articulo 5 : « Potest facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale, sicut laborare in agro, bibere, manducare, habere amicum, ut Augustinus dicit lib. 3 Hypognosticon, cap. 4. » At genuina D. Thomæ super hâc quæstione sententia clarè non innotescit. Non pauci enim eruditi censent S. doctorem ibi disserere de bono naturali moraliter, quam expositionem firmare videntur quæ adducit exempla, sicut ædificare domos, plantare vineas, et alia opera designata in dicto Hypognosticon libro cujus Augustinum auctorem esse falsò existimavit. Etverò, nihil aliud, inquiunt, docere voluit quàm quod Augustinus docuit, siquidem illum citat; at S. Augustinus omninò alienus est ab istâ sententiâ, ut ostendimus. Deinde, si hîc opera moralia indicare voluisset, cur recensuisset opera bona naturaliter, *ut ædificare domos, pecora nutrire, artes mechanicas discere, velle habere indumenta, velle manducare, bibere,* cæteraque relata cap. 4, lib. 3 Hypognosticon? Cur non dixit, *sicut honorare parentes, eleemosynam pauperi impertire, Deum ut auctorem naturæ imperfectè diligere, leves tentationes su-*

perare, et alia quæ sine gratiâ fieri posse docent adversarii? Sed quidquid sit de D. Thomæ mente, meritò dixit Jansenius *ipsum magnâ duntaxat ex parte esse contractum Augustinum;* non rarò enim à S. doctoris placitis recessit; v. g., cùm docuit infantes sine baptismo morientes ignis pœnæ nullatenùs esse obnoxios, indubiè quia S. Augustini sententiam non noverat; *fontes enim,* inquit P. Alexander in historiâ seculi quinti, *ob penuriam librorum consulere non potuerat;* paucos veterum Patrum codices *penès se habebat, eorum testimonia excerpserat, ut plurimùm, ex glossâ ordinariâ, ex Gratiani decreto, et aliis, qui ea* (parùm accuratè) *collegerant; tanta ejus tempore erat librorum penuria ut homilias D. Chrysostomi in Matthæum dono sibi dari optaret, illudque urbe Parisiensi pluris æstimaret munus.* Unde Aristotelicis libris et dialecticis rationibus concinnandis pro hujus seculi genio intentus multa asseruit quæ nemo probare tenetur. Sic ergo Estius, Sylvius, et multi alii auctores, qui hìc adversario favent, D. Thomam deserunt, ubi quæstio est de pœnis infantium sine baptismo defunctorum, aut etiam de sacramenti Matrimonii ministro, ita nihil vetaret hìc S. doctorem deserere si nobis adversaretur.

Censor sibi vindicavit celebrem Lemos; verùm quidquid sit de ejus sententiâ, ostendere debuisset insignem illum Thomistam censuisse quam hìc defendimus sententiam, *liberè in Scholis propugnari non posse, esse falsam, erroneam, Baianam;* hoc enim solùm inter nos controvertitur.

Sententia opera moraliter bona facilia gratiæ tribuens, etsi majori aut æquali, quàm opposita, Theologorum approbatione careret, meritò tamen defendi posset. — « Theologorum scholasticorum, etiam multorum auctoritas, inquit Canus lib. 8, cap. 4, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobârit; videlicet in scholasticâ disputatione plurium auctoritas Theologum obruere non debet; sed si paucos viros modò graves secum habet, poterit sanè adversùs plurimos stare; non enim hæc numero judicantur sed pondere. » Ad hujus regulæ amussim si expendatur censoris argumentum quàm citò evanescet! Hìc quippe docti viri pugnant contra multos; istorum ergo auctoritas non plus valet quàm ratio ipsorum, aut gravior auctoritas quam opponunt, at graviorem sanè non opponunt auctoritatem, cùm Scripturæ, D. Augustino, et veteris Ecclesiæ oraculis contradicere videantur; nec maximi roboris rationibus nituntur, ut ostensum est. Hinc ut in re tam certâ et perspicuâ, de quâ inter omnes convenit, alia omittam exempla, licet in scholis propugnare parvulos sine baptismo è vivis ereptos, ignis etiam supplicio affici, licet hæc opinio à D. Thomæ tempore non sit communis, et omnibus ferè catechismis adversetur. Cur? Quia viri docti, et maximè catholici, inter quos Dionysius Petavius, contra adversam sententiam militant tanquàm planè repugnantem Scripturæ sacræ, Patrum, inprimis D. Augustini et ejus discipulorum placitis, et conciliorum etiam recentiorum, v. g., Florentini, decretis, etc.

Epilogus.—Demonstratum, ni fallor, manet, si minùs liberum arbitrium speciali Dei auxilio destitutum aliquid boni moralis, etiam facilis, edere non posse, etiam saltem sententiam Baianismi prorsùs esse puram, et omninò catholicam, et ideò in scholis liberè proponi et defendi posse. Quamobrem censorium judicium quod in eam ferretur non solùm temerarium esset et inconsideratum, sed et injuriosum Sedi apostolicæ, sacræ Inquisitioni romanæ, celeberrimæ Augustinianorum scholæ, et multis præstantissimis aliorum Ordinum theologis, ut ex dictis abundè constat. Fatale insuper detrimentum inferret cœlestis scholæ libertati divinæ scientiæ matri et nutrici, *quam,* inquit Benedictus XIV in Brevi anni 1748, *perturbare nulli superiori ecclesiastico licet.*

Priusquàm autem huic dissertationi ultimam manum admoveo, quam spopondi sententiam referam nonnullorum doctorum theologorum, qui sacri Ordinis Parisiensis splendorem per totum catholicum orbem coruscantem exquisitâ eruditione, singulari pietate, et eximiis operibus suis, si non amplificaverunt, foverunt saltem et conservaverunt.

RÉPONSE DE M. LEGRAND,
Docteur de Sorbonne.

Les docteurs qui ont lu avec attention l'extrait ci-dessus des cahiers d'un professeur de théologie, avec la lettre dans laquelle M. le vice-doyen de la Faculté de théologie de Caen fait principalement deux questions. La première si le sentiment selon lequel l'homme dans l'état présent sans la grâce extrinsèquement surnaturelle, comme s'explique Vasquez, ou même sans une grâce veritablement surnaturelle ne peut vaincre des tentations, quelque légères qu'elles soient, ou faire dans les

choses les plus faciles, quelqu'action moralement bonne, de sorte qu'il ne commette aucun péché, même de retour sur lui-même, et d'une vaine complaisance, savoir si ce premier sentiment est condamné par l'Eglise, ou par quelque décret des souverains pontifes. La seconde, si le professeur, qui a dicté les cahiers d'où est copié l'extrait ci-dessus, qui enseigne que ce même sentiment est laissé à la liberté des écoles catholiques, et qui appelle de grands, de célèbres et de savants théologiens, plusieurs de ceux qui le soutiennent, mérite d'être repris et blâmé.

A la première de ces questions lesdits docteurs répondent que ce sentiment n'est point condamné, et qu'il faut, pour s'imaginer qu'il est condamné, interpréter d'une manière outrée et dangereuse quelqu'une des propositions de Baïus et de Quesnel condamnées avec raison dans les bulles contre Baïus et dans celle de Clément XI. Ces propositions signifient que, sans la grâce efficace, et même sans une grâce efficace qui soit une inspiration de quelque amour de charité, proprement dites, l'homme dans l'état présent ne peut que pécher. Il n'y a personne au moins qui ne doive avouer qu'il est très permis de n'entendre ces propositions de Baïus et des réflexions morales que dans ce sens là, qui est véritablement celui des auteurs, et qui est clairement indiqué par d'autres de leurs propositions, auxquelles il est naturel et nécessaire d'avoir recours. Par exemple, quand il est dit que, sans la grâce du libérateur, l'homme n'est libre que pour pécher, il faut voir ce que l'auteur des propositions entend par la grâce du libérateur, ou de Jésus-Christ, et on verra par celles où il l'explique qu'il n'en reconnaît point d'autre que la grâce efficace de charité, proprement dite. On pourrait ajouter bien des raisons et des autorités pour montrer que ce sentiment est très permis. Le professeur a eu le soin de citer le Bref de Benoît XIV à l'inquisiteur d'Espagne en faveur du cardinal Noris ; mais il serait inutile de s'arrêter à prouver ce qui n'a pas besoin de preuves, et ne consiste qu'en un fait très manifeste et indubitable. Il est donc certain que ce sentiment n'a point été condamné par l'Eglise, et qu'il est laissé par la même Eglise à la liberté des écoles. En effet, les papes ont déclaré eux-mêmes que le Saint-Siége n'avait jamais voulu le condamner, nommément Clément XI, qui s'est expliqué si clairement sur la liberté laissée aux écoles catholiques d'enseigner les opinions qu'elles soutenaient avant sa bulle, parmi lesquelles on doit compter ce sentiment soutenu par nombre de théologiens, même Jésuites, comme Vasquez, Ripalda, etc., qui eux-mêmes ont écrit contre Baïus.

A la seconde question, le professeur n'est point blâmable ni répréhensible. Il a loué comme savants et célèbres théologiens des théologiens qui sont effectivement très-savants et très-célèbres, et il a expliqué un point que plusieurs ignoraient, puisqu'il s'est sans doute trouvé des personnes qui ont trouvé à redire à ses cahiers là-dessus, et il était néanmoins très utile à ces personnes, surtout si elles sont en place, de ne pas ignorer ces sortes d'objets qui regardent ce qui est laissé ou non laissé par l'Eglise à la liberté des écoles. On sent assez combien ceux qui n'en sont pas instruits sont sujets à de fausses démarches, qui peuvent avoir quelquefois des suites fâcheuses. Délibéré à Paris le 29 novembre 1773. — Signé — LEGRAND.

LETTRE *de M. le syndic de la faculté de théologie de Paris à M. Le Clerc de Beauberon, vice-doyen de celle de Caen, en lui envoyant la réponse ci-dessus.*

J'ai lu, Monsieur, et j'ai communiqué à quelques-uns de nos docteurs de la Faculté de théologie l'extrait des cahiers que vous m'avez adressé. Il paraît, par cet extrait, que le professeur s'est uniquement borné à exposer les différentes opinions des théologiens, sans en embrasser aucune, sur la célèbre et importante question, *an absque gratiâ elici possit bonum opus morale, saltem facile, et cùm nulla gravis obstat tentatio ?*

Vous demandez d'abord, Monsieur, si le sentiment de Vasquez, qui a soutenu la négative sur cette question, a été condamné par l'Eglise, et proscrit par les bulles des souverains pontifes contre Baïus et Quesnel.

La réponse à cette première question est facile. Il est certain que les papes, en condamnant les erreurs de Baïus et de Quesnel, n'ont point eu intention de donner aucune atteinte aux opinions théologiques qui se soutenaient alors, et qui se sont soutenues depuis dans les écoles. Clément XI s'en est expliqué lui-même formellement. Personne n'ignore que le cardinal Noris, entre autres, a adopté l'opinion de Vasquez, ainsi qu'un grand nombre d'autres célèbres théologiens ; personne n'ignore non plus que les ouvrages de ce savant cardinal, déférés plusieurs fois à l'exa-

men du Saint-Siége, en sont toujours sortis exempts de toute censure, de toute flétrissure. On sait même que le savant pape Benoît XIV en a pris la défense dans son Bref au grand inquisiteur d'Espagne. Si l'opinion de Vasquez se trouvait proscrite par les condamnations portées contre Baïus et Quesnel, comment pourrait-il se faire que la même opinion serait exempte de toute censure dans le cardinal Noris ? Ce serait donc mal interpréter les dernières décisions du Saint-Siége; ce serait leur donner une extension qu'elles n'ont point, si parmi les erreurs qu'elles condamnent on voulait comprendre des opinions qui ont toujours été abandonnées à la libre dispute des écoles.

La seconde question que vous nous proposez, et par laquelle vous demandez si l'auteur de l'extrait ci-dessus qui a fait l'éloge de quelques théologiens qui soutiennent l'opinion de Vasquez mérite d'être blâmé et repris, n'a pas plus de difficulté. Non seulement un professeur en théologie n'est ni coupable ni répréhensible lorsqu'il expose les différentes opinions des théologiens sur une question épineuse et importante, il manquerait même à son devoir s'il omettait de le faire. Ne pas dissimuler que telle opinion a été soutenue par de savants et de graves théologiens, c'est rendre témoignage à la vérité, quand le fait est également vrai et notoire. Après que Benoît XIV a fait si hautement l'eloge du cardinal Noris dans plusieurs endroits de ses savants ouvrages, il serait aussi ridicule que peu équitable de faire un crime à un théologien parce qu'il a cru pouvoir suivre l'exemple d'un pape d'une si vaste érudition.

Voilà, Monsieur, ce que pensent les théologiens de Sorbonne, auxquels j'ai communiqué l'extrait que vous m'avez envoyé sur les deux questions que vous proposez. Il n'y a qu'un d'eux qui a mis par écrit et signé son sentiment, que je vous envoie, savoir M. Legrand. Les autres se sont contentés de me faire part de leurs avis de vive voix.

Délibéré à Paris le 14 décembre 1773. Signé Riballier, Syndic de la faculté de théologie.

§ 2. *An gratia sit necessaria ad vitanda omnia omninò peccata ?*

Homo lapsus omnia peccata mortalia sine gratiâ vitare nequit. Scilicet adversùs Pelagianos sancitum fuit gratiam ad omnia Dei mandata servanda, et tentationes, graves saltem, superandas esse necessariam. Idem homo sine gratiâ sanctificante per notabile tempus ab omni peccato lethali cum ordinariis gratiæ auxiliis abstinere non potest, Joannis cap. 15, v. 6. Hinc Augustinus in libris de spiritu et litterâ, de gratiâ Christi, de correptione et gratiâ, etc., ad legem servandam exigit gratiam *ab iniquitate liberantem*, et ideò justificantem. Scilicet, ut arguunt Patres, inprimis D. Gregorius Magnus, *peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit*, et ad resistendum concupiscentiæ et diabolo necessarium est speciale auxilium quod inimicis suis *ordinariè* non concedit Deus. Verùm ab omnibus delictis, etiam venialibus, seorsim sive distributivè spectatis, cum ordinariis gratiæ auxiliis potest abstinere, aliàs ipsi in culpam immeritò imputarentur. Quamobrem quæritur duntaxat an homo lapsus, etiam justus, possit et debeat cum ordinariis gratiæ auxiliis toto vitæ curriculo ab omni peccato, etiam veniali abstinere.

Affirmaverunt Pelagiani, teste D. Hieronymo epistolâ ad Ctesiphontem, et Augustino libro de hæresibus, hæresi 88, etc. Adversùs eos sit

Conclusio.—Ipse justus cum ordinariis gratiæ auxiliis omnia omninò peccata, etiam venialia, quæ scilicet toto vitæ tempore occurrunt cavenda, vitare non potest. Est de fide.

Dico *cum ordinariis gratiæ auxiliis*; certum nimirùm est ex speciali Dei privilegio omnia peccata venialia vitari posse ; quæ prærogativa concessa fuit Dei Genitrici, ut docet concilium Trid. sessione 6, canone 23, præeunte D. Augustino libro de naturâ et gratiâ, cap. 36, n. 42 : *De sanctâ Virgine Mariâ*, inquit, *propter honorem Domini, nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, haberi volo quæstionem.*

Probatur variis Scripturæ textibus quos Augustinus Pelagianis objecit : *Non est homo qui non peccet*, 2 Paralipomenon cap. 6..... *Septies cadet justus*, id est, pluries, Proverbiorum cap. 24... *Dimitte nobis debita nostra*, Matthæi cap. 6... *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*, 1 Joannis cap. 1. Ultimum locum D. Augustinus citato libro de naturâ et gratiâ cap. 34, n. 38, de sanctis exponit, qui non ex *modestiâ* tantùm et *humilitate* (ut reponebant Pelagiani), sed ex *veritate* se peccatores profiteri debent; quod et definivit concilium Milevitanum canone 6 his verbis : *Placuit quod ait S. Joannes, si dixerimus quia peccatum, etc. quisquis sic accipiendum putaverit ut dicat propter humilitatem dici nos habere peccatum, non quia verè ita est*, anathema sit ; hunc canonem renovavit conci-

ium Trid. sessione 6, cap. 11, et canone 23... Accedit ratio quam affert D. Thomas 1-2, q. 109, art. 8, deducta ex invectâ per peccatum infirmitate naturæ humanæ, quæ licet cuilibet peccato veniali vitando per gratiam relativè proportionatas habeat vires, eorum tamen omnium multitudinem ob insitum torporem sine extraordinario Dei auxilio declinare nequit ad eum ferè modum quo fortissimus miles occurrenti hosti profligando par est, etsi hostium cuneo superando impar sit. Hæc ratio eò majoris est ponderis quòd affectus voluntatis ad Deum gratiâ productus, tametsi peccato veniali retardatus, cum eo tamen subsistit; inde enim elucet hominem per gratiam non ita promptum effici ad vitanda peccata venialia, superatis eorum incitamentis, sicut ad vitanda mortalia, quæ aliunde longè pauciora sunt quàm venialia.

Objiciebant 1° Pelagiani varios Scripturæ textus. Matthæi cap. 5, ait Christus: *Estote perfecti sicut Pater vester cœlestis perfectus est...* Lucæ cap. 1, Zacharias et Elisabeth *dicuntur justi... incedentes in omnibus mandatis et justificationibus sine querelâ...* 2 ad Tim. cap. 4, ait Apostolus *sibi*, utpote sine peccato, *in reliquo repositam esse justitiæ coronam.....* 1 Joannis cap. 3, dicitur, *eum, qui natus est ex Deo*, qualis est justus, *non posse peccare*, etc.; ergo. — Resp. 1° hæc ad summum probare nonnullos ex speciali privilegio ab omni peccato veniali abstinuisse. Verùm, quoniam D. Augustinus hanc prærogativam in solâ B. Virgine agnoscit, ideò cum S. Doctore resp. 2°, Matthæi 5 præcipi homini non omne perfectionis genus, sed illud duntaxat, cujus in hâc vitâ capax est, et ideò vocem *sicut* aut adæquatè non esse sumendam, aut adumbrare alterius vitæ perfectionem..... Lucæ 1 Zachariam et Elisabeth non fuisse reipsà et coram Deo omnis peccati puros, sed *gravis* tantùm quod in querelam venire poterat.... 2 ad Tim. 4, Apostolum rem futuram perinde ac si esset præsens commemorâsse...... 1 Joannis 3, sermonem esse aut de nativitate ex Deo perfectâ in cœlesti patriâ, non de inchoatâ in hâc vitâ, aut de impotentiâ peccandi *in sensu composito*, ita ut significaverit Joannes hominem gratiâ sanctificante, quæ est semen Dei, præditum, et ex illâ operantem peccare non posse, non *in sensu diviso,* quasi justus non posset peccare et justitiam amittere. Quanquam fortassis intendit justum ob abundantem gratiam difficilè peccare.

Objiciebant 2°, D. Ambrosium in cap. 1 Lucæ dicentem posse hominem *in hâc vitâ sine peccato et querelâ vivere.* — Resp. cum Augustino libro de Gratiâ Christi cap. 48 et 49, aut Ambrosium loqui de peccato gravi, quod *in querelam* venire potest, ut diximus, aut si Zachariam et Elisabeth in hâc vitâ *perfectæ* justitiæ esse voluit, sententiam hanc correxisse cùm scripsit in Isaiam, *neminem in hâc vitâ esse sine peccato.*

Præter ista Pelagianorum argumenta hæc ex ratione possunt objici. Primum. Si justi per gratiam cuncta peccata venialia vitare non possent, Deus erga eos sese durè gereret; absurdum consequens; ergo. — Resp. Nego majorem. Id enim oritur, ut diximus, ex infirmitate naturæ humanæ per peccatum inditâ; id aliunde ipsis prodest ad Dei timoris, humilitatis, et aliarum virtutum exercitium, nec multùm nocet, cùm illa peccata Dei amicitiâ non privent.

Secundum. Nonne justus gratiæ ad mendacium, v, g., vitandum, oblatæ ut potest consentiendo novum à Deo obtinebit auxilium ad subsequens peccatum veniale non committendum? et sic de cæteris; ergo. — Resp. justum gratiæ pro viribus consentiendo novum reipsà à Deo accipere auxilium, nihilo tamen minùs non potest sine speciali auxilio vitare omnia peccata venialia propter innatam infirmitatem; pluries nempe simul cavenda interdùm occurrunt, aut sibi continuè et immediatè succedunt, et ideò specialis gratia requiritur ad impediendum justi his in circumstantiis lapsum.

Tertium. Deus præcipit ut justus omnia peccata venialia caveat; sed id in nostrâ sententiâ est impossibile; ergo.—Resp. Deum præcipere ut justus omnia peccata venialia *distributivè*, id est, singula *successivè* et in particulari vitet, non *collectivè simul,* id est, omnia omninò, aut *collectivè distributivè,* id est, *singula ad se invicem et ad totum comparata;* cùm scilicet homo istud præ infirmitate non possit, Deus id pro suâ justitiâ non jubet. Quamobrem homo generali quâdam et indeterminatâ necessitate ad peccata venialia committenda adigitur, non speciali et determinatâ ad illa et illa peccata singula et in particulari agenda.

Neque reponas justum, si quodlibet peccatum *in particulari* vitare potest, id etiam posse *in communi;* non enim valet consecutio à distributivo ad collectivum, ubi impossibilitas ipsi collectioni annectitur; v. g., non valeret istud ratiocinium: Potuit Moyses occidere hunc vel

illum Ægyptium ; ergo potuit omnes Ægyptios occidere ; at in justo, ut diximus, impotentia omnia peccata venialia non committendi ipsi illorum peccatorum collectioni illigatur, non distributioni, cùm justus ab omni peccato veniali aliquandò abstineat, et nullum indicari possit instans particulare et determinatum in quo necessariè peccet.

§ 3. *An homo sine gratiâ possit ad gratiam se præparare?*

Placuit Pelagianis, ut diximus, bonis naturæ operibus gratiam *de condigno*, id est, *ex debito*, à Deo rependi, quæ gratia ad bonum non *simpliciter*, sed *faciliùs* operandum necessaria foret ; Semipelagianis verò et Juliano gratiam tum fidei cùm justificantem piis quibusdam conatibus et studio sanitatis recuperandæ *ex congruo*, sive ex decentiâ, deberi, adeòque posse hominem per opera moraliter bona ex merito *de congruo* obtinere primam gratiam, et eo modo se ad illam præparare.

Nonnulli veteres scholastici, de quibus Estius in 2 Sent. distinct. 26, paragrapho 34, ultimam sententiam tenuisse videntur rati Patres adversùs commemoratos hæreticos intendisse duntaxat gratiam bonis naturæ operibus non deberi *ex condigno*.

Conclusio. — Nullo prorsùs modo homo per solas naturæ vires se ad gratiam sive actualem sive habitualem præparare potest.

Hæc assertio non solùm perstringit Pelagianos et Semipelagianos, sed etiam quosdam recentiores, quos clerus Gallicanus censurâ confixit anno 1700 quòd assererent axioma, *facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, etiam adumbrare ex parte Dei « obligationem dandi gratiam facienti quod in se est viribus quoque naturæ, et illam obligationem non fundar iquidem in merito sive de condigno, sive de congruo operum moraliter bonorum, sed in pacto inter Christum et cœlestem Patrem inito dandi gratiam propter merita Christi respiciendo naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum, aut rigorosam conditionem ; quæ doctrina (inquit clerus) Semipelagianismum instaurat, mutatis tantùm vocibus, et pactum introducit commentitium, et Scripturæ et traditioni contrarium. » Ex quibus patet opera moralia naturalis ordinis non esse *motivum*, *causam*, vel *regulam*, vel *occasionem*, vel *conditionem*, quâ Deus ex certâ lege vel pacto ad gratiam conferendam moveatur, et excitetur, et idcircò Deum homini hæc opera elicienti pro libito gratiam concedere vel non concedere, et celebre axioma relatum, *facienti quod in se est*, etc., intelligendum esse de eo qui facit quod in se est ex gratiæ adjutorio, non ex solis naturæ viribus.

Probatur assertio iis Scripturæ et traditionis testimoniis, quibus antea evicimus nullum prorsùs opus saltem ad vitam æternam, cujus gratia semen est, conducens, elici posse ex solis naturæ viribus, sive sine gratiâ strictè acceptâ. Accedit ratio ; omnis nempe dispositio formæ, ad quam præparat, specie et proportione par esse debet ; at tales non sunt actus merè naturales respectu gratiæ, quæ est entitativè supernaturalis ; ergo, etc.

Cæterùm, si D. Thomas in quæstionibus de veritate, et in libros Sententiarum aliquid huic doctrinæ contrarium docere visus est, illud revocavit in Summâ : consuli poterit Estius in 2 Sent. dist. 26, paragrapho 35. Sanè, cùm S. doctor in 3 dist. 25, q. 2, et quæstione 14 de Veritate art. 11 ad 1, dixit, « certissimè tenendum esse Deum homini ductum naturalis rationis sequenti in appetitu boni et fugâ mali vel per internam revelationem revelaturum esse ad credendum necessaria, vel ad eum missurum esse prædicatorem sicut misit Petrum ad Cornelium, » cùm, inquam, hæc dixit, quæ in Summâ non confirmantur, vel locutus est de externâ protectionis gratiâ quam Deus isti homini liberè impendit, vel intendit Deum isti certò gratiam *ex bonitate* esse impertiturum, etsi ad id nullo prorsùs modo teneatur.

ARTICULUS V.

An et quæ gratia necessaria sit ad perseverandum in justitiâ?

Perseverantiæ donum *magnum est et speciale Dei* donum sive munus, inquit concilium Trid. sess. 6, can. 16 et 22, præeunte D. Augustino lib. de Correptione et gratiâ cap. 6. Unde S. doctor specialem de illo dono instituit dissertationem, licet superflua videretur post ea quæ adversùs Pelagianos de gratiæ ad omnia et singula salutis opera et divinorum mandatorum observationem necessitate disseruerat.

Perseverantia hîc accipitur pro quâdam in gratiâ habituali, sive sanctificante permanentiâ.

Hæc perseverantia duplex secerni potest, una *secundùm quid*, sive, ut loquitur Augustinus libro de Dono perseverantiæ cap. 1, n. 1, *alicujus temporis*, quâ quis per vitæ partem duntaxat in justitiâ permanet.... Alia *simplex*

(vitæ) *perseveratur in Christo*. Hujus perseverantiæ donum, inquit S. doctor ibidem cap. 6, n. 10, *suppliciter emereri potest* (de congruo) sed cùm datum fuerit *amitti contumaciter non potest*; unde in Augustini mente vera perseverantia ea sola est ex quâ homo nunquàm excidit, et hæc est de quâ disserit in hoc et aliis libris adversùs Semipelagianos.

Perseverantia *simplex et absoluta* à recentioribus non quidem ex verbis sed ex sensu D. Augustini duplex distinguitur, *activa et afficiens*, quâ justus bona opera usque ad mortem elicit, et *merè passiva et formalis*, quæ consistit in actuali unione gratiæ sanctificantis cum morte. « Prior, inquit Estius in 2 Sent. distinct. 26, paragrapho 42, dicitur esse in actu imperfecto, posterior in actu perfecto et consummato, cùm perseverantia finalis dici non possit perfecta et consummata antequàm perveniatur ad finem. »

Perseverantia simplex et absoluta rursùs duplici modo potest considerari : uno, cùm adultus, v. g., post acceptam gratiam sanctificantem, aut infans post receptum baptismum statim moritur; altero, cùm quis post adeptam gratiam habitualem aliquandiù vivit, et usque ad mortem perseverat in fide et amore Dei legem ejus implendo. De perseverantiâ sub priore respectu non disseremus; etverò manifestum est illis infantibus aut adultis nullum *intrinsecum* auxilium esse necessarium ut perseverent. Dico *intrinsecum*; iis enim, parvulis præsertim, saltem plerùmque externus impenditur favor cùm è vitâ eripiuntur, antequàm gravis certaminis periculum subeant, ut fert oraculum istud : *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, etc., Sapientiæ cap. 4. Agitur ergo de perseverantiâ finali sub posteriore tantùm respectu acceptâ, id est, de illis qui post acceptam gratiam sanctificantem per aliquod tempus vivunt, et ideò pugnandum habent adversùs dæmonem, mundum, et carnem. Quæritur an istis necessarium sit speciale auxilium ut usque in finem perseverare possint *efficaciter et in actu secundo*, sive *potentiâ actui conjunctâ* (hoc enim sensu D. Augustinus perseverantiam finalem in commemoratis libris, et concilium Trid. post ipsum intellexisse videtur), et quodnam sit illud auxilium, quæ duo obscuritatis fugiendæ causâ seorsim expendemus.

§ 1. *Utrum justificati sine speciali Dei auxilio in acceptâ justitiâ usque in finem perseverare possint?*

Affirmaverunt Pelagiani et Semipelagiani, ut ex Augustini libris adversùs eos elucet; isti enim non solùm initium fidei, sed etiam finalem in fide perseverantiam à libero arbitrio pendere asserebant, etsi ad ipsa salutis opera gratiam esse necessariam concederent. Contra

CONCLUSIO. —Justi sive electi in acceptâ justitiâ usque ad vitæ finem perseverare non possunt, saltem efficaciter, sive potentiâ cum actu conjunctâ, sine speciali Dei auxilio, quodcumque tandem illud sit. Est de fide adversùs recensitos hæreticos.

Prob. 1° sacris litteris à D. Augustino expositis toto inprimis libro de Dono perseverantiæ. Inter innumera quæ adducit testimonia hæc eminent: Psalmo 79 : *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ* (Christum sive secundum Adam), *et non discedimus à te; vivificabis nos*, etc., *manus igitur Dei est ista*, inquit S. doctor cap. 1, n. 14, *non nostra ut non discedamus à Deo*; *manus, inquam, ejus est ista qui dixit : timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant*, Jeremiæ cap. 32. Ubi etiam observa auxilium istud non externum duntaxat esse, sed et internum, *vivificabis nos, etc.*, Matthæi cap. 6, Christus præcepit orationem quam quotidiè recitant sancti, cujus omnes petitiones, hâc unâ exceptâ : *Dimitte nobis debita nostra*, ad perseverantiæ donum à Deo impetrandum tendunt, ut observat S. doctor ibidem cap. 2, n. 4 et 5, *in quâ*, inquit cap. 5, n. 9, p. 826, *sancti nihil aliud precantur quàm ut in sanctitate perseverent*. Epistolâ ad Philippenses, cap. 1 : *Vobis donatum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Horum unum*, inquit cap 2, n. 2, *pertinet ad initium, alterum ad finem, utrumque tamen Dei donum est*; ibidem addit Apostolus: *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Christi Jesu.*

Jacobi cap. 1: *Omne datum optimum, et omne bonum perfectum, desursùm est, descendens à Patre luminum; negare*, inquit Augustinus libro de Correptione et Gratiâ, cap. 6, n. 10, *non possumus etiam perseverantiam in bono proficientem* usque in finem *magnum esse Dei munus*, nec esse nisi ab illo de quo scriptum est Jacobi cap. 1 : *Omne datum optimum, etc.* Idem prolixè ostendit capitibus 7 et 8.

Prob. 2°, cum Augustino, libro de Dono perseverantiæ cap. 7, n. 15, ex Ecclesiæ orationibus : *Orat*, inquit (Ecclesia) *ut increduli credant. Deus ergo convertit ad finem; orat ut increduli perseverent; Deus ergo donat perseverantiam usque in finem.*

Prob. 3° ex concilio Trid. sess. 6, can. 22, ubi decreta concilii Carthaginensis secundi, anni 415 in epistolà ad Innocentium I; et Arausicani secundi, anno 529, can. 9 et 10 adversùs Pelagianos et Semipelagianos renovans, ait: *Si quis dixerit justificatum sine speciali auxilio Dei in acceptà justitià perseverare posse*, anathema sit.

Probatur 4° ex suffragio D. Thomæ, 1-2, q. 109, a. 10, et omnium theologorum catholicorum.

Accedit tandem ratio quam affert D. Augustinus lib. de Correptione et Gratià cap. 12, n. 35; scilicet fideles non possunt perseverare nisi accipiant à Deo auxilium, quo, si permittantur tentationes, *cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superent*.

Objiciunt 1°: Mors in gratiæ statu, et ideò ipsa perseverantia, non est speciale Dei donum; naturaliter enim fit ut hoc vel illo tempore contingat; ergo. — Resp. mortem quidem in se præcisè et simpliciter oriri ex naturâ, sed mortem in gratià sanctificante non ex causis naturalibus, sed ex speciali erga electos Dei dilectione proficisci, ad eum modum quo nativitas ex catholicis et piis parentibus singulare est Dei munus, etsi in se præcisè sit à naturâ. Rapit nimirùm Deus electos suos ne à justitià excidant, Sapientiæ cap. 4. Ita etiam D. Augustinus lib. de Dono perseverantiæ, cap. 17, n. 4.

Instant: Sint duo justi, quorum unus post annum in gratiâ; alter post decem annos piè exactos in peccato mortali moriatur; at primus non per speciale perseverantiæ donum, sed fortuitò et ex naturali causarum secundarum cursu è vità exiit, sicut alter eâdem ex causâ in lethifero peccato obiit; ergo. Resp. Nego minorem. Id quippe evenit quia Deus justo quidem sed inscrutabili judicio priori dedit finalis perseverantiæ donum, non posteriori. « Ex duobus piis, inquit Augustinus lib. de Dono perseverantiæ, cap. 9, n. 21, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei; illud autem fidelibus debet esse certissimum hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. »

Instant: Ex responsione colligitur ultimum hominem sine suâ culpâ mori in peccato; in eo enim moritur quia à Deo non accepit perseverantiæ beneficium; falsum consequens; ergo. — Resp.: Nego majorem; colligitur quidem Deum specialem erga electos prædilectionem habere ex quâ uni dat perseverantiam, alteri non dat; *est enim Salvator omnium maximè fidelium*, 1 ad Tim. cap. 4; quod clariùs adhuc significavit Christus Matthæi cap. 24, v. 22; sed non colligitur illum hominem sine suâ culpâ in peccato mori; potuisset enim gratiæ ordinariæ obsequendo, et frequenti oratione debito modo factâ uberiorem obtinendo acceptam justitiam servare, quod si fecisset, Deus ipsi perseverantiæ donum largitus fuisset, licet illud cui vult impertiat; *hoc* scilicet *donum*, inquit D. Augustinus loco antea citato, *suppliciter emereri potest*, et ut ait concilium Trid. sess. 6, cap. 11, post D. Augustinum lib. de Naturâ et Gratiâ cap. 26, « Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit nisi priùs ab ipsis deseratur; » et cap. 13: « Deus nisi ipsi illius gratiæ defuerint sicut cœpit opus bonum ita perficiet operans velle et perficere; » quare licet nulla dari possit ratio cur Deus *comparatè* et *relativè* det aut non det perseverantiam, tamen in mente etiam Augustini aliqua afferri potest cur *absolutè* eam det aut non det.

Instant iterùm: Non potest justus cum ordinariis habitualis et actualis gratiæ auxiliis perseverare; ergo, cùm non perseverat, priùs à Deo deseritur quàm ipse Deum deserat. — Resp.: Conc. ant. nego conseq. Augustinus enim libro de Correptione et Gratiâ cap. 13, n. 42, fatetur eos *qui non perseverant deserere et deseri*; Deus videlicet uberiorem gratiam à justo non retrahit nisi ex ipsius parte præcesserit aliqua culpa sive ex negligentiâ et tepore in oratione, sive ex tacitâ quâdam et occultâ præsumptione et superbiâ, quæ in rectè etiam facta facilè irrepere potest, etc. Etenim, ut postea dicturi sumus, ubi Augustinianum et Thomisticum systema à Molinistarum dicteriis vindicabimus, culpa propter quam Deus perseverantiæ donum denegat non est semper mortalis, quod demonstrare voluisse videtur Deus cùm Moysi terræ promissæ ingressum ob culpam ad aquas contradictionis commissam interdixit.

Instant tandem: Si quilibet justus ex suâ culpâ perseverantiæ dono caret, quomodò Augustinus asserere potuit magnum et singulare perseverantiæ donum electorum duntaxat esse proprium? — Resp. S. doctorem id dixisse quia disseruit de perseverantiâ *in actu secundo*, sive de actuali perseverantiâ in bono usque in finem, quæ solis prædestinatis, ut patet, competit. Ideò autem perseverantia est magnum et singulare donum electorum proprium, licet

quilibet justus ex suâ tantùm culpâ illo privari videatur, 1° quia Deus permittit justum non electum mori cùm à justitiâ excidit, quod ex speciali providentiâ non permittit erga justum electum; 2° quia singulari favore ab electis justis arcet peccata quæ ipsos privarent perseverantiæ dono, quam protectionem non electis justis non concedit.

Objiciunt 2°: Gratia habitualis datur ut justus cum auxiliis ordinariis et actualibus possit ab omni peccato abstinere, et quaslibet vincere tentationes etiam usque ad ultimam vitæ periodum; ergo speciale Dei adjutorium non est necessarium ut justi usque in finem in justitiâ perseverent. — Resp. : Nego ant. Ex laudato enim canone 22 concilii Trid. justus ut *possit perseverare*, indiget etiam speciali Dei auxilio actuali, quod speciatim ad *posse perseverare* detur, quod idcircò distinctum sit à gratiâ habituali et actualibus aliis gratiis ordinariis; sicut scilicet gratia habitualis non excludit actualem, cùm non solùm habitus sed et actus supernaturales à Deo immediatè oriantur, ita una gratia actualis aliam non excludit saltem potentiorem, nec idcircò inutilis erit gratia actualis ordinaria, cùm ejus ope possit et debeat justus postulare donum perseverantiæ, quod *suppliciter emereri potest*, inquit Augustinus.

Objiciunt 3° : Quod per Adæ delictum amiserat homo, superabundè ipsi restitutum est per Christi donum, Rom. cap. 5; sed Adam, Augustino dicente lib. de Correptione et Gratiâ, cap. 11 et 12, acceperat unde posset perseverare absque alio adjutorio; ergo à fortiori justus sine novo et speciali auxilio potest per Christi gratiam perseverare. — Resp. cum D. Thomâ 1-2, q. 109, a. 10 ad 3, donum Christi majus esse Adæ delicto quantùm ad perseverantiam; Adæ enim insontis auxilium *fuit* ut *perseverare posset*, non ut *de facto perseveraret*; nunc verò multi accipiunt ipsammet perseverantiam; hæc responsio Augustini doctrinæ est omninò consona. Addunt alii plus per Christum nobis datum esse quàm per Adam amisimus quia ad perseverandum habuit Adam gratiam duntaxat *intellectûs*, sive *cognitionis*, nobis verò gratia etiam *voluntatis* conceditur.

Cæteras hæreticorum objectiones diluimus ubi adversùs eos de necessitate gratiæ ad omnia et singula salutis opera disseruimus.

§ 2. *Quodnam sit speciale Dei auxilium quo indigent justi ut usque ad finem perseverare possint?*

Jansenii Yprensis discipuli, inter quos celebris Antonius Arnaldus, potissimùm in famosâ dissertatione de gratiâ efficaci, magistri vestigiis insistentes, asserere non dubitant, speciale perseverantiæ auxilium, de quo concilium Trid. et Augustinus, esse ipsissimam delectationem relativè victricem, quæ *invictissimè, indeclinabiliter*, et *insuperabiliter* voluntatem ad perseverandum determinat, et ideò justis omnibus, qui reverà non perseverant, deesse gratiam quâ verè hic et nunc perseverare possint; nullam scilicet aliam agnoscunt gratiam quàm efficacem. Hoc systema in sequenti libro sumus confutaturi.

Theologi catholici docent 1°, justis omnibus à Deo impertiri adjutorium proximè aut remotè sufficiens ad perseverandum... 2° Illud adjutorium esse gratiam à sanctificante distinctam, id est, gratiam actualem, quâ justus potest, *potentiâ saltem ab actu sejunctâ*, id est, ut aiunt, *in actu primo*, et *defectibiliter*, perseverare, et suppliciter ipsam perseverantiam actualem promereri.

Verùm iidem theologi inter se dissident circa naturam *specialis Dei auxilii*, sine quo justum perseverare non posse definivit concilium Trid. sess. 6, can. 22.

Alii cum Andreâ Vegâ, viro erudito qui concilio Trid. interfuit, sentiunt S. synodum designâsse auxilia actualia et ordinaria justis omnibus collata ad præcepta quoties urgent implenda, et ideò synodum illud auxilium vocâsse *speciale oppositè*, sive per oppositionem ad gratiam habitualem, non autem ad gratias actuales superadditas gratiæ habituali.

Alii è converso, cum Guillelmo Estio, Francisco Sylvio, etc., theologis etiam doctissimis, censent concilium illud adjutorium dixisse *speciale* per oppositionen non solùm ad gratiam habitualem, sed etiam ad gratiam actualem sufficientem cuilibet justo urgente præcepto concessam, quia ista gratia est *communis et ordinaria*, non autem *specialis*.

Hæc opinionum diversitas magis fortassis circa *nomen* quàm circa *rem* versatur. Enimverò, si S. synodus locuta est de potentiâ perseverandi *in actu primo*, id est, ab actu sejunctâ, ut sentire videntur prioris opinionis patroni, per *speciale auxilium* potuit intelligere gratiam actualem sufficientem ad præcepta observanda; multùm saltem non repugnabunt alii theologi; si verò indicavit potentiam perseverandi *in actu secundo*, sive *cum actu conjunctam*, ut sentiunt, aut sentire videntur posterioris senten-

tiæ defensores, qui primam tuentur opinionem, fateri poterunt concilium specialis auxilii nomine intellexisse auxilium à gratiis actualibus omnibus justis impertitis distinctum. Unde quæstio eò unicè recidere videtur, an concilium verba fecerit de efficaci, an de merè sufficienti perseverantiæ dono. Quidquid sit sic statuimus :

CONCLUSIO. — Speciale Dei auxilium, quod dicente D. Augustino, et concilio Tridentino, justo necessarium est ut possit in justitiâ usque in finem perseverare, reverà distinguitur à gratiâ sanctificante, et etiam à gratiâ actuali verè et relativè sufficiente justis omnibus urgente præcepto concessâ; est certa quoad primam partem, quoad secundam verò videtur probabilior.

Probatur prima pars, 1° ex dictis, cùm scilicet ostendimus justum præter gratiam habitualem indigere actuali voluntatis adjutorio ut bonum agere possit.... 2° ex concilio Trid. citato canone 22, ubi disserit de justificato, sive habente gratiam habitualem, qui indiget *speciali auxilio;* ergo istud auxilium non est gratia habitualis, neque etiam habitualis nova, quâ opus non est ad perseverandum in gratiâ habituali... 3° ex D. Thomâ 1-2, q. 109, art. 10, in corp.

Probatur secunda pars, sive speciale auxilium justis ut possint perseverare necessarium distingui à communibus gratiis ipsis infusis. 1° Enim quid magis absurdum quàm auxilia justis omnibus communia vocare *speciale auxilium?...* 2° *magnum et singulare* perseverantiæ donum, de quo Augustinus adversùs Semipelagianos, est auxilium ipso dicente citatis locis proprium prædestinatorum duntaxat, siquidem per ipsum usque in finem perseveratur in Christo, et *cùm datum fuerit contumaciter amitti non potest* (quia nempe dat potentiam usque in finem perseverandi *cum actu conjunctam,* sive *efficaciter et in actu secundo*). At concilium Trid. et canone 16, et canone 22, indubiè loquitur de dono perseverandi, de quo Augustinus; definit enim quod ille tradiderat adversùs Semipelagianos, et Augustini verba exscribit vocando illud donum *magnum* et *speciale*. Ergo... 3° ita censent D. Thomas, et plures alii insignes theologi.

Dices 1° : Augustinus ipso libro de Correptione et Gratiâ cap. 7, n. 11 ait : « Justior videtur excusatio dicentium : *Non accepimus audientiam* (fidei) quàm dicentium : *Non accepimus perseverantiam;* quoniam potest dici : *Homo, in eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares si velles,* nullo modo autem dici potest : *Id quod non audieras, crederes si velles;* » ergo disserit Augustinus de dono perseverantiæ relativè etiam ad non electos. — Resp. 1°, etsi nullum præjudicium inferre volumus celebri isti testimonio, quod ex se efficacissimum est ad refellendum novatorum commentum de dono voluntatem *invictissimè* et ideò necessariè ad perseverandum determinante, tamen fatendum esse Augustinum hìc quasi dubitanter loqui : *Justior videtur, dici potest,* etc., idque veluti per transennam, et ut objectionem pro modulo solveret dixisse, cùm inprimis initio capitis sequentis hæc habeat : « Si à me quæratur cur eis perseverantiam non dederit quibus eam quâ christianè viverent dilectionem dedit, me ignorare respondeo... agnoscens modulum meum audio : *O homo!* etc.; *ô altitudo!* Rom. cap. 9, etc. » — Resp. 2° : Dist. conseq. Disserit de dono perseverantiæ relativè etiam ad non electos qui cum ordinariis gratiæ auxiliis non possint perseverare absque magno, speciali et efficaci auxilio, conc.; qui possint perseverare sine illo auxilio, nego conseq. Seipsum exponit S. doctor citato cap. 6 libri de Dono perseverantiæ : *Hoc donum,* inquit, *suppliciter emereri potest,* sed *cùm datum fuerit, contumaciter amitti non potest,* id est, possunt justi cum sibi concessâ gratiâ verè sufficienti obtinere à Deo perseverantiæ donum, quo obtento poterunt perseverare potentiâ ad actum infallibiliter reducendâ.

Dices 2° : Justum in justitiâ perseverare posse, nihil aliud est quàm ipsum constanter posse observare mandata; ergo quilibet justus cum gratiâ actuali potest usque in finem perseverare. — Resp. : Dist. ant. Justum perseverare posse nihil aliud est quàm ipsum constanter posse observare mandata *efficaciter,* sive potentiâ ad actum infallibiliter usque in finem reducendâ, conc. *Inefficaciter,* sive sine tali potentiâ, nego ant. et conseq. Hæc quippe perseverandi potentia necessariè exigit Dei auxilium *speciale, magnum,* et *singulare.*

Quanquam autem hominis est tam eximium donum venerari, non autem quid illud sit curiosiùs scrutari, tamen dici posse videtur illud esse 1° internum et maximè efficax (sive tale sit *ex se,* sive *ex congruitate,* sive etiam ex consensu voluntatis), ut electus vel à peccatis arceatur, vel à commissis delictis infallibiliter resipiscat, ac demùm non obstante voluntatis mobilitate in justitiâ certò permaneat... 2° ex-

ternum ut idem electus singulari Dei providentiâ et protectione sublatis variis salutis impedimentis eo instanti è vitâ excedat quo gratiâ sanctificante exornatus est. Cujus quidem specialis adjutorii et favoris fons et radix est singularis Dei in electos suos prædilectio, ut passim docet D. Augustinus, in primis libro de Correptione et Gratiâ cap. 7, n. 13, et cap. 13, n. 40, ubi ait : « Numerus sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, *donatâ sibi etiam usque* in finem perseverantiâ, illùc integer perducetur, adhærente sibi misericordiâ Salvatoris sui, sive cùm convertuntur, sive cùm præliantur, sive cùm coronantur. »

Corollaria. — Ex eâ quam hoc libro vindicavimus gratiæ necessitate, ad omnes et singulos saltem pietatis actus, colliges 1°, nullum hominem, in quocumque statu sit, in seipso debere gloriari, sed in Domino solo, ut monet Apostolus Epist. 2 ad Corinthios cap. 10; scilicet *qui gloriatur*, inquit Augustinus, *quòd sit bonus, in eo debet gloriari à quo factus est bonus.* Colliges 2°, hominem in continuâ gratiarum actione Deo rependendâ pro acceptis ab eo donis versari debere. Scilicet quidquid supernaturalis cognoscit, et quidquid boni saltem ad salutem pertinentis vult et facit, illud totum divinæ gratiæ deputandum ; unde Apostolus Epist. 1 ad Corinth. cap. 4 : *Quid habes quod non accepisti?*

Colliges 3°, Dei gratiam piis et continuis precibus esse ambiendam ; ipso enim fatente Norisio in Vindiciis, Deus gratiam ad orandum necessariam fidelibus semper impertit, sicque gratia ad alia opera requisita semper obtineri potest.

Colliges 4°, hominem omni ope atque operâ curare debere ut quæ à Deo accepit, studiosiùs conservet. Unde Apostolus Epist. 1 ad Corinth. cap. 10, jubet *ut qui stat videat ne cadat.*

Colliges 5°, hominem attendendo se sine gratiæ auxilio nihil posse potentiùs moveri ad exercendam humilitatem quæ est fundamentum christianæ perfectionis.

Liber secundus.

DE GRATIA SUFFICIENTE.

Yprensis, toto libro tertio de gratiâ Christi Salvatoris, gratiam sufficientem utpote suo systemati prorsùs adversam, impugnat tanquàm *monstrosam, Deo indignam, Augustino ignotam, et à solo Pelagio excogitatam.* Hinc sedulò et quoad fieri poterit dilucidè vindicanda est. Quod ut assequamur, disseremus 1° de gratiæ sufficientis essentiâ et existentiâ... 2° de gratuitâ ejusdem gratiæ effusione.

CAPUT PRIMUM.

De gratiæ sufficientis essentiâ et existentiâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De gratiæ sufficientis essentiâ.

Gratia sufficiens generatim accipi potest prout non opponitur efficaci, et speciatim prout ab efficaci distinguitur. Primo sensu accepta ea est quæ tribuit potentiam agendi supernaturaliter quolibet modo, id est, *declinabiliter*, vel *infallibiliter.* Sic delineatur Epistolâ 2 ad Corinthios, cap. 12 : *Sufficit*, inquit Deus, *tibi gratia mea.* Gratia sufficiens non isto, sed ultimo duntaxat modo hìc consideratur, id est, quatenùs ab efficaci secernitur, et quæritur quid sit.

Gratiæ sufficientis relato modo acceptæ natura inspici potest vel *relativè* ad opiniones theologorum, vel relativè ad dogmatica Ecclesiæ adversùs novatores judicia. Illam non sub primâ, sed sub secundâ tantùm relatione pro instituto nostro hìc consideramus.

Cùm autem in sequenti libro hæreticorum systema, et diversas theologorum opiniones fusiùs simus expositurì, idcircò hìc utrorumque mentem breviter aperiemus, ut dicenda faciliùs intelligantur.

Novatorum systema. — Joannes Calvinus, libro 2 Institutionis, cap. 3, paragrapho 10 et aliis in locis solum admittit auxilium *efficax et invincibile*, cui homo resistere non possit. Concinit Lutherus.

Jansenius, toto præsertim libro tertio de Gratiâ Christi, gratiam recentiorum theologorum sensu sufficientem velut *monstrum* horret et refugit, ut diximus. At vir acutus ut anathema concilii Tridentini sessione 6, canone 4, eludere posset, Lutherum et Calvinum in modo loquendi omninò imitari noluit. Ultrò nimirùm admisit gratiam aliquam *sufficientem*, sive *parvam, et inefficacem*, quæ det potentiam agendi. Verùm ille (ut et ipsius discipuli) per gratiam illam *parvam et inefficacem* eam intellexit, quæ minor est et debilior oppositâ delectatione terrestri, quâ idcircò vincitur, licet effectum, quem in hâc hypothesi producere potest, necessariè operetur, scilicet *inefficacia desideria, velleitates*, etc., et effectum, quem non producit, in eâdem hypothesi *ob defectum virium* rei-

psâ producere nequeat; unde elucet potentiam, quam dat illa gratia parva et inefficax, esse potentiam *merè absolutam*, et *abstrahentem* à præsentibus subjecti circumstantiis, sive ab oppositâ fortiori concupiscentiâ, non *relativam* ad præsentes subjecti circumstantias, sive ad oppositam fortiorem delectationem terrestrem.

Id totum fit manifestum ex libris de gratiâ Christi. Etenim capiti primo libri tertii hunc fecit titulum : *Ostenditur nullum dari adjutorium sufficiens post lapsum quin simul efficax sit.* Ibidem : *Vocamus sufficientem gratiam*, seu *sufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii necessarium est ut velit et operetur.* Ibidem capite 13 : *Nondùm poterat* (Augustinus ante conversionem) *defectu virium fortiorem concupiscentiam superare.* Item libro 2, cap. 27, sufficiens sive parva gratia non sufficit ad Dei mandatum operandum, licet aliquid faciat, nempe velleitates quasdam excitet. Item libro 8, cap. 2, dicit parvam gratiam *esse semper efficacem*, quia producit inefficacia desideria, sive id quod tunc solùm operari potest, licet non *victricem*, quia ardentiorem concupiscentiam non vincit. Tandem libro 4, cap. 10 : *Gratia sufficiens, sive inefficax ea est ex quâ operatio nequidem sequi potest, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur.*

Igitur gratia sufficiens, sive parva, ad sensum Jansenii definiri debet : Gratia quæ gradibus inferior est oppositâ concupiscentiâ actuali, quam ideò *propter defectum virium* vincere non potest.

Theologorum opiniones. — *Divisio in gratiam sufficientem et efficacem*, inquit Franciscus Cumel, disputatione 4 de Auxilio sufficiente et efficaci, sectione 1, *recepta est ab universis theologis catholicis contra hæreticos;* hoc profectò verum non esset, si gratia sufficiens in mente theologorum non daret vires relativè sufficientes. Illi tamen in diversas abeunt circa gratiæ sufficientis naturam opiniones. Enimverò Thomistæ gratiam sufficientem eam dicunt quæ ita homini hîc et nunc benè agendi potestatem impertit, ut nunquàm *benè operari* tribuat absque efficaci et physicè prædeterminante Dei auxilio..... Augustiniani eam cum quâ homo hîc et nunc benè operari potest, nunquàm verò benè operabitur nisi accesserit nova gratia, non *physicè præmovens*, sed *ex se et absolutè* moraliter victrix et efficax.

Congruistæ illam, quæ non est *congrua*, sive attemperata variis personæ, loci et temporis circumstantiis, et ideò suum nunquàm sortitur effectum, licet expeditam et relativam benè operandi potestatem tribuat; in isto enim systemate gratiæ efficacia nascitur ex congruitate, et ideò gratia purè sufficiens est gratia non congrua..... Molinistæ illam quæ homini ita hîc et nunc benè operari posse dat, ut cum eâ reipsâ sine ullo novo uberiore et præveniente auxilio pro arbitrio benè operetur, vel non operetur, quam idcircò homo efficacem vel inefficacem facit eâ benè utendo vel non utendo.

Quid gratia sufficiens ex Ecclesiæ definitionibus? — Ex dictis, tum de hæreticorum systemate cùm de consensu omnium theologorum, jam innotescit quid sit illa gratia sufficiens. Verùm, cùm res ista gravissimi sit momenti, ut magis affulgeat, sit

Conclusio. — Gratia sufficiens ex Ecclesiæ definitionibus ea est quæ non tantùm *absolutam* (ut placet Jansenio et ejus sectatoribus), sed etiam relativam ad pietatis opus tribuit potentiam, si non proximam semper et immediatam, saltem remotam et mediatam.

Hic potentia *proxima* et *immediata* ea est quâ homo bonum illud opus agere, aut urgentem hîc et nunc tentationem vincere potest proximè, sive independenter ab omni alio auxilio..... Remota et mediata ea quæ dat proximè id agere posse, quod impetretur gratia dans proximè posse facere illud vel illud bonum opus, vel urgens hîc et nunc præceptum implere. Talis est oratio, quam, ut diximus, unusquisque fidelis ex sibi impertitâ gratiâ sufficiente proximè potest ut oportet emittere, sicque obtinere gratiam sufficientem, quâ proximè possit illud bonum opus edere, vel concupiscentiam actu titillantem superare.

Probatur ex censurâ primæ propositionis Jansenii : *Aliqua Dei præcepta justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires sunt impossibilia; deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.* Sic enim arguimus : Ecclesia definivit gratiæ parvæ, sive sufficienti, eam inesse potentiam quam ipsi inesse negavit Jansenius (damnavit enim quinque propositiones in sensu à Jansenio intento); atqui Jansenius non negavit parvam, sive sufficientem, justorum gratiam ipsis tribuere potentiam *absolutam* ad præceptum implendum, sed *relativum* tantùm, ut ostendimus, et aliunde elucet tum ex contextu propositionis, in quâ voces : *secundùm præsentes quas habent vires* sunt synonymæ cum istis *relativè ad præsentes quas habent vires*, cùm ex notione systematis Janseniani, in quo tota vis gratiæ et concupiscen-

tiæ est relativa. Etverò, si Ecclesia in parvâ gratiâ Jansenii requireret duntaxat potentiam *absolutam*, gratia parva Jansenii esset in Ecclesiæ sensu verè sufficiens, et ideò *Jansenismus esset merum phantasma*, quam assertionem proscripsit clerus Gallicanus in comitiis anni 1700.

Dices cum Jansenii discipulis : Voces istæ, *potentia absoluta et relativa*, novæ sunt et veteribus incognitæ ; ergo.—Quemdam doctorem Yprensis doctrinæ addictum hæc seriò, dùm præsideret, in sacrâ scholâ Cadomensi, objicientem non sine stupore audivi. — Resp. eos qui hæc ostentant indubiè hujus magistri effati oblitos fuisse libro 8 de Gratiâ Christi cap. 2 : *Cùm*, inquit, *aliquid propter novas opiniones emergentes efficaciter exprimendum et ab aliis accuratè distinguendum est, rem veterem novo vocabulo insignire nihil vetat.* Etverò, voces veteribus incognitæ, *consubstantialis, ex opere operato, etc.*, in concilio Nicæno primo et Tridentino consecratæ sunt. At novum Jansenii systema de potentiâ et vi gratiæ respectu concupiscentiæ, et concupiscentiæ respectu gratiæ Catholicos impulit ad distinguendam *potentiam absolutam et relativam:* vox enim, *potentia*, simpliciter modo efficaci non expressisset systema Jansenii qui agnoscit in gratiâ parvâ cum concupiscentiâ non comparatâ potentiam ad bonum (*absolutam* nempè), et impotentiam ad bonum si cum concupiscentiâ conferatur (relativam scilicet ex solo defectu virium exorientem). Hinc absque subsidio duplicis illius potentiæ nunquàm eliminari potuissent effugia Jansenii discipulorum qui quinque propositiones voce improbant, reverà probant; lubenter enim dicunt, *justis Dei præcepta non esse impossibilia* (absolutè, non relativè). *Gratiæ interiori resisti* (quoad ulteriorem et perfectum effectum quem consequi potest absolutè, non relativè). *Ad libertatem requiri immunitatem à necessitate* (absolutâ, non relativâ hìc et nunc). *Christum mortuum esse pro reprobis* (ob gratias quæ absolutè et ex se possunt eis salutem accersere, non comparatè ad actuales ipsorum dispositiones et tentationes); etc.

Corollaria. — Primum. Adversarii nihil hìc proficient nisi probent gratiam parvam, sive sufficientem ex Ecclesiæ placitis non dare potentiam relativam.

Secundum. In eo præsertim gratia sufficiens ab Ecclesiâ admissa discrepat à parvâ Jansenii gratiâ quòd ista *nunquàm*, illa verò *semper* det voluntati potentiam relativam ad actualem oppositam cupiditatem debellandam. Unde parva Jansenii gratia perfectum effectum in conflictu ardentioris cupiditatis non consequitur, aut consequi nequit, *ex solo virium defectu;* gratia è converso sufficiens Ecclesiæ, ex voluntatis hominis pravitate.

ARTICULUS SECUNDUS.

De gratiæ sufficientis existentiâ.

Gratia sufficiens ex dictis est gratia actualis, præveniens, et excitans, quæ expeditam, proportionatam, et relativam ad præsentes subjecti circumstantias voluntati ad bonum opus tribuit potentiam, cui tamen voluntas resistit. Quæritur præcisè an existat hujusmodi gratia.

Conclusio. — Existit in statu naturæ lapsæ gratia verè et relativè sufficiens.

Est de fide adversùs Jansenium et ejus sectatores.

Momentum primum. — *Ex Scripturis.* — Deus passim in Scripturis conqueritur quòd ingrati et rebelles Judæi *despexerint omne consilium suum, et increpationes neglexerint* sibi non obediendo, *Spiritui sancto resistendo,* etc. Proverbiorum cap. 1, v. 24 et 25; Isaiæ cap. 5, v. 4; 65, v. 2; Matthæi cap. 11, v. 21; 23, v. 37; Actuum cap. 7, v. 51, etc... Iisdem mortem et dira supplicia comminatur nisi resipiscant, ibidem.... Sontes ad pœnitentiam passim excitat, et hortatur *ne in vacuum gratiam suam recipiant, quia suæ voluntatis non est mors impii, sed ut convertatur et vivat, et non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, Ezechielis cap. 18, v. 23; Matthæi cap. 3, v. 8; Actuum cap. 2, v. 38; Epist. 1 ad Thessalonicenses, cap. 5, v. 19; Epist. 2 ad Corinth. cap. 6, v. 1; Epist. 2 Petri cap. 3, v. 9, etc. Ex quibus sic argumentor : Istæ querelæ, comminationes, adhortationes, preces, sollicitationes evincere videntur, Deum Judæis rebellibus, et aliis sontibus dedisse gratias internas, quibus potuerunt pœnitentiam agere, converti, et tandem salutem assequi, quas tamen malitiâ suâ inutiles effecerunt eas destituendo effectu, quem reipsà consequi poterant in illis circumstantiis; at tales gratiæ sunt merè et verè sufficientes; ergo. — Minor patet ex ipsâ notione gratiæ sufficientis. — Probatur major : Si Deus illis peccatoribus gratias verè et relativè sufficientes non dedisset quibus pœnitentiam hìc et nunc agere potuissent, sed exteriores tantùm, aut eos exteriùs vocando ad pœnitentiam, aut intellectum eorum simpliciter illustrando, voluntatem verò

nullatenùs movendo, aut parvas tribuendo interiores gratias, quæ *inchoatas* quidem (inefficacia desideria producendo), sed non *pares* ad agendam pœnitentiam vires dedissent (ut reponere solent adversarii cum magistro); si, inquam, Deus illis sontibus gratias verè et relativè sufficientes non dedisset, quibus pœnitentiam agere potuissent, eorum salutem exteriùs tantùm et fictè, non sincerè et interiùs voluisset, cùm medium ex parte suî absolutè necessarium ut salvari possent non solùm ipsis non contulisset, sed etiam conferre positivè detrectâsset; in hâc sanè hypothesi similis esse videretur Deus regi, aut exercitûs duci milites suos, quibus arma ut hostes debellare possent, aut patriam à periculo eximere, non dedisset, increpanti quòd hostes non prostrâssent, et regnum non defendissent, vel eos ad id modis omnibus compellenti, et nisi fecerint dura ipsis intentanti supplicia. Quis hæc cum ideâ Dei, cujus infinitam misericordiam et justitiam in aureis operibus prædicare non desinit divus Augustinus, conciliare posset? etc.

Objiciunt 1° loca quæ solam gratiam victricem commendare videntur, Ezechielis cap. 36, v. 26; Joannis cap. 6, v. 45, et cap. 10, v. 27; ad Philippenses cap. 1, v. 6, et cap. 2, v. 13. — Resp. in his et similibus locis commendari gratiam efficacem, cui, ut omnes fatentur, nulla resistit voluntas, sed non excludi sufficientem, cui voluntatem reluctari passim clamat Scriptura. Etverò, concilium Tridentinum illa oracula sic intelligit sess. 6, cap. 13: *Deus*, inquit, *nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet* (ad Philipp. cap. 1, v. 6), *operans velle et perficere* (ad Philipp. 2, v. 13).

Objiciunt 2°: Epistolâ ad Rom. cap. 9, legitur: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Homo igitur gratiæ sufficienti obicem non ponendo non obtinet efficacem. — Resp. 1°, Estium hoc oraculum intelligere non de *causâ* boni operis, sed de electione hominum ad salutem sive gloriam, quæ fit non ex prævisis meritis, etiam gratiæ, sed ex solo Dei miserentis beneplacito. — Resp. 2°, sensum esse, si de gratiâ sermo sit, bonum opus *primariò et præcipuè* esse à Deo miserente, sive gratiam dante sine quâ voluntas nec conari nec consentire potest, non *totaliter et adæquatè*, quasi voluntas gratiæ liberè non consentiret; ait quippe Apostolus (ut ipse fatetur Augustinus) Epistolâ 1 ad Corinthios cap. 15: *Non ego, sed gratia Dei mecum, laboravi, etc.*

Verùm, inquiunt, causa gratiæ efficiens est Dei voluntas; sed *nemo Dei voluntati resistit*, Epistolâ ad Romanos cap. 9, v. 19; ergo.—Resp. 1°, hanc cavillationem ipsi Yprensi esse solvendam. *Parva* enim ipsius gratia tum ex naturâ suî cùm ex antecedente Dei voluntate ad opus plenum et perfectum collimat, quod tamen in conflictu ardentioris cupiditatis nunquàm obtinet. Deinde, quî adversarii omnipotentissimam Dei voluntatem, cui nemo resistere valeat ad invidiam conflandam tantoperè venditare audent? cùm in eorum etiam systemate ipsi reverà restiterint mali angeli, Adamus, etc. — Resp. 2°: Distinguo minorem. Nemo resistit Dei voluntati absolutæ et consequenti, conc. Antecedenti et conditionatæ. neg. min. et conseq. Eâ scilicet conditione gratiam sufficientem concedit Deus ut homo ipsi, ut potest, non resistat. Nihilominùs etiam conditionata et antecedens hoc sensu semper impletur *quòd peccator, qui ab eâ recedit peccando, incidat in illius ordinem dùm per ejus justitiam punitur*, ut præeunte D. Augustino loquitur D. Thomas p. 1, q. 19, a. 6, in corp.

Objiciunt 3°: Homo lapsus in iis quæ salutem attingunt ab aliis se discernere non potest, dicente Apostolo Epistolâ 1 ad Corinthios cap. 4: *Quis te discernit?* Sed si daretur gratia sufficiens, cui homo obicem non ponendo efficacem impetraret, homo se ab aliis discerneret, gratiæ scilicet illi non resistendo; ergo. — Resp. 1°, Jansenium et ejus discipulos sentire Angelis et insonti Adæ sufficiens duntaxat gratiæ auxilium fuisse collatum, cùm quo boni Angeli voluntate suâ steterunt, malis malâ voluntate cadentibus; at Augustinus libro 11 ad Genesim cap. 8, n. 10, docere videtur relatum effatum ad Angelos etiam et Adam pertinuisse; solvant ergo istud argumentum. Resp. 2°: Concedo majorem, nego min. Quòd enim iste gratiæ obicem non ponat non à se, sive à nudo libero arbitrio, habet, sed à gratiâ, quâ prævenitur, excitatur, et adjuvatur, et sine quâ non posset consentire; unde non per se, sed per gratiam, tanquàm nobiliorem et primariam causam, ab aliis gratiæ obicem ponentibus, discernitur.

Momentum secundum. — *Ex Ecclesiæ judiciis.* — Concilium Arausicanum secundum adversariis acceptissimum anno 529 canone 25 hæc pronuntiat: « Secundùm fidem catholicam credimus, quòd acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, pos-

sint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. » Ibi manifestè gratia interior infundens baptizatis vires, quibus vere hic et nunc possint præcepta implere, et in acceptâ justitiâ permanere, *si voluerint*, aut petere auxilium quo impleantur, cui tamen plures reluctantur, idque *secundùm fidem catholicam*.

Idem statuit synodus Senonensis Parisiis habita anno 1528 adversùs Lutheranos parte 1, in decretis fidei, cap. 15, ubi (quod maximè observandum est) commemorata Scripturæ oracula, et alia, quæ Yprensis cum suis omni arte eludit, et insuper textum Apocalypsis cap. 3, v. 20 et 21, quem iidem cum Guillelmo Estio ad se trahunt, intelligit de gratiâ interiori cui voluntas resistit. Idem et concilium Coloniense anni 1536 parte 7, cap. 32, etc.

Concilium Tridentinum idem multis in locis adstruit; v. g., sess. 6, cap. 11, ait : *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis* ; quæ tota ferè habet Augustinus libro de Naturâ et Gratiâ cap. 43, n. 50 ; Dei ergo præcepta cum gratiâ impleri possunt, aut *immediatè*, aut mediatè per orationem, et ideò qui ea non implent, aut ad ea implenda non orant, Dei gratiæ obsistunt.

Ibidem hæc declarat : *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit nisi ab eis priùs deseratur*, quæ iterùm excerpta sunt ex Augustino, *deserunt*, inquit, *et deseruntur*, ut supra observavimus ; item cap. 13, modò citato, *Deus nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet*, etc. Ibi profectò gratia interior, quæ *deseritur*, cui *deest et resistit* humana voluntas, etc.

Idem elucet ex Constitutionibus ab universâ Ecclesiâ receptis Innocentii X anni 1653, Alexandri VII anni 1656, Clementis XI anni 1705, etc., adversùs quinque propositiones Jansenii sensu acceptas. Hinc immeritò Antonius Arnaldus dissertatione de gratiâ efficaci, parte primâ, articulo primo, obtrudit ista decreta, si gratiam sufficientem sensu modernorum theologorum adstruant (quod se non existimare fingit), cum antiquæ Ecclesiæ doctrinâ cohærere non posse. Quod effugium illud ipsum est quo bullas Pii V et Gregorii XIII eludere aggressus erat Yprensis.

Objiciunt 1° : Gratia sufficiens dat *nudum posse, efficax velle et operari* ; sed Ecclesia orat pro istâ, non pro illâ obtinendâ ; ergo efficacem admittit, non sufficientem. — Resp. : Nego minorem. Orat enim pro quâlibet gratiâ indiscriminatim ad salutem proficiente impetrandâ, sive sit merè sufficiens, sive efficax ; *gratiam tuam*, inquit, *mentibus nostris infunde*, etc. Etverò, non solùm orat Deum ut peccatorem convertat, sed etiam orat ipsum peccatorem ut convertatur, quod necessariè supponit ipsum habere gratiam cum quâ hîc et nunc converti potest, aut non converti.

Objiciunt 2° : Concilium Tridentinum relatis verbis, *justificatos non deserit Deus nisi ab eis priùs deseratur*, gratiam non *actualem*, sed habitualem designavit, et ideò illis gratiam sufficientem adstruere incassùm nitimur. Hæc scilicet desumpsit concilium ex Augustino libro de Naturâ et Gratiâ cap. 26, n. 29, ubi ait : *Non deserit si non deseratur*, quæ D. Thomas 1-2, q. 109, a. 9, in argumento *sed contra*, et 3 p., q. 62, ad 3, et q. 70, a. 4, in c., intelligit de gratiâ habituali, cùm ibi adducat textum Rom. cap. 5, v. 24 : *Justificati gratis per gratiam ipsius*, etc. ergo. — Resp. : Nego ant. Augustinus enim, quem sancta synodus ibidem laudat, de gratiâ etiam actuali disserit ; ibidem quippe immediatè addit : « Ut piè semper justèque vivatur ; sicut enim oculus corporis, etiam plenissimè sanus nisi candore lucis adjutus non potest cernere, sic et homo, etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere : sanat ergo Deus non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus. » Per quid, quæso, justus *piè semper justèque vivit*, aut vivere potest? Per quid *præstat Deus ne peccemus?* Nonne per gratiam actualem? Ergo Augustinus disserit etiam de gratiâ actuali ; ergo et concilium Tridentinum.

Quod attinet ad D. Thomam locis prolatis Augustino adhærens, quem primo loco adducit, disserit de gratiâ habituali prout ipsi annexa est gratia actualis sine quâ in actum erumpere nequit, et idcircò celebre ejus effatum in duobus ultimis locis contentum : *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, et vitare omne peccatum* (quo jugulatur totum Jansenii systema) intelligendum est de gratiâ habituali quatenùs ipsi adjungitur gratia actualis; textus videlicet Apostoli Rom. cap. 5, *justificati*, etc., utramque gratiam exprimit, cùm Christus utramque nobis morte suâ promeruerit.

Objiciunt 3°, cum Arnaldo loco citato : « Decretum Innocentii X, quem quantâ possumus demissione animi veneramur et amplectimur, indubie exprimit Innocentii I, Cœlestini,

Gregorii et totius traditionis consensum; ergo intelligendum est de gratiâ efficaci sine quâ nihil boni fieri potest; neque tentationes superari; justi enim (addit ibidem) omnes veram et interiorem habent gratiam, quâ mandata servare, et tentationes superare posse verè dicuntur; » quæ gratia ipsa est gratia efficax. — Resp.: Nego conseq. Bonum equidem fit et tentationes superantur per gratiam efficacem, sed hæc sine illâ operari possunt justi gratiæ sufficientis, quæ ipsis non deest, ope et ministerio; sic autem intelligendum esse Innocentii X decretum evincit ejus scopus in proscribendo Jansenii sensu quem renovare voluit Arnaldus, et utpotè Ecclesiæ et Augustini doctrinæ adversum, ut jam ostendimus, et mox ostendemus, proscripserunt Innocentius I, Cœlestinus, etc.

Momentum tertium. — *Ex Patribus.* — Jansenius concilii Tridentini sess. 4, de Patrum auctoritate decreti parùm studiosus fuisse videtur cùm in hâc controversiâ et aliis solius Augustini suffragium imploravit, alios Patres aut deserens, aut saltem multi non faciens. Ut ergo *ipsi placentia* loquamur solus prodibit Augustinus, cujus egregia jam laudavimus testimonia, et qui gratiam verè et relativè sufficientem aut *expressè et formaliter,* aut *suppositivè*, *æquivalenter, et consequenter* passim commendat. Libro 1 de peccatorum meritis et remissione, cap. 39, n. 39, ait: *Habet* (adultus baptizatus) *concupiscentiam cum quâ pugnet, eamque, adjuvante Deo, superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, et si reprobatus esse noluerit;* item libro 2, cap. 17, n. 26: *Gratia Dei hominum adjuvat voluntates* (quantùm in Deo est) *quâ ut non adjuventur* (efficaciter) *in ipsis itidem causa est, non in Deo...* Ecce gratiam *interiorem*, sive delectationem cœlestem, terrestri, sive cupiditati superandæ aptam, quam Augustinus supponit *in vacuum* aliquando suscipi, id est, hominis malitiâ à Deo destinatum effectum non consequi... Ecce gratiam *internam*, sive *adjuvantem*, quæ ex parte Dei vires concupiscentiæ debellandæ relativè pares impertit, quam ne subsequatur gratia efficax sola impedit hominis improbitas; sed talis gratia est merè et verè sufficiens; ergo. — Quomodò Jansenius, vir alti judicii, insinuare potuit libro 2 de Gratiâ Christi cap 27, gratiam ab Augustino dici *in vacuum suscipi* quòd gratia illa debilior non perfectum, sed imperfectum tantùm consensum, sive velleitatem (ad quem solum destinatur à Deo) impetret? An, quæso, Dei gratiam *in vacuum* recipere dici potest qui id omne efficit quod Deus per hanc gratiam effici vult? Deinde homo, non Deus, causa est cur gratiam, quæ ipsum adjuvat, et quam *in vacuum* suscipit non comitetur gratia efficax; ergo Deus illam destinat ad alium effectum quàm ad *simplicem velleitatem.*

Libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 67, n. 81, peccata excusantes sic revincit: *Non tibi deputatur ad culpam.... quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* Ecce gratiam, etiam *voluntatis,* utpote *medicinalem*, sive voluntatis infirmitati sanandæ à Deo destinatam, et ideò ad vincendam hîc et nunc titillantem cupiditatem idoneam, quam sontes *contemnunt*, id est, effectu pravitate suâ privant.

Libro 1 Retractationum cap. 22, n. 4, ait: *In potestate hominis est mutare in meliùs voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Joannis cap. 1. Unde, ut diximus, ubique docet, et speciatim citato cap. 43 libri de Naturâ et Gratiâ, Dei præcepta justis saltem non esse impossibilia, et ideò ipsis adesse gratiam, quâ ea vel *immediatè* implere possint, vel saltem mediatè per orationem, cui piè peragendæ per præsentem gratiam veram et relativam habent potentiam. *Restat*, inquit libro 1 ad Simplicianum, quæstione 1, n. 14, *in hâc mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam, cùm voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere.* Porrò S. doctor non disserit de solâ potestate absolutâ et abstrahente ab ardentiori concupiscentiâ (aliàs in hâc hypothesi Dei præcepta essent homini *hîc et nunc* impossibilia, quod, ipso dicente libro de Naturâ et Gratiâ cap. 69, n. 83, *Deus justus et bonus jubere non potest*); loquitur ergo de potestate etiam relativâ ad fortiorem cupiditatem quam homo sufficiente gratiâ roboratus potest vincere.

Objiciunt 1°: Constans est D. Augustini sententia nullam in præsenti ordine *internam* esse gratiam, quæ careat effectu, sive cui non consentiat voluntas, et ideò omnem Christi gratiam esse efficacem, sive dare et posse et agere. Etenim, ut innumera ejus et ipsius discipulorum testimonia sileam, quæ passim adducit Jansenius, et dominus Arnaldus dissertatione de gratiâ efficaci, parte 1, articulo 3 et sequentibus.

Libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 8, n. 13, expendens illud Joannis (cap. 6):

Omnis qui audivit à Patre, et didicit, venit ad me, hæc habet : *Profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit ; nam si audivisset, et didicisset, veniret*, etc.

Libro de Correptione et Gratiâ cap. 14, n. 43, ait : *Volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium*, etc.

Concinunt passim SS. Prosper et Fulgentius etc. : ergo, cùm Deus velit salvum facere per quamcumque gratiam, nulla est gratia cui resistatur, et ideò nulla gratia purè sufficiens. — Resp. 1° : hæc Jansenio et ejus discipulis esse solvenda ; Yprensis enim libro 2 de Gratiâ Christi, initio capitis 27, fatetur, *multos ab internâ gratiæ suasione et inclinatione dissentire* ; aliunde passim admittit *gratiam parvam imperfectum duntaxat effectum consequentem*. Quomodò ostendere posset Jansenius Augustinum, qui ipso fatente ibi disserit *de omni et quâlibet gratiâ internâ*, loqui etiam de gratiâ imperfecti effectûs efficaci, cùm ex ipso contextu pateat ipsum disserere de gratiâ perfectissimum effectum producente? Resp. 2° Augustinum ejusque discipulos in his et similibus locis gratiam *efficacem*, sive cum *effectu conjunctam*, delineare, aliam voluntati potentiam relativam bonum operandi dantem, cui interdùm resistatur, non excludendo, ut ex adductis in probatione testimoniis elucescit.

Sed, inquiunt, cur Augustinus gratiam Christi ferè semper jungit operi cui in nostro systemate sæpissimè non jungitur ? — Resp., his ex causis. 1° De gratiæ *operatione*, non de *possibilitate* per ipsam datâ Augustino cum Pelagio, si non unicè, potissimùm saltem erat controversia. Scilicet vafer ille hæresiarcha boni possibilitatem à Deo oriri fatebatur (naturalem tantùm volendi facultatem subdolè intelligebat); operari autem nostrum duntaxat esse effutiebat, ut elucet ex libro de Naturâ et Gratiâ cap. 42, n. 49, libro de Gratiâ Christi, cap. 5, n. 4, etc. Quod effugium explodebat S. doctor, gratiam Christi jungendo cum effectu, et ideò ostendendo Dei esse non solùm quòd *possimus agere*, sed etiam quòd *velimus et agamus*..... 2° Augustinus sæpiùs disserit de gratiâ prædestinatorum propriâ, quæ effectum suum certissimè assequitur, saltem in fine vitæ, ut patet ex libro de Gratiâ Christi cap. 13, n. 14, de Dono perseverantiæ cap. 23, n. 65, etc.... 3° Pelagiani admittebant gratiam *cognitionis*, sive legis et doctrinæ, quâ mens illustratur, non *voluntatis* et *actionis*, quâ id fieri posset, aut fieret quod faciendum esse cognoscitur ; quod effugium ut iterùm præcluderet Augustinus gratiam internam *voluntatis et actionis* commendabat, quæ aliquando victrix est, aliquando non, etc.

Objiciunt 2° : Augustino dicente libro de Correptione et Gratiâ cap. 12, et alibi passim, adjutorium *sine quo non* (id est, sufficiens) proprium fuit statûs innocentiæ ; adjutorium è converso *quo* (id est, efficax) proprium statûs naturæ lapsæ ; ergo. Ecce aliud palmare Yprensis momentum. — Resp. adjutorium *sine quo*, si non solùm intellectûs, sed et voluntatis fuerit, in mente Augustini ita proprium fuisse statûs innocentiæ, ut etiam vigere debuerit in statu naturæ corruptæ, ad eum modum quo juxta ipsum timor servilis ita proprius fuit veteris fœderis, ut in novâ etiam lege existere debuerit. Vel S. doctorem intendere adjutorium *sine quo*, majus esse in statu naturæ corruptæ quàm in statu innocentiæ, qui tam forti auxilio non indigebat. Quòd si adjutorium *sine quo* in statu innocentiæ solius intellectûs fuerit, ut nonnulli censent, intendit Augustinus adjutorium *sine quo* insonti Adæ concessum fuisse solius mentis, quia Adæ insonti *in tantâ non peccandi facilitate* ad bonum operandum cum gratiâ sanctificante sufficiebat... Adjutorium verò *quo* sonti Adæ postea datum, fuisse gratiam non solùm intellectum illustrantem, sed etiam voluntatem prævenientem, excitantem et moventem, quia sons Adam tali adjutorio opus habuit.

Neque reponas Augustinum adjutorium *possibilitatis et sine quo non* totis viribus excludere à statu naturæ corruptæ ; id enim fecit relativè ad systema Pelagianorum qui per illud auxilium intelligebant *naturalem voluntatis facultatem*, aut adjutorium voluntati omninò extrinsecum, cujusmodi sunt prædicatio, lex, exempla, etc., quæ in operationem intrinsecè non influunt, et negabant adjutorium *actionis* et *quo*, intrinsecum nempe, et à Deo inditum, ac proximè in actionem influens

Objiciunt 3° : Gratia sufficiens bonis et malis communis est ; sed talem gratiam respuit Augustinus ubique ; v. g., libro de Prædestinatione sanctorum cap. 5, n. 10, quia bonos à malis non discernit ; ergo. — Resp. ex objecti loci contextu constare Augustinum loqui de gratiâ naturali, sive pelagianâ, non supernaturali, quæ bonos efficiendo ipsos à malis discernit.

Momentum quartum. — *Ex theologorum suffragio*. — Divus Thomas 3 p., q. 62, a. 6 ad 3, et q. 70, a. 4, in c., ait : *Minima gratia potest*

resistere cuilibet concupiscentiæ, et vitare omne peccatum. Ibi S. doctor disserit de gratiâ habituali quatenùs ipsi annexa est gratia actualis, ut paulò ante ostendimus; sed gratia illa quamlibet parva confert vires relativè pares ad vincendam robustissimam etiam concupiscentiam, et tamen suo sæpiùs privatur effectu; ergo.

Concinunt dicente supra laudato Francisco Cumel *universi theologi,* Augustini etiam doctrinæ addictissimi. Talis, v. g., Joannes Theodosius Bernenc, doctor Sorbonicus, vir qui adversariis suspectus esse non debet. In Augustiniano de divinâ gratiâ systemate nuper edito q. 8, postquàm dixit cum Thomâ de Lemos nomen *gratiæ sufficientis à centum duntaxat annis* obtinuisse, addit : « Nos per gratiam sufficientem intelligimus gratiam interiorem, sive donum Spiritûs sancti voluntatem moventis, et excitantis ad bonum, quæ dat veram potentiam ad agendum, cui voluntas humana resistit, et ideò ab Augustino excitans et inefficax nuncupatur... Jansenius voluit per illam produci illum omnem effectum, ad quem ex voluntate Dei sive absolutâ, sive antecedente ordinatur... Nos illum effectum ab eâ produci volumus, ad quem ex voluntate Dei absolutâ, et consequente, non autem ex se et voluntate Dei antecedente ordinatur, et hoc sensu sentimus gratiæ interiori verè et propriè in præsenti statu resisti. » Hic autem (quod observa) Augustinianorum omnium, speciatim Fulgentii Bellelli, et Laurentii Berti, nomine loquitur. Quinimò non pauci censent celebrem Norisium tum in Vindiciis cùm in Janseniani erroris calumniâ sublatâ, cap. 2, paragrapho primo, admisisse in nostro statu adjutorium *sine quo non* Adæ innocenti concessum, hominis arbitrio derelictum, cum quo solo homo *facilia* opera non solùm operari potest, sed etiam reipsà operatur. Quod factum infra expendemus.

Quamobrem, si Thomas Braduardinus, Gregorius Ariminensis, et quidam alii antiqui Thomistæ et Augustiniani, quos dominus Arnaud pro se adducit in opere cui titulus *Défense de la Constitution d'Innocent X*, et in dissertatione de gratiâ efficaci p. 1, articulis 8 et 9, etc., adversam tenuerunt sententiam, excusandi sunt, cùm in primis scripserint ante Constitutionem Innocentii X adversùs Jansenium. Sanè Franciscus Macedo, eruditus Minorita, qui primùm Jansenii doctrinæ addictus fuerat, statim atque ab Innocentio X proscripta, eam ejuravit et impugnavit.

Momentum quintum. — *Ex ratione.* — Jansenius, ut diximus, libro 3 de Gratiâ Christi, cap. 3, gratiam inefficacem, sive sufficientem, *ut solummodò peccatis fovendis, majorique damnationi accersendæ* servientem execratur; nos ejus systema de gratiâ interiore, cui nunquàm resistitur, ut blasphemiis in Deum proferendis, toti Scripturæ subsannandæ, et rationi excæcandæ serviens, detestamur.

Etenim si nulla in præsenti statu detur gratia, quæ voluntatis pravitate suo careat effectu, quicumque sive in antiquo sive in novo Fœdere peccaverunt, aut damnati sunt, non potuerunt non peccare, aut non damnari; solius quippe gratiæ ope à peccato abstinere potuerunt, et salutem consequi, quâ, cùm reipsà peccaverint, et sint damnati, fuerunt destituti; Deus ergo exteriùs significavit se peccatorum et reproborum conversionem et salutem velle, quam reipsà et interiùs nolebat; Deus ergo increpavit, imò æternis addixit suppliciis homines ob delicta quæ non solùm non committere non potuerunt, sed etiam quæ ab ipsius voluntate non erant aliena; homo ergo ea duntaxat bona opera elicere potest quæ actu elicit, etc. At hæc, quantùm sacris Litteris, Dei bonitati et justitiæ, et rationi repugnent quilibet sapiens vir indubiè intelligit; ergo.

Objiciunt 1° cum Yprensi loco citato : Gratia sufficiens est singulare gratiæ monstrum dæmoni ut homines devoret efficacissimum subministrans auxilium. Scilicet ab initio mundi ad finem usque nullum habuit, nec habebit effectum. Ex hâc argumentatione hanc assertionem eduxerunt Jansenii discipuli ab Alexandro VIII anno 1690 proscriptam : *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quàm perniciosa est; sic ut meritò possimus petere, à gratiâ sufficiente : Libera nos, Domine.* — Resp. 1°, mirum videri Jansenium argumentum fabricâsse omninò idoneum ad invidiam conflandam *gratiæ suæ parvæ,* quæ in conflictu fortioris cupiditatis nunquàm obtinuit, vel obtinebit effectum ad quem ex se tendit. Resp. 2°, Thomassinum, et juxta non paucos Norisium, etc., censêre gratiam sufficientem suum aliquando sortiri effectum in rebus saltem facilibus. Resp. 3°, omnes orthodoxos theologos docere gratiam sufficientem conferre veram potentiam boni hìc et nunc operandi, saltem remotam et mediatam, ut diximus, et ideò ex humanæ voluntatis malitiâ, non *ex Dei* aut *gratiæ virium defectu* oriri, quòd gratia sufficiens effectum, ad quem à Deo destinatur, non obtineat, licet gratiæ sufficienti, seu excitanti *ut sic* homo non possit actu con-

sentire sine novo gratiæ adjuvantis, vel operantis auxilio.

Objiciunt 2° : Si gratia sufficiens vires relativè pares superandæ concupiscentiæ semper voluntati tribueret, voluntatem constitueret *in æquilibrio perfecto*, quo ad bonum et malum æqualiter inclinaretur, nimirùm per gradus gratiæ æquiponderantes gradibus concupiscentiæ; at æquilibrium illud gratiam Christi evacuare docent S. Augustinus, et Alipius epistolâ 196 ad Paulinum; unde illud rejecerunt nonaginta septem Galliarum episcopi anno 1720. Etverò, Deus in isto systemate teneretur majorem conferre gratiam impiis eâ proportione quâ nequitiam augerent, et minorem sanctis eâ proportione quâ in sanctitate crescerent; at hæc est præcisè impia et insulsa doctrina Juliani, ut ipsi exprobrat Augustinus libro 2 Operis imperfecti cap. 117. Ita P. Bernene loco citato ubi catholicum Augustinianorum systema de gratiâ sufficiente sic ab errore Janseniano vindicat ut tamen Jansenii sectatoribus adversùs catholicos arma subministrare videatur. — Resp. 1°, hoc æquilibrii commentum propriè inhærere Janseniano systemati, in quo gratia et concupiscentia in sese invicem relativè et quasi mechanicè agunt, et ideò in æquilibrio consistunt, ubi utriusque gradus utrinque æquales sunt; ex quibus elucet eo in systemate impios ut convertantur majore, sanctos ut perseverent minore gratiâ indigere. Resp. 2°, *libram*, quæ Augustino dicente citato loco *Juliani delirium*, indicabat, Jansenii etiam deliramentum patefacere. Nihil enim gratiæ magis injuriosum fingi potest, quàm asserere illam vincere non posse oppositam concupiscentiam nisi quando eam gradibus superat. Minima scilicet gratia tantâ virtute et energiâ pollet, ut cuilibet concupiscentiæ, etiam ardentissimæ, resistere possit, et vitare omne peccatum mortale; ut antea aiebat Angelicus doctor. Resp. 3° : Nego majorem; nihil enim fidei, rationi et experientiæ magis adversum quàm à Pelagianis propugnatum *propensionis*, sive *inclinationis* et *facilitatis* æquilibrium, quo voluntas sic erat libera ut in malum magis quàm in bonum non propenderet. Pariter nihil, ut modò diximus, gratiæ tam injurium quàm à Jansenio excogitatum *virium et gradium* æquilibrium, quo voluntas pari hinc et inde gratiâ et concupiscentiâ affecta *in suspenso* necessariè maneret. Unde utrumque illud æquilibrium explodimus, et detestamur, nullâ tamen delectationi relativè victrici Augustinianorum inustâ notâ, quam postea catholicam esse dicemus. Quomodò igitur, inquies, gratia sufficiens vires dat relativè pares vincendæ concupiscentiæ? Hoc sensu quòd voluntas hâc gratiâ excitata activam retineat indifferentiam per quam immunis est à quâlibet necessitate, etiam simplici, mutabili et relativâ (ut agnoscunt Augustiniani), et sic hujus gratiæ, etiam minimæ (ut pluressentiunt) virtute possit quamlibet concupiscentiam, si velit, vincere. Hoc est æquilibrium *potentiæ et electionis*, quo voluntas sub impulsu gratiæ, vel concupiscentiæ ab omni necessitate immunis est; hoc est æquilibrium quod admittendum esse etiam in statu naturæ lapsæ definivit Ecclesia damnando tertiam Jansenii propositionem.

Objiciunt 3° : Thomas de Lemos, celebris cardinalis Lauria, et alii, docent ex SS. Augustini et Thomæ principiis, et juxta *grammaticalem significationem*, gratiam sufficientem eam esse præter quam nulla alia requiritur ad benè agendum; at talis non est gratia sufficiens quam ad fidem pertinere diximus; dat enim *tantùm posse benè agere*; ergo. —Resp. 1° : Quidquid sit de antiquitate nominis gratiæ sufficientis à nobis definitæ, ejusve grammaticali significatione, certum esse rem eo nomine à nobis descriptam semper creditam fuisse in Ecclesiâ, et ad fidem pertinere saltem post Constitutionem Innocentii X adversùs quinque propositiones.... 2° Insigniores Thomistas et Augustinianos gratiam sufficientem agnovisse tanquàm omninò necessariam ut Dei mandata hominibus non sint impossibilia, ut ostendimus.

Principia solutionum. — Primum. Gratia sufficiens hìc præcisè spectatur relativè ad censuram Jansenii systematis, id est, prout confert voluntati vires relativè pares, ut possit oppositam concupiscentiam vincere, et ideò Dei præcepta, cùm urgent, reddit ipsi relativè possibilia. Hinc ad rem non sunt argumenta gratiam sufficientem sub alio respectu impugnantia.

Secundum. Gratia sufficiens hoc sensu dat vires relativè pares ad superandam contra pugnantem concupiscentiam quòd voluntas eâ excitata ex activâ indifferentiâ possit illam concupiscentiam vincere.

Tertium. Licet gratia excitans, seu sufficiens det voluntati veram et relativè proportionatam ad opus bonum potentiam, tamen ut voluntas bonum actu operetur insuper necessaria est gratia adjuvans et operans, seu cooperans, cui voluntas potest resistere; an autem necesse sit illam gratiam physicè vel moraliter præmo-

vere et prædeterminare voluntatem ad agendum Ecclesia non definivit.

Quartum. Potentia ad opus bonum, quam tribuit gratia sufficiens, non est semper immediata et proxima, sed aliquando remota et mediata per orationem scilicet quâ justi saltem possunt semper fortius Dei auxilium obtinere, ut diximus. Hinc ad rem non sunt sive Scripturæ sive Augustini testimonia quibus dicitur gratiam parvam, sive sufficientem prementi cupiditati vincendæ esse imparem.

Quintum. Jansenius, vir licet sagacissimus et ratiocinio potens, multa tamen admisit quæ suum de gratiâ interiore in præsenti statu, cui nunquàm resisti potest, systema enervant, imò pessumdant. 1° Enim dicit *multos ab internâ gratiæ suasione et inclinatione dissentire*.... 2° Fatetur Adamum et angelos malos Dei voluntati restitisse; item hominem in præsenti statu non solùm posse, sed etiam reipsà resistere gratiæ Dei exteriori, internæ mentis illustrationi, et *parvæ* voluntatis gratiæ quæ ad opus plenum et perfectum ex se tendit.... 3° Ex nativâ ipsius systematis conditione gratia *parva* vincitur à cupiditate fortiore.... 4° Docet gratiam *parvam* effectu suo (imperfecto scilicet) nunquàm privari quando etiam oppugnatur ardentissimâ actuali concupiscentiâ; at exemplum bilancis quod adducit contrarium evincit. Corpus nempe plurimùm prægravans in unâ bilancis parte omninò impedit ne corpus in alterâ bilancis parte positum vel minimùm attollatur. Certè hæc, ni fallor, non conciliabit cum his quæ ex Scripturâ et D. Augustino ad nauseam objicit, scilicet nullam esse gratiam nisi efficacem, quæ det et *posse* et *agere* bonum cui, utpote omnipotentis Dei voluntatis instrumento, obsisti non potest.

Sextum. Jansenius et ejus discipuli, ut sese eximant ab innumeris testimoniis asserentibus *gratiam posse debellare cupiditatem*, callidè fatentur 1°, *voluntatem cum gratiâ parvâ, sive sufficiente cupiditati posse reluctari* (intelligunt, potentiâ absolutâ ex gratiâ præcisè in se spectatâ oriente, non potentiâ relativâ oriente ex gratiâ colluctante cum actuali concupiscentiâ fortiore).... 2° Gratiam parvam posse relativè vincere concupiscentiam (intelligunt concupiscentiam in genere, sive naturæ lapsæ infirmitatem, non actualem subjecti concupiscentiam). Hinc ob oculos semper habe distinctionem *potentiæ absolutæ*, et *potentiæ relativæ*, et *concupiscentiæ generalis*, et *concupiscentiæ actualis*, ut eorum laqueis non irretiaris.

Septimum. Si Norisius admisit in præsenti statu adjutorium *sine quo non*, quo interdùm justi sine gratiâ ex se efficaci actu orant *ut oportet* (ut non pauci contendunt), frustra ad Jansenium provocares, qui profectò Augustinianæ doctrinæ notitiâ magis imbutus non fuit quàm Norisius.

Octavum. Etsi liquidò explicari non possemus modum quo gratia sufficiens operatur, non ideò firmum non esset catholicum de gratiâ sufficiente dogma; in mysteriis enim aliud mysterium ipsum, aliud modus quo exponi potest, ut videre est in ipsis naturæ phenomenis.

Nonum. Augustinus in homine lapso peccandi necessitatem agnoscit vel *ante gratiam*, vel si positâ gratiâ, *generalem et indeterminatam* (cùm sine speciali privilegio à peccatis omninò abstinere nequeat), non *actualem et determinatam*, quâ *hìc et nunc* præsente gratiâ non possit non peccare.

Decimum. Scriptura, Augustinus et alii Patres gratiam efficacem sic commendant ut sufficientem non excludant.

Undecimum. Cùm Pelagiani gratiam *legis et doctrinæ*, quâ mens illustratur, admitterent, et gratiam voluntatis et actionis rejicerent, Augustinus *argumento ad hominem*, ut aiunt, eos premendo aliquando dixit, *eos qui non credunt, aut bonum non faciunt, foris tantùm audire non intùs*, nempe in Pelagianorum sententiâ. Hæc tamen exponi possunt de auditione efficaci, non sufficiente.

Duodecimum. Julianus et Semipelagiani sentiebant *Deum frustra hominis misereri nisi homo præmitteret affectum bonum;* quem errorem ut refelleret Augustinus reponebat, *velle nostrum non prævenire, sed sequi Dei misericordiam.*

Decimum tertium. Gratia, cujus necessitatem defendit Augustinus contra Pelagianos, fuit gratiam *voluntatis et actionis*, id est, ut videtur, gratia, præcipuè quidem, sed non unicè, ex se efficax.

Decimum quartum. Pelagiani admiserunt gratiam *possibilitatis*, sed quæ non esset diversa à naturâ, libero arbitrio, lege et doctrinâ. Item Semipelagiani gratiam sufficientem admiserunt sequentem naturale salutis desiderium, sive voluntatem, non prævenientem voluntatem, qualis est gratia sufficiens catholica.

Ultimum. Cùm Augustinus dixit *adjutorium sine quo non* proprium fuisse statûs innocentiæ, et adjutorium *quo* statûs naturæ lapsæ, primum adjutorium in statu naturæ corruptæ omninò excludere noluit, sicut cùm dixit, *differentiam*

veteris et novi Testamenti fuisse timorem, et amorem, à veteri Fœdere dilectionem, et à novo timorem prorsùs expellere non intendit, sed tantùm, ut ipse dixit, *in antiquâ lege prævaluisse metum, in novâ prævalere amorem.*

CAPUT II.

De gratuità gratiæ sufficientis effusione.

Ut Lutheri, Calvini et eorum asseclarum de gratiæ in statu naturæ lapsæ largitione doctrina ab Yprensi libro 3 de Gratiâ Christi Salvatoris cum miro artificio, fuco et solertià renovata elimınetur, investigabimus 1°, an gratiæ sufficientes omnibus justis, cùm præceptum hic et nunc implendum est, impertiantur...... 2°, an infundantur omnibus fidelibus sontibus, sive ut in nova peccata non prolabantur, sive ut à peccatis resurgant.... 3°, an dentur excæcatis et induratis..... 4°, an Hæbræis in antiquo fœdere illuxerint..... 5°, an tribuantur infidelibus ut evangelicæ fidei lumine collustrentur..... 6°, an in omnes infantes è cœlo stillent aliqua beneficia ad salutem sufficientia.

Plena eximiarum istarum quæstionum solutio velut rivus à fonte ebullit ex istâ, *utrùm Deus in statu naturæ lapsæ, et ideò supposito peccato originali, voluntate non signi tantùm et merè exteriore* (quam solam erga reprobos admittit Guillelmus Estius tùm in 1 Sent. distinct. 46, paragrapho 4, cùm in 1 ad Tim. cap. 2, ob hoc à Jansenio libro 3 de Gratiâ Christi cap. 20, impensè laudatus) *sed etiam voluntate internâ, sincerâ et actuosâ omnium et singulorum hominum salutem velit et desideret;* et idcircò an Christus pro omnium et singulorum hominum salute sese Deo Patri in propitiationis victimam obtulerit; quæ celeberrima et prolixæ discussionis quæstio in tractatu de Deo et ejus attributis, ubi de Dei voluntate disseritur, et in opere de Incarnatione, ubi de Christi morte et ejus effectibus res est, ventilari solet, quam ideò hìc profundè, ut deceret, non scrutabimur, et finiemus. Absit tamen ut hìc summatim non referamus quid Jansenius hâc super re senserit, et quid super eâ tenendum sit non declaremus, cùm inprimis sex commemoratarum quæstionum solutio ab illâ, ut diximus, præcipuè pendeat.

Quid Jansenius et ejus defensores super Dei omnes homines salvandi voluntate senserint et concesserint? — Variis mortalibus commemoratis gratias sufficientes ad salutem, cùm prædestinati non sunt, non impertiri cum pertinacià asserunt Lutherus, Calvinus, Jansenius et eorum patroni; Deus scilicet, ut clamare solent, (ex quo saltem omnes homines in Adam mortui sunt) electorum duntaxat salutem verè et sincerè vult, et ideò pro eorum duntaxat salute Christus sanguinem suum reipsà fudit. Id enuntiat ultima inter quinque famosas Jansenii propositiones proscriptas ab Innocentio X mense junio anni 1653, his circumclusa verbis: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Hæc assertio, prout jacet, damnata fuit ut *falsa, temeraria et scandalosa;* intellecta verò eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, tanquàm *impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica.* Hinc fide constat Christum pro salute unius saltem reprobi mortuum esse (ubi quippe una propositio ut *hæretica* damnata est, propositio contradictoria pertinet ad fidem).

Ultimum sensum intendit Jansenius. Scilicet in mente versuti viri aliud *est Christum sanguinem fudisse pro aliquo,* aliud *Christum mortuum esse pro salute alicujus;* Christum enim crucifixum esse pro *aliquo,* est Christum crucifixum esse ut iste gratias *aliquas temporales* virtute passionis Christi acciperet; Christum verò passum esse *pro salute alicujus,* est Christum passum esse ut iste insuper *usque in finem* virtute mortis Christi gratias obtineret, quibus æternam salutem certissimè et infallibiliter, imò necessariè assequeretur. Vir sagax fatetur Christum mortuum esse *pro pluribus reprobis* (id negaverat Calvinus, et in hoc tantùm in Jansenii mente à doctrinâ Augustini in hâc parte recesserat), puta iis omnibus qui baptizati sunt et in acceptâ justitiâ ad tempus perseveraverunt, quia dona temporaria à Christo obtinuerunt; negat autem et pernegat Christum mortuum esse *pro salute* illorum reproborum (aliàs in ejus systemate invictissimè salvi fierent, cùm omnipotens Dei voluntas semper suum sortiatur effectum, et fructus mortis Christi inanis esse nequeat).

Quod attinet ad alios reprobos, qui nullis unquàm mortis Christi beneficiis donati sunt, ille contendit Christum aut pro illis mortuum esse *sufficienter,* sive pretii sufficientià (id est Christum pretium iis redimendis par et plus quàm par Deo Patri obtulisse, quod intùs et in animo ipsis applicari et prodesse noluit), aut potiùs pro illis nullatenùs esse mortuum. « Christus, inquit capite ultimo libri 3 de Gratiâ Christi, dicitur pro omnibus mortuus

(1 ad Tim. 2, v. 6, 2 Cor. 5, v. 14 et 15, 1 Joannis 2, v. 2, etc.), hoc sensu quòd mortuus sit pro universâ Ecclesiâ toto orbe dispersâ, et consequenter pro omnibus hominum generibus (non singulis generum), regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus, etc.; itemque pro hominibus omnium nationum, linguarum et gentium, Judæis scilicet et gentilibus, ex quibus congregatur universus populus Dei secundùm illud Apoc. 5 : *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et linguâ, et populo, et natione.* Simili universalitate dicit Joannes (1 Epistolâ cap. 2) : *Ipse est propitiatio..... non pro peccatis nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi*, hoc est non pro nostris tantùm, quibus istam Epistolam scribo, sed pro universo populo fidelium, seu Ecclesiâ toto mundo dispersâ. »

Cùm autem istam interpretationem (ut et totum Jansenii systema) funditùs evertere videretur celebre Apostoli oraculum 1 ad Tim. c. 2, v. 4 : *Deus omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (quod ex tribus versibus antecedentibus, et versu quinto sequenti certò videtur intelligendum de singulis etiam generum) et istud Petri 2 Epistolâ cap. 3, v. 9 : *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, cùm, inquam, duo ista oracula relatam expositionem, imò totum de duabus delectationibus necessitate relativâ victricibus systema pessumdare viderentur, primum præsertim, idcircò in illis exponendis, sive potiùs eludendis, totum caput vigesimum libri tertii de Gratiâ Christi impendit.

Hic scilicet triplicem potissimùm commemorati oraculi ex Augustino retulit explanationem. Prima fert Deum velle omnes homines salvos fieri, quia *nullus fit salvus nisi Deo volente.* Ita S. doctor epistolâ 207 ad Vitalem cap. 16, n. 19. Hanc interpretationem familiari similitudine illustrat Augustinus libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 8, n. 14 : « Sicut, inquit, integrè loquimur cùm de aliquo litterarum magistro, qui in civitate solus est, dicimus : Omnes iste hîc litteras docet, non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit; ita rectè dicimus : Omnes Deus docet venire ad Christum, non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.... » Secunda vocem *omnes*, exponit non *de singulis generum*, sed *de generibus singulorum*, ita ut sensus sit, Deum velle ex omni genere et conditione Judæos aliquos, Græcos, pueros, adultos, divites et pauperes salvos fieri. Ita Augustinus Enchiridion cap. 103, n. 27, ubi primâ expositione repetitâ hanc proponit..... Tertia dicit Deum velle omnes salvos fieri eo sensu *quòd nos facit velle omnium salutem*, quomodò legitur epistolâ ad Galatas, cap. 4, v. 6 : *Misit Spiritum Filii sui clamantem : Abba, Pater, id est, nos clamare facientem.* Ita idem Augustinus libro de Correptione et Gratiâ cap. 15, n. 47.

Divus Augustinus aliam apostolici oraculi expositionem assignaverat libro de spiritu et litterâ (adversùs Pelagianos scripto anno 412), cap. 33, n. 58, his verbis : « Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo benè vel malè utentes justissimè judicentur; quod cùm fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt, nec ideò tamen eam vincunt, verùm seipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. »

At Jansenius non ignorans quantum celebris ista interpretatio suo systemati præjudicium inferret, relato capite reponit, Augustinum hæc protulisse *ex errore Semipelagianorum, quo antea imbutus fuerat, et ex objicientis et disputantis personâ, ut superiùs*, addit, *diximus* (libro 2 de gratiâ Christi cap. 30). Sed reclamat Augustini contextus; reclamant insignes Augustini discipuli, venerabilis Beda (quem impensè laudat Jansenius libro 6 de gratiâ Christi cap. 14) in 1 ad Tim. cap. 2; Hincmarus Rhemensis de prædestinatione cap. 25; D. Anselmus in caput 6 Matthæi ubi docet, *duas esse in Deo voluntates, unam misericordiæ, quâ omnes homines vult salvos fieri, cui multi resistunt; alteram justitiæ*, quâ vult gratiæ consentientes salvari, dissentientes damnari; *cui nunquàm resistunt homines, imò resistere nequeunt*, cùm de eâ dictum sit : *Omnia quæcumque voluit fecit;* hæc enim coincidere videntur cum tritâ distinctione Dei voluntatis in antecedentem, et consequentem... Reclamant præstantissimi Thomisticæ et Augustinianæ scholæ doctores, qui relato Augustini testimonio innixi, docent Deum velle voluntate sincerâ antecedente omnes homines salvare, absolutâ et consequente solos electos. Plures Thomistas citat P. Dechamps libro 3 de hæresi Jansenianâ, disputatione 7, cap. 13. Testis verò est pro Augustinianis P. Bernenc, etc., Augustiniani systematis de gratiâ T. 3, q. 3, ubi ait : *Ex libro de spiritu et litterâ cap. 33, patet Augustinum admisisse in Deo voluntatem antecedentem sal-*

vandi omnes homines, et interpretationes ejus (tres supra recensitas) esse de voluntate Dei absolutâ et *consequente salvandi electos* (quam rejiciebant Pelagiani) *intelligendas*.

Jansenius, eodem capite vigesimo libri 3 de Gratiâ Christi, relatis tribus Augustini expositionibus, et elusâ interpretatione capitis 33 libri de Spiritu et Litterâ, D. Chrysostomum et alios Græcos deserit, « quia, inquit, ante subortas de divinâ gratiâ difficultates Commentarios suos ediderunt, nec ulli imperfectiùs de gratiâ quàm Græci locuti sunt, nec ulla difficultas de gratiâ magis lubrica sit quàm ista, in cujus intelligentiâ et ipse Augustinus usque ad episcopatum hallucinatus est. » Quod attinet ad Latinos Augustino priores et posteriores, et inter Græcos D. Joannem Damascenum libro 2 orthodoxæ fidei cap. 29, sub finem, declarat aut *se eos non vidisse*, aut opera quæ ipsis tribuuntur ab ipsis non esse conscripta, aut si ab ipsis reverà edita sunt, eos per voluntatem antecedentem salvandi omnes homines intellexisse voluntatem quæ peccatum originale antecederet, per consequentem verò voluntatem, quâ Deus non vult omnes homines salvos fieri, indicâsse voluntatem quæ peccatum originale consequeretur. Scilicet in Janseniano systemate Deus ante prævisam Adæ culpam, sive in statu innocentiæ, omnes et singulos salvos fieri sincerè voluit, et singulis ex illâ generali et antecedente voluntate necessaria ad salutem consequendam auxilia destinavit; sed præviso illo peccato non ampliùs illam omnes salvandi voluntatem habuit, sed absolutam tantùm et consequentem, quâ alios reprobat, alios per invictissima gratiæ beneficia ad æternam vitam attrahit, aut si in statu naturæ lapsæ antecedens illa voluntas supponatur, *in solâ mentis præcisione, et ideò nudâ quâdam velleitate nihil omninò gratiæ causante*, ut loquitur, consistere poterit.

Meritò sanè Jansenius Patres græcos hâc in quæstione deseruit, quinimò, si eruditionis suæ lumen sequi voluisset, Augustino et quibusdam exceptis, omnibus Latinis valedicere debuisset. Enimverò, dicente Patre Petavio, quem domini Nicole et Arnaud suis in operibus cum encomio citare consueverunt, de prædestinatione libro 10, cap. 4, n. 1: « Qui communem de omnium salute Dei voluntatem propugnant, totam pro se antiquitatem nominare possunt, Augustini ætate superiorem, et post Augustinum latinos plerosque, græcos autem Patres universos. » Ibidem vir doctissimus, numeris 10 et 11, ait eos qui S. Damascenum hic exponunt modo ab aliis Græcis diverso *ignorare quod dicunt aut de quo dicunt, vel potiùs tergiversari videri*. Etverò, docet Jansenius græcos Patres verum sensum Apostolico testimonio non affixisse, sed Augustinum et Latinos ejus imbutos sententiâ; at credibile non est Joannem Damascenum, Augustinum et Latinos ipsi adductos, quos fortassè nunquàm legerat, Græcis omnibus præhabuisse.

Demùm Yprensis eodem capite vigesimo istud B. Petri 2 Epistolâ cap. 3, *nolens aliquos perire*, exponit de solis electis, ut et Estius in hunc locum. De quâ expositione idem dicendum est quod de eorum expositione textûs: *Deus vult omnes homines salvos fieri, etc.*

Quid sentiendum sit de Dei voluntate circa hominum salutem?—Sentiendum est Deum, supposito etiam peccato originali, non tantùm voluntate *signi*, sive externâ (quæ nonnisi impropriè et metaphoricè voluntas dici potest), sed et *beneplaciti*, sive internâ antecedente, quidquid (quod inter theologos controvertitur) per voluntatem antecedentem intelligendum sit, omnium et singulorum hominum salutem velle, ita ut omnes necessariis, ut æternam salutem comparare possint, præsidiis divinâ beneficentiâ suo modo instructi sint.... Deum verò voluntate speciali, absolutâ et consequente, quidquid rursùs (de quo non consentiunt catholici doctores) per voluntatem consequentem significetur, electorum non reproborum salutem velle et appetere.

Utraque assertionis pars ex dictis splendidè confirmatur.

Prima quidem antecedentem voluntatem spectans. Firmissimè enim tenenda est, si textui Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, 1 ad Tim. cap. 2, apertè conformis est; at res ita se habet; ex dictis enim elucet 1°, hunc textum tum ex præcedentibus cùm ex sequentibus intelligendum esse de verâ Dei omnes omninò homines in statu præsenti salvandi voluntate.... 2° Eumdem textum sic acceptum fuisse ab omnibus Patribus græcis, et plerisque latinis, paucis exceptis, qui etiam hanc acceptionem non excludunt, imò admittunt, ubi non obstat eorum adversùs hæreticos scopus... 3° Idem oraculum sic intellectum esse non tantùm à Molinistis, sed etiam ab omnibus ferè insignium scholarum Thomisticæ et Augustinianæ theologis. Etverò, quidquid de Deo enuntiant sacri codices, si maximè deceat Dei bonitatem, misericordiam, ac provi-

dentiam, id absque ullâ hæsitatione in Deo verè existere affirmandum est; at sacræ Litteræ referunt Deum velle omnes homines salvos fieri, idque maximè congruit Dei attributis; ergo. — Tandem antecedens Dei voluntas ex se respicit institutionem mediorum, quibus homines salvari possunt; at talis institutio est verum bonum, quod potest esse objectum voluntatis veræ et internæ; ergo voluntas antecedens non exterior tantùm, sed et interior est.

Secunda ejusdem assertionis pars, quæ tangit *voluntatem consequentem*, per se elucescit, et traditur ab Augustino in tribus commemoratis expositionibus textûs: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, etc., 1 ad Tim. 2; et Matthæi cap. 20, v. 28, cap. 26, v. 28, Epistolâ ad Hebræos, cap. 9, v. 28, Apocalypsis cap. 5, v. 9, etc.

Dices 1° : Augustinus in tribus relatis expositionibus oraculum, *Deus vult*, etc., intelligit de iis solis qui salvi fiunt; ergo.

Candidè fatetur Petavius libro 9 de Prædestinatione cap. 15, n. 2, Augustinum censuisse Deum velle verè et sincerè solos electos salvare; libro autem decimo cap. 3, n. 2, addit, *tres commemoratas Augustini interpretationes ad eludendum magis excogitatas quàm certas et solidas videri solere;* sed absit ut tantum doctorem, qui *unus pro multis nobis semper erit*, deseramus, et existimemus quempiam Apostoli sensum meliùs intelligere potuisse quàm ipsum. Unde resp.: Distinguo ant.: Augustinus Apostoli oraculum in tribus relatis expositionibus intelligit de solis electis, quia id exigebat ejus scopus adversùs Pelagianos et Semipelagianos, conc. Quia sentiebat illud oraculum ad litteram non significare Deum alios quàm electos verè salvare velle, neg. ant. et conseq. Sentiebant Semipelagiani Deum velle *æqualiter* omnium hominum salutem, et ideò Christum pro omnibus æqualiter sanguinem fudisse, ita ut nulla majora prædestinatis quàm electis gratiæ beneficia impertiret; unde absolutum prædestinationis decretum, quod adstruxerat Augustinus, sive absolutam et consequentem electos salvandi Dei voluntatem rejiciebant. Item Pelagiani sentiebant Deum sic omnes homines salvos fieri velle, si naturæ viribus absque ullâ voluntatis gratiâ salutem appeterent, ut Deus ipse sine personarum acceptione prævias illas dispositiones non asserentes salvare non posset. Utrique autem voluntatem Dei generalem et antecedentem omnes salvandi pravo suo sensu, id est, actuum naturalium, aut saltem pii credulitatis affectûs ex naturâ erumpentis ope, acceptam agnoscebant, et idcircò textu apostolico: *Deus vult omnes homines*, etc., generalem illam, et antecedentem voluntatem, non absolutam et consequentem erga electos adumbratam fuisse pertinaciter asserebant. Quid ad hæc sapiens et sagax doctor? 1° potuisse Apostolum hoc textu absolutam Dei electos salvandi voluntatem delineare, et id ab ipso reipsà non fuisse intentum evinci non posse, quod quidem tribus relatis expositionibus probavit.... 2° posse adversarios illam illius textûs interpretationem afferre si voluerint, modò omnipotenti Dei voluntati et gratiæ necessitati non deroget, ut reipsà ipsi derogabant asserendo Deum non posse, etiamsi velit, homines salvare, *nisi velint.* Appositè igitur et ad mentem Pelagianorum commemoratas interpretationes excogitavit D. Augustinus, non verò relativè ad proprium et litteralem Apostoli sensum de generali et antecedente omnes homines salvandi voluntate, quam, ubi de absoluto electos salvandi decreto res non erat, reipsà attulit citato libro de Spiritu et Litterâ cap. 33, et alibi passim, v. g., cùm centies asseruit Christum eâ intentione mortuum esse ut omnibus pretium mortis suæ aut præpararet aut communicaret.

Dices 2° : Augustinus referendo citatas expositiones permittit aliam quærere, modò consistere possit cum isto oraculo, *omnia quæcumque voluit fecit in cœlo et in terrâ*, Psalmo 134; at hæc conditio evincit Augustinum non agnovisse in Deo voluntatem antecedentem omnes homines salvandi, sed solam absolutam et consequentem; voluntas enim antecedens non semper impletur; ergo, etc. — Resp. 1°, hanc exceptionem directè impugnare insulsam Pelagianorum sententiam, qui effutiebant Deum sic velle mortales salvare *si velint* ut eos aliter si vellet salvare non posset. — Resp. 2°, Jansenium et ejus defensores risum movere dùm garriunt Deo esse injurios qui aliquam veram et *beneplaciti* Dei voluntatem in statu præsenti non impleri asseverant. Jansenius scilicet, libro decimo de Gratiâ Christi, cap. 1, hæc docet: « Habuit Deus generalem voluntatem benevolentiæ erga omnes Angelos, ex quâ, quantùm in se est, omnium beatitudinem æternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendæ media sufficientissima largitus est. » Eamdem voluntatem, ipso etiam fatente, habuit erga primos parentes in statu innocentiæ, et reipsà habiturus fuisset erga omnes eorum

posteros si non peccâssent. Jam verò generalis ista Dei *benevolentiæ* voluntas impleta non fuit in omnibus Angelis, ut nec in primis parentibus, cùm peccaverint, et tamen Deus æquè fuit omnipotens in statu innocentiæ ac in præsenti ordine; ergo aliqua vera et beneplaciti Dei voluntas sine præjudicio divinæ omnipotentiæ suum effectum non consequi potest. — Resp. 3°, hoc argumentum nos hic non impetere cùm pro instituto nostro sensum voluntatis *antecedentis*, et *consequentis* non figamus. Scilicet controvertitur inter theologos quid hic sit voluntas *antecedens et consequens.*

Molinistæ voluntatem antecedentem eam dicunt, quâ Deus ante prævisa merita, sive liberum gratiæ consensum, omnibus non præparat tantùm, sed et reipsà confert media verè sufficientia, quibus, si voluerint, reipsà salvabuntur.... Consequentem et absolutam eam vocant, quæ consensum illum, sive merita consequitur, quâ ideò Deus æternam vitam, sive gloriam electis impertiri vult; et hi propositam difficultatem solvere debent.

Verùm relata notio displicet Thomistis et Augustinianis, qui apostolicæ et Augustinianæ doctrinæ (ut gloriantur) studiosi scientiam mediam explodunt, et contendunt existere in Deo voluntatem absolutam aliquos salvandi ante prævisa merita, et independenter à voluntatis consensûs prævisione. Unde ipsis dicentibus, voluntas antecedens connotat præparationem mediorum tum externorum cùm internorum, quibus homines ex intentione Dei ad salutem pervenire possunt; absoluta autem et consequens connotat media certissima et infallibilia quibus Deus secundùm propositum voluntatis suæ aliquos, sive electos suos, ad vitam æternam perducit. Non ista autem tantùm, inquiunt, sed et illa voluntas suum semper assequitur effectum, ut patet. His per modum prælud ii delibatis, altissimas quæstiones supra delineatas, quantùm humana patitur imbecillitas, scrutemur et exploremus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum gratia sufficiens omnibus justis, cùm præceptum hic et nunc urget, impertiatur?

ERRORES.— Calvinus isto imbutus principio, post Adæ peccatum liberum arbitrium non tantùm *viribus attenuatum et inclinatum esse* (sessione 6, cap. 1 concilii Tridentini), sed et amissum et extinctum esse, et ideò justos ipsos in bonis operibus sese *quasi passivè* habere, quin bona eorum opera, ob ipsis tenaciùs inhærens concupiscentiæ virus, esse vera peccata, licet ipsis non imputentur ob justitiam Christi quâ veluti pallio obteguntur; isto, inquam, vertiginoso systemate dementatus, libro 3 Institutionis cap. 15, paragrapho 3 et 4, ipsis justis, ubi etiam affulget gratia fortissima, prorsùs impossibilia esse Dei præcepta obgannivit.

Jansenius, eodem præoccupatus systemate quoad extinctionem liberi arbitrii primigeniâ labe, justos, cùm cadunt, eâdem Dei mandata adimplendi impossibilitate, non absolutâ quidem, sed relativâ laborare docuit, ut suum de duabus delectationibus relativè victricibus exigebat principium, decem præsertim de gratiâ Christi libris consignatum; impossibile quippe est, ut passim decantat, ut vigente cœlesti delectatione illicitum, vigente terrestri delectatione licitum prævaleat desiderium. Hinc famosa inter quinque damnatas ab Innocentio X die 31 maii, ann. 1653 propositio ipsis terminis expressa libro 3 de Gratiâ Christi, cap. 13 (unde vertigo eorum qui Jansenismum phantasma, aut hæresim imaginariam esse balbutiunt): *Aliqua* (dixit *quædam*) ***Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires*** (id est, secundùm gratiam actualem debiliorem) ***sunt impossibilia*** (non ***absolutè***, sed ***relativè***; nulla enim est in Jansenii systemate impotentia nisi relativa); ***deest quoque gratia quâ possibilia fiant*** (relativè, non absolutè; debilior enim gratia secundùm quam volunt et conantur sublatâ fortiore delectatione terrestri oppositâ sufficeret ut possibilia essent mandata).

Istam assertionem Jansenii sensu et B. Petro cùm Christum negavit applicatam propugnavit celebris Arnaldus. Cùm autem ob id incurrisset in censuram sacri Ordinis Parisiensis die 1 februarii anni 1656, hanc impugnavit censuram in famosâ dissertatione de gratiâ efficaci. Exinde celebris ista quæstio celebrior evasit; res enim etiam exiles, ubi à magnis viris tractantur, magnæ fieri solent.

QUÆSTIONIS CARDO — In eo præcisè vertitur, an justis urgente præcepto, nunquàm denegetur gratia verè sufficiens, quâ possint illud hic et nunc implere, aut saltem petere auxilium ad illud implendum necessarium, cùm inprimis non ponunt obicem, sive ***volunt et conantur.*** Circa quod sit

CONCLUSIO. — Cùm relata Jansenii propositio *ut hæretica* damnata sit, fide constat justis *volentibus et conantibus,* urgente præcepto ades-

se gratiam verè sufficientem, quâ possint actualem hic et nunc obnitentem concupiscentiam vincere, ac præceptum exequi, aut saltem per orationem obtinere adjutorium ad illud exequendum requisitum.

Momentum primum. — *Ex Scripturis.* — Cùm ista assertio justum spectet luctantem cum validiore concupiscentiâ, ubi instat præcepti observatio, idcircò textus adducam ad hanc justi conditionem propiùs accedentes.

Epistolâ 1 ad Corinthios cap. 10, v. 13, legitur : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Ibi sermonem esse de omnibus fidelibus Corinthiis evincit 1° versus duodecimus, *qui se existimat stare videat ne cadat;...* 2° scopus Apostoli, qui intendit fidelium animos in tentationum turbine obfirmare et erigere;... 3° concilium Tridentinum quod sessione 24, can. 9, hunc textum clericis majoribus et regularibus graves adversùs castitatis votum hîc et nunc implendum tentationes patientibus applicat sive proponit. Omnes ergo justi prementes hîc et nunc tentationes Deo adjuvante sustinere sive vincere possunt; ergo gratiam ad id aut proximè aut remotè saltem sufficientem habent.

Objiciunt 1° Estius in hunc locum, et Jansenius libro 3 de Gratiâ Christi, cap. 13 : Hic textus de solis electis intelligendus est; et ideò unicè significat, Deum non esse passurum ut electi in æternùm pereant, sed facturum ut *finaliter* de tentatione triumphent; id enim elucet ex his, *faciet cum tentatione proventum*, sive, ut constanter legit Augustinus, contra Pelagianos, *cum tentatione exitum;* proventus enim et exitus actualem de tentatione victoriam connotant; ergo. — Resp. Nego ant. Ad probationem, sensum illum explodunt verba sequentia, *ut possitis sustinere*, ut constanter legit Augustinus, et ideò dicendum est aut sensum esse, *faciet cum tentatione etiam evadendi facultatem* (ut fatente Estio exponit S. Cyprianus in testamentis ad Quirinum), aut *illud faciet provenire quod poteritis sustinere* (ut alii exponunt). Etverò *si*, inquit S. Ephrem tractatu de Patientiâ, *homines suis jumentis non plus oneris imponunt, quàm ferre queant, multò minùs plus tentationum nobis imponet Deus quàm ferre queamus.* Hinc dominus Arnaud in versione Montensi gallicè malè vertit : *Il vous fera sortir de la tentation avec avantage*, cùm nec græcus nec latinus textus habeat *ex tentatione*, et ipse in titulo hujus capitis decimi dicat ibi agi *de Judæis Christianorum figuris*, et ideò non de solis electis.

Objicit 2° Jansenius, et ipso duce dominus Arnaud in dissertatione de gratiâ efficaci parte 1, articulo 3 : Sine gratiâ efficaci nihil boni ad salutem pertinentis edere potest justus; ergo, cùm peccat, et ideò abest gratia efficax, Dei præceptum est ipsi impossibile. — Probatur ant. his præsertim textibus. Joannis cap. 6, v. 44, ait Christus : *Nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum à Patre meo;* at *trahere ad Christum*, *et dare venire ad Christum*, indubiè proprium est gratiæ efficacis; ergo. — Resp. insignes theologos, ut Bellarminum, (quem dominus Arnaud aliquando cum encomio laudat) libro 2 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 12, Gregorium de Valentiâ q. 3, disp. 8, de divisione gratiæ, puncto 4, hos textus de gratiâ efficaci intelligere non improbando expositionem de gratiâ sufficiente, modò gratia sufficiens sola in statu præsenti non admittatur. Item alii, inter quos Suarez et P. Frassen, censent iis textibus solam adumbrari gratiam voluntatem prævenientem, et ad singula pietatis opera necessariam, quam negabant Pelagiani. Tandem alii, ut Alvares et Norisius in Janseniani erroris calumniâ sublatâ cap. 1, paragrapho 2, et initio capitis 2 putant iis ita insinuari gratiam efficacem quæ dat potentiam proximam et expeditam cum actu unitam, ut etiam asseratur gratia sufficiens, quâ justus instante præcepto habet veram illud exequendi potentiam, licet mediatam et remotam.

Jam verò variæ illæ expositiones enervant domini Arnaldi argumentum non solùm ex iis textibus, sed etiam ex Augustini doctrinâ desumptum (eodem enim modo in citatâ dissertatione arguit ex innumeris S. doctoris testimoniis); quis enim, quæso, magis crediderit dominis Arnaldo et Jansenio, quàm tot eximiis doctoribus quos uterque eruditione non superat? Aliunde verbum *trahere* convenit etiam gratiæ quæ voluntatem prævenit, et Christus, v. 66, non dixit, ut prætendunt*: Nisi ei datum fuerit venire,* sed simpliciter : *Nisi ei datum fuerit*, quod congruit gratiæ prævenienti sine quâ nihil boni possumus.

Demùm dominus Arnaud defendit propositionem ab Ecclesiâ proscriptam, commemorati verò doctores eam impugnant ex auctoritate Ecclesiæ, sine quâ se ipsi Evangelio crediturum non esse adversùs Manichæos professus est D. Augustinus.

Itaque sic arguimus : Christus Joannis 6 delineat vel gratiam efficacem, vel gratiam simpliciter prævenientem et sufficientem ; si istud, ruit argumentum ; si illud, sensus erit : Nemo potest venire ad me *potentiâ cum actu conjunctâ*, nisi per gratiam efficacem, quod non impedit quominùs potentiâ remotâ quidem et mediatâ, sed tamen verâ et relativâ, ab *actu sejunctâ*, possit venire ad Christum.

Ita sanè respondet P. Bernene supra citatus T. 2 systematis Augustiniani q. 14, conclusione 5, non solùm ad hos textus, sed etiam ad omnia Augustini testimonia quæ coacervat dominus Arnaud post Jansenium ad probandum ipsos justos sine gratiâ efficaci non solùm nihil boni operari, sed nec operari posse. « Augustinus, inquit, loquitur de justis qui remotam quidem habent potentiam adimplendi mandata, sed quibus deest proxima et expedita potestas; prætendimus autem nos (Augustiniani remotam illam quam habent justi potestatem esse veram et propriè dictam (et ideò relativam) potentiam, quæ cum effectu potest conjungi, licet per accidens cum effectu non conjungatur, remorante aliquo impedimento ex parte justorum. »

Momentum secundum. — *Ex conciliis* — Quoniam synodus Tridentina veluti excripsit concilia Milevitanum secundum can. 3, et Arausicanum secundum can. 25 adversùs Pelagianos habita, illam solam adducam.

Sessione 6, cap. 11, et can. 18, in fidei tesseram erigit hoc Augustini oraculum (de justificato intellectum) libro, ut supra diximus, de Naturâ et Gratiâ, cap. 43, n. 5 : ***Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.*** Ultima verba subintelliguntur ab Augustino ; si enim ab illo petis ut possis, ille est qui adjuvat ut possis.

Jansenius libro 3 de Gratiâ Christi, cap. 13, hæc concilii refert, sed industriè addit clausulam : *et si exaudiat*, ante *adjuvat ut possis*, ut viam sternat doctrinæ capitis 19 ejusdem libri, ferenti justum aliquando deseri à Deo priusquàm delinquendo deserat Deum, imò cùm etiam tentatione concussus gratiam tentationi vincendæ necessariam suppliciter à Deo petit, quia nempe non exauditur.

Sancta synodus his, *facere quod possis*, indicavit potentiam proximam faciendi præcepti, et ideò gratiam proximè et relativè sufficientem; his autem, *petere quod non possis*, potentiam remotam servandi mandati, et ideò gratiam remotè et mediatè sufficientem ; his verò, *adjuvat ut possis*, significavit, Deum oranti *ut oportet* impertire gratiam ad præceptum hìc et nunc faciendum, ut agnoscit et probat Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 6, ex Augustini tractatu 53 in Joannem, n. 8, ubi ait : *Sed audiamus Dominum et præcipientem et opitulantem, et jubentem quid facere debeamus, et adjuvantem ut implere possimus.*

Ibidem synodus ex Augustino libro de Naturâ et Gratiâ cap. 26, n. 29, et alibi, ait : ***Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit nisi ab eis priùs deseratur.*** Ibi non disserit de solâ substractione gratiæ sanctificantis, quasi sensus tantùm esset : ***Deus Gratiam sanctificantem à justis non aufert, nisi priùs ab eis per peccatum lethale deseratur*** (ut reponit Yprensis libro 3 de Gratiâ Christi, cap. 19), sed etiam de substractione, et quidem præsertim, gratiæ actualis, ut sensus sit : ***Gratiam sanctificantem non solùm à justo non retrahit, donec ab illo derelictus sit per peccatum mortale, sed nec gratiam actualem sine quâ peccatum vitari non potest;*** id enim intendit quod Augustinus citato capite, cujus verba exscribit ; at Augustinus disserit de substractione utriusque gratiæ ; ait quippe ibidem : ***Sanat Deus non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus,*** ut ostendimus præcedenti capite articulo 2 ; quod quidem explicat discrimine quod ibidem dicit intercedere interdùm inter medicum curantem vulnera, et mediatorem Christum; ille nimirùm sanatum ægrotum Deo dimittit, ***iste justificatum non deserit si non*** deseratur, ***ut piè semper justèque vivat.*** Ibidem capite 16 ait, ***Christum in justificatos virtutem jugiter influere quæ bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur;*** ergo, ubi instat præceptum, ipsis præstat gratiam quâ illud relativè implere immediatè vel mediatè valeant. Accedunt commemoratæ Constitutiones Innocentii X et Alexandri VII, ab universâ Ecclesiâ receptæ, quibus relata Jansenii propositio ***ut hæretica*** in sensu à Jansenio intento damnata fuit, ut diximus; neque enim Ecclesia dispersa minùs infallibilis est quàm Ecclesia congregata.

Hic prodit dominus Arnaud in commemoratâ dissertatione articulo 5, prætendens concilia adversùs Pelagianos habita definiisse nihil boni ab homine lapso fieri posse sine gratiâ efficaci, et quidem ex eo quòd concilium Tridentinum sessione 6, can. 22, loquatur de auxilio *speciali*. Verùm ex scopo et verbis illorum conciliorum elucet ea duntaxat defi-

misse adversùs Pelagianos necessitatem *gratiæ voluntatis* tum ad incipiendum cùm ad perficiendum pietatis opus. Quod attinet ad speciale perseverantiæ adjutorium, de quo synodus Tridentina, de eo in fine primi libri disseruimus.

Hic sufficiat observâsse notitiâ hæreseos pelagianæ, et Augustini doctrinæ non minùs dubio procul imbutum fuisse Norisium quàm dominum Arnaud; at eruditus ille cardinalis in Janseniani erroris calumniâ sublatâ cap. 2, docet, *justum urgente præcepto posse orare Deum ut gratiam ad illius præcepti impletionem largiatur,* et ibidem paragrapho 1, *in homine lapso aliquando ex Augustino agnoscit interiorem Dei gratiam cui reapsè resistit,* id est, adjutorium *sine quo non,* idque ex ipso capite undecimo libri de Correptione et Gratiâ, ex quo Jansenius et dominus Arnaud contrarium colligere aggrediuntur, cùm isto capite suum de Gratiâ systema præcipuè inniti fateantur, ut diximus libro præcedenti agendo de discrimine adjutorii *sine quo non* ab *adjutorio quo.*

Hic quis fortassis objiciet Estium in 2 Sent. distinct. 26, paragrapho 44, et Sylvium in 1 partem q. 23, a. 5 ad 2, post Bartholomæum Medinam, Didacum Alvares, etc., contendere illud concilii Tridentini sess. 6, cap. 11 : *Deus suâ gratiâ justificatos, etc.,* intelligendum esse de substractione gratiæ sanctificantis per peccatum mortale in quod justi prolabuntur. Verùm hæc movere non debent; falluntur enim illi theologi, saltem si intendant, ut jam diximus, concilium ibi unicè disserere de substractione gratiæ sanctificantis. Ad summum igitur inde colligi potest certum non esse concilium eò loci definiisse justis urgente præcepto adesse gratiam sufficientem ad illud implendum necessariam, quod ultrò concedemus; at licet illud non constet, nihilominùs de fide est nulla præcepta justis, cùm urgent, quando volunt et conantur, esse relativè impossibilia, ut diximus, et patet ex censurâ primæ Jansenii propositionis.

Momentum tertium. — *Ex divo Augustino.* — Cùm ex dictis conciliorum, doctrina de possibili justis mandatorum Dei observatione ipsa sit D. Augustini doctrina, pauca tantùm præter adducta illius pronuntiata cavillationibus minùs obnoxia hic proferam. Jansenius non ignarus fateri doctores, ipsos justos interdùm carere proximâ potentiâ adimplendi præcepti, ubi etiam urget, sed eos illam consequi posse per orationem, libro 3 de Gratiâ Christi, cap. 13, hæc scripsit : « Ipsis Christianis spiritualibus gratia sufficiens ad id faciendum quod jubetur frequenter subtrahitur, atque ita subtrahitur, ut nec pro tali gratiâ adipiscendâ deprecandi similis sufficiens gratia habeatur. » Postea capite 15 ait : « Cùm nec omnibus gratiam vel ferventer petendi, vel omninò petendi Deus largiatur, apertissimum est fidelibus multis deesse illam sufficientem gratiam. » Si ergo Augustinus docuerit justis urgente præcepto nunquàm deesse gratiam quâ benè orare valeant, corruet Jansenii pronuntiatum; at hæc docet Augustinus. Etenim tractatu 26 in Joannem, n. 2, istud Christi, Joannis cap. 5 : *Nemo potest venire ad me,* exponens ait : « Semel accipe, et intellige, nondùm traheris, ora ut traharis. » Libro 1 de diversis Quæstionibus ad Simplicianum, q. 1, hæc habet : « Hoc restat in istâ mortali vitâ libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam, cùm voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad eum, cujus dono eam possit implere. » Libro de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 16, n. 5 : « Magnum, inquit, aliquid Pelagiani se scire putant quando dicunt, non juberet Deus quod sciret non posse ab homine fieri; quis hoc nesciat? Sed ideò jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. »

Infinitus essem si cuncta S. doctoris testimonia, quibus fidelibus orationem inspirat, referre foret animus. Edoctus Christum omnium ferè beneficiorum suorum collationem orationi annexuisse, ejus necessitatem et virtutem decantare non desinit. Jam verò potentia orandi de quâ S. doctor, in justo proxima debet esse et immediata; si enim illa potentia esset remota, justus nullam haberet potentiam proximam pro impetrandâ oratione, nisi, quod absurdum esset, fieret progressio in infinitum; ergo, etc.

Dominus Arnaud in commemoratâ dissertatione, articulo 6 et seq., hæc inter alia præeunte Yprensi et Augustino proponit argumenta.

1° Augustinus adversùs Pelagianos non aliam prædicavit gratiam quàm gratiam efficacem sine quâ homo lapsus nihil boni non solùm non operatur (quod omnes fatentur), sed nec operari potest. Etenim hoc effatum, *sine gratiâ nihil boni fieri potest,* sic intellexerunt, sic impetierunt, sic irriserunt Pelagiani, et monachi Adrumetini; sic illud ex universæ Ecclesiæ fide propugnavit Augustinus, ut ex cunctis ejus operibus contra illos hæreticos elucescit, speciatim ex lib. 2 ad Bonifacium cap. 8, n. 18,

cap. 9, n. 19 et seq., cap. 10, n. 25; at justis qui cadunt deest gratia efficax; ergo, etc. Resp.: Nego majorem; ex dictis enim, ubi de gratiâ sufficiente, Augustinus adversùs Pelagianos propugnavit gratiam dantem voluntati potentiam veram et relativam bonum operandi *sine effectu*, sive *actu*, id est, sufficientem, et gratiam impertientem voluntati potentiam *cum actu*, sive efficacem; ut postea ostendemus. Utramque istam gratiam admittunt Thomistæ et Augustiniani præ cæteris Augustini doctrinæ tenaces, saltem ex quo Roma adversùs Jansenium locuta est. Unde ita docent per gratiam efficacem impertiri potentiam expeditam *cum actu*, sive *effectu*, vel *profectu*, ut simul asserant per gratiam sufficientem instante præcepto cuilibet justo dari veram et relativam exequendi mandati potentiam, licet remotam et ab effectu sejunctam, ut antea diximus. Porrò Augustinus locis objectis sic intelligendus est si ibi asseruit sine gratiâ efficaci nihil boni fieri posse. Quod attinet ad Pelagianos et monachos Adrumetinos, censuerunt, et quidem verè, Augustinum loqui præcipuè de gratiâ ex se efficaci, sed immeritò autumaverunt ipsum hanc sententiam ex totius Ecclesiæ fide propugnare, et hâc gratiâ tolli libertatem; si enim agnovissent gratiam Christi ad singulos actus bonos, et ad ipsum cujusvis boni operis ac fidei initium omninò necessariam esse, eamque meritis nostris non rependi, nec in lege et doctrinâ, sed in interno Spiritûs sancti auxilio consistere, licet per se efficacem negâssent, eos ut hæreticos nunquàm habuisset Augustinus.

2° Augustinus libro de Dono perseverantiæ cap. 22, n. 61, hanc propositionem: « Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis, abominabilem, » dicit in secundâ personâ propter apostrophen, quâ *infirmis* auditoribus et rudi populo *tantum malum optari videtur;* secùs si in tertiâ personâ exprimatur in hunc modum. « Si qui obediunt, sed in gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eâdem obedientiâ permanebunt, » quia licet eadem sit sententia *quoad rem,* tamen auditores eâ non offenduntur, *nec ad se pertinere existimant, cùm in ipsorum frontem compellando non collidatur,* id est, cùm ad ipsos directè non proferatur; at inde elucet justis non prædestinatis in Augustini mente subtrahi saltem in fine vitæ vires obediendi, sive gratiam verè et relativè sufficientem, etiam cùm obediunt; ergo.

Reponunt nonnulli recentiores Augustinum dictam sententiam improbare non solùm *quoad modum loquendi*, sed etiam *quoad rem*, sive virium substractionem, tum quia hanc vocat *abominabilem*, *etc.*, tum quia *quam substituit propositio non continet illam virium substractionem*, *etc.* Verùm hæc solutio contextum legendo vera non videtur, et ideò novatoribus non convincendis, sed magis ac magis exasperandis idonea est. Etenim præter dicta in argumenti expositione Augustinus ibidem addit, propositionem, *si qui obeditis, etc.,* de Dei præscientiâ (quam non negabant Semipelagiani) intellectam, *verissimam esse*, sed *improbissimam, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ* infirmitatis apposito; ergo quod est verum potest esse *improbissimum* relativè ad auditores; quidni et abominabile? Itaque.

Resp.: Concedo majorem. Distinguo minorem. Justi non electi privantur viribus obediendi sive ob *reatum originis,* id est pœnalitates primigeniæ maculæ, sive ob *additamentum propriæ voluntatis*, id est peccata personalia conc. Secùs, nego minorem et conseq. Augustinus, ut vulgò censent Thomistæ et Augustiniani, quorum sententiæ novum pondus addidit Norisius Vindic. cap. 4, paragrapho 10, docuit peccatum originale esse causam radicalem et remotam reprobationis ipsorum justorum non electorum, non ratione culpæ (siquidem *in baptizatis nihil est damnationis*, ut ait concilium Tridentinum post Apostolum epistolâ ad Rom. cap. 7, et Augustinus libro 1 ad Bonifacium cap. 10), sed ratione concupiscentiæ, et aliorum effectuum illius labis qui supersunt post baptismum; unde privatio potentiæ proximè expeditæ ad finaliter perseverandum, de quâ hîc Augustinus, quæ in electis et reprobis cum gratiâ sanctificante reperitur, est effectus originalis delicti; sed privatio illa in electis tollitur per *speciale Dei auxilium*, quod reprobis non impertit Deus, quia non vult, nec tenetur velle. Vult nihilominùs, et quidem sincerè, etiam supposito peccato originali, salutem illorum reproborum, ut iidem theologi docent post Augustinum libro de Spiritu et Litterâ, cap. 33, quia ipsis dat media relativè sufficientia quibus possint concupiscentiam vincere et non peccare. Hoc autem illustrare conantur exemplo oculi minùs sani, quem Deus verè sufficienti luminis infusione verè et relativè adjuvat ad videndum; licet non tollat nec tollere teneatur vitium impe-

diens quominùs videat. Porrò Augustinus ibi merito asserit reconditam illam doctrinam, quæ Semipelagianis tantopere displicuit, non esse *coram infirmis* prædicandam, saltem eam ipsis directè applicando... Alii verò insignes etiam theologi, qui relatam opinionem Augustino non affingunt, reponunt Augustinum loqui de vitium substractione ex solo præcedenti peccato personali; etenim S. doctor, inquiunt, libro 2 de peccatorum meritis et remissione, cap. 17, n. 26, ait: *Gratiâ ut non adjuventur* (filii superbiæ vel misericordiæ) *in ipsis itidem causa est, non in Deo*... Neque obstat verbum, *obeditis*, vel *obediunt;* sensus enim est, si qui nunc obediunt, et non sunt prædestinati, *usque in finem non obedient,* aut propter reatum originis, aut propter præcedens peccatum, ut dictum est, et probare videtur contextus.

Idem intendit Augustinus cùm libro de Correptione et Gratiâ, cap. 11, dixit: *Non autem quibus deest tale adjutorium* (potentiæ expeditæ ad perseverandum) *jam pœna peccati est;* et passim, in primis libris de Correptione et Gratiâ, et de Dono perseverantiæ, asserit se cum Apostolo prorsùs nescire cur ex duobus justis unus perseveret, alter non perseveret; istud enim in relatâ Thomistarum et Augustinianorum sententiâ evenit justo quidem sed omninò inscrutabili Dei judicio, fundato tamen in peccato originali eo quo expositum est sensu. In aliorum verò sententiâ, hæc non dixit Augustinus de duobus justis, quorum unus benè orando petiit et obtinuit à Deo donum perseverantiæ, non ita alter (dixit enim S. doctor *deserunt, et deseruntur;* et, *donum perseverantiæ suppliciter emereri potest*), sed de duobus justis æqualiter orare negligentibus quorum uni datur efficax orationis gratia cum quâ perseverantiæ donum impetrat, alteri verò non impertitur, aut de duobus piis, quorum unum rapit Deus, ne malitia mutet ejus intellectum, alium non rapit, etc.

Neque verò commemorati theologi, ut diximus, sufficientem orationis gratiam justis non electis demunt, quâ hîc et nunc reipsà orare possint, sicque, si non ponant obicem, efficacem orationis gratiam obtinere, et hujus ope expeditam ad orandum potentiam; licet enim Augustinus libro 1 ad Simplicianum q. 2, n. 21, dicat *ipsam justorum orationem aliquando non solùm tepidam et frigidam,* sed et nullam esse, tamen ab ipsis non arcet proximè sufficientem gratiam per quam orare possint; sed solùm efficacem, per quam reipsà *ut oportet* orent. Deinde probandum foret Augustinum hîc asserere gratiam orationis non dari cùm urget orandi præceptum, cùm de eo instanti hîc agatur.

3° Petrus fuit justus paulò antequàm Christum negaret, ut colligitur ex Joannis 13, v. 10, et docent SS. Hilarius, Basilius, et in primis Hieronymus in caput 26 Matthæi; at caruit gratiâ vel omninò vel saltem relativè sufficiente, ut violentæ mortis tentationi obsistere et Christum non negare valeret; id enim significat Christus Joannis cap. 13, his verbis: *Non potes me sequi modò, sequeris autem postea;* id apertè docent inter Patres Chrysostomus, præsertim homiliâ 31 in Epistolam ad Hebræos, et Augustinus, in primis sermone 124 de Tempore, nunc 79, in appendice tomi quinti, ubi ait: « Quid est homo sine gratiâ, nisi quod fuit Petrus cùm Christum negaret?... Ideò Petrum Dominus paululùm subdeseruit, ut in illo totum genus humanum posset agnoscere, nihil se sine gratiâ prævalere; » ergo. — Nemo nescit hanc assertionem ansam præbuisse famosæ censuræ Sorbonæ adversùs dominum Arnaud, ut videre est in Causâ Arnaldinâ.

Respondeo, Petrum tunc justum fuisse vel non. Si istud, Christus illum deseruit quia de se præsumendo Christum priùs deseruerat; si illud, quæro *an voluerit et conatus fuerit secundùm præsentes* quas ex gratiâ habebat vires, vel non; si secundum, exemplum præsenti quæstioni non est accommodatum; si primum, illi defuit gratia efficax, et etiam gratia sufficiens quâ posset proximè et immediatè tentationem vincere et Christum confiteri, non autem quâ hæc posset subsidio orationis, cujus proximam habuit potentiam. Unde auctor citati sermonis, qui non est Augustinus, dicit tantùm Petrum à Christo *subdesertum esse,* id est, aliquatenùs desertum.

Cæterùm, nescio quomodò sagax et eruditus Arnaldus hoc argumentum velut invictum venditare potuerit. Etenim incertum est, an Petrus in instanti negationem immediatè præcedente justus fuerit; quod enim dixit Christus Joannis cap. 13, v. 10, præcessit Petri responsionem, Matthæi cap. 26, v. 33 et 35, quæ eum à justitiâ excidere fecit. Aliunde inter Patres alii cum laudato Hieronymo affirmant; alii cum Chrysostomo homiliâ 83 in Matthæum et Augustino passim, v. g., libro 14 de Civitate Dei, cap. 13, negant, quorum opinio videtur probabilior; Petrus enim commemoratâ responsione Christo negationem prænuntianti

non credidit, seipsum cæteris præposuit, et præsumpsit se posse viribus naturæ quod non nisi viribus gratiæ poterat. Unde amor, ex quo Hieronymus dicit Petrum respondisse, videtur fuisse amor præposterus, deordinatus, carnalis, et præsumptionis et arrogantiæ plenus; sed factum incertum argumentum certum efformare nequit.

Item probari nequit Petrum tunc præsentibus gratiæ viribus obicem non posuisse; quinimò Augustinus libro de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 17, n. 33, contrarium asserit; *putabat*, inquit, *se posse* (viribus naturæ) *quod se velle* (viribus gratiæ) *sentiebat*.

Item probari non potest Petrum tunc omni prorsùs gratiâ fuisse destitutum; contrarium enim elucet ex modò laudato Augustino, qui insuper libro de unitate Ecclesiæ, cap. 9, dixerat: « Quis dubitaverit quòd Petrus, si voluisset, ter Dominum non negâsset? Nam dùm se percussum (tentatione) sensit, potuit deponere mentis tumorem, et dicere ad Deum: *Adjutor meus esto; ne derelinquas me.* »

Item, etsi constaret omnem omninò gratiam tunc Petro defuisse, causam non vinceret dominus Arnaud; non enim posset evincere desertionem illam esse antecedentem, non consequentem, in pœnam scilicet præsumptionis et neglectæ orationis.

Cæterùm, quod objicit idem dominus Arnaud ex Joannis cap. 13: *Non potes me sequi modò*, etc., ad rem non pertinet, cùm tunc non urgeret pro Christo moriendi præceptum.

Momentum quartum. — *Ex clero Gallicano et theologis.* — Cardinalis Noallius explicationes ediderat in 101 propositiones quas nonaginta septem præsules Gallicani probaverunt; quæ explicationes exinde dictæ sunt, Corpus doctrinale anni 1720. In eo renovatur acceptatio censuræ 101 propositionum ab episcopis quadraginta anno 1714 edita. Idem opus rigidiorem exhibet Thomismum, nec in sequentibus comitiis cleri Gallicani videtur fuisse confirmatum. Nihilominùs magni ponderis esse debet contra Ecclesiæ adversarios, et ideò illud hìc adducimus.

Articulus ad gratiam et liberum arbitrium pertinens hæc inter alia continet: « Gratia ita semper adest justis qui cadunt, ut non cadant nisi suâ culpâ, absque eo quòd ipsis desit quidquam ut possint perseverare; » habent ergo justi gratiam quâ hìc et nunc saltem remotè possunt perseverare, aliàs *aliquid ipsis deesset* ut id possent.

Sacer Ordo Parisiensis suâ in dominum Arnaud censurâ anno 1656 idem, ut diximus, sanciverat.

Quod attinet ad Theologos, qui floruerunt ante concilium Tridentinum, et Innocentium X, si quid censuræ in Jansenium latæ contrarium dixerunt, excusandi sunt cùm Ecclesia non fuisset locuta. Cæterùm, Jansenii defensores Thomistas, ubi docent gratiam efficacem et physicè prædeterminantem in statu innocentiæ locum habuisse, deserunt; quidni et nos deserere possemus quosdam Thomistas et Augustinianos, si nobis essent adversi? Tandem theologi, qui istud effatum probant, *sine gratiâ efficaci nihil boni fieri potest, de potentiâ cum actu conjunctâ* possunt intelligi. Porrò Joannes Nicolai Dominicanus in censorio suo suffragio contra dominum Arnaud longâ sed eruditâ dissertatione D. Thomam ab illius sententiâ omninò alienum fuisse ostendit.

Dices: Prima Jansenii propositio fluit ex principio duarum delectationum; at illud principium est catholicum, cùm omnes Augustiniani pro eo decertent; ergo. — Respondet P. Bernenc loco citato duas Augustinianorum delectationes à duabus Jansenii in his differre, 1° quòd istæ necessitent, non illæ;... 2° quòd *delectatio victrix* in systemate Janseniano necessaria sit, *et ad potentiam et ad actum orandi*, in Augustiniano è converso *ad solum actum orandi*;.. 3° quòd Augustiniani sub validiore cupiditate, aut delectatione cœlesti indeliberatâ agnoscant veram et relativam bonum agendi vel non agendi potentiam, quam nonnisi absolutam agnoscunt Janseniani.

Momentum quintum. — *Ex rationibus theologicis.* — Erumpunt istæ rationes ex his Scripturæ et Patrum oraculis: *Perditio tua ex te; nemo nisi suâ culpâ perit; voluntate suâ cadit qui cadit*, etc. Ex his enim elucet Deum justis saltem non denegare gratiam ad hìc et nunc urgentia præcepta adimplenda remotè saltem sufficientem.

Ex iis tamen ne inferas cum nonnullis recentioribus, quorum zelus non videtur secundùm scientiam, certum esse peccatum originale in justis non electis non posse esse causam, eò quòd dictum est, sensu ipsorum reprobationis, vel peccatum etiam veniale superbiæ aut negligentiæ non posse Deum inducere ad illis denegandum auxilium proximè saltem sufficiens; reclamare enim videtur Augustinus cujus hâc super re doctrinam tanquàm ubique receptam ipsi Societatis Jesu Patres defendere jussi sunt,

ut patet ex libro de Ratione studiorum Romæ excuso anno 1586; reclamant Thomistæ et Augustiniani, et ideò major et sanior theologorum numerus.

Objiciunt velut invictum hoc ex ratione argumentum. Gratia sufficiens est indeliberata mentis illustratio, et voluntatis motio, quæ ideò non solùm est in nobis, sed etiam à nobis est; at experientia probat talem illustrationem et motionem in omnibus justis urgente præcepto non reperiri; impossibile enim est ut à nobis non sentiatur quod in nobis est et à nobis, et ut actu semper bona non cogitemus et velimus, si illa gratia ea bona actu indeliberatè cogitare aut velle nos semper facit; sed experientia probat justos hæc non semper sentire, et cogitare ac velle; quinimò sæpiùs aut ex ignorantiâ, aut ex inadvertentiâ, aut ex indeliberato alicujus passionis motu peccant; ergo.

Resp. hujus argumenti solutionem pendere à solutione metaphysicæ hujus quæstionis, an quælibet animæ modificatio suî sensum et perceptionem procreet, an non; gratia enim, quæ est indeliberata animæ modificatio, erit perceptibilis in opinione affirmante, secùs in negante.

Quæstio ista magno cum ardore discussa fuit inter dominos Arnaud et Nicole, et plura ex utrâque parte peperit scripta, primo affirmante, altero negante, et hucusque indecisa et prorsùs incerta remanet. Quomodò igitur hoc argumentum ut Achillæum venditari potest? Longioris esset operæ tam obscuram dirimere litem. Satis sit obiter observâsse hoc argumentum probare sub illustratione gratiæ mentem reipsà attingere objectum, et sub ejus motione voluntatem objectum reipsà velle, siquidem illa illustratio et motio sunt vitales animæ actus, licet indeliberati; at non probat animam aut aliquatenùs aut saltem clarè ac distinctè percipere has modificationes in se existere. Consentiunt enim philosophi, inprimis subtilis Malebranchius, distinguendum esse inter actualem animæ modificationem, et distinctam illius animæ modificationis perceptionem, cùm ista non solùm esse possit, sed et aliquando sine alterâ reipsà existat. Porrò, præsente illâ gratiâ sive animæ modificatione, peccat homo non attendendo et reflectendo, quia potest attendere et reflectere.

Principia solutionum. — Primum. Ut valeant objecta à novatoribus testimonia, debent 1°, præceptum, et quidem hìc et nunc urgens, non consilium, non majorem perfectionem, non omnium collectivè venialium peccatorum declinationem, etc., exprimere;... 2° justum, et quidem conantem modo præsentibus quas habet viribus proportionato, respicere;... 3° non efficax duntaxat, sed et omne sufficiens, non proximè tantùm et immediatè, sed etiam remotè et mediatè, auxilium clarè excludere. Si enim vel unâ ex his conditionibus, à fortiori omnibus, caruerint, ex eis desumptum argumentum illicò liquescet.

Secundum. Jansenius libro 3 de Gratiâ Christi, cap. 13 et 15, assignatis pluribus modis *præcepti possibilitatis*, in se nempe et ratione *objecti*, ratione *flexibilitatis liberi arbitrii*, *fidei*, *gratiæ habitualis justorum*, *gratiæ parvæ quam concedere potest Deus*, etc., candidè cognoscit illos omnes modos *remotissimam* tantùm et merè *idealem* justis inspirare possibilitatem; unde alium proponit, *delectationem victricem*, sine quâ ipse justus non magis hìc et nunc potest implere præceptum, *quàm avis hìc et nunc sine alis potest volare*. Hic est proscriptus sensus tam clarè à Jansenio expressus ut ab ejus defensoribus eludi non possit.

Tertium. Quæ super hoc decrevit Tridentina synodus intelligenda sunt in sensu Augustini, cujus ipsa verba exscripsit. Hinc nonnulli recentiores, dùm Augustinum hìc deserunt, aut sibi faventem sensum ipsi affingunt, non solùm de Ecclesiâ benè non merentur, sed etiam ejus hostibus arma ministrant, eosque in suâ rebellione obfirmant.

Quartum. Augustinus quidem adversùs Pelagianos de gratiâ efficaci maximè disseruit, sed nunquàm asseruit sine illâ nihil boni fieri posse potentiâ ab actu sejunctâ, ut explicare solent Thomistæ et Augustiniani.

Quintum. Augustini effatum: *Deus non deserit nisi deseratur*, ab Ecclesiâ consecratum, evincit justo, quamdiù Deum non deserit, semper adesse gratiam quâ verè et relativè possit in bono perseverare, saltem per orationem, et ideò remotè et mediatè. Sed quid illa justi à Deo aversio? Nec Augustinus nec Ecclesia clarè definivit; alii eam constituunt in solo peccato lethali; alii in veniali etiam præsumptionis; alii, quorum opinio probabilior et Dei bonitati magis consona videtur, censent justum in peccatum mortale lapsum ipsâ proximâ orationis gratiâ sufficiente à Deo non destitui.

Sextum. Justus saltem, ut diximus, semper habet potentiam proximam ad orandum; si enim nonnisi remotam haberet potentiam, non posset orationem impetrare, siquidem non ha-

beret potentiam proximam pro impetrandâ oratione; aliàs daretur progressus in infinitum, ut arguit Norisius... Alii tamen Augustiniani hanc potentiam solis justis obicem non ponentibus, id est, de viribus suis non præsumentibus, attribuunt, et hanc D. Augustini et Norisii mentem esse volunt. Scilicet, inquiunt, justus per gratiam illuminationis cognoscens præceptum, et per sanctam inspirationem desiderium habens illud implendi, naturaliter et sine ope alterius gratiæ potest et tenetur efformare judicium practicum suæ infirmitatis, sive suæ impotentiæ proximæ ad præceptum implendum; quod si efformaverit, vi gratiæ præcedentis, fit proximè potens orare, sive proximè excitatur ad postulandum auxilium necessarium; secùs si non efformaverit; unde, addunt, non requiritur progressus in infinitum ut homo constituatur in potentiâ proximâ ad orandum.

Verùm dominus de Tournely et ejus redactores reponunt justum per illud judicium practicum constitui non solùm in potentiâ proximâ ad orandum, sed et in actuali oratione, et ideò non prærequiri illud judicium ut homo sit proximè potens ad orandum. At isti alios intelligere non videntur, affirmantes judicium illud practicum positâ gratiâ illuminationis et inspirationis solâ naturâ confici; neque enim homo in actuali oratione naturâ constituitur.

Septimum. Thomistarum et Augustinianorum in hâc ut et in aliis similibus quæstionibus responsiones eo titulo non sunt improbandæ, quòd nonnulla obscura et intellectu difficillima involvant; quinimò eo titulo sunt probandæ, cùm in his similes afferat D. Augustinus, et sæpiùs exclamet cum Apostolo : *O altitudo! etc.*; et aliunde mysteriorum, quæ sunt argumenta non apparentium, existentia, non natura, ratione sit evincenda.

ARTICULUS II.

An fidelibus sontibus infundantur gratiæ sufficientes sive ut nova peccata non committant, sive ut commissorum veniam adipiscantur?

Sensus est, an baptizatis, qui peccata mortalia peccatis non addiderunt, sed in aliquod lapsi sunt, non singulis momentis (quibus gratia ipsis justis non adest), sed pro loco et tempore, inprimis cùm urget præceptum, non offeratur tantùm, sed et detur gratia verè sufficiens, non ut perseverent in bono quod deseruerunt, sed ut cum Deo reconciliari possint à novis peccatis abstinendo, et à veteribus emergendo.

Negat Jansenius in libris de gratiâ Christi, præsertim tertio, cap. 15 et 13, ubi infidelibus, fidelibus lapsis, obduratis, et justis, cùm etiam urget præceptum, ipsam orandi possibilitatem aliquando denegari asserit, quia carent relativè victrici gratiæ delectatione, cum quâ solâ bonum fit et fieri potest.

CATHOLICORUM OPINIONES. — Multi, ex scholis præsertim Thomisticâ et Augustinianâ, fatentur Deum neminem deserere nisi priùs ab ipso deseratur, Deum pro omnibus et singulis hominibus misericorditer remedia instituisse et præparâsse, et quantùm in se est conferre, nisi in eis propriæ voluntatis impedimentum, aut aliam justitissimam suæ indignationis causam invenerit, quemlibet peccatorem, quantumvis excæcatum et obduratum, vel actu recipere, vel recipere posse salutares Christi gratiæ influxus, et ideò neminem in hâc vitâ de suâ salute desperare debere; atque in hunc sensum intelligunt innumera Scripturæ testimonia quibus asserit Deus se nolle mortem impii, se nolle aliquos perire, sed omnes salvos fieri, etc., nimirùm ex parte sui et quantùm in se est. Verùm sentiunt Deum auxilia sufficientia, quæ omnibus et singulis præparavit, quibusvis peccatoribus non solùm absque injustitiâ denegare posse (cum Augustino dicente *si debitum damnationis supplicium omnibus redderetur, non injustè procul dubio redderetur*), sed etiam in pœnam peccati reipsâ aliquando non conferre. Atque existimant hanc fuisse sententiam concilii Tridentini cùm dixit, *Deum justum non deserere nisi priùs ab ipso deseratur;* (utquid enim, inquiunt, hæc exceptio, si Deus deserentes se nunquàm desereret?) et divi Augustini passim et ejus discipulorum; v. g., cùm dixit libro de Correptione et Gratiâ cap. 11 : *Nunc autem quibus deest tale adjutorium* (sine quo non, sive sufficiens quale Adæ fuit concessum), *jam pœna peccati est; quibus autem datur, secundùm misericordiam datur.* Hæc considerans concilium Tridentinum sess. 6, cap. 11, et canone 18, satis habuit definire justis non deesse gratiam, quâ ipsis possibilia essent Dei mandata, et Innocentius X relatam Jansenii de justis sententiam proscripsit duntaxat, iis quæ de infidelibus, fidelibus lapsis, et obduratis dixerat prorsùs intactis.

Alii è converso theologi, præsertim è scholâ Molinæ, censent fidelibus sontibus à Deo non solùm offerri, sed etiam urgente præcepto reverà conferri auxilia remotè saltem sufficientia, quibus nova peccata vitare et à veteribus emer-

dari possint, idque ex verâ et internâ voluntate antecedente quâ eorum salutem vult.

Norisius, ex omnium etiam Jansenianorum consensu, Augustini doctrinæ notitiâ excultissimus, Vindic. cap. 3, paragrapho 6, expendens an S. doctor tradiderit Judæos ad legis observationem adstrictos fuisse sub peccato si deesset gratia adjuvans ad implendum præceptum (ut Augustino crimini vertebant quidam Molinistæ), reponit Augustinum censuisse Judæos urgente etiam præcepto non habuisse gratiam proximè necessariam ad illud implendum, sed habuisse gratiam *orandi Deum ut sibi daret gratiam ad mandatum adimplendum*. Idem repetit Janseniani erroris calumniæ sublatæ cap. 2. Ex his sit

Conclusio. — Deus baptizatis sontibus nondùm obduratis actu etiam impertit gratiam saltem quâ proximè possint orare, sicque obtinere gratiam, quâ in nova peccata non labantur, et à veteribus resipiscant.

Probatur 1° ex Scripturis. Inter innumera testimonia unum brevitati consulens adducam. Apocalypsis cap. 3, v. 20, ait Deus : *Pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium et pulso;* si quis audierit vocem meam, et aperuerit *mihi januam intrabo ad illum.* Ibi agitur ex contextu de baptizato lethalis peccati reo, quem Deus non solùm per externam, sed etiam per internam gratiam excitat ad orandum, ut pœnitentiam agere possit; verbum enim, *pulso,* hîc alludit ad verba Christi, *pulsate et aperietur vobis,* vel *pulsanti aperietur,* in quibus *pulsate* denotat gratiam internam. Hinc concilium Senonense, anno 1528, in decretis fidei cap. 15, et Coloniense, anno 1536, cap. 32, hunc textum intellexerunt de gratiâ etiam internâ; ut et Andreas Vega qui concilio Tridentino interfuit, opusculo de justificatione q. 13, conclusione quintâ.

Dices : Cùm per Molinistas in Congregationibus de auxiliis coram Paulo V citata fuisset hujus synodi Senonensis auctoritas, nemine reclamante, nequidem cardinali Perronio præsente, omninò fuit elisa et liquidò negata eò quòd ista synodus per Sedem apostolicam non fuisset confirmata. Ergo.— Resp. : Esto ant., nego conseq. Inde enim ad summum inferri potest certum ex hâc synodo argumentum erui non posse, quod ultrò fatemur ; idem enim robur non habet ac particularia concilia Arausicana quæ à summo Pontifice et Ecclesiâ specialiter approbata sunt ; sed ex illâ synodo admodùm probabile argumentum deduci potest, cùm inprimis ejus interpretatio Scripturâ innitatur, nec unquàm ab Ecclesiâ improbata sit, quod nobis sufficit.

Probatur 2° ex Augustino. Varia illius testimonia articulo præcedente adduximus, quibus justos et peccatores excitat ad orandum ut illi in justitiâ perseverent, isti verò eam recuperent ; quæ certè exhortationes manifestè supponunt gratiam orationis semper adesse ipsis sontibus, aliàs illusoriæ forent. *Incumbite*, inquit sermone 135 de verbis Evangelii Joannis 9, cap. 6, n.7, *orationibus, peccatores, orate ut peccata vestra deleantur, nolite desperare, et peccatores orate.*

Probatur 3° hâc ratione. Dei bonitati et justitiæ etiam congruit ut sontem in aliquod grave peccatum ex infirmitate lapsum non derelinquat, saltem nisi postquàm ipsi collata pro conversione auxilia ex obstinatâ malitiâ contempsit juxta illud : *Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamus eam.*

Objiciunt varia S. Augustini testimonia quibus asserit gratiam ipsam sufficientem in peccati pœnam aliquibus à Deo non concedi. Verùm hæc objectio nullius sanè ponderis est. Etenim 1° potuisset Augustinus dicere gratiam sufficientem aliquibus denegari, licet sentiret eam infundi sontibus in unum alterumve peccatum mortale lapsis ; denegaretur scilicet excæcatis et induratis 2° Reverà censuit Augustinus gratiam ipsam sufficientem aliquibus *in pœnam peccati* non concedi, ut patet ex citato libro de Correptione et Gratiâ cap. 11 ; at eum ibi de gratiâ ad implendum præceptum immediatè necessariâ, non de orationis gratiâ disserere cum Norisio diximus. 3° Cùm Semipelagiani ostenderent gratiam sufficientem omnibus *æqualiter* dari, reponebat S. doctor eam non omnibus dari, nempe *æqualiter,* aut ob initium aliquod fidei quod esset ex solis liberi arbitrii viribus, ut obganniebant illi hæretici. Hoc sensu præsules Africani in Sardiniâ exules in Epistolâ synodicâ dixerunt : *De gratiâ dignè non sentit quisquis eam putat omnibus dari.*

ARTICULUS III.

An gratiæ sufficientes excæcatis et induratis concedantur ?

Excæcatio mentis, et cordis obduratio importat ex parte hominis singularem malitiam, et ex parte Dei derelictionem, sive gratiæ substractionem ; *nec obdurat Deus,* inquit Augustinus Epistolâ 194 ad Sixtum cap. 3, n. 14,

impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam; unde hæc passim S. doctoris effata : «Miseretur Deus gratuito dono, obdurat justissimo merito, obduratio non est nisi ex merito, non item gratia : ut magnâ bonitate miseretur Deus, ita nullâ iniquitate obdurationem cordis Deus non instigando et inspirando, sed deserendo facit,» quæ idem omninò enuntiant.

Quæritur an illis excæcatis et induratis gratiæ proximè aut remotè sufficientes impertiantur.

Jansenii sententiam, et discrepantes theologorum opiniones super hâc quæstione supra retulimus. Undè sit

Conclusio. — Excæcatis et induratis aliquis sufficientis gratiæ lux et calor inspiratur, quo ex profundâ peccatorum voragine orationis beneficio sensim exire et cæcitatem ac duritiem tandem deponere possunt. Est probabilior.

Probatur 1° ex Scripturâ. Actuum cap. 7 : *Spiritui sancto resistitis;* Rom. cap. 2 : *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, etc.* Ex quibus sic arguimus : Stephanus et Paulus ex contextu hic alloquuntur excæcatos et induratos, sed asserere videntur eos omni prorsùs gratiâ internâ non privari ; id enim intendunt si de solâ externâ gratiâ legis, vocationis, etc. (ut contendunt Estius et Jansenius), non loquuntur ; at de solâ istâ gratiâ ibi non disserunt, ut probavimus ubi de existentiâ gratiæ sufficientis disceptavimus, et aliunde evincere videtur scopus Stephani, qui præclarum illum sermonem ad Judæos non emisit, nisi ut eos ad cordis compunctionem excitaret, ut et finis Apostoli dicentis, benignitatem Dei eos ad pœnitentiam adducere ; quî autem potuissent conteri et pœnitere sine ullâ gratiâ internâ saltem orationis?

Probatur 2° ex S. Augustino et ejus discipulis. S. doctor tradit epist. 145 ad Anastasium, olim 144, n. 3, Judæos qui *vi legis* sufficientem gratiam non habebant ad præceptum implendum, eam implorando Christum venturum consequi potuisse : « Lex, inquit, docendo et jubendo quod sine gratiâ impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Salvatorem, à quo sanata voluntas possit » quod infirma non posset. Concinunt SS. Fulgentius, libro 2 de Veritate prædestinationis, cap. 4, et auctor epistolæ ad Demetriadem ; atqui tamen *plerique* Judæorum, imò si Jansenio fides, *omnes* erant excæcati et indurati. Ergo.

Item enarratione in Psalmum 6, n. 8, expendens istud Rom. cap. 1, v. 28 : *Dedit illos in reprobum sensum*, ait : « Ea est cæcitas mentis, in quam quisque datus fuerit ab interiori Dei luce secluditur, sed nondùm penitùs cùm in hâc vitâ est.... In die judicii penitùs extra Deum erit quisquis dùm tempus est (in hâc vitâ) corrigi noluerit ; penitùs autem esse extra Deum quid est, nisi esse in summâ cæcitate ? Hujus iræ inchoatio est quam in hâc vitâ patitur quisque peccator. » Excæcati ergo et indurati « ab omni penitùs interiori Dei luce in hâc vitâ seclusi non sunt ; » nec in hâc vitâ completa sed inchoata tantùm reperitur excæcatio, etc.

Probatur 3° ex D. Thomâ et Theologis.

Sanctus doctor, quæstione 24 de veritate, a. 11, in c., de obdurato ait : « Is est qui non de facili potest cooperari ad hoc quòd exeat de peccato ; et hæc est obstinatio imperfecta, quâ aliquis potest esse obstinatus in statu viæ ; cùm scilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato, quòd non surgunt motus ad bonum nisi debiles. » Ubi, observa obduratum non *omninò*, sed *de facili* tantùm ex peccato exire non posse, et aliquos, *licet debiles*, ad bonum motus in ipso exsurgere.

Eamdem sententiam docuêre insigniores scholæ Thomisticæ theologi, ut videre est apud P. Dechamps in libris de hæresi Jansenianâ. Unum adducam insignem scholæ Scotisticæ doctorem Andream Vegam. Opusculo de justificatione quæstione 13, conclusione 3 hæc habet : « Peccatori propter delicta præcedentia, quantumcumque sint gravia, nunquàm impossibile est Dei præcepta servare ; ad ostium enim nostræ voluntatis stat semper Deus, et pulsat, paratus adjuvare omnes ad suorum observantiam præceptorum. »

Probatur 4° rationibus theologicis. Prima. Obduratio ex SS. Augustino et Thomâ in hâc vitâ non est adæquata ; ergo non excludit omnem interioris gratiæ lucem. Secunda. Conversionis præceptum ipsos obduratos, in ultimâ in primis vitæ periodo constringit ; ergo tunc possunt converti, aut illud præceptum est ipsis impossibile ; si autem possunt converti, gratiam orationis habere debent. Tertia deducitur ex censurâ istius Baii propositionis 55 : *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino.*

Objiciunt 1° : Joannis cap. 12 dicitur : *Propterea non poterant credere* quia dixit Isaias (cap. 6, v. 9 et 10) : *Excæcavit oculos eorum,*

et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur et sanem eos, etc. Ibi dicuntur Judæi *non potuisse credere,* et ideò omni gratiâ fuisse destitutos, quia Deus *induraverat corda eorum ;* unde impotentia illa in eis fuit effectus non ipsorum malitiæ, sed Dei eos excæcantis voluntatis, ergo.

Divus Augustinus tractatu 53 in Joannem, n. 5, agnoscit hanc difficultatem *profundam* esse, seque ei *respondere prout potest;* reponit autem 1°, hæc, *non poterant credere,* significare, *omninò nolebant.* Sicut in isto textu, *Deus non potest seipsum negare* (2 ad Tim. cap. 2), *non potest,* significat, *non vult...* 2° Deum malam hanc voluntatem prævidisse, et per Prophetam prænuntiâsse, et ideò Deum non esse illius causam ; eam enim prævidit Deus quia futura erat... 3° Hæc, *excæcavit oculos eorum,* connotare effectum, sive pœnam malæ voluntatis; *obdurat* quippe *Deus deserendo et non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.* Igitur Judæorum incredulitas ex ipsis non ex Deo orta est, et eâ prævisâ et suppositâ Deus eos induravit *deserendo,* sed *non penitùs,* ut antea dicebat S. doctor.

Objiciunt 2° : Synodus Tridentina his verbis, *Deus non deserit nisi priùs deseratur,* manifestè supponit Deum deserere eos qui ipsum deserunt; ergo. — Resp. concilium supponere istos à Deo deseri *aliquo* non *omni modo;* intendit enim quod Augustinus, cujus verba adhibet. Id nonnulli confirmant ex his sanctæ synodi sess. 6, cap. 13 : *In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent;* verùm certum non est hæc non esse intelligenda de justis, aut de iis qui Deum non deseruerunt, et ideò posset recurrere difficultas.

Objiciunt 3° Divum Augustinum. Citatâ epistolâ 194, dicit *Deum indurare non impertiendo misericordiam;* ibidem cap. 6, n. 23, malos inducit dicentes : *Quid de nobis fit querela, quòd Deum offendamus, cùm illius voluntati nemo possit resistere, qui nos obduravit misericordiam non præstando?* Quibus respondet : *O homo tu quis es?* Rom. cap. 9. Libro de Naturâ et Gratiâ cap. 22, ait : *Legis prævaricator luce veritatis desertus fit cæcus, sicque necesse est ut offendat.* Libro de Perfectione justitiæ cap. 6, n. 15, ad hanc Cœlestii objectionem : « Si est aliquod peccatum quod vitari non possit, quomodò justus Deus dicitur si imputare cuiquam creditur quod vitari non possit? » Sic respondet : « Peccatum est cùm vel non est charitas quæ esse debet, vel minor est quàm debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit; quia si potest, præsens voluntas hoc facit ; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit... » Ibidem cap. 19 dicit *excæcatum omni lumine veritatis deseri.* Libro 3 de libero Arbitrio cap. 18, n. 52, ait : « Illa est peccati justissima pœna ut amittat quisque quo benè uti noluit... id est, qui rectè facere cùm posset noluit amittat posse cùm velit. » In Expositione in epistolam ad Romanos, dicit « Pharaoni non imputatum fuisse quòd non obtemperaret Dei præceptis, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat. » Libro 1 Retractationum cap. 15, n. 3, ait : « Qui cogenti cupiditati bonâ voluntate resistere non potest, et ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est ut sit etiam pœna peccati. »

Ex his, inquiunt, elucet Augustinum nullam omninò in obduratis admisisse gratiam sufficientem, quâ possent non peccare, et tandem resipiscere; ergo. — Resp. 1° Augustinum adversùs Pelagianos docuisse Deum absque injustitiâ in pœnam gravis peccati, multò magis contumacis in malo voluntatis, hominem *omninò* deserere, ipsique imputare peccata quæ consequenter ad illam derelictionem commissurus est, necessariè licet, utpote *liberâ in causâ,* sive, ut loquitur, utpote *peccata et pœnam peccati ;* unde ejus effatum : *Nemo peccat in eo quod vitari non potest,* significat : *Nemo peccat in eo quod antecedenter vitari non potest.* Etverò, si D. Augustinus ex Scripturis docuit infantes sine baptismo morientes justè à Deo æternis addici suppliciis propter peccatum alienâ voluntate commissum, quantò magis sentire potuit sontem posse à Deo puniri ob peccatum ex alio propriâ voluntate facto necessariè fluens? Resp. 2°, Augustinum, etsi senserit obduratos justè à Deo omninò deseri potuisse, tamen eos de facto sic derelictos esse non censuisse ; perfectam enim obdurationem in hâc vitâ non agnovit. Unde in objectis testimoniis unicè intendit, obduratos destitui gratiâ quâ possint *immediatè et de facili* vitare peccata et tentationes vincere, eoque non posse benè agere impotentiâ consequente liberam eorum gratiæ resistentiam, non antecedente, vel *in sensu composito,* id est, ipsis ex excæcatione operantibus. Etverò hæc insinuat in ipsismet objectis locis. Etenim, in epistolâ 194 verba, *non impertiendo misericordiam,* non absolutè, sed relativè ad justos et fideles non obduratos sunt intelligenda, et ideò de gratiâ qualis istis conceditur. In his autem etiam dicendum est : *O homo,*

etc., cùm nempe ex duobus induratis Deus uni dat gratiam efficacem, aut uberiorem, non alteri. In capite 22 libri de Naturâ et Gratiâ ibidem immediatè addit : *Audit* (prævaricator) *vocem legis, quâ admoneatur implorare gratiam Salvatoris,* quibus confirmatur quod de gratiâ orationis Judæis concessâ cum Norisio antea diximus; quod autem ibi dicitur (ut et cap. 18 libri tertii de libero arbitrio), probat quidem peccatum obduratis imputari ratione causæ, sive prioris peccati, sed non probat illud non imputari etiam ratione suî, eò quòd præsentis gratiæ ope vitari potuit. Quanquàm fortè intendit S. doctor Deum posse tales omni gratiâ privare, licet id de facto non velit. In capite 6 libri de Perfectione justitiæ post objecta verba addit : « Et tamen vitari potest, non quando superba voluntas laudatur, sed quando humilis adjuvatur ; » at hæc supponunt Dei adjutorium indurato affulgere quo remotè saltem possit peccatum vitare... Capite autem 19 *omni* non debile sed vividum excludit lumen. In Expositione in Epistolam ad Romanos 1° vult Bellarminus Augustinum postea hanc revocâsse sententiam... 2° Tunc Augustinus Semipelagianorum errore erat imbutus... 3° Hæc non cohærent cum relatis testimoniis.... 4° Fortè intendit peccata indurationem sequentia Pharaoni non fuisse imputata ut peccata nullum præcedens peccatum supponentia, et nullâ à Deo vindice pœnâ castigata.

In capite 15 libri 1 Retractationum, intendit induratos, quamdiù manet fortior cupiditas, ipsi resistere non posse, cùm non possunt cupiditate simul et bonâ voluntate moveri, non autem eos non posse cum gratiâ illam exuere cupiditatem, siquidem illis necessariè non inhæret; gratia scilicet nemini deest cùm urget præceptum.

Quòd autem relatæ expositiones de *impotentiâ antecedente et consequente,* et de *sensu composito* sint ad mentem Augustini evincunt sequentia ejus effata. Relato tractatu 53 in Joannem ait : « Non poterant credere non quia mutari in meliùs homines non possunt, sed quamdiù talia sapiunt non possunt credere. » Libro 2 de Sermone Domini in monte cap. 24, hæc habet : « Quamdiù quisque malus est, non potest facere fructus bonos; si enim bonos fructus fecerit, jam malus non erit. »

Objiciunt iterùm eumdem Augustinum lib. 15 Operis imperfecti dicere « diabolum non excusari à crimine etsi non possit non peccare, quia necessitas peccandi magna est in eo magni pœna peccati » ergo. — Verùm elucet disparitas diabolum inter et induratum; necessaria quippe dæmonis peccata, cùm sit in termino, non augent ipsius pœnam; è converso necessaria peccata obdurati, qui est in viâ, ipsius pœnam augerent, et ideò non vult Deus ut sint absolutè necessaria, aliàs deterior esset in hoc obdurati conditio dæmonis conditione.

Principia solutionum. — Primum. Consentiunt doctores peccata induratis meritò imputari, sed quâ ex causâ, dissentiunt. Alii eos peccare dicunt quia ubi malum actum eliciunt, habent gratiæ sufficientis ope potentiam expeditam ad actum oppositum.... Alii è converso sentiunt illos peccare, etiamsi *omni* gratiâ in pœnam præcedentium delictorum destituantur. 1° Quia hæc impotentia consequens et voluntaria, non antecedens et necessaria, ex eorum culpâ oritur.... 2° Quia liberè tunc peccant; possunt enim non peccare per simplicem actûs suspensionem, sive non positionem; ait enim D. Thomas q. 24 de Veritate cap. 12 : « Existens in peccato mortali potest ex naturali virtute singula peccata mortalia vitare, quamvis non omnia (sine gratiæ auxilio), et ideò non sequitur quòd peccatum committendo non peccet; induratus igitur potest singula distributivè peccata mortalia *naturali virtute* vitare, et ideò non indiget gratiâ ut peccata justè ipsi imputentur.... 3° Quia ad libertatem actûs mali haud necessarium est ut voluntas habeat potentiam expeditam ad actum bonum contrarium; libertas enim *contradictionis,* quâ homo potest agere vel non agere, est de essentiâ libertatis, non libertas *contrarietatis;* posse enim facere malum non est perfectio in libertate, sed potiùs imperfectio et defectus. Quamobrem modum quo peccata induratis justè imputantur hìc non attingimus.

Secundum. Augustinus nullam hâc in vitâ perfectam indurationem agnovisse videtur; unde libro 1 Retractationum, cap. 19, ait : *De quocumque quamvis pessimo hâc in vitâ constituto non est desperandum;* quidam tamen istud effatum hoc sensu intelligunt quòd Deus ex misericordiâ possit pessimo cuicumque conversionis gratiam impertire, et ideò quilibet obduratus, quamdiù est in viâ, possit Dei gratiam recipere, quod non possunt damnati et dæmones, utpote in termino constituti; quem sensum probare aggrediuntur ex D. Prospero in responsione ad 6 objectionem Vincentianam.

Tertium. Induratus agens ut induratus non potest benè agere; secùs si ita non operetur,

ut potest, cùm cœlesti auxilio penitùs non destituatur. Istius distinctionis ope, et potentiæ *antecedentis et involuntariæ*, et *consequentis ac voluntariæ*, quæ eòdem recidit, concidunt omnes ferè adversariorum objectiones.

Quartum. In distributione gratiæ modum servat Deus, et ideò gradatim nascitur cordis durities. Hinc justis urgente præcepto major, fidelibus nondùm obduratis minor, obduratis minima conceditur gratia, sufficiens tamen ad majorem obtinendam.

Quintum. Deus, ut exploratam faceret suam virtutem, potentiam et justitiam, potuit absque ullâ injustitiâ quibusdam magnis sontibus omnem interiorem gratiam subtrahere; unde adversariorum systema non repugnat. At *de facto* id noluit, cùm ex dictis nulla sit in hâc vitâ perfecta obduratio. Hinc nonaginta septem præsules Gallicani in corpore doctrinæ anni 1720 a. 3, n. 11, aiunt: « Temerarium esset erroris notare opinionem plurium sapientum theologorum qui dicunt gratiam sufficientem negari obduratis, et non omnibus infidelibus conferri. »

ARTICULUS IV.

An Hebræis in antiquo fœdere illuxerit gratia sufficiens?

Apostolus, ut plurimos Judæos, qui etiam Christi militiæ nomen dederant, legi Mosaicæ justificandi vim superbè inserentes revinceret, dixit legem solam subministrâsse *peccati cognitionem*, Epistolâ ad Rom. cap. 3, legem *subintrâsse ut abundaret delictum*, Rom. cap. 5, *litteram* occidere, 2 ad Corinthios cap. 3, *legem esse peccati virtutem*, 1 ad Corinthios cap. 15, *legem propter transgressiones positam esse, esse pædagogum ad Christum*, sive duxisse ad gratiam, Epistolâ ad Galatas cap. 3, etc.

Hæc et similia effata propriam legis excellentiam nullatenùs vellicabant; lata quippe non fuerat ut se solâ hominem justitiâ exornaret, sed ut ostenderet quid esset faciendum, et homo suæ conscius infirmitatis, et intelligens se non posse propriis viribus præcepta exequi, Dei gratiam imploraret. Unde Apostolica illa dicta legem, ideò Judæis impositam ut fide et gratiâ Christi, quam prænuntiabat, delicta tollerentur, quâ legem unicè, sive solùm ut à gratiâ distinctam, præcisè respiciebant; quo sensu verum omninò est ipsam idoneam fuisse ad fovenda et multiplicanda peccata, ad perdendos potiùs quàm ad salvandos homines, etc.

Cùm autem ineunte seculo quinto relatum Judæorum errorem renovâssent Pelagiani asserendo gratiam in veteri Testamento fuisse ipsam Moysis legem, et in novo Evangelium et exemplum Christi, vir magni consilii Augustinus commemorata Apostoli oracula adversùs illos hæreticos acutè contorsit passim asserendo legem sive veterem, sive etiam novam à gratiâ sejunctam, nedùm homines justificet, quinimò reos tantùm fecisse, et facere posse, jubendo, non adjuvando, etc.

Ex illâ gratiæ vindicis doctrinâ Jansenius, ut suum de solius gratiæ efficacis in statu naturæ lapsæ existentiâ et invictissimâ virtute systema obfirmaret, ansam arripuit asserendi libro 3 de gratiâ Christi cap. 5 et 7, « gratiam sufficientem lationi legis et scopo Dei capitaliter repugnare, ipsamque hominibus sub lege viventibus ad ullum præceptum observandum non adfuisse. » Magistrum expressit auctor 101 propositionum. Sexta sic se habet: « Discrimen inter fœdus judaicum et christianum est, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, et implementum legis à peccatore, relinquendo illum in suâ impotentiâ; in isto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum suâ gratiâ perficiendo. » Idem fert septima: « Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petit à nobis? »

Contra illos sit

Conclusio. — Hebræis, vigente lege Mosaicâ, non defuit gratia sufficiens, quâ Dei mandata remotè saltem observare possent.

Probatur 1° ex Scripturâ. Rarò quidem in veteri Fœdere reperiuntur testimonia quæ præstiti Judæis interni auxilii expressam faciant mentionem, sed cùm carnali illi populo cœlestia bona sub terrenorum imagine pollicitus sit Deus, qui textus externa adjutoria Judæis data esse referunt; et interna oblata et etiam collata esse commemorare censentur. Tales, v. g., sunt hi Deuteronomii cap. 8: *Recorderis Domini Dei tui quòd ipse vires tibi præbuerit.....* Ibidem cap. 30: *Mandatum hoc supra te non est.... Despexistis omne consilium meum,* Proverbiorum cap. 1.... *Quid est quod debui facere vineæ meæ et non feci?* Isaiæ cap. 5: *Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem;* ibidem cap. 5... *Perditio tua, Israel,* Osee cap. 13, etc. Externa scilicet auxilia Judæ's nihil profuissent

si defuissent interna, quibus Deo ad pœnitentiam excitanti obtemperare possent.

Probatur 2° ex S. Augustino. Libro 3 ad Bonifacium initio capitis 4, ait : « Quis Catholicus dicat quod non dicere jactitant (Pelagiani) Spiritum S. adjutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse? « Habuerunt igitur Judæi, etsi non vi legis quâ præcisè lex erat, ut diximus, gratiam internam quâ virtutis actus elicere possent.

Alibi passim docet legem obligare sub peccato, etsi non adsit gratia proximè sufficiens ad implendum opus imperatum (talem enim gratiam quam singulis momentis habuit insons Adam, unde eam petere non tenebatur, ex S. doctore per avitum peccatum amisimus); sed simul ibidem docet eamdem legem admonere hominem ut gratiam quærat; v. g. epistolâ 145, aliàs 144, ad Anastasium. n. 3: « Lex, inquit, docendo et jubendo quod sine gratiâ impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat.... Salvatorem à quo sanata voluntas possit quod infirma non posset. »

Concinunt S. Fulgentius libro 2 de veritate Prædestin. cap. 4: « Lex, inquit, admonet ut à quo nobis datur præceptum ab ipso petamus auxilium. » Et S. Prosper, vel auctor epistolæ 1 ad Demetriadem, ubi ait: « Nec ob aliud unquàm datur præceptum nisi ut quæratur præcipientis auxilium; » lex ergo Judæos admonebat ut gratiam implorarent; sed, ut optimè notat Norisius Vindic. cap. 3, paragrapho 6, « ex Augustino (et catholicâ fide) homo nonnisi gratiâ moveri potest ad orandum; » ergo ex Augustino Judæi sub lege internam orationis gratiam habuerunt.

Probatur 3° ex D. Thomâ. 1-2, q. 98, a. 2 ad 4, ait: « Dicendum quòd quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandum homines, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum lege per quod salvari poterant, scilicet fides Mediatoris.... et sic Deus non deficiebat hominibus quin daret eis salutis auxilia. » Nec refragatur Norisius; agnoscit enim loco citato, « Judeos sub lege habuisse gratiam orationis. Plurimi, inquit, veteris Testamenti Patres non sub lege tantùm fuère, sed sub gratiâ adjuvante, quia propriæ infirmitatis conscii ad sectanda virtutum opera divini auxilii opem implorârunt. »

Probatur 4° rationibus theologicis. Prima. Veteris Testamenti codices affluunt exhortationibus, blanditiis, minis, etc., excitantibus ad legem implendam: sed hæc nonnisi irrisoriè proposuisset Deus, si Judæos reliquisset in omnimodâ impotentiâ; excitâsset enim ad pœnitentiam quos in absolutâ pœnitendi impossibilitate per cujuscumque gratiæ denegationem veluti constituisset. Secunda. Yprensi dicente libro 3 de Gratiâ Christi cap. 6: « Vetus Testamentum nihil aliud fuit nisi magna quædam quasi comœdia, » quia gens Judaica æternæ salutis incapax alienam tantùm, Christianorum nempe, præfigurabat; quid si hæc audisset Augustinus? Nonne Yprensem Manichæorum gregi aggregâsset? Tertia. Christus *est agnus occisus ab origine mundi*, Apocalypsis cap. 13; ergo Christi gratia in aliquos saltem homines ante legem et sub lege scaturivit.

Objicit 1° Jansenius libro 3 de Gratiâ Christi, cap. 5, ex Augustino: Deus legem dedit ut Judæos ad gratiam implorandam compelleret; sed hic finis exigebat ut eos omni gratiâ nudatos viribus propriæ voluntatis relinqueret; qui enim gratiam habet gratiam petere non tenetur; ergo. — Resp.: Concedo majorem, nego minorem. Hic finis exigebat duntaxat ut Judæi gratiam non haberent quâ proximè legem implere possent, secùs gratiam quâ remotè eam per orationem exequi valerent; *sine gratiâ* enim, inquit S. Prosper, *nemo currit ad gratiam*. Porrò Augustinus locis citatis, et ex eo Norisius, hanc in eis gratiam admisit.

Instabis cum eo: Augustinus passim clamat Judæos *omni gratiâ adjuvante* caruisse; ergo.— Resp.: Augustinum per *adjuvantem gratiam* non præveniens et debile ad orationem excitans, sed adjuvans et robustum proximam legis præcepta implendi potestatem conferens adjutorium intellexisse; id enim in locis ab ipso Jansenio objectis et in iis quos laudavimus evidenter docet.

Objicit 2° celebrem hominum *sub lege et sub gratiâ* partitionem ab Augustino passim usurpatam; sed per homines *sub lege* homines intelligit *omni gratiâ nudatos*; ergo.— Resp. Nego minorem. Designat homines adjuvante gratiâ modo descriptâ destitutos, non præveniente et debili quâ ad adjuvantem confugere possint. Scilicet S. doctor arguit ex hoc Apostoli epistolâ ad Romanos cap. 6, *peccatum vobis non dominabitur; non enim estis sub lege, sed sub gratiâ* (ut patet ex libro de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 12, n. 24). Unde per eos qui sub lege sunt eos intelligit quibus lex dominatur, sive, ut ibidem loquitur, *quos reos facit lex*, non *implentes legem;* per illos verò qui sunt *sub*

gratiâ illos quibus gratia dominatur, sive qui per gratiam legem implent. Porrò qui legem non implet necessariè quidem efficaci gratiâ caret, sed non præveniente et sufficiente.

Objicit 3° : In nostrâ sententiâ nullum occurreret discrimen inter legem Mosaicam et legem Evangelicam; falsum ex Augustino consequens; ergo. — Nego majorem. Magnum illud discrimen ex Apostolo passim refert D. Augustinus 1°, quòd lex antiqua per se et ratione suî nihil ad perfectum adduxerit; lex è converso nova per se gratiam conferat;..... 2° quòd uberior sit et potentior gratia in novâ quàm in veteri lege; 3° quòd licet in utrâque lege sit *timor et amor,* tamen in veteri prævaluerit timor, in novâ prævaleat amor; at hæc discrimina cum nostrâ sententiâ stare patet; ergo.

Objicit tandem timorem non amorem viguisse in antiquâ lege; sed timor pœnæ ex Augustino malus est cùm peccandi affectum semper includat; ergo. — Resp. ipsum Augustinum hanc objectionem diluisse; ait enim libro de moribus Ecclesiæ cap. 28, n. 56 : *In his duobus* (timore et amore) *Deus.... veteri et novo Testamentis disciplinæ regulam dedit; quanquam enim utrumque in utroque sit, prævalet tamen in vetere timor, amor in novo......* Neque repugnat Norisius; loco quippe laudato in fine paragraphi sexti improbat tantùm metum *purè,* id est, *serviliter servilem.*

Principia solutionum. — Primum. Certum est non Mosaicam tantùm, sed et Evangelicam legem, si præcisè spectetur quà lex est, non sufficere ad benè agendum. Certum insuper legem veterem ex se, et sine fide in Messiam, quem præfigurabat, non potuisse gratiam dare. Non mirum ergo si Apostolus et Augustinus tam sæpè insurrexerint in legem, quam Judæi et Pelagiani justificare obganniebant, et dixerint legem *reos fecisse* non *ex se* (erat enim *sancta,* inquit Apostolus), sed ex vitio Judæorum qui ad Christum omnis gratiæ fontem recurrere nolebant.

Secundum. Licet gratia à lege distincta sit, unà tamen cum lege tum Judæis cùm Christianis semper data fuit aut oblata; unde istud Psalmistæ : *Benedictionem dabit Legislator,* ut notat Augustinus libro de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 18.

Tertium. Gratia Judæis vulgò saltem impensa ad implenda mandata fuit gratia præveniens tantùm et simpliciter necessaria ad *fortem et adjuvantem* obtinendam, quà præcepta proximè implere possent. Unde istam solam à lege veteri excludi voluit Augustinus.

Quartum. Jansenius libro 3 de Gratia Christi, cap. 5, definit esse *sub lege* idem esse ac *omni gratiâ nudari;* et tamen libro 2 de Gratiâ Christi, cap. 27, dicit, « plurimos qui necdùm ab immunditiis carnis se continere possunt, vehementer tamen optare continentiam, cujusmodi vota sunt gratiæ munera, et majoris gratiæ provocativa; » quomodò ista cohærent, cùm illi homines utpote legem non implentes sub lege sint ?

Quintum. Jansenius dùm contendit Augustinum constanter docuisse *Judæos non habuisse gratiam ad ullum præceptum observandum,* videtur dexteram porrexisse Juliano S. doctorem sic increpanti libro 3 Operis imperfecti cap. 115 : « Taceo quâ rabie in totam legem fremas, quam credis ea imperâsse mortalibus, quorum apud eos nullam facultatem videret. » Non minùs S. doctori injurii sunt qui ipsum de veteri lege duriùs locutum esse pronuntiant; de illâ enim ut Apostolus locutus est.

ARTICULUS V.

An infidelibus dentur gratiæ sufficientes ut fidei lumine collustrari possint ?

Inter infideles alii *negativi,* qui de Christo nihil unquàm audierunt, alii *positivi,* qui oblato vel audito Evangelio sese immorigeros exhibuerunt. De istis potissimùm res est, et quæritur an pro loco et tempore, præter externa gratiæ adjumenta ipsis dentur quædam internæ gratiæ sufficientes quibus mediatè saltem ad finem pervenire possint, sicque gradatim æternam consequi salutem.

Jansenius, libro 3 de Gratiâ Christi, cap. 11, hæc in titulo intonat : « Infideles carent gratiâ sufficienti ad salutem tam proximâ quàm remotâ, et omnibus principiis ejus. » Norisius Vindiciarum cap. 3, paragrapho 6, et Janseniani erroris calumniæ sublatæ capite 1, suam super hoc sententiam his aperit verbis : « Quamvis infideles careant auxilio sufficienti, habent tamen auxilia quædam remota; unde non patiuntur antecedentem necessitatem peccandi, quam licet humanum genus ex peccato primi parentis incurrit, Christi tamen Redemptoris beneficio sublata est. »

Vasquez, Suarez, imò et Stephanus Dechamps de hæresi Jansenianâ libro 3, disputatione 8, cap. 11, n. 2, admittunt etiam in iis infidelibus auxilia saltem remota.

Verùm multùm laborant in assignandâ ge-

nuinâ illorum auxiliorum notione. Ex dictis scilicet gratia sufficiens *mediata* tantùm et *remota* baptizatis non obduratis et induratis, quin et ipsis justis urgente præcepto aliquando impertita, est gratia *proximè* sufficiens orationis, quâ possunt obtinere auxilium uberius ad implendum præceptum proximè sufficiens; at ejusmodi auxilium infidelibus competere nequit, siquidem sunt infideles, et *nemo potest Deum in quem non credit invocare*, epistolâ ad Romanos cap. 18. Hinc Vasquez auxilia illa remota constituit in gratiâ naturalis ordinis, quâ si benè utantur infideles observando legem naturalem, Deus postea ipsis confert gratiam proximè sufficientem supernaturalis ordinis, quâ proximè possint ad fidem converti; sed Suarez hanc sententiam Semipelagianismi insimulat, quia initium fidei ex merito naturali scaturire facit. Hâc ex causâ iste theologus docet conditionem sub quâ Deus « promisit infidelibus proximum auxilium sufficiens ad fidem esse negativè intelligendam, » id est, « si homo ex parte suâ impedimentum divinæ vocationi non posuerit; » sed Vasquez vice suâ huic opinioni Semipelagianismi notam inserit, quia illa conditio connotat impedimentorum remotionem per vires naturæ quæ esset dispositio, licet remota, ad fidem.

Norisius loco indicato remota illa auxilia collocavit « in quibusdam bonis cogitationibus, sed adeò debilibus ut voluntatem ad virtutem non attrahant, cùm longo scelerum usu obcæcata indurescat. »

Hæc profectò quæstionem obscuram et explicatu difficillimam nullatenùs solvunt et elucidant; quinimò novis ambagibus et difficultatibus implicant et involvunt. Stephanus Dechamps loco citato cap. 12, « gloriatur se accuratè esse explicaturum cujusmodi sit gratia infidelibus concessa. » Dicit n. 1, eam consistere « non solùm in cognitione cœlitùs infusâ, sed etiam in pio motu voluntati à Deo impresso.... » n. 2: « Gratiam illam interiorem infidelium sæpiùs uniri cum exteriori aliquâ; quemadmodùm gratia interior, quâ quis in Christum credit, cum externâ prædicatione conjungitur.... » n. 3 et 4: « Gratiam illam infidelium non esse propriè Christi gratiam (talis quippe gratia Christi cognitionem ac fidem involvit) licet Christi meritis comparata sit (quo sensu dici potest gratia Christi vel gratia per Christum) sed gratia Dei quia imperfectam saltem Dei cognitionem inducit.... » n. 5: Generalem istam gratiam infidelibus sufficere ut constet inexcusabiles esse reprobos et suâ culpâ perire, secùs ut explicetur cur hi potiùs quàm illi ad fidem perveniant. Inter eos scilicet qui illam rejiciunt, alii per misericordiam Dei fidei luce illustrantur, quâ alii per ejus justitiam privantur, et licet omnes qui primâ illâ gratiâ generali benè utuntur ampliorem accipiant, eamque sufficientem, omnes tamen efficacem, quam Deus nemini debet, non recipiunt. » Ex his autem concludit, « gratiam infidelibus concessam verè esse supernaturalem, cùm sit cogitatio cœlitus immissa, et pia voluntatis motio à Deo facta, quæ remotam salutis consequendæ potestatem tribuit, quatenùs nempe illâ gratiâ excitantur et adjuvantur ad servandam legem naturalem, cui si consentirent infideles legem naturalem pro viribus implendo, nec graviter peccando, certissimè pro loco et tempore per Christi merita ipsis impertiretur gratia proximè sufficiens ad fidem, id est, fidei doctrinam (vel per hominum Angelorumve ministerium, vel per revelationem internam) et gratia interna, quâ ad huic doctrinæ credendum excitarentur. »

Alii è converso negant auxilium illud infidelibus concessum esse supernaturale; alii mediam ineunt viam, et dicunt illud esse supernaturale *quoad modum et ratione principii*, cùm sit indebitum, ex inspiratione Spiritûs sancti, et ex Christi meritis; esse verò naturale *ratione objecti*, cùm moveatur versùs objectum naturale, id est, legem naturalem; quod ultimum explodere conantur primæ opinionis defensores dicendo illud auxilium dirigi à Spiritu sancto ad fidem, ad quam nihil ordinis naturalis remotè etiam disponere potest.

His expositis sit

Conclusio. — Gratiæ sufficientes ipsis infidelibus pro loco et tempore infunduntur, quibus peccata vitare possunt, sicque remotè saltem et mediatè sibi ad fidem et æternam salutem viam aperire, cujuscumque naturæ sint illa auxilia, quod certò definiri non potest.

Jansenius loco citato agnoscit ita sentire theologos. « Admittunt, inquit: (scholastici) auxilium sufficiens esse in infidelium remotâ vel proximâ potestate, nempe quia possunt saltem non ponere impedimentum divinæ vocationi, quod si facerent non peccando, sine dubio vocarentur ulteriùs, peccando autem reddunt se incapaces gratiæ sublimioris; tale auxilium ad non peccandum ferè omnes unanimiter adesse infidelibus volunt, utpote sine quo peccatum eis non posset ad culpam imputari. »

Probatur 1°. Rom. cap. 1, v. 20, dicitur, gentiles qui ex Dei per res creatas cognitione ipsum *sicut Deum non glorificaverunt esse inexcusabiles* ; ex quibus sic arguimus : Hoc testimonium tum ex se tum ex interpretatione Patrum Augustinianæ doctrinæ peritorum et tenacium, intelligendum est non solùm de gratiâ externâ cognitionis Dei per creaturas (quam admittebant Pelagiani) sed etiam de aliquâ gratiâ internâ gratiæ illius externæ sociâ quâ gentiles potuerunt glorificare sive amare et colere Deum ; ergo.....Probatur ant. per partes. 1° *Ex se* sic intelligendum est. Apostolus enim hîc gentiles inexcusabiles pronuntiat, quia ex Dei per creaturas notitiâ potuerant Deum colere potentiâ si voluissent ad actum reducendâ, sicuti Tyrii et Sidonii, de quibus Matthæi cap. 11, ex Christi miraculis potuissent pœnitentiam agere potentiâ si voluissent ad actum reducendâ ; ait enim, quia *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt;* sicut Mathæi cap. 11, dicitur : *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent* ubi verba, *glorificaverunt*, et *pœnitentiam egissent*,evidenter denotant potentiam non ab actu sejunctam, sed cum actu conjunctam accedente voluntatis consensu ; sed nemo nisi Pelagianus dixerit potuisse gentiles ex solâ Dei per creaturas notitiâ sine ullâ prorsùs gratiâ internâ colere Deum *potentiâ,* ad actum dependenter à voluntate reducendâ. Idem dicendum de Tyriis et Sidoniis ; ergo.

2° Ex Patribus Augustino addictis sic est exponendum. Etenim Augustinus libro 10 Confessionum cap. 6, n. 8, ait : *Cœlum et terra undique mihi dicunt ut te amem, nec cessant dicere omnibus ut sint inexcusabiles.* Notitia igitur Dei per cœlum et terram gentiles Deum non amantes *inexcusabiles* reddebat. Cur, nisi quia cum illâ notitiâ aderat gratia interior, quâ si voluissent gratiam uberiorem obtinendo Deum *de facto* amavissent? Etverò Augustinus hîc indubiè supponit sibi adfuisse illam gratiam ; ergo et aliis omnibus.

Concinunt D. Anselmus, et Hugo à S. Victore (quos Jansenius ut præstantes Augustini discipulos impensè celebrat). Ille in caput 1 ad Romanos : *Deus manifestavit illis*, ait : « Id est non solùm naturalis ratio profuit, sed Deus quotidiè adjuvit, ne sola natura sufficere videretur... » Iste tractatu 1 Summæ Sent. cap. 3, eadem verba sic exponit : « Cùm subjungit : *Deus illis revelavit*, ostendit quòd ratio humana per se insufficiens esset, nisi revelatio divina illi in adjutorium adesset. » Ubi verba *adjuvit*, et *adjutorium*, connotant gratiam etiam internam infidelibus præter rationem adfuisse. Externa quippe revelatio sine interno adjutorio gentiles ad amandum Deum non magis adjuvisset quàm ratio.

Concinit D. Thomas qui, ut in præcedenti libro diximus, docet vel supponit quæstione 14 de Veritate art. 11, ad 1, et alibi, Deum internam etiam gratiam ex bonitate infidelibus dare, et *ipsorum corda movere* ut loquitur lectione 3 in caput 1 Epistolæ ad Romanos.

Probatur 2° ex D. Augustino. Libro de Naturâ et Gratiâ, cap. 67, n. 81, eos qui Adæ peccato peccata sua imputabant his reprimit verbis et erigit : « Cùm Deus ubique præsens... aversum vocet... conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras » (hæc adversùs Manichæos libro 3 de libero Arbitrio cap. 19 dicta hîc adversùs ipsos Pelagianos confirmat), « neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis. » Ex hoc testimonio meritò infert Norisius citato loco ipsis infidelibus illucere internum Dei auxilium saltem remotum ; disserit enim Augustinus de omnibus et singulis hominibus, et de adjutorio inexcusabilem reddente, adjuvante, et voluntatis infirmitatem sanante, qualis est non externa tantùm, sed et interna gratia.

Idem S. doctor asserit, *nullum mortalium excusare se posse de umbrâ mortis, quia et ipsam penetravit Verbi calor*, in Psalmum 18 n. 7.... *judicandos esse in pœnam qui salvari noluerunt*, tractatu 36 in Joannem n. 4.... *Homines posse si velint mandata servare quia lumen* (Dei gratia) *corda pascens omnem hominem illuminat*, libro 1 de Genesi ad litteram cap. 3, et libro 1 Retractationum cap. 10.

Hinc eruditus Bossuetius justificationis paginâ 70, paragrapho 17, de infidelibus negativis dixit : « Dieu met dans leurs cœurs des préparations plus éloignées (que la grâce immédiatement nécessaire à croire) dont, s'ils usaient comme ils doivent, Dieu leur trouverait dans les trésors de la science et de sa bonté des moyens capables de les amener de proche en proche à la connaissance de la vérité.... *L'auteur du livre de la vocation des gentils a bien expliqué.... non seulement cette bonté générale de Dieu, mais encore.... la secrète dispensation de sa grâce, les occultes et particulières insinua-*

tions de la vérité, que Dieu répand dans toutes les nations, par les moyens dont il s'est réservé la connaissance.

Hinc meritò Alexander VIII 7 decembris anni 1690 inter 31 Jansenianorum propositiones hanc numero quintam proscripsit: « Pagani, Judæi, hæretici, etc., nullum omninò accipiunt à J. C. influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratiâ sufficiente, » et Clemens XI relatas inter 101, 26, 27 et 29 assertiones quæ ferunt fidem esse « primam gratiam, et extra Ecclesiam nullam concedi gratiam. »

Objiciunt 1°: Actuum cap. 14 dicitur *Deus in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas*; et cap. 16, Paulus et Timotheus *vetantur à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asiâ*; ergo illi populi omni gratiâ sufficiente caruerunt. — Resp.: Nego conseq. Deus equidem mirabilis est et terribilis in consiliis suis super filios hominum; sed nihilominùs misericordiâ Domini plena est terra; permisit itaque, ut dicitur cap. 14, gentes errorum suorum *vias ingredi*, sive *omnia sub peccato concludi*, ut gratiæ suæ necessitas et virtus splendidiùs eluceret; sed ita non permisit ut ipsis nulla externa et etiam interna beneficia impenderit; ibidem enim v. 16, beneficia externa numerantur, et Rom. cap. 1, dicit Apostolus gentes illas potuisse *glorificare Deum* ex auxilio indubiè non externo tantùm sed et interno. Quod attinet ad caput 16, auctor librorum vocationis gentium, quem modò impensè laudabat Bossuetius, libro 2, cap. 1, dicit illis populis *tunc negatam non fuisse gratiam, sed retardatam*, cùm, Hieronymo dicente, Joannes postea *totas Asiæ fundaverit et rexerit Ecclesias*. Id etiam fortè contigit quia, eodem referente Hieronymo, tunc fames facta fuit sub Claudio, et Asiani, utpote adhuc *canes*, Apostolos fame devorari permisissent.

Objiciunt 2°: Divus Augustinus 1° docet *fidem esse omnium gratiarum primam*, et ideò ante fidem et sine fide nullas prorsùs gratias impertiri. Ex mille textibus unus alterve sufficiat. Libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 7, n. 12, ait: « Fides.... ipsa prima datur, ex quâ impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus justè vivitur. » Ibidem cap. 9, n. 16, dicit, fidem inchoatam et perfectam donum Dei esse, et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari; » sed infideles fide carent; ergo. — Resp. Augustinum rarò, et nonnisi urgente necessitate de gratiâ fidem in Christum præcedente, sæpiùs verò de gratiâ eamdem fidem inspirante, comitante et sequente verba fecisse. Scilicet cùm natura auxiliorum infidelibus cœlitùs concessorum prorsùs esset recondita, vir ingenio et prudentiâ acutissimus prævidebat gratiæ Christi hostes illa auxilia, si prædicarentur, esse subsannaturos, aut exinde esse ansam arrepturos prætendendi bona infidelium, sive naturæ opera positivè præparare ad gratiam et vitam æternam. Etverò, si Vasquez et Suarez cùm illa adjutoria scrutari aggressi sunt, sese invicem Semipelagianismi accusaverunt, quantò proterviùs sagaces et feroces Pelagiani Augustino de illis disserenti insultâssent? Hinc S. doctor in suis adversùs eos operibus gratiam Christianorum propriam, et ad opera salutis æternæ meritoria proximè sufficientem (quod disputationis cum illis erat velut caput et summa) stabilire fuit quasi perpetuò sollicitus. Hàc ex causâ frequenter dixit, *fidem in Christum* (perfectam nimirùm et explicitam) *esse primam gratiam* (non qualemcumque, sed ad justificationem proximè disponentem, cùm *impossibile sit sine fide placere Deo*, Hebræorum cap. 11, et post Augustinum dicat concilium Tridentinum sess. 6, cap. 8, *fidem* esse omnis justificationis radicem).... *fidem inchoatam, et perfectam esse donum Dei* (cùm ejus initium non minùs quàm ejus consummatio sit ex gratiâ)... *fidem illam quibusdam dari, quibusdam non dari* (non *quoad potestatem saltem remotam*, cùm omnes suo modo influxum ut ad fidem perveniant à Deo accipiant); sed *quoad actum* (cùm omnes Deo vocanti sese morigeros non præstent).

Hæc duntaxat intendisse D. Augustinum elucet 1° ex ipsis testimoniis objectis in quibus declarat se loqui de fide ex quâ prodeunt *opera quibus justè vivitur...* 2° Ex citato capite 67 libri de Naturâ et Gratiâ in quo, ipso Norisio teste, agnoscit omnibus hominibus, et ideò infidelibus dari auxilium internum saltem remotum, etc.

Igitur si fides sumatur pro fide inchoatâ et imperfectâ, id est, pro quâlibet Dei notitiâ cœlitùs inspiratâ, *fides erit prima gratia simpliciter et absolutè* (cùm nulla prorsùs cujuslibet generis sit ante eam excogitari possit). Sed si sumatur (ut eam ferè semper accipit Augustinus) pro fide in Christum perfectâ et explicitâ, sine quâ impossibile est placere Deo, erit quidem *prima gratia* proximè disponens ad gra

tiam justificantem, sed non prima simpliciter et absolutè, cùm ante illam alia existat quæ *remotè* ad fidem disponit.

2° Augustinus libro de Correptione et Gratiâ cap. 6, n. 9, infideles, quorum in auribus non percrebuit evangelica tuba, conquerentes se injustè corripi et damnari, hâc unicâ ratione revincit quòd in Adamo peccaverint; quod evincit ipsum existimâsse in eos non stillâsse quasdam gratias, quibus ad fidem remotè pervenire possent. Resp. Augustinum ibi hanc rationem sic referre ut aliam non excludat, imò supponat; ait enim ibidem, *prima est causa*, et iterùm : *Corripiatur origo damnabilis* (infideles rei peccati originalis), *ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur*. Quomodò talis voluntas sine gratiâ internâ in illis gentilibus oriri potuisset ?

3° Epistolâ 194, aliàs 105, ad Sixtum, cap. 6, evertit Augustinus palmarem scholasticorum rationem, « infideles necessariè esse peccaturos, et ideò excusatione dignos, si ipsis denegaretur gratia quâ possent non peccare; » ait enim n.29: « Si (in hâc hypothesi) excusatio justa esset, non inde jam gratia, sed justitia liberaret ;...» n. 22 dixerat: « Qui se excusant, dicentes se gratiam unde benè viverent non accepisse, negare non possunt se de suo malè vivere;..» et n.27, « ignorantia in eis qui intelligere noluerunt... peccatum est, in eis qui non potuerunt, pœna peccati, et ideò in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio ; » ergo.

Resp. : Nego antecedens; ibi enim Pelagianorum argumenta adversùs peccatum originale et gratiæ necessitatem et gratuitatem diluens se excusantes quòd gratiam unde benè viverent non accepissent, sicque injustè damnarentur, reprimit; quod ut præstet, ostendit gratiam non justitiæ sed misericordiæ titulo infundi ; potuisset enim Deus sine injustitiâ omnes è massâ perditionis non eripere, et aliunde ignorantia Adæ peccati et ejus posterorum pœna est; sed quid inde ? Illos nullam omninò ex Dei bonitate gratia accepisse quâ peccata cavere possent ? Minimè sanè ; hanc enim quæstionem ibi non discutit quia commemorata Pelagianorum placita ibi duntaxat refellere volebat ; quin ibi de *gratiâ dante benè vivere*, non *posse benè vivere* loqui videtur, et ideò non excludit omnem gratiam sufficientem.

Objiciunt 3° ex ratione 1°: Si ut non peccaret infidelis gratia *posse non peccare* dans esset necessaria, gratia ad peccandum requireretur, et ideò satius esset non habere gratiam quàm habere ; eâ quippe præsente peccati reus esse posset, secùs eâ absente ; absurdum consequens; ergo. — Resp.: Nego majorem ; quinimò gratia esset necessaria ad non peccandum, cui solus homo sibi sufficit. Equidem sine gratiâ non peccat, et cum gratiâ peccat homo; sicut et sine et cum libertate ; sed non ideò ipsi magis expedit non habere quàm habere gratiam, vel liberum arbitrium, quia cum gratiâ, vel libero arbitrio cœlitùs adjuto potest, si voluerit, cœlestem beatitudinem adipisci. 1° In nostrâ sententiâ infidelitas *negativa* esset peccatum imputabile, utpote voluntaria in liberâ legis naturalis violatione; absurdum consequens: ignorantia enim fidei in iis qui de Christo nihil unquàm audierunt, moraliter disculi non potuit, et ideò invincibilis est, ac proinde inculpabilis, Rom. cap. 10; ergo. — Resp.: Nego majorem; effectus enim ex liberè volito actu sequens ut voluntarius reputetur ex illo actu exoriri cognoscatur vel cognosci possit oportet ; sed infideles negativi gratiâ licet ad remotè credendum excitati hanc notitiam nec habuerunt, nec habere potuerunt; ergo.

3° Cur Ecclesia orat ut infidelibus fidei gratiam inspiret Deus, si ad eam ex præsentibus auxiliis pervenire possunt? — Resp. Ut Deus eis det gratiam quâ proximè et immediatè ad fidem pervenire possint, quam ut plurimùm non habent. Præterea gratia infidelibus data vel oblata est gratuita, non debita; et ideò rogandus est Deus ut eam ipsis impertire dignetur.

4° Ex dictis explicari nequit in quo præcisè reponenda sit gratia sufficiens infidelibus instillata ; ergo. — Resp.: Nego conseq. « An enim negandum est, inquit Augustinus, quod est apertum, quia latet quod est occultum? »

Principia solutionum. — Primum. Ratio fuit cur Augustinus parcè omninò infidelium gratiam commendaret, ne videlicet Pelagianis a ma inistraret.

Secundum. « Deus, inquit Augustinus libro I ad Bonifacium cap. 19, n. 36, miris modis in hominum cordibus operatur, » quos ideò satius est humili silentio venerari, quàm curiosâ disputatione perquirere. Hinc doctissimi Norisius et Bossuetius à gratiæ infidelium naturâ scrutandâ scitè abstinuerunt. Nihilominùs, cùm nihil ordinis naturalis possit ad fidem disponere, cogitationes et motiones infidelibus negativis à Deo immissæ videntur dicendæ, *supernaturales*, utpote indebitæ et à Spiritu sancto directæ ad fidem et salutem.

Tertium. Augustini effata : *Gratia non omnibus*

datur, communis est natura, non gratia, intellige de speciali et efficaci gratiâ non solùm disponente ad fidem sed et fidem operante, non de communi et sufficiente gratiâ disponente duntaxat ad fidem, vel de gratiâ sufficiente immediatè ad credendum et operandum, non sufficiente in genere potentiæ præsertim remotæ, vel de gratiâ semipelagiano sensu, quæ nempe *omnibus æqualiter daretur*, vel impertiretur ob quemdam pium credulitatis affectum ex viribus naturæ procedentem et Deum ad gratiam dandam determinantem.

Quartum. Estius, Sylvius, etc., agnoscunt « ex Dei beneficio et gratiâ in infidelibus cogitationes et animi motiones fidem ejusque initium præcedentes, et viam quamdam ad fidem sternentes, licet, » addunt, « non sint effectus gratiæ reparantis, nimirùm secundùm se, et quamdiù sunt sine ullo justitiæ et salutis initio. » Ita Sylvius in 1-2, q. 111, a. 3.

Ultimum. Ut intelligas sensum hujus Patrum oraculi, *fides est prima gratia*, sedulò distingue cum P. Deschamps libro 3 disput. 8, cap. 12, n. 10, fidem *inchoatam*, vel *perfectam*, ab inspiratione fidei inchoatæ, vel perfectæ, et explicitæ, sive vocatione interiori; hæc enim credendi potestatem, illa verò credendi actum involvit. Inspiratio fidei cunctis infidelibus datur, non fides; unde inspiratio fidei est absolutè prima gratia, non fides ipsa, nisi relativè ad opera justificationem proximè præcedentia. Tandem fides habitualis inter virtutes christianas dignitate prima est, quo etiam sensu potest dici *prima gratia*.

ARTICULUS VI.

An in omnes parvulos è cœlo stillent aliqua adjutoria ad salutem sufficientia?

Quæstio ista infantes non tangit, qui vel post baptismum è vitâ exeunt, vel propter Christum trucidati ipsum non loquendo sed moriendo confitentur; talium enim saluti Deum non sufficienter tantùm, sed et efficaciter providisse manifestum est.

Quæstio pariter non spectat infantes qui ex parentum aut aliorum negligentiâ, vel malitiâ sine baptismo vitam finiunt; dici enim posset Deum eorum felicitati sufficienter consuluisse illis baptismum impertiendi munus aliis committendo.

Quæstio igitur præcisè respicit parvulos, quibus sive in utero sive extra uterum ex nativâ duntaxat constitutione morientibus nullo prorsùs modo conferri potest baptismus; quæritur an de hoc remedio ipsis applicando sufficienter curaverit Deus.

Negant Gregorius Ariminensis, Gabriel, Richardus, etc.; negant vulgò Augustiniani; negat Vasquez; negant Belgici utplurimùm theologi, etc. Affirmant è converso plures, in primis recentiores, qui tortuosis argumentationibus efficere conantur veram et solam causam cur illis parvulis non conferatur baptismus esse ordinem causarum secundarum quem Deus ut provisor generalis invertere non tenetur, quinimò servare debet.

Quid super salebrosâ istâ controversiâ opinemur ex sequentibus intelliges. Certum est (ipso Augustino judice) Christum pro commemoratis etiam parvulis mortuum esse, et ideò Deum eorum salutem sincerè voluisse. Enimverò id passim asserit S. doctor libro 6 contra Julianum cap. 4, n. 8, libro 2 Operis imperfecti cap 175, idque ex hoc Apostoli oraculo epistolâ 2 ad Corinthios cap. 5: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et Christus pro omnibus mortuus est;* « quidquid, inquit ultimo loco Julianum alloquens, argumenteris, quidquid tergiverseris, quidquid apostolicorum verborum coneris evertere sive pervertere, à morte, quæ in peccato est, parvulos non ostendis immunes, quia et pro eis Christum mortuum esse negare non audes. »

Cum igitur ipsi parvuli, quibus ante mortem nullo modo conferri potuit baptismus, peccato originali coinquinentur, pro illis sanguinem fudit Christus, quia omnes mortui sunt pro quibus mortuus est Christus, et Christus mortuus est pro omnibus qui mortui sunt. Quomodò autem de illorum parvulorum salute curaverit Deus sacri codices non patefaciunt; sic enim sinceram Dei eos salvandi voluntatem commendant, ut cœlestis hujus providentiæ media non assignaverint.

Traditio etiam non retegit; inter Patres enim, si Augustinum et ejus discipulos excipias, nullus aut saltem ferè nullus de hoc disseruit. Ecclesia quoque non expandit quæ nihil unquàm super hoc pronuntiavit. Ratio demùm non recludit quæ si causas physicas sæpissimè non detegit, quomodò cœlestes detegeret? Hinc vir theologus D. Augustini hâc de re sententiam exosculari debet, aut saltem nihil ipsi adversum sancire; hanc enim quæstionem ex professo adversùs Pelagianos tractavit, et aliunde illius contra istos hæreticos elucubrationes præ cæteris approbavit Ecclesia, ex quibus insuper nihil unquàm retractâsse videtur. Tandem, si

Ecclesia istam quæstionem definiret, Augustini verba, ut toties fecit, indubiè exscriberet. Ut autem illam sententiam intelligas, observa ex constanti adversùs Pelagianos Augustini doctrinâ pari et eâdem ex causâ homines avitâ maculâ infectos Deum ab æterno salvare et reprobare decrevisse. Alios scilicet salvandi sola ipsi ratio est sua misericors voluntas à corruptâ massâ quos vult segregans; alios verò reprobandi sola ratio eadem sua voluntas, sed justa et severa eos in massâ deserens. Terribilem hanc discretionem et electionem passim probat S. doctor sacrorum codicum auctoritate, inprimis Epistolis D. Pauli, naturâ mediorum statûs naturæ lapsæ, et variis exemplis, humanitatis Christi ex nullis meritis ad unionem hypostaticam evectæ (qui quidem Christus viva est imago prædestinationis nostræ); populi Judaici nullis meritis præ cunctis aliis electi; parvulorum quorum alios rapit Deus post baptismum eamdem gratiam aliis non impertiens, etc. Eadem quippe causa est prædestinationis ac reprobationis adultorum quæ parvulorum, Dei scilicet, ut dictum est, voluntas alios ex massâ educens, alios non educens. Legi poterit Petavius dogmatum libro 9 de Prædestinatione cap. 10, ubi n. 4, ait : « Grandiorum prædestinationem ad salutem ac reprobationem sine ullo respectu ad privata merita fieri (etiam ex gratiâ) parvulorum exemplo sic probat (Augustinus), ut ne mutire quidem contra tam evidentem auctoritatem liceat. » Parvulorum prædestinationem et reprobationem Juliano breviter suasit S. doctor libro 3 Operis imperfecti cap. 2, his verbis : « Agnosce parvulos in honorem per gratiam, qui assumuntur in Dei regnum, et alios parvulos, qui in illum honorem non assumuntur, vasa in contumeliam per judicium, et tandem aliquando, ne iniquum facias Deum, confitere originale peccatum. » Ex his passim concludit S. doctor præeunte Apostolo Rom. cap. 9 et 11, causam prædestinationis et reprobationis adultorum et parvulorum *profundum esse inscrutabile*, et ideò causam Dei voluntatis unum ex corruptâ massâ educentis, alium non educentis, assignari non posse, libro de Dono perseverantiæ, cap. 9, et Epistolâ 194, aliàs 105, cap. 7, n. 31, ubi ait : « Quam, quæso, allaturi sunt causam, quo alius sic gubernatur, ut baptizatus exeat, hinc alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquàm ab eis baptiz ndus offeratur, expirat? » Item sermone 26 de verbis Psalmi 94 et Apostoli, aliàs 11, de verbis Apostoli cap. 12, n. 13 : « Sed dicis, inquit, me quare fecit in honorem, et alium in contumeliam? Quid responsurus sum? Auditurus es Augustinum, qui non audisti Apostolum (Rom. 9)? Duo parvuli nati sunt. Si debitum quæras, ambo tenent massam perditionis; sed cur mater alium portat ad gratiam, alium dormiens suffocat... habet figulus luti, etc. Rom. 9, v. 21, *ô altitudo!* etc. Rom. 11, v. 33. »

Ex his collige Augustinum non existimâsse baptismum interdùm non applicari parvulis propter culpam parentum, aut seriem causarum secundarum quam Deus ut provisor generalis immutare non tenetur; quin S. doctor has causas explodit citatâ epistolâ 194, aliàs 105, n. 32, et libro de Dono perseverantiæ, cap. 12, n. 31, ubi ait : « Plerumque festinantibus parentibus, et paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente » (non positivè, sed negativè parvulum è massâ non educendo, et ideò media efficacia non ministrando) « non datur. » Item libro de Naturâ et Gratiâ cap. 8, n. 9, ad causas secundas non recurrit ut explicet cur infantes sine baptismo decedentes christiani esse non potuerunt, sed « ad massam perditionis. Ego (inquit) dico parvulum in eo loco natum ubi ei non potuit per baptismum subveniri morte præventum idcircò talem fuisse, id est sine lavacro regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit... rectè ergo ex damnatione, quæ per universam massam currit non admittitur in regno cœlorum, quamvis Christianus non fuerit, sed nec esse potuerit. » Easdem causas excludit D. Prosper Augustini doctrinæ tenacissimus, carmine de Ingratis, cap. 31, ubi derelictionis in morte causam refundit in solum peccatum originale. Quapropter, si auctor librorum de vocatione gentium libro 2, cap. 23, electionem parvulorum pendere fecit ex meritis parentum (quod negat P. Quenellius in eruditâ dissertatione 2 de auctore librorum illorum), S. Prosper eos libros non conscripsit. Aliunde, inquit P. Alexander in historiâ 5 seculi, *quamvis illi libri* (exquisitâ licet doctrinâ in multis præcellentes) *in plerisque codicibus manuscriptis S. Prospero tribuantur, ejus tamen eos non esse tota jam* (post eximias Vossii et Norisii dissertationes) *eruditorum hominum natio consentit.*

Sed, inquies, si res ita se habet, Deus illorum parvulorum, peccato originali supposito, salutem sincerè non voluit, siquidem nullum prorsùs medium quo illam assequi possent illis contulit. Reponerent theologi, quos laudavimus,

ubi de voluntate Dei omnes homines salvandi disseruimus, sequi duntaxat Deum supposito peccato originali noluisse *voluntate absolutâ et consequente* illorum infantium salutem, non voluntate *antecedente*, quia ad voluntatem *antecedentem* pertinet solùm institutio et præparatio mediorum, ad voluntatem verò consequentem spectat illorum applicatio; Deus autem baptismum instituit pro illis infantibus ut et pro aliis. Verùm D. Augustinus cœlesti et sublimi Apostoli doctrinâ imbutus, ad hanc responsionem non confugit. Sensit scilicet, ut probavimus, Deum illorum parvulorum salutem verè voluisse, et Christum pro eâ ipsis impertiendâ reverà mortuum esse, et ideò de iis salvandis sufficienter curavisse; at quodnam sit illud sufficiens remedium, arcanum esse ad altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei referendum, in alterâ tamen vitâ cognoscendum. « Tunc, inquit, Enchiridion cap. 95, n. 24 (in cœlo), non latebit quod nunc latet, cùm de duobus parvulis unus esset assumendus per misericordiam, alius per judicium relinquendus... cur ille potiùs quàm iste fuerit assumptus, cùm causa una esset ambobus. » Hinc illustrissimus Bossuetius antea dicebat : « Dieu s'est réservé la connaissance de ces moyens; » et Nicolius in Symbolo : « Saint Augustin croit que Dieu a eu quelque raison secrète dans le choix qu'il a fait des uns plutôt que des autres; mais cette raison ne consiste point dans le mérite des élus au-dessus des réprouvés, puisque ces mérites sont l'effet de leur élection, et non pas le fondement. Dieu ne voit dans les hommes, avant qu'il les choisisse, que de l'indignité; et s'il les rend ensuite dignes de la gloire éternelle, c'est par une grâce qu'ils n'ont en aucune sorte mérité. »

Isti autem theologi audiendos non esse conclamant qui obtendunt hanc doctrinam in desperationem præcipitare, et incredulis ansam subministrare insultandi Deo; est enim, inquiunt, Augustino judice, ipsissima D. Pauli doctrina Rom. præsertim cap. 9 et 11. Hæc aliunde et alia similia Augustino objecerunt Semipelagiani, quibus non obstantibus in suâ sententiâ constanter permansit. Quid tandem, addunt, juvant inanes incredulorum declamationes? Futuram eorum in multarum rerum physicarum causis detegendis in omnes ætates inscitiam et stupendè infructuosam industriam prænuntiaverat Spiritus sanctus Ecclesiastis cap. 3, his verbis : *Mundum tradidit disputationi* (non *inventioni* aut *comprehensioni*, inquit Jansenius in hunc locum), *ut non inveniat homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Eamdem agnoverat Calvinus, dùm divinæ Providentiæ impugnatoribus exprobravit eos *in plurimis rebus naturalibus talpis esse cæciores.* Eamdem inscientiam candidè confessus dominus Cassini insignis seculi Ludovici Magni astronomus, et regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis decus et ornamentum, dicendo : *De plerisque phenomenis naturalibus non magis judicare possumus quàm cæci de coloribus.* Denique increduli, vel si rumpantur, fateantur necesse est regum edicta justa esse posse licet eorum æquitatis ratio ipsos non rarò lateat.

Liber tertius.

DE GRATIA EFFICACI.

Gratia efficax propriè et simpliciter (ut hîc accipitur) ea est cui tanta inest virtus ut voluntati etiam reluctanti non solùm *posse bonum agere* tribuat, sed etiam illud *reipsà operari* ipsam compellat et quidem *indeclinabiliter, insuperabiliter, invictissimè,* ut loquitur D. Augustinus, id est, *certissimè* et *infallibiliter;* hæc enim verba (quibus abusus est Calvinus, et postea Jansenius) non adhibuit nisi ut *internam et occultam, mirabilem et ineffabilem* gratiæ efficacis vim et energiam expressiùs adumbraret.

Existere in præsenti statu hujusmodi gratiam, quâcumque tandem ex causâ ejus exoriatur efficacia, dogma est catholicum, quod hodiè à nemine, etiam hæretico negatur. Illud olim adversùs Pelagianos evicit D. Augustinus 1° ex Scripturis. Ezechielis cap. 36, v. 27, Lucæ cap. 23, v. 42, Actuum cap. 9, v. 6, Rom. cap. 9, v. 16, Epistolâ ad Philippenses, cap. 2: *Deus est,* inquit Apostolus, *qui operatur in vobis velle et perficere,* etc... 2° Ex supremo Dei in hominum voluntates non minùs quàm in alias res creatas dominio, quo moralium corda omnipotentissimo influxu unde vult deducit, et quò vult adducit. Qui quidem influxus in ideâ omnipotentis Dei tam evidenter includitur, ut ipsos paganos non latuerit; illum enim prædicat Homerus multis in locis, et poeta Latinus his verbis :

..... Ponuntque ferocia Pœni
Corda volente Deo.

« Etiam, inquit Augustinus libro de Correptione et Gratiâ cap. 14, n. 45, de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult, facit (Deus)...

sine dubio habens humanorum cordium quò placet inclinandorum omnipoten issimam voluntatem... Si ergo cùm voluerit reges in terrâ Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum quàm ipsi suas; quis alius facit ut salubris sit correptio, et fiat in corde correpti correctio, ut cœlesti constituatur in regno? » ....3° Ex precibus quibus Ecclesia Deum rogat ut *ad se rebelles etiam compellat vopuntates*, etc.

Exinde prodierunt eximia ista divi Augustini effata: « Internâ et occultâ, mirabili ac ineffabili potestate operatur Deus in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed bonas etiam voluntates, » libro de Gratiâ Christi cap. 24 n. 25. Subventum est...infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur.. fortissimo (Adam) dimisit facere quod vellet; infirmis servavit ut ipso donante quod bonum est vellent, et hoc deserere invictissimè nollent, » libro de Correptione et Gratiâ, cap. 12, n. 38. « Hæc gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur, » libro de Prædestinatione sanctorum cap. 8, n. 13. « Nos volumus, sed Deus in nobis operatur et velle; nos operamur, sed Deus in nobis operatur, et operari pro bonâ voluntate, » libro de Dono perseverantiæ cap. 13, n. 33. « Tantùm præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (Rom. cap. 8, n. 14, » libro de gestis Pelagii cap. 3, n. 5.

Tota ergo quæ hìc suboritur difficultas, modum tangit quo gratia voluntatis consensum exprimit. Quæ ut discutiatur, et sana refulgeat doctrina, refellemus nupera novatorum circa gratiæ efficaci naturam, et energiam, dogmata, varia subinde theologorum systemata expondituri.

CAPUT PRIMUM.

De novatorum circa gratiæ efficaciam dogmatibus.

Calvinus liberum arbitrium, id est, activam voluntatis indifferentiam, Adæ lapsu periisse, præsertim libro 2 Institutionis obtrudit. Non negat tamen cap. 2, n. 7, hominem esse liberum hoc sensu quòd *voluntate agat, non coactione*, quam ultimam vocem Jansenius citans hunc locum libro 8 de Gratiâ Christi, cap. 21, industriè omisit. Eodem libro, cap. 5, gratiæ Dei hostes reputat qui hominem lapsum liberum esse volunt. Ratonem affert cap. 3, n. 10: *Voluntatem movet*, inquit, (adjutorium *quo*, sive medicinale, de quo Augustinus libro de Correptione et Gratiâ cap. 11 et 12), « non qualiter multis seculis traditum est et creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari... tamen fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram partem inclinare (quia habebat adjutorium tantùm *sine quo non* (sed cum exemplo suo docuerit, quàm miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis et velit et possit, quid fiet nobis si ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur? » Eâdem ratione refellere nititur quartum canonem tridentinæ synodi sessione 6 sancientem hominem *gratiæ prævenienti posse dissentire si velit;* » est enim, inquit in Antidoto, inter regenerationis gratiam, quæ nunc miseriæ nostræ subvenit et primam, quæ Adæ data fuerat, discrimen. »

Igitur homo lapsus in mente Calvini liber est à *coactione*, non *necessitate*, et gratia ipsi impertita, utpote à gratiâ Adæ diversa, illum ad bonum ineluctabili necessitate rapit. Illud Calvini systema damnavit concilium Tridentinum sessione 6: « Si quis dixerit, inquit canone 4, liberum hominis arbitrium à Deo motum, et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, atque præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merèque passivè se habere, anathema sit; » et canone 5: « Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à satanâ invectum in Ecclesiam, anathema sit. » Idem tandem decernit canone 6.

Jansenius, vir acri et sagaci ingenio, præsentiens suum de gratiæ cum libero arbitrio concordiâ systema eruditis viris partium studio in transversum non actis Tridentino fulmine contritum esse visurum, quinque inter suum et relatum Calvini systema fabricavit discrimina libro 8 de Gratiâ Christi, cap. 21; quæ si attentè expenderis, arguent duntaxat discrepantiam in verbis, quibus uterque super hoc usus est, aut quemdam animi candorem in Calvino liberum arbitrium et quoad rem et quoad nomen apertè expungente, quo se tunc affici passus non est Yprensis ut indubiè se canonibus Tridentinis subtraheret. Enimverò, tradit hominem lapsum immunem quidem esse à *coactione*, id est, à violentiâ voluntatis propensioni exteriùs inflictâ, sed non à *necessitate*, hoc est

à necessariâ ad unum determinatione, et idcircò quemlibet actum in statu præsenti liberrimum esse, et consequenter meritorium vel demeritorium eo ipso quo voluntarius est, sive ex rationis advertentiâ et voluntatis inclinatione factus, verà licet necessitate elicitus. Innumera ejus super hoc testimonia proferre in promptu foret. Hæc sufficiant.

Capiti 6 libri 6 de Gratiâ Christi hunc fecit titulum : *Duplex necessitas Augustino, coactionis, et simplex seu voluntaria ; illa, non ista repugnat libertati.* Quod quidem ab isto capite ad 38, sive ultimum omni argumentorum genere probare aggreditur. Idem tentat libro 8 à capite 5 sic inscripto : *Conciliatio genuina gratiæ cum libero arbitrio secundùm Augustini mentem,* etc., ad 21, sive postremum. Ibi autem Jansenium de præsenti statu disserere clamant tum contextus cùm constans ejus doctrina quâ in insonte Adamo nec *coactionis,* nec *simplicem* sive *voluntariam admisit necessitatem.* Unde cùm ipso passim dicente, v. g., libro 7 de gratiâ Christi in fine capitis 14 *meritum et demeritum ex arbitrii libertate quàm maximè ponderetur... quandoquidem intereunte libertate prorsùs interit,* evidens est ipsum docuisse ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem à necessitate, sed sufficere libertatem à coactione, ut fert tertia inter quinque.

Istud de libertate dogma, ut diximus libro 1, cap. 1, articulo 5, passim stabilit Jansenius famoso discrimine *adjutorii sine quo non,* insonti Adæ, et adjutorii *quo* sonti Adamo impertiti, de quo D. Augustinus libro de correptione et gratiâ cap. 11 et 12, quem Augustini locum, si Dechampio fides, lib. 1 disput. 3, cap. 3, *septuagies supra centies in suo opere hunc in finem commemoravit.* At contra fastidiosam hanc repetitionem lectores suos præmunivit cùm libro de Gratiâ primi hominis in fine capitis 17 dixit, « hoc discrimen esse clavem quâ aditus in Augustini scripta aperitur, sine quâ qui ea molitur ingredi velut cæcus palpabit in meridie ; » quæ libro 2 de Gratiâ Christi, cap. 4, et alibi passim repetit. « Diverso modo, inquit, operandi adjutorium utriusque statûs, velut immobili basi, tota doctrina de gratiâ et prædestinatione nititur. » Scilicet, interprete Jansenio, gratia *sanitatis,* sive adjutorium *sine quo non,* liberam agendi perinde et non agendi facultatem relinquebat; gratia è converso medicinalis, sive adjutorium *quo* agendi necessitatem invehit. « Impossibile est, inquit libro 8 de Gratiâ Christi, in fine capitis 5, ut adjutorium quo non determinet voluntatem quia facit ut velis, et sine illo velle non possis.... facit ut necesse sit animum sequi, et secundùm illud operari quod ampliùs delectaverit. Nunc (inquit iterum libro 2 de Gratiâ Christi, cap. 21) gratia infirmam voluntatem... ad operandum rapit, tunc à forti voluntate rapiebatur, quia tunc flectebat se quoquoversùm videretur, nunc amisit istum indifferentem ad utrumlibet flexum. Quidquid ferè addit libro 8 de Gratiâ Christi cap. 4, objici potest (contra adjutorium *quo* quasi libertatis destructivum) unicâ distinctione sensûs compositi atque divisi dissipari potest ; » ad eam tamen distinctionem, ipso docente ibidem cap. 5 et sequentibus, non recurrit Augustinus, « cui ad salvandam libertatem satis est quòd voluntas absque violentiâ aut coactione in actum suum volenter influat. »

Ex his colliges Jansenii de gratiæ efficaciâ et libero arbitrio systema iis inniti fundamentis quibus Calvini de iisdem argumentis dogma, et utrumque prorsùs consonare, nisi fortè quòd Calvinus *immutabilem,* Jansenius verò mutabilem sive alternantem admiserit necessitatem.

Priusquàm illud systema refello, ipsum, prout à Jansenio adornatum est, ut magis intelligatur, describam.

Delectatio, sive suavitas, generatim considerata, Jansenii systematis basis est et fundamentum; ex eà enim prodeunt omnes boni aut mali actus.

Quid delectatio ? — Jansenio dicente lib. 4 de gratiâ Christi cap. 11 : « Delectatio est actus *vitalis voluntatis,* quo in justitiam vel mendacium (id est, bonum vel malum) tanquàm sibi convenientia et jucunda movetur (sive, quod idem est) *quo* justitiâ vel mendacio delectatur. »

Quotuplex delectatio ? — Jansenius, loco citato, delectationem partitur in *deliberatam* rationis advertentiâ et voluntatis consensu procreatam, et *indeliberatam* utrique rationis et voluntatis actui præviam. Ibidem declarat se cum Augustino de istâ, non de illâ delectatione unicè disserere. Unde indeliberatâ delectatione totum innititur Jansenii systema. « Dicimus, inquit, delectationem in Augustino celebrem esse partim primum illum et indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est, partim etiam et crebrò secundum qui desiderium indeliberatum dicitur, quibus

anima ita suaviter.... in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu libero (id est, spontaneo) consentiat ac bonum diligat tantò vehementiùs quantò fortiùs illis actibus rapitur. »

2° Jansenius, eodem libro 4, capitibus 3, 4, 5, 6, et alibi passim, delectationem distribuit in cœlestem, quæ ad bonum, et terrenam quæ ad malum allicit et rapit.

3° Eodem libro, et iisdem capitibus, distinguit delectationem cœlestem, et etiam terrenam in *victricem*, et *victam*. *Victrix* plenum et perfectum voluntatis consensum obtinet. *Victa* pleno quidem illo voluntatis consensu destituitur (unde victa est et non victrix), sed nihilominùs *deliberatum*, sive, ut dicit, liberum, *imperfectum* (id est, velleitatem, sive complacentiam, ad quam solam in conflictu illo à Deo datur) semper consequitur, et ideò omnis gratia semper operatur effectum propter quem infunditur. Ita ipsis ferè terminis libro 2 de Gratiâ Christi, cap. 27.

4° Jansenius delectationem *victricem* secernit in *victricem absolutè*, quæ *ineffabili suavitate* voluntatis consensum attrahit, et *victricem comparatè*, sive *relativè*, quæ eumdem consensum excitat, quia fortior est oppositâ delectatione, scilicet propter virium sive graduum præponderantiam. Ista, non illa (licet ab Augustino commendata libro de Gratiâ Christi, cap. 24, n. 25, etc.), Jansenio accepta est. Id enim elucet ex libro 4 de Gratiâ Christi, ubi postquàm gratiæ victricis vim et energiam extulit, initio capitis 6 declarat se loqui de delectatione victrici comparatè ad oppositam ; item ex libro 7, cap. 2, ubi ait : « Pravæ delectationis (dominantis) immunitas obtineri nequit nisi per præpollentem justitiæ delectationem. »

Quantæ necessitatis sit delectatio?—Jansenius, ut ostendimus, docuit activam voluntatis humanæ sese ad opposita flectendi potentiam primi parentis peccato amissam esse. Unde libro 7 de Gratiâ Christi, cap. 3, dicit *liberum esse id quod coacto opponitur*, et libro 8, initio capitis 19, istam scholasticorum definitionem : « Libertas consistit in potestate agendi vel non agendi positis omnibus ad agendum prærequisitis, Augustino fuisse ignotissimam, et Christi gratiæ velut capitaliter inimicam esse reprobandam. » Eadem offerunt quæ habet libro 2, cap. 3 : « Hic nutus, inquit, hic flexus (sese ad bonum aut malum determinandi in statu innocentiæ), prorsùs amissus est, » et ista cap. 12 : « Hìc (in nostro statu) vulnus ipsis volendi cardinibus inflictum est, » et libro 7, cap. 3 : « Delectatione... præsente actus volendi est in hominis potestate, absente non est, » etc. Hinc delectatio est unicum pondus, quo voluntas sive ad bonum, sive ad malum rapitur, tantæque est necessitatis, ut sine illâ voluntas *quasi torpens et mortua* nihil prorsùs boni aut mali elicere valeat, ut docet libro 4, cap. 7. Unde in fine capitis addit : « Voluntas sine delectatione velle aut moveri... nullo pacto potest, quod sanè respectu cujuslibet operationis locum habet ; unde etiam in peccatis eadem necessitas ad volendum, ac majoris delectationis ad superandam oppositam delectationem reperitur. »

Hanc delectationis necessitatem scaturire facit Jansenius libro 4, cap. 7 et 9, *non ex naturâ voluntatis, sed ex ejus pœnâ*, in quo ab Honorato Tournely et ejus redactoribus contradictionis arguitur. Etenim libro de Gratiâ primi hominis, cap. 12, reposuerat gratiam Angelorum, et insontis Adæ in delectatione, et libro 7 de Gratiâ Christi, cap. 3, tradidit *volitiones esse in nostrâ potestate per delectationem* sive *delectationem efficere voluntatem et libertatem, velle et liberè velle.* Verùm causa Ecclesiæ adversùs Jansenium præposteris illis observationibus non indiget. Etverò, cùm in Jansenii mente quælibet gratia consistat in suavitate, sive delectatione, gratia Angelorum et Adæ potuit esse delectatio; sed quæ? Sine quâ non libero arbitrio subdita, non *quâ* necessariè efficiens *velle*, id est, *liberè velle*, cùm libertas ab Adæ peccato (juxta Jansenium) in solo spontaneo consistat; quæ delectationis species non ex naturâ voluntatis præcisè, sed ex peccato effluxit.

Quomodò agit delectatio? — Modus, quo à delectatione agitur voluntas, fit per gradus, et ideò merè relativus est et quasi mechanicus; in conflictu enim delectationum cœlestis, et terrenæ, cùm hæc aut illa gradibus superior est, fortior debiliorem necessariè vincit (relativè), et ideò, si gradibus æquales sint, in suspenso remanebit voluntas, sicut in bilance majus minus pondus relativâ necessitate rapit, æqualia verò pondera in suspenso manent (utitur hoc exemplo libro 7, cap. 14). Seipsum super his tam clarè passim explicuit Jansenius, ut alius sensus nisi per summam dementiam ips affingi non posset. Libro 4, initio capitis 6, ait : « Quando cum terrenarum rerum... delectatio nibus dimicamus, nisi major fuerit delectatio (cœlestis) quàm terrena... fieri non potest quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur... ut fert clarissimus et præclarissimus Augustini locus, qui aureis meretur scribi characteribus ;

Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est. » Similia habet in fine capitis 9, et fine capitis 10, ubi dicit : « Cùm nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur. » Tandem, libro 8, cap. 2, hæc docet : « Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est victrix, quando alteram superat; quòd si contingat alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquàm volet quod volendum est. »

Ex delectationum, cœlestis et terrenæ, in sese invicem conflictu erumpit celebris distinctio potentiæ absolutæ et relativæ, in quâ velut in arce recluditur omnis Janseniani systematis armatura, cujus idcircò latibula illius systematis parens et defensores ab initio et in dies ingrediuntur, ut eorum lateribus tanquàm totidem aggeribus quoquoversùm circumsepti adversariis proterviùs insultent, eorum in quinque propositiones tela hebescere faciant, et eis propositionibus commentitiæ hæresis speciem inducant; quæ ex dictis in secundo libro de gratiâ sufficiente jam satis explorata sunt. Juvat tamen paucis aperire quid sit duplex illa potestas, et ostendere illam esse Janseniani systematis veluti propriam dotem et quasi insigne.

Quid potentia absoluta et relativa? — Duplex illa potentia illicò intelligitur per relatum libræ exemplum. Sicut enim plumbea moles, quamlibet exilis, in unâ lance reposita, ex se sive nativâ gravitate, præcisis gradibus gravitatis hîc et nunc obnitentis similis molis, potest (absolutè) oppositam lancem attollere, non potest verò (relativè (non præcisis illis viribus alterius molis, ita delectatio cœlestis aut terrena, quamlibet debilis, ex naturâ suâ, et etiam ex antecedente Dei voluntate, quæ abstrahit ab actualibus circumstantiis, non suppositâ alterâ delectatione, potest (absolutè) voluntatem inclinare, non potest verò (relativè) suppositâ prædictâ oppositâ delectatione. Hinc potentia absoluta est ea quæ inest delectationi ex ipsius naturâ, et non consideratis gradibus contra rebellantis delectationis... Relativa quæ inest delectationi etiam consideratis ex adverso dimicantis delectationis gradibus, sive viribus; ex quibus elucet potentiam absolutam ad bonum aut malum non solùm semper esse sine actu, sed etiam cum eo hic et nunc nunquàm esse posse, quia oritur ex delectatione, quæ semper hîc et nunc est debilior, aut in hâc hypothesi saltem æqualis, et ideò fortiorem vel æqualem superare nequit, sicut si sint duo pondera in librâ, potentia absoluta unius non potest cum actu conjungi... è converso potentiam relativam semper et necessariò cum actu uniri, quia in pugnâ duarum delectationum æqualium existit ad bonum et malum potentia absoluta, non relativa, et ideò potentia relativa semper supponit delectationem superiorem, quæ inferiorem necessariè domat. Ex quibus patet hominem lapsum id solùm verè posse quod facit, et idcircò in eo omnem realem potentiam semper cum actu connecti.

Quòd autem Jansenius potentiam absolutam et relativam commemorato sensu prædicaverit, tam clarum est, ut id inficiari, aut in dubium vocare summæ esset proterviæ, aut insaniæ, quod ut magis ac magis in propatulo collocetur, sint duæ sequentes propositiones.

Jansenius in voluntate gratiâ, sive delectatione parvâ præditâ admisit et admittere debuit absolutam relato sensu ad opus bonum potentiam. — Patet 1° ex variis ejus testimoniis quæ inter istud eminet, libro 8 de Gratiâ Christi, cap. 20 : « Peccandi potestas, inquit, perfectissima non solùm inest voluntati quando gratiæ delectatione caret, sed etiam quando intimâ ejus suavitate efficaciter trahitur... quemadmodùm igitur qui sub gratiâ ad opus bonum determinante operatur, simul etiam peccare potest, ita quoque è contrario qui istâ gratiâ destituitur... et peccandi tentationibus quatitur, potest benè facere. » Inest ergo voluntati potentia benè agendi sub fortiore concupiscentiâ, et malè agendi sub gratiâ victrice; sed illa non potest esse relativa, ut evincunt mox relata ejus verba libro 4, cap. 6, et 10. Item libro 8, cap. 2, et tandem libro 4, cap. 9, ubi ait : « Vigente delectatione carnali, impossibile est ut virtutis ac honestatis consideratio prævaleat. »

Patet 2° ex intimâ Jansenii systematis structurâ; in eo enim delectatio cœlestis aut terrena in sese invicem pro virium, sive graduum varietate et mensurâ agunt et reagunt ad instar, ut dictum est, duorum ponderum in utrâque libræ lance repositorum; inde enim elucescit spiritualem suavitatem ex naturâ suâ potentiam habere actum bonum producendi, non quidem relativam, sive spectatis ex adverso dimicantis fortioris delectationis viribus, sed absolutam, sive consideratâ innatâ ipsius vir-

tute, sicut pondus in librâ ex vi ingenitâ potest absolutè aliud pondus gravius attollere, non relativè. Unde, quemadmodùm duo relata pondera non ex se præcisè, sed relativè tantùm, victricia sunt aut victa, sive pro majoribus, aut minoribus virium gradibus, ita et duæ delectationes, quarum alterutra talis omninò manendo prout opposita crescit aut decrescit, vincitur aut vincit.

Jansenius equidem non raró videtur eliminare quamlibet ad agendum potentiam remotâ fortiori delectatione. Verùm, cùm ejus discipuli vel levissimum in eo, ubi inprimis de primariis ipsius systematis principiis res est, paralogismum æquo animo indubiè non ferrent, fateantur oportet eum potentiam relativam ibi unicè explodere.

Jansenius ipsi voluntati debiliori tantùm cœlesti delectatione perfusæ ademit, et suo stando systemati, adimere debuit veram ac relativam commemorato sensu ad opus bonum potentiam. — Patet 1° ex citatis Jansenii effatis, in primis libro 4, cap. 9 : « Vigente carnali delectatione impossibile est ut virtutis et honestatis consideratio prævaleat..... » Item : « Quod ampliùs nos delectat secundùm id operemur necesse est. » Quibus istud adde libro 3, cap. 15 : « Est in Augustini principiis paradoxum... quòd charitas quamvis minima sufficiat ad quamcumque tentationem superandam, vel quæcumque præcepta sine transgressione servanda. » Quis hæc auscultando, non statim intelligit minorem delectationem non dare voluntati potentiam relativam ad vincendam vigentem actualem delectationem ?

Patet 2° ex naturâ Janseniani systematis pluriès jam reseratâ. Relatam potentiam absolutam et relativam in Jansenii systemate inter alios insignes ejus sectatores candidè agnovit et exposuit ingenio et eruditione affluens dominus Arnaud in celebri dissertatione de gratiâ efficaci. Ejus testimonium eò lubentiùs adducam, quòd ad ora aliorum Jansenii defensorum obstruenda sit efficacissimum. « Si de aliquo justo, inquit parte 2, articulo 4, cui gratia efficax in aliquâ tentatione desit, quæratur, an sine gratiâ efficaci ad vincendam tentationem necessariâ, quam supponimus ipsi defuisse, tentationem vincere potuerit, tunc ex communi omnium loquendi ratione respondebitur » (non excludit indubiè Jansenii defensores qui ab ordinario cunctorum loquendi modo recedere indecorum reputarent) « non quidem absolutè, sed in illâ hypothesi, (id est, relativè ad fortiorem concupiscentiam) sine hâc gratiâ non potuisse. » Eamdem solutionem in eâdem dissertatione parte 3, articulo 5, illustrare aggreditur ingenitâ ignis virtute. « Quemadmodùm, inquit, omnis ignis urendi virtutem et potestatem habet, non tamen quidvis urendi, v. g., auri liquefaciendi, vel lapidis in calcem redigendi, ita ut si de igne generatim quæratur, an possit urere, absolutè respondendum sit, posse ; sed si quæratur utrum exiguus ignis possit lapidem in calcem redigere, vulgò non posse respondebunt. Sic omnis charitas vel exigua (id est, gratia parva sive sufficiens ex se *initia bonæ voluntatis producens, et ideò largiens quamdam benè agendi potentiam et virtutem,* ut loquitur ibidem cap. 12) potestas est bonorum operum (absoluta) et si quæratur, utrùm qui bonam voluntatem habet, possit benè agere, posse (absolutè) procul dubio respondendum est. Non tamen omnis bona voluntas ad quidvis efficiendum ita sufficit, ut non aliquando pleniorem voluntatem requirat. »

Atque, ubi in splendidum præclaræ illius declarationis speculum incidunt, subitò affulgent et evanescunt dolosis tenebris involuta ista quorumdam pronuntiata : *Voluntas gratiâ movente est libera* (à vi exteriùs cogente, non interiùs relativè necessitante.)... *Voluntas fortiori gratiâ acta perfectissimâ peccandi potestate gaudet* (absolutè, sive semotâ illâ delectatione, non relativè, sive ratione habitâ illius suavitatis)... *Voluntas cœlesti aut terrenâ delectatione titillata Dei præcepta potest adimplere vel non implere* absolutè non comparatè ad majorem vel minorem delectationem)... *Gratia exigua non ex activæ virtutis defectu, sed ex liberâ voluntatis obsistentiâ bonum non operatur* (sublato non supposito nisu et luctamine fortioris cupiditatis ad obsistendum necessitantis)... *Voluntas exili suavitate perfusa benè ageret si prorsùs vellet* (sed posito vigentis concupiscentiæ conatu sic velle non potest)... *Gratia tenuis per conatus et desideria inefficacia, quæ ex voluntate educit fortiorem obtinere potest gratiam, quâ mediatè saltem sufficiens evadat* (intelligunt potestatem cum actu semper et necessariè conjunctam, cùm gratia parva illa desideria semper et necessariè exprimat, et insuper sufficientiam absolutam, non relativam ad vividiorem cupiditatem)... *Gratia parva eadem remanens adversâ decrescente concupiscentiâ, potest perfectum consequi effectum* (necessariè in hâc hypothesi, cùm imminutâ Deo operante concupiscentiâ gratia illa parva facta sit relativè fortior).

Jansenii scilicet amici oculos et propositum nunquàm avertunt ab his magistri in decem inprimis de gratiâ Christi libris consignatis effatis : « Gratia Christi insuperabiliter, indeclinabiliter, potentissimè, invictissimè voluntatem ducit, agit, abripit; voluntas præventa non tam agit, quàm agitur ; » et nihil non tentant et movent ut hæc doctrina Augustini Yprensis sensu accepta salva et integra remaneat.

Quæ radix, cardo, vertex, filumve aut catena totius Jansenii systematis? — Celebris Harduinus, vir acerrimo quidem ingenio, et prodigiosâ eruditione famosus, sed magis nova quàm novè dicere sollicitus, omnium hæreticorum dogmatum, præsertim Jansenii systematis, occultam radicem esse atheismum asserere non dubitavit. Si intendisset duntaxat ex novatorum dogmatibus et infandâ adversùs Ecclesiam catholicam conjuratione atheismum erumpere posse, vestigiis D. Pauli et dilecti Discipuli institisset, et etiam D. Augustini quo dicente : *Christus, Deusve apud hæreticos nomine tenùs, non reverà reperitur.* Verùm longiùs progressus est; hæreticos enim, inprimis Jansenium, in suis scriptis atheismum stabiliisse existimavit. Hinc insignis illius discipulus versùs annum 1730 confecit et publici juris fecit in hâc urbe Cadomensi libellum quemdam, cui gallico idiomate titulus : *Le Jansénisme dévoilé*, ou *Jansénius convaincu d'athéisme;* qui cùm ad varios regni episcopos et sacros Ordines missus fuisset, meritò cum contemptu exceptus est.

Enimverò quicumque Augustinum Yprensem evolverunt, epilogum, et parallelum in fine appositum, eos omnes non latet Jansenium tam grande volumen elaborâsse ex summo Augustinianæ doctrinæ quam (ut censebat) tradiderat Baius, vindicandæ ardore, et detestatione Moliniani præsertim et Suaresiani systematis, ipsi (ut autumavit) apertè repugnantis. Deinde sui systematis basim et catenam tam dilucidè in eodem volumine commonstrat, ut nemo eam non conspicere possit. Scilicet annulus ille, fultura illa est delectatio superior, sive necessitate relativâ victrix, seu gratia victrix, gratia efficax, adjutorium *quo* (hæc enim apud Jansenium idem omninò significant). Id, ut paulò ante ostendimus, declarat Jansenius libro de Gratiâ primi hominis cap. 17, et libro 2 de Gratiâ Christi, cap. 4. Quod et repetit alibi passim; v. g., libro 7, cap. 6, ubi ait : « Hæc est vera et genuina basis (gratia dominatrix, cœlestis Doctoris... à quâ qui tantillùm aberraverit, nunquàm veram intelligentiam, quam ipse in scriptis suis tradidit, assequetur. » Hinc auctor synopsis vitæ Jansenii, ipsi impensè addictus (quæ synopsis editioni Rothomagensi anni 1652 omnium accuratiori præfixa est), hæc de Jansenio refert : « Aiebat Augustinum à discipulis, non à magistris velle intelligi... addebat omnia pendere ab uno primo principio, unde tota doctrinæ ejus de gratiâ catena devincta esset, et hinc factum ut qui eò aberrant, extra viam et spem inveniendæ veritatis vagentur. Unde subridebat potiùs non mirabatur, quòd contrariarum et diversissimarum opinionum scholastici omnes tamen Augustinum ad se traherent, quia unus hunc alter istum annulum medium catenæ arriperent, nemo teneret primum illum et capitalem. »

An quinque propositiones ex victrici Jansenii delectatione necessitante velut ex fonte scaturiant? — Negaverunt Janseniani systematis defensores non ante sed post quinque propositionum censuram factam ab Innocentio X 31 maii anni 1653, ut nempe illa censura caduca fieret et evanida. Hâc quippe condemnatione veluti fulmine percussi et in transversum acti, prætenderunt quinque illas assertiones in Augustino Yprensi non contineri, et in Jansenii sensu damnatas non fuisse. Unde varios ediderunt libros *de imaginariâ Jansenii hæresi.* Cùm autem Alexander VII die 16 octobris anni 1656 definiisset illas ex Jansenii libro excerptas esse, et *in sensu à Jansenio intento* proscriptas, idque ab omnibus et singulis clericis subscribi jussisset Constitutione latâ 15 februarii anni 1665, et Clemens XI per bullam *Vineam Domini Sabaoth*, datam 16 julii anni 1705 hæc decreta renovâsset, declarando insuper relatis super hoc Constitutionibus Innocentii X et Alexandri VII *obsequioso silentio* minimè satisfieri (quæ omnes Constitutiones ab universâ Ecclesiâ, et inprimis à clero Gallicano et Christianissimo rege receptæ sunt); cùm, inquam, hæc cernerent iidem Jansenii defensores, Ecclesiæ infallibilitatem in judicando de germano librorum sensu è medio tollere aggressi sunt, Ecclesiæ nihilominùs romanæ obedientiam exteriùs profitentes. Sic in se exprimere voluisse videntur quod eorum magister libro proœmiali de ratione et auctoritate cap. 6, dixerat : « Hæreticis proprium est simplici revelationis veritate nunquàm esse contentos, quorum audacia... erroribus à Deo plectitur ; » et priùs libro 1 de hæresi pelagianâ, p. 13 : « Hæretici semper solent in pejus proficere, errantes et in erro-

rem mittentes; » et libro 6, cap. 25 : « Ambiguis verbis dogmata exprimunt, romanæ Ecclesiæ reverentiam et in omnibus submissionem simulant. »

Igitur paucis ostendendum est quinque propositiones ex victrice gratiâ necessitante Jansenii derivari, ac deinde reipsà in ejus Augustino quoad sensum saltem contineri.

Ostenditur quinque propositiones ex superiore Jansenii delectatione erumpere. — Quinque propositiones, si absque præjudiciis expenderis, illicò intelliges eas exprimere duntaxat exclusionem gratiæ merè sufficientis, et necessitatem bonum operandi sub motione gratiæ victricis, qui unicus est scopus et quasi medulla totius Augustini Yprensis; sed hæc duo passim eruit ipse Jansenius ex suâ delectatione victrice; v. g., cùm novem primis capitibus libri 4 de Gratiâ Christi illius gratiæ naturam, virtutem et necessitatem expendisset, inde erumpentia consectaria recensens in fine capitis decimi dicit : « Hinc claret cur Augustinus omnem omninò gratiam purè sufficientem sive ante fidem, sive etiam post fidem auferat. » Deinde principium repetit; scilicet si gratia dominatur necessariè, facit agere bonum, si non dominatur necessariè, fit malum, licet totum effectum, quem in hâc hypothesi ex Dei voluntate producere poterat, reipsà producat.

Hæc ex modò dicendis novum accipient robur et lucem.

Ostenditur quinque propositiones in Augustino Yprensi saltem quoad sensum contineri. Unde

Prima propositio. — Sic jacet in Constitutione Innocentii X datâ 31 maii 1653 : *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant.* Damnata est ut *temeraria, impia, blasphema, et hæretica.*

Ipsis terminis, ut diximus in præcedenti libro, reperitur libro 3 de Gratiâ Christi, cap. 13, unâ exceptâ voce, *aliqua* ibi expressâ per vocem, *quædam.* Hæc propositio tum ex se cùm ex iis quæ apud Jansenium præcedunt et sequuntur, et etiam ex totâ libri serie, hunc habet sensum : *Aliqua præcepta justis* (divina mandata violantibus) *volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent* (ex gratiâ debili) *vires sunt impossibilia* (comparatè ad majorem concupiscentiam adversam quâ hic et nunc alliciuntur) ; *deest etiam illis gratia* (vel actionis quâ *possibilia fiant* immediatè , vel orationis quâ *possibilia fiant* saltem mediatè); quare volitiones et nisus hic expressi prodeunt ex gratiâ orationis parvâ, sed quæ hic et nunc sufficiens non est ad debitè orandum ; unde sensus catholicus oppositus est, justos, ubi adstringit præceptum, eâ semper adjuvari gratiâ quâ actualem hic et nunc obnitentem concupiscentiam debellare possunt, et præceptum implere, aut saltem ad illud implendum necessarium Dei adjutorium obtinere.

Jansenii amici hanc propositionem, ut censuram eluderent, in hos sensus detorserunt : « Justis conantibus ex efficacis gratiæ viribus mandata sunt impossibilia.... vel justis semper deest gratia, quâ vel unum mandatum sine peccato adimplere valeant.... vel justis, dùm violant præcepta, deest gratia quâ absolutè et abstractivè à hic et nunc reluctante concupiscentiâ possibilia sint Dei mandata. » Porrò Jansenius citato libro 3, cap. 13, hanc propositionem deducit ex delectatione superiore relativè.

Secunda propositio. — In citatâ Constitutione sic exprimitur : *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur.* Ut hæretica proscripta est.

Hanc assertionem spirant innumera Jansenii effata, quæ ferunt omnem actualem gratiam eum semper producere effectum ad quem producendum relativè ad oppositam delectationem à Deo infunditur. Si nimirùm parva fuerit, sive minor adversante hic et nunc concupiscentiâ deliberatum imperfectum semper eliciet consensum, inefficax nempe desiderium, velleitatem, etc. Si fortis, sive major actuali hic et nunc titillante concupiscentiâ deliberatum perfectum extorquebit consensum, quia in his circumstantiis ad hæc omninò et unicè à Deo inspiratur. Unde licet gratia debilior non sortiatur effectum perfectum, ad quem ex se tendit, non ideò illi resistitur, cùm ad id in tali circumstantiâ à Deo non impertiatur, et gratiæ propriè resistere sit eam effectu, propter quem illam dat Deus, et quem hic et nunc habere potest, destituere. Porrò, inter testimonia, quibus hæc exprimit Jansenius, præter adducta in secundo libro, istud sufficiat. « In universis, inquit libro 10 de Gratiâ Christi, cap. 7, versùs finem, operibus (Augustini) non est vestigium quòd Christi gratia cuiquam sit incongrua, sed omnis congrua est, omnis operatur ac perficit effectum ; omnis enim delectat voluntatem (ecce principium), et omnis hoc ipso ad operandum illum effectum ad quem datur trahit. »

Ex his innotescit quisnam sit proprius et naturalis relatæ propositionis sensus tum ex se cùm apud Jansenium, et quisnam sit sensus catholicus ipsi adversus; hic scilicet: « In statu naturæ lapsæ omnis gratia interior non eum semper habet effectum quem habere potest relativè ad oppositam » hic et nunc repugnantem cupiditatis delectationem; unde etiam apparet discrimen inter gratiam sufficientem Thomisticam, et parvam Jansenianam; illa scilicet semper efficax est respectu actûs indeliberati (cùm semper illustret intellectum et moveat voluntatem), non autem respectu actûs deliberati perfecti vel imperfecti ad quem ex se tendit, et ad quem veram et relativam dat potentiam, secùs ista quæ effectum deliberatum imperfectum, quem hic et nunc habere potest, semper obtinet.

Sensum præcipuum, quo Jansenii patroni hujus propositionis censuram eludere conantur, in secundo libro exposuimus.

Tertia propositio. — In relatâ Bullâ sic redigitur: *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Hæretica* declarata est.

Hujus propositionis doctrinam tradidisse Jansenium, eamque ab ipso ex suâ delectatione victrice deductam esse initio hujus capitis ostendimus; verùm, ut Jansenii sententia magis eluceat, et quorumdam ejus dictorum obscuritas evanescat, ad sequentia attende.

1° Libertas, id est, immunitas, universim ex D. Bernardo libro de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 3, triplex distinguitur; à peccato, miseriâ et necessitate. Prima dicitur *gratiæ*, quia per gratiam, secunda *gloriæ*, quia per cœlestem gloriam datur. Tertia, de quâ res est, et disserit Apostolus epistolâ 1 ad Corinthios, cap. 7, v. 37, nuncupatur *naturæ*, quia tangit naturam libertatis, aut à naturâ homini inest. Ipsi opponitur quælibet necessaria ad unum determinatio (unde vocatur *libertas indifferentiæ*), et ideò est vis electiva, sive facultas, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest hìc et nunc agere vel non agere (quo sensu vis illa dicitur *activa indifferentia ad contradictoria*, sive *libertas contradictionis et exercitii*) vel quæ potest eligere unum de duobus contrariis bonum vel malum (quo sensu eadem vis dicitur *activa indifferentia ad duo contraria*, sive *libertas contrarietatis* seu *specificationis*).

2° Cùm duplex sit necessitas *coactionis*, et *simplex*, ideò libertas *naturæ*, sive indifferentiæ, alia à necessitate *coactionis*, alia à necessitate *simplici*. Prima est violenta determinatio illata à principio extrinseco *nihil*, ut ait de Rhodes, *omninò conferente, sed prorsùs reluctante passo*, id est, voluntate, ideòque quod ex eâ fieret non esset voluntarium et consequenter non posset esse actio voluntatis, quæ essentialiter est voluntaria. Secunda est determinatio ad unum, cui cum cognitione intellectûs et propensione inhæret voluntas, licet necessariè. Vel oritur à principio à naturâ insito, qualis nisus cujuslibet creaturæ intellectualis in beatitudinem in genere, et tunc dicitur *naturalis*, vel à principio extrinseco, qualis victrix Jansenii delectatio, et tunc dicitur *invincibilis*, quia quidquid agatur excuti non potest. Hæc necessitas, si determinat modo immutabili et absoluto, ut facit visio beatifica in sanctis, vocatur *immutabilis et absoluta;* si modo mutabili et relativo, ut agit prædicta Jansenii suavitas, appellatur *mutabilis et relativa.*

3° Sagax et astutus Jansenius suum de libertate systema sic concinnavit. Distinguit inter essentiam libertatis, et statum libertatis. *Neque rectè concluditur,* inquit libro 6 de Gratiâ Christi cap. 34, *actum rationalis voluntatis solius coactionis expertem non esse liberum; permagna enim est inter actum liberum* (id est, essentiam libertatis omni enti libero ex se competentem) *et statum libertatis* (id est, varios entis liberi existendi modos) *differentia; uniformis enim est in omnibus entibus liberis, sive beatis, sive damnatis, sive Deo, sive creaturâ, libertatis ratio, sive difformis status.* Hinc *cùm velle et liberè velle* idem sint, *et impossibile sit ut velle non sit liberum* (libro 6, cap. 5), generica et formalis libertatis ratio in uno præcisè voluntario (quod nempe sit advertentiâ rationis, et ex voluntatis complacentiâ, unde motus indeliberati, actus licet voluntatis, non sunt liberi) est reponenda, etiamsi ex immutabili aut mutabili necessitate fiat, et ideò liber est Deus etiam *ad intra,* liberi sancti, liberi damnati, liberi viatores ex necessitate relativâ benè aut malè agentes; quinimò sancti sufficientem ad meritum, sicut et damnati ad demeritum libertatem habent, ex quâ reipsâ illi mererentur, isti verò demererentur, si non essent extra viam; scilicet sola ratio generica et formalis libertatis in nudo voluntario consistens ex se requiritur et sufficit ad meritum aut demeritum; unde immunitas à necessitate immutabili ac invariabili in viatore est ejus merito aut demerito omninò acciden-

talis. Hæc omnia docet Jansenius citato libro 6, cap. 34.

In his tamen usus est quibusdam vocabulis receptam de libertate doctrinam exprimentibus, quæ postea ejus defensores (dubio procul contra ejus intentionem) arripuerunt ut tertiam propositionem ipsi abjudicarent. Etenim libro 6, cap. 34, fatentur viatorum, qui statu suo meriti et demeriti capaces sunt, *libertatem esse ad agendum vel non agendum, et ad bonum et malum indifferentem*; sed quo sensu? quia à necessitate immutabili (non mutabili et transitoriâ) immunis ad *opposita flecti potest*, ut loquitur in fine ejusdem capitis, prout nempe major vel minor fuerit delectatio cœlestis aut terrena; quinimò, etiamsi immutabilis necessitatis expers non esset, viatores mereri aut demereri possent; in eis nimirùm esset vera libertas in solo voluntario consistens, et aliunde *indifferentia ad bonum et malum est tantùm libertatis indicium, non ratio*, ut ait ibidem, et ideò, ut dictum est, liber est Deus *ad intra*, liberi sancti, liberi damnati, etc. Unde viator cum necessitate transitoriâ meretur et demeretur, ut fert tertia propositio. Quapropter indifferentia, quam admittit Jansenius in viatorum libertate, est unicè *flexibilitas arbitrii* modò per unam modò per alteram delectationem; sive flexibilis capacitas recipiendi oppositas delectationum impulsiones.

Item Jansenius sæpiùs disserit de *genericâ libertatis ratione*, quam in *nudo voluntario*, ut diximus, reponit; unde ejus patroni cavillati sunt ipsum verba fecisse de libertate *genericè acceptâ*, non ad hujus statùs meritum vel demeritum necessariâ. Verùm argutiola levi flatu evanescit. In toto enim libro octavo de Gratiâ Christi, libertatem hujus statûs propriam cum efficaci gratiæ motione conciliare aggreditur. Aliunde, decem libros de Gratiâ Christi non conscripsit nisi ut D. Augustini adversùs Manichæos fatum inducentes, et Pelagianos ac Semipelagianos libertatem gratiâ destrui prætendentes consilium patefaceret, et tueretur adversùs adulterinas Molinistarum interpretationes, ut ipse passim profitetur; at aerem verberâsset, et oleum ac operam perdidisset, si libertatem *abstractè*, non relativè ad præsentem statum attigisset. Demùm, in ipsis citatis locis, et speciatim libro 6, cap. 34, expressè dicit viatores in nostro statu posse mereri aut demereri, etiamsi immutabili necessitate constringerentur.

Item Jansenius libro 6, cap. 35, et toto passim lib. 8, expressè asserit *actum voluntatis, etsi necessarium, esse in potestate et dominio voluntatis*; ex quibus iterùm nonnulli illius discipuli ex ejus libro expungere conantur tertiam propositionem. At genuinum Jansenii sensum non advertunt, aut dissimulant; unicè enim intendit actum omnem voluntarium, licet necessarium absolutè aut relativè, essentialiter *esse in potestate et dominio voluntatis*, quia *velle et liberè velle idem est, et est impossibile ut velle non sit liberum*, ut antea dicebat.

Ex his colliges proprium tertiæ propositionis tum in se cùm in Jansenii libro sensum esse, ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem à necessitate alternante et relativâ ad circumstantias in quibus benè vel malè operans versatur, sed sufficere ut in iisdem circumstantiis voluntariè et non coactè operetur..... et è converso sensum catholicum esse, eumdem operantem, ut possit mereri aut demereri, præter libertatem à coactione, indigere libertate ab omni necessitate, etiam voluntariâ, mutabili et relativâ.

Quarta propositio. — In prædicto Innocentii X decreto sic profertur : *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Ut falsa et hæretica proscripta est.

Duas hujus assertionis partes, facti et juris exhibet Jansenius libro 2 de Gratiâ Christi cap. 15, his verbis : « Prior (Massiliensium, error erat quòd initium fidei, orationem, gemitus et desideria, ex nobis, hoc est, ex libero arbitrio, prosilire censerent, et tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus necessariam, cujus influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio, et hoc eos apertissimè docuisse jam supra latè patefecimus; » in margine reposuit caput 12 hujus libri 2 de Gratiâ, et librum 8 de hæresi pelagianâ cap. 6, 7, 8, etc., ubi dicit gratiam illam actualem *veram fuisse et internam;* quo capite 6 utuntur P. Alexander in historiâ quinti seculi, et alii vulgò ad ostendendum duas hujus propositionis partes reipsà à Jansenio traditas fuisse. Et verò, si Franciscus Macedo Minorita, Contensonius Dominicanus, et nonulli alii Catholici asserere ausi sunt nonnullos Semipelagianos gratiam aliquam internam ad initium fidei admisisse, quomodò Jansenius unicè sollicitus de theologorum circa gratiam et libertatem sententiâ

Semipelagianismi labe inspergendâ id avido animo non docuisset ?

Obvius autem et naturalis illius propositionis sensus ex dictis in discussione secundæ et tertiæ propositionum abundè elucescit; hìc scilicet est : « Semipelagiani gratiam prævenientem, etiam internam, ad initium fidei exegerunt, et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui relativè ad actualem hìc et nunc stimulantem cupiditatem posset humana voluntas resistere; » sensus ex adverso catholicus iste : « Semipelagiani non exigebant prævenientem gratiam internam ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et si eam exegissent, in hoc non fuissent hæretici quòd dixissent eam gratiam talem esse cui posset hìc et nunc humana voluntas resistere. » Porrò evidens est hanc propositionem ex delectatione relativè victrice velut ex principio erumpere. Enimverò Jansenius libro 8 de hæresi pelagianâ, cap. 8, in eo propriè Massiliensium errorem consistere facit, quòd « Angelorum et stantis hominis adjutorium, in quo intelligendo et admittendo nulla penitùs ipsis difficultas fuit, etiam lapsis hominibus.... sufficere voluerint, » et ideò improbato auxilio invincibiliter ad bonum determinante, aliud admiserint cui voluntas dissentire posset.

Quinta propositio.—Eam sic exhibet commemorata Constitutio : *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Ut jacet declarata est *falsa, temeraria, scandalosa,* intellecta autem eo sensu ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, *impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica.*

Istam propositionem tum quoad se tùm quoad interpretationem extare in Augustino Yprensi libro præcedente initio secundi capitis ostendimus. Uno tantùm testimonio id confirmabimus. Libro 3 de Gratiâ Christi cap. ultimo ait : « Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omninò Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omninò tam generaliter sanguinem fudit, cùm hoc potiùs tanquàm errorem à fide catholicâ abhorentem doceant esse respuendum...... » Ibidem versùs capitis finem addit : « Quæ sanè cùm in Augustini doctrinâ perspicua certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est ut Christus.... vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute mortuum esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orâsse sentiatur ; scivit enim quo quisque jam ab æterno prædestinatus erat..... ex quo factum est ut juxta sanctissimum doctorem non magis Patrem pro æternâ liberatione ipsorum quàm pro diaboli deprecatus fuerit. »

Hæc autem docuit Jansenius ut suis staret principiis. Christus scilicet mori non potuit nisi pro eorum salute qui salvi fiunt; fructus enim mortis Christi inanis esse nequit; gratias ergo verè sufficientes ad vitam æternam assequendam nonnisi prædestinatis promereri et applicari voluit ; sed ex secundâ propositione tales sunt solæ gratiæ efficaces ; gratia enim sufficiens voluntati permissa ex quartâ propositione est gratia semipelagiana ; ergo ex necessitate et existentiâ solius delectationis victricis in præsenti statu evincitur Christum non esse mortuum pro salute omnium reproborum. Concedit quidem Jansenius, ut diximus, Christum nonnullis reprobis *temporalem* fidei et justificationis gratiam promeruisse et infudisse ; sed cùm, ipso dicente, nullæ sint gratiæ verè sufficientes nisi efficaces, justificationis gratia illis reprobis etiam in Christi intentione non potest esse medium verè et relativè sufficiens ad æternam salutem obtinendam.

Propria autem istius assertionis in Jansenii sensu cum aliis damnatæ significatio hæc est : « Error est semipelagianus asserere Christum mortuum esse ut omnibus et singulis hominibus gratias verè et relativè sufficientes ad æternam salutem promereretur ; tales gratias non aliis quàm electis reipsâ promeritus est....... » Significatio è converso catholica est ista : « Semipelagianum non est dicere quòd Christus eo fine sanguinem fuderit ut cunctis mortalibus gratias ad salutem impetrandam verè et relativè sufficientes acquireret. » Item : Hæreticum est dicere Christum pro æternâ salute prædestinatorum duntaxat mortuum esse ita ut nullis prorsùs reprobis adjutoria ad æternam vitam hìc et nunc assequendam verè sufficientia impertiverit. »

Hæc sunt famosæ quinque propositiones in quas ultimò redigitur immensum Augustini Yprensis volumen. Spirant Lutheri et Calvini dogmata, sed nonnihil immutata, et cum miro fuco et artificio proposita. Illorum dogmatum sub novâ formâ renovationi primùm delineatæ à Michaele Baio, cujus systema accuratè evolvit P. Duchesne in fine secundi libri historiæ Baianismi, ultimam et quasi perfectam manum admovit præstantiore ingenio et ratiocinio

pollens Jansenius, et ideò illa renovatio proprium ejus systema meritò nuncupatur, licet maxima sit inter Baii et Jansenii doctrinam consensio, ut ostendit idem P. Duchosne in fine libri quarti.

Easdem quinque Yprensis assertiones, licet ab universâ Ecclesiâ jamdudùm proscriptas, ineunte hoc seculo excitavit vir eruditus quidem sed novitatis amans, centum et unâ propositionibus, quæ nihil aliud sunt quàm quinque explicationes, aut consectaria sanè multò magis culpandus quàm Baius aut Jansenius; primus enim Sedis apostolicæ censuræ sese morigerum exhibuit, alter verò, saltem in extremis constitutus, suam doctrinam Ecclesiæ romanæ judicio subditam esse voluit, ut postea ostendemus. Centum autem et unam propositiones damnavit Clemens XI die 8 septembris ann. 1713, cujus Constitutioni accessit totius Ecclesiæ consensus.

Jansenii sectatores, ut quinque propositionum sensus à Jansenio intentus salvus et integer remaneret, innumerabilia excogitaverunt effugia quæ veteribus hæreticis in gratiam suorum errorum nunquàm in mentem venerant. Hìc satis sit retulisse quod de illis scribit eruditus P. Alexander in eleganti suo censorio Suffragio in Sorbonâ pronuntiato 7 et 8 maii anni 1683 occasione hujus Fratris de Montesono assertionis, « ad solam Sedem apostolicam divino et immutabili privilegio spectat de controversiis fidei judicare. Jansenii (inquit) defensores Innocentio X supplicârunt, ut duplicem sensum in quinque propositionibus distingueret, hæreticum damnaret, Augustinianum et Thomisticum (quem Jansenii esse prætendebant) absolveret. Tres columnas eum in finem obtulère 19 maii anni 1653. Prima sensum hæreticum Lutheri et Calvini continebat, quem se damnare profitebantur; alia sensum Molinæ, quem Pelagianum aut Semipelagianum contendebant; tertia sensum gratiæ per se efficacis catholicum, et ex S. Augustini doctrinâ invictè confirmatum, sed nullam hujusce postulationis rationem habuit summus pontifex. Quinque propositiones, quamvis aliquid supplendo, et sensu gratiæ per se efficacis orthodoxæ essent, exponere noluit, ratus si exponeret, id præsidio futurum errori, et Jansenianarum partium theologos distinctionem sensûs duplicis importunè flagitare, ut fulmen quinque Jansenii propositionibus imminens (damnatæ sunt 31 maii ejusdem anni 1653) averterent, ac fucum Sedi apostoli facerent; (quàm meritò hæc pertimuerit abundè probat quidquid postea egerunt) sapienter autem » duplicis illius sensûs distinctionem respuit Innocentius, quamvis quinque propositiones sensum Augustinianum et Thomisticum gratiæ per se efficacis pati possent. Patres enim, addit idem theologus ibidem, ab apostolicâ ætate ad hæc usque tempora propositiones hæreticas vel erroneas, quamvis in bonum et catholicum sensum aliquo modo flecti possent absolutè et simpliciter damnandas, non exponendas censuerunt. » Cæterùm quoties Ecclesia damnat aliquas propositiones nullo assignato sensu, toties eas damnat in obvio et naturali sensu quem offerunt. Proscripsit autem quinque propositiones in obvio et naturali sensu, quem habent in Jansenii libro, ut evincunt citatæ Constitutiones Innocentii X, Alexandri VII, etc.

Plures ex acutioribus quinque propositionum defensoribus seriò recogitantes earum doctrinam, orthodoxam licet, damnatam esse in Baio à D. Pio V anno 1567, Gregorio XIII anno 1579, et Urbano VII anno 1642, item in Jansenio, et auctore centum et unius propositionum, à laudatis pontificibus, et tot Constitutiones à tam longo tempore corroboratas esse, et in dies corroborari maximo episcoporum ubique dispersorum suffragio; hæc, inquam, attentâ mente reputantes, Christum dùm pontificibus, cunctis futuris seculis inerrantiam pollicitus est deceptum esse autumaverunt, et ita ad revelatæ religionis hostium castra tandem confugerunt. (*Tantùm* inquit Melchior Canus libro 4 de Locis cap. 6, *hæreticus error, et cæca pertinacia potest, ut omnem prorsùs doctrinam adimat, intelligentiæ lumen extinguat, et universam ingenii retundat aciem!*) Sic Jansenismus in Deismum magnâ ex parte conversus est, et amplificatus detestabilis illius sectæ patronorum numerus qui de bono et honesto per propriam utilitatem judicantes quibus divinâ suaviter disponente Providentiâ regitur mundus pontificium et regium solia irrito planè et insulso conatu concutiunt, et evertere nituntur.

His ad notitiam Janseniani systematis necessariè præmittendis expositis, ut illud dogma radicitùs evellamus, disseremus 1° de Jansenii systemate circa gratiæ efficacis operandi rationem et libertatem; ... 2° de eodem systemate circa intrinsecum gratiæ efficacis principium. In antecessum autem cum Augustino libro de Spiritu et Litterâ cap. 7, n.12, lubenter agnos-

cimus gratiam victricem voluntatis et libertatis reparatricem, *rem esse profundam, et nimis abditam.* Hinc inscrutabile illud Sacramentum prorsùs venerari contenti fuissemus, si Ecclesia catholica, quæ est *columna et firmamentum veritatis,* nihil circa illud definiisset.

ARTICULUS PRIMUS.

Refellitur Jansenii systema circa gratiæ efficacis agendi modum, et ideò libertatem.

Paulò ante ostendimus in systemate Calviniano et Janseniano gratiam efficacem, quam solam uterque in præsenti ordine admittit, absolutam aut saltem relativam voluntati necessitatem imponere, et ideò liberum arbitrium Adæ peccato periisse. Quocirca sit

CONCLUSIO. — Gratia, quâlibet polleat efficaciâ, nullâ necessitate, etiam alternante et relativâ, voluntatem in præsenti statu ad operandum adigit. Hinc liberum arbitrium in eodem statu, attenuatum licet et inclinatum, extinctum tamen non est. Est de fide.

MOMENTUM PRIMUM. — *Ex Scripturis.* — 1° Sacri codices hujus statûs libertatem, quâ sub gratiæ motione agimus et meremur, nobis exhibent tanquàm potestatem, cujus domini sumus, quâ uti vel non uti pro libito valemus, quam optare vel non optare nostrûm est, cum quâ ad *ignem vel aquam,* bonum vel malum, manum extendere possumus, etc. Genesis cap. 4, v. 7, Ecclesiastici cap. 15, v. 17 et 18, et cap. 31, v. decimo, etc.; sed talis libertas, sive potestas, activam sub gratiâ connotat voluntatis indifferentiam, ac proinde quamlibet excludit necessitatem; ergo.

2° Iidem codices voluntatem sic à gratiâ moveri referunt, ut tamen voluntas cum gratiâ laboret, consentiat, seipsam flectat et determinet, etc. Psalmo 118, v. 112; 1 ad Corinthios, cap. 15, v. 10; 1 ad Timotheum, cap. 4, v. 7; 6, v. 11 et seq.; Apocalypsis cap. 3, v. 20, etc. Sed hæc exprimunt ingenitam et omninò liberam determinationem; ergo.

Objiciunt 1° ea testimonia quibus Deus in nobis operari dicitur Ezechielis cap. 36, v. 26 et 27, Epist. ad Philippenses cap. 2, v. 13; sed talis operatio explodit liberam voluntatis determinationem; ergo. — Nego minorem; hæc quidem et similia oracula arguunt gratiæ interioris et voluntatis necessitatem, et ineffabilem virtutem; sed non excludunt, imò important liberam cooperationem nostram; unde in ipso Ezechielis textu voluntatis inflexio refertur; *faciam,* inquit, *ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.* Ita D. Augustinus libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 11, n. 22, ubi locum Ezechielis exponens ait: « Ideò hæc et nobis præcipiuntur, et dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur quòd et nos ea facimus, et Deus facit ut illa faciamus. »

Objiciunt 2° textus enuntiantes sontes peccati esse servos, v. g., Joannis cap. 8: *Omnis qui facit peccatum servus est peccati;* sed servus liber non est; ergo. — Resp. hæc et similia importare servitutem non antecedentem, sed consequentem liberam voluntatis ad peccatum determinationem et gratiæ resistentiam.

MOMENTUM SECUNDUM. — *Ex Ecclesiæ judiciis.* — Inter concilia solum Tridentinum adducam, quod admittit Jansenius, et vetera adversùs Pelagianos habita exscribere solet. Tres ejus canones sessionis sextæ, nempe, 4, 5 et 6 supra retulimus, quibus definit *in potestate hominis esse vias suas malas facere, et dissentire gratiæ, si velit.* His certè eliminare voluit Lutheri et Calvini de gratiâ dogma; sed, ut ostendimus, illud ferebat voluntatem sub gratiâ privari non physicâ actione (impossibile enim est ut voluntas non velit cùm vult), sed activâ et liberè indifferente electione, etc.

Accedit totius Ecclesiæ dispersæ consensus, quæ 60 Baii propositionem: *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit;* et 67: *Sola violentia repugnat libertati hominis,* et relatam tertiam Jansenii propositionem velut hæreticam proscripsit, sicut et hanc decimam inter 101: *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare;* sensus enim est gratiæ resisti non posse. Idem offerunt inter easdem 101, 11, 12, 19, 20, 21, 22, 23, 24.

Os tandem hodiernis Jansenii patronis occludere possemus auctoritate corporis doctrinæ anni 1720, in quo nonaginta septem episcopi aiunt: « Gratiæ potentissimæ atque efficacissimæ operatio componitur cum libertate, atque potentiâ agendi vel non agendi necessariâ in hoc statu ad merendum et demerendum... Per peccatum Adæ liberum arbitrium non fuit extinctum... et ita secundùm Augustinum nos adhuc habemus libertatem ad faciendum bonum et malum... Homo agit liberè Deo consentiendo vocanti vel excitanti. » Ecce sub impulsu gratiæ *etiam efficacissimæ* veram potentiam agendi vel non agendi bonum, malum vel bonum agendi, et ideò libertatem *contradictionis et contrarietatis,* quam admittunt rigidiores etiam Thomistæ, quorum sensa reddit istud doctrinæ corpus.

Dices cum Jansenio libro 6 de Gratiâ Christi cap. 35 : Istud concilii Tridentini oraculum : ***Potest homo lapsus gratiæ dissentire si velit,*** simile est isti propositioni : *Beatus clarè Deum videns potest eum odisse si velit;* sed ista propositio vera est, quia est hypothetica, et absolutè non enuntiat Beatum posse Deum odisse, sed solùm ex hypothesi quòd velit, quæ hypothesis est impossibilis ; ergo à pari verum est Tridentinum dictum, quia est conditionale, nec fert absolutè hominem gratiæ medicinali dissentire posse, sed solùm ex conditione quòd velit; quæ conditio locum habere nequit, et idcircò illud effatum feliciter cohæret cum agendi necessitate quam imponit gratia medicinalis. — Resp.: Retorqueo argumentum. Dictum Tridentinum verum est quia homo ex hypothesi impossibili quòd velit gratiæ dissentire illi dissentire potest; ergo à pari vera est ista propositio, *Deus seipsum negare potest*, quia ex hypothesi impossibili quòd velit seipsum negare, reipsà seipsum negare potest. Resp. 2° nugatorium istud argumentum Jansenio omninò indignum esse. Etenim 1° illud concinnavit Wicleffus, vir inepti, insulsi, et frigidi sæpiùs ratiocinii, ad probandum Deum non habere indifferentem ad utrumlibet voluntatem, ut ostendit Dechampius libro 1, disputatione 3, cap. 5.... 2° Idem argumentum aptum est ad ridicula quæque commenta stabilienda; v. g., possibilem esse Deo omnem contradictionem, cùm contradictio Deo sit possibilis si velit... 3° Injuriosum est concilio Tridentino quòd si admittendum sit, Lutherum et Calvinum inani, absurdo, et plumbeo canone et argumentatione revincit... 4° Non minùs injuriosum est *cœlitùs inspirato* (ex Jansenio) doctori Augustino à quo concilium Tridentinum illud dictum excerpsit... 5° Dùm Jansenius ibidem dicit, theologos quando audiunt concilii dictum *putare et rectè putare* (eo) *significari libertatem* (suo sensu intellectam) aut fabulam decantare vult, aut insigni suî contemptûs exemplo theologorum omnium acumen suo posthabere... 6° Quis non videat id quod non est possibile nisi sub conditione impossibili, absolutè non esse possibile ? Unde si homo potest tantùm gratiæ dissentire, si velit, et id velle non potest, non potest ei dissentire adeòque genuinus concilii Tridentini dicti sensu sest : *Homo potest gratiæ dissentire si, ut potest, velit*, sive pendet à voluntate humanâ gratiæ dissentire vel non.

Momentum tertium. — *Ex S. Augustino.* — Cùm Jansenius effutiat D. Augustinum quæ de libertate scripserat adversùs Manichæos, Pelagianos et Semipelagianos refellendo emendâsse, idcircò posteriora ejus opera producam. Libro de Spiritu et Litterâ, cap, 34, n. 60, ait: «Profectò et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire, sicut dixi paulò ante, propriæ voluntatis est.» Idem innuit ipso libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 5: «Qui dicit, inquit, non accepi fidem, contradicit veritati, non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis, sed in electis præparatur voluntas à Domino.» Hìc sermo de gratiâ voluntatem excitante; at ex Augustino potest voluntas ipsi pro arbitrio *consentire* vel non *consentire;* quomodò autem id posset si quâlibet verâ agendi necessitate constringeretur?

Reponit Jansenius libro 2 de gratiâ Christi, initio capitis 34, hæc unicè significare *velle et nolle, consentire ac dissentire, credere et non credere esse officia* (sive actus) *voluntatis*, sicut intelligere officium est mentis ; quam responsionem videtur hausisse à Calvinistâ Kemnitio, ut ostendit Dechampius citato loco ; sed evidenter decipitur, aut decipere vult. Etenim Augustinus hìc ob oculos habet dictum Pelagianorum : *Gratiæ interioris necessitas destruit libertatem;* quod ut refellat, asserit gratiam sic prævenire et movere voluntatem ut ei consentire vel dissentire possit. Deinde inanis prorsùs fuisset Augustini observatio, cùm Pelagiani non negarent consentire et dissentire munus esse voluntatis.

Libro 2 de peccatorum Meritis et Remissione, cap. 18, postquàm, n. 28, p. 55, dixit : «Ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur, rursùs ne liberum sic asseramus arbitrium... ut ingrati Dei gratiæ judicemur,» addit numero trigesimo : «Nisi obtineamus non solùm voluntatis arbitrium, quod hùc atque illùc liberum flectitur..... sed etiam voluntatem bonam..... nescio quomodò defendamus quod dictum est : *Quid habes quod non accepisti?*» Ecce liberum arbitrium (non *validum* et *robustum*, ut placebat Pelagianis, sed *attenuatum* et *inclinatum*) quod *hùc atque illùc flecti potest*, et ideò ab omni veræ necessitatis vinculo expeditum, quod ad malum ex seipso sufficit, ad bonum verò si adjuvetur à Deo.

Libro 2 de Nuptiis et Concupiscentiâ, cap. 3, n. 7, objicienti Juliano ab ipso cùm gratiam defenderet, libertatem cum Manichæis tolli

reponit initio numeri octavi : « Non ita est ut loqueris ,... non est ita , multùm falleris vel fallere meditaris ; non liberum negamus arbitrium. » Idem habet libro 1 ad Bonifacium, cap. 2, initio numeri 5 : « Quis , inquit , nostrùm dicat quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium... Libertas (facilitas bonum agendi) quidem periit per peccatum , sed illa quæ in paradiso fuit..... propter quod natura humana indiget gratiâ (forti). » Tandem cùm falsus rumor evulgatus esset monachos Adrumetinos liberum arbitrium inficiari, illius cum gratiâ existentiam evicit libro de Gratiâ et libero Arbitrio , cap. 2.

Reponit Jansenius passim in his et similibus locis Augustinum agnoscere libertatem *spontaneitatis*, non *necessitatis*. Verùm ex contextu liquet Augustinum prædicare libertatem , *quæ hùc atque illùc liberè flectitur ;* libertatem quam adversùs Manichæos adstruxerat ; libertatem quam admittebant Pelagiani , et cum gratiâ conciliari non posse effutiebant ; libertatem quam putaverat negari à monachis Adrumetinis , quos velut Prædestinatianos traduxerant Felix et Cresconius , etc. ; sed talis libertas non fuit libertas *spontaneitatis*, sed libertas *necessitatis ;* ergo , etc.

Objicit 1° Jansenius toto passim libro 2 de Gratiâ Christi innumera Augustini testimonia ex libris præsertim de Gratiâ Christi, de Gratiâ et libero Arbitrio, de Correptione et Gratiâ, etc., quibus S. doctor victricem cœlestis gratiæ vim impensè prædicat , et asserit « illam operari ipsum velle , facere ut velimus , largiri bonam voluntatem , dare omnia merita et virtutes , idque omnipotentissimè , invictissimè , efficacissimè, insuperabiliter, indeclinabiliter, » etc. Sed hæc penitùs eliminant potentiam relativè expeditam consentiendi vel non consentiendi , etc. — Resp. 1° , Calvinum hæc ante Jansenium effutiisse, ut ostendit Dechampius libro 5, disputatione 5 de gratiâ efficaci, cap. 7. Resp. 2°, theologos pro vario suo circa gratiam et ideò Augustini mentem systemate hoc argumentum variè diluere. Nos, quibus persuasum S. doctorem adversùs Pelagianos de gratiâ *ab intrinseco* efficaci præcipuè disceptâsse , ut postea ostendemus , reponimus ipsum his et similibus locutionibus usum non fuisse nisi ut expressiùs designaret certissimum et infallibilem gratiæ efficacis operandi modum ; 1° enim mos est Augustini, ut adversarios opprimat, singularia et significantiora adhibere vocabula. Sic , libro de Correptione et Gratiâ cap. 12 , n. 37, dicit *peccati merito amissam esse libertatem,* id est, non liberum arbitrium , sive relativam et activè indifferentem potestatem sese determinandi ad utrumlibet (quod non periisse modò asserebat) , sed facilitatem bonum operandi quam homini inesse non minùs post quam ante peccatum Adæ somniabant Pelagiani... 2° Ipse S. doctor asserit se per media *insuperabiliter* operantia intelligere media *certissimè* liberantia. Libro quippe de Dono perseverantiæ , cap. 14, n. 35, prædestinationem sanctorum sic definit : « Est præscientia et præparatio beneficiorum quibus certissimè liberantur quicumque liberantur... » 3° Ubique docet *velle et nolle esse in hominis potestate* licet Deus *velle nostrum* efficaciter eliciat.

Objicit 2° Jansenius, libro 4 de Gratiâ Christi , cap. 6 , imò quasi perpetuò , celebre Augustini testimonium in caput 5 Epistolæ ad Galatas supra relatum, quo velut basi totum ejus innititur systema : *Quod nos ampliùs delectat , secundùm id operemur necesse est;* ergo sub gratiâ victrice , sive majori delectatione , voluntas non est ad utrumlibet activè et relativè indifferens. — Resp. 1°, Augustinum , juxta Patres Benedictinos , expositionem in Galatas scripsisse anno 394, quo tempore constat ipsum Semipelagiano errore fuisse imbutum ; quomodò igitur testimonio ex hâc expositione desumpto tota inniti posset Augustini doctrina ? Resp. 2°, nonnullos Augustinianos, qui gratiæ vim ex delectatione superiore , sive per gradus relativè victrice repetunt, suum etiam per illud effatum systema probare aggredi , et ideò contendere , illud esse intelligendum de delectatione indeliberatâ et antecedente, non quidem veram et relativam necessitatem inferente (ut placuit Jansenio consequenter ad falsum suum principium de interitu libertatis) , sed voluntatem ita infallibiliter determinante, ut veram semper et relativam illi consentiendi vel dissentiendi conservet potestatem. Resp. 3°, Augustinianum effatum intelligendum esse videri non de delectatione indeliberatâ , antecedente et invincibili, quâ scilicet ad aliquid volendum necessariè necessitate antecedente impellamur, ut Jansenio placet, sed de delectatione deliberatâ et consequente liberam voluntatis determinationem : hunc enim sensum inspirare videntur Augustini scopus, loci contextus, et expressa S. doctoris testimonia.

1° Augustini scopus. Intendit enim exponendo versus 18, 19, 20, 21 et 22 capitis 5 epistolæ ad Galatas, inducere fideles ad non

consentiendum operibus carnis, fornicationi, immunditiis, etc. (ut faciebant qui erant sub lege), et ad sectandas virtutes, charitatem, gaudium, pacem, etc. (ut faciebant qui spiritu ducebantur, et ideò non erant sub lege). Id, inquam, intendit, ut evidens est ex numeris 47, 48 et 49; sed hic finis videtur ostendere ipsum loqui de delectatione deliberatâ et consequente, sive enascente ex libero voluntatis consensu; ergo.

2° Contextus. Numero quippe 49, explicans quomodò *secundùm id quod nos magis delectat operemur necesse est,* post adductum illud effatum, continuò addit: « Ut, v. g., occurrit forma speciosa fœminæ, et movet ad delectationem fornicationis; sed si plus delectat pulchritudo illa intima, et sincera species castitatis per gratiam quæ est in fide Christi, secundùm hanc vivimus, et secundùm hanc operamur, ut non regnante in nobis peccato ad obediendum concupiscentiis ejus, sed regnante justitiâ per charitatem cum magnâ delectatione faciamus quidquid in eâ Deo placere cognoscimus, » Ibi verba, *occurrit forma,* etc. exprimunt indeliberatum impulsum tentationis, sive, si volueris, indeliberatam delectationem carnis, quæ est causa deliberatæ fornicationis delectationis, id est, liberi consensûs actui fornicationis, siquidem ista delectatio ab alterâ producitur, *movet ad delectationem carnis,* etc. Quidni et istæ voces, *si plus delectat pulchritudo castitatis,* etc. exprimerent deliberatam castitatis delectationem, sive liberam in actu castitatis complacentiam? cùm ista delectatio velut à causâ oriri dicatur à delectatione cœlesti indeliberatâ, sive gratiâ, *delectat,* inquit, *pulchritudo castitatis per gratiam quæ est in fide Christi.* Deinde, in ultimis verbis, *delectatio* est manifestè delectatio deliberata, *cum magnâ delectatione faciamus,* siquidem *facit regnare justitiam in nobis* per continuum bonorum operum exercitium; cur et in prioribus verbis eumdem non haberet sensum?

3° Expressa gratiæ vindicis effata. Inter plura istud sufficiat ex libro 8 Confessionum, cap. 8, n. 20 (hos libros scripsit anno 400, et ideò post expositiones in Epistolas ad Romanos et Galatas). *Non faciebam,* inquit, *quod incomparabili affectu ampliùs mihi placebat.* Ubi evidens est disserere Augustinum de delectatione, sive affectu indeliberato, aliàs quod sibi magis placebat fecisset.

Neque refert quòd S. doctor dicere soleat per *cœlestem delectationem innotescere quod latebat,* et *suave fieri quod non delectabat;* non enim negamus delectationi deliberatæ præire gratiam, sive delectationem indeliberatam; sed opinamur Augustinum loco objecto verba facere de delectatione deliberatâ, quia ipso dicente ex ipsâ fiunt opera quæ nos in justitiâ constituunt.

Eodem sensu intelligendus est S. doctor libro 2 de peccatorum Meritis et Remissione, cap. 17, n. 26, ubi ait: « Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat; tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum sit novimus, eoque delectamur ardentiùs; » etenim ultima verba, quæ animosiùs ostentant Jansenii defensores, delectationem connotant, quæ gratiæ sive delectationis effectus est; ibidem enim Augustinus causam refert illius delectationis; « ut autem, inquit, innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, quâ ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo; » non est ergo gratia, sive delectatio indeliberata. Idem evincunt quæ habet ibidem numero sequenti sive 27: « Tantò, inquit, magis delectat opus bonum, quantò magis diligitur Deus summum et incommutabile bonum... ut autem diligatur Des, charitas ejus diffusa est in cordibus nostris, non per nos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis, Rom. cap. 5. » Clarum quippe est delectari *in opere bono* esse sibi in opere illo liberè complacere; clarum est delectationem quâ diligitur Deus virtute gratiæ actualis et habitualis esse deliberatam.

Reponunt quidem adversarii hanc expositionem istum absurdum et identicum Augustino affingere sensum: *Quilibet tantò vehementiùs aliquid vult quantò ardentiùs illud vult;* sed inani prorsùs retorsione; Augustini scilicet propositio veram istam et sapientem sonat sententiam: *Quò magis voluntas sibi complacet in objecto,* eò magis illud aliis præfert, et ipsi inhæret.

Objicit 3° libro 6 de Gratiâ Christi cap. 6 et seq., alia Augustini testimonia. Libro 5 de Civitate Dei, cap. 5 ait: Si illa definitur necessitas secundùm quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis; neque enim et vitam Dei et præscientiam Dei sub necessitate ponimus si dicamus necesse esse Deum semper vivere, et cuncta præscire. » Libertas ergo coactionem non simpliciter necessitatem excludit. — Resp. Jansenium in eq

testimonio inaniter exultare; etenim ex contextu liquet Augustinum loqui de necessitate consequente, quæ supponit aut involvit liberum arbitrium. Ibi scilicet distinguit duplicem necessitatem, *unam quæ non est in nostrâ potestate... sicut est necessitas mortis*, et fatetur *voluntates nostras, quibus rectè vel perperàm vivitur, sub tali necessitate non esse...* Alteram *secundùm quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid, vel ita fiat*, sicut necessarium est quod à Deo præscriptum est; et hanc necessitatem, cùm sit consequens tantùm, et ideò liberum voluntatis exercitium includat, libertatem non auferre dicit, idque contra Ciceronem, qui ex Dei præscientiâ libertatis interitum pertimescebat, et ideò, dicente S. doctore, *ut homines faceret liberos, eos fecit sacrilegos.* Consuli poterit Bellarminus, libro 3 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 3, aut Dechampius lib. 3, disputatione 2 de libero Arbitrio cap. 10 et seq., ubi istud argumentum accuratè et doctè discutit et diluit.

Libro de Naturâ et Gratiâ cap. 46, n. 54, istud Pelagii dictum refellens: *Voluntatis arbitrio et deliberatione privatur quidquid naturali necessitate constringitur*, ait: « Perabsurdum est ut ideò dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quòd beati esse volumus, quia id omninò nolle non possumus... nec dicere audemus ideò Deum non voluntatem sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare; » quod ergo necessariè fit, liberè fit, contrariumque Pelagianum est. — Resp. 1°, Estium ipsum in 2 Sententiarum, distinctione 24, paragrapho 2, hoc solvisse, dicendo Augustinum non improbâsse Pelagii dictum nisi quatenùs asserere videbatur id *quod necessariè fit voluntate non fieri;* unde ibidem dicit, *et hìc nonnulla quæstio est*, id est, ambigua Pelagii verba elucidanda sunt. Resp. 2° cum aliis velle Augustinum eum, qui vult beatitudinem, vinciri quidem necessitate, *quoad specificationem*, id est, boni beatifici speciem, quia non potest velle oppositum, sive miseriam, non ideò tamen carere libero arbitrio, quia potest quoad *exercitium*, sive *actu* non velle beatitudinem avertendo cogitationem beatitudinis... Item Deum justitiam ex necessitate velle quoad *specificationem*, quia non potest velle injustitiam; at non ideò destitui libero arbitrio quia potest et quoad *exercitium* nonnulla æqua agere et non agere, et quoad *specificationem* ex multis æquis unum alteri anteponere, illudque eligere.

Enchiridion cap. 105, n. 28, libro 22 de Civitate Dei, cap. 30, n. 3, docet Beatos non spoliari, imò ornari perfectâ libertate quia peccare non possunt; ergo. Resp. 1° cum Estio in 2 Sententiarum distinctione 25, paragrapho 2, necessitatem non peccandi in Beatis non destruere sed perficere liberum eorum arbitrium in electione bonorum, quemadmodùm in Deo necessitas non peccandi perficit liberrimam ejus ad oppositum voluntatem. Scilicet, inquit Bellarminus loco citato, « qui peccare non possunt, liberrimi sunt in eligendo bono, et possunt eligere hoc vel illud bonum; vel unum et idem eligere vel non eligere, sine ullo periculo errandi. Posse autem eligere malum non est virtus liberi arbitrii sed defectus; nihil enim aliud est nisi posse in eligendo falli et errare; unde hoc defectu remoto non perit sed fortiùs et liberiùs efficitur liberum arbitrium Beatorum. »

Enchiridion capite 30, n. 9, ait: « Libero arbitrio malè utens (Adam), et se perdidit et ipsum. » Idem alibi passim repetit; sed libertas Adæ erat libertas indifferentiæ; ergo. — Resp. Augustinum, ut ex ipsis objectis verbis et ex contextu patet, his et similibus unicè intendere Adam peccando sibi et posteris perdidisse libertatem à concupiscentiâ, ignorantiâ, aliisque miseriis, quâ fruebatur in paradiso; item robustam ad bonum faciendum potestatem, non autem activam ad bonum et malum indifferentiam.

Libro 11 Operis imperfecti, n. 44, hanc peccati definitionem, quam antea attulerat, et quæ placuerat Juliano: « Peccatum est voluntas admittendi vel retinendi quod justitia vetat, unde liberum est abstinere, dicit spectâsse tantùm peccatum quod erat tantummodò peccatum (quale fuit Adæ peccatum) non peccatum quod peccatum est et pœna peccati » (qualia sunt nostra peccata); libertas igitur indifferentiæ in præsenti statu non remanet. — Resp. velle Augustinum suam definitionem intellectam de peccato à quo plenè et perfectè liberum est abstinere tangere solum actuale Adæ peccatum, quod *peccatum tantummodò fuit:* secùs intellectum de vero peccato à quo imperfectè et difficile est abstinere. Scilicet Julianus hâc definitione utebatur ad amovendum peccatum originale, à quo, utpote naturæ propagatione contracto, liberum non est abstinere, et ad probandum liberum arbitrium per peccatum non fuisse attenuatum. Id totum elucet ex n. 47, ubi ait: Multa sunt quæ agunt

homines mala, à quibus liberum est eis abstinere, sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit qui Deo suo, à quo erat conditus rectus, nullo prorsùs vitio depravatus adstabat. »

Eodem libro, cap. 105, Julianum sic affatur: « Multum erras qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam; quod nullâ necessitate commissum est. « Item libro 1 Retractationem, cap. 15, n. 3, hæc habet: « Qui cogenti cupiditati bonâ voluntate non potest resistere, et ideò facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est ut sit etiam pœna peccati; » peccata igitur actualia in præsenti statu verâ necessitate fiunt. Resp. ex citato capite 105 elucere Augustinum per necessitatem peccandi quâ laboramus intelligere vehementem inclinationem ad peccandum ortam ex primi parentis delicto quam inviti patimur. Ibi enim citat istud Apostoli Rom. cap. 7: *Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago.* Vehemens autem illa inclinatio, sive cupiditas infert voluntati moralem coactionem sive necessitatem, cui, nisi gratia subvenerit, resistere nequit. Augustinum id unicè intendere evincunt priùs citata testimonia, et istud libro 2 de peccatorum Meritis et Remissione, cap. 4, n. 4: « In grandibus baptizatis... quidquid eidem concupiscentiæ mens ad peccandum consentit propriæ voluntatis est.... ad agonem manet (concupiscentia) non sibi ad illicita consentientibus nihil omninò nocitura. »

Libro 5 Operis imperfecti cap. 61 ait: « Neque fine virtute vivemus quando nobis concedetur ne à Domino aliquando recedere possimus, quoniam nec velle poterimus; » ergo absque flexibili libertate laudi, justitiæ, et virtuti locus est. — Resp. 1° Jansenium concedere Beatos et damnatos, utpote in termino, non mereri aut demereri; argumentum ergo nimis probat. Resp. 2° hæc et similia significare absque flexibili libertate circa finem, sive beatitudinem, non circa media ad finem, sive ad beatitudinem conducentia, virtuti et laudi esse locum; voluntas nempe diverso modo finem et media apprehendit; finem non coactè quidem, sed necessariè, media verò nec coactè nec necessariè, id est, cum libertate electionis et indifferentiæ ad merendum vel demerendum requisitæ.

Tandem Augustinus libertatem, quæ sit potestas agendi vel non agendi ubique in Pelagianis et Semipelagianis reprehendit; ergo.— Rep. Augustinum hanc in illis hæreticis potestatem improbare pravo tantùm ipsorum sensu intellectam; contendebant scilicet nostram libertatem non solùm quoad essentiam, sed etiam quoad omnes qualitates sive affectiones ipsam esse libertatem cum quâ creatus est Adam, et insuper illam non indigere adjutorio ad bonum operandum, ut patet tum ex illorum objectionibus cùm ex Augustini responsis.

Momentum quartum. — *Ex aliis Patribus.* —

Jansenius, libro 6 de Gratiâ Christi, suam hanc assertionem cap. 6, *necessitas coactionis, non simplex et voluntaria, libertati repugnat* (in statu naturæ lapsæ) cap. 12 et sequentibus probare aggressus est auctoritate Patrum qui ante et post Augustinum floruerunt, quinimò theologorum antiquorum. Ideò autem Patres ab Augustino et ejus discipulis diversos non deseruit, ut solet in aliis controversiis, quia libertatis interitus capitale ejus erat dogma quo semel stabilito sola gratia invincibiliter victrix in præsenti statu necessariè foret admittenda. Hinc nonnullos præter Augustinum Patres utriusque Ecclesiæ adducere necessarium duximus. Itaque divus Clemens Alexandrinus, libro 4 Stromatum, versùs finem, ait: « Id est in potestate nostrâ, cujus ex æquo sumus domini, et ejus quod ei adversatur ut.... credere vel non credere. » Libro 1 circa medium dixerat: « Nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa sunt si anima non habeat liberam potestatem et appetendi et aggrediendi. »

Origenes, Clementis discipulus, apud Eusebium, libro 6 de Præparatione, cap. 11, ad hanc objectionem, *futurorum prænotio arbitrii nostri potestatem tollit,* respondet: « Nulla prorsùs à divinâ prænotione rebus, quas prævidet, necessitas imponitur.... quia quodammodò parem in utramque partem vim facultatum ostendit. » In ancipiti igitur ad utrumlibet arbitrii potestate libertas consistit, quam ideò tolleret Dei præscientia, si voluntatem uni parti illigaret. Idem docet libro 3 de Principiis, cap. 1.

Divus Athanasius, oratione 4 contra Arianos, probat Deum *naturâ esse bonum,* non *voluntate,* quia si esset bonus *voluntate* fieri posset *ut non esset bonus; deliberare enim, eligereque in utramque partem momenta sua habet.* Ubi nota *voluntatis* nomen sumi pro *volitione* quæ à facultate ad utrumlibet indifferenter oritur, non pro *volitione* naturali etiam necessitate elicitâ. Item in exhortatione ad Gentes dicit: « Anima liberi arbitrii cùm existat, potest ut ad bona se incliuare, ita bona quoque aversari. »

Divus Gregorius Nazianzenus in Apologetico circa initium hæc habet: « Arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet. »

Divus Gregorius Nyssenus oratione catecheticâ, cap. 31, dicit: « Qui in universitatem liberam habet potestatem, propter summum in homines honorem, dimisit etiam aliquid in nostrâ potestate, cujus unusquisque nostrùm est dominus. Hoc autem est liberi arbitrii libera electio. » Hæc breviùs expressit Eusebius, libro 6 de Præparatione, dicendo: « In nostrâ positum est potestate quod ex propriæ electionis motione fit. »

Tandem, ne longior sim, divus Joannes Damascenus, libro 2 orthodoxæ fidei cap. 25 et 26, totus est in activâ arbitrii indifferentiâ ad utrumlibet demonstrandâ. Hæc, inquit cap. 26, arbitraria ac nobis libera sunt, quæ in utramque partem æquè contingere possunt... velut mentiri vel non mentiri... cæteraque ejusmodi in quibus et virtutis et vitii munus versatur; horum enim libera penès nos est potestas.

Concinunt Latini. Sanctus Hilarius, Commentario in Psalmum 2: « Unicuique nostrûm, inquit, libertatem vitæ sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens. »

Sanctus Optatus Milevitanus, libro 7 adversùs Parmenianum, in exordio, ait: « Homicida scelus potest facere, potest etiam non facere, et cætera ejusmodi in quibus liberum habetur arbitrium. »

Denique divus Bernardus, quem suas in partes trahere nititur Jansenius, libro de Gratiâ et libero Arbitrio cap 2, hæc habet: « Est ratio data voluntati ut instruat illam, non ut destruat. Destrueret autem si necessitatem ei ullam imponeret, quominùs liberè pro arbitrio sese volveret, sive in malum consentiens appetitui, sive in bonum gratiam sequens. » Ibi necessitas, quæ libertati opponitur, ea ipsa dicitur quæ impedit quominùs voluntas utramlibet in partem pro arbitrio suo sese inflectat.

Jansenius commemoratam suam distinctionem duplicis necessitatis, *coactionis* et *simplicis,* quarum prima libertati nocet, secùs altera eodem libro capitibus 12, 13 et seq., stabilire conatur suffragiis, ut diximus, doctorum qui ante et post gratiæ vindicem Augustinum vixerunt.

Illorum Patrum de libertate doctrinæ summa his comprehenditur effatis quibus majusculis litteris ad ostentationem millies exaratis ingens suum volumen adaugere voluit Yprensis: *Quidquid voluntariè fit liberè fit.... Ubi voluntas ibi libertas.... Quod non est coactum liberum est... Libertas est consensus spontaneus... Necessitas non tollit libertatem.*

Liberum arbitrium, inquit S. Prosper, libro adversùs Collatorem, cap. 18, rei sibi placitæ spontaneus appetitus... divino justoque judicio actum, ut quæ fuit (Angelis) manendi voluntas fieret permanendi voluntaria felixque necessitas, » libro 1 de Vitâ contemplativâ.

Arbitrii libertas, inquit D. Joannes Damascenus libro 3 orthodoxæ fide cap. 27, *nihil est aliud quàm voluntas.*

Concinit D. Bernardus libro de Gratiâ et libero Arbitrio sub initium. « Liberum arbitrium, inquit, est habitus animi liber suî, siquidem non cogitur, non extorquetur; est quippe voluntatis, non necessitatis.... Porrò, ubi voluntas ibi libertas, et hoc est quod dici puto liberum arbitrium... Consensus nutus est voluntatis spontaneus, » etc.

Hæc omnia sic profert Jansenius libro 6 de Gratiâ Christi capitibus 13, 15, et 17. Verùm hujus objectionis fucus brevi evanescet si sequentia ponderaveris.

1° Quemadmodùm plures Patres Antenicæni, si prævidissent Arii hæresim, de Verbo non disseruissent ut disseruerunt, aut, v. g., Tertullianus si Antropomorphitarum insulsum dogma prænovisset nunquàm dixisset (dùm erat Catholicus) *Deum esse corpus* (dicere voluit Deum esse substantiam sive quid reale). Ita Patres ante et post Augustinum, si sibi exploratus fuisset futurus Jansenii error, circa libertatem relatis effatis nunquàm usi fuissent.

2° Multiplici eoque vero et catholico sensu Patres libertatem finire potuerunt per *spontaneitatem*, et motum animi à coactione immunem; scilicet hæc definitio, si est inadæquata, non magis vitiosa est quàm ista imperfecta hominis definitio, *homo est animal....* Item cùm coactionis nomen exprimere possit, et reipsà apud antiquos sæpiùs exprimat non solùm violentiam ab extrinsecis causis illatam, sed etiam quamlibet veram necessitatem, quâ voluntas interiùs constringi potest, rectè hoc modo libertas dicitur *immunitas à coactione.* Tandem coactionis nomen significare potest, et reverà apud plures Patres, D. Thomam et theologos veteres significat naturalem instinctum, sive necessitatem, quò in ultimum finem rapitur voluntas, non quò media ad finem obtinendum

capessit; hæc enim media pro suo arbitrio eligit. Jam verò Jansenio et ejus discipulis probare incumbit Patres Augustino priores et posteriores accuratam libertatis definitionem afferre voluisse, aut *coactionis* vocem non relatis sensibus, sed pro solà violentià exteriùs inflictà usurpâsse; quod sanè nunquàm evincent. Ipsi quippe objecti Patres hoc nomen sic non acceperunt. Etenim divus Prosper, libro adversùs Collatorem cap. 18, disserit de libero arbitrio ante lapsum Adæ; ait enim ibidem: « Liberum arbitrium, id est, rei sibi placitæ spontaneus appetitus, ubi usum bonorum quæ acceperat (Adam) fastidivit, et vilescentibus suæ felicitatis præsidiis, insanam cupiditatem et experientiam prævaricationis intendit, bibit omne vitiorum venenum, et totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit. » At liberum arbitrium insontis Adæ ex ipso Jansenio plenissimâ ad utrumlibet indifferentiâ erat præditum, nec concupiscentiæ aut gratiæ victricis dominio erat subditum; ergo per spontaneitatem indifferentiam non exclusit S. doctor. Idem elucet ex ultimo textu, in quo agitur de Angelis planè liberis in ipso Jansenii systemate ad manendum aut non manendum in justitiâ, qui in termino constituti felici necessitate libertatem sensu antea exposito non explodente Deum diligunt. Unde Jansenii de libertate dogma his testimoniis totum pessumdatur, tantùm abest ut stabiliatur.

Divus Joannes Damascenus meritò dixit libertatem *nihil aliud esse quàm voluntatem*, tum quia libertas residet in voluntate, tum quia voluntas stricto et usitato sensu accepta est potestas agendi vel non agendi; hunc autem sensum intendisse S. doctorem, non autem id quod voluntariè fit, etsi necessariè, fieri liberè, evidens est ex præcedente capite 26 supra citato.

Denique divus Bernardus *spontaneitatis* nomine intellexit immunitatem tum à necessitate cùm à coactione; 1° enim ibi agit de Adam quem asserit culpandum esse quia *voluntate cecidit, et peccâsse quia liberum ei fuit*, nec aliunde profectò liberum *quàm ex libertate arbitrii*; sed, ut dictum est, Adam expers fuit et coactionis et necessitatis... 2° Verbis in probatione citatis necessitatem à libertate amovet... 3° Ipsum verbum, *cogere*, prout opponitur necessitati, sumi demonstrant ipsa verba objecta, *non cogitur*, etc.; est *quippe voluntatis, non necessitatis*. Unde *coactio*, de quâ S. doctor, non est vis propriè dicta, quæ volendi facultati infligi nequit, sed necessitas simplex.

Exemplo autem dæmonum (quod ex Patribus objicit Jansenius) non probatur actibus necessariè elicitis peccari aut posse peccari; « tam enim Angeli sancti, inquit Bellarminus libro 5 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 14, quàm mali dæmones, respectu finis ultimi, non habent liberum arbitrium à necessitate, sed solùm à coactione; tamen respectu mediorum liberum arbitrium habent etiam à necessitate, quia multa faciunt quæ possunt non facere, et contra; et in hujusmodi dæmones verè peccant, et boni Angeli opus verè laudabile faciunt, quamvis nec pœna, nec præmium essentiale crescere possit, cùm utrique sint in termino, et omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis vel gloriæ sempiternæ pertineant. Itaque propositio Calvini (si viveret, adderet et Jansenii) dæmones semper necessariè malè agunt, in aliquo sensu falsa est, in aliquo vera. Verum siquidem in genere, eos non posse nisi malè agere, falsum tamen est in particulari omnia mala quæ faciunt illos necessariè facere; possunt enim multa non facere quæ faciunt, et ideò non necessitate sed voluntate peccata committunt. »

MOMENTUM QUINTUM. — *Ex theologorum consensu.* — Jansenius, libro 6 de Gratiâ Christi, à capite 18 ad 33, plures pro se adducit theologos usque ad Gabrielem Biel, qui mortuus est anno 1495, inter quos annumerare ausus est præclara theologiæ scholasticæ lumina, SS. Thomam et Bonaventuram. Igitur nobis concedit theologos omnes qui floruerunt ab anno 1495 ad suum tempus, id est, annum 1638, et ideò ipsum amicum suum Guiellelmum Estium.

Longè aliter senserat doctissimus et piissimus cardinalis Robertus Bellarminus, quem, ut diximus, Henricus Norisius, ceu *egregium Ecclesiæ catholicæ lumen* colit et veneratur. Etenim libro 3 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 5, hæc scribit: « Sequuntur Petrum Lombardum theologi scholastici omnes, ut Albertus in 2 Sententiarum, distinctione 24, Alexander, S. Bonaventura in 2 distinctione 25, S. Thomas tum alibi tum in q. 6 de Malo, quæ est de electione, articulo unico, ubi scribit hæresim esse non solùm apud theologos, sed etiam apud philosophos affirmare ad liberam electionem non requiri libertatem à necessitate, sed satis esse eam, quæ est à coactione; et rectè hoc dicit; nam et Philosophus

libro 3 Ethicorum, cap. 4 et 5, distinguit voluntarium à libero, quòd ad liberum pertineat posse facere et non facere; et naturalis ratio idem ostendit. »

Ut calumnia venerando theologorum choro à Jansenio impacta evanida sit, sufficiet profectò ostendisse eorum principes, Lombardum, et SS. Thomam et Bonaventuram, non solùm Yprensis systemati non favisse, sed etiam illud confutàsse. Theologi quippe pro singulari suâ in Angelicum et Seraphicum doctorem reverentiâ ab utriusque doctrinâ, quæ Ecclesiæ fuit accepta, recedere nefas duxissent. Itaque. Magister Sententiarum loco mox à Bellarmino citato, imò à Calvino et Jansenio objecto, hæc docet: *Liberum arbitrium est potestas libera ad utrumlibet, quia liberè potest moveri ad hoc vel illud.* Consistit ergo libertas in indifferentiâ voluntatis *ad utrumlibet*, sive in activâ potestate agendi hoc vel illud, hoc agendi vel non agendi. Equidem ibidem ait, ut objicit Jansenius eodem libro 6, cap. 20: *Voluntas semper à necessitate libera est, et nunquàm cogi potest.* Verùm magistrum loqui non solùm de *necessitate coactionis*, ut placet Jansenio, sed etiam de necessitate simplici, sive determinatione ad unum, patet tum ex se, tum ex contextu, tum ex Estio, qui in hunc locum observat, « mirum non esse quòd Magister coactionem strictè non sumpserit, cùm de Deo dicat Ecclesia, ipsa te cogat pietas... » Pariter dicit Lombardus: « Liberum dicitur arbitrium, quantùm ad voluntatem quia voluntariè movetur, et spontaneo appetitu ferri ad ea potest quæ bona vel mala judicat; » at, inquit idem Estius, spontanenm accepit « pro eo quòd ita agit ut possit non agere, utpote nec violentiâ nec naturali necessitate constrictum, ac determinatum in alteram partem; » quæ Jansenii amici responsio mirum in modum confirmatur ex doctrinâ ejusdem distinctionis; in eâ enim tradit Magister, ut modò diximus, libertatem esse *potestatem ad utrumlibet*... Liberum arbitrium non esse præsentium, vel præteritorum, sed futurorum duntaxat, quia præsentia et præterita determinata sunt ad unum.... Liberum arbitrium ad utrumlibet indeterminatum esse debere.... In Deo esse liberum arbitrium, quia licet non habeat potestatem ad opposita, sive non possit malè agere, tamen non necessitate agit quod agit, et potuisset illud non agere... Libertatem à necessitate fuisse ante peccatum, et remansisse etiam post peccatum, sed libertatem à peccato et miseriâ fuisse ante peccatum, non postea, etc. Magistrum sequitur D. Thomas, cujus Sententiarum libros exposuit.

Jam dixit quæstione 6 de Malo, à Bellarmino laudatâ, hæreticum esse asserere esse *demeritorium vel meritorium quod aliquis sic ex necessitate agit ut vitare non possit;* quæ dubio procul rem evincunt. Idem docet in quæstionibus de veritate, de potentiâ, in libros Sententiarum, et etiam in Summâ.

Quæstione 22 de Veritate, a. 6, in c., hæc peremptoria statuit: « Cùm autem voluntas dicatur libera, in quantum necessitatem non habet, libertas voluntatis in tribus considerabitur; scilicet quantùm ad actum, in quantum potest velle vel non velle, et quantùm ad objectum, in quantum potest velle hoc vel illud, et ejus oppositum, et quantùm ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum, vel malum. Quantùm ad primum horum, inest libertas voluntati in quolibet statu naturæ, respectu cujuslibet objecti. Secundum verò horum est respectu quorumdam objectorum, scilicet respectu eorum quæ sunt ad finem, et non ipsius finis, et etiam secundùm quemlibet statum naturæ. Tertium verò non est respectu omnium objectorum, nec respectu cujuslibet statûs naturæ, sed illius tantùm, in quo natura deficere potest. » Ibi à libertate non coactionem, sed necessitatem arcet. Ibi simplicem necessitatem *ab actu* removens erigit libertatem *contradictionis*, quâ potest voluntas actum elicere vel non elicere. Ibi necessitatem ab objecto excludens *improprium contrarietatis* libertatem stabilit, quæ potest hoc vel illud objectum appetere. Ibi determinationem ratione finis explodens *propriam contrarietatis* libertatem tangit, quæ bonum inter et malum, æquali utriusque accersendi potentiâ, fluctuat.

Quæstione 2 de Potentiâ, articulo 3, dicit: « Voluntas in quantum voluntas, cùm sit libera, ad utrumlibet se habet; potest enim voluntas agere, vel non agere, sic vel sic facere, velle et non velle. » Hoc igitur sensu libera est, quòd non sit determinata ad unum, sed sese ad hoc vel illud determinet.

In 2 Sententiarum, distinctione 25, q. 1, a. 1, hæc habet: « Ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere vel non facere possit, et hoc Deo convenit; bona enim quæ facit potest non facere. » Nullus hìc cavillationi locus; homo non est liberi arbitrii nisi quia potest agere vel non agere; Deus non est liber nisi quatenùs bona quæ operatur potest non operari.

In Summâ p. 1, q. 19, a. 10, in c., ita sancit : « Dicendum quòd liberum arbitrium habemus respectu eorum quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu ; non enim ad liberum arbitrium pertinet quòd volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum ; unde et alia animalia, quæ naturali instinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri.

Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate...... respectu eorum, quæ non necessitate vult, liberum habet arbitrium. » Eat nunc Jansenius, et obganniat, amorem quo se Deus necessariò diligit, vel Spiritûs sancti ex Patre et Filio processionem, liberum arbitrium attingere, aut *fieri non posse* (ut contendit libro 7 de gratiâ Christi cap. 13) *ut eadem potentia voluntatis circa finem versetur ut natura, et in eâ quæ sunt ad finem ut potentia libera.*

Multa opponunt adversarii ex citatis D. Thomæ operibus, quæ ipsis acceptissimus Estius in 2 Sententiarum, distinctione 24, paragrapho 2, feliciter diluit, ut et Dechampius libro 3, disputatione 2, cap. 21. Satis erit hìc observâsse eas objectiones desumi ex locis in quibus S. doctor non de libero arbitrio, sed de aliis rebus disserit, aut libertatem nonnisi leviter attingit, etc. Itaque divus Thomas, inquiunt, q. 10 de Potentiâ, articulo 2, ad 5, dicit *libertatem violentiæ vel coactioni opponi.* Verùm, ibi distinguens libertatem à libero arbitrio, per libertatem intelligit *libentiam,* sive *spontaneitatem,* quam ideò coactioni, quæ sola illam destruit, opponit.

Primâ parte, q. 83, articulo 2, ad 3, ait : « Homo peccando liberum arbitrium perdidit, non quantùm ad libertatem naturalem, quæ est à coactione, sed quantùm ad libertatem, quæ est à culpâ et miseriâ. » Verùm ibi coactionem accipit pro necessitate, sive determinatione ad unum. Ibidem scilicet, in corpore, dixerat liberum arbitrium non esse *habitum,* sed potentiam, quia liberum arbitrium ad multa etiam opposita indeterminatum sive indifferens est, per habitum verò homo inflectitur ad unum.

Amicus amico, sanctus sancto, doctor doctori, Bonaventura Aquinati blanditur. In 1 Sententiarum, distinctione 38, q. 1, docet Dei præsentiâ pessumdandum esse liberum arbitrium si *necessitatem* imponeret. Simplex ergo necessitas libertati capitaliter infensa est. In 2 Sententiarum, distinctione 41, q. 1, ait : *Nemo etiam venialiter peccat in eo quod nullo modo potest prohibere, nec etiam potuit præcavere.* Peccatum igitur est liberum quia vitari potest. In 3 Sententiarum, distinctione 12, q. 1, de Christo dicit : « Sic decebat hominem....... constitui ut..... haberet vertibilitatem arbitrii (flexibilitatem ad bonum et malum)..... Sed Christus habuit aliquid supra hominem ; (ideò decuit) quòd sibi fieret aliquod speciale privilegium, ut esset in eo liberalitas (libertas) obsequii sine vertibilitate arbitrii ; sicut et in divinâ voluntate videmus, quòd liberaliter (liberè) nobis bona impendit, et facit ; nullam tamen in eo est ponere vertibilitatem ; » Christus ergo, licet potestatem non habuerit ad opposita, bonum et malum, habuit tamen libertatem *exercitii,* sive *obsequii,* id est, potestatem faciendi et non faciendi, hoc vel illo modo, in quâ liberi arbitrii vis sita est ; Deus ergo, licet libertatem non habeat ad bonum et malum, sive *vertibilitatem arbitrii,* tamen sine ullâ necessitate bona nobis impendit ; sed ex Bonaventurâ in his homo Christo par est, unâ exceptâ *arbitrii vertibilitate,* id est, flexibilitate ad bonum et malum ; ergo.

Sed, inquiunt, Bonaventura in 2 Sententiarum, distinctione 25 ad textum, et articulo 2, q. 1, dicit : « Cùm duplex sit necessitas, videlicet coactionis et immutabilitatis, necessitas coactionis repugnat libertati arbitrii, non autem necessitas immutabilitatis ; » ergo. Resp. cum Estio hos in locos Bonaventuram liberum arbitrium sub duplici respectu hìc considerare, nempe ut *liberum,* et ut *deliberans.* « Quatenùs liberum est dicit illud esse posse respectu voluntarii, sicut patet in Deo et in Beatis, in quibus necessitatem quidem habet immutabilitatis, non tamen coactionis ; quatenùs autem deliberans, non est nisi de contingenti, quia nemo deliberat de necessario et impossibili. » Intendit igitur S. doctor actiones necessarias in Deo et Beatis esse voluntarias et ideò immunes à coactione, et hoc sensu liberas ; actiones verò orientes ex voluntate non simplici, sed *deliberante* et *electivâ,* non esse necessarias, sed ita elici ut possent non elici.

Exponendi erunt alii quos objiciunt theologi eo modo quo explicuimus Petri Lombardi et SS. Thomæ et Bonaventuræ effata.

Momentum ultimum. *Ex rationibus theologicis.* — Prima. Consentiunt omnes homines, ipso fatente domino Nicole in Symbolo, neminem esse laudandum, vituperandumve, puniendum aut remunerandum, nisi quando ea fecit vel non fecit quæ facere aut non facere poterat. Hinc Augustinus libro de duabus Animabus

contra Manichæos, cap. 11, n. 15, dicit « ista cantare in montibus pastores, in theatris poetas, indoctos in circulis, doctos in bibliothecis, magistros in scholis, antistites in locis sacratis, et in orbe terrarum genus humanum; » quæ, utpote ex sensu intimo et omnium populorum consensu hausta ipsum revocâsse, ubi Pelagianos impugnavit, dicere insulsum foret.

Secunda. Systema, in quo sine maximâ difficultate intelligitur concordia libertatis cum gratiæ motione, verum non est, tum ex Apostolo Rom. (cap. 9, et cap. 11, cùm ex Augustino, libro de Gratiâ Christi, cap. 47, n. 52, ubi ait : « Ista quæstio (de arbitrio voluntatis et Dei gratiâ) ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri; » sed concordia ista illicò intelligitur, si libertas consistat in immunitate à coactione, non necessitate; etenim sub motione gratiæ invictissimè victricis actio voluntatis est spontanea, sicut productio Spiritûs sancti, etsi maximè necessaria, est actio voluntaria Patris et Filii.

Tertia desumitur ex absurdis ex sententiâ Calvini et Jansenii circa libertatem erumpentibus. Scilicet, si ad liberum arbitrium sufficeret libertas à coactione, infantes, insani, etc., actu essent liberi, ut et Deus in generatione Filii, et homo in actuali generali appetitu beatitudinis; illi enim omnes spontè agunt; falsum consequens; ergo.

Quarta. Systema ad liberum arbitrium immunitatem à coactione, non necessitate exigens, videtur repugnare. Etenim liberum arbitrium non est voluntas præcisè, sed voluntas quatenùs est principium actionis; at licet voluntas præcisè, sive simplex, possit concipi cum immunitate à solâ coactione (talis quippe voluntas felicitatis saltem quoad specificationem), potestas tamen electiva non videtur conciliari posse cum necessitate, sive determinatione ad unum, siquidem electio est inter plura cui ideò præit consultatio.

Argumentum tandem eruunt Dechampius et ejus pedissequi Honoratus Tournely ejusque redactores ex absurdis, sive incommodis ex systemate delectationis relativè victricis erumpentibus. Verùm, cùm illud argumentum non minùs impetere videatur catholicam quorumdam Augustinianorum de delectatione per gradus victrice sententiam quàm relatum Jansenii systema, idcircò iis referendis supersedemus.

Objicit Jansenius, libro 7 de Gratiâ Christi, cap. 14 et 15, plura absurda scaturire ex systemate liberum arbitrium in contradictionis indifferentiâ collocante. Hæc autem urget.

Primum. Si liberum arbitrium consisteret in indifferentiâ contradictionis, sive agendi et non agendi, gratia, concupiscentia et habitus directè repugnarent libero arbitrio; indifferentia enim illa sita est in quâdam *æquali inflexione in agendum* vel non agendum, quæ necessariè turbatur per inflexionem in bonum aut malum, gratiæ, concupiscentiæ et habituum propriam; insulsum consequens; ergo. — Resp. 1° : Retorqueo argumentum. Si liberum arbitrium insontis Adæ situm fuisset in contradictionis indifferentiâ (ut constat, et docet Jansenius), gratia et habitus illius statûs è diametro repugnâssent arbitrii libertati, siquidem gratia illa et illi habitus Adæ voluntatem in unam partem inflexissent; absurdum consequens; ergo. — Quam attulerit solutionem Yprensis et nos afferemus. Resp. 2° : Distinguo majorem : Si liberum arbitrium efficeret indifferentia contradictionis perfectum voluntatis æquilibrium importans, gratia læderet liberum arbitrium, conc.; si liberum arbitrium procrearet indifferentia contradictionis potestatem agendi vel non agendi præcisè includens, gratia violaret liberum arbitrium, nego maj.; et contra, dist. minore, nego consequentiam. Manifestum est perfectam inter utramque partem suspensionem perturbari per inclinationem in alterutram partem, gratiâ, concupiscentiâ, vel habitibus collatam, et ideò indifferentiam contradictionis sub hoc respectu consideratam tolli per propensionem in bonum aut malum, in agendum vel non agendum, quam infert gratia vel concupiscentia. Verùm indifferentia contradictionis accepta (ut hîc accipitur) pro immunitate à quâcumque verâ necessitate, alterutram partem sequendi, non destruitur per inflexionem in alterutram partem cœlesti vel terrenâ delectatione invectam, quia voluntas sic inclinata, utpote ab omni verâ necessitate expedita, semper potest illam inclinationem, si libuerit, excutere.

Secundum. Si indifferentia contradictionis efficeret liberum arbitrium, meritum bonum et malum *eò minus esset et decoloratius* quò quis in bono vel malo fortioribus habitibus esset infixus; meritum quippe ac demeritum ex libero arbitrio maximè ponderatur, et ideò cum illo æquè decrescere debet; absurdum consequens; ergo, etc. — Resp. 1°, ut supra : Retorqueo argumentum. Si indifferentia contradictionis effórmâsset liberum arbitrium in statu inno-

centiæ, bonum et malum eò minus fuisset in statu illo quò quis in bono vel malo magis fuisset obfirmatus; absurdum conseq. — Quam iterùm suppeditabit responsionem Jansenius, liquescere faciet argumentum. Resp. 2° : Nego majorem et ejus probationem. Indifferentia enim, quæ libertatis essentiam in quolibet statu constituit, de quâ solâ hîc res est, utpote præcisè consistens, ut diximus, in immunitate à verâ necessitate, quæ *ut sic* crescere aut decrescere nequit, per habitus nec auferri nec extenuari potest.

Urgeri tamen potest argumentum in hunc modum : Immunitas à propensione in alterutram partem, quæ, ut dictum est, arbitrii indifferentiæ est accidentalis, meritum aut demeritum amplificat; qui enim, v. g., bonum operatur ad quod non est proclivis, magis dubio procul meretur quàm si ad illud esset proclivis, cùm ejus actio majorem importet conatum; at ex concessis per habitus illa tollitur immunitas, cùm in alterutram partem inclinent; ergo imminuunt meritum aut demeritum. — Resp. 1°, ut supra, hæc non magis spectare statum naturæ lapsæ quàm statum naturæ integræ, et ideò adversariis esse solvenda. Resp. 2°, certum non esse commemoratam indifferentiam meritum adaugere, cùm inter theologos et philosophos alii negent, alii affirment. Resp. 3° : Distinguo majorem : Immunitas à propensione in alterutram partem meritum aut demeritum adauget ex aliquâ parte, esto (cùm id sit controversum). Ex omni parte, nego majorem ; et concessâ minore, distinguo cons. ad sensum majoris. Etenim, ut allato exemplo inhæream, qui castitatis actum exercet, ad quem parùm aut nullatenùs proclivis est, magis ex allatâ ratione mereri videtur, et sub hoc respectu privatio propensionis auget meritum; at si ille eumdem actum exerceret ex longo habitu, majus acquireret meritum, quia per habitum diuturnâ actuum repetitione acquisitum operaretur, et sub hoc respectu immunitas proclivitatis non auget, sed minuit meritum. Unde vulgò docent philosophi eos plus absolutè mereri qui ex inveteratâ consuetudine quàm qui sine illâ consuetudine eumdem virtutis actum eliciunt. Cùm autem illud verum sit tam in integrâ quàm in corruptâ naturâ, immeritò sanè Jansenius asserit, meritum « eò minus esse et decoloratius quò quis in bono firmioribus habitibus radicatus fuerit. »

Tertium. Si liberum arbitrium contradictionis indifferentiâ constitueretur, Christus et Beati « vi amoris beatifici omnem omninò libertatem amisissent adimplendi præcepta naturalia et positiva, quatenùs præcepta sunt; » absurdum consequens; ergo. — Resp. 1°, hoc argumentum innocentiæ statui accommodatum ipsi Jansenio esse diluendum. Resp. 2°, vel præcepta naturalia et divina cum motivo et omnibus adjunctis fuisse Christo ac Beatis esse absolutè et *indispensabiliter* præscripta, ita ut scilicet nulla prorsùs ex illis adjunctis Christi arbitrio derelicta sint, aut voluntati Beatorum derelinquantur, vel non; si istud, planè ruit Jansenii argumentum; si illud, nulla reverà fuit in Christo, estve in Beatis, circa omnia illa libertas, cùm in eis absit potestas ea ponendi, vel omittendi. Porrò theologi, ubi de his suo loco disserunt, vulgò docent Christum aut non accepisse à Patre moriendi præceptum, aut si acceperit, illud fuisse conditionatum, si nempe vellet ab eo dispensationem non petere, ipsumque in exequendis naturalibus et divinis præceptis liberum tantùm fuisse circa varia adjuncta, quæ non imperabantur, et ideò adhibere vel prætcrire potuit. Quod attinet ad Beatos, quo sensu liberi sint supra exposuimus.

Principia solutionum. — Primum. Jansenius suum dogma de extinctione per avitum delictum libertatis *contradictionis* et *contrarietatis* quâ fruebatur insons Adam, et absolutâ necessitate in præsenti ordine delectationis relativè victricis voluntatem invicto modo determinantis ad bonum loco adjutorii *sine quo* innocentis Adæ libero arbitrio omnimodè derelicti, Jansenius, inquam, hoc suum dogma, utpote capitale, omni argumentorum genere probare aggressus est. Cùm autem illud dogma, et omnia ferè argumenta quibus innititur, à Calvino per concilium Tridentinum damnato, acceperit, quomodò viri Ecclesiæ catholicæ amantes, et illius definitionibus addicti (quales sunt Augustiniani et Thomistæ), in Jansenianum systema propendere, illiusve momentis tangi possent?

Secundum. Cùm plura Yprensis argumenta, ut commemoratum stabiliat dogma, etiam ab innocentiæ statu removerent libertatem contradictionis et contrarietatis, ut et gratiam, cui voluntas, si vellet, dissentire poterat (quas tamen illo in statu meritò agnoscit Jansenius), illicò quis intelligit illa argumenta esse plumbea, et seipsis concidere.

Tertium. Inania effugia, quibus eludit Jansenius conciliorum et D. Augustini oracula, sive de gratiâ cui voluntas consentire vel dissentire potest si velit, sive de libertate quâ

agere vel non agere, bonum vel malum facere est in nostrâ potestate, ejus systematis absurditatem patefaciunt; quid enim magis absurdum quàm reponere, voluntatem posse dissentire gratiæ si *quod impossibile est velit ipsi dissentire?* Vel ideò ipsi consentire vel dissentire posse, quia consentire vel dissentire, credere vel non credere, velle aut nolle, *officia sunt voluntatis*, sicut *munus intellectûs est intelligere?* Quid insulsius quàm respondere esse in nostrâ potestate agere vel non agere, benè vel malè facere, quia voluntas nostra *modò agit, modò non agit, modò benè, modò malè operatur?*

Quartum. Jansenius obscurorum quorumdam Patrum et theologorum veterum circa libertatem et gratiæ vim effatorum latibula ingressus est, ut relatum suum systema lectorum animis instillaret. Scilicet illi libertatem finierunt *spontaneum appetitum, voluntariumve;* at statim evanescet difficultas, si attenderis definitionem illam, vel descriptionem, posse esse *partialem...* Illam posse designare spontaneitatem ipsi etiam necessitati oppositam... Illam posse connotare spontaneitatem respectu ultimi finis voluntariè sed necessariè instinctu naturali voliti, non respectu mediorum ad finem assequendum conducentium, etc. Etverò, voluntas stricto sensu accepta eos tantùm comprehendit actus qui à facultate ad utrumlibet indifferente, et in utramque partem sua momenta habente, oriuntur.

Quintum. Ut ambiguam vocem, *voluntas*, Jansenii et ejus sectatorum cavillationibus subtrahas, præter mox observata attende voluntatem liberum arbitrium formaliter constituentem non esse simplicem voluntatem, quæ *sit libertatis à solâ coactione capax*, sed voluntatem quatenùs *est electiva*, sive *principium electionis*, et ideò est coactionis, et cujuslibet veræ necessitatis ex se exclusiva.

Sextum. Ut eorumdem argutias elimines, observa 1°, Patres, et speciatim D. Thomam, aliquando *libertatem à libero arbitrio* distinxisse, et per illam libentiam, etiam cum necessitate subsistentem, per istud verò potentiam ad opposita se habentem, et quæ potest velle, vel non velle, intellexisse... 2° Nos essentiam liberi arbitrii non constituere in *indifferentiâ contrarietatis*, sed in *indifferentiâ contradictionis*, cum quâ subsistere potest necessitas ad unum; Deus enim liberrimus est, et tamen peccare non potest, sive caret potestate faciendi malum, non ex *libero arbitrio* (ut obgarrit Jansenius), sed ex *naturâ suâ*. Hinc cùm Julianus pugnaret, *liberum non esse nisi quod duo potest velle*, id est, *bonum et malum*, D. Augustinus sic eum revicit libro 1 Operis imperfecti (apud Jansenium libro 6 de Gratiâ Christi, cap. 7): *Liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle.... Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* Nihilominùs fide constat hominem lapsum non solùm *indifferentiâ contradictionis*, sed etiam *indifferentiâ contrarietatis* esse præditum. Quare Augustinus, Pelagianis ad liberum arbitrium *contrarietatis indifferentiam* exigentibus, ideò tantùm litem intendit, quòd hanc indifferentiam ad libertatis *essentiam* requirerent, sicque illud omne libertate destituerent quod bonum et malum velle non potest, et insuper hominem in statu præsenti non magis ad malum quàm ad bonum inclinari pertinaciter assererent... 3° Augustinum et alios Patres intelligentes per *libertatem facilitatem agendi benè*, et per *liberum arbitrium potestatem benè agendi vel non agendi*, interdùm dixisse, *per Adæ peccatum periisse libertatem, non liberum arbitrium...* Item eos vehementem ad peccatum propensionem Adæ delicto invectam aliquando *peccandi necessitatem* appellâsse.

Septimum. Necessitas gratiæ internæ, et admirabilis virtus quâ bonum opus à voluntate elicit, non explodit, destruitve, quinimò arguit, ipsius Augustini judicio, liberam et ab omni prorsùs necessitate immunem ejusdem voluntatis cooperationem; aliàs S. doctor non tantùm laborâsset in conciliando libero arbitrio cum illâ gratiâ.

Octavum. Quæ adversùs catholicum de libertate et gratiæ efficaciâ dogma argumenta suggerit ratio virum sapientem movere non debent; 1° enim similia suppeditat ubi de summâ Dei immutabilitate cum summâ ejus libertate consociandâ res est... 2 Difficultates illæ quæ hucusque plenè dissipari non potuerunt, nec unquàm, opinor, dissipabuntur, *fallunt*, ut olim aiebat Augustinus, *verisimilitudine*, et angustos humanæ rationis limites expromunt, non dogmatum illorum repugnantiam.

Nonum. Quam in diuturno suo cum Manichæis certamine, et frequentibus contra Stoicos, astrologos, et alios libertatis hostes velitationibus ex ipsis philosophis et communi hominum sensu arreptam concinnaverat liberi notionem (*id esse quod est in nostrâ potestate*), eximium gratiæ vindicem in postremâ cum Pelagianis concertatione abjurâsse nemo nunquàm ejus sapientiæ conscius et gloriæ cupidus in mentem suam induxerit.

Decimum. Jansenius varia in catholicum de libertate et gratiæ efficaciâ dogma absurda contorsit, et exsibilanda nobis malignè et invidiosè porrexit. Nos ista, quæ jam in ultimo momento delibavimus, in ipsius systema contorquemus, et exsibilanda ipsi benignè et amanter porrigimus. Si quod spontè, etsi necessariè fit, est liberum, et ideò omne voluntarium semper et necessariè liberum est, et *in entis potestate*. 1° Spiritûs sancti productio est in Patris et Filii liberâ optione et electione; oritur enim ex voluntariâ utriusque actione.... 2° Liberum est Beatis ac in ipsorum potestate Deum amare, siquidem Deum spontè diligunt... 3° Liberum est Christo peccare; peccaret enim si vellet... 4° Justi laude digni forent etiamsi à sideribus simplicem benè operandi necessitatem exciperent; voluntariè nimirùm agerent... 5° Sontes supplicio justè afficerentur, licet iisdem causis concitantibus voluntariè quidem, sed necessariò delinquerent.... 6° Dæmones etiam culpæ non essent expertes, si *naturaliter,* ut obganniabant Manichæi, malè agerent... 7° Necessitas quâ brutorum animantium appetitus in res sensibiles abripitur, non est libertati adversa, siquidem non est intrinseca coactio, et ideò in brutis illis nihil ad veram libertatem desiderandum est præter cognitionem.

Videat Yprensis utrum ista paradoxa, aut commenta, à suo systemate arcere possit, et an ea cum Augustini doctrinâ, christianâ pietate, et communi sensu (quos catholicâ sententiâ violari asserit) consociari possint.

ARTICULUS II.

De intrinseco gratiæ victricis Jansenianæ principio.

Ubi Yprensis systema delineavimus, delectationem indeliberatam in eo unicum esse pondus ac principium quo in præsenti statu voluntas ad agendum impellitur ac determinatur, et ideò totam nunc gratiæ efficaciam ex delectatione relativè sive per gradus victrice exoriri ostendimus. Hoc enim quasi perpetuò decantat, atque famosâ distinctione adjutorii *sine quo* et *quo,* et celebri Augustini testimonio: *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est,* fundari prætendit, ut iterùm probavimus.

Idem Jansenius, in statu præsenti, ut etiam observavimus, voluntatem sub motione delectationis indeliberatæ relativè superioris, cœlestis scilicet et terrenæ, alternantem subire necessitatem ad bonum, aut malum, atque adeò hoc duntaxat sensu ejus actus liberos esse quòd oriantur à voluntate, sive sint voluntarii, candidè fatetur et apertè docet.

Cùm illud systema articulo præcedenti contritum sit, hìc præcisè quæritur, an gratia efficax eo ipso quo dicitur esse formaliter delectatio victrix quatenùs actuali oppositâ concupiscentiâ fortior est, eo ipso veram et relativam voluntati inferat necessitatem, et ideò sit ipsissimum Jansenii de duabus delectationibus dogma hæreticum quinque propositionum sensum necessariò complectens, aut saltem an illud dogma essentialiter involvat.

Circa hanc quæstionem, opiniones nonnullorum Catholicorum ex unâ parte, et Augustinianorum ex alterâ parte, perstringemus; deinde quid super his tenendum esse autumemus, breviter retegemus.

Aperitur nonnullorum Catholicorum sententia.—Plures ex Molinistis præsertim, et novissimis hisce temporibus Honoratus Tournelius et ejus redactores, delectationis per gradus victricis systema à Jansenianâ hæresi nullâ prorsùs arte expurgari posse absque ullâ dubitatione asserunt. His potissimùm rationibus ducuntur: 1° Jansenius et acutissimi quique ejus sectatores, ex delectatione per gradus victrice quinque propositiones non solùm deducunt, sed etiam necessariè et evidenter erumpere clamant........ 2° Vires gratiæ sive delectationis relativè victricis voluntatem *ut fortiores* determinant; voluntas enim, hâc delectatione perfusa per fortiorem ejus virtutem ad bonum infallibiliter determinatur; sed omninò impossibile est ut vires gratiæ, quæ *ut fortiores* determinant, superentur à debilioribus ad resistendum voluntatis viribus; voluntas enim in systemate gratiæ efficacis per delectationem relativè victricem ex solâ delectatione vires accipit, et ideò ex solâ delectatione terrestri oppositâ, cujus vires inferiores supponuntur. Unde delectatio relativè superior ex se veram et relativam infert necessitatem. Concedunt tamen, aut saltem non inficiantur, gratiam efficacem per delectationem *absolutè et simpliciter victricem* multùm differre à gratiâ Jansenii relativè victrice, et ideò nullam inferre necessitatem.

Exponitur nonnullorum Augustinianorum sententia.—Una Augustinianorum classis censet omnes bonas aut malas voluntatis actiones oriri tanquàm à principio à delectatione cœlesti aut terrenâ, et contendit hanc esse constan-

tem D. Augustini doctrinam, inprimis in celebri testimonio : *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*, quod, ut diximus, de delectatione indeliberatâ, non secùs ac Jansenius, exponendum esse autumat. Hinc gratiæ efficaciam emanare facit ex delectatione relativè victrice, sive ex delectatione quatenùs superat oppositam cupiditatem. Contendit autem delectationem relativè victricem non esse fundamentum hæresis Jansenianæ, sive quinque propositionum, sed ejus consectarium duntaxat; fundamentum enim illius hæresis, inquit, est extinctio liberi arbitrii per peccatum ex quâ sequitur majorem delectationem, in conflictu minoris necessariò extorquere assensum liberi arbitrii, sicque ex illâ effluunt quinque propositiones. E converso, profitentur se admittere liberum arbitrium, licet attenuatum et inclinatum per peccatum, et idcircò posse etiam hìc et nunc hominem, si velit, cuilibet delectationi consentire, vel dissentire, seque ideò quinque propositiones in sensu à Jansenio intento, prout damnatæ sunt ab Innocentio X et Alexandro VII, ex corde improbare. Unde addit gratiam suam à gratiâ relativè victrice Jansenii in hoc potissimùm discrepare quòd sua supponat in voluntate veram et relativam agendi vel non agendi potentiam, secùs Janseniana. Quod attinet ad rationes adversariorum supra relatas, reponit 1°, Jansenium et ejus discipulos aut malè ex delectatione relativè victrice quinque propositiones eruere, aut potiùs illos eas educere ex delectatione relativè victrice interitum liberi arbitrii supponente aut involvente..... 2° Voluntatem, utpote activè indifferentem ad utrumlibet posse unà cum concupiscentiâ delectationis superioris vires elidere et debellare. Addit ejusmodi rationes *fallere verisimilitudine,* ut aiebat Augustinus, et ideò reipsà solidas non esse.

Istud Augustinianorum systema exponit et defendit P. Bernenc in fine primi tomi operis supra citati, illudque à pluribus antiquis et recentioribus theologis tum Augustinianis cùm Thomistis propugnatum esse dicit, additque hanc fuisse celebris Norisii sententiam.

Quid super discrepantibus illis opinionibus tenendum sit? — Honoratus Tournely in fine tractatûs de Gratiâ hæc protulit : « Systematis duplicis delectationis relativè victricis primus... inventor est Jansenius... Novimus quidem orthodoxos theologos qui vim gratiæ efficacem colligunt... ex ipsius internâ delectatione absolutè et simpliciter victrice, quique in gratiâ sufficiente pares et æquales vires agnoscunt ad oppositam actualem concupiscentiam superandam ; » verùm qui gratiam velint esse victricem relativè, seu « ex superioritate graduum, quique non aliam sufficientem admittunt gratiam quàm viribus inferiorem oppositæ superiori concupiscentiæ, non alios quàm Janseniani systematis defensores novimus. » Priùs dixerat : « Non desunt theologi qui vim et efficaciam gratiæ repetant ex delectatione ipsius simpliciter et absolutè victrici; at nullus nisi qui Jansenii systema tueretur appellari hactenùs potuit qui docuerit delectationem illam esse relativè, seu per gradus, victricem. » Rationem paulò ante attulerat, « quia ista delectatio recens excogitata est, et ex eâ quinque propositiones necessario fluxu dimanant. » Hinc unus ex ejus exscriptoribus hæc decretoriè pronuntiavit : « Ab errore Janseniano excusari nequit systema delectationis relativè sive per gradus victricis, qui ipsissimum est Jansenii systema quod hæreticum quinque propositionum sensum necessariò involvit ac complectitur. »

Hæc sanè scripsit ex vehementi suo causæ catholicæ adversùs Jansenium et ejus defensores promovendæ ardore et studio vir eruditus et de Ecclesiâ benè meritus. Verùm, si hisce temporibus vixisset, à tam gravis censuræ acrimoniâ profectò abstinuisset, et *zelo* secundùm scientiam accensus *catholicos* tandem agnovisset delectationis gradualiter victricis patronos, eo ipso quo eam non necessitare asserunt. Etenim 1° Benedictus XIV in Brevi suo ad supremum Hispanæ Inquisitionis præsidem in gratiam Cardinalis Norisii infra referendo, ait : « Augustiniani traducuntur tanquàm sectatores Baii et Jansenii; reponunt se humanæ libertatis esse fautores, et oppositiones pro viribus eliminant, cùmque eorum sententia usque adhuc à Sede apostolicâ damnata non sit, nemo est qui non videat à nullo prætendi posse ut à suâ sententiâ discedant. » Certè Augustiniani, de quibus hìc summus pontifex, non sunt Augustiniani delectationis *absolutè et simpliciter victricis* defensores (agnoscit enim Tournelius hanc delectationem Baio et Jansenio non esse acceptam, et libertatem non destruere); ergo sunt patroni et vindices delectationis relativè superioris, quæ reverà probata fuit Baio et Jansenio; ergo existunt theologi catholici qui hanc delectationem sensu à Janseniano diverso propugnant. Qui si Tournelio et ejus redactoribus ignoti fuerunt, certè Benedicto XIV

fuerunt explorati. Illorum autem Augustinianorum sententia dicente Benedicto XIV *hucusque à Sede apostolicâ non est damnata* (etiam implicitè), *quia profitentur se humanæ libertatis fautores;* ergo quinque Jansenii propositiones non *sunt necessaria consectaria delectationis relativè* victricis; ergo qui admittendo illam delectationem cum eâ libertatem subsistere et interiùs et exteriùs profitentur, Janseniani erroris insimulari non possunt.

2° Cùm archiepiscopi Viennensis et Senonensis in Galliâ opera RR. Patrum Fulgentii Belelli, et Laurentii Berti velut Baianismi et Jansenismi erroribus conspersa Benedicto XIV denuntiàssent, summus pontifex ea seriò examinandi provinciam demandavit cardinalibus Fortunato Tamburini, et Jacobo Bezozzi, et Patribus Antonio Bremond Dominicanorum generali, et Patri Balustraci Minoritæ Conventuali, à quibus cùm nullo errore infecta fuissent inventa, summus pontifex ea censurâ configi prohibuit ; at Patres Belelli et Berti principium duplicis delectationis relativè victricis in illis operibus acerrimè propugnant; ergo.

3° Cùm R. P. Nicolaus Cheezzi, Societatis Jesu theologus, systema duarum delectationum ab Augustinianis propugnatum Janseniani erroris fuligine inspersisset in suis Dialogis, jubente sacrâ Congregatione Indicis anno 1754 sequentem emisit declarationem et retractationem : « Dialogo 8, lib. 2, ceu Jansenianum notare videor illorum theologorum systema qui dùm efficacitatem divinæ gratiæ in delectatione cœlesti gradibus superante terrenam constituunt, simul tamen rejiciunt quinque propositiones Jansenii; quin etiam dicere videor hujusmodi systema condemnatum expressè ab Ecclesiâ : scio adesse auctores catholicos, qui admittentes animam, non obstante quâcumque delectatione superiori, semper potiri libertate indifferentiæ, et verâ activâ potentiâ ad oppositum, ita ut justis nunquàm sint impossibilia divina præcepta, neque ipsis desit gratia per quam possibilia fiant, defendunt tanquàm catholicum supradictum systema, proindeque quidquid dixi toto illo Dialogo ad ostendendam conformitatem illius systematis cum doctrinâ Jansenii, et cum erroribus in quinque propositionibus contentis, protestor et declaro me id dixisse argumentandi gratiâ. » Manifestè loquitur P. Cheezzi de delectatione cœlesti relativè superiore, sive, quod idem est, *gradibus superante terrenam,* et agnoscit auctores catholicos tum antiquos cùm recentiores hanc delectationem defendisse.

4° Cùm sententia delectationis relativè victricis à Benedicto XIV et sacrâ Congregatione Indicis catholica sit reputata, qui hanc sententiam *ipsissimum esse Jansenismum* obtendunt, amplam et legitimam Yprensis discipulis veterem suam fabellam renovandi ansam subministrant, scilicet *Jansenismum esse merum phantasma, et imaginariam hæresim;* si enim delectatio Augustinianorum per gradus superior sit catholica, et *ipsum* Jansenii dogma, indubiè Jansenismus fictitia est et prorsùs commentitia hæresis.

5° Jansenius ideò duntaxat admittere videtur delectationem relativè victricem, quia per peccatum periit liberum arbitrium. Quamobrem duarum delectationum principium non primarium et formale, sed secundarium et accidentale ejus systematis fundamentum esse videtur. Caput enim septimum libri quarti de gratiâ Christi ita inscribit : *Delectationis necessitas oritur ex infirmitate voluntatis, quâ fit ut nihil boni amplecti possit nisi delectet*, etc.; et capite 9 ejusdem libri ait : « Necessitas delectationis cœlestis ad benè volendum et operandum, non ex naturâ voluntatis, sed ex ejus pœnâ proficiscitur. » Unde eodem capite 9 addit : « Voluntas per peccatum.... in libidinum imperium præcipitata est, ex quibus fit ut in omnibus actionibus ante gratiam delectatione quâdam libidinosâ præeunte ac titillante provocetur, » etc. Unde Ecclesia quinque illius propositiones damnando, systematis duplicis delectationis relativè victricis mentionem non fecit; sed si res ita est, quod in Jansenio horruit Ecclesia, non fuit præcisè delectationis relativè superioris principium, sed extinctio liberi arbitrii.

Hinc meritò dixit P. Alexander in Historiâ seculi quinti : « Eos ferre non possum qui opiniones ab Ecclesiâ minimè damnatas, et in ejus sinu theologis impunè propugnari solitas, temerariis censuris inurunt, sicque, si veritatem (in se) non lædunt, charitatem tamen violant, et pacem Ecclesiæ perturbant. »

Ex his colliges delectationis per gradus victricis defensores habendos esse ut Catholicos eo ipso quo quinque propositiones ex eâ sequi negant, et easdem propositiones execrantur, etiamsi fortassis ex illâ reverà dimanent, eosque qui solos Jansenii discipulos delectationem relativè superiorem admisisse, aut admittere prætendunt, falli et hallucinari.

CAPUT II.

De variis circa gratiam efficacem scholæ systematibus (1).

Summè bonus et omnipotens Deus, qui in insonte quid liberum arbitrium, in sonte verò homine quid sua gratia posset exploratum facere voluit, se sine præjudicio liberi arbitrii, et ideò mirabili prorsùs et ineffabili modo, in statu naturæ lapsæ per gratiam suam *velle et perficere* certò et infallibiliter *operaturum esse* variis tum in antiquo cùm in novo Fœdere oraculis declaravit. Exinde prodierunt diversa systemata ad dissipandas, quantùm humana patiebatur imbecillitas, tam arcani dogmatis tenebras à theologis excogitata, laudabili quidem conatu, sed infelici admodùm exitu. Enimverò systemata illa nedùm inexplicabile illud sacramentum illustraverint, quinimò novis mysteriis obscuraverunt, aut præposteris explicationibus ac interpretationibus defloraverunt, atque etiam denigraverunt. Odia insuper et dissensiones in Ecclesiâ, in quâ pax et charitas vigere debent, ut et partium studium, innumerorum malorum fontem et originem, excitaverunt. Hæreticis demùm patentem aperuerunt campum perversa sua stabiliendi et persuadendi dogmata, et Ecclesiæ protervius insultandi. Notum scilicet est, Jansenium et ejus discipulos delectatione relativè victrice, et prædeterminatione physicâ, suos errores, quos ex odio Moliniani et Suaresiani systematis conceperunt, roborare, aut colorare, atque criminari in Moliniano systemate *Semipelagianismum* ab Ecclesiâ tolerari, quod et fecit minister Juriæus in suis cum domino Bossuetio disceptationibus.

Reverendus Pater Gabriel Daniel, in exiguo Tractatu de efficaciâ gratiæ, hanc controversiam ad rationis trutinam expendens, ut pluribus ejus Societatis theologis gentile fuit, cuncta super gratiæ efficaciâ systemata ad tria reduci posse docet; enimverò, ipso dicente, primum illam efficaciam reponit in agendi necessitate per gratiam voluntati impositâ (quale est systema Calvinianum et Jansenianum)... Secundum in præmotione voluntatem ad agendum physicè prædeterminante (quale est systema Thomistarum, et eorum omnium qui admittunt gratiam *ex se*, id est, ex naturâ suâ, efficacem; qui enim, inquit, gratiam *moraliter* prædeterminare, aut moralem imponere necessitatem dicunt, etsi profiteantur se gratiam ex naturâ suâ efficacem admittere, illam tamen reverà non admittunt, cùm gratia moraliter tantùm præmovens infallibilem cum effectu connexionem non habeat, quam è converso necessariè habet gratia ex naturâ suâ efficax)... Tertium in eâ omnimodâ infallibilitate, sive cum actione connexione quam trahit ex Dei præscientiâ. Ad tertium illud systema reducit non solùm systemata Suaresianum, sive Congruistarum, et Molinianum, sed etiam Augustinianorum, aut Thomistarum, quibus accepta est prædeterminatio *moraliter* præmovens, aut necessitas moralis, vel delectatio *moraliter* victrix, quia, ut dictum est, hujusmodi præmotio aut delectatio omnimodam infallibilitatem gratiæ non inserit.

Ex his evidens est virum acutissimum, si hîc suam sententiam clarè et candidè aperire non pertimuisset, debuisse commemorata systemata ad duo duntaxat redigere, scilicet ad Calvinianum Jansenianumque, et Suaresianum, Molinianumve; censet enim Thomistas, qui admittunt gratiam ex naturâ suâ efficacem, et *physicè* prædeterminantem, voluntatem verâ et reali constringere necessitate. « Les Thomistes, inquit ibidem, disent que la grâce n'est efficace par sa nature, que parce que l'effet ou le consentement de la volonté en est inséparable; s'ils ne disaient que cela, on comprendrait aussi aisément leur pensée que celle de Jansénius ou de Calvin; car si cette liaison est infaillible par la nature de la grâce même, il paraît qu'elle est absolument nécessaire; elle ne peut être nécessaire que parce que la grâce produit nécessairement son effet, et si cela est, elle nécessite la volonté; voilà une idée claire de la grâce efficace par elle-même; mais, ce qui cause ici de l'embarras, et ce qui obscurcit cette idée, c'est que les Thomistes... en nous disant que la grâce a de sa nature une liaison infaillible avec son effet, nient en même temps que cette grâce nécessite la volonté à agir; c'est qu'ils disent que par sa nature elle la détermine physiquement, et cependant qu'elle ne la nécessite pas; que, quoique cette grâce par sa nature soit inséparable de son effet, cependant la volonté peut la rejeter, et qu'elle a un véritable pouvoir de n'y pas consentir.

(1) Cùm hic lacuna non nullius profectò momenti, de Congruismo scilicet, appareat, quæstionem hanc more appendicis tractatam videre est ad calcem hujusce voluminis, ubi rationes utrinque propugnantes compendiosè quidem dantur, sed ob luculentiam sufficienter. Confer prætereà tractatum de Deo ubi fusiùs exponuntur.

Toutes ces contradictions, au moins apparentes, n'empêchent pas de concevoir ce que ces théologiens veulent dire.... Les Thomistes diffèrent encore de Jansénius et de Calvin en ce que Jansénius et Calvin ne comprennent dans l'idée de la grâce efficace que l'illustration et l'inspiration, auxquelles ils donnent la vertu de faire agir nécessairement la volonté, au lieu que les Thomistes disent qu'avec l'illustration et l'inspiration seule, la grâce n'est point encore efficace, et qu'elle n'aura jamais son effet tandis qu'il n'y aura que cela. C'est pourquoi ils ajoutent une prédétermination, qui n'est ni lumière ni inspiration, et qui fait que cette grâce devient efficace, et qui lui donne cette inséparabilité de l'action sainte, que Dieu inspire, etc. On pourrait imaginer une troisième manière de soutenir la grâce efficace par elle-même. Ce serait, en retranchant l'incompréhensible prédétermination physique des Thomistes, de donner à l'inspiration intérieure cette inséparabilité d'avec le consentement de la volonté que ces théologiens donnent à leur prédétermination physique, et de dire de cette inspiration, comme ils disent de cette prédétermination, que, quoiqu'elle détermine, elle ne nécessite pas néanmoins; mais il paraît impossible d'admettre une inspiration qui ait ainsi une liaison inséparable et infaillible avec le consentement de la volonté, sans retomber dans les principes de Jansénius et de Calvin sur la liberté.... Et, en effet, dès qu'il y a infaillibilité, il y a nécessité, et dans ce système la nécessité venant de l'inspiration, elle serait antécédente; or, toute nécessité antécédente détruit la liberté. »

Prolixum istud testimonium evincit, ni fallor, Danielem existimâsse gratiam ex naturâ suâ efficacem, et prædeterminationem physicam Thomistarum non minùs libertatem destruere quàm gratiam efficacem Jansenii et Calvini, et ideò ipsum voce tenùs reduxisse systemata super gratiæ efficaciâ ad tria relata. Thomistarum est et Augustinianorum, qui *scientiam mediam* eliminantes, gratiam ex naturâ suâ efficacem admittunt suam vindicare causam. Eam hîc generalibus duntaxat argumentis defendisse sufficiat.

1° S. P. Benedictus XIV, si Daniele non sagacior, certè in rebus theologicis multò magis versatus, in Brevi infra referendo Danielis argumentum *directè* eliminare voluisse videtur; sic enim ibidem loquitur : « Thomistæ traducuntur ut destructores humanæ libertatis, et uti sectatores nedùm Jansenii, sed et Calvini; sed ipsis objectis apprimè satisfaciunt. » Etverò, tritam istam objectionem refellunt omnes Thomistæ, quos inter consuli potest Joannes Baptista Gonetus in erudito et optimo opere, cui titulum fecit : *Clypeus theologiæ thomisticæ*, typis primùm mandato anno 1659.

2° Infra probabimus D. Augustinum de gratiâ ex se efficaci præcipuè disputâsse adversùs Pelagianos; an, quæso, gratia efficax Augustini eadem est ac Jansenii et Calvini efficax gratia ?

3° Cùm gratiæ efficacia in systemate Suaresiano et Moliniano facilè concipiatur, istud systema essentialiter differt ab Augustini systemate, qui ubique clamat modum hujus efficaciæ humanam intelligentiam penitùs exsuperare, et ideò ex hâc parte Thomistis invidia conflari non potest.

4° Si de veritate dogmatum per argumenta ex ratione desumpta judicandum foret, Daniel similisve argutator, dogma, v. g., de existentiâ peccati originalis, ejusque ad omnes Adæ nepotes transmissione, brevi pessumdâsset.

5° Argutiæ Danielis et Molinistarum eò collimant, ut veram de gratiæ efficaciâ sententiam in Ecclesiâ ante Molinam ignotam fuisse probent, ut et majorem theologorum numerum etiamnum in errore circa eamdem efficaciam versari, ut postea ostendemus.

Cùm igitur Thomistæ et Augustiniani negent consectaria, quæ ex eorum systematibus dimanare prætendit Daniel, ideò plus quàm duo vel tria systemata catholica circa gratiæ efficaciam distinguenda sunt. Unde quatuor vulgò recensentur, Thomistarum, Augustinianorum, Molinæ et Congruistarum, quibus novissimis hisce temporibus quintum addidit eruditus P. Thomassinus.

Longioris profectò operæ foret quidquid ferunt illa systemata, et sentiunt illorum patroni, accuratè referre. Quamobrem sic singula seorsim adducam, ut communem eorum doctrinam, præcipua à Janseniano dogmate discrimina et quid super singulis meo judicio tenendum sit, assignem.

ARTICULUS PRIMUS.

Thomistici systematis synopsis.

Quotuplex hoc in systemate Christi, *sive* medicinalis, *gratia ?* — Duplex *specie et naturâ* à se invicem distincta, *purè sufficiens*, sive *excitans*, et *efficax*, sive *adjuvans*.

Gratia sufficiens *in se et formaliter* non est

actus indeliberatus intellectûs et voluntatis (ut alii censent theologi), sed Dei motio, quam dicunt *virtuosam*, tum quia intellectum et voluntatem ad supernaturalem ordinem attollit, eos ad cœlestes actus indeliberate eliciendos excitando, puta pia desideria, sanctas cogitationes, etc. (sub quo respectu est semper efficax, cùm illos actus semper afflet et operetur), tum quia vires ministrat ut perfectiores actus deliberari produci possint (sub quo respectu est merè sufficiens, cùm sine gratiæ efficacis subsidio isti actus nunquàm prorsùs fiant). Unde Alvares disputatione 8 dixit: *Omne auxilium sufficiens respectu unius actûs* (deliberati qui ut elici possit antecedente Dei voluntate illud datur auxilium) *semper est efficax respectu alterius* (indeliberati), *ad quem efficiendum decreto absoluto divinæ voluntatis ordinatur.*

Gratia *excitans*, sive *sufficiens* solam connotat potentiam *in actu primo*, ut aiunt, id est, quatenùs sejungitur ab actu; sic enim confert voluntati vires verè et relativè sufficientes, quibus velle ac operari possit, ut tamen nisi accesserit efficax gratia, nunquàm prorsùs actu velit et operetur.

Gratia *efficax*, sive *adjuvans in se et formaliter* sita est in intrinsecâ et singulari istius gratiæ virtute per quam infallibilem habet cum effectu suo, id est, libero voluntatis consensu, connexionem. Illum consensum producit, et ideò ipsum naturâ præcedit, quâ ex causâ *præmotio*, id est, *prævia motio* dicitur. Hinc vulgò describitur: *Actio* sive *motio Dei per quam voluntas ad actum secundum,* id est, actualem consensum, *applicatur.* Daniel citato loco dicit *intelligi non posse hanc præmotionem;* sed illius defensores reponunt tritâ istâ ratione tangi posse philosophum (qualis fuit Daniel), non theologum doctrinâ Apostoli et Augustini imbutum, qui perspicacissimus licet, nunquàm comprehendere potuit quomodò sub omnipotente Dei motione creatura bonum liberè operetur.

Quot titulis gratia præmovens, sive efficax nunc est necessaria? — Duobus, *dependentiæ et infirmitatis.* Scilicet Deus, utpote prima causa, primus motor, *in quo vivimus, movemur et sumus,* non potest, nisi *seipsum neget,* determinationem à causâ secundâ accipere, et ideò omnes creaturarum actiones sive naturales sive supernaturales excitare tenetur. Aliunde, tanta est hominis lapsi in malum propensio, totque ipsi cum mundo, carne et diabolo subeunda certamina, ut licet gratiæ sufficientis subsidio plenè possit bonum agere, et de illis hostibus triumphare, nunquàm tamen sine gratiæ efficacis adjutorio hæc reverà assequetur et perficiet. Hinc præmotio, quæ actionibus naturalibus *prædeterminatio physica,* actionibus verò supernaturalibus affixa, gratia *ex se efficax* dicitur, quibuslibet in quocumque statu, ac proinde et ipsis Angelis, et insonti Adæ ad quascumque actiones necessaria fuit, ideòque gratia præsentis statûs quatenùs efficax reverà non differt à gratiâ statûs innocentiæ quatenùs efficaci.

Quænam sunt hujus systematis consectaria? — Ista quoad statum innocentiæ. Ipsa opera libera decrevit Deus efficaciter, absolutè et ante liberum hominis consensum. Hinc Deus illa opera in suis decretis præcognovit. Hinc prædestinatio fuit ante prævisa merita, et reprobatio negativa (id est, exclusio à gloriâ), ex solâ Dei voluntate et ante ulla prævisa peccata; positiva autem (id est, suppliciorum inflictio) post et ob peccata prævisa, etc.

Hæc autem quoad statum naturæ lapsæ. Deus Adam, et omnibus ejus in eo nepotibus per peccatum *in massâ perditionis* conclusis, illos (ut sine injustitiâ potuisset), æternâ pœnâ condemnare non voluit. Voluntate scilicet generali, antecedente, et beneplaciti, eorum voluit salutem, ex quâ ipsis adjutoria sufficientia per Filii sui merita impertiit, aut saltem præparavit. Verùm ex speciali misericordiâ et prædilectione, ut jure poterat, eos inter aliquos ante meritorum prævisionem ad gloriam efficaciter prædestinavit, nihil tale circa alios decernendo. Unde primis gratiam efficacem, perseverantiam, et gloriam in tempore tribuit; postremis verò sufficientia tantùm auxilia ad perseverandum confert. Hinc bona opera ex gratiâ elicita cognoscit *in se,* id est, per decretum absolutum, efficax et antecedens ejusdem gratiæ infundendæ; mala verò opera etiam *in se,* id est, per decretum permissivum, quo justo judicio statuit non impertire gratiam efficacem iis in circumstantiis in quibus ista gratia ad non peccandum est prorsùs necessaria; idcircò *in se,* id est, in commemoratis decretis, novit quinam in bono perseveraturi sint, quinam in malo, ac illis *decreto executionis gloriam,* his verò pœnam æternam rependit. Hinc reprobatio negativa fundatur in solâ divinâ voluntate, positiva in solo peccato. Hinc nullus labor, inquiunt, in intelligendo Dei in hominum voluntates omnipotentissimo influxu, et summâ divinæ scientiæ certitudine asserendâ.

An, et in quo Thomisticum systema à Janseniano differt? — In his. 1° Thomistæ admittunt et requirunt gratiam verè et relativè sufficientem, ut bonum opus *in actu primo,* id est potentiâ ab actu, seu actuali libero voluntatis consensu, sejunctâ, peragi possit, secùs Jansenistæ, ut dictum et probatum est. ...2° Physica Thomistarum præmotio, sive gratia efficax, multùm discrepat à delectatione relativè victrice, sive efficaci, Jansenianorum. Scilicet præmotio physica necessaria est ut Deo primæ causæ, primi motoris, ratio servetur (unde datur ad exigentiam creaturæ quam Deus de indifferente ad actum movet et determinat); illa se habet *ex parte actùs secundi,* sive actualis liberi consensûs, nullam in potentiâ inducendo mutationem, et simpliciter et absolutè victrix est, sive efficax, nullâ habitâ ratione superiorum aut inferiorum ejus virium, etc. E converso, delectatio relativè victrix necessaria est ut hominis lapsi voluntas activâ indifferentiâ spoliata ad bonum rapiatur...... Ipsis justis, qui eam enixè postulant, à Deo sæpiùs non impertitur...... Non respicit tantùm *actum secundum,* siquidem tribuit simul *posse et agere,* ac proinde inducit mutationem in potentiâ, quam de non expeditâ facit expeditam ac relativè proportionatam.... Tandem, dicente Jansenio, relativè victrix est, et ideò dependenter à præponderantiâ virium, sive graduum.

Quibusnam rationibus probant Thomistæ voluntatem sub motione gratiæ suæ efficacis remanere liberam? — His summatim. Divus Thomas 1-2, q. 10, a. 4, in c., ait: « Quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, et non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur. » Ibidem ad 1: « Voluntas divina non solùm se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipsius, et ideò magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur (quod suæ naturæ non competit), quàm si moveretur liberè, prout competit suæ naturæ. » Antea p. 1, q. 19, a. 8, in c., dixerat: « Hoc (distinctio contingentium à necessariis) contingit propter efficaciam divinæ voluntatis; cùm enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam non tantùm secundùm id quod fit, sed etiam secundùm modum fiendi vel essendi... Cùm igitur voluntas divina sit efficacissima, non solùm sequitur quòd fiant illa quæ Deus vult fieri, sed et quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult: vult autem quædam fieri Deus necessariò, quædam contingenter. » Ex quibus ibidem ad 2, reponit: « Dicendum quòd hoc ipso quòd nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quòd non solùm fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quòd fiant contingenter, vel necessariò quæ sic fieri vult. »

Ex his Angelici doctoris pronuntiatis sic arguunt: Si promotio physica, sive gratia efficax sit veluti fustis, aut vectis quo omnipotentissima Dei voluntas humanam movet et erigit, humana voluntas sub ejus motione remanet potens ad oppositum, sive libera; ex citatis enim effatis, « cùm voluntas divina sit efficacissima, et omnipotentissima, non solùm quæ fieri vult fiunt, sed etiam fiunt eo modo quo ea fieri vult, » sive efficit non solùm entitatem sed et modum actùs; atqui gratia efficax Thomistica sic voluntatem movet et erigit; dicunt enim Thomistæ illam esse participationem et quasi instrumentum omnipotentissimæ et efficacissimæ Dei virtutis; ergo.

Idem S. doctor, quæstione 6 de Malo, articulo unico, ad 3, dicit: « Deus movet voluntatem immutabiliter, propter efficaciam virtutis moventis quæ deficere non potest (id est, gratia efficax voluntatem infallibiliter determinat), et tamen propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa (id est, quæ est activè indifferens ad opposita, sive ad agendum et non agendum, ad faciendum bonum aut malum), non inducitur necessitas, sed manet libertas. » Gratia igitur efficax determinatè et infallibiliter movens ad unum, jungitur cum potentiâ ad opposita, et ideò cum libertate.

Ibidem et alibi S. doctor hanc concordiam evincit ex principio, sive radice libertatis. Scilicet fundamentum illud duplex est, amplitudo competens judicio rationis quo regitur voluntas, et amplitudo voluntati cœlitùs indita; at utraque illa amplitudo importat activam voluntatis indifferentiam sub actione præmotionis physicæ. Etenim eo ipso instanti quo voluntas per præmotionem sive gratiam efficacem, determinata est ad unum actum et objectum, intellectus varia objecta indifferenter diligenda proponit, alia scilicet magis, alia minùs, et idcircò hoc ipso momento viget et remanet indifferentia judicii et rationis; sed fieri non potest ut indifferentia ex parte judicii remaneat, nisi exi-

stat etiam ex parte voluntatis, cùm intellectus sit rector et quasi navarchus voluntatis. Pariter voluntas ad summum bonum, quod solus est Deus, diligendum et possidendum facta, nullo particulari bono potest exsaturari, ac proinde ita particulare bonum prosequitur, ut aliud semper aucupari et diligere valeat.

Denique celebres Lemos et Alvares, qui Thomistarum causam in famosis Congregationibus de Auxiliis sub Clemente VIII et Paulo V, ab anno 1602 ad annum 1606 feliciter promoverunt, declaraverunt gratiam sufficientem *absolutissimam in actu primo* ad bonum opus subministrare potentiam et homini illâ gratiâ prævento et excitato ideò non impertiri efficacem quia illius infusioni obicem ponit quem posset non ponere; et hoc sensu indubiè intelligebant antea laudatam istud D. Augustini effatum, *quòd gratià non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo;* sed inde elucet hominem istâ gratiâ adjutum per illam, in illâ, et cum illâ posse resistere gratiæ efficaci: potest quippe vel illius impulsui consentire, et sic adjuvantem et efficacem illi annexam impetrare, vel illius impulsui dissentire, et sic efficacem in illâ propositam et exhibitam repellere, ipsique obsistere.

Quid sentiendum de Thomistico systemate? — Huic sanè systemati, ut jam observavimus, invidia accedere non debet, quòd nonnisi maximâ cum difficultate in eo cœlestis motionis cum libertate concordia explicari potest, quinimò viro theologo ex hâc parte, si nihil aliud obstaret, quodammodò acceptum esse deberet; ait enim D. Augustinus libro 2 de peccatorum Meritis et Remissione, cap. 18, n. 28 : « Laborant homines invenire in nostrâ voluntate, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo, et quomodò inveniri possit ignoro : ait enim Apostolus 1 ad Corinthios, cap. 4 : *Quid habes quod non accepisti?*... Ipsa etiam ratio, quæ de iis rebus à talibus quales sumus iniri potest quemlibet nostrùm quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rursùs ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superbâ impietate ingrati Dei gratiæ judicemur. »

Verùm, in isto systemate, gratia efficax, sive præmovens, non minùs necessaria fuit, *titulo dependentiæ*, in statu innocentiæ quàm in statu præsenti; quo principio semel admisso non concuti tantùm, sed et funditùs everti videtur omnibus acceptum, et à D. Augustino decantatum discrimen inter adjutorium *sine quo* Angelis et insonti Adæ datum, et adjutorium *quo* nostri status proprium. Quamobrem Jansenius, libro 8 de Gratiâ Christi, capitibus 1 et 2, meritò videtur asseruisse Thomistas, qui adjutoria *sine quo* et *quo* in prædeterminatione physicâ constituunt, *totam basim doctrinæ Augustinianæ vellicare;* sed ipse vicissim omnia D. Augustini principia subvertit, cùm è statu præsenti gratiam verè et relativè sufficientem expunxit, et in eo collocavit delectationem relativè victricem *sine quâ,* ut loqui ausus est, *non magis homo bonum facere potest quàm avis sine alis volare.*

ARTICULUS II.

Brevis Augustiniani systematis descriptio.

Benedictus XIV, in Brevi dato 31 maii anni 1745, in gratiam religionis Augustinianæ et cardinalis Norisii, hanc scholam celebrat, « tum propter S. Augustini tutissima atque inconcussa dogmata ab illius alumnis tradita et servata, tum propter eximios viros quos edidit pietate et doctrinâ præstantes; » deinde addit : « Instar omnium bonæ memoriæ (Henricus dùm vixit S. R. E. cardinalis Norisius nuncupatus)... licet quarumcumque gentium linguis celebretur, à nobis tamen sine speciali laude tanquàm romanæ Ecclesiæ splendidissimum lumen nunquàm est nominandus. » Ex his sanè elucet quàm inconsideratè et etiam iniquè se gerant qui illi scholæ infensi sunt.

Augustinianorum dogmata. — Inter Augustinianos alii, ut diximus, propugnant gratiam simpliciter et absolutè victricem sive efficacem, alii gratiam relativè et per gradus victricem.

Dogmata utrisque communia. — Utrique opera naturalia à supernaturalibus, et statum insontis naturæ à statu naturæ lapsæ secernunt.

Ut in quolibet statu liberæ creaturæ quasvis actiones naturales producant, actualem Dei concursum requirunt. Verùm concursus ille prævius non est et physicè præmovens (ut Thomisticus), sed simultaneus, ex se flexibilis, et à voluntatis nutu pendens; unde voluntas ipsum, non ipse voluntatem hic et nunc determinat.

Ut autem liberæ creaturæ in quolibet statu opera supernaturalia eliciant, speciale quoddam et supernaturale actualis gratiæ auxilium exigunt cum hoc, quantùm ad statum innocentiæ et statum naturæ lapsæ, discrimine.

Gratia in statu insontis naturæ non fuit *ex*

se, sive ex naturâ suâ efficax, sed indifferens et versatilis, sive voluntatis arbitrio derelicta. Hinc in eo statu nulla extiterunt decreta absoluta, efficacia, et libero voluntatis creatæ consensui prævia, et ideò nulla prædestinatio ad gloriam ante prævisa merita, nulla reprobatio nisi ex prævisis actualibus delictis.

Gratia è converso in statu naturæ lapsæ ex naturâ suâ efficax ad omnes et singulas actiones supernaturales ex solâ humanæ voluntatis infirmitate requiritur. Hujus gratiæ natura consistit, vulgò saltem, in *delectatione;* Augustinus enim illius gratiæ naturam ita in *suavitate* et *dulcedine* collocavit, ut Deum aliâ ratione sibi ignotâ homines ad se trahere posse confessus fuerit.

Gratia ista efficaciter delectans *physicè moraliter* voluntatem prævenit et præmovet; *physicè* quidem per actionem realem et physicam voluntati impressam ; *moraliter* verò per attractionem , per invitationem , etc. , voluntatem ad consensum suavi et potentissimo modo alliciens, quem ideò consensum simul cum homine per gratiam adjuvantem sive cooperantem elicit Deus. Hæc enim, inquiunt, passim tradit D. Augustinus, v. g. , libro de bono viduitatis cap. 17 , n. 21 , ubi ait : « Proinde arbitrium voluntatis humanæ nequaquàm destruimus , quando Dei gratiam quâ ipsum adjuvatur arbitrium , non superbiâ negamus ingratâ , sed gratâ potiùs pietate prædicamus; nostrum enim est velle, sed voluntas ipsa et admonetur ut surgat, et sanatur ut valeat , et dilatatur ut capiat, et impletur ut habeat. » Hæc quippe erectio , sanatio , dilatatio , etc. , voluntatis actionem ex parte Dei physicè delectabiliter præmoventem importat, quæ tamen moraliter prævenit, quod alibi hoc exemplo illustrare conatus est S. doctor : « Ramum ostendis viridem ovi, et trahitur, nuces puero demonstrantur, et trahitur, » etc. In eodem statu naturæ lapsæ præter relatam gratiam efficacem (quæ est speciale et eximium Christi adjutorium sive medicinale) alia existit dicta *sufficiens* , ex Christi etiam meritis præveniens , quæ voluntati satis virium impertit ut verè et relativè possit remotè vel proximè opera supernaturalia elicere , etsi sine gratiæ efficacis adjutorio nunquàm prorsùs suum obtineat effectum. In eodem ordine prædestinatio ad gloriam est omninò gratuita, id est, fit ante quamlibet meritorum prævisionem. Reprobatio autem positiva , id est, actualis et in tempore , fit propter actualia cujusque hominis delicta ; negativa verò , id est , non comprehensio in decreto , quo Deus primitùs nonnullos è massâ perditionis ad gloriam prædestinare voluit, nihil tale circa alios decernendo , fit ex solâ avitæ maculæ prævisione. Hinc in statu præsenti locum habent decreta absoluta et ex se efficacia circa actus supernaturales, in quibus decretis fundatur illorum actuum præscientia. Hinc electis in fine saltem vitæ speciale et efficacissimum perseverantiæ donum tribuitur, aliis verò impertitur gratia quâ verè et relativè valeant illud promereri donum, quod tamen propter peccata (quæ Deus ex speciali providentiâ ab eis ut ab electis non avertit) nunquàm obtinebunt.

Hæc Augustinianorum placita si perpenderis, facilè intelliges ipsos in statu naturæ lapsæ Thomistis , in statu verò innocentiæ Molinistis assentiri.

Placita alterutri Augustinianorum scholæ specia'ia circa gratiæ cum libertate concordiam. — Augustiniani pro delectatione, sive gratiâ, absolutè et simpliciter efficaci decertantes, hanc delectationem cum libero arbitrio cohærere eodem ferè modo probare solent quo Thomistæ suam gratiam efficacem, sive physicè prædeterminantem, libertati adversam non esse suadere consueverunt. Eorum laborem, arduum licet, felicem tamen esse et fructuosum lubenter agnoscunt Tournelius et ejus redactores.

Augustiniani verò delectationi sive gratiæ relativè sive per gradus victrici addicti impactam sibi ab iisdem recentioribus Janseniani erroris notam judicio S. P. Benedicti XIV tum anni 1748, tum anni 1745 modò citato non infeliciter detergunt, ut diximus capite præcedente, articulo secundo. Isti suam mentem sic iterùm aperiunt : Peccatum originale duo in liberum arbitrium invexit mala quæ per Christi gratiam sanantur ; 1° enim liberi arbitrii vires *attenuavit et inclinavit,* ut ait concilium Tridentinum sessione 6, cap. 1, quas vires restituit Christi gratia veram et propriè dictam bonum agendi potentiam voluntati impertiendo... 2° In idem liberum arbitrium invexit concupiscentiam, sive delectationem terrenam, quæ , ut loquitur eadem synodus sessione 5, canone 5 , *ad peccatum inclinat ;* quod malum contrario ejusdem generis bono tollit Christus, dùm voluntati inspirat delectationem cœlestem, quæ ipsam allicit ad pietatis opus. Hâc positâ distinctione , inquiunt, intelligitur quomodò gratia Christi , sive parva sit, sive magna , veram et propriè dictam potentiam tribuat libero arbitrio ; non enim gratia dicitur parva aut

magna relativè ad potentiam, quasi parvam aut magnam voluntati conferret agendi potentiam (omnis enim gratia Christi ex naturâ suâ vires liberi arbitrii attenuatas et inclinatas per peccatum curat et resarcit); sed vocatur parva relativè ad voluntatem quam aliquando parvam et invalidam efficit, aliquando verò magnam et robustam juxta istud D. Augustini effatum libro de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 17, n. 33: « Qui vult facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam, poterit autem cùm magnam habuerit et robustam... » Item intelligitur quomodò delectatio relativè victrix, etiam in intensissimo gradu, non lædat libertatem, ut scilicet libertatem tolleret, non solam voluntatem, sed potentiam connotare deberet; sed talis non est delectatio relativè victrix, quæ inspiratur non ut homo possit agere (hoc enim præsupponitur), sed « ut velit, et tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritûs vincat, » inquit D. Augustinus libro de Correptione et Gratiâ cap. 11, n. 31. Et verò, delectatio relativè victrix unicè facit transire voluntatem de potentiâ ad actum, et ideò illam complet et perficit, nedùm illam potentiam destruat, cùm inprimis quò plus aliquid est liberum, eò magis sit voluntarium, sive, ut loquitur Augustinus epistolâ 157, aliàs 89, ad Hilarium, n. 8, *voluntas tantò liberior fit quantò sanior,... sive gratiæ subjectior.* Quare contendunt voluntatem sub motione gratiæ relativè victricis, sive superioris, remanere liberam, non quidem *quoad sensum,* cùm in ejus potestate non sit indeliberatum illum gratiæ motum recipere vel non recipere, sed *quoad consensum*, quia positâ illâ indeliberatâ motione voluntatis, potest semper voluntas illi motioni consentire vel dissentire, si velit.

Ex his, addunt, innotescit latum intercedere discrimen inter gratiam relativè victricem Augustinianam et Jansenianam. Hâc enim absente *non magis homo bonum agere potest quàm avis sine alis volare*, et prorsùs *impossibile est ut virtutis et honestatis consideratio prævaleat.* E converso, illâ absente, voluntas habet veram et propriè dictam, etiam relativam, bonum agendi vel non agendi potentiam, ope scilicet gratiæ sufficientis ex se destinatæ ad illam potentiam subministrandam.

Cardinalis Norisius in Vindiciis, et præsertim Janseniani erroris Calumniæ sublatæ capite 2, paragrapho 1 et 2, et quidam alii insignes Augustinianæ scholæ magistri, adversùs Jansenium admittunt in præsenti statu adjutorium *sine quo non* cum adjutorio *quo*, cui videntur inserere notionem diversam ab eâ quam ipsi inserunt alii Augustiniani. Etenim adjutorium *sine quo non* dicente Norisio ibidem capite 2, paragrapho 1, « in statu naturæ lapsæ eamdem notionem retinet, quam in naturâ integrâ habebat, atque adeò ut agat, motum voluntatis, cui idemmet cooperatur, expectat. » Hanc assertionem probat vir eruditus celebri testimonio D. Augustini libro de Correptione et Gratiâ, cap. 11, quod sic se habet: « Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset... non utique suâ culpâ cecidissent... Nunc itaque quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est, quibus autem datur secundùm gratiam datur, non secundùm debitum, et tantò ampliùs datur per Christum quibus id Deo dare placuit, ut non solùm adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verùm etiam tantum ac tale ut velimus. »

Ex quibus sic arguit: Evidens est adjutorium Angelo et homini primitùs datum esse adjutorium *sine quo non;* at non minùs evidens est idem adjutorium nunc impertiri: *Nunc,* inquit, *quibus deest tale adjutorium,* etc., *quibus autem datur,* etc. Cætera autem verba designant adjutorium *quo,* sive gratiam efficacem cum sufficiente in isto statu conjunctam. Porrò, eodem dicente Norisio ibidem, adjutorio *sine quo non* movetur voluntas « ad eliciendos actus debiles, nempe desideria, conatus, orationes minùs fervidas, pro adimplendis mandatis, in ordine ad quorum executionem adjutorium sine quo non est tantùm auxilium remotum, impetratorium tamen auxilii quo, sive gratiæ efficacis et victricis, quâ solâ mandata reapsè implentur. Hæc quippe tradit D. Augustinus libro de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 17, n. 33, ubi ait: *Qui vult ergo facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam, poterit autem cùm magnam habuerit et robustam;* quam quidem voluntatem habet per adjutorium quo. » Idem docet Augustinus supra citato libro de Naturâ et Gratiâ cap. 68, ubi cùm dixisset *Deum non præcipere impossibilia,* addit: *Hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus;* ex quibus hæc infert idem Norisius: « Igitur opera facilia, seu actus bonos minùs perfectos facere possumus absque eo quòd majus et ulterius auxilium à Deo postulemus,

quod tamen in actibus perfectioribus et difficilioribus suppliciter petendum est. »

Ex hâc Norisii doctrinâ, quæ certè non parùm est implicata inferunt, Tournelius et ejus redactores, Norisium et ejus sectatores opera facilia à difficilibus distinxisse, et pro istis gratiam *à se* sive ab intrinseco efficacem exegisse, pro illis verò gratiam duntaxat *versatilem*, id est, à voluntatis nutu prorsùs dependentem, quæ ideò sine adjutorio *quo*, sive efficaci potest sortiri, et de facto suum aliquando sortitur effectum; hæc enim, inquiunt, suggerunt citata ejus verba, « adjutorium *sine quo non* in statu naturæ lapsæ eamdem notionem retinet quam in integrâ naturâ habebat, atque adeò ut agat, motum voluntatis, cui idemmet cooperatur, expectat; » et iterùm ista : « Admonemur in facilibus quid agamus, in difficilibus quid petamus; opera facilia sive actus minùs perfectos facere possumus absque eo quod majus et ulterius auxilium à Deo postulemus (id est, auxilium *quo*), quod tamen in actibus perfectioribus atque difficilioribus suppliciter petendum est... »

Verùm reclamant Patres Belelli, Berti, Bernenc et alii Augustiniani delectationis relativè et per gradus victricis vindices, atque recentiores illos theologos Norisii mentem minimè assecutos esse contendunt. Etenim, inquiunt, Norisius ad actualem orationem, sive magis, sive minùs fervidam, ut et ad cujuscumque præcepti executionem gratiam ex se efficacem requirit; ait enim ibidem : « Oratio dependet ab actu fidei per spem orante, ac dilectione, sive desiderio implendi præcepti, qui actus ab efficaci gratiâ dependent, et sunt illustrationes intellectûs, ac sanctæ inspirationes voluntatis, sine quibus, quemadmodùm oratio fieri nequit, ita si eadem oratio fiat, ab iisdem tanquàm à causis principalibus dependet. » Quælibet ergo actualis oratio procedit ab actibus fidei et dilectionis qui ab efficaci gratiâ dependent; sed id fieri nequit nisi quælibet actualis oratio ab efficaci gratiâ dependeat, ut patet; ergo. — Addunt reponi non posse Norisium loqui de solâ oratione intensâ et fervidiore; ibidem enim significat se disserere de oratione etiam tenui. Jam verò, inquit ibidem, cùm oratio tenuis, non autem fervens et intensa, *ex desiderio implendi præcepti* dependeat, ipsum verò desiderium sit *actus voluntatis debilis, ac invalidus ad præceptum exequendum sine ulteriori auxilio* (proximè sufficienti et efficaci) *proinde eâdem oratione hoc ipsum auxilium postulatur*. Ubi vides, *dilectionem*, seu desiderium implendi præcepti, quam modò exigebat ad orationem, necessariam etiam esse ad orationem *tenuem*; sed dilectio illa, et illud desiderium ex prioribus verbis dependet à gratiâ efficaci; ergo.—Quamobrem adjutorium *sine quo non*, juxta Norisium, eamdem in lapsæ ac in integræ naturæ statu notionem retinet eo sensu quòd sine ipso non possit, et cum ipso verè possit voluntas bonum operari, non verò cum ipso solum bonum reapsè operetur. Quod quidem adjutorium in eodem præsenti statu ex se tendit ad accersendum auxilium *quo*, sive *gratiam efficacem et victricem quâ solâ mandata reapsè implentur*, si ipsi obex à voluntate non apponatur, quâ ratione, *ut agat, motum voluntatis, cui idemmet cooperatur, expectare* dicitur; tunc enim in nobis excitat voluntates, sive *actus parvos et debiles*, nempe *desideria, conatus*, etc., *pro adimplendis mandatis*, quæ ideò sunt dispositiones remotæ ac mediatæ ad realem præceptorum executionem; unde intendit Norisius adjutorium *sine quo*, sive sufficiens, pro actibus difficilibus, esse à se efficax pro actibus facilibus, et ideò adjutorium ex se efficax pro actibus facilibus esse purè sufficiens pro difficilibus. Hinc iste est ordo gratiæ distributionis pro exequendis præceptis. Deus dat gratiam *sine quâ non*, sive purè et præcisè sufficientem ad orandum, cui si non resistitur, dat efficacem orationis gratiam, quæ obtinet auxilium proximè sufficiens ad exequendum mandatum urgens, cui si iterùm obicem non apposuerit voluntas, tribuit auxilium efficax quo reipsà adimpletur præceptum. Demùm commemorati theologi observant nullatenùs esse verisimile Norisium, qui scientiam mediam cum horrore explodit, admisisse aliquam gratiam in rebus etiam facilibus versatilem et voluntatis pedissequam.

Quidquid sit, tenendum est, ut in secundo præsertim libro ostendimus, Deum gratiam proximè et relativè sufficientem orationis non solùm justis volentibus et conantibus urgente præcepto, sed etiam simplicibus peccatoribus, et obduratis et excæcatis impertire, cui si non resistitur, Deus illis mortalibus gratiam à se efficacem largitur; hæc enim sententia, ut ibidem probavimus, et Scripturis, et conciliis, et ipsius S. Augustini doctrinæ consona est, et aliunde gravissimis difficultatibus ex hominis *inexcusabilitate* eliminandis, ac libertati cum gratiâ, quantùm humana patitur intelligentia, conciliandæ magis idonea est.

Quid sentiendum de systemate Augustiniano? —Augustinianum systema, quatenùs præsertim gratiam *simpliciter* et *absolutè*, et *physicè-moraliter* efficacem defendit, Thomistico, circa ea in quibus differunt, præhabendum videtur. Præterquàm quòd enim omnes difficultates quæ in illo dogmate inveniuntur, et in isto occurrunt, imò graviores, certè nemo præjudiciis non excæcatus et partium studio non abreptus, non videt et intelligit longè feliciùs in Augustiniano quàm in Thomistico systemate explicari ab omnibus cujuscumque scholæ magistris decantatum, et fidei principiis prorsùs consonum discrimen inter adjutorium *sine quo non* statùs innocentiæ proprium, et adjutorium *quo* in præsenti statu vigens, quod piissimus et eruditissimus gratiæ præco et vindex adversùs Pelagianos et Semipelagianos ex apostolicâ doctrinâ asseruit, et obfirmavit. Quis aliunde non fateatur vastissimam illam divi Augustini testimoniorum sylvam, quâ stupendum in modum assurgit, excrescit, et hirsutus est Augustinus Yprensis, acutioribus securibus ab Augustinianis quàm à Thomistis succidi ? Quis tandem non animadvertit pestifero Janseniani erroris veneno infectos et debilitatos mortales promptiùs et efficaciùs sanandos esse et confortandos Augustinianis quàm Thomisticis poculis ? cùm inprimis Jansenius et ejus discipuli prædeterminationis physicæ systema reipsà irrideant et subsannent, ut antea ostendimus.

Priusquàm ad aliorum systematum expositionem progredior, nonnullis eruditorum virorum observationibus tum hujus temporis pseudophilosophorum adversùs Augustinianum et Thomisticum systemata super concordiâ libertatis cum gratiâ à se efficaci dicteria, cùm prætensorum quorumdam theologorum adversùs eadem systemata convicia eliminare conabor.

Refelluntur hodierni pseudophilosophi prætendentes id, quod certò et infallibiliter fit, liberè non fieri.

1° Non Scriptura solùm et traditio, sed et ipsa ratio suggerit, Ens infinitè potens, qualis est Deus, ad bonum movere posse mortalium voluntates infallibiliter, et tamen liberè. Potest enim facere, quotiescumque ipsi placuerit, ut illi mortales certissimè et in omni prorsùs circumstantiâ modo suæ naturæ accommodato, qui est liberè velle, operentur; sed ex hoc principio elucescit cœleste adjutorium, quod voluntatem certò et infallibiliter agere facit, posse efficere ut sic semper agendo possit non agere; ergo. — Hinc divus Augustinus ex ipsâ ratione cognovit, Dei determinationem, quantâcumque polleat efficaciâ, libertatem non destruere, quod vir eximius confirmavit exemplo Abrahæ; ut enim ille patriarcha in mercedem fidei suæ numerosissimæ gentis pater fieret, Deus per efficacissimum adjutorium ita præparavit et determinavit gentilium corda, ut certissimè et infallibiliter voluerint quod non velle potuissent. « Ut, inquit libro 2 Operis imperfecti, Abraham ob stipendium fidei consequeretur dilatationem seminis, præparata est gentium voluntas à Domino, et ut vellent quod et nolle potuissent ab illo factum est qui ea quæ promisit potens est et facere. »

2° Nicolius, in Symbolo et alibi, ex iis quæ in nobis geruntur, et ex intimo omnium hominum sensu aliquatenùs elucidat, quomodò infallibilis determinatio cohæreat cum potestate agendi et non agendi : « Tous les hommes conviennent, *inquit*, qu'on n'est digne de louange ou de blâme, de peine ou de récompense que pour les choses qu'on fait librement ; or, il y a une infinité de péchés et de bonnes actions, qui font qu'on est blâmé ou loué par toutes les personnes sages, quoiqu'on ait été infailliblement déterminé à les faire. Une prostituée de profession est infailliblement déterminée à commettre le péché, quand elle est sollicitée et attirée par une récompense considérable. Ces misérables qui faisaient métier de vendre des poisons étaient infailliblement déterminés à en donner à tous ceux qui es leur achetaient aussi chèrement qu'ils voulaient. Les duellistes sont infailliblement déterminés à se battre contre tous ceux qui les auraient fait appeler, les vindicatifs à se venger, s'ils le pouvaient, de ceux qui leur auraient fait quelque affront... Une fort honnête femme, let qui a de plus un grand amour pour son mari, est infailliblement déterminée à ne se pas rendre à une sollicitation contre son devoir. Un juge d'une probité singulière est infailliblement déterminé à ne se pas laisser corrompre par des présents pour commettre une injustice. Un sujet très-affermi dans la fidélité qu'il doit à son prince est infailliblement déterminé à ne pas écouter ceux qui le porteraient à le trahir, etc. Qui pourrait dire, sans avoir perdu le sens commun, que tous ces gens ne seraient ni blâmables ni louables pour avoir fait ces péchés, ou bonnes actions, parce qu'ayant été infailliblement déterminés à

es faire, ils n'auraient pas été libres en les faisant? »

3° Doctissimus Petavius T. 1, libro 9, cap. 7, n. 6, de Dono perseverantiæ, electorum proprio in præsenti statu disserens ait : « Non solùm dat posse, si velint, sed etiam velle quod possunt, et est tale ut eo dato nonnisi perseverantes sint, id est, ut certò et infallibiliter perseverent, tametsi liberè gratiæ illi donoque consentiant, non necessariò, sed ita ut dissentire possint si velint, quamvis ut non dissentire velint eodem illo perseverantiæ dono perficitur. »

Convicia adversùs Augustinianum et Thomisticum systemata super gratiâ et perseverantiâ eliduntur. — Nonnulli recentiores, qui se eximios prætendunt theologos, ex systematibus Augustiniano et Thomistico, super prædestinatione et gratiâ, absurda, horrenda et Deo maximè injuriosa eduxerunt consectaria, quæ priusquàm referam et explodam, diversa præmittenda sunt principia omnibus scholis accepta, vel saltem quæ omnibus scholis accepta esse debent.

Primum principium. — *Cùm omnes Adæ posteri in eo peccaverint, Deus absque injustitiâ omnibus damnationis* supplicium *infligere potuisset.*

Pate ex celebri isto Augustini effato : « Universa massa pœnas debet, et si debitum damnationis supplicium omnibus redderetur, non injustè procul dubio redderetur. » Ubi nota voces *procul dubio*. Idem inculcat libro de Dono perseverantiæ cap. 8 : « Non simus, inquit, ingrati, quòd tam multos liberat misericors Deus de tam debitâ perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset injustus. » Hæc ponderans Bellarminus asserere non dubitavit Deum, si voluisset, sine injustitiâ cunctis hominibus auxilia ad salutem sufficientia denegare potuisse. « Nulla, inquit, lib. 2 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 4, esset in Deo iniquitas, si non solùm aliquibus, sed etiam omnibus hominibus auxilium sufficiens ad salutem negaret; » quod quidem celebris ille et minimè suspectus theologus dicit *certissimum* esse apud eos omnes qui Scripturæ et D. Augustini doctrinâ super originali peccato imbuti sunt. « Hæc certissima est (assertio) apud eos qui ex divinis Litteris peccatum originale noverunt; nam, cùm *per peccatum primi hominis nascamur omnes filii iræ* (ad Ephesios cap. 2), nihil nobis jure debetur nisi pœna. Hinc Sapientiæ cap. 12 dixit Spiritus sanctus: *Quis stabit contra judicium tuum? quis tibi imputabit si perierint nationes quas tu fecisti?* Et Apostolus Rom. cap. 9, demonstrat esse misericordiam quâ Deus ex massâ perditionis aliqua vasa facit in honorem; unde etiam vasa misericordiæ appellat; ea causa est, ut docet Augustinus epistolâ 105 (nunc 194), cur pauci sunt qui salvantur, ut nimirùm intelligamus quid omnibus deberetur. »

Secundum principium. — Cùm Deus cunctos mortales peccato originali infectos damnationis *supplicio* absque injustitiâ afficere potuerit, nullis *justitiæ titulo* (non supposito decreto alio modo agendi) gratiam ad salutem necessariam impertire tenetur; et ideò eam solo misericordiæ titulo impertit; ergo potuit sine injustitiâ electione merè gratuitâ alios è massâ perditionis educere, alios in eâ derelinquere. Hæc ex præcedenti principio evidenter scaturiunt.

Tertium principium. — Deus non solùm potuit aliquos Adæ nepotes à corruptâ massâ eripere eis perseverantiæ finalis donum destinando, et alios in eâ relinquere *magnum* illud donum ipsis non destinando, sed etiam id reipsà decrevit; unde sequitur peccatum originale esse causam *radicalem* reprobationis ipsorummet baptizatorum, qui in prædestinationis decreto non sunt comprehensi.

Petavius concedit hanc esse sententiam D. Augustini, Patrum in Sardiniâ exulum, SS. Prosperi, Fulgentii, etc. Capitula generalia Societatis Jesu, habita anno 1584, 1613 et 1653, agnoscunt hanc esse *constantem* non *scholæ solùm doctrinam,* sed *etiam divi Augustini, summorum pontificum, et aliorum Patrum per annos mille et ducentos*. Suaresius ipse, Vasquesius, et Didacus Ruiz, qui Norisii judicio, *recentiorum est erudissimus,* eamdem sententiam non rejiciunt; eam probavit Norisius in Vindiciis cap. 3, paragrapho 10, eruditâ dissertatione quam ejus adversarii hucusque intactam reliquerunt. Porrò ideò præsertim peccatum originale est causa reprobationis justorum in massâ perditionis derelictorum, quia introduxit destitutionem potentiæ proximæ in justitiâ perseverandi; quæ privatio in justis cum gratiâ sanctificante conjungitur, sed in electis tollitur per donum perseverantiæ ipsis à Deo impertitum quia *electi* sunt, sive à massâ perditionis *segregati*. Id ipsum agnoscere videtur ipse scientiæ mediæ celeberrimus patronus Suaresius libro 4 auxiliorum gratiæ cap. 18, n. 19, his verbis : « Docet divus Augustinus

Adamum recepisse auxilium proximè sufficiens ad perseverandum, si vellet, et ita sufficiens ut pro suâ libertate et velle et perseverare cum effectu potuisset, quod est verissimum.... Hoc idem auxilium ita proximè sufficiens negat dari hominibus lapsis, qui cum effectu non perseverant, idque in pœnam primi peccati; non dicit tamen homines in præsenti statu nullum auxilium sufficiens recipere ad perseverandum; nam recipiunt saltem remotè sufficiens, quod suo modo est verè sufficiens; in eis tamen propter conditionem hujus statûs tale est, ut non sit proximè, sed remotè sufficiens, et ut nunquàm consequatur effectum. » Igitur ipsius Suaresii judicio, gratia sufficiens ad perseverandum *nunquàm consequitur effectum.* Cur? inquit hic theologus, exponit August. libro de Gratiâ et Correptione, cap. 13, ubi disserendo de derelictis in massâ perditionis, ait : « Aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt nec perseverant, deserunt, et deseruntur; dimissi enim sunt libero arbitrio non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo et occulto » (scilicet propter derelictionem in massâ). «Ubi, addit Suaresius, dimissi libero arbitrio significat non quocumque auxilio destituti, sed remoto tantùm assistente quod sine ulteriori auxilio impetrato nunquàm consequetur effectum ad quem principaliter datur.»

Quartum principium. — Cùm relata potuerit Deus erga electos et reprobos vi sinceræ voluntatis, quâ reproborum sive in massâ derelictorum salutem vult ipsis nonnisi gratias verè sufficientes, et non perseverentiæ finalis donum impertire tenetur. Et verò, ad gloriam prædestinando alios, et non alios, seipsum adstrinxit ad perseverantiæ donum illis concedendum, non istis. Unde dixit Augustinus derelictos in massâ, si justi sunt, non esse justos nisi *temporales,* ipsosque, si electi essent, usque ad finem persevaturos esse; *non erant ex nobis* (electis); *nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum,* 1 Joannis cap. 2. Hinc ipse Christus dixit Joannis cap. 10 : *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis,* sive ex iis quos Pater dederat Filio (æternùm custodiendos). Super his consuli poterit Bellarminus libro 2 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 12.

Quintum principium. — Cùm Deus nullâ promissione seipsum adstrinxerit ad dandum perseverantiæ finalis donum, ipsi justi illud non *de condigno,* sed ad summum *de congruo* mereri possunt. Ita censent *omnes theologi,* ut ostendemus libro 4, cap. 2. Unde, cùm dixit Augustinus, *hoc donum* (perseverantiæ *supp. citer emereri posse, sed cùm datum fuerit, contumaciter amitti non posse,* solùm *decentiæ* meritum designavit, quòd aliunde indicat verbum, *potest,* et intendit duntaxat *in sensu composito et non diviso* resisti non posse dono perseverantiæ. Et verò, duæ istæ propositiones sunt *compossibiles : Petrus habet donum perseverantiæ; Petrus potest non perseverare si velit ;* secùs duæ istæ : *Petrus præditus est dono perseverantiæ, Petrus non perseverabit;* donum scilicet perseverantiæ non aufert homini potentiam non perseverandi si velit, sed efficit duntaxat ut infallibiliter perseveret, licet possit non perseverare.

Sextum principium. — Quodlibet systema super prædestinatione et gratiâ, in quo Deus videtur injustus, falsum est. Scilicet Apostolus, Epistolâ ad Romanos, cap. 9, propositâ secretione aliorum ex massâ perditionis, aliorum verò in eâ derelictione, hæc illicò sibi objicit : *Quid ergo dicemus, numquid iniquitas apud Deum?* etc.

Septimum principium. — Cùm theologia sit scientia rerum revelatarum, theologus nec potest nec debet aliam fidei suæ regulam agnoscere quàm Scripturam et traditionem, et rationes ex illis legitimè deductas. Hinc dixit Apostolus *fidem esse argumentum non apparentium,* et *redigendum esse intellectum in obsequium Christi;* aliàs theologia non esset theologia, sed philosophia. Ad lucem istorum principiorum expendunt Augustiniani et Thomistæ varias absurditates quas ex eorum systemate de prædestinatione et gratiâ emanare contendunt ipsorum adversarii, eoque splendore feliciter dissipari gloriantur.

Objectio prima. — Omne systema ex quo erumpunt absurda consectaria evidentem spirat falsitatem; talia sunt systemata Augustinianum et Thomisticum; ergo.

Responsio. — Adversarii majorem propositionem condire debuissent adverbio, *reipsà.* Etenim consectaria quæ apparenter duntaxat ex aliquo systemate emanant, ejus falsitatem non arguunt, quinimò ejus veritatem aliquando produnt, ut dictum est principio sexto. Præterea, cùm nullum sit systema super gratiâ et prædestinatione ex quo falsæ consecutiones deduci non possint, hoc argumentum omnia prorsùs super istis systemata exploderet.

Objectio secunda. — Consentiunt omnes Thomistæ Deum interdùm denegare finalis perseverantiæ donum justo qui præcedentibu

gratiis nullum apposuit obicem; sed illud pronuntiatum repugnat Scripturæ, D. Augustino et rationi; ergo.

Responsio. — 1° Thomistæ et Augustiniani non utuntur, verbo, *denegare*, sed verbis *non impertire*, quæ loquendi ratio diversa est; primum enim vocabulum importat ex parte Dei actum positivum, secundum actum purè negativum, quod expressit Augustinus citatis verbis (tertio principio) *non accepto perseverantiæ dono.* Et verò, in Augustiniano systemate, omnes homines in pœnam originalis peccati privantur proximâ perseverandi potentiâ, quâ fruebatur insons Adam, quæ privatio in ipsis justis cum gratiâ sanctificante reperitur, ut diximus tertio principio; unde sequitur illos homines non à Deo, sed à seipsis destitui illo perseverantiæ dono; peccando nimirùm in et cum Adamo. Simile ferè responsum attulerat D. Augustinus Pelagianis quærentibus *quomodò pueri peccati rei esse poterant quod non commiserant?* Reposuit enim *Adamo peccante illos in eo et cum eo peccâsse.* Igitur in commemoratis systematibus, Deus justis reprobis, sive non segregatis à massâ perditionis potentiam perseverandi *in actu secundo* non impertit, quod significavit Augustinus relatis verbis, *non accepto perseverantiæ dono justo Dei judicio, sed occulto;* verùm nullam in hoc erga ipsos committit injustitiam, siquidem, *ex omnium theologorum consensu*, hoc donum justitiæ titulo nemini dare tenetur. Vide quintum principium.

2° Augustiniani ultrò dicerent cum cardinali Norisio Deum ipsis justis à massâ non segregatis, etiamsi præcedentibus gratiis non obstitissent, perseverantiæ donum non concedere, et in hâc hypothesi Deum nullatenùs injustum efficerent. Etenim, juxta quintum principium, Deus nullo pacto sese adstrinxit ad perfectum perseverantiæ donum justis etiam reprobis dandum; quinimò, inter peccato originali infectos alios ad gloriam prædestinando, non alios, istis illam perseverantiam non impertire quodammodò statuit. Præterea *certum est* Deum perseverantiæ donum nemini debere, ut diximus, et ideò illud reprobis non dando nullius injustitiæ esse reum. Sensus, reponerent illi theologi, Augustini effati, *quòd gratiâ non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo*, esset, si de finalis perseverantiæ dono res est, illos homines destitui illo auxilio propter *radicale* vitium, quo contaminantur, quod scilicet consistit in defectu proximæ perseverandi potentiæ, quæ est effectus peccati originalis; quâ ex causâ primaria ratio ipsorum damnationis ex ipsis, non ex Deo oritur; *in ipsis itidem causa est, non in Deo;* reponerent iidem theologi hæc Augustini non secùs ac concilii Tridentini verba (ex Augustino deprompta) *deserunt et deseruntur*, idem enuntiare. Et verò, D. Augustinus dùm disserit de justis reprobis, libro de Correptione et Gratiâ, cap. 13, adhibet istas voces, *deserunt et deseruntur,* post istas, *non perseverant; temporales sunt, et non perseverant*, hæcque, *dimissi sunt libero arbitrio,* deducit ex non acceptione doni perseverantiæ, *dimissi sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono;* cur autem hunc servavit ordinem? Nonne ut significaret desertionem, de quâ disserit, primitùs oriri ex non acceptione actualis perseverantiæ finalis; hoc nempe dono destituti *Deum deserunt, et à Deo deseruntur;* ecce (adderent iidem doctores) sublimem et arcanam doctrinam quam S. Paulus penetrare non potuit, sive penitùs intelligere, quamque ejus apologista D. Augustinus in pulpitis christianis prædicari noluit, ne sinistræ ideæ in simplicium et infirmorum fidelium mentes obreperent.

3° Plerique Augustiniani et Thomistæ non asserunt Deum perseverantiæ donum non concedere justo qui anterioribus gratiis non est abusus; quinimò sentiunt hoc donum non concedi nisi illis justis qui eis adjutoriis obstiterunt; clamat enim, inquiunt, Augustinus, eos qui non perseverant deserere et deseri, *non perseverant, deserunt et deseruntur*, quod evincere videtur neminem hoc dono privari nisi propter prævium peccatum; hoc autem peccatum, inquiunt, non est semper mortale, sed potest esse veniale, v. g., quædam negligentia, quidam tepor in oratione, tacita præsumptio, scintilla superbiæ, quæ in actiones humanas, etiam aliunde bonas facilè irrepere potest, etc. Quâ ex causâ dixit Apostolus 1 ad Corinthios cap. 10: *Qui stat videat ne cadat;* D. Petrus: *Vix justus salvabitur;* D. Augustinus: *Quid est laudabilis etiam hominum vita, si remotâ misericordiâ discutias eam?* Quam sententiam in orationibus suis consecravit Ecclesia, et alii Patres: *Hominum salus filo annexa est*, etc. Quæ culpæ Origenis et Tertulliani reprobationis fons fortassis fuerunt et origo; ex quibus concludit Apostolorum princeps fideles cum metu et tremore salutem operari debere. Deus ipse, addunt, hæc suggerere voluisse videtur, dùm Moysen terræ promissæ ingressu privavit ob culpam (ut videtur venialem) quam ad aquas contradictionis commiserat.

Quamvis igitur Deus pretiosum perseverantiæ finalis donum cui vult dare aut non dare possit, tamen in Thomistarum systemate, hoc donum nulli justo denegatur nisi propter præviam culpam cujuscumque naturæ sit.

Objectio tertia. — Si, ut fatentur Thomistæ et Augustiniani, justis non electis semper inest gratia sufficiens, quâ peccata perseverantiæ finalis largitionem amoventia vitari possunt, et si, modò illi gratiæ non obstiterint, certò obtinebunt gratiam efficacem, quâ relata peccata infallibiliter non committent, ut vulgò concedunt, nihil obstat quominùs supponatur illos justos toto vitæ curriculo, aut saltem in mortis articulo, aliquando illi gratiæ nullum apponere obicem, et ideò reipsà consequi donum perseverantiæ finalis, proindeque salvari, juxta illud adagium : *Possibili in actum redacto nihil sequitur absurdi;* quod tamen in Thomistico et Augustiniano systemate est prorsùs impossibile.

Responsio. — Omissâ responsione, *à possibili ad actum concludi non posse,* reponunt Thomistæ et Augustiniani posse quidem justum non electum cum gratiis ordinariis *in particulari* obicem non apponere gratiæ sufficienti, sicque accersere gratiam efficacem cum quâ bonum opus infallibiliter eliciet, verùm id *in generali* nequaquàm posse; tanta quippe est, inquiunt, humanæ voluntatis mobilitas et inconstantia, tanta in malum propensio, totque ingruunt salutis impedimenta, etc., ut ipsi justi sine speciali gratiâ et providentiâ gratiis sufficientibus non possint non obsistere; quod quidem peculiare adjutorium solis prædestinatis impertitur Deus; quia illud nemini debet, et prædestinatorum præsertim est *Salvator.* Quæ responsio ut intelligatur,

Observant (quod jam annotavimus ubi de perseverantiæ dono egimus), donum perseverantiæ *in actu suo perfecto et consummato* (sub quo respectu electorum proprium est), diversos consequi effectus in iis quibus conceditur ; in aliis enim mortem accelerat, *ne malitia eorum intellectus mutet, et fictio eorum animas decipiat*, ut dicitur Sapientiæ cap. 4 ; unde istud divi Augustini libro de Dono perseverantiæ, cap. 9 : *Præscit Deus quòd si viverent esse lapsuros, et ideò antequàm peccent, aufert de hâc vitâ.* Deus hâc gratiâ justos non prædestinatos non dignatur ; novit eos absque illo favore sese *in medio iniquitatis* esse contaminaturos, et in hoc cœno eos volvi sinit.... In aliis idem perseverantiæ donum consistit in vitæ prolongatione sive continuatione, ut electi emendentur, et in copiâ actualium auxiliorum, quibus præveniuntur, et sinceram agunt pœnitentiam; quæ benevolentia Augustino singulatim concessa est ; Deus enim ante conversionem ipsum ex lethali morbo eripuit, et uberioribus gratiis perfudit. Deus sese sic non gerit erga eos quos in massâ perditionis reliquit.... In aliis idem donum situm est in remotione gravium tentationum, quæ electorum lapsum infallibiliter accerserent, quod munus in Oratione Dominicà postulamus his verbis : *Et ne nos inducas*, sive induci sinas, *in tentationem ;* hoc autem auxilium reprobis non impertit Deus... In aliis tandem affulget in affluentiâ cœlestium auxiliorum tum internorum cùm externorum, quibus Deus electos suos ex ingruentibus tentationibus eripit, et in justitiâ continet, quos triumphos sine illis adjutoriis generatim reportare non possent. Eò tendunt hæc Spiritûs sancti oracula : *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te*, Psalmo 15 ; *conserva in æternum hanc voluntatem cordis eorum, et semper in venerationem tuî mens ista permaneat*, 1 Paralipomenon cap. 29 ; *faciam ut in præceptis meis ambuletis,* Ezechielis cap. 36, etc. Unde D. Augustinus, libro de Dono perseverantiæ, cap. 8, dixit : « Est Deo possibile in eorum cordibus operari ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso aliquâ superati tentatione discedant ; præstantissimum autem illud donum iis quos non elegit non impertitur. Cùm igitur negent Thomistæ et Augustiniani justum non prædestinatum, cui Deus propter præviam culpam statuit perseverantiæ donum non concedere, posse in articulo mortis, *potentiâ ad actum reducibili* perseverare, frustra ipsis objicitur adagium : *Possibili in actum redacto nihil sequitur absurdi;* adagium enim illud tangit potentiam quæ ad actum sine absurditate redigi potest ; in casu autem præsenti potestas cum *actu* conjungi nequit.

Ultima objectio. — Deus justis non prædestinatis nunquàm concedit perseverantiæ finalis donum, in systemate Thomistico et Augustiniano, etiamsi gratiis sufficientibus, quæ præcesserant, non obstitissent ; at istud apertè repugnat Scripturæ, quæ asserit Deum sincerè velle omnium et singulorum salutem, divi Augustini doctrinæ et rationi ; ergo.

Responsio. — Reponunt Augustiniani et Thomistæ posse commemoratos justos singulis *distributivè* gratiis sufficientibus sibi concessis toto vitæ curriculo sine speciali Dei providentià obicem non ponere, sed eos sine illâ pro-

videntiâ non posse *collectivè*, ut dictum est; illis autem justis nunquàm impertitur perseverantiæ donum ob causas supra commemoratas; illa autem doctrina non repugnat Scripturæ, Augustino, et rationi, ut prætenditur; non Scripturæ; enimverò, ut voluntas, quæ Deo (nest, omnes et singulos homines salvandi actuosa sit, et non sterilis, sufficit ut Deus omnibus gratias verè et relativè sufficientes ad salutem infundat; sed non est necessarium ut omnibus tribuat perseverantiæ finalis donum; talis enim voluntas esset *absoluta*, et adversa Scripturæ, quâ dicente, Deus ita vult omnium salutem ut specialiter electorum salutem velit, *Salvator omnium, maximè fidelium*, Epistolâ 1 ad Timotheum, cap. 4, et *cujus vult miseretur* (dando perseverantiæ munus) *et quem vult indurat* (illud donum non impertiendo), Rom. cap. 9, etc. Quibus consona sunt quæ ait Christus Joannis cap. 6: *Omnis qui audivit à Patre, et didicit, venit ad me, vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis* (electis), *oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas et sequuntur me, ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu meâ*, Joannis cap. 10, etc. — Lege Bellarminum libro 2 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 12.... Item non repugnat Augustino, cujus antea expressa testimonia relata sunt; nec rationi, quæ dictat Deum esse donorum suorum dominum, Deum posse non concedere donum quod nunquàm promisit iis qui se eo in Adamo spoliaverunt, Deum deserere posse qui eum deserunt, Deum posse denegare donum quod ipsi justi *titulo justitiæ* mereri non possunt, inprimis propter peccata, qualiacumque sint, ante mortem commissa, Deum tandem plus posse quàm humana mens intelligere potest, etc.

ARTICULUS III.

Molinisticum systema perstringitur.

Ludovicus Molina, à quo Molinistæ, post finitum concilium Tridentinum floruit. Divi Augustini doctrinæ, et communis, et in scholis Augustinianâ et Thomisticâ (quæ tunc solæ in Ecclesiâ vigebant), receptæ sententiæ parùm, ut videtur, sollicitus, in lucem emisit anno 1588 famosum librum, quem inscripsit, *Concordia* (meliùs fortè illum inscripsisset, *discordia*); ingentes enim, quemadmodùm ubi nova ingeruntur accidere solet, excitavit turbas, ad quas sedandas habitæ sunt sub Clemente VIII anno 1602, juxta Spondanum, celebres congregationes de Auxiliis, quibus finem imposuit Paulus V, anno 1606, sanciendo, donec aliud decerneretur, ut litigantes partes suam sententiam modestè et absque mutuâ damnatione et censurâ tuerentur. Igitur opus illud theologis incognitam cœlestium decretorum seriem, et divinæ gratiæ cum libero arbitrio conciliandi rationem inducebat, quæ series et ratio in præsens delibandæ sunt.

Dei decretorum in Molinistico dogmate series. — Deus *scientiâ simplicis intelligentiæ* res omnes possibiles, et ideò possibiles omnes status contemplatur... *Scientiâ mediâ*, sive *conditionatorum*, exploratum habet quid creata et libera voluntas cum his vel illis auxiliis sit operatura.. His cognitis, hominem primùm creare decrevit in statu innocentiæ, ac deinde post peccatum reparare... In primo ordine, voluit Angelos et homines salvos facere *antecedenter et conditionatè*, si nempe vellent, et proind ipsis ad id necessaria gratiæ adjutoria copiosè impertire.... Ista auxilia non fuerunt *ab intrinseco* efficacia, sed *versatilia*, id est, *ab eventu*, sive *voluntatis consensu*, efficacia. Hinc nulla tunc fuerunt decreta absoluta, ex se efficacia, et liberam voluntatis determinationem præcedentia, et ideò nulla prædestinatio nisi post prævisa merita, nulla reprobatio nisi ob peccata actualia... In secundo ordine, sive statu, decernit sontem Adam et ejus progeniem salvare decreto generali, antecedente, et conditionato, si nimirùm ipsi velint, aut non impediat causarum secundarum cursus, et ideò per Christum, quem ipsis omnibus et singulis reparatorem destinat, vult omnibus et singulis dare sufficientissima salutis assequendæ auxilia.... Cognito autem ope scientiæ mediæ quid cum tali vel tali gratiâ actura sit hominum voluntas in his vel illis circumstantiis, absolutè statuit has vel illas gratias ipsis impertire, quas postea dat, et si aliquem efficaciter à vitio ad virtutem adducere vult, ac in virtute permanere, illi has aut illas gratias, cum quibus ipsum consensurum, et in bonis perseveraturum esse prænoscit tribuere statuit.... Demùm *scientiâ visionis* decretum illud supponente, cuncta ordinis supernaturalis opera videt, et ideò quinam benè acturi et perseveraturi sint usque ad mortem, vel non, et sic primos propter prævisa merita absolutè futura ad gloriam prædestinat; alios autem propter prævisa peccata reprobat.

Porrò, cùm Deus nihil absolutè statuat circa liberas actiones nisi antea scrutatus fuerit quid

voluntas in his vel illis circumstantiis sub hâc vel illâ gratiâ sit actura, nihil impedit dicere prædestinationem ad gloriam fieri ante vel post prævisa merita; nihil enim refert an Deus efficaciter velit gloriam ante gratiam, aut gratiam ante gloriam, vel an uno et eodem actu intendat simul gloriam et ordinem mediorum ad illam conducentium.

Ex his liquet Molinam cœlestia decreta ad humanæ mentis captum accommodare voluisse; liquet insuper ejus systema à Thomistico prorsùs differre, et ab Augustiniano quantùm ad statum naturæ lapsæ. Attamen ut nonnulla elucidentur, sit

Quomodò Molinisticum systema à Thomistico et Augustiniano circa gratiam discrepat? — Molinâ dicente passim in *Concordiâ*, quælibet gratia efficax fit vel inefficax per consensum vel dissensum voluntatis, ita ut divinæ gratiæ efficacia pendeat ex voluntatis nutu. Hinc gratia sufficiens non est specie et naturâ distincta ab efficaci; secùs, ut diximus, in systemate Thomistico et Augustiniano, saltem in statu naturæ lapsæ. Hanc tamen assertionem emolire aggressus est Molina dicendo eam esse intelligendam de gratiâ *in actu secundo*, sive cum effectu junctâ, quæ per consensum *tanquàm conditionem sine quâ non* fit efficax, quomodò ferè sacramenta fiunt efficacia *in actu secundo* per dispositiones suscipientium, non in *actu primo*, quasi consensus vim aliquam tribueret gratiæ quatenùs est gratia. Verùm, cùm ubique asserat gratiam pendere à voluntate tanquàm *à causâ determinante*, illam fieri efficacem *ex voluntatis consensu, per voluntatis consensum, etc.*, evidens videtur consensum illum in ejus mente *non esse simplicem conditionem sine quâ non* efficaciæ gratiæ *etiam in actu secundo*, quam videlicet gratia supponat, ideòque fallor si quod dixit intellexerit.

Idem Molina, ut servaret Deo causæ primæ et præcipuæ in quâcumque actione supernaturali rationem his Apostoli verbis expressam: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, duplicem, ubi voluntas gratiæ consentit, admisit physicum Dei influxum; unum quo Deus per prævenientem gratiam, id est, indeliberatum piæ cogitationis in mente, et motionis in voluntate actum, moraliter excitat et allicit ad consensum.... Alium quo per gratiam cooperantem, id est, concursum supernaturalem, efficienter operatur cum voluntate, et ipsum consensum cùm eâ physicè elicit; in quibus ad Thomistas duplicem illam Dei actionem admittentes reverti visus est. Verùm eos inter et Molinam hoc intercedit discriminis, quòd in mente Thomistarum ultimus influxus prædeterminat voluntatem ad consensum, quem ideò naturâ et *causalitate* antecedit; è converso in mente Molinæ influxus ille non est naturâ et causalitate prior, sed simultaneus cum consensu sive actione voluntatis. Tot exinde lites inter Thomistas et Molinistas exortæ sunt, etc.

Quid sentiendum de Molinæ systemate? — Multa sanè, eaque gravissima, commemoratum Molinæ systema explodere videntur momenta, inter quæ ista sufficiant.

Momentum primum. — Vel ipse hujus systematis parens ejus falsitatem reseravit cùm in citato opere, cui titulus, *Concordia*, hæc ventosus efflavit: « Hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divinâ prædestinatione à nemine quem viderim hucusque tradita fuit, quæ si data et explanata semper fuisset, neque pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare.... Neque ex Augustini opinione et concertationibus cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facilèque reliquiæ illæ Semipelagianorum in Galliis fuissent extinctæ. »

Igitur non theologi tantùm, sed et Augustinus, et alii Ecclesiæ doctores, qui ante Molinam floruerunt, veram de prædestinatione et gratiæ efficaciâ, ejusque cum libertate concordiâ, sententiam ignoraverunt. Igitur Deus, qui Augustinum et ejus discipulos excitaverat, ut revincerent Pelagianos et Semipelagianos, modum illos hæreticos refellendi eximios illos doctores non edocuit, quo tamen Molinam in fine decimi sexti seculi, ubi hæreses illæ erant extinctæ, instructum esse voluit; quis rebus theologicis vel levissimè imbutus intoleranda illa paradoxa non abhorreat? Quis aliunde absque indignatione auscultare valeat impudens illud pronuntiatum: Gratia Molinistica, id est, *versatilis*, sive *ab eventu efficax vel inefficax* ignota fuit Augustino? Nonne ipse et ejus schola illam admiserant in statu innocentiæ, et in statu naturæ lapsæ admittendam non esse pronuntiaverant? Molina ergo suum systema ab Augustino accepit, illudque ad statum naturæ corruptæ transtulit, et ideò, si gloriari ipsi placet, de Augustini et Societatis suæ decretorum contemptu glorietur. Scilicet liber de ratione studiorum Societatis Jesu Romæ impressus anno 1586, refert sententias, quas

Claudius Aquaviva generalis hujus Ordinis Moderator prævio sex doctissimorum ejusdem Sodalitii theologorum longo examine selegerat anno 1584, ut in cunctis Societatis scholis defenderentur. Has autem inter sententias hæc reperiuntur : « Item definitum est prædestinationis nec rationem nec conditionem esse ex parte nostrâ. Id ad pietatem parùm pertinere dicet aliquis; at hanc Augustini doctrinam non modò communiter theologorum schola jam recipit, sed et Ecclesiæ Patres per mille et ducentos circiter annos, qui id contendunt probare ex Scripturis, et responsis romanorum pontificum, nempe Zozimi, Sixti, Cœlestini, Leonis, Gelasii, apud quos Massilienses, Cassianus, Faustus, aliique hujus prædestinationis oppugnatores malè semper audierunt.... Item definitum est reprobationis, quâ cæteri homines ab ultimo fine excidere permissi sunt, causam esse peccatum originale. »

Hæc refert Norisius Vindiciarum cap. 3, paragrapho 7, et cap. 4, paragrapho 10. Addit Tournelius tract. de Gratiâ, generalem ejusdem Societatis, nomine Picolomini, paulò ante censuram quinque propositionum anno 1653 *decretum Aquavivæ latum anno* 1673 *contra gratiam efficacem ex puro voluntatis consensu renovâsse;* adeò verum est hoc systema nascenti Societati acceptum nonfuisse; utinam adolescenti nunquàm arrisisset, nunquàm fortè senuisset. Id certè vehementer optaverunt quivis eruditi veteres hujus Societatis theologi, Henricus Henriques Suaresii magister, qui adversùs Molinam tanquàm novatorem scripsit, Joannes Mariana, qui libro de Regimine Societatis Romæ tempore congregationum de Auxiliis edito irridet *hesterna Ludovici Molinæ commenta,* et certissimam Societati nisi inordinatum novitatis amorem amoveat vaticinatur ruinam, cardinalis Bellarminus, qui libro 1 de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 12, disserens de gratiâ Molinæ, id est, *ab eventu,* sive *assensu voluntatis efficaci, quasi in hominis potestate esset gratiam facere efficacem.* ait : *Hæc opinio aliena est omninò* à sententiâ B. Augustini, *et quantùm ego existimo à sententiâ etiam divinarum Scripturarum.*

Momentum secundum. — Varii variorum systematum, etiam Molinistici patroni, si excipias Molinam, qui, ut loquitur Henricus Henriques, *blasphemè et irreverenter bellicavit,* et paucos alios, consentiunt veram esse circa gratiæ efficaciam sententiam quam D. Augustinus ex Scripturis adversùs Pelagianos et Semipelagianos propugnavit; ita enim declaraverunt modò citati ab Aquavivâ summi Pontifices; unde quivis illorum systematum defensores S. doctorem ad se trahere nituntur; at gratia quam D. Augustinus adversùs illos hæreticos ex sacris codicibus vindicavit, fuit præcipuè gratia ex se et ab intrinseco efficax; ergo. — Minor ex citatis initio hujus libri testimoniis evidenter elucescit; enuntiant enim inesse Deo humanorum cordium, ubi voluerit, et quomodò voluerit, inclinandorum omnipotentissimam potestatem, humanas voluntates *indeclinabiliter, insuperabiliter, invictissimè à gratiâ moveri, gratiam cordis duritiam auferre, et à nullo duro corde respui, ipsum credere, ipsum velle esse Dei donum,* idque ex Scripturis, Isaiæ cap. 26, v. 12; 54, v. 13; Ezechielis cap. 36, v. 26 et 27; Lucæ cap. 23, v. 42; Joannis cap. 6, v. 45; Actuum cap. 9, v. 6; Epistolâ ad Romanos, cap. 9, v. 16; 1 ad Corinthios cap. 4, v. 7; Epistolâ ad Philippenses, cap. 2, v. 13, etc. — Qui plura alia S. doctoris effata desideraverit, consulere poterit eruditam dissertationem quam super hoc edidit P. Alexander in historiâ seculi quinti; sed hæc manifestè arguunt gratiam ex se efficacem, et in Molinæ systemate potiùs eluduntur quàm explicantur.

Momentum tertium. — Improbanda est sententia quâ semel admissâ ruit fundamentum divinæ prædestinationis ad gloriam quam S. Augustinus et ejus discipuli ex sacris codicibus solidissimè comprobaverunt; hanc enim gratuitam ad gloriam prædestinationem, quam S. doctor libro de Dono perseverantiæ, capite vigesimo, *se necessitate compulsum* contra Pelagianos defendisse asserit, non *modò tenuit,* ut modò dicebat Aquaviva, *communiter theologorum schola* usque ad annum 1588, *sed etiam Patres per mille et ducentos circiter annos,* et summi pontifices *apud quos Massilienses hujus prædestinationis impugnatores semper malè audierunt.* Hinc D. Fulgentius, imò cum ipso Patres synodi Sardiniensis, in epilogo libri *de incarnatione et gratiâ,* asserere non dubitavit, eos qui hanc prædestinationem rejiciunt *non pertinere ad eorum numerum quos Deus in Christo ante mundi constitutionem elegit, et prædestinavit ad regnum.* Hinc Baronius ad annum 490, eos increpans qui Calvini hæresim detestantes in sententiam super prædestinationem Augustinianæ adversam declinabant, dixit : « Cùm igitur Fausti sententiæ ubique ab Ecclesiâ fuerit contradictum; videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dùm in novatores ex-

surgunt, ut eos confutent (quid diceret si hodiè viveret) à S. Augustini de prædestinatione sententià recedunt, cùm alioqui arma non desint quibus adversarii (Calvinistæ) profligentur; » at Molinæ systema circa gratiæ efficaciam hanc prædestinationem funditùs evertit; illius enim prædestinationis certitudo et infallibilitas inde tota oritur quòd Deus electis efficacem gratiam præparaverit; *quos enim*, inquit Apostolus Epistolà ad Romanos, cap. 8, *prædestinavit, hos et vocavit* (vocatione, ut monet Augustinus libro de Correptione et Gratià, cap. 7, *secundùm propositum*, de quà dictum est ibidem v. 28: *Omnia cooperantur in bonum iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti*); *quos verò vocavit* (secundùm propositum), *hos et justificavit* (justificatione secundùm propositum cui annexa est perseverantia usque in finem); *quos verò sic justificavit, illos et glorificavit*. Ita ferè Bellarminus libro 1 de Gratià et libero Arbitrio cap. 12, tempore nimirùm quo hæc doctrina ubique propè erat recepta, et Molinæ Suaresiive systema timidè assurgebat, et nondùm dominabatur. Etverò, pergit ibidem vir eruditus, « si vocatio efficax non penderet à proposito Dei, sed ab hominis voluntate, nullus locus relinqueretur prædestinationi, sed tantùm præscientiæ (neque dixisset Apostolus Rom. cap. 9, *ut secundùm electionem propositum Dei maneret*), non ex operibus, sed ex vocante dictum est, etc. » Deinde « ridiculum esset gratiam nuncupare efficacem, eamque à sufficiente secernere, si nulla omninò in ipsà gratià esset diversitas, et totum discrimen ab humanà voluntate penderet. »

Denique, cùm Molina, ut dictum est, admittat physicum influxum, quo Deus per modum *causæ primæ et præcipuæ* simul cum homine elicit consensum, aut videtur non intelligere quod dicit, aut agnoscit in gratià vim intrinsecam consensum producendi, et ideò gratiam *ab intrinseco* efficacem.

His et aliis benè multis gravissimis adversùs Molinæ systema momentis perpensis, Clementis VIII et doctissimorum consultorum celeberrimæ congregationis de Auxiliis sententia fuit, Molinam et ejus sectatores esse à S. Augustini et ejus discipulorum *doctrinà penitùs alienos*, ut refert P. Alexander citato loco; quin nonnulli referunt Clementi VIII iteratis vicibus quærenti à Molinistis ut explicarent, *quid est quod facit hominem agere*, à Bastidà tandem et ejus sociis responsum esse Congregatione 37, *gratiam facere agere moraliter;* quo audito exclamavit summus pontifex: *Hanc gratiam excitantem posuit Cassianus;* unde, inquiunt, si è vivis non excessisset Clemens VIII, Molinæ systema censuram non effugisset.

ARTICULUS IV.

Concisa Congruistarum systematis delineatio.

Franciscus Suarez, libro præsertim 3 de Auxiliis divinæ gratiæ, cap. 14, Henrici Henriques monitis, et Aquavivæ jussis parùm obsequens, Valquez et alii non pauci è Societate Jesu, Molinæ systema suo modo condierunt. Etenim Molinæ *mediam scientiam* servantes, et omnem gratiam *ex se et ab intrinseco* efficacem tanquàm libertati prorsùs adversam eliminantes (et ideò gratiam efficacem à sufficiente naturà et virtute non discrepare contendentes), gratiæ tamen efficaciam non *à solo eventu* (ut Molina), sed *à congruitate* oriri fecerunt; gratiam proinde efficacem *congruam*, sufficientem verò *non congruam* vocaverunt; quà ex causà *Congruistæ* dicti sunt.

Duplicem autem distinguunt *congruitatem*, intrinsecam et extrinsecam. Intrinseca ipsa est stupenda et interna virtus quæ gratiæ inesse concipitur ante prævisum per scientiam mediam, sive conditionatorum, voluntatis consensum. Cùm gratia sic congrua non sit diversa à gratià *ex se et ab intrinseco* efficaci, gratiæ efficaciam in eà non reponunt Congruistæ, ne scientiam suam mediam deserant, et in systema Thomistarum et Augustinianorum libertati (ut prætendunt) inimicum incidant... Extrinseca consistit in congruitate, sive accommodatione gratiæ cum hominis indole, et diversis loci et temporis circumstantiis, quatenùs hæc omnia scientiæ mediæ subduntur. Scilicet, cùm Deus hominem vult efficaciter convertere, gratiam ejus genio et dispositionibus consonam ipsi largitur, et quidem eo loco et tempore, iisque in circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prænoscit ipsi eum esse consensurum: et hæc est congruitas quà gratia dicitur fieri et reipsà fit efficax; etsi enim ex se non habet infallibilem cum effectu connexionem, tamen prout subest scientiæ mediæ illum infallibiliter est habitura.

Quisnam sit in Suaresiano systemate cœlestium decretorum nexus et ordo? —Deus, cujus menti obversabantur innumerabiles rerum ordines possibiles, præsentem eligere voluit. Omnes in hoc statu creaturas liberas extituras ad æternam felicitatem destinavit, illarumque ideò salutem voluntate beneplaciti antecedente et con-

ditionatâ voluit, et quidem ante Adæ delictum sub solâ istâ conditione, *si vellent;* at post illud peccatum sub istâ insuper conditione, *si non impediret causarum naturalium fluxus,* aut aliorum hominum pravitas, desidia, etc. Sic infantium sine baptismo morientium salutem sincerè voluit Deus. Vi autem hujus voluntatis omnibus auxilia ad salutem verè sufficientia destinavit; deinde ope scientiæ mediæ cognoscit quid unusquisque in singulis circumstantiis sit facturus, si hanc aut illam gratiam ipsi infuderit; quâ habitâ notitiâ nonnullos pro beneplacito suo et speciali in eos dilectione assumit, sive prædestinat decreto absoluto, efficaci et antecedente (non consentiunt an prædestinatio illa sit primò ad gloriam, et subinde ad certam gratiarum congruarum largitionem et merita, an è converso primò ad gratias congruas, et bona opera, et postea ad gloriam, licet systematis parens Suaresius primam opinionem tradiderit). Hoc decretum absolutum et antecedens non admisit Molina. His porrò electis, non aliis, præparat certum illum gratiarum congruarum ordinem cum quo infallibiliter usque in finem perseveraturi sunt. Demùm per scientiam *visionis,* noscit quinam sint salvandi, quinam reprobandi, et illis in tempore gloriam propter bona opera rependit, istis verò pœnam æternam propter malè gesta.

I. *Quid sentiendum de Congruistarum systemate?* —Cùm Congruistæ scientiam mediam admittant, et gratiam *ex se et ab intrinseco* efficacem cum Molinistis rejiciant, patet eorum systema directè repugnare sententiæ quam, ut ante ostendimus, tum circa prædestinationem cùm circa gratiæ efficaciam ex Scripturis contra Pelagianos et Semipelagianos vindicavit D. Augustinus. Porrò, « certum est, inquiunt nonaginta septem præsules Gallicani in Corpore doctrinæ anni 1720, auctoritatem SS. Augustini et Thomæ mereri omnibus modis magnoperè præferri, Nam Augustinus in materiis de gratiâ et prædestinatione habetur tanquàm Ecclesiæ doctor, nec potest sine periculo recedi ab ejus doctrinâ, et ad intelligendam hanc doctrinam tutius est uti S. Thomâ tanquàm doctore, qui fuit unus ex fidelioribus ejus interpretibus. » Et verò, quis ferat novitios illos doctores, dùm (quæ se scire non posse candidè professus est Augustinus) gloriantur se explicare posse, concordiam nempe libertatis cum gratiâ, vel quo in medio Deus res liberè futuras videat? Equidem Augustinus, libro 1 de diversis quæstionibus ad Simplicianum, quæstione 2, n. 13, dixit: « Illi sunt electi qui congruenter vocati, illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati.... Cujus autem miseretur (Deus) sic eum vocat quomodò scit ei congruere ut vocantem non respuat. » Verùm, præterquàm quòd tres Vaticani codices legunt, *qui congruebant* (id est, non resistebant) *vocationi,* sagaces doctores accommodant *congruitati extrinsecæ,* sive desumptæ ex hominis indole, circumstantiis loci, temporis, etc., quod dixit Augustinus de congruitate gratiæ intrinsecâ, sive in ipsâmet gratiæ naturâ fundatâ; hanc enim congruitatem, sive efficaciam passim refundit in omnipotentissimam Dei voluntatem humana corda quò vult et quomodò placet inclinantem, ut loquitur ibidem, cap. 19. ......Item Augustinus libro 12 de Civitate Dei, cap. 6, hypothesim instituit duorum hominum æqualiter dispositorum animo et corpore, quorum unus movetur ad illicita desideria, non alter, *cujus discriminis causa est,* inquit, *quòd unus voluit, alter noluit à castitate deficere.* Gratia ergo, inquiunt acuti homines, efficax, fit per voluntatis consensum, sive indolis temperamentum. At si bonæ criticæ regulas, ut et Ecclesiæ sensa edocti essent, genuinam Augustini de gratiæ efficaciâ sententiam quærerent in operibus quæ sub vitæ finem adversùs Pelagianos et Semipelagianos conscripsit, non in nonnullis pronuntiatis quæ ipsi exciderunt in libris quos junior et nondùm ab erroribus Semipelagianorum plenè expeditus in lucem emisit. Deinde locus ille, ut inspicienti illicò apparet, gratiæ efficaciam nullatenùs tangit. Ibi enim S. doctor inquirit causam malæ voluntatis, non bonæ voluntatis, *an scilicet Deus sit causa mali,* et illam *causalitatem* omninò rejicit in voluntatem, sive liberum arbitrium; unde simpliciter dicit, *unum voluisse, et alterum noluisse à castitate deficere,* nullâ gratiæ factâ mentione, quia ad ejus scopum satis erat asserere eum qui à castitate deficit defecisse *quia voluit,* et eum qui non defecit non defecisse *quia noluit,* cùm utrumque illorum hominum voluntatis effectus sit.

Præterea gratia ab extrinsecis circumstantiis efficax plura secum volvit et trahit absurda. Deus scilicet hominem efficaciter convertere non posset nisi converti vellet. Etenim, priusquàm hominem efficaciter convertere possit, oportet ut exploret per scientiam mediam quid iste homo, si tali vel tali modo vocetur, huic vocationi sit responsurus; unde, si cuicumque vocationi ille homo morem gerere noluerit,

Deus non poterit illum efficaciter convertere; at hoc in systemate meritò sanè supponi potest illum hominem cuicumque gratiæ quolibet instanti consentire nolle, cùm ejus voluntas sic pravè affecta supponi valeat; sed hoc non sentit Ecclesia quæ Deum rogat *ut nostras etiam rebelles ad se propitius compellat voluntates....* Item homo in articulo mortis non deberet postulare gratiam efficacem; nam gratia efficax fit per circumstantias congruas; sed homo cùm sit in articulo mortis non potest constitui in aliis circumstantiis. In alio è converso systemate debet rogare Deum ut cor lapideum, quo obduruit, per omnipotentiam suam avellat, si malè vixerit, vel perseverantiam tribuat, si benè vixerit.... Item Adam in statu innocentiæ habuisset gratiam congruam, et ideò perseverâsset; major enim congruitas excogitari nequit quàm ea quæ hoc in statu extitit... Tandem sontes nunquàm converterentur in ipso peccandi æstu, et justi ubi gratiâ excitantur semper perseverarent; quæ profectò falsa esse evincunt Sauli exemplum, et multorum justorum excidium, etc.

ARTICULUS V.

Nupera Thomassini opinio expenditur.

Ludovicus Thomassinus, insignis è congregatione Oratorii theologus, tantâ eruditionis et pietatis famâ excelluit, ut Ludovicus Magnus summo pontifici ipsum ad sanctam urbem accersere cupienti responderit, *se viro regni sui doctissimo privari nunquàm esse consensurum.* Vir eximius, ex unâ parte considerans Pauli V in fine congregationum de Auxiliis anno 1606 indulgentiam erga novum ope scientiæ mediæ gratiæ efficaciam explicandi Molinæ systema, ex alterâ verò parte Ecclesiæ catholicæ hostes uti gratiâ Thomistarum et Augustinianorum ex se et ab intrinseco efficaci, et ideò infallibilem cum effectu connexionem habente, ad perversum suum dogma de libertatis interitu persuadendum; hæc, inquam, secum ipse seriò recogitans, existimavit se de Ecclesiâ non esse malè meriturum, si alterum systema circa idem objectum utriusque commemorati dogmatis incommodis non obnoxium proponeret; si videlicet summus pontifex permiserat præfata systemata in scholis liberè propugnari, multò magis permissurus erat opinionem intrinsecæ gratiæ vi et energiæ et libero voluntatis arbitrio (ut existimabat) consulentem in iisdem scholis defendi. Hinc in dogmatibus suis theologicis, gratiæ virtutem non in voluntatis consensu, non in divinâ motione constituit, sed in congerie multorum auxiliorum tum extrinsecorum cùm intrinsecorum, quibus cœlestis gratia voluntatem ita invadit et circumvenit, ut ab eâ consensum infallibiliter eliciat. Sed audiamus doctissimum virum suam mentem dilucidè exprimentem: « Ineluctabilis vis, inquit, gratiæ victricis, consistit in multitudine, varietate, consonantiâ, et conspiratione plurium auxiliorum interiorum exteriorumque, quorum singula seorsim frustrari possunt, quin et frustrantur quandoque per libertatis humanæ contumacem dissensum; at universa obstinatissimos quosque fatigant tandem, et multitudine, conspiratione, indefessâ oppugnatione suâ ad assensum tandem pertrahunt. » Attractio autem illa omnium cœlestium auxiliorum in mente Thomassini non est *physica* determinatio sive prædeterminatio, sed *moralis* tantùm, licet non minùs infallibilis sit, imò invicta, quàm si esset physica. Unde Thomassinus non censuit (ut supra laudatus Daniel) *moralem* prædeterminationem *infallibilem* cum effectu non habere connexionem. Porrò, in hoc systemate, si erudito viro fides, sua insuperabilis gratiæ vis et efficacia asseritur absque venatrice conditionatorum scientiâ; omnipotentissimæ enim Dei sapientiæ explorata sunt innumera adjutoria quibus cùm voluerit, et quoties ac quomodò voluerit mortalium corda domare et inflectere potest. Salva etiam remanet hominis libertas. Licet enim illorum auxiliorum aggregationi, sive collectioni, resistere non possit voluntas, singulis tamen non solùm potest, sed etiam aliquando reverà obsistit, ad eum ferè modum quo sons singula peccata mortalia vitare potest, non omnia, aut justus singula peccata venialia potest effugere, non omnia.

Verùm istud systema votis et proposito eximii sui auctoris nequaquàm accommodum videtur. Admirabili enim gratiæ Christi virtuti, ut et hominis libertati, quas commendavit Augustinus, non satis prospicit. Enimverò ex relatis Thomassini verbis elucet nullum existere speciale gratiæ auxilium quod certissimè et infallibiliter sit efficax, siquidem « singula seorsim Dei auxilia non solùm frustrari possunt, sed etiam quandoque per voluntatis dissensum frustrantur, » et aliunde « ineluctabilis vis gratiæ victricis oritur ex multitudine, varietate, consonantiâ, et conspiratione plurium auxiliorum. » At nihil est quod D. Augustini doctrinæ magis repugnet; ut enim innumera

S. doctoris testimonia, quorum plura antea protulimus, omittam, docet libro de Gratiâ Christi, cap. 45, n. 49 « Christum, cùm interiore suâ gratiâ Petrum visitavit, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas subitò movisse et produxisse affectum, et libro 1 ad Bonifacium cap. 19, n. 37, Saulum scelus anhelantem, et pestem Ecclesiæ nefariè molientem, *mirabili et repentinâ Dei vocatione conversum fuisse;* an, quæso, illa gratia non fuit singulare et maximè efficax gratiæ auxilium? An in instanti stillavit in Petrum et Saulum omnium gratiarum copia? An illa gratiarum, quarum nulla ex se erat efficax, aggregatio, si in Petrum et Saulum illicò delapsa esset, in momento ita obstinatissimam utriusque voluntatem movisset et fatigâsset, ut ad assensum statim attraxisset? Præterea, Ecclesia in orationibus suis Deum quasi perpetuò rogat ut efficacem illam gratiam, quam ex Apostolo prædicavit Augustinus, peccatoribus infundere dignetur. Denique fide constat voluntatem gratiæ quamlibet efficaci posse resistere; si ergo gratiæ efficacia consistit in coadunatione cœlestium auxiliorum, non solùm singulis auxiliis seorsim sumptis reluctari poterit voluntas, sed et omnibus collectivè consideratis, quod negat Thomassinus.

Nonnulli sapientes viri, considerantes cuncta relata systemata aut Dei virtuti et omnipotentiæ, aut humanæ libertati, aut omnimodæ gratiæ efficaciæ non satis consulere, et aliunde modum, quo in præsenti statu operatur gratia, inter arcana religionis christianæ sacramenta esse numerandum, se altiora quærere detrectant, et ideò totam gratiæ vim in quâdam cœlitùs inditâ energiâ omninò absconditâ collocant, quæ ex infinitâ Dei virtute voluntatem liberè, sed invictè operari facit. Hæc sanè sententia commemoratis Apostoli et Augustini oraculis est prorsùs consona. Verùm, quamdiù impervium illum agendi modum non assignabit, aliena quidem erit à systemate Moliniano, aut Suaresiano (quorum patroni stupendâ contradictione Jansenio vitio vertunt quòd in ejus systemate facilè concipitur concordia libertatis cum gratiæ motione), sed non ab Augustiniano, aut Thomistico, in quorum idcircò alterutrum ultimò delabetur.

Liber quartus.

DE INSIGNIORIBUS GRATIÆ CHRISTI BENEFICIIS.

Eximius gratiæ præco et vindex in aureis operibus, Regio Prophetâ et Apostolo præ untibus, gratiæ, præsertim *gratum facientis*, quâ mortalium mentes, non secùs ac sole terrarum orbis, illuminantur, et divinam accipiunt et servant vitam, mirabiles effectus impensè extollit, et quantùm humana patitur imbecillitas, graphicè depingit. Tot sunt et tam reconditæ excellentiæ ut iis duntaxat qui ex hâc vitâ ad cœlestem patriam emigrârunt plenè explorati sint. Scilicet tanta est hominis lapsi infirmitas, tanta in malum propensio, ut nequaquàm Deo appropinquare, vel ipsi constanter inhærere possit, absque cœlestis auxilii adminiculo, et omnipotentissimâ virtute. Præstans quidem illa prærogativa erat penès primum hominem cum perfectâ libertate et sanctitate conditum; sed ubi se beneficentissimo Conditori infandâ rebellione immorigerum præstitit, illâ infeliciter spoliatus est, sicque non in se, sed in Deo solo gloriari debet. Consuli poterit S. doctor libro de Dono perseverantiæ, cap. 7, n. 13, ubi sublimem illam doctrinam egregiè et solidè exponit et expandit.

Exindè contigit ut inter scholæ doctores alii plures, alii pauciores gratiæ fructus recensuerint. Multi quinque præcipuos enumeraverunt, scilicet naturæ virium sive infirmitatis sanationem, culparum detractionem, animæ justificationem, intimam cum Deo conjunctionem, et attributionem juris ad gloriam, sive vitam æternam; qui nempe vel leviter sacros codices, et pretiosa Patrum, inprimis Augustini, monimenta attigerunt, iis mirabilia illa munera ex gratiâ Christi dimanare apprimè exploratum est. Verùm ipsi magistri qui quinque illa gratiæ beneficia seorsim enucleant ultrò fatentur illa ferè omnia intra justificationis et meriti cancellos circumscribi, et ideò sub his capitibus appositè exponi posse. Quamobrem disseremus de primo gratiæ munere, sive de justificatione, de altero ejusdem gratiæ effectu, sive de merito, subinde disceptationem udituri (1).

CAPUT PRIMUM.

De primo Dei gratiæ effectu, sive de hominis justificatione.

Sancta synodus Tridentina, sessione 6, catholicam de justificatione doctrinam egregiè et

(1) Multis profectò desiderandum videbitur, ob præcipuam materiei gravitatem, quòd Clericus à Belliberone gratiam justificantem, et ejus effectus, donaque ipsi adjuncta non penitiùs exegerit. Quæ ut omissa reparentur, ad calcem tractatûs addititium subnectimus caput, ex Haberti theologiâ depromptum, in quo res mirâ concinnitate simul ac luculentiâ absolvitur.

luculenter adversùs Lutherum, Calvinum et eorum defensores exposuit et consecravit. Idem præstiterunt scholæ doctores qui ab illorum hæreticorum ætate mundo illuxerunt. Ut autem tam immensæ dignitatis et virtutis argumentum, quo incredibilis justorum animæ decor, et præstantiora divinæ potentiæ miracula veluti humanis subjiciuntur oculis, pressiùs et luculentiùs edisseratur, et novatorum commenta dispereant, disseremus 1° de justificatione, ut loqui amant, *in fieri*, id est, de conditionibus justificationem tangentibus....... 2° de justificatione, ut aiunt, *in facto esse*, sive de justificationis essentiâ...... 3° de justificationis, ut rursùs dicunt, *essendi modo*, sive qualitatibus seu effectibus; præmissâ tamen ad dissipandam omnem ambiguitatem, et majorem rerum dicendarum notitiam accersendam, contractâ de variis justificationis acceptationibus quæstione.

Quæstio prævia.

DE PRÆCIPUIS JUSTIFICATIONIS ACCEPTIONIBUS.

Justificatio sic dicitur à justitiâ, cujus idcircò notitia justificationis cognitionem instillat. Justitia autem universim rei sonat rectitudinem sive integritatem; dictat enim ratio id esse justum quod rectum est, sive cum ordine conspirans. Cùm autem quod justum est dissimiliter rectum esse possit, hinc sacris in codicibus justitia variè delineatur. Etenim justitia interdùm connotat rectitudinem per sacros libros, sive legem scriptam imperatam, Psalmo 18, v. 9, Psalmo 118, v. 5, 8, 155; Rom. cap. 2, v. 26, etc. Item justitia aliquando designat specialem virtutem quâ cuique quod suum est rependitur, Exodi capite 20, v, 15; Matthæi cap. 7, v. 12, cap. 19, v. 18.

Item justitia sæpiùs exprimit rectitudinem internam, sive *cordis*, quæ hominem ordinatè dirigit ad Deum et proximum, sicque æternam vitam accersit. Hæc justitia sive justificatio modò dicitur *justitia fidei*, quia à Christi fide velut à radice ramus pullulat; modò *justitia Dei*, quia insigne supremi Numinis munus est et donum. Illam tangit Apostolus Epistolâ ad Philippenses, cap. 3: *Propter Christum*, inquit, *omnia detrimentum feci*, *et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo, non habens meam justitiam quæ ex lege est* (id est justitiam ex solâ legis notitiâ sine gratiæ adjutorio partam, de quâ gloriabantur Judæi), *sed illam quæ est ex fide Christi Jesu, quæ ex Deo est justitia in fide.* Hæc justitia, quæ homines *rectos facit corde*, et ideò Deo acceptos, in Prophetarum scriptis et novo Testamento passim commendatur. Scilicet *cùm omnis Scriptura divinitùs inspirata* eò collimet *ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (2 ad Thimotheum 3), ea præ cæteris fuit celebranda justificatio quæ bonorum omnium, sive meritoriorum operum fons est et origo.

Justitia, sive justificatio ultimo sensu accepta, quam Deus per gratiam suam in homine gratis producit (Rom. 3, v. 24), illa ipsa est de quâ cum novatoribus lis movetur, et ideò nobis instituendus est sermo; omni profectò ex parte humanâ attentione et indagatione digna est. Etenim, præterquàm quòd illa est *unum illud necessarium* quod prædicat Christus Lucæ cap. 10, certè illius causa primaria efficiens est Deus, efficiens meritoria Christi passio, efficiens per *modum instrumenti uniti* Christi humanitas, per modum verò instrumenti sejuncti, novæ legis sive Christi sacramenta, materialis sive subjectiva anima humana, formalis intrinseca gratia habitualis, et extrinseca, sive exemplaris, Christi justitia, finalis tandem gloria Dei, et vita æterna, ut ex dicendis elucescet; unde nihil nisi divinum et homini maximè salutiferum spirat et redolet.

ARTICULUS PRIMUS.

Justificatio in fieri, *sive conditiones ex Dei institutione justificationi præeuntes, expenduntur.*

Quæstio adultos spectat, non infantes, qui propriæ et actualis dispositionis non sunt capaces.

Consentiunt decimi sexti seculi heretici, cum quibus concertaturi sumus, quemdam fidei actum adultorum justificationi ex divinâ ordinatione præire debere. Ausi quippe non sunt præclara hâc super re Spiritûs sancti oracula, Marci ultimo, v. 16, Actuum 8, v. 37, Hebræorum cap. 11, v. 6, etc., impugnare.

Verùm quo adiguntur vertiginis spiritus illos in prodigiosos errores circa illum actum præcipitavit, nimirùm circa naturam illius fidei, circa illius adjuncta, et circa modum illius concursûs ad justificationem; quæ tria idcircò specialim sunt indaganda.

§ 1. *Fides justificationem impetrans discutitur et retegitur.*

Expenditur novatorum sententia. — Fides jus-

tificans, quam commenti sunt novatores decimi sexti seculi, omnes eorum errores peperit, nimirùm circa Sacramentorum operandi vim, circa corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam, circa operum satisfactoriorum inutilitatem, etc. Unde sedulò est investiganda et refellenda.

Joannes Calvinus, libro 3 Institutionis cap. 2, paragrapho numerove 9, Martinus Kemnitius 1 parte Examinis concilii Tridentini, et alii vulgò insignes tum Lutherani cùm Calvinistæ *unicam esse piorum fidem agnoscunt et prædicant* (ut loquitur Calvinus ibidem), à quâ discrepat fides *historica et miraculorum*, et ideò scholasticis crimini vertunt, quòd triplicem illam fidem eamdem esse somnient.

Fides historica ipsis dicentibus ea est, quâ credimus esse vera quæcumque sacris Tabulis inscripta sunt.... Fides miraculorum illa, quâ credimus ab omnipotente Deo fieri vel impetrari posse miracula.

Unica autem piorum fides, quam prædicant, est fides quam vocant *divinarum promissionum*, quia respicit cœlestes promissiones de æternâ vitâ et delictorum relaxatione.

Hanc promissionum fidem partiuntur in generalem et specialem. Generalem illam nuncupant, quâ creditur Deum cunctis fidelibus, sive electis, peccatorum veniam, et ideò salutem esse pollicitum; specialem, quâ quilibet pius, sive prædestinatus, sibi cœlestem promissionem adscribens, certissimè confidit sibi per Christum remissa esse peccata.

In hâc speciali promissionum fide totam salutis humanæ œconomiæ anchoram reponunt. Nihilo tamen minùs non omninò consentire videntur in sincerâ ejus notione figendâ. Scilicet Calvinus, libro 3 Institutionis, cap. 2, in fine numeri 7, illam sic finit : « Est divinæ erga nos benevolentiæ firma certaque cognitio, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum sanctum et revelatur mentibus nostris, et cordibus obsignatur. » Ubi cùm solius divinæ erga nos benevolentiæ facit mentionem, concordat cum Lutheranis qui fidei justificantis nullum aliud assignant objectum, quàm specialem Dei misericordiam. At fidem illam non *fiduciam* sed *cognitionem* vocans ab illis recedere videtur; insigniores enim Lutherani fidem illam non tam *notitiam* vel *assensum* quàm *fiduciam* esse obgarriunt. Illam tamen fiduciam fortassis exprimere voluit verbis, et *cordibus obsignatur.* Ibidem enim, versùs finem numeri 8, ait : *Assensio fidei cordis est magis quàm cerebri, et affectùs magis quàm intelligentiæ*, et numero 16 *fiduciam et expectationem promissionum Dei* impensè commendat. Quanquàm notum est istud Cani libro 4 de Locis cap. 6, de Calvino effatum : Ratiocinatur ille quidem interdùm argutè, sæpiùs eleganter, sed quandoque adeò ineptè, insulsè, frigidè, ut vix eum credas, non dico eruditionem acumenve, sed aut rationem omninò ullam, aut sensum etiam communem habuisse. »

Igitur sentiunt illi hæretici fidem justificationi præviam sive juxta illos justificantem esse firmam et certam fiduciam specialis Dei misericordiæ, et ideò connotare solam promissionem illius benevolentiæ, illam à spe non distingui (cùm fiducia Cicerone etiam teste sit spes certa); illam in voluntate residere, imò illam, si sit actus intellectûs, non assensûs, sed notitiæ actum esse, siquidem fidem aliquando finiunt *cognitionem* sive *notitiam.*

Declaratur Catholicorum sententia. — Orthodoxi, dùm de divinâ fidelium fide disserunt, fidei historicæ nomen raró usurpant, « ne, inquit Bellarminus libro 1 de justificatione cap. 4, quis in animum suum falsò inducat ipsos res sacros in Commentarios relatas credere propter solam historici auctoritatem; sed illam fidem simpliciter dicunt catholicam, » aut *dogmaticam*, quibus nominibus à pluribus antiquis *Patribus donatur.* Ultrò quidem fatentur fidem ad justificationem viam sternentem et historicam, et miraculorum, et promissorum esse; verùm contendunt illam fidem ex parte *objecti formalis* reverà non distingui. *Una* quippe est, ut ait Apostolus Epistolâ ad Ephesios, cap. 4, *fides* (formaliter) eaque catholica, quâ propter summam Dei revelantis veracitatem tanquàm rationem formalem omnia quæ sacri complectuntur codices, sive historica, sive doctrinalia, sive promissa firmissimè credimus.

Quamobrem Catholici sentiunt et docent 1° fidem ad justificationem disponentem non solam specialis Dei misericordiæ promissionem (ut placet novatoribus), sed et id omne quod enuntiat Dei verbum necessariè connotare.... 2° Non voluntatis (ut iidem vulgò sentiunt hæretici), sed intellectûs actum esse... 3° Non notitiam (ut interdùm iidem obtrudunt), sed assensum esse intellectûs; Deo scilicet assentimur et assentiri tenemur, licet ea quæ revelat mentis nostræ captum superent, Epistolâ, ad Hebræos cap. 11, v. 1. Cum ipsis sit

Conclusio. — Fides justificationis prænuntia non est specialis promissionum fides, quâ quis

sibi cœlestem promissionem applicans credit, aut certissimè confidit sibi per Christum dimissa esse peccata ; sed est fides catholica, id est assensus firmus et certus cunctis rebus à Deo revelatis. A theologis omni ex parte ut certa habetur.

Probatur 1° ex sacris codicibus. Non unum, et quidem invictum, nobis suppeditant argumentum. Etenim tradunt, et quidem frequentissimè, ut in articulo 3 ostendemus, commemoratam fidem, sive confidentiam, absque divinæ revelationis subsidio, ab ipsismet prædestinatis in hâc vitâ nequaquàm haberi posse, quinimò ipsos summoperè cavere debere ne talem obrepere, multò magis invalescere persuasionem patiantur ; quis autem suî compos existimaverit ad justificationem pertinere quod ipsi justi sine extraordinario auxilio consequi non possunt ?

Item expressè docent fidem ad justificationem requisitam non esse fiduciam quâ certi sumus de peccatorum remissione. Etenim Epistolâ ad Hebræos cap. 11, v. 1, fides definitur, *sperandarum substantia rerum*, *argumentum non apparentium*. Enimverò, si Apostolus ibi disputat de fide justificante, eamque fidem, non fiduciam in specialem Dei benevolentiam, sed certum et firmum cunctis rebus à Deo reclusis assensum pronuntiat, hoc indubiè testimonium adversariorum dogma pessumdat; at hæc eructat Apostolus. Fides enim quam v. 1 definit ipsa est fides *ex quâ justum vivere* dixerat in fine capitis 10, sive immediatè præcedentis, *sine quâ impossibile esse placere Deo* asserit versu 6 capitis 11, quâ insigniri debet qui vult *accedere ad Deum*, id est placere Deo, ibidem, per quam veteris Testamenti sancti divinas *repromissiones* et *justitiam* adepti sunt, toto decursu capitis 11, etc. Sed desiperet profectò qui fidem his characteribus depictam justificantem esse inficiaretur. Pariter fidem quam ibi prædicat *argumentum* vocat Apostolus, id est *demonstrationem* et *convictionem*; argumentum enim ibi græcè sonat, *demonstratio*, *convictio*; unde Augustinus tractatu 79 in Joannem, n. 1, legit, aut interpretatur, *convictio rerum quæ non videntur* (mirum est Bellarminum hoc non notâsse libro 1 de justificatione cap. 5). Idem evincit vox latina, *argumentum*, cùm ex argumento oriatur demonstratio et convictio. Addit Apostolus, eâ fide *intelligi aptata esse secula* v. 3, *credi Deum esse*, v. 6, *metuisse Noe*, v. 7, etc. Sed hæc exsibilant confidentiam quâ adversarii volunt quemque fidelem certum esse sibi in particulari per Christum dimissa esse peccata; *convinci* enim, *intelligere*, *credere*, etc., totidem sunt actus intellectûs; fidentia è converso et securitas actus voluntatis, et aliunde fides Noe, si fuisset fiducia, timorem ipsi incutere non potuisset; cùm confidentia timorem explodat, nedùm afflet, etc. Tandem fides, quam laudat Apostolus, est *sperandarum substantia rerum*, sive, ut Augustinus loco citato legit, *sperantium*, hoc est, si homines respicit, id quo stant et vivunt justi terrena aspernando, et cœlestia appetendo; si verò tangit res speratas, id, ut exponit Chrysostomus homiliâ 12 in Epistolam ad Hebræos, quo res speratæ, quæ, quamdiù sperantur, sive expectantur, sine substantiâ esse putantur, substantiam accipiunt, sive subsistunt in sperantis animâ, sicque eum sustentant et quasi spirare faciunt... Est argumentum sive convictio non apparentium, id est rerum cœlestium in seipsis non apparentium, sive obscurarum, quibus Deus superno lumine suo internam persuasionem operante intellectum assentiri facit; quæ nempe videntur et intelliguntur in divinam fidem non cadunt; unde Augustinus, citato tractatu 79 in Joannem n. 1, dicit Thomam cùm ei dixit Christus Joannis 20 : *Quia vidisti me, credidisti, non hoc credidisse quod vidit, sed vidisse hominem credidisse Deum... Est fides quâ intelligimus aptata esse secula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*, v. 3, id est non rationis, sed fidei lumine cognoscimus ex invisibilibus, sive ex iis quæ non existebant, cœlestis Verbi virtute facta esse *secula*, id est quæ videntur, sive omnia temporalia; vox enim, *secula*, significat et tempus et quæ tempore existunt (unde Plato fide destitutus censuit mundum quidem à Deo productum esse, sed ex materiâ Deo coæternâ). Sed hæc ostendunt fidem, de quâ Apostolus, esse firmum et certum rebus omnibus à Deo manifestatis assensum, non confidentiam in specialem Dei misericordiam; ex versibus enim 10, 13, 26 et 35, elucet per *res sperandas* indicâsse Apostolum non præcisè et præcipuè peccatorum remissionem, sed gloriam et opes cœlestes fortiter pro fide certantibus, non nudè credentibus tantùm (ut volunt adversarii), promissas; res etiam non apparentes, et ea quæ videntur et sunt manifestè non specialem tantùm Dei misericordiam, sed et omnia quæ in humanum captum non cadunt et à Deo revelata sunt commonstrant; ergo.

Testimonio apostolico præ cæteris inhæsimus, quia fidei justificationem adducentis definitionem exhibet.

Innumerabilia alia sunt quæ Protestantium systema funditùs evertunt, talia ista, Marci ultimo : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Quid hìc *crediderit?* Nonne Evangelio annuntiato, et ideò cunctis veritatibus per illud revelatis? Joannis cap. 6 : *Verba vitæ æternæ habes, et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei.* Quid crediderant Apostoli? Sibi tantùm peccata per Christum esse remissa? Minimè sanè, sed cuncta quæ sacro ore protulerat Christus, et inprimis æternam ejus et ineffabilem ex Patre generationem... Actuum cap. 8 : *Si credis ex toto corde, licet* (baptizari). Quid credendum ab eunucho exigebat Philippus? Nonne omnia quæ ipsi de Christo annuntiaverat? Quæ intellexit eunuchus respondens : *Credo Filium Dei esse Jesum Christum...* Rom. cap. 10 : *Hoc est verbum Dei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quòd Deus suscitavit illum à mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Fides ergo justitiam impertiens Christi resurrectionem, et ideò ejus Deitatem et omnia quæ dixit respicit et connotat, etc.

Probatur 2° ex Patribus quos inter solum Augustinum et ejus discipulos, utpote adversariis cæteris doctoribus minùs invisos proferam. Ac primò quidem B. Augustinus ab adversariorum systemate tam alienus est, ut in cunctis operibus suis, licet prodigiosè immensis, vocem, *fiducia*, nusquàm usurpaverit pro certitudine et privatâ persuasione peccatorum remissionis, sed constanter pro spe quam inspirat Dei misericordia. Etverò perniciosum illud dogma, quoties sese offert occasio, irridet et refellit, asserendo fidem sanctificationi præludentem esse catholicam fidem, quâ cuncta à Deo revelata creduntur; fides enim catholica Symbolo continetur, ut docet libro de Fide et Symbolo, cap. 1, n. 1. Id autem clarè docet sequentibus operibus quæ præ aliis apud eruditos in summo pretio sunt.

Enchiridion, ubi de fide, spe et charitate ex professo disserit, cap. 3, dicit, *Deum fide, spe, et charitate coli...* Cap. 5, *mentem* (ope fidei per dilectionem operantis) *benè vivendo tendere ad speciem pervenire... summam felicitatem*, et cap. 7, hominem salutem assequi *credendo per fidem, et orando per spem et charitatem*, ideòque de fide justificante verba facit; at fidem hanc à spe (multa enim quæ creduntur non sperantur), et ideò à fiduciâ discrepare, eamque divina de Christo et ejus Ecclesiâ oracula attingere toto capite 8 probare aggreditur, ut inspicienti illicò innotescit.

Libro 3 ad Bonifacium, cap. 5, n. 14, fidem adstruit, quâ *Apostoli et Prophetæ sancti fuerunt*, quæ *justos ab injustis discernit*, *ex quâ justus vivit*, quæ *peccata solvit*, quæ *ex eâ operantes in Christi consortium emigrare facit*, etc.; ac proinde fidem sanctificantem, sive per dilectionem operantem; sed hanc fidem expressè dicit esse *catholicam fidem; nostra fides*, inquit, *est catholica fides*, quod et elucet ex Apostoli textu Rom. cap. 14 quem adducit : *Omne quod non est ex fide peccatum est;* novatores enim hujus temporis fidem theologicam, sive dogmaticam, his verbis delineari contendunt. Porrò nemo non intelligit vel ex ipso nomine fidem catholicam non esse fidem *specialem* ei duntaxat competentem qui credit vel confidit sibi dimissa esse peccata, sed fidem universæ Ecclesiæ communem, quâ firmiter creduntur cuncta Ecclesiæ dogmata.

Duobus illis testimoniis fidem non specialem, sed catholicam, sive communem, depinxisse Augustinum ex ipsis iterùm evidenter inferri potest; in primo enim opere, cap. 5, dicit apud quosdam hæreticos, qui se Christianos profitentur, *nomine tenùs inveniri Christum, reverà apud eos non esse;* cur? Non indubiè quia non credunt sibi per Christum dimissa esse peccata (id enim reverà credunt aut credere possunt); ergo quia negando unum fidei articulum Christi Divinitatem inficiantur aut inficiari censentur... In secundo autem libro, in fine capitis, explicare volens *quid sit fides recta*, quæ justificationis radix est, adducit exemplum mulieris *bis nuptæ catholicæ*, et *professæ virginis hæreticæ*, asseritque illam *esse in Dei regno, non istam*, indubiè quia per hæresim amisit *fidem rectam*, quâ omnia et singula divina dogmata credi debent.

Augustini adstipulator fuit auctor librorum de vitâ contemplativâ, quos multi D. Prospero adscripserunt, sed multi tamen cum P. Alexandro in historiâ seculi qninti, Juliani Pomerii esse asserunt. Etenim libro 1, cap. 18, perstrictâ de Trinitate et Incarnatione fide, asseverat capite 19 hanc fidem eam ipsam esse quæ justificationis fons est et origo : *qui*, inquit, *non crediderit habendo fidem, nec justitiam cordis habere poterit, nec salutem.*

Concinit B. Fulgentius in libro de Fide ad Petrum diaconum in prologo. Primùm Petro gratulatur quòd « catholicam fidem edoceri postulaverit ut nullius sibi posset sensus hære-

ticæ subrepere falsitatis, » ac deindè ait : « Gaudeo quidem quod pro fide verâ sine ullo perfidiæ vitio custodiendâ sollicitudinem geris, sine quâ nulla potest prodesse, imò nec esse conversio. Apostolica quippe dicit auctoritas, quia sine fide impossibile est placere Deo (Hebræorum cap. 11). Fides namque est bonorum omnium fundamentum. Fides est salutis humanæ initium. Sine hâc fide nemo ad filiorum Dei numerum potest pervenire, quia sine ipsâ nec in hoc seculo quisquam justificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam. »

Probatur 3° ex perpetuâ Ecclesiæ fide et praxi. Ille usus potissimùm cognoscitur per recitationem Symboli ab apostolicis temporibus ad hanc usque ætatem in Ecclesiâ factam. Apostoli scilicet Symbolum condiderunt postea fusiùs expositum in synodis generalibus Nicænâ et Constantinopolitanâ, quod, inquit Augustinus sermone 213, in traditione Symboli secundo, aliàs 119 de tempore n. 1, *est breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat, nec oneret memoriam.* Hujus autem fidei, quæ est de Trinitate, Incarnatione, Passione et Resurrectione Christi, de Ecclesiâ, de baptismo, de vitâ æternâ (non de speciali novatorum misericordiâ) professio *cuilibet,* dicente S. doctore in sermonibus de traditione Symboli 1 et 3, sive 212, n. 1, et 214, n. 1, *necessaria est propter æternam salutem,* sive, ut loquitur ultimo loco, *ut salvus esse possit.* Ex quibus elucet Apostolis et toti Ecclesiæ semper persuasum fuisse fidem, quæ æternæ salutis est fundamentum, respicere res omnes à Deo revelatas. Hinc meritò concilium Tridentinum sessione 6 hæc sancit canone 12 : « Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quàm fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse quâ justificamur, anathema sit. »

Et canone 13 : « Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò et absque ullâ hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit. »

Probatur ultimò rationibus theologicis. Prima. Si fides justificans esset fides quâ quis credit sive certò confidit sibi per Christum remissa esse peccata, quicumque illâ fide esset præditus justificaretur, et quicumque illâ careret non posset justificari; falsum conseq.; quàm multi enim eâ exultant fiduciâ qui justi non sunt! quàm multi è converso eâ destituti qui sunt sancti! Nonne Pharisæus, de quo Lucæ cap. 18, credebat et confidebat se per Deum à peccatis esse immunem, et Publicanus hanc non habebat fiduciam, et tamen Christi judicio, ille invisus, iste Deo acceptus fuit? Nonne Paulus illius confidentiæ expers erat cum exclamabat I Epistolâ ad Corinthios, cap. 4 : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum;* et ibidem cap. 9 : *Castigo corpus meum... ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar,* et nihilominùs gratiâ sanctificante erat insignitus? Nonne eodem jubente gentium Doctore Epistolâ ad Philippenses cap. 2, fideles, quamdiù in terris militant, *salutem operari debent* cum metu et tremore qui, ut diximus, ab adversariorum fiduciâ exploditur? Nonne apud plurimos hæreticos et schismaticos non solùm esse potest sed et reipsà reperitur specialis illa fides, qui tamen habendi sunt velut ethnici et publicani, Matthæi cap. 18? etc.; ergo.

Secunda. Petro dicente 2 Epistolâ cap. 1, fideles *satagere debent ut per bona opera certam vocationem et electionem suam faciant, quia hæc facientes non peccabunt,* sive, ut fert græcus codex, non labentur aliquando; at studium illud, et labendi formido, stare nequit cum certâ fide de peccatorum remissione. Desiderantur quidem in textu græco, etiam regio, voces, *bona opera;* unde eas omiserunt novatores in suis versionibus, in primis in Basileensi anni 1564; verùm Æcumenius auctor græcus earum meminit, ut et versio Montensis. Beda verò censet illas voces ab interprete latino majoris lucis causâ esse additas, quia intendit Apostolus viros verâ fide semel imbutos, cùm bona opera perseveranter eliciunt, suam vocationem et electionem intuentibus exploratam efficere. Deinde, his detractis vocibus, non minùs firmum esset adversùs novatores argumentum; consentiunt enim in commemoratâ versione Basileensi, quam non improbant, aut saltem non possunt improbare, legendum esse : *Studete vocationem et electionem vestram firmam efficere, hæc enim si feceritis non labemini unquàm;* quod, ut diximus, non cohæret cum certâ fide de peccatorum remissione.

Tertia exhibet oppositæ sententiæ paradoxa, quæ inter hæc sufficiant. In novatorum sententiâ, quidquid Christus ad hominum salutem instituit, sacramentorum usum, mandatorum executionem, continuum orandi præceptum, etc., esset prorsùs inutile, imò perniciosum; si enim certâ fide credere debeo mihi dimissa esse peccata, sicut credere teneor

Deum esse unum et trinum, Dei indulgentiam et quid ad eam tendit implorare non possum, nisi certus non sim de actuali Dei erga me indulgentiâ, imò de eâ dubitem, et ideò hoc ipso certissimam meam fidem de peccatorum remissione amittam, aut saltem certissimo illam perdendi periculo me exponam; at nihil absurdius et magis exitiale potest excogitari; ergo.

In eâdem opinione Scripturæ et Patrum oracula de fiduciâ obtentæ veniæ quæ ex Dei dilectione, et justificatione velut ex fonte scaturit, quæ oracula passim reperiuntur, v. g., Psalmo 4, v. 6, Ecclesiastici cap. 2, v. 6, 2 Petri cap. 1, v. 10, etc., essent totidem paradoxa; in illo quippe systemate fiducia illa justificat, et ideò justificationem non subsequitur.

Objiciunt 1°, adversùs adductum textum ex cap. 11 Epistolæ ad Hebræos, Melancthon, Kemnitius, etc. Vox, *substantia*, ibi græcè sonat, *certa expectatio promissæ misericordiæ;* fides ergo justificans, quæ ibi definitur, est expectatio, sivè certa fiducia specialis Dei misericordiæ. Etverò vox, *substantia,* sive græcè, ὑπόστασις Psalmo 38 *expectationem* significat; *quæ est expectatio mea, nonne Dominus? Et substantia mea apud te est;* quin et cap. 3 Epist. ad Hebræos v. 14, idem exhibet: *participes Christi*, inquit Apostolus, *effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.* — Resp. 1°, Melancthonem et Kemnitium indubiè non magis callere linguam græcam quàm D. Chrysostomum, et auctorem versionis Basileensis anni 1564; at ille, ut diximus, homiliâ 12 in Epistolam ad Hebræos per vocem, *substantia,* sive ὑπόστασις, intellexit non *expectationem,* sive *fiduciam,* sed *subsistentiam* rerum speratarum in animis sperantium fide productam, cui expositioni iste assentitur vertendo: *Est fides illud quod facit ut extent quæ sperantur, et demonstrat quæ non videntur*. Resp. 2°, dato et non concesso vocem, *substantia,* ὑπόστασις, Psalmo 38 et cap. 3 ad Hebræos expectationem denotare, malè inferri ipsam idem significare cap. 11 ad Hebræos; plura enim et diversa potest connotare et reipsâ connotat. Verùm iterùm falluntur adversarii ipso editoris Basileensis judicio, qui nullam ibi existentiæ sive substantiæ mentionem facit convertendo: *Quia te, Jehova, expecto, tu respondebis, Domine Deus mi.* Equidem septuaginta Interpretes textum hebræum Psalmi 38 vertentes pro lectione hebraicâ, *expectatio mea,* transtulerunt (et cum eis vulgatus interpres): *Substantia mea apud te est*, sive ὑπόστασις; sed cur? nisi quia cognoverunt ibi indicari rem speratam, quæ per fidem in sperantis animâ substantiam sive subsistentiam accipit, ut Chrysostomo duce et aliis diximus? Quod attinet ad v. 14 capitis 3 Epistolæ ad Hebræos, rursùs desipiunt cùm dicunt, voces, *si initium substantiæ ejus usque ad finem* etc., commonstrare, *initium fiduciæ;* indicant enim *initium novæ creaturæ,* quod primordium fides est; unde translatio Basileensis habet: *Christi participes facti sumus, si sanè primordium illud, quo sustentamur, firmum retinuerimus ad finem usque.* Scilicet Christus per fidem *in nobis formari incipit* (ad Galatas cap. 4, v. 19), quâ ex causâ dicimur *nova creatura in Christo* (ad Galatas 6, v. 15). *Christi factura creati in illo in operibus bonis,* etc., ad Ephesios cap. 2, v. 10; etc. Resp. 3°, etsi Hebræorum cap. 11, nomine ὑποστάσεως significaretur *expectatio* sive *fiducia,* non posse ex illo textu adstrui specialem adversariorum fidem. Res quippe sperandæ, et non apparentes, de quibus hîc est sermo, sunt omnes divitiæ cœlestes, et æterna gloria, et ideò inprimis corporis resurrectio et vita æterna (ut exponit Chrysostomus loco citato), strenuè et constanter pro pietate dimicantibus promissæ, ut patet ex versibus 10, 13, 26, 35, etc. At expectatio, sive spes illarum rerum in adversariorum systemate non est fides justificans; hanc enim esse clamant fiduciam misericordiæ, quâ tantùm actualia delicta delentur, vel deleta sunt, quæ idcircò solam præsentem cujuslibet peccatorum remissionem tangit et respicit.

Objiciunt 2°: Fides passim in Scripturis accipitur pro *fiduciâ,* quâ quis sibi specialiter peccata esse remissa credit vel confidit: ergo.

Priusquàm textus adversariorum expendo, ut discutiatur fucus, et planè concidat vis argumenti, observa 1°, ex fide catholicâ, quâ cuncta à Deo revelata credimus, quæ initium est salutis, nasci fiduciam, sive spem, *quâ,* ut ait Tridentina synodus sessione 6, cap. 6, *confidimus Deum nobis propter Christum propitium esse futurum*, etc., sicut ex perseverantiâ in dilectione et bonis operibus oritur obtentæ veniæ fiducia, 1 Joannis cap. 2, v. 28, etc. Observa 2°, fateri adversarios fidem divinarum promissionum *universim* consideratarum non justificare, sed solùm *singulatim,* id est quatenùs à singulo apprehenditur et sibi accommodatur, velut cùm dixit Apostolus ad Galatas cap. 2: *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Observa 3°, fidem *singulatim* sumptam modò de-

scriptam novatoribus non rarò dicentibus ex se et absolutè sic quemlibet justificare ut ipsum de suâ salute sive justitiâ certum efficiat, et quidem absque ullâ aliâ dispositione aut conditione; ejus enim effectus est pacem et animi tranquillitatem conferre.

His prænotatis, prodeant quos objiciunt textus. Libro 2 Paralipomenon, cap. 20, Josaphat viros Juda sic affatur : *Credite in Domino Deo vestro, et securi eritis.* Ubi verbum *credere*, sive fides sumitur pro *fiduciâ*, sive *securitate*.—Resp. 1°, in editione Basileensi haberi, *et roboramini,* et ideò ibi exigitur fides firma et intensa in Deum, quæ parit fiduciam et fortitudinem, et sola Deo grata est, Matthæi cap. 6, v. 30; 14, v. 31; 16, v. 8; ad Ephesios cap. 6, v. 16; Hebræorum cap. 11; 1 Petri, cap. 5, v. 9; Jacobi cap. 1, v. 6, etc. Resp. 2° securitatem, de quâ hic agitur, oriri ex speciali Dei revelatione; ex contextu enim elucet ibi sermonem esse de victoriâ populo judaico à Deo per Prophetam revelatâ; at ii quibus hic favor non est impensus cum metu salutem suam operari debent; unde epistolâ 1 Joannis cap. 3, dicitur : *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam,* id est spem, *habemus ad Deum,* etc.

Marci cap. 11 dicitur : *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis;* ubi *credite* sonat *confidite;* quæcumque enim postulamus, nos esse accepturos fide theologicâ credere non tenemur, cùm plurima postulemus quæ nobis non conceduntur. — Resp. quemlibet fide propriè dictâ credere teneri se quæ petit esse accepturum si suæ saluti expediant, et ea ut oportet petierit, ut tradit Jacobus cap. 4, et passim D. Augustinus.

Romanorum cap. 4 dicitur Abraham justitiam adeptum esse *credendo Deo.* Ubi *credere* significat *non diffidere de divinâ promissione;* ibi enim refertur Abraham *in spem contra spem credidisse, et non hæsitâsse diffidentiâ.* — Resp. fidem, quæ Abrahæ justitiam accersivit, fuisse fidem in omnipotentem Deum, qui promiserat ipsum centum licet annos natum, filium ex nonagenariâ esse suscepturum, quæ sanè fides non fiducia sed vera fides fuit. Hâc quippe v. 21 dicitur Abraham *plenissimè scivisse*, sive persuasum fuisse, *posse Deum quæcumque promisit facere,* et ideò cùm versu vigesimo dicitur *non hæsitâsse diffidentiâ*, sensus est, non disceptâsse *incredulitate*, sive *infidelitate*, ut vertit editor Basileensis; quod et significatur v. 18, *contra spem in spem credidit;* hæc enim exprimunt ipsum divinâ virtute et promissione innixum, non naturæ viribus, potuisse ex Sarâ filium sperare; quanquàm etsi hæc fiduciam ingererent nihil proficerent adversarii; Catholici enim non negant ex fide in Deum, præsertim insigni (qualis fuit Abrahæ fides) fiduciam emanare, aut saltem oriri posse.

Eodem capite v. 16 legitur : *Ideò ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio* (Abrahæ filiis secundùm fidem non secundùm naturam tantùm). Ibi fides est fiducia cœlestis promissionis, sive pollicitæ in Christo peccatorum remissionis, quæ firma fit, sive rata, id est, quæ suum sortitur effectum, sive justificat, cùm homo divinam illam promissionem assentiendo exosculatur, illamque sibi accommodat.

Respondeo novatores Apostolicum non intelligere testimonium; ex eo enim versu et sequenti liquet per vocem, *promissio,* non peccatorum remissionem, sed gentium vocationem ad Christi fidem adumbrari, et ex versu 21, 23 et seq. per fidem, quæ Abraham justificavit, fidem catholicam, quâ creditur Dei omnipotentia, Christi resurrectio, etc., describi. Unde sensus est vocationem non Gentium solùm sed et Judæorum esse secundùm fidem, non legem, et ideò secundùm gratiam per quam firmatur super universum Abrahæ semen ex Judæis et gentilibus coalescens.

Primâ epistolâ cap. 5 ait Joannes: *Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis æternam qui creditis in nomine Filii Dei.* Ubi absolutè et sine conditione æterna promittitur vita ei qui crediderit, sive sibi certò persuaserit sibi per Christum remissa esse peccata. — Respondeo Apostolum unicè intendere eos qui in Christum ut oportet credunt, sive qui habent fidem catholicam per dilectionem operantem vitam æternam esse adepturos : *Qui enim non diligit manet in morte,* ibidem cap. 3. Quod si quis non crediderit, *mendacem facit Christum,* ut eodem capite 5, v. 10 dicitur, quia dogma ab eo revelatum falsitatis arguit.

Objiciunt 3° divum Bernardum, auctorem licet undecimi seculi. Sermone 1 de Annuntiatione, postquàm dixit, quemlibet credere teneri peccata nonnisi per Christum deleri posse, addit : Hoc etiam crede quia per ipsum tibi peccata donantur; *hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus dicens : Dimissa sunt tibi peccata tua.* — Respondeo 1° fidem sive fiduciam, de quâ Bernardus, esse justificationi posteriorem, et ideò non forma-

lem illius causam, ut adversarii saltem aliquando contendunt. —Respondeo 2° ex sancti doctoris textu esse manifestum persuasionem, sive fidem, de quâ loquitur, non esse simplicem et absolutam, sed conditionatam, si nempe quod ex divinâ institutione requiritur ad justificationem adhibuerimus, sinceram conversionem, bona et satisfactoria opera, etc., quæ in hâc concione expressè exigit. His autem præstitis possumus credere, sive confidere nobis per Christum dimissa esse peccata, ita tamen ut nequaquàm certi simus nos ea reverà præstitisse. Unde sermone 1 in Septuagesimam dicit: *Certitudinem non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitùs cruciemur.*

Objiciunt ultimò ex ratione. Ex Scripturis fides justificat inspirando pacem, gaudium, animi tranquillitatem, etc.; sed talis fides certitudinem parere debet; ergo. — Respondeo pacem, et alia Spiritûs sancti dona justificationem subsequi, aut comitari, et in justis quandoque suî sensum excitare. Verùm, seclusâ speciali Dei revelatione, justos certos non faciunt de remissione peccatorum, et salute æternâ, ut invictè demonstrat exemplum divi Pauli, qui hâc pace et consolatione fruebatur, et tamen certus non erat de suâ justificatione et prædestinatione.

Principia solutionum. —Primum. Fides specialis, cui absolutam et formalem justificandi vim interdùm inserunt novatores, est fides quâ fidelis confidit sibi per Christum dimissa esse peccata, et de hâc re ac sempiternâ salute nullâ aliâ præsuppositâ conditione certus fit, sicque in perfectâ securitate constituitur. Hinc ex sacris codicibus, quibus solis inhærent, probare debent talem esse fidem justificantem.

Secundum. Sedulò distingue fiduciam obtinendæ veniæ ex fide catholicâ in animo justificandi enascentem, quâ confidit Deum sibi propter Christum propitium esse futurum, à commemoratâ fiduciâ, sive certissimâ persuasione novatorum, et ideò sacros textus fiduciam exigentes de illâ, non de istâ expone.

Tertium. Fiducia et certitudo de impetratâ veniâ iis inesse potuit, quibus Christus eam notam fecit, ut paralytico Matthæi cap. 19, v. 2; peccatrici, Lucæ cap. 7, v. 48; adulteræ, Joannis cap. 8, v. 11; Zachæo, Lucæ cap. 19, v. 9; latroni, Lucæ cap. 23, v. 43, etc.; non aliis quibus eam non revelavit.

Quartum. Pax exsuperans omnem sensum, quam interdùm sentiunt sancti, non suggerit certitudinem de justificatione et prædestinatione; tum quia *qui se existimant stare, videre debent ne cadant* (1 epistolâ ad Corinthios cap. 10, tum quia Paulus cum illo pacis sensu persuasus non fuit se esse justum, et timuit *ne reprobus fieret;* tum quia omnes sancti salutem suam cum tremore operari debent. Unde fiducia novatorum merum est figmentum.

Quintum. Quæcumque novatores objiciunt testimonia, aut non respiciunt peccatorum remissionem *in particulari*, sed et omnia quæ sunt objectum fidei dogmaticæ, aut si illam spectant, unicam exprimunt fiduciam obtinendæ non obtentæ veniæ, nisi impetratio illius veniæ sit revelata.

Sextum. Concedunt novatores fidem divinæ promissionis non *universim*, sed singulatim justificare; at plura ipsorum testimonia hanc virtutem illi non minùs quàm isti fidei tribuere videntur.

§ 2. *Excutitur novatorum sententia circa fidei justificantis adjuncta, sive expenditur an sola fides justificet.*

Protestantes conspirantibus suffragiis docent nullo actu à fide diverso justificationem *apprehendi*, ut vulgò loquuntur, et hoc sensu solam fidem (quam, ut modò vidimus, volunt esse specialem divinarum promissionum fidem) justificare. Hanc sententiam inter alios expressit Calvinus tum in Antidoto cùm libro 3 Institutionis cap. 11, sectione 19, ubi ait: *Fide justificari hominem, quia toties in Scripturâ recurrit,* negare non audent (sophistæ sive scholastici), *sed cùm nusquàm exprimatur* (particula exclusiva *sola*) *hanc adjectionem fieri non sustinent... non falsâ modò, sed planè ridiculâ tergiversatione in exclusivâ particulâ consistunt: annon enim satis solidè soli fidei tribuit omnia qui operibus adimit* (Paulus Rom. cap. 3, v. 21 et 24)?

Non consentiunt tamen (ut hæreticis gentile est) sive circa necessitatem adjectionis particulæ, *sola,* sive circa genuinum sensum hujus particulæ. Etenim inter Lutheranos alii hanc particulam supprimi posse sentiunt pacis et concordiæ gratiâ, utpote in Scripturis non contentam, et necessariè inclusam in propositione, *fides justificat;* alii pro eâ particulâ tanquàm pro aris et focis decertant. Pariter Lutherani magistro suo impensiùs addicti, contendunt solam fidem justificare per exclusionem adhibitionis operum; alii è converso, et quidem longè majori numero, non per exclusionem illorum operum existentiæ, sed per exclusio-

nem illorum tanquàm meritoriorum ; quod illustrare conantur Kemnitius in primâ parte Examinis concilii Tridentini, et Calvinus in Antidoto, exemplo caloris solis, qui solus accendit, licet non sit solus, sed cum luce seu splendore conjunctus.

Aperitur catholica sententia. — Synodus Tridentina sessione 6, cap. 6, et cum eâ omnes orthodoxi censent, impium ad justificationem præparari actibus fidei, timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ, propositi sacramenti recipiendi, et propositi novæ vitæ, et observationis Dei mandatorum, et ideò ipsum solo fidei actu non justificari, cum quibus sit

CONCLUSIO.—Sola fides, etiam catholica, non justificat, sive præter actum fidei aliquid aliud requiritur quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur.

Est de fide, ut patet ex canone 9 sessionis 6 concilii Tridentini his verbis expresso : « Si quis dixerit solâ fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nullâ ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit. »

Probatur 1° ex Scripturis, quibus præter fidem enumerati à concilio Tridentino virtutum actus passim requiruntur. Hi sunt actus timoris, servilis nempe, sive Dei judiciorum ; Ecclesiastici enim cap. 1, v. 16, *timor Domini* dicitur *initium sapientiæ*, quod ante dixerat David Psalmo 110, v. 10 ; et 102, v. 16 ; et Salomon Proverbiorum cap. 1, v. 7 ; 10, v. 27 ; 14, v. 27, ubi vocatur *fons*, sive ut habet editio Basileensis, *vena vitæ*, 19, v. 23, etc.; qui timor sapientiam, sive sanctificationem introducens. Augustino interprete tractatu 9 in Epistolam Joannis n. 2, non filialis sed servilis est. Eodem Ecclesiastici loco, v. 27, idem timor dicitur *expellere peccatum,* ita ut qui sine ipso est *non possit justificari ;* quod pronuntiatum omninò simile est apostolicæ de fide assertioni Hebræorum cap. 11 : *Sine fide impossibile est placere Deo*, ideòque timor non minùs ad justificationem conducere videtur quàm fides. Etverò timor, ut postea dicemus, ex fide oritur. Hinc Christus Matthæi cap. 10 timorem velut vitæ fontem (Proverbiorum cap. 14) discipulis suis studiosè commendavit. Hinc insignes peccatores ad sinceram pœnitentiam timore adducti sunt, et quotidiè adducuntur, Psalmo 77, v. 34 ; 82, v. 17; Jonæ cap. 3, etc. Hinc ipsi sancti timorem enixè postulaverunt, ut scilicet à peccato averterentur, Psalmo 118, v. 120, juxta istud : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis*, Ecclesiastis cap. 7, v ultimo.

Actus spei, sive impetrandæ indulgentiæ spes ; exigitur enim Psalmo 9 : *Sperent in te qui noverunt nomen tuum*, 21 : *In te speraverunt patres nostri.... et liberâsti eos*, 30 : *In te speravi, non confundar... in justitiâ tuâ libera me,* 36 : *Salvabit eos qui speraverunt in eo, etc.*, et alibi passim. Unde dicitur Proverbiorum cap. 28 : *Qui sperat in Domino sanabitur*, et 1 ad Timotheum cap. 6 : *Divitibus præcipe... sperare in Deo vivo;* et 1 Petri cap. 1 : *Sperate in eam, quæ vobis offertur. gratiam.* Uno verbo, cuncta ferè testimonia, quibus adversarii specialem suam fidem seu fiduciam de peccatorum remisssione astruere aggrediuntur, spem obtinendæ veniæ ad justificationem disponere unicè ostendunt.

Actus dilectionis, sive imperfectæ, quæ peccatorum remissioni tempore præeat, sive perfectæ, quæ eamdem justificationem naturâ saltem præcedat, sicque ad eam disponat. Affluunt scilicet sacri codices textibus utrumque illum amorem ad sanctificationem requirentibus; v. g., Ecclesiastici cap. 2, postquàm dixit Jesus : *Qui timetis Dominum, sperate in illum*, statim addit : *Qui timetis Dominum, diligite illum,et illuminabuntur corda vestra;* item Christus ait Lucæ cap. 7 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* ; et Apostolus Epistolâ ad Galatas cap. 5 : *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.*

Actus pœnitentiæ sive doloris et detestationis peccati ; illum enim ad sanctificationem in peccatore ubique prærequirit Scriptura, puta Ezechielis cap. 18 : *Cùm averterit se impius ab impietate suâ... ipse animam suam vivificabit ;* Actuum cap. 2 : *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrùm... in remissionem peccatorum;* et cap. 8, Simoni baptizato dicit Petrus : *Pœnitentiam age ab hâc nequitiâ tuâ...* Equidem prætendunt adversarii in his et similibus locis vocem, *pœnitentia,* significare meram resipiscentiam, sive nudam vitæ mutationem cum proposito melioris per exclusionem doloris, et operum expiatoriorum ; sed apertè falluntur; licet enim vox, *pœnitentia,* resipiscentiam apud Græcos denotet, tamen salutifera resipiscentia hæc omnia importat ; unde Actuum cap. 2, Judæi qui Petrum audierant *compuncti erant corde*, v. 37, et ideò resipuerant, et tamen eis

dicit Petrus v. 38: *Pœnitentiam agite*, quæ idcircò vox connotat etiam opera satisfactoria, et 2 ad Corinthios cap. 7, v. 10, *pœnitentia*, sive resipiscentia, *in salutem*, etc., vocatur *secundùm Deum tristitia*, sive *dolor*, ut habetur in versione Basileensi.

Actus desiderii sacramentum recipiendi; hoc enim propositum modò præcipiebat Petrus Judæis conversis et non baptizatis, Actuum 2; et præcipit Philippus eunucho, Actuum cap. 8; Christus verò baptizatis lapsis injungit Joannis vigesimo, *quorum remiseritis*, etc., ut suo loco ostendunt theologi.

Denique actus propositi novæ vitæ agendæ, et observationis Dei mandatorum; ait enim Ezechiel cap. 18: *Facite vobis cor novum et spiritum novum;* et Christus Matthæi cap. 19: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, etc.*

Probatur 2° ex Patribus. Omnes modò recensitos actus ad justitiam obtinendam exigunt. Solum Augustinum, adversariis cæteris minùs invisum, citabo. Sanctus doctor suam mentem circa timorem Dei judiciorum clarè aperuit cùm in præcedenti argumento eum audivimus dicentem, timorem servilem esse principium sapientiæ, sive sanctificationis. Quid de aliis actibus senserit ex sequentibus intelliges.

Libro de catechizandis rudibus, sive ad baptismum præparandis, cap. 4, in fine n. 8, ait: *Quidquid narras ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet*, etc. Ecce non solùm fidei actum, sed et actus spei et amoris ad justificationem impetrandam necessarios. Ibidem exprimit votum baptismi, et alibi passim, ubi quis est baptizatus, votum Sacramenti pœnitentiæ, sive *reconciliationis* (2 Cor. 5, v. 18) suscipiendi. Notum, v. g., hoc ejus effatum: *Si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui ex hoc seculo exeunt vel non regenerati vel ligati?* Non magis ignotum est istud alterum ipsius dictum (aut saltem antiqui auctoris apud ipsum): *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati et amor Dei.* Tandem neminem latet ipsum insignem librum de fide et operibus edidisse ut eorum confutaret errorem qui vitam emendare et Dei mandata observare detrectantes baptizandos esse effutiebant.

Probatur 3° rationibus theologicis. Prima. Illi actus ad justificationem requiruntur, qui necessariè oriuntur ex fide catholicâ, sine quâ impossibile est placere Deo; sive quæ est initium, radix et fundamentum omnis justitiæ; atqui tales sunt commemorati actus. Scilicet catholicâ fide imbutus noscit 1°, Deum justum sontes, nisi ante mortem resipiscant, æternis suppliciis esse condemnaturum, sicque ejus animo (ut quondàm Felicis, Actuum 24) divinæ justitiæ timor ingeritur... 2° Deum esse patrem misericordiarum, qui sontibus ad ipsum reverti desiderantibus ignoscere paratus est, sicque in spem erigitur fidens Deum sibi propter Christum propitium fore, quæ spes sive fiducia statim gignit quemdam amoris motum in tam pretiosi muneris auctorem; testatur enim experientia eum qui ab altero beneficium sperat, incipere ipsum diligere tanquàm ejus boni, quod ab eo expectat, largitorem... 3° Deum veniam non promisisse nisi sontibus qui sinceram egerint pœnitentiam, qui ad se toto corde redire voluerint, et ideò mores commutare, et novam vitam ducere intenderint, cunctis Dei mandatis adimplendis perpetuò intenti, sicque fertur in odium et dolorem peccati, vitæque novæ ducendæ, et remediorum omnium, quibus Deus peccatoris justificationem illigavit (inter quæ sunt Dei mandatorum observatio, et Sacramentorum receptio), arripiendorum firmum et sincerum propositum.

Secunda. Si sola fides christiana justificaret, fides christiana charitate destituta, non esset fides christiana, sive fides christiana charitate semper animaretur; *Deus* enim Scripturâ dicente *non diligit*, et ideò non justificat, *nisi diligentes se*, et intonante Apostolo epistolâ 1 ad Corinthios cap. 13, *charitatem non habens nihil est*, id est non habet *esse* spirituale perfectum, sive consummatum (dispositio enim, quatenùs dispositio est, nisi accedat forma ad quam disponit, sive charitas, frustra est et nihil); sed fides etiam vera et christiana charitate non semper vivificatur; ait enim ibidem Apostolus: *Si habuero omnem* sive *totam* (ut habet editio Basileensis) *fidem, ita ut montes transferam, charitatem verò non habuero, nihil sum; omnis* quippe, sive *tota*, quæ absque charitate potest existere, indubiè est etiam christiana fides communis, quæ et includitur in fide per quam quis miracula operatur. Deinde, quomodò adversarii evincerent adulteros, fures, avaros, ebriosos, etc., qui juxta Apostolum 1 ad Corinthios 6, regnum Dei non possidebunt, non habuisse fidem christianam? atqui certè charitatem non habuerunt, quæ transfert de morte ad vitam, 1 Joannis cap. 3. Hinc D. Augustinus libro 15 de Civitate Dei, cap. 18, n. 32, exponens textum (1 Cor. cap. 13), meritò di-

xit : *Sine charitate fides potest quidem esse, sed non et prodesse.*

Tertia. Systema de solâ fide justificante tantam involvit caliginem, et tam apertam spirat falsitatem, ut apud omnes veritatis amatores malè omninò audire debeant qui illud excogitaverunt. Enimverò, primus illius inventor Lutherus, tum in caput 2 Epistolæ ad Galatas, cùm in disputatione *utrum opera faciant ad justificationem,* hoc dogma eo intellexit sensu quòd sit totalis causa justificationis, per exclusionem nimirùm non solùm efficaciæ meriti, sed etiam ipsius præsentiæ aliarum virtutum; quam sententiam propugnant rigidiores ejus sectatores; sed, ut modò vidimus, et ex dicendis elucescet, nihil adinveniri poterat Scripturis magis adversum. Quapropter insigniores alii Lutherani, et Calvinus ejusque discipuli, solam fidem justificare dixerunt non *formaliter* aut *efficienter physicè,* vel *meritoriè,* quasi aut esset ipsa justitia, vel initium justitiæ, aut habitâ illius ratione justitia impertiretur, sed *relativè,* sive *acceptativè* duntaxat, ad eum, inquiunt, modum quo manus inopis, eleemosynam à divite recipientis, influit in eleemosynam, quia nempe homo justificatur per gratiam Dei peccata non imputantis, quod donum fides credendo sicut eleemosynam manus sese extendendo apprehendit. Quod spectat fidem, spem, dilectionem, et alia opera, consentiunt quidem ea activè non concurrere ad justificationem, verùm eorum existentiam, sive præsentiam exigunt vel ut veram fidem indicent, vel ut essentiales veræ fidei affectiones, sicut splendor dos est essentialis caloris solis, vel aliis ex causis (non enim super hoc inter se consentiunt). Quis autem sapiens hæc vel tantisper attendendo eorum auctores planè desipere non fatebitur? Scilicet, ut optimè argueret Lutherus, Scripturis passim dicentibus sontes *ex fide, per fidem, fide* justificari se impensè addictos profitentur, et tamen fidem in justificationem influere negant! sese soli fidei omnia tribuere gloriantur, et ipsi reapsè nihil omninò tribuunt! bonorum operum existentiam ad justificationem requirunt, et hujus existentiæ causas aut assignare nequeunt, aut nonnisi absurdas assignant! Scilicet si vera fides sine bonis operibus existere nequit, aut cognosci, paradoxum eructârunt Paulus et Augustinus modò dicendo *fidem sine charitate esse posse, prodesse non posse;* imò paradoxum Lutherus ipse cùm in caput 2 ad Galatas dixit : *Fides sine et ante charitatem justificat.* Deinde, si operum præsentia necessaria est ut veram fidem prodant, sive oculis subjiciant, recondita sanctorum opera ad eorum justificationem nihil contulissent, quod Christum ipsum mendacii insimularet, Matthæi cap. 6.

Opponunt immensam sacrorum textuum copiam, quos singulatim excutere summæ et fortassis supervacaneæ foret operæ; plures enim idem omninò enuntiant.

Eos quasi conglobatos objicit Kemnitius 1 parte Examinis capitis 6 et seq. sessionis 6 concilii Tridentini his verbis : « In Paulinis Epistolis, præsertim ad Romanos et Galatas, in singulis fermè versibus, resonant illæ voces : *Homo justificatur fide, per fidem, ex fide.* Fides dicitur *imputari ad justitiam.* Vocatur *justitia fidei,* Rom. 4, v. 11. *Justitia per fidem,* Rom. 3, v. 22. *Justitia ex fide,* Rom. 10, v. 6. *Justitia in fide,* ad Philippenses 3, v. 9. *Justitia per fidem in omnes et super omnes qui credunt*, Rom. 3, v. 22. *Nos in Christo credimus, ut justificemur ex fide Christi et non ex operibus legis*, ad Galatas 2, v. 16. » Addere potuisset (quod alibi objicit), Apostolum, v. 27 capitis 3 ad Romanos, excludere *legem factorum*, sive opera, et citato v. 9 capitis 3 ad Philippenses, *justitiam ex lege;* sed hæc evincunt fidem absque operibus justificare; ergo. — Resp. 1° hos textus, si Luthero favent, certè non favere Calvino, Kemnitio et aliis, qui sentiunt fidem concurrere ad justificationem *ut manus concurrit ad eleemosynam;* illi enim textus veram causam exprimunt. Deinde isti ad justificationem requirunt operum præsentiam quam explodere videntur laudata testimonia. Resp. 2°, hanc objectionem et similes aut supinam adversariorum in Scripturis imperitiam, aut insignem malitiam prodere; concidit enim ex ipsâ notitiâ argumenti Epistolarum ad Romanos et Galatas, et constantis Apostoli doctrinæ; in utrâque enim Epistolâ ostendit Judæis conversis non propter merita operum legis (ut ipsi gloriabantur) justitiam ipsis esse impertitam, sed unicè propter fidem Christi ejusque fidei opera (et ideò gratis); in primâ verò explodit etiam merita naturalia, sive naturæ opera, quorum virtute gentiles non sunt justificati. Igitur resp. 3° : Distinguo minorem. Hæc evincunt fidem absque operibus legis Mosaicæ, sive observatione cæremoniarum legalium, vel absque operibus sine gratiâ elicitis, justificare, conc. Absque operibus ex gratiâ factis, nego min. et conseq. Intendit Apostolus, ut dictum est, omnes omninò nationes sine ullo operum legis aut naturæ merito gratias à

Deo vocatas fuisse, ut deinceps huic fidei et gratiæ Christi cooperando piè vivant ac æternam tandem consequantur vitam. Hâc ex causâ quasi perpetuò asserit homines justificari *fide, per fidem, in fide Christi*, sive *eorum justitiam esse fidei Christi justitiam; justitiam per fidem, ex fide, in fide Christi*, omnem qui credit *justificari*, etc.; quia nempe fides in Christum est initium, radix et fundamentum justitiæ christianæ; hâc ex causâ removet Apostolus *legem factorum*, id est præcepta legis in se præcisè et sine lege fidei gratiam ad ea implenda impetrantis spectata, *justitiam in lege*, sive *ex lege*, hoc est non *justitiam legis*, sive opera bona à lege præscripta (siquidem *factores legis justificabuntur*, Rom. 2, v. 13), sed justitiam partam ex solâ legis notitiâ sine gratiâ fidei, quæ non interna, sed externa est, etc.

Hanc solutionem, quam ne fortè irrideantur irrident adversarii, multa evincunt.

Scriptura scilicet, quæ justificationem fidei inserit, illam et operibus passim tribuit. Quomodò rejectâ operum legis et fidei, sive sine gratiâ et cum gratiâ factorum aut fidei imperfectè et perfectè justificantis distinctione, Scripturam cum Scripturâ conciliare poterunt adversarii?

Item doctrina concilii Tridentini sessione 6, cap. 3 et seq., de fide quæ sit initium, radix, et fundamentum justificationis, de fide ex operibus gratiæ, non ex operibus legis, aut naturæ justificante, de justificationis gratuitate, *de justitiâ legis, et justitiâ ex lege*, sive in lege, etc., excerpta est ex Patribus qui ad ætatem Apostolorum proximè accesserunt, præsertim ex D. Augustino qui et ipse eam Ecclesiæ catholicæ visceribus quasi insculptam esse observat. Etenim libro de gestis Pelagii, cap. 14, n. 34, dicit *ad fidem meritis operum perveniri non posse, cùm ipsa sit initium unde bona opera incipiunt...* In Psalmum 139, n. 1, ait: *Fides est in animâ ut radix bona quæ pluviam in fructum ducit....* Libro de Prædestinatione sanctorum, cap. 7, n. 12, vocat *fidem ædificii spiritualis fundamentum....* Libro autem de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 8, n. 20, docet fidem sine operibus *ex nobis in nobis existentibus*, non in nobis per gratiam productis justificare, et justificationem esse gratuitam, sive *tantummodò gratiam*, quia actus etiam ex gratiâ eliciti, quibus datur, ipsam non promerentur (de condigno), vitam verò æternam mercedem esse et gratiam, sive *gratiam pro gratiâ...* Tandem citato libro de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 12, n. 24 et alibi, *justitiam legis*, sive opus ex lege faciendum, distinguens *à justitiâ ex lege sive in lege*, tradit hanc esse illam, quam homo absque fidei gratiâ, solâ legis cognitione, comparare nititur. Jam verò nullus, opinor, optimæ criticæ peritus et æquus æstimator, sibi persuaserit judicium veteris Ecclesiæ, Augustini et aliorum antiquorum judicio Calvini, Kemnitii, etc., esse posthabendum; denique quis existimaverit Deum, qui totum hominis cor, totam ejus mentem, totam ejus animam, totas vires, etc., sibi omninò devoveri præcepit, hominem unicâ ipsius persuasione de peccatorum per Christum remissione absque operibus ex auxilio etiam suo factis justificari voluisse?

Opponunt iterùm quosdam Patres, quos inter reperitur ipse Augustinus. Etenim libro 1 ad Bonifacium cap. 21, n. 39, ait: *Quantælibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit nisi fides Mediatoris.* — Resp. velle Augustinum veteres justos salutem esse adeptos fide in Mediatorem per exclusionem naturæ et legis Mosaicæ operum, non actuum ex fide et gratiâ Christi elicitorum. Ibi quippe refellit Pelagianos quibus placebat homines *ante legem salvos factos fuisse naturâ*, deinde *per legem*, postremò *per Christum*, contra apertam Apostoli doctrinam 2 Cor. cap. 4, ubi legitur *eumdem spiritum fidei in veteribus fuisse qui est in nobis;* et Epistolâ 1 ad Timotheum, cap. 2, ubi dicitur Christus *unus Mediator Dei et hominum*, cujuslibet nempe temporis.

Libro de diversis quæstionibus 83, quæstione 76 hæc statuit: « Si cùm crediderit, mox de hâc vitâ decesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratiâ pervenit, nec consequentibus, quia in hâc vitâ esse non sinitur. » Ecce hominem qui credit, et credendo sine operibus justificatur, sicque moriendo salvatur. Resp.: Distinguo ant. Ecce homo qui credendo sine operibus naturæ aut legis fidem præcedentibus justificatur, conc. Sine operibus ex fide gratiâ elicitis justificatur, nego ant. et conseq. Ibi Augustinus eos refellit qui Apostoli dictum Rom. 3: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, perversè intelligentes, prætendebant eos qui semel in Christum crediderunt, etiamsi postea malè viverent, salvos per Christum esse futuros. Ut autem eos revincat ostendit Apostolicum effatum explodere opera fidem præcedentia, non subsequentia, cùm

justificatus per fidem non possit nisi justè deinceps operari, sive per fidem quæ *dilectionem operatur*, modò tamen immediatè post acceptam fidei justificationem è vitâ non migraverit, cùm tunc bonis operibus locus non sit; ex his autem elucet S. doctorem nullatenùs intendere fidem in Christum sine ullis prorsùs aliis actibus posse sonti justitiam impertire (de quo hic unicè disputatur); passim enim, ut modò vidimus, decantat, fidem solam non esse nisi *initium*, *radicem*, *et fundamentum* ædificii spiritualis, sive justificationis.

Principia solutionum. — Primum. Obtrudunt novatores fidem non *efficienter*, sed *apprehensivè* tantùm concurrere ad justificationem, sicut *manus ad eleemosynam concurrit*. Hinc ridiculè objiciunt justificationem fieri *per fidem, fide, ex fide, etc.*

Secundum. Exigunt novatores ad justificationem operum ex fidei gratiâ non quidem cooperativum concursum, sed præsentiam. Hinc insulsè omninò sacros ostentant textus justificandi vim fidei illis operibus destitutæ inserentes.

Tertium. Argumenta ducta ex textibus ferentibus *fidem sine operibus justificare*, *fidem justitiam impertire*, etc., liquescent unicâ distinctione *operum naturæ vel legis Mosaicæ*, *et fidei sive gratiæ*, atque *fidei initialiter*, *et consummativè justificantis.*

Quartum. Scripturæ oracula enuntiantia, *omnem qui credit esse natum ex Deo*, *esse salvandum*, etc., infallibilem retinent veritatem, etsi fides sola ad salutem non sufficit. Si quippe particula, *omnis*, ad omnes et singulos credentes in iis refertur, et eos non fert sensus quos celebri textui: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, affinxit Augustinus (quod evincere non possent adversarii), illa effata hanc involvunt conditionem, modò alia requisita apponantur, ad eum modum, quo ista: *Omnis qui petit accipit;* Lucæ cap. 11: *Omnis qui se humiliat exaltabitur*, Lucæ cap. 18, etc., in postulante aut se *humiliante* indubiè fidei necessitatem important.

Quintum. Novatores immeritò gloriantur de textu Lucæ 8: *Crede tantùm et salva erit;* ibi enim sermo est non de peccatoris justificatione, sed de obtentione miraculi, ad quam sola fides sufficit; cùm scilicet miraculum tendit non ad vitam ejus qui obtinet miraculum comprobandam, sed ad fidem stabiliendam; impii enim multas virtutes in nomine Christi edidisse referuntur, Matthæi cap. 7.

Sextum. Mos est Scripturæ, cùm eventus plurimis ex causis oritur, eventum illum modò uni causæ, modò alteri adaptare. Non mirum ergo, si justificandi vim aliquando fidei, aliquando timori, aliquando spei, aliquando dilectioni separatim inserat, cùm hæc singula ad justificationem concurrant.

Septimum. Oracula, quibus justificatio *gratis* fieri dicitur, excludunt quidem meritum solis naturæ viribus comparatum, ut et meritum *ex justitiâ*, sive, ut aiunt, *de condigno* (quod solum meritum proprie dici potest), sed non meritum *de congruo*, sive opus ex gratiâ ante justificationem elicitum, quòd ideò ad illam *dispositivè* concurrat.

Octavum. Oracula significantia *verbum Dei sanare et salvare* adversariis non favent. Non enim enuntiant verbum Dei *salvare* præcisè quia fide apprehenditur (ut ipsis placet), sed quia excitat ad Dei mandatorum observationem, et ideò ad opera facienda.

Ultimum. Nonnullorum Patrum de *fide justificante* effata eo quo sacra oracula exposuimus modo erunt exponenda. Speciale tamen quid aliquando intenderunt. Etenim opus *externum* ab *interno* interdùm distinguentes (ut Origenes in caput 3 ad Romanos, etc.), docuerunt solam fidem sine opere (externo) aliquando justificare (talis quippe fuit justificatio peccatricis, Lucæ 7, et latronis, Lucæ 23)... Item fidem catholicam adulterinæ hæreticorum fidei opponentes, illam solam justificare tradiderunt; talis D. Leo tum epistolâ 70, cùm sermone 4 de Epiphaniâ.... Item interdùm asserunt fidem solam justificare, fidem pro fide vivâ, sive charitate formatâ, sumentes, ut D. Bernardus sermone 22 in Cantica, etc...Tandem nonnunquàm affirmaverunt *solam fidem aliquando sufficere ad salutem* (ut Bernardus epistolâ 77), per exclusionem realis baptismi susceptionis, quæ non est possibilis, aut operum externorum, cùm deest facultas aut occasio illa eliciendi, etc.

§ 3. *Expenditur modus quo fides ad justificationem concurrit.*

Refertur Heterodoxorum singularis opinatio. — Ex dictis censuit Lutherus fidem esse justitiæ causam, etiam formalem; id enim evincit hoc ejus in caput 2 Epistolæ ad Galatas effatum: *Fides est formalis justitia propter quam homo justificatur, non propter charitatem.* Verùm multi ejus sectatores, quibus dexteras dederunt Calvinus, et ejus asseclæ, nullam fidei in justifi-

cationis negotio activam virtutem inseruerunt, ut nimirùm suis principiis starent; ipsis enim dicentibus, ne ipso quidem Luthero excepto, per Adæ delictum liberum arbitrium penitùs interiit, et omnia et singula hominis lapsi, quæ pia etiam videntur opera in se, mortiferi peccati maculâ contaminantur; quâ autem ratione actus fidei à tali homine elicitus posset in justitiam influere per modum causæ efficientis, vel formalis, vel meritoriæ, aut etiam propriè dictæ dispositionis et impetrationis? Hinc, ut diximus, censent fidem ad justificationem eo ipso modo concurrere quo *manus ad eleemosynam concurrit*, et ideò *relativè* tantùm, sive *receptivè* et acceptativè, sive per modum meri organi et instrumenti, quo justificatio sive Christi justitia apprehenditur.

Orthodoxorum sententia. — Eam edidit concilium Tridentinum sessione 6, cap. præsertim 6, ubi docet, fidem et actus eam sequentes verè disponere ad justitiam, et ideò justificationem in Scripturis fidei tribui, quia, inquit cap. 8, *fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis.*

Conclusio. — Fides in justificationem influit, non per modum simplicis organi aut instrumenti, quo arripitur justificatio, sed per modum veræ dispositionis et impetrationis.

Probatur 1° ex Scripturis, aut potiùs ex ante dictis probata manet. Etenim cùm sacri codices his scintillent oraculis: *Fide justificamur, per fidem justi sumus, ex fide salvi fimus, fide sancti evadimus*, quis eò dementiæ devenerit, ut iis significari asserat fidem ad justificationem se habere per modum meri organi aut instrumenti, et non per modum saltem causæ præparatoriæ et impetratoriæ?

Probatur 2° ex Patribus, sive ex D. Augustino quem in Institutionis libris *totum suum esse* asserere audet Calvinus, et libro 3, cap. 22, sectione 8, *cæteris meliùs edoctum esse* contendit. Quomodò sanè S. doctorem hic sibi vindicare possent adversarii nescio; Patres enim Tridentini suam de justificatione doctrinam magnâ ex parte ex eo exceperunt imò eam ejus expresserunt verbis; ostendimus enim S. doctorem clarè tradidisse fidem esse humanæ *salutis initium, fundamentum, et radicem justificationis*, quæ certè non sonant meram apprehensionem justitiæ, sed veram præparationem et dispositionem ad justitiam. His adjunge testimonia quibus affirmat fidem justificationem *impetrare* et in eam verè *influere*. Ita inprimis Epistolâ 186, aliàs 106, n. 7, ubi ait: *Hanc fidem volumus habeant, quâ impetrent charitatem, quæ sola verè benè operatur;* et paulò post: *Qui habent fidem quâ impetrent justificationem per Dei gratiam pervenerunt ad legem justitiæ.*

Jam citatâ enarratione in Psalmum 139, n. 1, hæc habet: *Fides sic est in animâ ut radix bona quæ pluviam in fructum ducit;* an, quæso, quod *justifiationem impetrat*, quod charitatem accersit, quod ex Dei gratiâ bona opera sicut radix bona ex pluviâ fructus producit, activè non influit in justificationem, et sese ad eam habet ut manus ad eleemosynam?

Probatur 3° ex discordiâ quæ super hoc inter adversarios viget, et falsitate principiorum quibus innituntur; per primigenium enim delictum homo libertatem non amisit, ut suo loco ostendimus, et quælibet hominis lapsi opera non sunt mortalia peccata, ut mox ostensuri sumus.

Nihil hìc objiciunt, quod sufficienter antea dilutum non fuerit, aut postea diluendum non sit.

ARTICULUS II.

De justificatione in facto esse, *sive de justificationis naturâ.*

Hìc, ut ipse indicat titulus, quæritur quæ sit causa formalis per quam homo coram Deo justus dicitur et evadit; rei quippe natura et causa formalis idem sonant.

Etsi decimi sexti seculi novatores, ut vertiginoso spiritu adactis gentile est, in opiniones propemodùm innumerabiles circa formalem justificationis causam abierunt, in eo tamen, majori saltem numero, consenserunt hominem coram Deo justum effici non *intrinsecè* et *à parte rei*, per formam scilicet internam et animæ inhærentem, sed *extrinsecè* tantùm et reputativè, id est per meram justitiæ Christi imputationem, seu per fidei tanquàm meri instrumenti, apprehensionem; unde inferunt, in justificatione peccata verè et propriè non deleri, per interiorem nempe hominis renovationem, sed purè tegi, et non imputari, ob velamen justitiæ Christi super eâ expansum. Calvinus libro 3 Institutionis cap. 11, sectione 2, sic suam aperit mentem: « Justificatur qui non loco peccatoris, sed justi habetur, eoque nomine consistit coram Dei tribunali.... quemadmodùm si reus innocens ad tribunal æqui judicis adducatur, ubi secundùm innocentiam ejus judicatum fuerit, justificatus apud judicem dicitur, sic apud Deum justificatur, qui nume-

ro peccatorum exemptus Deum habet suæ justitiæ testem et assertorem. Justificabitur ille fide, qui operum justitiâ exclusus, Christi justitiam per fidem apprehendit, quâ vestitus in Dei conspectu non ut peccator, sed tanquàm justus apparet; ita nos justificationem simpliciter interpretamur acceptionem, quâ nos Deus in gratiam receptos pro justis habet, eamque in peccatorum remissione ac justitiæ Christi imputatione positam esse dicimus.» Idem repetit versùs finem sectionis sequentis, ubi se clariùs adhuc exponens dicit, *nos pro justis in Christo censeri qui in nobis non sumus.*

Concinit Kemnitius in examine sessionis 6 concilii Tridentini, titulo *de vocabulo justificationis,* his verbis: «Hæc ostendunt judicialem esse significationem verbi *justificare* in hoc articulo, quòd scilicet peccator, lege Dei accusatus, convictus, et sententiæ æternæ damnationis subjectus, fide confugiens ad thronum gratiæ propter Christum absolvatur, justus reputetur, et pronuntietur, in gratiam recipiatur, et ad vitam æternam accepletur.»

Ex his elucescit summam controversiæ Catholicos inter et hæreticos hìc in eo consistere, utrum justificatio fiat per formam internam, et animæ insitam, ut contendunt Catholici, an è converso per solam externam justitiæ Christi imputationem fide apprehensam, ut placet hæreticis; si enim primo modo fiat, facilè concedent adversarii justificationem non importare solam peccatorum remissionem, sed et interiorem hominis renovationem, et in eâ peccata non tegi tantùm et velari per imputatam Christi justitiam, sed et verè et propriè deleri, ut docent Catholici. Unde sit

Paragraphus unicus. — *Utrum justificatio sita sit in formâ animæ inhærente?*

Conclusio. — Unica formalis causa justificationis est Dei justitia, non quâ justus est, sed quâ nos justos facit, sive quâ interiùs renovamur, et ideò non modò reputamur, sed verè justi nominamur et sumus; unde justificatio consistit in infusione doni alicujus interni et animæ inhærentis.

Ita concilium Tridentinum sessione 6, cap. 7, et canone 11, in quo commemoratos errores perstringens hæc sancit: «Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantùm favorem Dei, anathema sit.»

Probatur 1° ex Scripturis; plura earum oracula profert Bellarminus libro 2 de justificatione cap. 3, quæ adversarii variis effugiis eludunt, et ideò iis convincendis minùs sunt idonea. Nos illud urgemus quod Joannis cap. 14 consignatur, etsi illius non meminerit celebris ille theologus.

Joannis 14 ait Christus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;* unde Epistolâ 1 ad Corinthios, cap. 3, justi dicuntur *templum Dei sanctum;* cap. 6, *templa Spiritûs sancti, qui in ipsis est, quem habent à Deo;* et Epistolâ 1 Joannis, cap. 3, commendatur *charitas ipsis à Patre data per quam filii Dei nominantur et sunt;* quod et expressit Apostolus Rom. cap. 5, dicendo: *Diffusa est charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis;* item cap. 8, et 1 ad Corinthios 15, ubi dicit justos esse *conformes imaginis Filii Dei, portare imaginem cœlestis Adæ,* et quidem sicut antea *portaverant imaginem terreni;* item Epistolâ ad Titum, cap. 3, ubi iidem justi dicuntur *salvi facti per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti, qui in eos effusus est abundè per Jesum Christum.*

Ex his sic arguimus: His et similibus locis hominis justificatio delineatur; quod enim *Deum* in homine specialiter *inhabitare* facit, quod hominem *Dei filium* efficit, quod ex homine eripit imaginem diaboli ut in eo reponat *imaginem Christi,* quod hominem salvum facit ipsum *regenerando et renovando, etc.,* illud indubiè hominem justificat; at justificatio his textibus depicta, non extrinseca, et *putativa* tantùm, sed et intrinseca est et animæ inhærens; si enim Deus apud hominem justum specialiter maneret, quia ipsum tantùm exteriùs justum reputat, non *apud ipsum,* sed *extra ipsum* duntaxat reipsà *maneret,* quemadmodùm amicus qui amicitiâ suâ nihil in amico intrinsecùs operatur, sed eum externâ duntaxat prosequitur benevolentiâ, propriè dici nequit *apud amicum* manere; Deus ergo dicitur *apud justum* habitare, in ipso velut in templo esse, ipsum interioris doni infusione non solùm «peccatis expurgando, justumve habendo, sed etiam illuminando, roborando, inflammando, etc...... Item, si homo *filius Dei,* sive justus diceretur, quia, licet reipsà injustus est, tamen exteriùs et *putativè,* sive per justitiæ ex parte Dei imputationem, justus est, rectiùs dæmonis quàm Dei filius appellaretur, cùm quis rectiùs deno-

minetur ab eo quod est quàm ab eo quod esse putatur; homo igitur filius Dei non solùm *nominatur sed et est* per creatam internam justitiam, quam Deus in eo producit, sive per charitatis in ejus corde infusionem...... Item, si Christi imago in justo per *imputationem* tantùm refulgeret, in eo verè existeret imago diaboli, et fictè imago Christi, cùm intùs esset injustus, et exteriùs tantùm justus; intendit ergo Apostolus nos justos esse debere ut Christus justus fuit, et ideò verè et propriè per inhærentem justitiam, cùm inprimis justitiam nostram similem esse dicat injustitiæ nostræ quæ intrinseca nobis fuit et animæ reipsà inhærens...... Denique evidens est, regenerationem et renovationem, quâ fit, aut saltem cum quâ conjuncta est justificatio, importare aliquid internum, siquidem hominem transire facit ab uno, ut aiunt, *essendi* modo, ad alium. Quare mens Apostoli est hominem justificari formaliter per infusionem Spiritùs sancti donorum, charitatem præsertim, quæ præstantissimum illius donum est, sicque intùs regenerari et renovari.

Probatur 2° ex Patribus, sive ut adversariis annuamus, ex D. Augustino. Pauca tamen, et quidem ex uno tantùm illius opere, testimonia referam, quia Calvinus libro 3 Institutionis cap. 11, sectione 15, ingenuè fatetur, Augustinum *gratiam ad sanctificationem referre, quâ in vitæ novitatem per Spiritum sanctum regeneramur*, et Kemnitius in primâ parte Examinis concilii Tridentini, Patribus, et ideò ipsi Augustino, hîc valedicit.

Libro de Spiritu et Litterâ, qui adversùs Pelagianos exaratus est, et ideò novatoribus inconcussæ veritatis videri debet, justitiam inhærentem non minùs apertè expressit, quàm si hoc tempore adversùs Protestantes decertavisset. Etenim capite 9, n. 15, ait: *Justitia Dei manifestata est* (Rom. cap. 10, v. 3); *non* dixit: *Justitia hominis..... sed justitia Dei, non quâ Deus justus est, sed quâ induit hominem, cùm justificat impium.* Capite 11, n. 18, scribit: *Hæc est justitia Dei, quæ in Testamento veteri velata, in novo revelatur, quæ ideò justitia Dei dicitur, quòd impertiendo eam justos facit.* Capite 17, n. 29, legem Mosaicam cum novâ comparando dicit: *Ibi lex extrinsecùs posita est, quâ injusti terrerentur, hîc intrinsecùs data est, quâ justificarentur.* Idem repetit numero 30.

Quis, nisi desipiat, non fateatur his verbis, *non quâ Deus justus est, sed quâ induit hominem,* justitiam Dei à justitiâ hominis distingui, et justitiam homini non extrinsecè, sed intrinsecè insidere, cùm illâ *induatur,* non utique in corpore, sed in animo? Quis non consentiat justitiam, quæ *impertitur* utique in corde (ut loquitur Apostolus Rom. 5), et non exteriùs, ut in veteri lege, hominem intrinsecè afficere? Quis demùm attendendo legem homini, cùm justificatur *intrinsecùs dari,* novatorum systema explodi non agnoscat?

Probatur 3° rationibus theologicis. Prima. Sacri codices inculcant 1°, in justificatione peccata non velari tantùm et non imputari, quasi à parte rei remaneant, sed et penitùs auferri, deleri, remitti, mundari, etc. Isaiæ 44, v. 22; Ezechielis 36, v. 25; Psalmo 50, v. undecimo; Joannis 1, v. 29; Lucæ 7, v. 48, etc. Unde Augustinus libro 1 contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 13, n. 26: *Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere.....* 2° hominem *renovari spiritu mentis, et induere novum hominem qui secundùm Deum creatus est in justitiâ et sanctitate veritatis*, ad Ephesios 4, quod et Ezechielis cap. 11, v. 19, 20, etc., fuerat pronuntiatum..... 3° Hominem divinæ naturæ consortem effici, 2 epist. Petri, cap. 1, etc.; sed hæc connotant inhærentem justitiam à Dei justitiâ diversam; quomodò enim deletur peccatum mortale habituale, quod consistit in privatione justitiæ? Nonne per infusionem justitiæ? Quomodò homo spiritu mentis renovatur, et novus fit homo? Nonne per formam quæ ipsum intrinsecè immutat? Quomodò divinæ naturæ fit particeps? Nonne per intrinsecam divinæ sanctitatis participationem, sive gratiam sanctificantem, per quam præcipuè Adam dictus est factus ad Dei similitudinem?

Secunda. Formalis mortalium justitia in aliis major, in aliis minor esse potest; fit enim per acceptionem *de plenitudine Christi*, Joannis cap. 1, v. 16, et *secundùm mensuram donationis Christi,* ad Ephesios cap. 4, v. 7, etc.; at justitia Dei vel Christi major aut minor esse non potest; ergo.

Objicit 1° Calvinus libro 3 Institutionis, cap. 11, nonnulla Scripturæ testimonia. Primâ ad Corinthios cap. 1, Christus dicitur *factus nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Justificamur igitur per justitiam Christi nobis imputatam.—Resp. 1°: Retorqueo argumentum. Christus dicitur *factus nobis sapientia*, sive *fides;* ergo in nobis vera non est sapientia, sed habemus fidem, sive sapientiam per imputationem Christi sapientiæ. Resp. 2°, sensum Apostoli esse Christum sapientes,

et justos, et sanctos, et liberos nos fecisse nostram sub diaboli jugo servitutem extinguendo, et ideò Christi justitiam esse causam efficientem et meritoriam nostræ justitiæ, non formalem, cùm nos justos faciat per aliquid à suà justitià distinctum, sicut nos sapientes facit per aliquid à suà sapientià diversum; sed, inquies, cur non dixit Paulus : Sapientes nos fecit, sed : *Factus est nobis sapientia?* Ut doni Dei affluentiam magis commendaret.

Epistolà ad Ephesios, cap. 4, ait Apostolus : *Induite novum hominem qui secundùm Deum creatus est;* sed verbum, *induite*, indicat nos justificari extrinsecè per Christi justitiam fide apprehensam, quæ turpitudinem nostram tegit et velat, et ideò non intrinsecè per justitiam creatam et nobis inhærentem. — Resp. cum Augustino, libro 14 de Trinitate, cap. 16, n. 22, voces, *renovare, induere*, quas hìc adhibet Apostolus, significare nos in justificatione accipere justitiam et veritatem, quam Adam peccando amisit, quod aliunde probant voces, *spiritu mentis vestræ;* hanc autem similitudinem adduxit Apostolus, ut indicaret justitiam animæ insidentem esse veluti quid unum cum animà, sicut vestis, quà tegimur, est veluti quid unum cum corpore.

Objiciunt 2° Calvinus et alii quædam ex ratione argumenta. Systema de justitià per inhærentem homini justitiam, Christi justitiam et infinita merita non elevat : ergo. — Resp. : Nego antecedens; inhærens enim homini justitia omninò oritur à virtute meritorum Christi, qui nostra coronando merita, sua dona coronat. Aliunde systema novatorum de non imputatione peccatorum per Christi merita, non de reali eorum remissione, est Christo potiori ratione injuriosum; ostendit enim plus valuisse dæmonem ad nocendum quàm Christum ad sanandum, peccatum viribus potentius fuisse quàm gratiam, Christum suis meritis obtinere non potuisse ut peccata verè delerentur, et vera justitia homini inhæreret.

Item systema de hominis justificatione per propriam justitiam superbiam homini instillat, aut innatam adauget; ergo. — Resp. : Nego antecedens; propria enim hominis justitia in catholico systemate, oritur ex Dei dono, et ideò illà exornatus nonnisi in Domino gloriari debet. Certè novatorum dogma, qui se ipsam Christi justitiam per fidem apprehendere gloriantur, longè magis idoneum est nutriendæ et fovendæ superbiæ.

Principia solutionum. — Primum. Hæreticorum principium fert hominem per externam Christi justitiæ imputationem fide apprehensam justificari, et ideò peccata in justificatione non verè deleri, sed tantùm non imputari. Oportet igitur ut id Scripturis evincant.

Secundum. Justitia creata, quâ homo fit formaliter justus, est Dei donum, sive ex Christi meritis omninò pendet, et ideò Christi gloriam commendat, et superbiam nostram retundit.

Tertium. Scripturæ oracula enuntiantia, justificationem esse *justitiæ declarationem*... Fidem reputari ad justitiam... Justitiam consistere in peccatorum remissione, vel non imputatione... Nos per Christi justitiam, justos constitui, etc., novatoribus non favent; declaratio enim vel reputatio justitiæ supponit, vel importat internam justitiam, sicut si quis dicatur vel reputetur virtute præditus, illa declaratio supponit aut importat internam virtutem. Pariter peccata per justificationem remittuntur vel non imputantur per internæ justitiæ infusionem quæ illa reipsà delet, sive per non imputationem in re fundatam. Tandem Christi obedientia *efficienter*, non *formaliter* justos facit.

ARTICULUS III.

De justificationis essendi modo, sive de justificationis qualitatibus, effectibusve.

Ab Ecclesiæ incunabulis ad Protestantium usque ætatem creditum fuerat, neminem, absque speciali Dei revelatione, scire posse an odio an amore dignus sit, justitiam in reprobis, ad tempus tamen, ut in electis reperiri posse, et inter justos alios majori, alios minori sanctitate refulgere, etc. Verùm commemorati hæretici falso suo de justificationis naturâ systemate imbuti, scilicet hominem justum fieri justitià Christi fide arreptâ, hæc dogmata amandare compulsi sunt. Hinc asseruerunt 1° et quidem unanimi consensu, cunctis onus incumbere credendi fide divinâ, cui falsum subesse non potest, se esse justos, sub pœnâ à justitià ipso facto excidendi; fides scilicet sola ipsos justificat ... 2° Justitiam ita electis competere ut semel assecutam nunquàm amittere possint, ac illa nunquàm prorsùs reprobis inseri possit (et hoc est speciale Calvini dogma)... 3° Justos omnes pari justitià insigniri, cùm ipsâ Christi justitià, mutationi non obnoxià, fide arreptâ, et à cœlesti Patre imputatâ sint justi sive Deo accepti; et in hoc consentiunt omnes Lutherani.

Isti errores seorsim refellendi sunt. Unde sit

§ 1. *Utrum, demptà speciali Dei revelatione, quis fide divinâ credere possit et teneatur se esse justum?*

Conclusio. — Sublatâ speciali Dei revelatione nullus fide divinâ, cui falsum subesse non potest, potest ac tenetur credere se justificationis gratiam esse adeptum (1).

Momentum primum. — *Ex Scripturis.* — Ecclesiastæ cap. 9 ait Salomon : *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.*

Si Calvino, cui alii vulgò suffragantur, morem gerere velis libro 3 Instit. cap. 2, sect. 38, hoc oraculum in vulgari interpretatione mendosè redditum renuntiabis, et hunc ejus reputabis sensum : *Nescit homo, utrum ab hominibus, qui amici ejus videntur, ametur, an odio habeatur.* At quis, quæso, Calvini aut Kemnitii interpretationem, B. Hieronymi versioni, quæ reperitur in Vulgatâ, præhabuerit? Quis, contextum inspiciendo, statim non detegit relatum sensum cum ipso nequaquàm consentire? Verba enim præcedentia : *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei*, evincunt justum et ejus opera considerari coram Deo, non coram hominibus; idem evincunt sequentia, quibus Sapiens observat in hâc vitâ bona aut mala *æquè evenire justo et impio*, et ideò neminem ex bonis à Deo acceptis certò concludere posse se à Deo diligi.

Psalmo 18 legitur : *Delicta quis intelligit? Ab occultis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo.* Ipse igitur David nesciebat, aut saltem plenè non cognoscebat, an peccatorum purus esset vel non, et ideò an Deo acceptus esset vel non; neque enim reponere possunt adversarii disserere Prophetam de peccatis ve-

(1) Licet justus non possit habere certitudinem fidei se gratiam sanctificantem assecutum, attamen de eâ habere conjecturalem seu moralem certitudinem docent theologi. De hujus modi certitudine operæ pretium duximus quædam hic annotare, quæ auctor noster obiter tantùm attigit. Ante omnia statuendum cum communi D. D. justos certos esse posse de suâ justificatione, certitudine morali, quæ est major vel minor juxta diversos perfectionis gradus.

« Probatur, inquit Habertus, 1° ex Scripturâ, Rom. 8, v. 15 et 16 : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei*; hoc est, Spiritus sanctus, quos inhabitat, non instar servorum solo pœnæ timore, sicut olim Judæos adigit ad obediendum legi; sed filialem indit indolem, quâ filiali fiduciâ invocant Deum et Patrem amantissimum, ex quâ justi præsentiam Spiritûs sancti in se habitantis colligere possunt, 2 Cor. 1 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Quamvis enim Apostolus supra dixerit se hoc testimonio planè non inniti, ita ut certus esset se coram Deo justificatum; nihilominùs inde reficiebatur interiùs, et inter adversa tranquillus erat et exultans, juxta illud Isaiæ cap. 32 : *Erit opus justitiæ pax.* Et Gal. 5 : *Fructus autem spiritûs est charitas, gaudium, pax,* etc. 1 Joan. 3, v. 19 : *In hoc cognoscimus* (nempe quia diligimus fratres) *quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suadebimus corda nostra.*

Probatur 2° ex sanctis Patribus. S. Augustinus serm. 155, aliàs 6, de verbis Apostoli, sic loquitur : « Ecce adjuvante ipsius misericordiâ, Spiritum Christi habemus; ex ipsâ dilectione justitiæ, integrâ fide, catholicâ fide, Spiritum Dei nobis inesse cognoscimus. » S. Gregorius lib. 6, epist. 25, aliàs 187 : « Cùm longâ, inquit, mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione securitas nascitur. » Et S. Bernardus serm. 6 in Cant. ait : « Si hæc sensero, non ambigo sponsum adesse; verbi siquidem copiæ sunt, et de plenitudine ejus ista accipimus... »

« ... Signa (quibus justus conjicere potest se consecutum gratiam justificationis) tria numerantur à S. Thomâ, q. 112, art. 5, his verbis : « Cognoscitur aliquid conjecturaliter per aliqua signa, et hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in quantum scilicet percipit se delectari in Deo, et contemnere res mundanas, et in quantum homo non est sibi conscius alicujus peccati mortalis. »

« Primum probatur 1° ex Scripturâ. Psal. 96 : *Lux orta est justo, et rectis corde lætitia*; Gal. 5 : *Fructus autem Spiritûs est charitas, gaudium, pax.* Col. 3 : *Si consurrexistis cum Christo... quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram.* Sensus est, si reverà à morte peccati ad vitam gratiæ educti estis, et Christo resurgenti similes effecti; cum sapore et delectatione quæ Dei sunt, cogitetis et ametis necesse est. Unde omnibus in Christo renatis dicitur 1 Petri c. 2 : *Si tamen gustâstis quoniam dulcis est Dominus.* In græco legitur : *Siquidem, quandoquidem gustâstis.* De iisdem etiam scribit Apostolus Heb. 6, v. 4 : *Gustaverunt etiam donum cœleste.*

« Probatur 2° ex Patribus. Ex S. Augustino, gratia est ipsamet spiritualis delectatio, lib. de Spiritu et Litt. cap. 3 : « Necesse est, inquit, ad benè vivendum, ut homo accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi et incommutabilis boni. » Et in Psal. 85 : *Si nulla jucunditas, deficimus.* Et ex hâc interiori delectatione concludit, fiduciam nasci, Deum nobis esse propitium : *Brevis sermo, inquit, places tu Deo, si tibi non displicet Deus.* Idem docet S. Bernardus serm. 24 in Cant. ubi sic loquitur : *Cui placet Deus, Deo displicere non potest.*

« Probatur 3° ratione, quia cum remissione peccatorum charitas infunditur; atqui ex 1 Joan. 4 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Manet, inquam, in Deo, modo charitati proprio, nempe tanquàm amans in

nialibus, cùm omnia peccata mortalia esse prætendant; deinde, qui evincere possent generale hoc oraculum de solis peccatis venialibus esse exponendum? Cum imprimis D. Basilius Constitutionum monasticarum cap. 2. D. Anselmus et alii Patres sentiant Apostolum intuitu hujus testimonii exclamâsse : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum?*

Epistolâ 1 ad Corinthios, cap. 4, ait Paulus : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Hujus oraculi hic dubio procul est sensus : Conscientia nulla mihi exprobrat delicta, sed non ideò coram Deo justus sum, quia Deus, *qui me judicat*, fortassis in me peccata deprehendit quæ ego non deprehendo. Quis autem hæc cum decantatâ à novatoribus

amato, in quo ita delectatur saltem secundùm interiorem hominem, ut nonnisi Deum et divina cogitare et intendere appetat, nec aliud ei magis in votis sit, quàm per omnia dilecto placere, servire, gratificari.

« Dices : Multi qui pietatem impensè colunt, ejusmodi suavitate nonnunquàm privantur, vel in pœnam præcedentis negligentiæ, et levioris peccati, vel ad profectum humilitatis, vel ad probationem virtutis. Ipsemet S. Bernardus serm. 54 in Cant. subtractam sibi interiorem illam suavitatem plangit flebilibus his vocibus : « Superbia inventa est in me, et Dominus in irâ declinavit à servo suo. Hinc ista sterilitas animæ et devotionis inopia quam patior... Nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio.... Numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ergo argumentum superbiæ privatio est gratiæ. Quanquam tamen interdùm subtrahitur gratia, sive retrahitur non pro superbiâ quæ jam est, sed quæ futura est, nisi subtrahatur. » Ergo spiritualis delectatio non est effectus inseparabilis à gratiâ sanctificante, ac proinde sive percipiatur sive non, nihil probabiliter conjici potest.

« Distinguo antecedens : Justi nonnunquàm privantur spirituali delectatione in inferiori animæ parte, concedo; in superiori, nego antecedens, quia in illis angustiis, quas describit S. Bernardus, Spiritus sanctus non ita se occultat, ut non possit aliquo probabili signo deprehendi, sive ab ipsomet justo, sive à prudenti ejus confessario. In illâ quippe privatione aliter se gerit justus, aliter peccator ; justus se habet ut infirmus, cui panis et omnia alimenta ita fastidio sunt, ut inde doleat, remedia requirat, medico obtemperet ad tollendum illud fastidium ; quæ sæpè demonstrant infirmum appetitu saltem rationali alimenta concupiscere, iisque mente delectari. Sic justus in illâ devotionis inopiâ et cordis duritiâ, coram Deo ampliùs sese dejicit, conscientiam mundare satagit, in oratione, quamvis pectore frigido, ut sibi videtur, diutiùs perseverat. Quis autem ista in eo operatur, nisi Spiritus, de quo scriptum est : *Adjuvat infirmitatem nostram, et postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus?* Dicat ergo confessarius ei, qui hujusmodi est, *quoniam benè*, consoletur illum ; magna enim præ se fert indicia, quòd sit Deo gratus, et misericordiam consecutus. Contra peccator in illâ tentatione Deum obliviscitur, ad terrenas consolationes se convertit, orationem et alia pietatis opera utpote sensibus insipida dimittit, satisfactionem à confessario injunctam perfunctoriè exequitur, aut etiam negligit. Hunc non infirmum, sed planè mortuum meritò dixeris ;

qui enim spiritualia alimenta non solùm non admittit, sed nec mente concupiscit, nullum signum præbet vivifici spiritûs.

« Secundum signum inhærentis gratiæ, et quidem magis notum quoad nos, est contemptus temporalium ; quia charitas, sine quâ non habetur remissio peccatorum, et cupiditas seu amor terrenorum, non minùs inter se pugnant quàm calor et frigus, sanitas et ægritudo. Sicut ergo eo ipso, quo calor introducitur, frigus remittitur; sic ubi charitas infunditur, cupiditas necessariò minuitur, et pœnitens tanquàm à lethali hydropisis morbo sanatus, liberatur à mordacibus curis ambiendi et acquirendi ea quæ vitam mortalem delectabilem efficiunt. Cùm autem inchoata charitas perfecta fuerit, nulla supererit cupiditas. Ita passim Augustinus, qui hoc indicio vult deprehendi qui sint filii Dei et filii seculi, cives spiritualis Jerusalem, quibus caput Christus et lex charitas; et cives mysticæ Babylonis, quorum princeps Diabolus, et lex cupiditas. Omnes, inquit, pariter templa nostra implent, iisdem aquis baptismi, eodem pœnitentiæ Sacramento initiantur, sed diversimodè; quemadmodùm olim ex eâdem aquæ materiâ aves et pisces producti sunt, sed in diversâ specie et indole. Aves quippe mox ad superiora avolârunt, nunquàm ad inferiora rediturae, nisi necessitate sedandæ famis et sitis. Pisces contra in profundo remansêre; ibi delectabiliter vivunt, natant, requiescunt, nec sine violentiâ inde extrahuntur. Similiter justi in Sacramento baptismi et pœnitentiæ, nova creatura in Christo effecti, deinceps non quæ super terram, sed quæ sursùm sunt, concupiscunt et sapiunt, ibi eorum conversatio et voluptas; sic utuntur hoc mundo tanquàm non utantur, hoc est, sine affectu, sed ex necessitate naturæ, et proprii statûs. Mali verò, post perceptum Sacramentum, eo ardore, quo priùs, terrena sitiunt, et vitæ præsenti sic addicti sunt, ut eam immortalem exoptent, dicantque apud S. Augustinum hom. 9, ex lib. 50 hom. si non motu linguæ, saltem cordis affectu : « Utinam hîc mihi Deus in hoc seculo omnia bona tribuat, non ad me pertinet quod in futuro seculo de me fieri velit, ô infelix anima, » etc.

« Scio plures hancce cordis sui impietatem eo prætextu sibi dissimulare, quòd non amore præsentis vitæ, sed judiciorum Dei terrore mortem exhorreant. Verùm periculosè eos decipi vel inde patet, quòd interim omnis eorum sollicitudo sit delectabiliter hîc vivere, nullâ curâ sibi placandi judicem, et promerendi coronam justitiæ, quam Apostolus dicit 2 Thimoth. 4, repositam iis, qui licet timeant Dei judicia, nihilominùs diligunt adventum

de suâ justificatione justorum certitudine conciliare valeat? Nihilominùs Calvinus, libro 3 Instit. cap. 17, sectione 14 (concinunt alii Protestantium antesignati), invictum hujus testimonii robur in hunc modum elidere nititur : Ubi hominum in me maledicentiam expendo, acceptam divinæ indulgentiæ innocentiam meam agnosco et prædico ; sed ubi illam innocentiam coram solo Deo considero, eam in ejus conspectu nihil esse agnosco et judico; pii enim uno ore clamant : *Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit*, Psalmo 129; et : *Ne ingrediaris in judicium cum servis tuis, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens...* Verùm hæc expositio seipsâ ruit. Scilicet Apostolus sic suam innocentiam etiam coram Deo agnovisset et non agnovisset; non agnovisset ex ultimâ interpretationis parte; agnovisset è converso ex primâ, siquidem *divinâ indulgentiâ* sibi collatam justitiam prædicâsset. Præterea, antithesis ab Apostolo apposita illam expositionem explodit; illa enim exigit ut sit oppositio inter duo assertionis membra, quæ non existeret, si in utrâque sermo esset de innocentiæ prædicatione sive agnitione; non alius igitur quàm suprà assignatus apostolico oraculo sensus affingi potest.

Plurima obtendunt novatores Scripturæ testimonia, quorum præcipua, sive majori obnoxia difficultati, exponemus. Romanorum cap. 8 legitur : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei*; sed testificatio Spiritûs sancti omnimodam parit certitudinem; unde ibidem dixit Apostolus : *Certus sum quia neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei.* — Resp. certitudinem, quam hìc inspirare dicitur Spiritûs sancti testificatio, non esse certitudinem fidei divinæ errori non obnoxiam, sed certitudinem spei, quæ, utpote cum conscientiâ nostræ infirmitatis et inconstantiæ conjuncta, nos fallere potest. Etverò, Apostolus, ut modò diximus, fidei certitudine non sciebat se esse justificatum, et aliunde, licet ad tertium cœlum fuisset evectus, trepidans exclamabat : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Neque aliud suggerunt voces, *certus sum* ; loco enim, *certus sum*, habet græcus textus πέπεισμαι, quod significat *confido, credo.* Quomodò legit B. Hieronymus q. 4 ad Algasiam, imò et Erasmus, et Beza. Hoc sensu dixit Paulus 2 ad Tim. cap. 1, v. 5 : *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ habitavit primùm in aviâ tuâ Loide, et matre tuâ Eunice, certus sum autem quòd et in te.* De his quippe nonnisi moralem certitudinem habuit Apostolus. Unde edocti plurimos esse vocatos, paucos verò electos, possumus quidem confidere nos electorum albo circumscribi, et ideò à charitate Christi non esse separandos,

ejus; quia Christus per mortem suam destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, *ut... liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*, Heb. 2, v. 14 et 15.

« Tertium indicium, illudque insigne inhærentis gratiæ habetur, cùm quis offensam Dei sic timet, cavetque, ut nullius peccati mortalis conscium se sentiat, et insuper vehementer doleat, quoties ex infirmitate in leviora labitur. Quia ex ejusmodi dolore duo moraliter certa conjicere licet. Primum, quòd insit principium vitæ spiritualis. Secundum, quòd non ex stupiditate, neque ex cordis cæcitate aut ignorantiâ vincibili, ut contingit in peccatoribus, sed ex sanâ conscientiâ nullius gravioris peccati sit conscius. Namque ut ratiocinantur S. Augustinus, et auctor l. cœlest. et Eccles. hierarchiæ, dolor non exurgit nisi ex pugnâ contrariorum, boni et mali; quamdiù medicus, v. g., secat quod putridum est, non sentit æger, neque dolet; at ubi attigerit quod vividum et sanum, natura refugit quod sibi noxium est, exclamat infirmus, nec præ dolore sectionem patitur. Atque hinc certò colligit membrum non esse prorsùs corruptum, sed curandum quod in eo superest boni. Quidni medicus spiritualis simile judicium ferat de eo qui Dei offensam summè exhorret, peccandi occasiones sollicitè fugit, contra ingruentes tentationes acriter pugnat, et ubi se vel leviter vulneratum advertit, vehementi dolore pungitur? Nam præterquàm quòd non doleret, nisi spiritualiter viveret, ipsemet Apostolus testimonium perhibet Rom. 8, gemitus illos esse effectus inhabitantis Spiritûs; ac proinde, qui sic affectus dicit se conscium non esse ullius peccati mortalis, signum præbet valdè probabile gratiæ sanctificantis. Quomodò enim conscientia, quæ leviora peccata sine dolore non admittit, nec patitur, sed quamprimùm rejicit, cum gravioribus quiesceret ?

« Ergo conscientiæ testimonium sine contemptu temporalium, et eâ, quam diximus, delectatione in Deo, non valet ad generandam fiduciam, de quâ nobis est sermo; quia cùm ex dicendis multiplex sit conscientia, alia simplex et recta, alia erronea et mala, valdè timendum est, ne pœnitens, qui delectationes terrenas sectatur, peccata venialia negligit, multiplicatque sine ullo doloris sensu, dicat ex cordis cæcitate et ignorantiâ vincibili, se nullius peccati mortalis esse conscium; nam ex S. Augustino, multa peccata hominum judicio levia videntur, quæ in staterâ sanctuarii gravia reperiuntur. Denique qui sincerè timet Deum, nihil negligit eorum, quæ ipsi displicent. »

(HABERT.) — Theol. ad usum semin. Catalaunensis.

sed de eo, seclusâ speciali Dei revelatione, absolutam certitudinem habere non possumus.

Epistolâ 1 ad Corinthios, cap. 2, ait Apostolus : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Quisque igitur sibi collatorum beneficiorum notitiam habet. — Resp. : Nego conseq. Ex iis enim quæ præcedunt et sequuntur elucet Apostolum loqui in personâ totius Ecclesiæ, non singulorum fidelium, et ideò de beneficiis à Deo præparatis electis suis in genere, non huic aut illi *in particulari.*

Epistolâ 2 ad Corinthios, cap. 13, legitur : *Vosmetipsos tentate si estis in fide... annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus in vobis est, nisi fortè reprobi estis?* Quilibet ergo electus cognoscit Christum in se esse, sive se esse justum. — Resp. : Nego conseq. Ex antecedentibus enim patet Apostolum disserere de Christo præsente in Corinthiorum Ecclesiâ, non per gratiam sanctificantem, sed per miracula quæ præconis sui Pauli ministerio edebat.

Epistolâ 1 Joannis cap. 3, habetur : *Scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Idem verbum, *scimus*, repetitur cap. 4, v. 14, et cap. 5, v. 20, ubi additur : *Qui credit in Filium Dei habet testimonium Dei in se.* Sciunt igitur fideles et cognoscunt se esse justos. — Resp. verba, *scimus* et *cognoscimus*, aut strictè aut latè esse accipienda; si primum, connotant tantùm universim, eos qui fratres diligunt, et piè vivunt, gratiâ sanctificante insigniri, non speciatim hunc vel illum certò scire sibi hanc prærogativam competere; si secundum, non arguunt certitudinem fidei divinæ propriam, sed certitudinem cum erroris formidine conjunctam, qualis ex signis et conjuncturis enascitur. Quod attinet ad ultimum textum ex contextu tangit testimonium Christi Divinitatis quod qui credit in se recipit, non autem nostræ justificationis quasi quilibet electus ex inspiratione Spiritûs sancti sciret se esse sanctum.

Momentum secundum. — *Ex patribus.* — Innumera in suis operibus sparserunt testimonia, quibus novatorum de suæ justificationis certâ notitiâ dogma exsufflatur; v. g., ubi relatum Apostoli effatum : *Nihil mihi conscius sum*, etc., expendunt, illo notitiam illam explodi asserunt, ut ostendit Bellarminus libro 3 de Justificatione cap. 5 et 7. Solo D. Augustini suffragio utpote adversariis convincendis magis idoneo, contenti erimus.

Enarratione in Psalmum 14, n. 13, ait : *Homo licet sanctus, licet justus, licet in multis proficiens, abyssus est;* quam conclusionem elicit ex Apostoli oraculo : *Nihil mihi conscius sum;* unde ipso interpretante omnes sancti sunt abyssus, quia eorum sanctitas non ipsis sed soli Deo est explorata. Idem antea dixerat n. 12, ponderans illud : *Ad meipsum anima mea turbata est, novi quia justitia Dei mei manet*, inquit, *utrum mea maneat nescio;* terret enim me Apostolus dicens (1 Cor. cap. 10) : *Qui se putat stare, videat ne cadat.* Libro de Perfectione justitiæ, cap. 15, n. 33, hæc habet : *Quantâlibet justitiâ sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum*; quomodò cum istâ cogitatione stare posset adversariorum certitudo?

Multa D. Augustini et aliorum etiam Patrum testimonia objiciunt, quæ Bellarminus, libro 3 de Justificatione, cap. 10, eruditè suo more solvit. Præcipua D. Augustini hæc sunt.

Enarratione in Psalmum 149, n. 11, ait : *Est ergo quidam modus in conscientiâ gloriandi, ut noveris fidem tuam esse sinceram, noveris esse spem tuam certam, noveris charitatem tuam esse sine simulatione;* ergo quilibet justus cognoscit se fidem et charitatem habere. — Resp. ex ipso numero 11 objecto elucere Augustinum disserere de gloriâ oriente ex testimonio conscientiæ nostræ, epistolâ 2 ad Corinthios, c. 1, quam non probat omnimodè, sed quoad « quemdam duntaxat modum; timendum enim est, inquit, ne quisque apud seipsum fiat sibi placens, et quasi superbus de conscientiâ suâ glorietur; debet enim quisque cum tremore exultare. Etenim multi sunt sibi placentes, et justos se esse arbitrantes; et procedit adversùs illos (Sapiens Proverbiorum cap. 20) : *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?* Est ergo quidam, » etc. Notitia igitur, de quâ Augustinus hoc in loco, non est certa et infallibilis; aliàs, quis posset omni modo gloriari se esse sine peccato, sed est notitia sufficiens ad habendum *quemdam modum gloriandi* de veritate fidei et charitatis; at notitia ad id sufficiens est notitia humana, sive moralis, cum tremore semper conjuncta.

Sermone 155, alias 6, de verbis Apostoli, n. 11, hæc habe « *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (ad Ephesios cap. 5); ecce adjuvante misericordiâ Spiritum Christi habemus; ex ipsâ dilectione justitiæ, integrâ fide, catholicâ fide Spiritum Dei nobis inesse cognoscimus; » ergo. — Resp. intendere Au-

gustinum nos ex fide catholicâ, quam profitemur, posse conjicere Spiritum Dei nobis inesse, non autem nos fide catholicâ cognoscere Spiritum Dei in nobis habitare, quasi fide catholicâ credere teneremur Spiritum Dei esse in nobis, id est, in hoc vel illo homine, cùm è converso timere debeamus ne in nobis non habitet. Neque dicas S. doctorem, tractatu 75 in Joannem, n. 4, asserere *nos nunc credere Christum esse in nobis, et nos in illo;* si enim verbum, *credere*, ibi accipitur pro fide catholicâ, significat Christum esse in Ecclesiâ ut caput in corpore, et Ecclesiam esse in Christo ut corpus in capite, non autem Christum esse in hoc vel illo homine; scilicet Apostolus, pro more, totius Ecclesiæ nomine loquitur.

Libro 13 de Trinitate cap. 1, n. 3, dicit, *fidem... videt quisque in corde suo esse, si credit, vel non esse, si non credit.* Antea dixerat libro 8, cap. 8, n. 12: *Diligat fratrem, et diliget eamdem dilectionem ; magis enim novit dilectionem quâ diligit, quàm fratrem quem diligit.* — Resp. ex ipso Augustini verborum tenore evidens esse ipsum loqui de actu quo quis credit vel diligit, quem utpote interiorem apprimè cognoscit ; sed non dicit cognosci modum quo fit ille actus, an debitè vel indebitè, an ex habitu vel non, etc. ; quod absque revelatione cognosci nequit.

Hinc concilium Tridentinum, inspectâ constanti Scripturæ doctrinâ et Ecclesiæ traditione, meritò sess. 6, cap. 9, hæc tradidit : « Quilibet dùm seipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare et timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui falsum subesse non potest, se gratiam Dei esse consecutum. » Idem docet in fine capitis 16, et sancit canonibus 13, 14 et 15.

Momentum tertium. — *Ex rationibus theologicis.* — Prima. Si singuli fideles possent et tenerentur fide divinâ credere se esse justificatos, id in Dei verbo deprehendere possent aut immediatè aut mediatè, id est, per manifestam consecutionem ; ipsis enim fatentibus adversariis, fide divinâ non est credendum nisi quod alterutro illo modo exhibet Dei verbum ; at, sublatâ speciali revelatione, nullo ex iis modis id in Dei verbo potest deprehendi. Primò scilicet hanc notitiam *immediatè* non suggerit Dei verbum ; si enim paucos excipias, quibus Christus suam justificationem notam fecit ; cæteris omnibus universim et conditionatè tantùm salutem et ideò justificationem pollicetur Dei verbum : *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; si vis ad vitam ingredi, serva mandata, etc.* Pariter idem verbum eamdem notitiam mediatè non subministrat; hæc enim notitia hunc vel illum in individuo attingit ; sed Dei verbum singulis fidelibus illam non instillat, cum ejus promissa, ut diximus, ubi de justificatione res est, sint generalia et conditionata. Singuli ergo fideles hanc cognitionem ex seipsis, id est, ex iis quæ geruntur in corde suo, arripere deberent ; at desiperet profectò qui talem notitiam in seipso scrutaretur ; quis enim seipsum cognoscere potest, cùm non homini sed Deo cor humanum pateat? Jeremiæ cap. 17, Psalmo 7 etc. Quis se sincerâ pœnitentiâ et verâ charitate, et solidâ pietate, præditum et accensum esse certò detegere potest, cùm ex Scripturis passim et ex quotidianâ experientiâ constet innumeros homines hâc persuasione falsò imbutos fuisse?

Secunda. Si fideles fide divinâ credere tenerentur se esse justos, eâdem certè fide credere tenerentur sibi remissa esse sua peccata ; at nihil et Scripturis, et traditioni, et rationi etiam magis adversum fingi potest; Scriptura scilicet passim tradit, *hominem de propitiato peccato non debere esse sine metu*, etc. Concinit traditio, et passim historia ecclesiastica, quâ referente, sanctissimi quique homines regis Prophetæ vestigiis insistentes, enixè rogaverunt Deum per totum vitæ mortalis curriculum, ut à peccatis eos mundare dignaretur, et instante morte ne sua sibi condonata non essent peccata anxiè pertimuerunt, etc. Suffragatur ratio ; nihil enim homini etiam justo tantùm est formidandum quàm superbiæ peccatum ; quâ ex causâ Christus et verbis suis et exemplo humilitatem discipulis suis perpetuò commendavit, et dixit Chrysostomus : *fundamentum christianæ religionis humilitas ;* at absoluta certitudo de peccatorum remissione et propriâ justificatione, quam fidelibus inspirare nituntur adversarii, multis superbiendi occasio et causa esse potest : *In isto* enim *tentationum loco,* inquit Augustinus libro de Correptione et Gratiâ cap. 13, n. 40, *tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Unde D. Gregorius, libro 9 Moralium, cap. 17, dixit : *Si scimus nos gratiam habere, superbimus.* Hinc pii et eruditi pastores ovibus suis præcipere non desinunt ut cum metu et tremore salutem suam operentur ; sicut ergo Augustino dicente : *Deus voluit unum latere diem* (judicii

sive mortis), *ut observarentur omnes dies*, sic etiam voluit fideles ignorare se esse justos ut in eis humilitatem foveret et augeret.

Objiciunt 1°: Hebræorum cap. 6, spes christiana dicitur *instar anchoræ firma et tuta*; at hæc spei inest firmitudo, quia fidelis quilibet certò statuere debet se æternam salutem esse assecuturum. — Resp. : Nego minorem; hæc enim indita est firmitas quia sicut anchora naves, ingruente tempestate, sistit et obfirmat, ita spes fideles mundi tentationibus concussos stabiles et constantes efficit. Hanc autem ipsis ingerit stabilitatem et constantiam ex parte fundamenti sui, id est, ex parte infallibilis certitudinis promissorum Dei quibus innititur, non ex parte applicationis illius certitudinis huic aut illi homini; quilibet enim fidelis certò non cognoscit illa promissa se spectare, cùm *Deus misereatur cujus vult, et quem vult induret*, Rom. cap. 9; et : *Qui stat, videre debeat ne cadat*, 1 ad Cor. cap. 10. Nihilo tamen minùs ex nobis collatis à Deo beneficiis possumus et debemus (quanquàm non sine formidine) alia præstantiora sperare quæ nos ipsi perfectiore modo illigabunt.

Objiciunt 2° : Insulsum est fidelibus perpetuam de suâ justificatione et æternâ salute anxietatem injicere; Deus enim noster Deus est totius consolationis; sed nostra sententia fideles hâc anxietate implicat et torquet; ergo. — Resp. : Nego minorem; illa quidem sententia arcet à fidelibus inanem illam fiduciam et temerariam præsumptionem, quam ipsis inspirat novatorum dogma, et fidelibus suggerit ut salutem suam cum metu operentur, sed ipsis non eripit incredibilem pacem et consolationem quam percipiunt ex bono conscientiæ testimonio, ex commissorum peccatorum contritione, ex bonorum operum exercitio, ex frequenti Eucharistiæ perceptione, ex unctione Spiritûs sancti, etc. Unde sancti hâc etiam in vitâ, non raro, ut D. Paulus, in omni tribulatione suâ suavissimo gaudio perfunduntur, et experiuntur illam Dei pacem quæ omnem sensum exsuperat. Cùm autem hæc omnia Deus in sanctis suis gratiæ suæ virtute producat, ideò meritò vocatur *Deus totius consolationis*; in sententiâ è converso adversariorum, esset *Deus totius præsumptionis*.

Principia solutionum. — Primum. Placet novatoribus quemlibet fidelem *fide divinâ* credere debere se esse justum; Catholici è converso docent fideles absque speciali revelatione nonnisi moralem de suâ justificatione certitudinem (quæ et *conjecturalis* dici potest) in hâc mortali vitâ habere posse.

Secundum. Ope distinctionis certitudinis *fidei divinæ*, et certitudinis *moralis*, plura solvuntur testimonia, quibus dicitur, *Spiritum sanctum in nobis testari nos esse Dei filios, nos certos esse de nostrâ salute, nos cognoscere Christum in nobis manere*, etc.

Tertium. Aliud est dicere nos per Spiritum sanctum certos esse Deum electis impertiturum esse beneficia quibus usque in finem perseverent, aliud asserere per Spiritum Dei hunc vel illum electum *in particulari* istâ beneficentiâ instrui; primum docent sacri codices, secundum respuunt.

Quartum. Aliud est asserere fideles, qui ex fide cognoscunt Christum pro se mortuum esse, ex hâc notitiâ Dei in se beneficentiam sperare, aliud asserere eos ex fide propriam justificationem cognoscere. Primum verum, alterum falsum.

Quintum. Promissiones Dei de æternâ salute, de justificatione, etc., generales sunt et conditionatæ, non particulares, et hunc vel illum speciatim spectantes, nisi adsit revelatio.

Sextum. Certitudo ex bonis operibus oriens non est certitudo *fidei*, sed *moralis* tantùm.

Septimum. Certitudo *fidei* omnem dubitationem et errandi formidinem necessariè excludit; secùs certitudo *spei* et *confidentiæ*, quæ ob incertitudinem dispositionis nostræ cum timore necessariè conjuncta est.

Octavum. Verba, *credimus, scimus, cognoscimus*, in Scripturâ et Patribus non raro sumuntur pro, *existimamus, censemus*, etc.

Nonum. Quam prædicant novatores certitudo ex parte subjecti, non ex parte objecti reperitur. Evincant ergo testimonia sua hanc exhibere certitudinem.

Decimum. Fatemur nonnullos sanctos ex speciali revelatione propriam justificationem certissimè cognovisse.

Undecimum. Ambrosius Catharinus è familiâ Dominicanorum, qui concilio Tridentino interfuit, censuit justum posse habere certitudinem fidei, etiam sine revelatione, de propriâ justificatione; non ideò tamen inter hæreticos recensendus est; non enim hanc certitudinem ad justificationem necessariam esse docuit, vel hominem fide, quâ credit se esse justum, justificari. Nihilominùs tamen illius opinionem erroneam judicat Bellarminus libro 3 de Justificatione cap. 3.

Ultimum. Errorem quo prætendunt novatores quemque fidelem fide divinâ certum esse non solùm de præsenti justitiâ, sed etiam de prædestinatione suâ ad gloriam radicitùs extirpavit Apostolus Rom. cap. 11, v. 33, et egregiè sic explodit Augustinus libro 11 de Civitate Dei, cap. 12 : « Licet sancti de suæ perseverantiæ præmio certi sint, de ipsâ tamen perseverantiâ suâ reperiuntur incerti ; quis enim hominum se in actione profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat? nisi aliquâ revelatione de illo fiat certus, qui de hâc re justo latentique judicio non omnes instruit, » sed neminem fallit.

§ 2. *Utrum justitia ita solis electis competat, ut eâ nunquàm spoliari possint?*

Conclusio. — Fides et justitia solis electis non competunt, et semel habitæ amitti possunt.

Ita definivit concilium Tridentinum Calvinum perstringens sess. 6, can. 23, his verbis : « Si quis hominem semel justificatum dixerit ampliùs peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideò eum qui labitur et peccat nunquàm verè justificatum fuisse, anathema sit. »

Probatur 1° ex Scripturis, quæ propè innumeris, iisque luculentissimis, oraculis insulsum novatorum dogma in pulverem redigunt. Hæc in re tam apertâ sufficiant.

Ac primò quidem, ut prætercam relata in Scripturis exempla virorum qui ab acceptâ justitiâ exciderunt, regis David, Salomonis, Simonis Magi, Judæ proditoris, etc., Ezechielis cap. 18 legitur : *Cùm averterit se justus à justitiâ suâ, et fecerit iniquitatem... in injustitiâ, quam operatus est morietur.* Potest ergo justus justitiam (id est, ut placet adversariis, fidem quæ sola justificat) deperdere, et in iniquitate mori, et ideò solis electis, qui ex hâc vitâ in peccato mortali emigrare nequeunt, non convenit, et semel comparata potest amitti.

Lucæ cap. 8, ait Christus : *Cùm audierint cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habent, sed ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Ecce homines qui cum gaudio semen verbi divini deglutiunt, et *credunt*, et ideò in ipso adversariorum systemate justi sunt, qui tamen *ad tempus* credunt, id est, justitiam servant, sive in justitiâ non perseverant.

Epistolâ 1 ad Corinthios, cap. 9, clamat Apostolus : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prævaricaverim, ipse reprobus efficiar.* Alios sanè sensus animo volvisset si in adversariorum scholâ fuisset institutus. Illi enim sub prætextu inamissibilis justitiæ ex solâ fide exorientis cuncta satisfactoria opera expungunt.

Hebræorum cap. 6, hæc iterùm decernuntur. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritûs sancti... et prolapsi sunt, rursùs renovari ad pœnitentiam.* Ecce homines verè justificatos, siquidem *sunt illuminati, gustaverunt donum cœleste, et participes facti sunt Spiritûs sancti*, qui prolapsi sunt, et ideò justitiam amiserunt.

Probatur 2° auctoritate D. Augustini. Libro de Correptione et Gratiâ, cap. 13, n. 40, ait : « Credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverantiæ usque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, et aliquandiù fideliter ac justè vivere, et postea cadere. » Etverò, Jansenius fateri coactus est S. doctorem constanter tradidisse reprobos justitiam *ad tempus* habere, et ideò ab ipso vocari *temporales.* Justitia ergo ad solos electos non pertinet.

Probatur ultimò rationibus theologicis. Prima. Calvinus, Petrus Martyr, Bucerus, etc., docent filios fidelium nasci justos ; at experientiâ compertum est eos inter nonnullos, cùm rationis usum adepti sunt, in atrocia etiam crimina proruere. Etverò illi hæretici Catholicos detestantur qui tamen sunt filii fidelium, saltem à principio.

Secunda. Innumeri ab Ecclesiæ incunabulis ad hoc usque tempus extiterunt hæretici, ut testatur Scriptura, et eorum indices ab Hieronymo, Augustino et aliis concinnati ; sed hæretici facti sunt per jacturam fidei.

Tertia. Jovinianus, referente Augustino, libro de Hæresibus, hæresi 82, docuit *non posse peccare hominem lavacro regenerationis acceptо* ; at hæc opinio à veteri Ecclesiâ damnata, non videtur discrepare ab adversariorum sententiâ, nisi probent id non docuisse Jovinianum, quia existimabat justitiam semel acceptam non posse amitti.

Objiciunt 1° Scripturæ oracula enuntiantia extingui non posse charitatem, et ideò fidem sine quâ charitas existere non potest. Canticorum cap. 8 : *Aquæ multæ* (id est, hujus vitæ tribulationes) *non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Joannis cap. 4 :

Qui biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Romanorum cap. 8 : *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum,* etc. Epistolâ 1 ad Corinthios, cap. 13 : *Charitas nunquam excidit,* etc. — Resp. hæc et similia oracula significare vel charitatem, quatenus est in totâ Ecclesiâ, non in privatis, perire non posse (privati enim eam relinquere dicuntur Apoc. cap. 2, et in mundi fine *refrigescet*, id est, extinguetur, *charitas multorum*); aut hominem, quamdiù charitate exornatur, de præsentis vitæ malis facile triumphare; aut charitatem in futuro etiam seculo esse duraturam, aliis extinctis, fide scilicet et spe, qui ultimi oraculi proprius sensus esse videtur.

Objiciunt 2° difficilem locum consignatum Epistolâ 1 Joannis cap. 3, his verbis : *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen illius in eo manet, nec potest peccare quoniam ex Deo natus est.* — Resp. Apostolum unicè intendere proprium esse filiorum Dei *ex affectu* non peccare, vel peccare non posse, et è converso proprium esse filiorum diaboli peccare. Unde sensus est : Qui Dei filius est, quatenùs talis, ex affectu non peccat, sive signum quo cognoscitur aliquem esse Dei filium est voluntaria à peccato abstinentia; non autem sensus esse potest eum qui semel factus est Dei filius non posse per peccatum mortale desinere esse Dei filium, aliàs D. Joannes fideles ad perseverandum in justitiâ incassùm excitaret.

Principia solutionum. — Primum. Fides et charitas in Ecclesiâ collectivè sumptâ perire nequeunt; secùs in Ecclesiâ distributivè acceptâ, sive singulis justis.

Secundum. Charitas æternùm duratura est; secùs fides et spes quæ præsenti vitâ finitâ evanescent.

Tertium. Tanta est charitatis virtus ut hujus vitæ malis et tentationibus extingui non posse dicatur, quia incredibiles subministrat vires ad illa superanda.

§ 3. *Utrum omnes justi æquali exornentur sanctitate?*

Conclusio. — Omnes justi pari justitiâ non sunt præditi.

Ita sancivit concilium Tridentinum adversùs Lutheranos sess. 6, can. 24 : « Si quis, inquit, dixerit justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodò et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit. »

Probatur 1° ex Scripturis. Apoc. ultimo legitur : *Qui justus est justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.* Immediate ante dicitur : *Qui in sordibus est sordescat adhuc.* Ibi justus eodem modo de novo sanctificari posse dicitur quo sordidus de novo sordescere posse refertur; at sordibus hoc sensu de novo sordescere potest quòd in sordidus crescat. Ergo.

Idem deduci potest ex pluribus aliis oraculis, v. g., ex isto Proverbiorum cap. 4 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem.* Hoc enim oraculum ostendit justitiam hominis magis ac magis amplificari donec cum Deo in cœlis regnet ad eum ferè modum quo lux auroræ ad meridiem usque magis ac magis augetur... Item ex hoc 2 ad Corinthios cap. 9 : *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ;* istud enim pronuntiatum falsum esset si, ut prætendunt novatores, sola Christi justitia non capax incrementi nobis inesset.

Probatur 2° ex Patribus. Prodeat D. Augustinus. Epistolâ 167, quæ est ad Hieronymum, cap. 3, n. 13, ait : *Induti sunt justitiâ, alius magis, alius minùs.* Tractatu 6 in Joannem, n. 8, hæc habet : *Non omnes* (in Ecclesiâ) *paria merita habent; sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores.* Hæc sanè commentario non indigent.

Probatur 3° ex Ecclesiæ praxi quâ orat *Deum ut justis det fidei, spei et charitatis augmentum.*

Probatur ultimò rationibus ex Scripturis deductis. Prima. Passim dicentibus Scripturis, justitia nihil aliud est quàm charitas, Mathæi cap. 5, Rom. 14, 1 Joannis 3, etc. Sed iisdem dicentibus Scripturis, charitas in justis non est æqualis, sed in aliis major, in aliis minor, Lucæ cap. 7, Joannis cap. 15, 1 Joannis cap. 4, etc. Quinimò ipsi Lutherani in hoc à Joviniano discrepant quòd fateantur virtutes et charitatem in regeneratis esse majores aut minores, licet negent exinde unum alio fieri justiorem, quia nempe justus evadit Christi justitiâ fide arreptâ.

Secunda. Passim docent Scripturæ varios in cœlo esse beatitudinis gradus, v. g., Dei Genitricem omnibus sanctis gloriâ antecellere, quia ipsis meritorum excellentiâ præstitit, Joannis cap. 14, v. 2, etc. Sed ista diversitas oritur ex varietate in terrâ justitiæ et meritorum; ergo.

Cum relatus Lutheranorum error innitatur principio imputationis justitiæ Christi supra

confutato, quæ hic objiciunt diluimus ubi illud dogma refellimus.

CAPUT II.

De secundo gratiæ effectu, sive de merito.

Merita nostra ex cœlesti gratiâ emanant: *Quisquis enim*, inquit Augustinus Deum alloquens libro 9 Confessionum cap. 13, n. 34, *tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua?*

Ut autem tanti momenti quæstio dilucidè edisseratur, sermonem instituemus 1° De meriti existentiâ... 2° De meriti qualitatibus et conditionibus... 3° De meriti objecto.

ARTICULUS PRIMUS.

De meriti existentiâ.

Meritum propriè dictum dicitur opus propter quod Deus homini præmium rependere debet.

Protestantes, ut diximus, censent hominem per Christi justitiam solâ fide apprehensam justum fieri, et cuncta ipsorum electorum sive justorum opera ob concupiscentiæ labem semper ipsis tenaciùs inhærentem esse vitiosa, licet ob Christi justitiam, quâ obteguntur, ipsis non imputentur. Hinc ut amica illa dogmata nihil detrimenti patiantur, omnem justorum operibus, quæ bona dicimus, vitam et æternam salutem merendi vim et virtutem tollunt et eripiunt; ex quibus iterùm documentis inferunt præposterum esse et Christo injuriosum aliquam fiduciam in operibus, quæ bona reputantur, collocare, aut ea opera intuitu mercedis producere.

Quamobrem, ut tam perniciosa doctrina eliminetur, quæremus 1° an justorum opera æternæ vitæ meritoria sint..... 2 Quo sensu fiducia in meritis reponi possit..... 3° An liceat opera edere æternæ salutis intuitu.

§ 1. *An bona justorum opera æternæ vitæ verè meritoria sint?*

Conclusio. — Bona hominis justificati opera ita sunt Dei dona, ut sint etiam bona ipsius justificati merita.

Ita expressis verbis definivit concilium Tridentinum sess. 6, can. 32. Præiverat concilium Arausicanum 2, can. 18, ubi ex S. Patris Augustini doctrinâ hæc sanciverat: *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.*

Probatur 1° ex Scripturis. Illis dicentibus, vita æterna est merces bonorum operum. Etenim Mathæi cap. 5 regnum cœlorum vocatur *merces* iis rependenda qui persecutionem patiuntur propter justitiam, et Mathæi 20 eadem æterna vita denario diurno operariis repenso adumbrata dicitur *merces*.

Item cœlestis beatitudo à Deo donanda refertur habitâ ratione non solius promissionis, beneficentiæ, vel indulgentiæ Dei (ut obtendunt adversarii), sed ipsius quoque excellentiæ et efficaciæ bonorum operum, Mathæi cap. 16, v. 27, et alibi passim. Item bona opera dicuntur causa et ratio æternæ vitæ collationis, Mathæi cap. 25, v. 23 et 35; Apoc. cap. 7, v. 14, 15, etc. Item bona opera *ex justitiâ* remuneranda referuntur, Epistolâ 2 ad Timotheum, cap. 4, v. 8; Epistolâ ad Hebræos, cap. 6, v. 10; Jacobi cap. 1, v. 12, etc. Tandem bona opera reputantur vitâ æternâ digna, Lucæ cap. 10, v. 7; 2 ad Thessalonicenses, cap. 1, v. 5, etc.

At hæc omnia ita donum ex parte Dei connotant (ratione scilicet gratiæ ex quâ fiunt bona opera), ut etiam vera merita arguant; merces quippe merito rependitur. Pariter bonum opus, cui Deus ex solâ liberalitate beatitudinem impertit, ex se nullatenùs influit in illam felicitatem, nec dici potest *causa* illius gloriæ, aut ex *æquitate* coronari, vel coronâ *dignum*.

Hoc ipsum fateri coguntur adversarii; obtendunt enim istud Apostoli Rom. cap. 8: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, etc., ut evincant bona opera æternâ vitâ non esse digna; sed inscitè omninò; intendit enim Apostolus hujus vitæ passiones, utpote momentaneas, sive brevi tempore durantes, *ex se* et sine gratiâ, sive charitate ex quâ effluunt, nullam habere proportionem cum futurâ gloriâ quæ æternùm durabit; sed non vult illis passionibus, habitâ ratione quâ bona opera fiunt, nullam inesse proportionem cum æternâ vitâ, siquidem Epistolâ 2 ad Corinthios, cap. 4, agnoscit *eas æternum gloriæ pondus operari in nobis*, non efficienter quidem, sed meritoriè.

Probatur 2° ex Patribus, sive pro more nostro, ex S. Augustino. Sanctus doctor libro 9 Confessionum cap. 13, agnoscit, ut diximus, in justis *vera merita* ex gratiâ elicita. Epistolâ 194 ad Sixtum cap. 3, n. 6, ait: « Nullane sunt merita justorum? Sunt planè quia justi sunt, sed ut justi fierent nulla merita fuerunt. » Ibidem cap. 5, n. 20: « Sicut merito peccati

tanquàm stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquàm stipendium vita æterna. » Sunt igitur in justis quatenùs justis vera merita, et quidem æternæ vitæ.

Probatur ultimò ex eo quòd justorum opera ex gratiâ elicita vestiuntur omnibus conditionibus ad meritum necessariis, ut ex dicendis elucescet.

Objiciunt 1° aliqua Scripturæ testimonia.

Isaiæ cap. 64, universæ justitiæ nostræ dicuntur *quasi pannus menstruatæ*, id est, immundæ, ut præcedentia verba evincunt, *facti sumus ut immundus omnes nos;* at opera immunda indubiè non sunt meritoria; ergo. — Resp. Prophetam hìc non in suâ vel justorum personâ loqui, sed impiorum qui in justitiis suis externis fiduciam collocabant, ut elucet ex his verbis sequentibus: *Iniquitates quasi ventus abstulerunt nos, non est qui invocet nomen tuum;* hæc enim Isaiæ aut justis illius temporis non conveniunt; quòd autem omnia justorum opera non sint immunda, sive peccata mortalia, ubique docet Scriptura; jubet enim Christus Mathæi cap. 5, ut justi eliciant *opera bona:* et: *Christus dedit semetipsum pro nobis, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*, Epistolâ ad Titum cap. 2.

Lucæ cap. 17, ait Christus: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt, vobis, dicite: Servi inutiles sumus;* sed opera inutilia non sunt meritoria; ergo. — Resp. Christum relatis verbis servis suis, id est, iis quos pretio emerat, abjectos de se sensus, sive humilitatem instillare voluisse ipsos admonendo, ut, omnibus etiam quæ præcepta sunt adimpletis, se imperfectos adhuc et inutiles esse sentirent; qui certè animi affectus non excludit in illis bonorum operum meritum, sicut B. Pauli affectus quo se habebat velut fontium *omnium maximum* justitiam in ipso non expendebat. Vox, *inutiles*, potest etiam referri ad Deum, qui bonorum nostrorum non indiget, non autem ad nos quasi legis observatio ut decet facta nullius nobis foret emolumenti, cum è converso dicat Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, hoc fac et vives*, etc. Tandem eadem vox significare potest bona opera, licet ex gratiâ elicita, *non esse condigna ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, eo quo exposuimus sensu.

Objiciunt 2° nonnullos Patres. Augustinus sermone 2 in Psalmum 70, n. 5, ait: *Tua peccata sunt, merita Dei sunt; supplicium tibi debetur, et cùm præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua:* ergo vita æterna meritis nostris non debetur, sed potiùs supplicium.— Resp. Augustinum unicè disserere de meritis quæ sunt *in nobis ex nobis*, et ideò sine Dei adjutorio. Id elucescit 1° ex verbis objectis, *sua dona coronabit, non merita tua*... 2° Ex fine numeri primi ibidem p. 734, ubi idem tractans sic loquitur: « Nullam meam agnosco, solius justitiæ tuæ memorabor; à te habeo quidquid boni habeo, quidquid autem à me habeo, mali habeo; non meritis supplicium reddidisti, sed gratiam gratis impertisti... » 3° Ex Epistolâ 194, aliàs 105 ad Sixtum, libro de Gratiâ et libero Arbitrio, cap. 6, 8, etc., et aliis locis, ubi docet « vitam æternam stipendium esse justitiæ per gratiam acceptæ, reddi vitam æternam meritis per gratiam factis, etc. »

Divus Bernardus, sermone 1 de Annuntiatione, hæc habet: « Neque talia sunt hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, si eam non donaret; » sed si æterna vita hominum meritis *ex jure* non debetur, illa merita vitam æternam verè non merentur; ergo. — Resp. ex contextu elucere S. doctorem intendere duntaxat, vitam æternam meritis ex jure absolutè et sine conditione Dei promissionis et gratiæ collationis non deberi, quod verum est; hanc enim conditionem supponit Apostolus cùm dicit: *Reposita est mihi corona justitiæ*, 2 ad Timotheum, cap. 4; et Hebræorum cap. 6: *Non est injustus Deus qui obliviscatur operis vestri et laboris;* et D. Augustinus libro de Naturâ et Gratiâ cap. 2: *Non est injustus Deus ut justos fraudet mercede justitiæ.* Etverò Bernardus, ibi lem seipsum exponens, agnoscit ideò ex jure meritis non deberi vitam æternam, quia merita ex gratiâ scaturiunt.

Objiciunt 3° dogma de veris justorum meritis Christi merita pessumdare; ergo. — Resp. miserum istud cavillum ex solâ citati dogmatis inspectione dilui; non enim commendat merita nisi ex Christi gratiâ et ideò meritis emanantia.

Principia solutionum. — Primum. Ut novatores enervarent Scripturæ et Patrum oracula de justorum meritis, varia commenti sunt effugia: 1° enim diversa excogitaverunt præmia in hâc et in futurâ vitâ à vitâ æternâ distincta, ut illa meritis rependi, non ista, possent reponere... 2° Dixerunt præmium vitæ æternæ tribui meritis, non *ex justitiâ*, sed *ex misericordiâ*... 3° Dixerunt nullam esse in operibus etiam justorum excellentiam, quinimò ea omnia esse in se peccata mortalia... 4° Dixe-

runt mercedem sive præmium reddi non propter opera, sed propter solam Dei promissionem, ea nempe opera excludentem .. 5° Dixerunt vitam æternam rependendam esse operibus quatenùs præcisè sunt signa sive effectus fidei.

Secundum. Novatorum dogma vera merita expungens eliminat dogma de futuro judicio; *Quomodò enim*, inquit Augustinus Epistolâ 214 ad Valentinum abbatem n. 4, *judicabit Deus mundum, si nullum est meritum* (ex gratiâ), *vel bonum piorum, vel malum impiorum?*

Tertium. Scriptura et traditio agnoscunt in justis *meritum*, et in impiis *demeritum;* sed in istis verum est demeritum; ergo et in illis verum meritum.

Quartum. Æterna beatitudo ex parte meritorum est *merces*, sed ex parte meritorum quibus debetur est etiam effectus Dei misericordiæ, quia merita ex misericordiâ sive gratiâ emanant.

Quintum. Cùm Deus coronam gloriæ meritis rependit, et justitiæ et misericordiæ actum exercet; actum justitiæ, quia debitam meritis mercedem impertit; actum misericordiæ, quia delet peccata venialia quæ bonis coronandorum operibus inesse possunt.

Sextum. Stipendium justitiæ est vita æterna sicut stipendium peccati mors; secùs gratia Dei quæ gratis datur.

Septimum. Bona justorum opera Deo, qui iis non eget, utilia non sunt; secùs justis. Eadem opera ex se et sine gratiâ, quæ ipsis merendi vim inserit, nullam habent cum gloriâ sempiternâ proportionem.

Octavum. Salus imperfecta hujus vitæ propria, id est, justificatio, meritis non rependitur; non ita salus perfecta, sive æterna gloria.

Nonum. Deus justorum meritis plus tribuit quàm ipsis debetur, et sub hoc respectu *corona justitiæ* potest etiam dici *corona misericordiæ.*

Decimum. Vita æterna meritis ex jure debetur hypotheticè duntaxat, id est, accedente Dei promissione et gratiâ, ex quâ fiunt illa merita, non absolutè, sive independenter ab istâ hypothesi, sive conditione.

Ultimum. Sedulò distingue merita *in nobis et ex nobis, et merita in nobis sine nobis;* illa enim, non ista improbant Augustinus et alii Patres.

§ 2. *An fiducia in meritis reponi possit?*

Fiducia nascitur ex spe, Job cap. 11, v. 18, et ideò juxta D. Thomam 2-2, q. 129, a. 6, *spes est fortis et valida.* Quæritur quo sensu fiducia in meritis collocari possit.

Pelagiani, et novissimis hisce temporibus Wicleffus, omnem in meritis fiduciam constituendam esse censuerunt; sententiam è diametro oppositam animosè propugnant Protestantes, inprimis Calvinus libro 3 Institutionis cap. 2, sectione ultimâ, et cap. 12, sectionibus 3 et 4, absurdo suo principio innixi, omnia etiam justorum opera esse peccata mortalia.

Catholici docent 1°, ad vitandam vanæ gloriæ titillationem, tutius esse totam fiduciam in solo summè bono et misericorde Deo constituere, cùm inprimis remotâ Dei revelatione omninò lateat propria justitia; hos enim animi sensus suis inspirare nititur Ecclesia dùm has effundit preces: *Deus, qui conspicis quia ex nullâ nostrâ actione confidimus, etc.; ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre præsidiis..... intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte.....* Docent 2° nihil obstare quominùs, secluso superbiæ periculo, quædam fiducia collocetur in meritis, quorum veritas constat. Scriptura quippe et historia ecclesiastica hos animi sensus plurimorum sanctorum cum encomio referunt.... Docent 3° non solam fidem, sed bona etiam merita in sanctis parere spem et fiduciam in Deum; quod cùm irrideat Calvinus, sit

Conclusio. — Fiducia in Deo ex bonis etiam meritis in sanctis oritur et viget, qui idcircò illis comparandis et augendis incumbere debent, ut illa fiducia in ipsis magis ac magis crescat et amplificetur.

Probatur 1° ex Scripturis. Tobiæ cap. 4: *Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Similia habet Job cap. 11, versibus 14, 15 et 18. Concinit Fœdus novum. Hebræorum cap. 10: *Vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis... nolite itaque amittere confidentiam vestram.....* Epistolâ 1 Joannis cap. 3: *Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum,* etc.

Probatur 2° ex S. Augustino; alios enim vulgò adversarii sibi non vindicant. Spem, et ideò fiduciam, ex bonorum aperum conscientiâ erumpere passim docet, v. g. libro 3 de Doctrinâ christianâ cap. 10, n. 14: *Spes,* inquit, *cuique est in conscientiâ propriâ, quemadmodùm se sentit ad dilectionem Dei et proximi, cognitionemque proficere.*

Probatur 3° ratione. Certitudo spei chris-

tianæ innititur Dei fidelitate, et bonis operibus nostris; ideò enim speramus coronam vitæ, quia Deus eam promisit diligentibus se, ut dicitur Jacobi cap. 1; sed inde elucet bonorum operum conscientiam spem gignere, fovere, alere et roborare, etc.

Objiciunt. Augustinus, tractatu 83 in Joannem n. 3, ait : *Potest sperare veniam qui non diligit, Apostolo dicente 1 ad Corinthios cap.* 13 : *Manent fides, spes et charitas;* spes ergo præcedit charitatem; si autem eam præcedit, quomodò ex eâ nasci potest? — Resp. Augustinum loco citato et alios Patres ita docere spem esse charitate priorem, ut simul doceant charitatem sine spe esse non posse. Unde spes oritur ex charitate, et ex spe oritur charitas. Scilicet spes charitatem antecedens et generans est spes, quæ dicitur informis, id est, totam suam perfectionem nondùm adepta, quæ in homine nondùm justificato nihil aliud est quàm desiderium adipiscendæ beatitudinis per fidem cognitæ, subsidio nempe bonorum operum ex gratiâ elicitorum (aliàs non esset spes sed præsumptio). Spes è converso ex charitate, sive meritis, enascens, spes est perfecta, quæ dicitur *fiducia,* id est, spes fortis et nervosa, quam producit bonorum operum conscientia. Hinc Augustinus loco citato dicit : *Nemo potest desperare qui diligit. Itaque ubi dilectio est ibi necessariò...... spes,* id est, fiducia.

Principia solutionum. — Primum. Scripturæ et Patrum oracula, quæ enuntiant spem nullatenùs in meritis, etiam gratiæ, sed in solo Deo esse reponendam, intelligenda sunt non absolutè, sed conditionatè, si nempe comperta non sint illa merita, aut adsit inanis gloriæ aut superbiæ periculum.

Secundum. Sedulò distingue spem imperfectam à perfectâ, sive spem à fiduciâ; illa merita præcedit, hæc merita subsequitur.

Tertium. Hic asserimus duntaxat, fiduciam nasci ex meritis, non autem fiduciam ponendam esse in meritis.

§ 2. *Licetne opera edere æternæ mercedis intuitu?*

Concilium Tridentinum sess. 6, cap. 11, perstringens doctrinam Calvini libro 3 Institutionis cap. 16, sect. 3, et 18, sect. 2, hæc super istâ quæstione decernit. « Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari qui...... statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut inprimis glorificetur Deus mercedem quoque intueantur æternam; » ac deinde can. 31 : « Si quis dixerit justificatum peccare dùm intuitu æternæ mercedis benè operatur, anathema sit. » Hanc doctrinam refellens Calvinus in Antidoto mentitur sanctam synodum definiisse *operandum tantum esse ex affectu mercedis;* quod solâ concilii verborum inspectione exploditur. Itaque sit

Conclusio. — Non peccant justi dùm intuitu æternæ mercedis benè operantur.

Probatur 1° ex Scripturis. Christus excitat discipulos ad operandum intuitu æternæ beatitudinis, imò id ipsis præcipit Mathæi cap. 4 : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum,* ubi nota particulam, *enim......* Mathæi cap. 5 : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.....* Mathæi cap. 6 : *Quærite primùm regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis,* etc.

Item Rex Propheta intuitu æternæ mercedis operatus est : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem,* Psalmo 118... Moyses, Apostolo dicente Hebræorum cap. 11, *aspexit in remunerationem;...* Ipse Paulus dicit se *ad destinatum persequi, ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu*, Epistolâ ad Phillippenses cap. 3.

Item Apostolus passim hortatur fideles ad *sic currendum ut comprehendant*, Epistolâ 1 ad Corinthios, cap. 9; ad bonum faciendum, *quia tempore suo metent*, ad Galatas cap. 6; ad operandum ut *à Domino accipiant retributionem hæreditatis*, ad Colossenses, cap. 3, etc.

Probatur 2° ex S. Augustino. Enarratione in Psalmum 120, n. 10, ait : *Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac... Noli facere nisi propter vitam æternam : ideò fac, et securus facies; hoc enim mandavit Deus.* Tractatu 4 in Epistolam Joannis cap. 2, n. 12 hæc habet : *Mementote, fratres, quia vitam æternam nobis promisit Christus..... Promissionem vitæ æternæ desiderate.*

Probatur 3° rationibus theologicis. Prima. Indubiè licet operis finem cùm opus fit intendere, cùm opus sit medium ad finem; sed finis operum Christianorum est vita æterna, Epistolâ ad Romanos, cap. 6, v. 22; ergo. Secunda. Licet, v. g., baptismum suscipere ad impetrandam Dei gratiam; quidni et opus bonum elicere ad consequendam æternam beatitudinem, quæ est gratia perfecta? Tertia. Licet opera naturalia exercere propter finem naturalem; quidni et supernaturalia edere propter finem supernaturalem?

PRINCIPIA SOLUTIONUM. Primum. Qui propter retributionem, sive sempiternam felicitatem operatur, debet retributionem intendere, non tanquàm finem ultimum, sed tanquàm finem proximum duntaxat *ex se*, quamdiù manet proximè tendentem ad Deum, in quo solo, et per quem solum summè beati esse possumus. Hinc Scriptura et Patres improbant amorem mercenarium, sive servilem, qui præmium aut unicè aut præcipuè respicit, ita ut si non adesset præmium, illius largitorem nullatenùs diligeret.

Secundum. Amor mercedis temporalis non est comparandus cum amore æternæ mercedis; 1° enim ille plerumque vilior est ipsis quæ producit operibus, puta si quis Deo aut Ecclesiæ serviat ob temporaria commoda, non ita iste qui præmium ab ipso Deo non distinctum appetit. 2° Primus amor non rarò à Deo avellit, secundus è converso Deo inhærere facit; vix enim ac ne vix quidem evenire potest ut qui Deum videre impensè desiderat, Deum plusquàm se non diligat. Hinc, si servile est ac turpe propter temporalem mercedem operari, servile non est ac inhonestum ob æternam beatitudinem Deo militare.

Tertium. Cùm quis Deum amat propter æternam beatitudinem, primariò Deum propter ipsum amat, et secundariò propter se, et ideò ejus amor est amor non puræ concupiscentiæ, sed amicitiæ quo Deus est prosequendus.

ARTICULUS II.

De meriti dotibus, sive conditionibus.

Duplex universim distinguitur meritum, perfectum unum, sive, ut aiunt, *de condigno*, imperfectum alterum, sive, ut loqui amant, *de congruo;* utrumque scilicet meritum passim in sacris codicibus, et sancto præsertim Augustino delineatur; primum quidem Rom. cap. 4: *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum;* et apud Augustinum, enarratione in Psalmum 85, n. 16: *Deus,* inquit, *donator est indulgentiæ, debitor coronæ;* et in Psalmum centesimum n. 2: *Donando delicta fecit se coronæ debitorem....* Secundum verò Danielis, v. g., cap. 4: *Peccata tua eleemosynis redime,* etc. Unde Augustinus sermone 301, aliàs de diversis 110, cap. 3, de Nabuchodonosore et Antiocho disserens dixit: «Divino judicio, occulto procul dubio, sed tamen justo, Nabuchodonosor meruit converti, Antiochus meruit obdurari, ille invenit misericordiam, iste auxit superbiam.»

Priusquàm autem utrumque meritum definio, essentiales utriusque dotes sive conditiones referam sine quarum notitiâ intelligi non posset.

§ 1. *Referuntur conditiones ad meritum* de condigno *necessariæ.*

Inter illas conditiones aliæ omnibus theologis catholicis sunt acceptæ, non ita aliæ.

Conditiones ex omnium consensu merito de condigno, *sive perfecto, essentiales.* — Prima se tenet ex parte operantis, id est, hominis qui meretur. Exigit ut ille sit viator: *Nocte* enim, id est, morte, *adveniente nemo potest operari,* Joannis cap. 9, et præsentis vitæ tempus est certaminis, illam verò subsequens tempus est coronæ tempus, Epistolâ 2 ad Timotheum, cap. 4.

Secunda effluit ex parte ejusdem operantis. Præcipit ut is justus sit, id est, filius Dei factus per baptismum, aut cum Deo reconciliatus per pœnitentiæ sacramentum; hæc enim est constans omnium doctorum catholicorum sententia adversùs Baium, cujus propositio 18 inter damnatas à Pio V Gregorio XIII et Urbano VIII hæc fert: *Sentiunt cum Pelagio qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum* Et verò, hanc conditionem passim exigunt Scripturæ, ubi, v. g., vitam æternam promittunt iis solis qui adoptionis spiritum consecuti fuerint, Rom. cap. 8, v. 15 et 17, etc..... Passim requerit D. Augustinus, puta libro 1 ad Bonifacium, cap. 2, n. 5, ubi ait: *Non vivunt benè filii hominum nisi effecti filii Dei* (scilicet per baptismum); quin Enchiridion cap. 106, n. 28 et alibi, agnoscit *nullum tunc* (in statu naturæ integræ) *sine gratiâ* (sanctificante) *meritum esse potuisse* ..... Exigit concilium Tridentinum, sessione 6, cap. 16, ubi ait: *Vita æterna et tanquàm gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa est, et tanquàm merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.* Unde ibidem, canone 32, decernit, illa opera esse meritoria quæ fiunt à justificatis per gratiam Dei, ut sunt viva Christi membra.... Evincit ratio; vita scilicet æterna res est supernaturalis ad quam merendam necessaria sunt opera supernaturalia; at nemo ejusmodi opera elicere potest, nisi divinæ consors naturæ factus sit per gratiam sanctificantem; ergo.

Tertia erumpit ex parte operis, id est, actûs meritorii; desiderat illum actum esse moraliter bonum; quæ enim mala sunt non coronat, sed punit Deus.

Quarta idem opus afficit. Præcipit ut illius actus sit bonus, liber, id est, non solùm coactionis, sed et omnis necessitatis, etiam simpli-

cis, mutabilis et relativæ purus et expers, ut definitum est adversùs Lutherum, Calvinum, Jansenium, etc.

Quinta idem opus spectat, et sancit illud non esse meritorium præcisè ex eo quòd est conforme legi, sive per speciale Dei auxilium fit modo legi consono, sed etiam ex eo quòd fit ab homine justificato, ita ut si non eliceretur ab homine gratiâ sanctificante exornato, licet aliundè vera esset legis observatio, tamen non esset meritorium. Damnata scilicet est hæc inter Baii propositiones numero 14 : « Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quòd fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantùm ex eo quòd sunt conformia legi, quòdque præstatur obedientia legi. »

Conditiones ad meritum de condigno *circa quas est inter theologos controversia.* — Prima se habet ex parte Dei remunerantis, an scilicet ut opera bona sint æternæ vitæ meritoria *de condigno* requiratur gratuita Dei promissio, sive pactum de æternâ mercede rependendâ. Doctores non infimi ordinis, ut refert Sylvius in 1-2, q. 114, articulo 2, hoc pactum necessarium non esse autumaverunt. Verùm hæc sententia omninò rejicienda videtur. Etenim 1° repugnare videtur his Scripturæ oraculis : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se,* Jacobi cap. 1.... *Imitatores eorum estote qui fide et patientiâ hæreditabunt promissiones,* id est, æternam vitam promissam, Epistolâ ad Hebræos, cap. 6. Idem legitur Hebræorum cap. 10, v. 36.

2° Videtur adversa his Augustini effatis : « Debitorem Dominus ipse se fecit (coronæ justitiæ) non accipiendo, sed promittendo... Non ei dicitur : Redde quod accepisti, sed : Redde quod promisisti, » enarratione in Psalmum 83, n. 16... « Debitor factus est non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo, » sermone 158, aliàs 16 de verbis Apostoli, cap. 2, n. 2.

3° Videtur contradicere concilio Tridentino citato capite 16 sessionis 6, ubi expressa mentio fit Dei promissionis, et canone 26 ejusdem sessionis ubi dicitur : « Si quis dixerit justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare et sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si benè agendo, et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit. »

4° Omninò aliena videtur a Constitutione adversùs Baium, per quam Pius V et alii summi pontifices damnaverunt hanc ejus propositionem secundam : « Sicut opus malum ex naturâ suâ est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex naturâ suâ est vitæ æternæ meritorium... » Item undecimam : « Quòd piè et justè in hâc vitâ mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est.... » Item duodecimam : « Neque in hâc retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in quâ lege naturali constitutum est ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. » Sed harum assertionum censura evincere videtur ad æternam vitam *de condigno* merendam necessariam esse Dei promissionem Christi meritorum intuitu factam ; Baius enim eis asserit vitæ æternæ retributionem operibus bonis non rependi propter Christi meritum, sed propter naturam et qualitatem illorum operum absque ullâ gratuitâ Dei promissione, quia id exigebat prima hominis creatio in justitiâ quæ fuit ipsi naturalis ; unde elucet Christum nobis vitam æternam non meruisse nisi quatenùs gratiam benè agendi nobis promeritus est.

5° Explodi videtur ratione ex fidei principiis scaturiente, quam D. Augustinus locis citatis tangit. Tota bonorum operum excellentia, et æternam vitam merendi virtus, oritur ex Deo qui hanc ipsis per suam gratiam vim indidit ; *nemo* enim, ut docet Apostolus Rom. cap. 11, *prior dedit illi, ut ipsi retribuat, sed ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia.* At æternam vitam merendi vim bonis operibus non inseruit Deus, nisi quia se sponte adstrinxit ad æternam vitam iis operibus rependendam ; ratio scilicet propter quam mirabilem illam virtutem bonis operibus indidit ex eo unicè proficiscitur quòd sese priùs libenter obligaverit ad æternam vitam iis operibus retribuendam ; unde tota illorum operum condignitas in gratuitâ Dei promissione ultimò fundatur.

Secunda operi meritorio insidet ; quænam scilicet hominis justi bona opera æternæ vitæ *de condigno* sint meritoria.

Nonnulli, etiam insignes theologi, de quibus Sylvius in 1-2, q. 114, articulo 4, quæstione 2, censuerunt justi opera, etiam moraliter bona, id est, ex motivo non supernaturaliter sed naturaliter bono, elicita, esse æternæ vitæ me-

ritoria. Ipsis scilicet placet omnia prorsùs justi opera esse æternæ vitæ meritoria, vel demeritoria. Verùm hæc opinio à theologorum choro meritò rejicitur; videtur enim omninò repugnare concilio Tridentino sess. 6, cap. 16, ubi dicit, *bona justorum opera nullo pacto Deo grata et meritoria esse posse nisi Christi virtus ea antecedat, comitetur, et subsequatur*, id est, nisi ex Christi gratià fiant, et in Deum ut gratiæ auctorem tendant; et ejusdem sessionis can. 26, ubi ad æternæ beatitudinis meritum requirit ut eadem opera sint *in Deo facta*.

Alii existimant bona justi opera vitæ æternæ *de condigno* non esse meritoria nisi ex charitatis imperio actu vel virtute oriantur. Ita sentire videtur D. Thomas 1-2, q. 114, articulo 4, in c., ubi ait : « Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò, secundùm quod earum actus à charitate imperantur, » et in responsione ad 3 : « Actus patientiæ et fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hæc operetur, secundùm illud 1 Corinth. cap. 13 : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* » Concinit D. Bonaventura in 2, dist. 41, a. 1, q. 3. Concinunt Bellarminus libro 5 de Justificatione cap. 15, Tannerus, et alii insignes doctores.

Alii è converso, ut Sylvius in 1-2, q. 114, articulo 4, quæstione 1, et plures alii recentiores, censent æternæ vitæ esse meritoria justorum opera, quæ ex gratià actuali, et ideò ex motivo supernaturali eliciuntur, etsi à charitate vel actu vel virtute non imperentur. Actus, v. g., inquiunt, fidei, spei, Dei invocationis, gratiarum actionis, etc., justo æternam merentur vitam, etiamsi nullus in eo præcesserit actus charitatis, qui tempore quo fiunt perduret, sive cujus virtute exerceantur. Satis enim est ut per Spiritûs sancti gratiam fiant, et ideò ex fine supernaturali. Hanc sententiam probare aggrediuntur potissimum ex Scripturis, quæ referunt regnum cœlorum esse dandum propter opera misericordiæ, Mathæi cap. 25, et *eos qui bona fecerint in vitæ resurrectionem esse processuros*, Joannis cap. 5; item ex concilio Tridentino, quod locis mox commemoratis, ad justi operum meritum unicè requirere videtur ut sint *bona*, et *in Deo facta*. Hinc conjiciunt D. Thomam modò laudatum *per charitatis imperium*, quod ad actum meritorium necessarium dicit, nihil aliud intellexisse quàm actum, quo voluntas hominis justificati, sive charitate habituali præditi, per gratiam excitata fertur in honorem Dei, qui finis est charitatis.

Utrum hæc expositio verbis et menti D. Thomæ sit consona, vel non, judicent doctiores. Consultiùs sanè videtur huic Bellarmini loco modò citato doctrinæ inhærere : « Illa solùm opera meritoria sunt æternæ vitæ quæ ex naturà suà charitatem augent... omne enim meritum vitæ æternæ simul etiam incrementi charitatis meritum est; at charitas non augetur nisi per actus qui ex ipsà procedunt; id enim omnibus habitibus commune est; igitur illa solùm opera meritoria sunt æternæ vitæ, quæ vel sunt actus charitatis eliciti, vel imperati; » ex his autem, ni fallor, elucescit virum eruditum exprimere voluisse SS. Thomæ et Bonaventuræ de præsenti quæstione sententiam, et ideò non credidisse utrumque exponi posse, ut modò exposuerunt quidam recentiores. Hinc justus qui *de condigno* mereri voluerit, aut actus ex verà charitate eliciat, aut saltem actus in quos præcedens propriè dictæ charitatis actus, virtualiter perseverans, influat.

Tertia ex parte operantis, sive merentis inspicitur, utrum nempe ad meritum *de condigno* necesse sit ut operans actum suum ad Deum referat, vel actu, vel virtute, vel saltem habitu. Super istà quæstione facilè consentiunt theologi relationem actualem operis in Deum ut finem supernaturalem non requiri ut opus sit *de condigno* meritorium; sed non consentiunt an absolutè necessaria sit relatio virtualis, quæ nempe vera sit causa operum, quæ postea fiunt, an è converso sufficiat habitualis. Nonnulli enim sentiunt habitualem ordinationem in Deum, quam justus quilibet accipit ex habitu charitatis, qui in ipso residet, sufficere ut ejus actio referatur in Deum, et sit meritoria. At sentiendum est cum majore et saniore theologorum numero habitualem illam relationem non sufficere, sed omninò necessariam esse virtualem ut actus fiat *de condigno* æternæ vitæ meritorius. Etenim, si relatio habitualis in homine justo ex habitu charitatis enascens, sufficeret ut ejus actus essent æternæ vitæ meritorii, cuncta ejus opera necessariè in charitate vel ex charitate fierent ; quamdiù scilicet justus manet charitate habituali et ideò relatione habituali in Deum destitui non potest; at quàm falsa et periculosa ex hoc principio erumperent consectaria? Utquid, v. g., tam sollicitè Apostolus justos excitaret ad omnia opera in charitate facienda, et in gloriam Dei referenda, 1 ad Corinthios 10 et ultimo, si evenire non posset ut justi opera ex charitate et in charitate non

eliceréntur? Deinde nulla justi opera debito fine carere possent, et ideò nulla verba vel facta otiosa in eo unquàm reperirentur, siquidem ratione habitûs charitatis necessariè dirigerentur in Deum, ut finem supernaturalem et summum bonum. Demùm, sicut omnia opera hominis injusti, id est, habitualiter à Deo aversi, et ad creaturam ut finem ultimum conversi, per pravum illum habitum non diriguntur in præposterum finem, sive in creaturam ut finem ultimum, nisi ex illo habitu operetur (aliàs cuncta injusti opera necessariè essent peccata mortalia); ita omnia justi opera per habitum charitatis non ordinantur in Deum ut finem ultimum, nisi ex illo habitu ea eliciat, sicque illis operibus ordinationem in illum finem inserat. Porrò sedulò observa cum D. Bonaventurâ loco citato opus in Deum virtute referri non censeri nisi quando opus, v. g., misericordiæ, quod postea peragendum est, actu relatum fuit in Deum; tunc enim opera in Deum virtute relata censentur, cùm intentio præcedens est vera causa operum quæ postea fiunt; intendisti, v. g., infirmo propter Deum subvenire, et postea auxiliarem opem illi subministras; opus tuum in Deum virtualiter referetur, etiamsi dùm illud exerces nihil de Deo cogites; intentio enim virtualis ea dicitur quam operans nec retractavit, nec moraliter interrupit, cujus ideò vi et virtute postea agit. Igitur ut justus *de condigno* mereatur, sufficere non videtur ut anno incipiente, vel mense, vel etiam die generali intentione omnia sua opera in Deum referat.

Atque virtualem intentionem in justo, ut *ex condigno* vitam æternam promereri possit, exigunt ii ipsi doctores (saltem plures), qui ad istud meritum non requirunt ut opus fiat ex actu, vel imperio charitatis, sed sufficere autumant ut fiat in gratiâ, et ex gratiâ, et ideò ex fine æternam salutem spectante, quales sunt actus fidei, spei, misericordiæ, ut supra exposuimus.

COROLLARIUM.

Ex dictis meritum *de condigno* definiri aut describi debet: *Opus liberum*, id est, non coactionis solùm, sed etiam cujuslibet necessitatis etiam simplicis et relativæ expers, *bonum ab homine viatore et justo, ex actu vel imperio charitatis factum, et ideò in Deum ut summum bonum virtualiter saltem relatum, cui ex justitiâ* (licet non rigorosâ ut aiunt) *et ex gratuitâ Dei promissione vita æterna à Deo debeatur.*

§ 2. *Referuntur conditiones meriti imperfecti, sive* de congruo, *propriæ.*

Nulla aut parva viget apud theologos dissensio circa dotes meriti imperfecti, sive, ut aiunt *de congruo*, seu *ex congruitate*. Etenim 1° consentiunt meritum illud non competere nisi homini viatori; quodlibet enim meritum etiam imperfectum, nonnisi in præsenti vitâ locum habet, cùm altera mercedis et præmii, non meriti, sit vita. 2° Fatentur idem meritum justitiâ habituali, sive gratiâ sanctificante necessariè non inniti. Etenim per actus pietatis peccator nondùm gratiâ justificante insignitus cœlesti præveniente et excitante auxilio sese ad gratiam justificationis disponit, ut docet concilium Tridentinum sess. 6, cap. 5 et 6. 3°. Concedunt idem meritum necessariè complecti sive includere actum liberum, bonum et supernaturalem. Scilicet, quidquid imperfecto etiam modo aliquid meretur, absolutè bonum et liberum esse debet. Aliunde, cùm meritum *de congruo* sontem disponat ad justificationis gratiam, ut modò ostendimus, necesse est ut sit supernaturale, sive ex cœlesti gratiâ oriatur; « si quis enim, inquit concilium Tridentinum sess. 6, can. 3, dixerit sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. » 4° Assentiuntur in merito *de congruo* non requiri, sicut in merito *de condigno*, ex parte Dei promissionem; Deus quippe nullo obligationis promissionisve titulo tenetur ad præmium huic merito rependendum, quod ipsi reipsà non impertit nisi quia decet divinam ejus bonitatem et misericordiam illud ipsi impertiri. Præterea, cùm meritum illud opus supernaturale essentialiter includat, de se congruum est ad illud obtinendum quod ipsi rependi decet.

COROLLARIA. Primum. Meritum imperfectum, sive de congruo, definiri vel describi debet, *opus liberum, bonum à viatore ex præveniente Spiritûs sancti inspiratione et adjutorio elicitum, cui non ex injustitiâ Deive promissione, sed ex aliquâ decentiâ et congruitate rependi debet id ad quod tendit et refertur.*

Secundum. Meritum *de congruo* à merito *de condigno* in his præsertim discrepat: 1° Meritum *de condigno* est *propriè et simpliciter* meritum; è converso, meritum *de congruo* est duntaxat meritum *impropriè et secundùm quid*, ut aiunt, quia non æquivalet rei quæ ipsius intuitu conceditur... 2° Meritum *de condigno* justitiâ innititur, et ideò sic merenti præmium ex justitiâ debitum est; è converso, meritum *de congruo* innititur misericordiâ et decentiâ....,

3° Meritum *de condigno* non competit, ut diximus, nisi homini justo, et operi facto vel ex charitatis actu, vel ab ipsâ imperato; secus meritum *de congruo*, ut ostendimus.

ARTICULUS TERTIUS.

De meriti objecto, sive quasnam res attingit meritum?

Meritum perfectum, sive de condigno, de quo hîc instituitur controversia, respicere potest primam gratiam sanctificantem, ejusve incrementum, perseverantiam usque in finem, et vitam æternam. Hæc seorsim expendemus, additâ quæstione de bonorum operum remuneratione supra condignum ut Michaelis Baii doctrina ultimò tandem disperéat.

§ 1. *Utrum prima gratia sanctificans, ejusve augmentum merito obnoxia sit?*

Quæstio proponitur de primâ gratiâ sanctificante, sive habituali, non de primâ gratiâ actuali disponente ad justificationem; constat enim neminem posse, *de congruo* mereri primam gratiam actualem; aliàs, ut arguit Apostolus, *gratia non esset gratia,* sive gratis data, et aliquis solis naturæ viribus sese ad gratiam præparare posset, et ex peccato emergere, qui error fuit Pelagianorum et Semipelagianorum. Neque dicas esse congruum ut facienti viribus liberi arbitrii bonum morale facile Deus misericordiam impendat potiùs quàm illi qui illud bonum non facit. Nam 1°, certum non est hominem lapsum ejusmodi bonum sine gratiâ (à charitate distinctâ) elicere posse; imò id ipsum non posse sine illâ gratiâ probabilius est, ut antea ostendimus... 2° Quod est congruum, non semper oritur ex merito *de congruo;* congruum est enim, v. g., divitem pauperi eleemosynam impertire, etsi illam non postulet, neque *de congruo* mereatur... 3° Solitis liberi arbitrii opera non possunt congruitatem habere ad gratiam, quæ est bonum supernaturale..... 4° Gratia non satis esset gratia, sive gratuita, si homo per suas vires eam, etiam *de congruo* promereretur.

Prima autem gratia justificans, sive habitualis, de quâ disserimus, non ea duntaxat est quam quis primitùs recepit, cùm ex infideli evasit fidelis, sed etiam ea quæ justo in peccatum mortale lapso infunditur, cùm per pœnitentiam cum Deo reconciliatur. His præmissis sit

CONCLUSIO. — Nemo primam gratiam sanctificantem *de condigno* promereri potest; sed potest quis eam *de congruo* mereri. Justus verò secundam gratiam justificantem, id est, augmentum gratiæ sanctificantis *de condigno* mereri potest.

Probatur prima pars, id est, neminem primam gratiam sanctificantem *de condigno* promereri posse; probatur, inquam, 1° ex Apostolo Rom. cap. 3 dicente, justificari homines *gratis per gratiam,* quod in eadem Epistolâ cap. 4, 6 et 11, et alibi passim repetit et confirmat... 2° Ex D. Augustino qui libro de Patientiâ, cap. 20, n. 17, ex effato Davidis Psalmo 55, *pro nihilo salvos facies illos,* probat gratiam *nullis bonis meritis dari, sed merita dare*... 3° ex concilio Tridentino, quod sessione 6, cap. 8, dicit: *Nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur...* 4° Ex ratione, sive radice meriti *de condigno.* Radix scilicet illa est prima gratia habitualis, sive sanctificans, ut ante ostendimus; sed radix meriti non cadit sub meritum: ergo.

Probatur secunda pars, id est, aliquem posse primam gratiam sanctificantem *de congruo* mereri; probatur, inquam, 1° ex D. Augustino. Tractatu 44 in Joannem n. 13, hæc habet: « Si peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terram dimittens et pectus suum percutiens diceret: *Domine, propitius esto mihi peccatori,* et ista confessio meruit justificationem quomodò iste cæcus illuminationem. » Idem argumentum tractans epistolâ 194 ad Sixtum cap. 3, n. 9, ait: « Possunt quidem dicere remissionem peccatorum (quam prima gratia habitualis necessariè comitatur) esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur; quid enim habere boni meriti (de condigno) possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est (de congruo), si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei, quâ fide ille dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori,* Lucæ cap. 18, » etc. Concinit D. Ambrosius variis in locis, v. g., libro 10 in Lucam, ubi de D. Petro ait: *Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur... et si tu vis veniam mereri, dilue lacrymis culpam tuam.* Sontes igitur fideles peccatorum remissionem et ideò justificationem merentur; sed illam non *de condigno,* cùm habituali charitate sive gratiâ sanctificante, quæ fons est illius meriti, destituantur; ergo, etc. 2° Ex ratione; nulla enim ex conditionibus ad meritum de congruo requisitis desideratur in actibus fidei, spei, pœnitentiæ, etc., quos per actualem Dei gratiam ante justificationem producit peccator, ut ad eas attendenti illicò fit exploratum.

Probatur tertia pars, id est justum *secundam* gratiam sanctificantem, sive gratiæ sanctificantis augmentum, *de condigno* mereri posse;

probatur, inquam, 1° ex D. Augustino, epistolâ 186 ad Paulinum, cap. 3, n. 10, ubi ait : « Cùm fides impetrat justificationem, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pedissequâ, non prævià voluntate. » Ecce hominem justificatum, cujus gratia sanctificans meretur augeri.... 2° Ex concilio Tridentino quod sess. 6, can. 32, definit, « justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, verè mereri augmentum gratiæ... » 3° Ex ratione, per quam evincitur inesse posse bonis istius justi operibus cunctas dotes merito *de condigno* essentiales.

Secunda pars assertionis, quæ nonnullis theologis non infimæ notæ non est accepta, majorem quàm duæ aliæ partes patitur difficultatem, quæ difficultates ut liquescant, sint

Principia solutionum. — Primum. Cùm dicimus peccatorem *de congruo* mereri posse primam gratiam habitualem, non depingimus actuale auxilium, quo Deus sontem prævenit, vocat et excitat, aut collectionem omnium auxiliorum quæ è cœlo in peccatorem stillant à primâ ejus vocatione usque ad justificationis impetrationem; sic enim considerata merito etiam *de congruo* non subjacet; sed delineamus gratiam habitualem, quæ eo momento instillatur quo peccator justificatur, per quam scilicet *formaliter* sanctus sive Deo gratus efficitur. Primam gratiam habitualem sub primo, non sub secundo respectu inspexit D. Augustinus cùm epistolâ 194 ad Sixtum et alibi dixit : *Ut justi fierent merita non fuerunt,* etc. Eodem sensu exponendus est D. Thomas 1-2, q. 114, articulo 4, ubi negat *primam gratiam cadere sub merito.*

Secundum. Solus Christus, de cujus *plenitudine nos omnes accepimus*, Joannis cap. 1, potuit primam gratiam aliis mereri *de condigno ;* justus tamen potest eam alteri de congruo mereri ; unde Jacobi cap. ultimo dicitur *multùm valere deprecationem justi assiduam*, et Augustino dicente : *Si Stephanus non orâsset, Ecclesia Paulum non haberet.* Pariter legitur in vitâ B. Monicæ ipsam impetrâsse à Deo filii sui Augustini conversionem.

§ 2. *Utrum perseverantia usque in finem merito subjaceat?*

Perseverantia, de quâ movetur quæstio, est *magnum illud et speciale* Dei donum, quo Deus efficit ut justus in justitiâ permaneat usque ad mortem.

Conclusio. — Justus non potest perseverantiam *de condigno* mereri, potest tamen *de congruo*, præsertim si multa et crebra pietatis opera exerceat. Prima pars cunctis theologis, et eorum principi D. Thomæ 1-2, q. 114, artic. 9, est probata. *De reparatione post lapsum*, inquit Bellarminus lib. 5 de Justificatione cap. 22, *et perseverantiâ usque in finem, concors est sententia theologorum ea non cadere sub merito de condigno.*

Probatur prima pars, sive finalem perseverantiam merito de condigno non subjacere; probatur, inquam, 1° ex Scripturis. Ad meritum de condigno requiritur, ut diximus, ex parte Dei aliquod pactum, aliquave promissio ; sed Scriptura et traditio, ubi de perseverantiâ disserunt, non solùm illud pactum non referunt, sed etiam illud non existere suadent ; docent quippe *beatum esse hominem qui semper est pavidus*, Proverbiorum cap. 28, et Epistolâ ad Philippenses cap. 2, v. 12, eum qui *se existimat stare, videre debere ne cadat,* Epistolâ 1 ad Corinthios cap. 10, fideles non alta sapere, sed timere debere ne Deus fortè ipsis non parcat, sicut naturalibus ramis (Judæis) non pepercit, Epistolâ ad Romanos cap. 11, etc. ; et ideò Deum enixè et constanter exorandum esse *ne nos inducat in tentationem*, etc.

Possentne, quæso, fideles hos sensus animo volvere, si certi forent perseverantiæ donum ex Dei decreto operibus suis bonis infallibiliter esse impertiendum? Hâc ex causâ concilium Tridentinum sess. 6, can. 32, enumerans varia objecta meriti *de condigno*, interea non recensuit magnum usque in finem perseverantiæ donum quod agnoverat et extulerat can. 16 .. 2° Ex ratione. Si perseverantia usque in finem merito de condigno subjaceret, justus qui piis et supplicibus votis illam perseverantiam à Deo petiisset, reprobus effici non posset (ut somniaverunt Jovinianus et Calvinus) ; meritum enim condignum, utpote divinâ promissione et verâ justitiâ innixum, suum infallibiliter obtinet effectum; falsum et absurdum consequens; sæpè enim, ut passim observat. D. Augustinus, *sternuntur cedri Libani, et stellæ cadunt de cœlo,* id est, viri pietate magni et illustres in hæresim, apostasiam, peccatum mortale proruunt, et postea in infernum præcipitantur. Ergo.

Probatur secunda pars, sive finalem perseverantiam merito de congruo impetrari posse ; probatur, inquam, 1° ex D. Augustino. Libro de Dono perseverantiæ cap. 6, n. 10, ait : *Hoc donum* (perseverantiæ finalis) *suppliciter emereri potest, sed cùm datum fuerit, contumaciter amitti non potest* (potentiâ cum actu conjunctâ ; duæ scilicet istæ propositiones, ut antea ob-

servavimus, simul stare possunt : *Petrus habet donum perseverantiæ; Petrus potest non perseverare si velit;* secùs istæ : *Petrus habet donum perseverantiæ; Petrus non perseverabit;* donum enim perseverantiæ homini non eripit potestatem non perseverandi si velit, sed facit duntaxat ut cùm possit non perseverare, infallibiliter tamen perseveret). Porrò S. doctor manifestè loquitur de merito *de congruo,* quòd nempe pro Dei beneplacito remuneretur dono perseverantiæ in justis quos Deus voluerit specialiter incitare et adjuvare ad perseverantiam; non de merito *de condigno;* aliàs nullus justus qui hoc donum à Deo postulâsset et piè vixisset, à justitiâ postea excideret, quod sanè falsum est... 2° Ex Oratione Dominicâ, quâ petitur ut *Dei nomen sanctificetur, fiat ejus voluntas,* et *ne nos* Deus *inducat in tentationem;* item ex publicis Ecclesiæ precibus quibus in hunc modum oratur : *Fac nos tuis semper obedire mandatis, et à te nunquàm separari permittas,* etc. His scilicet nihil aliud efflagitatur quàm perseverantia in pietatis operibus; sed ista petendi ratio non fit sine fiduciâ à Deo impetrandi quod petitur fundatâ ex parte saltem in vi et virtute obtinendi quæ orationi inest. Hæc autem vis nihil aliud est quàm meritum congruum. Hinc cùm D. Thomas 1-2, q. 114, art. 9, dixit, *sub meritum non cadere quod oratione impetratur,* excludere duntaxat intendit ab oratione meritum condignum, non congruum, aliàs D. Augustino non assensisset.

Objicies 1° : Media ad finem tam merito de condigno subjacent quàm ipse finis, qui est vita æterna, ex omnium consensu subjacet merito *de condigno,* et perseverantia est medium ad illum finem ; ergo— Resp. 1°, primam gratiam esse quoque medium ad finem, sive æternam vitam, et tamen non cadere sub meritum. Resp. 2°, justum aliqua media ad finem necessaria *de condigno* mereri posse, v. g., augmentum gratiæ et charitatis, quod ad perseverandum multùm conducit ; aliqua è converso non posse ex condigno mereri, v. g., perseverantiam usque in finem, qui illa non ista à Deo ut præmium et merces proposita sunt et promissa. Hinc licet Deus orantibus *sicut oportet* se quidquid petierint daturum esse pollicitus sit, non ideo extat aliqua, de perseverantiæ dono tanquàm præmio et mercede orantibus concedendo promissio ; una enim ex bonæ orationis dotibus est ut sit constans et perseverans ; at ista orationis perseverantia tanquàm merces præcedentium orationum vel operum à Deo non est promissa.

Objicies 2° : Perseverantia usque in finem est continua bonorum operum productio per gratias efficaces sibi invicem succedentes ; sed justus de condigno mereri potest continuam illam auxiliorum efficacium seriem ; potest enim unum de condigno mereri ad illud opus eliciendum ; deinde alterum ad faciendum aliud opus, et sic de cæteris. Etverò, potest de condigno mereri augmentum gratiæ habitualis ; quidni et unum auxilium actuale efficax ? ergo. —Resp. : Nego minorem. Justus enim per bonum opus præteritum vel præsens nequaquàm de condigno mereri potest aliquam gratiam efficacem sequenti momento concedendam ad aliud bonum opus eliciendum. Gratia equidem, ex quâ factum est præteritum illud vel præsens bonum opus satis virium habet ad illud aliud auxilium promerendum *intrinsecè,* sed non *extrinsecè,* id est consideratâ Dei voluntate, sive ordine ab illo *volito* et constituto. Noluit nempe ut inter unum bonum opus præteritum vel præsens, et aliud futurum, sive inter actuale auxilium priùs impertitum, et posteriùs impertiendum, esset ordo meriti ad mercedem ; quod aliunde satis apparet ; aliàs unico bono opere justus posset in gratiâ stabiliri, et impeccabilis evadere, quod profectò falsum est et absurdum ; hinc ad confirmationem argumenti elucet disparitas ; sese scilicet adstrinxit Deus ad concedendum bonis justorum operibus gratiæ augmentum, non ita ad eis concedendum auxilium efficax.

Principia solutionum.—Primum. Ratio propter quam perseverantia usque in finem merito de condigno non subjacet, præcipuè desumitur ex defectu Dei pacti vel promissionis illud donum ex justitiâ dandi. Hujus rationis consideratione concidunt cuncta argumenta *à pari* quæ hìc proponi solent.

Secundum. Quam ex congruo mereri possunt perseverantiam usque in finem certissimè obtinebunt justi, si toto vitæ curriculo toties ut oportet oraverint, quoties sibi invicem successerint præcepta adimplenda, et bona opera patranda, ita ut precibus operam semper impendant et nunquàm deficiant donec justitia cum morte conjungatur.

Tertium. Justus potest alteri impetrare perseverantiam, sive cœleste adjutorium ad perseverandum, non autem eam ipsi mereri saltem de condigno, quia impetratio misericordiâ, è converso meritum de condigno justitiâ innititur.

Quartum. Ex eo quòd impius indurationem

saltem imperfectam in peccato mereatur, ne inferas *à contrario* justum in bono perseverantiam posse mereri, quia homo, ut ait Augustinus, *de suo malus est, de Deo verò bonus.*

§ 3. *Utrùm meritum* de condigno *vitam æternam attingat?*

Nonnulli theologi censent vitam æternam bonis justorum operibus ex justitiâ non deberi, sed solùm ex fidelitate, et ideò Deum, si eam non rependeret illis operibus, mendacem quidem esse futurum, sed non injustum.

Alii, ut refert Bellarminus libro 5 de Justificatione, cap. 20, sentiunt vitam æternam, quoad *primum gradum* spectatam, id est, quoad speciem, cadere sub meritum condignum, quia sic considerata omnibus, qui Dei filii per baptismum effecti sunt, jure hæreditatis debetur, non ita quoad insigniores alios gradus qui eodem jure illis filiis non debentur.

Alii tandem, eodem referente Bellarmino ibidem, concedunt vitam æternam (quoad speciem sive primum gradum), meritis operum rependi, si dilectio Dei, quæ ultimò disponit ad justificationem, oriatur ex gratiâ justificationis, et eam sequatur; secùs si ex illâ non oriatur.

Conclusio. — Vita æterna quoad insigniores etiam gradus merito de condigno subjacet.

Ita docet D. Thomas 1-2, q. 114, artic. 1; Bellarminus loco citato; Sylvius in commemoratum D. Thomæ locum, et alii vulgò theologi.

Probatur 1° ex Scripturis. Si quædam bona opera secundùm aliquem justitiæ modum remunerari debent, illa profectò opera sunt de condigno meritoria; bonum quippe opus meritorium *de condigno* dicitur quia illi præmium sive merces debetur ex aliquâ justitiâ; dignitas enim sive condignitas propriè importat relationem sive ordinem ad debitam mercedem; atqui bona justorum opera, quatenùs ex gratiâ et charitate oriuntur, ex *quâdam justitiâ* vitæ æternæ retributione remunerari debent; ergo verè et propriè sunt ex condigno æternæ vitæ meritoria. Probatur minor propè innumeris testimoniis inter quæ ista sufficiant. Sapientiæ cap. 5 legitur: *Justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum...* Isaiæ 40: *Dominus Deus in fortitudine veniet,... ecce merces ejus cum eo...* Matthæi cap. 5: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis...* Joannis 4: *Qui metit mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam...* Ad Galatas cap. 6: *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam...* Epistolâ ad Colossenses cap. 3: *Quodcumque facitis ex animo, operamini sicut Domino, et non hominibus, scientes quod à Domino recipietis retributionem hæreditatis...* 2 ad Timotheum cap. 4: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ....* Jacobi cap. 1: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se...* Apocalypsis cap. 22 sive ultimo: *Ecce venio citò, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua*, etc.

Hæc et similia oracula eludere conantur 1°, reponendo vitam æternam dici *coronam justitiæ* eo sensu quòd Deus, qui est justus judex, non justitiæ sed liberalitatis titulo vitam æternam tanquàm coronam sit repensurus; at manifestè falluntur; Apostoli enim verba 2 ad Timotheum 4 evidenter significant Deum futurum esse justum judicem, quia vitæ æternæ coronam est redditurus. Saltem D. Augustinus ea sic intellexit tractatu 3 in Joannem n. 10: *Audi*, inquit, *Apostolum* (2 ad Tim. 4) *jam flagitantem debitum, qui primò indebitam susceperat gratiam...* ut ante susciperet *gratiam, misericordem Patrem opus habebat, ut præmium gratiæ, judicem justum...* 2° Respondendo vitam æternam lato sensu vocari *mercedem;* nimirùm pro retributione ex beneficentiâ Dei, non ex justitiæ debito emanante; sed iterùm hallucinantur. Vita quippe æterna relatis in oraculis *merces* nuncupatur, quia à justo judice est rependenda, quia, ut dicitur Rom. cap. 4, *ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*, quia eodem modo merces reputatur quo messoribus aut vinitoribus denarium repensum merces et præmium appellatur, etc.... 3° Dicendo mercedem, de quâ mentio est in aliquibus saltem illis testimoniis, non esse vitam æternam; quod rursùs falsum esse patet; de eâ enim mercede sermo est quæ in judicii die electis est rependenda; hæc autem merces est regnum cœlorum, et ideò æterna vita, Matthæi cap. 25.... 4° Interpretando relatos textus non de æternâ vitâ simpliciter, sed de vitæ æternæ sive gloriæ incremento, quod reipsâ est bonorum operum præmium, quæ solutio respuitur ab illis textibus in quibus ipsum vitæ æternæ augmentum proponitur ut merces bonis electorum meritis reddenda: *Qui reliquerit patrem vel matrem, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit*, Matthæi cap. 19; *qui parcè seminat parcè et metet*, Epistolâ 2 ad Corinthios, cap. 9, etc. Quare primus gradus æternæ vitæ, id est vita æterna simpliciter, debetur quidem filiis adop-

tionis jure hæreditatis, sed ipsorum etiam meritis titulo præmii et mercedis retribuetur; unde hoc erit discrimen, præter gloriæ amplitudinem, inter infantes cum baptismo mortuos, et adultos cum Christo regnantes, quòd illi solo titulo hæreditatis, isti et titulo hæreditatis et titulo meritorum æternâ vitâ fruentur.... Ultimò, exponendo commemoratas sententias hypotheticè sive conditionatè, si nempe merita justorum oriantur ex dilectione Dei ex gratiâ justificationis enatâ. Verùm, quid sibi velint hujus modi systemate et solutione non liquet; vel enim dilectio illa, quæ est ultima dispositio ad justificationem, præit justificationi, sive gratiæ adoptionis, vel non; si primum, non poterit *de condigno* mereri vitam æternam, cùm isti merito necessariò præire debeat gratia justificans, ut antea ostendimus; si secundum, poterit æternam vitam *de condigno* mereri titulo, ut dictum est, præmii et mercedis.

Probatur 2° ex S. Augustino, et Ecclesiæ decretis, in quæ ejus effata, sive pronuntiata, sunt relata. Ejus testimonia in Psalmos 83 et centesimum, etc., jam adduximus, quæ ferunt Deum esse *donatorem indulgentiæ et debitorem coronæ, donando delicta se fecisse debitorem coronæ*, etc. Novum prodeat. Epistolâ 155, aliàs 52, cap. 4, n. 16 ait: « His virtutibus divinitùs impertitis... et bona vita nunc agitur, et postea præmium ejus, quæ nisi æterna esse non potest, beata vita persolvitur; hìc enim sunt eædem virtutes in actu, ibi in effectu, hìc in opere, ibi in mercede, hìc in officio, ibi in fine. » Hinc concilium Arausicanum secundum hæc can. 18 sancivit: *Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant;* quæ, ut dictum est, de novo declarata sunt in concilio Tridentino sess. 6, cap. 16, et canone 32. Quare meritò Sylvius in 1-2, q. 114, articulo 1, conclusione 2, dixit: « Sententia quæ asserit hominis (justi) ad Deum meritum verè ac propriè dictum est fide certa.... Quæ verò asserit meritum de condigno est ita certa ut ejus opposita sit multùm temeraria, quia licet Scripturæ vel concilia non clarè affirment meritum cum his terminis *de condigno*, rem tamen ipsam asserunt, » eaque sic « jam olim intellexit scholasticorum usus, et consensus unanimis, à quo temerarium est recedere. »

Probatur 3° ex ratione. Nulla scilicet ex conditionibus ad meritum de condigno relativè ad vitam æternam deest bonis justorum operibus; sunt enim, ut supponitur, justi viatores, eorum opera libera sunt, bona, supernaturalia à charitate nempe elicita vel imperata, et aliunde adest Dei pactum, sive promissio, quâ sese adstrinxit ad rependendam vitæ coronam diligentibus se, ut dicitur Jacobi cap 1. Hinc Apostoli dictum Rom. cap. 8: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, etc., intelligendum est, ut antea observavimus, de passionibus ratione essentiæ suæ, acerbitatis et durationis consideratis, non ratione gratiæ ex quâ piè à justis tolerantur, et Christi meritorum, et promissionis Dei, quibus innituntur; sub hoc enim respectu inspectæ, earum dignitas, licet non actu, virtute tamen et potentiâ par est dignitati æternæ gloriæ, sicut *semen virtute est æquale arbori*, inquit D. Thomas 1-2, q. 114, articulo 3, ad 3. Unde Apostolus, 2 ad Thessalon censes cap. 1, v. 5, hanc bonorum justi operum præstantiam, sive æqualitatem respectu vitæ æternæ quodammodò agnovit dicendo: *Ut digni habeamini regno Dei.*

Objiciunt 1°: Vita æterna sæpiùs in Scripturis dicitur *gratia*; v. g., Psalmo 102, Rom. cap. 6, v. 11, ad Ephesios cap. 2, ad Titum cap. 3, etc.; sed gratia non est merces, et merito subjacere nequit; ergo. — Resp. 1° vitam æternam sæpiùs etiam iisdem in Scripturis vocari *mercedem, præmium, coronam*, etc., ut ostendimus. Resp. 2° vitam æternam, cùm sacris in Litteris dicatur *gratia et merces*, esse reipsà *gratiam et mercedem;* mercedem quidem ratione bonorum operum quibus tanquàm justitiæ corona rependitur, ut passim docet D. Augustinus, v. g., epistolâ 196 ad Sixtum, libro de Correptione et Gratiâ cap. 13, libro de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 8, etc. Gratiam verò variis ex causis quas SS. Patres passim referunt 1°, quia meritis redditur quæ sunt Dei dona, id est quæ præcipuè ex gratuito Dei auxilio oriuntur. Ita D. Augustinus locis citatis... 2° Quia electis gratis ab æterno destinata est, licet ejus consecutio nonnisi ex meritis obtineatur. Ita D. Fulgentius libro 3 de Veritate prædestinationis, versùs exordium, etc.... 3° Quia gratuitò fuit promissa velut merces bonorum operum, sive quia gratuitum est promissum, non tamen ex misericordiâ (in tempore), sed ex justitiâ solvendum. Ita D. Bernardus in tractatu de Gratiâ et libero Arbitrio. Equidem Apostolus Rom. cap. 6, non vocavit vitam æternam *stipendium justitiæ*, quemadmodùm vocavit mortem *stipendium peccati*, licet reipsà sit justitiæ stipendium. Verùm ra-

tionem affert D. Augustinus epistolâ 196, loco antea citato, ne scilicet homo, in cujus medullis quasi perpetuò ebullit superbia, de meritis suis gloriaretur. Unde S. doctor sic eumdem hominem compellat : *Si accepturus es vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est et ipsa justitia.*

Objiciunt 2°: Meritum condignum essentialiter includit condignitatem sive dignitatis paritatem, ut ipsa vox evincit; sed nulla existere potest dignitatis sive excellentiæ paritas inter actum hominis etiam justi meritorium, et vitam æternam, nisi dixeris actum finitum præstantiâ adæquare posse objectum infinitum, sive Deum qui *est merces nostra magna nimis* ; ergo.

Resp. istud argumentum ex ante dictis ad Apostoli oraculum, *non sunt condignæ passiones*, etc., prorsùs evanescere. Ita scilicet Apostolus excellentiæ inæqualitatem inter actus justi meritorios et æternam gloriam prædicavit, Rom. cap. 8, ut tamen quamdam dignitatis paritatem eos inter agnoverit 2 ad Thessalonicenses, cap. 1, v. 5. Quare quæ diximus exponendo commemoratum oraculum, *non sunt condignæ*, etc., hic locum habent.

Alias novatorum objectiones magnâ ex parte diluimus articulo primo hujus capitis, ubi veri et propriè dicti meriti existentiam vindicavimus. His aliunde solvendis vires subministrabunt sequentia.

Principia solutionum. — Primum. Bona justorum opera vitam æternam de condigno merendi virtutem habent *non ex se præcisè*, sed ex Dei remunerantis misericordiâ sive gratiâ, quatenùs scilicet Deo adjuvante in charitate et ex charitate fiunt, sicque æqualitatem et proportionem acquirunt cum æternâ vitâ, id est, non cum Deo qui infinitus est, sed cum æternâ Dei fruitione, qui est actus creatus et finitus. Hinc illa opera sunt meritoria de condigno *simpliciter* tantùm, ut aiunt, sive lato sensu, non rigorosè, sive stricto modo, quia meritum de condigno rigorosè acceptum perfectam operis æqualitatem et proportionem cum mercede importat independenter ab ullâ remunerantis gratiâ; quod meritum solius Christi, qui est Homo-Deus, proprium fuit.

Secundum. Licet relata justorum opera æternæ vitæ de condigno *simpliciter* sint meritoria quatenùs Deo auxiliante in charitate et ex charitate facta æqualitatem et proportionem cum sempiternâ Dei fruitione obtinent, Deus tamen secluso pacto, sive liberâ suâ promissione, æternam mercedem, sive sempiternam sui visionem, illis operibus ex justitiâ rependere non teneretur; scilicet in humanis etiam opus aliquod, etsi eximium, id est, præmio, de quo res est, æquale, non potest tamen alium obligare ex justitiâ ad præmium illud rependendum, nisi priùs intervenerit promissio ex parte remunerantis; quis enim vinitori, qui non conductus per hebdomadam vineto excolendo assiduam et fructuosam impendit operam, mercedem ex justitiâ reddendi onus imposuerit? Quis in agone contendenti et victori coronam sublatâ de eâ reddendâ conventione ex justitia deberi dixerit? etc. Quòd si homo homini condignum etiam meritum offerenti mercedem ex justitiâ simpliciter non debet, quantò magis Deus, qui supremus est et absolutus Dominus, cujus idcircò *omnia sunt*, nullâ ex parte sui intercedente promissione, merita etiam æqualia, sive condigna, exhibenti justo æternam vitam velut mercedem jure persolvere non tenebitur? Igitur, cùm Deus promiserit vitæ æternæ coronam legitimè, id est condignè, certantibus, eam ipsis debet non ex fidelitate tantùm sed etiam ex justitiâ quando condignè certaverunt, ex justitiâ, inquam, fundatâ in illorum laborum condignitate et Dei promissione. Quamobrem Augustinus supra meritò dixit, *Deum donando delicta se fecisse coronæ debitorem*, et ipso duce D. Thomas Deum nobis non esse propriè et simpliciter debitorem, sed sibi ipsi.

Tertium. Ut magis ac magis os obstruatur novatorum, qui perpetuò obtrudunt nos justitiam propriè dictam Deum inter et homines introducere reclamante Job cap. 22 : *Quid prodest Deo si justus fueris? aut quid ei confers si immaculata fuerit via tua?...* Reclamante Apostolo Epistolâ 1 ad Corinthios cap. 4 : *Quid habes quod non accepisti?...* Reclamante Augustino, *nil Deus in nobis præter sua dona coronat*, etc., ut, inquam, continuæ illæ declamationes omninò concidant, etc., hæc tecum ipse considera et attentè recogita.

Aliquam quidem justitiam Deum inter et homines admittimus cum sacris auctoribus et Augustino supra laudatis, sed justitiam, non qualis est inter hominem et hominem, id est iis nævis conspersam, quibus inspergitur justitia humana, sed quæ tota radicitùs, ut dictum est, ex Deo proficiscitur qui bona opera nobis dedit, et eorum præmium vitam æternam liberè promisit : at illa donatio et promissio non impedit quominùs eâ suppositâ vera sit Deum inter et homines justitia etiam secundùm nos-

trum concipiendi modum. Etenim justitia ex se præcisè est constans et perpetua voluntas reddendi unicuique quod suum est; quòd enim qui justitiâ inter se adstringuntur possint sese invicem cogere ad justitiæ rationem propriè non pertinet; at in hypothesi etiam quòd Deus nobis dederit omnia bona opera nostra, id est gratiam ad ea producenda, aliquid etiam ex parte nostrî nostrum esse poterit; si enim, v. g., alicui dederis decem aureos, illi sanè aurei ex justitiâ ipsius erunt; ergo à pari bona opera à Deo nobis data sunt nostrî, sive jure eorum sumus domini; ergo, cùm interveniente Dei promissione vita æterna operibus nostris rependitur, operibus quæ ex justitiâ ad nos pertinent, redditur. Etverò Scriptura ita passim asserit Deum nobis dare ut simul etiam ei demus: *Fili, præbe mihi cor tuum; esurivi et dedistis mihi manducare,* Matthæi cap. 25, etc.; sed qui dat aliquo modo rei quam dat est dominus. Item Scriptura ubique refert Deum nobis dare; at donatio confert jus in re. Deus, fateor, sibi semper retinet jus supremum; at ista retentio veram donationem non tollit, sicut rex dando agrum sibi quidem retinet jus regale in illum agrum, sed tamen illius dominium reverà transfert; aliquatenùs igitur intelligitur quomodò ex aliquâ justitiâ Deus aliquid nobis debet, etiamsi omnia nobis dederit. Ita Gamachæus in 1-2, q. 114, cap. 1.

Quartum. Vita æterna est hæreditas simul et merces. Ut hæreditas, debetur filiis adoptionis absque meritis personalibus; ut merces, meritis rependitur.

Quintum. Deus ut *Dominus absolutus* creaturam operibus bonis affluentem de potentiâ *absolutâ* sine injustitiâ vitâ æternâ destituere potest eam in nihilum reducendo, secùs ut *justus judex,* et de potentiâ *ordinariâ* et suis promissis subditâ.

Sextum. Cùm SS. Basilius in Psalmum 114, Gregorius Nyssenus libro 9 Moralium cap. 14, etc., dicunt vitam æternam tanquàm *debitum* operibus non reddi, loquuntur de operibus sine gratiâ factis.

Septimum. Cùm D. Bernardus serm. 1 de Annuntiatione scripsit vitam æternam meritis hominum *ex jure* non deberi, jus duntaxat absolutum et rigorosum explodit, non innixum Dei gratiâ et promissione.

§ 4. *Utrum Deus justorum merita supra condignum remuneret?*

Negavit Andreas Vega, celebris theologus ex Ordine Minoritarum, qui concilio Tridentino interfuit; negaverunt et alii. Verùm illa opinio à tempore Constitutionis Pii V adversùs Baium temerè omninò et inconsultò, ne quid ampliùs dicam, in scholis propugnaretur. Quare sit

Conclusio. — Deus ex merâ beneficentiâ bona electorum opera ultra condignum in alterâ vitâ remunerat. Ita fert aut ferre videtur censura adversùs hanc Michaelis Baii propositionem numero 15: *Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem quàm justo Dei judicio mereantur accipere.*

Probatur 1° ex sacris Litteris.

Lucæ cap. 6, Christus, prænuntians quæ in alterâ vitâ eventura sunt ait: *Date, et dabitur vobis; mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum;* hujus sanè oraculi hic, ut observat Theophylactus, sensus est: « Sicut farinam mensurus accumulas, concutis, et exundare facis, siquidem parcè metiri non vis, et ita Dominus mensuram magnam, et exundantem in die judicii tibi rependet. » Matthæi cap. 20, vineæ parabola proponitur, et operariis, qui etiam integrum diem culturæ non impenderant, diurnum denarium rependitur, idque non ex justitiâ, sed ex munificentiâ, ut indicant ista Domini verba: *Volo huic dare sicut et tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum.* Porrò, ista parabola supremi Domini et judicis in mundi fine remunerandi rationem depingit et adumbrat. Lucæ cap. 19, servus fidelis qui decem mnas acquisiverat, mercedem recipit, id est imperium super decem civitates, ac insuper mnam servo ignavo et infideli ereptam; quod rursùs figura est et imago mercedis ex æquitate et beneficentiâ electis à Domino in cœlo conferendæ.

Probatur 2° ex Patribus. Divus Basilius in Psalmum 114 in hæc verba, *convertere, anima mea, in requiem tuam,* hæc habet: « Proposita est æterna requies his qui legitimè in hâc vitâ decertârunt... quæ juxta magnificentiam Dei his qui in ipsum speraverunt exhibetur. » Non sola igitur Dei *justitia,* sed et ejus *munificentia* in remunerandis electis refulget, et ideò non solùm *juxta,* sed etiam *supra* condignum præmium ipsis rependit.

Divus Augustinus eidem sententiæ favet. Etenim tractatu 67 in Joannem, n. 2, dicit, denario à patrefamilias vineæ suæ operariis repenso *vitam æternam significari,* et patremfamilias illum denarium omnibus dedisse, *non in eo discernendo qui minùs et qui ampliùs laboraverunt.* Unde inferri potest non solùm omnibus electis vitam æternam ut æternam à Deo dari, sed etiam

quemdam illius gradum iis qui minùs laboraverunt ultra meritum impertiri.

Divus Fulgentius, libro 1 ad Monimum cap. 10, eamdem sententiam luculentissime confirmat. « Meritum, inquit, bonum (Deus) jugi confirmat auxilio, cui gratia glorificationis justæ reddatur in præmio. Gratia autem etiam ipsa ideò non injuste dicitur, quia non solùm donis suis Deus dona sua reddit, sed quia tantùm etiam ibi gratia divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum quamvis bonæ et ex Deo datæ humanæ voluntatis atque operationis excedat. » Hoc profectò testimonium rem ita evincit, ut nullo indigeat commentario.

Probatur 3° ex censurâ relatæ Baii assertionis, quæ si extitisset tempore Andreæ Vega et aliorum theologorum, nullus indubiè ex illis hanc assertionem defendisset.

Probatur ultimò ex communi theologorum suffragio, scilicet D. Thomæ, D. Bonaventuræ, Scoti, Durandi et aliorum in 4 Sent. dist. 46. Accedit tandem ratio efflorescens, ex incredibili Dei bonitate et beneficentiâ, quâ cœlum et terra plena sunt, et indubiè tanta est, ut electorum suorum merita non solùm ex condigno, sed etiam ultra condignum coronet, juxta illud distichon (Sylvius illud attribuit Prospero epigrammate 71) :

Spes de promissis nihil ambigat, omne dabit rex
Quod parat, et meritis gratia major erit.

Objiciunt 1° : Rom. cap. 2, et alibi passim dicitur, *Deum unicuique redditurum esse secundùm opera;* ergo non ultra opera. — Resp. illos textus significare Deum rependere præmium *secundùm merita*, quia nullum rependit quod meritis minus sit; hoc autem non impedit quominùs majus tribuat, sicut qui ex pacto dandi vinitori vel agricolæ duos nummos ipsi dat quatuor, illum sanè secundùm opus remunerat, etsi illum ultra opus remuneret. Itaque redditio mercedis secundùm opus non excludit redditionem mercedis ultra opus.

Objiciunt 2° : Deus opera mala citra condignum non punit; cur opera bona ultra condignum remuneraret ? — Resp. 1° : Nego ant. Chrysostomus enim Homiliâ 37 in Genesim, et multi graves theologi huic opinioni addicti non sunt. Adde D. Augustinum libro 21 de Civitate Dei, cap. 24, n. 3, hanc quæstionem examini suo subjecisse, et in utramque partem affirmantem et negantem ita tractâsse, ut asserentem Deum reproborum peccatis mitiores quàm merentur pœnas imponere, falsam non renuntiaverit. Resp. 2° : Esto ant., nego conseq. *Deo enim, ut dicitur Matthæi 20, licet quod vult facere*, et aliunde æquum est ut majus beneficentiæ suæ specimen fidelibus servis suis impendat quam infidelibus qui divitias bonitatis ejus contempserunt.

Instabis : Matthæi cap. 5, dicitur : *Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*, et Apocalypsis cap. 18 : *Quantùm glorificavit se, et in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum et luctum;* sed illa evincunt reprobos condignis sive meritis suppliciis omninò affici; ergo. — Resp. : Nego min. 1° Scilicet adversariis probandum incumberet Christum Matthæi cap. 5 disserere de pœnis gehennæ, non de pœnis purgatorii, ut non pauci autumant; item de pœnâ comitante sententiam supremi judicis, non de pœnâ eam non comitante; illa quippe nunquàm minuetur, ista verò demeritum non adæquabit..... 2° Si Christus loquitur de tartareis suppliciis, intendit duntaxat, quodlibet reproborum delictum suo plectendum esse supplicio quoad speciem, non quoad omnem quem meretur gradum...... Quod attinet ad locum Apocalypsis, unicè probat majus peccatum majori, et minus peccatum minori pœnâ esse condemnandum, non autem majorem minoremve culpam condignæ sive meritæ pœnæ esse subjiciendam.

Objiciunt ultimò. Si Deus electorum operibus ampliorem redderet mercedem quàm merentur, explicari posset in quo consisteret amplius illud præmium ; falsum conseq.; ergo, etc. — Resp. 1° : Nego majorem. Quot enim in Scripturâ vel traditione certa sunt quæ explicari nequeunt ? — Resp. 2°, ampliorem illam mercedem non se tenere ex parte durationis mercedis; bona enim justorum opera *ex condigno*, ut diximus, non vitam *simpliciter*, sed æternam vitam merentur. Unde constituenda est in ampliori visionis beatificæ gradu, sive intensione, quem Deus pro beneplacito suo distribuet, licet verisimile sit eum omnibus Beatis à Deo, qui unicuique reddit secundùm opera, habitâ ratione cujuslibet meritorum liberaliter esse concedendam.

Principia solutionum.— Primum. Retributio præmii *secundùm opus* non excludit retributionem præmii *ultra opus*.

Secundum. Deo licet quod vult facere, et ideò merita ultra condignum remunerare, demerita è converso condignè punire.

Tertium. Nunquàm ex Scripturis probari poterit Deum demerita omninò debitis suppli-

cis castigare nisi probetur illas Scriptura respicere tartari, non purgatorii pœnas, aut pœnam judicium comitantem non subsequentem.

Quartum. Quodlibet reproborum peccatum *suo*, id est cum ipso proportionem habente, supplicio quoad speciem, non quoad gradum punietur.

Quintum. Merces ultra condignum justis danda erit non quoad speciem simpliciter æternæ vitæ, sed quoad ejus intensionem, et quidem relativè ad bona cujuslibet opera.

Sextum. Istud oraculum : *Judicium sine misericordiâ ei qui non fecerit misericordiam*, Jacobi cap. 2, non quamlibet explodit misericordiam, sed eam solam quæ ab æternâ damnatione eripit.

Epilogus. — Hæc sunt quæ de arduo hominis lapsi et reparati argumento tum adversùs Pelagianos et Semipelagianos, cùm adversùs Baium, Jansenium et eorum sectatores scribenda habuimus.

Ad istorum, qui super liberi arbitrii sepulcrum gratiæ Christi trophæum erexisse D. Augustinum obgarriunt, clamores reprimendos, nonnullorum recentiorum *zelo* quidem pro defendendis dogmaticis Ecclesiæ judiciis accensorum, sed qui *secundùm scientiam nobis* visus non est, calamum non inflavimus, rati eum contra commemoratos novatores aut leviores, aut raucos admodùm parumve salubres editurum esse sonos, sed arripuimus tubam Apostoli, et D. Augustini, ad cujus saluberrimum strepitum hujusque Ecclesiæ catholicæ hostes conterriti palluerunt, evanuerunt, expiraverunt. Scio quidem illos recentiores seu Yprensis amicos et fautores infamare solere quicumque controversias de gratiâ, prædestinatione, etc., D. Augustini incude præsertim limandas esse existimant; sed simul scio istud Jansenii pronuntiatum ipsum esse summorum pontificum, imò et totius Ecclesiæ effatum, et ob illud in omnes ætates immortali laude dignum futurum fuisse Yprensem si adulterinam doctrinam tanto doctori non affinxisset. Scio illos declamatores parùm sibi constare. Eorum enim coryphæus, doctissimus aliunde vir et de Ecclesiâ catholicâ optimè meritus, Dionysius Petavius hæc habet, tom. 1 Theolog. dogm. lib. 9, c. 6, n. 7 : « Cùm de gratiâ, vel electione, ac de prædestinatione disputandum est, minor haberi solet antiquorum Patrum ratio qui ante pelagianam ortam hæresim extiterunt, quàm eorum qui postea sunt secuti; Latinorum verò multò major quàm Græcorum etiam hæresi illâ posteriorum; propterea quòd magis aliquantò latinam Ecclesiam, quàm orientalem exercuit hæresis pelagiana, quæ iis de rebus altercandi occasionem præbuit, sic ut Græci plerique intima Pelagianorum dogmata vel ignoraverint funditùs, vel minùs accuratè perspexerint. Omnium verò Latinorum, quorum in hâc causâ majorem dixi auctoritatem esse princeps est consensu theologorum Augustinus, cujus de gratiâ sententiam quotquot deinceps consecuti sunt Patres et doctores, tum verò Ecclesiæ romanæ præsules, præsulumque conventus aliorum, ratam et catholicam esse judicârunt, ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum ac decretum esse constat. » Quis post hæc Petavii inconstantiâ et singulari sentiendi ratione non percelletur? Enimveró, postquàm fusè probavit libro 9 Dogmatum à capite 6 ad 9, ex constanti S. Augustini sententiâ electionem ad gloriam fieri ante prævisa merita, ac deinde, cap. 9 et seq., reprobationis causam esse peccatum originale, tamen libro 10, cap. 1 et seq., aliam exosculatur sententiam! In his certè non laudandus (ut reponere solent indocti Augustini adversarii), sed reprehendendus est non solùm tanquàm parùm sibi consentiens, sed inprimis tanquàm Societatis suæ decretorum annorum 1584, 1613 et 1653 aspernator, tanquàm summorum pontificum et Ecclesiæ oraculorum parùm studiosus, et in gratiæ vindicem injuriosus; quanquàm fortè excusandus est quòd eo vixit tempore quo vigebat Molinistarum et Suaresianorum systema Societati tunc adeò acceptum ut illud à suis improbari impunè passa non fuisset. Reponunt quidem commemorati Augustini adversarii, et Petavii ejusque imitatorum apologistæ, summum pontificem Cœlestinum primum in epistolâ ad Gallicanos episcopos datâ anno 432 (ut censet P. Alexander in historiâ seculi 5) asserere *profundiores difficilioresque quæstiones* ab Augustino (etiam ubi Pelagianos et Semipelagianos debellavit) *tractatas et solutas ita non esse contemnendas, ut eas adstruendi nulla adsit necessitas.* At si legissent et ponderavissent Norisii super hâc epistolâ dissertationem in Vindiciis cap. 8, in hanc assertionem cum tantâ securitate non prorupissent. Ostendit enim vir eruditus, et quidem ex Surio, Baronio, Vossio, Suaresio, Sirmondo, etc., quorum eruditio nota est, et aliis argumentis, hanc Cœlestini epistolam his capitis secundi verbis terminari : *Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi;* decem verò capita sequentia (in quibus reperitur textus objectus,

profundiores, etc.) non esse Cœlestini opus.

Cæterùm, si quid fidei catholicæ minùs consonum in tam longâ et difficili disputatione nobis excidit, illud sincero animo expunctum volumus. Hanc quippe fidei professionem Jansenii libro proœmiali de ratione et auctoritate cap. 29 (illam renovavit in fine epilogi omnium operum, et mediâ horâ ante mortem die 6 maii ann. 1638) toto cordis affectu emittimus. « Mihi constitutum est eamdem, quam ab infantiâ secutus sum, sensuum meorum spiritum et ducem sequi, romanam Ecclesiam, et Beatissimi Petri in romanâ Sede successorem. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque cum ipso non colligit spargit, apud quem solum incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quidquid ab istâ Petri cathedrâ, in cujus communione à teneris vixi, et porrò vivere et mori fixum est, ab isto principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini Vicario, ab isto Ecclesiæ christianæ universæ capite, moderatore, pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo, quidquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo. » Utinam præclaros istos sensus (quatenùs tamen summi pontificis ex cathedrâ loquentis inerrantiam non innuunt) omnium Janseniani erroris sectatorum cordibus potenter inspiret summè potens et misericors Deus, cujus gratiâ sumus id quod sumus, ut obsequentissimi Ecclesiæ catholicæ filii facti, cum ejus Sponso et Capite Christo æternùm in cœlis regnent!

BREVE N. S. P. BENEDICTI PAPÆ XIV.

Ad magnum Hispaniæ Inquisitorem.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.— Dùm præterito mense junio, ut aere liberiore frueremur, in arce Castri Gandulphi rusticabamur, ad nos delata fuit epistola Patris Gioiæ generalis Ordinis S. Augustini in civitate Florentinâ degentis ut visitationem expleat suorum in Thusciâ Conventuum. Porrò in epistolâ nos monitos fecit insertas fuisse in expurgatorio ab hispanâ Inquisitione, cui præes, edito inter libros prohibitos historiam pelagianam, et dissertationem super quintâ synodo œcumenicâ editam à claræ memoriæ Henrico cardinali Norisio, sui Ordinis religioso; cùmque nostram auctoritatem interpellâsset, nedùm ut vulneri suæ religioni inflicto mederemur, sed ut etiam imminentia mala et perturbationes in Hispaniâ propè diem excitandas averteremus, respondimus factum ab eo nobis expositum nobis esse prorsùs ignotum, nosque debitas super veritate facti informationes esse sumpturos; cùmque id jam præstiterimus, et nobis abundè constet factum à Patre generali nobis expositum veritate inniti, et inter libros proscriptos in expurgatorio hispano recensita cardinalis Norisii opera reperiri, cogimur abrumpere silentium, teque, venerabilis Frater, fraternè interpellare, et paternè admonere ut aquam præpares quæ vastum incendium jam præparatum extinguat.

Etsi memorati Norisii opera aliquid Jansenismi aut Baianismi redolerent, prout auctor Bibliothecæ Jansenisticæ immeritò autumavit, post tot annorum lapsum, in quorum decursu ea summo plausu excepta sunt, nonne prudens œconomia ecclesiastica exigebat, ut à proscriptione abstineretur, quam unusquisque prævidere poterat multa mala esse excitaturam, unitatem Ecclesiæ Hispaniæ esse scissuram, obstrepentibus videlicet, prout unusquisque prævidere poterat, Augustiniani Ordinis alumnis et ipsorum asseclis, obstrepentibus tot aliis viris doctis in Hispaniâ degentibus, et partium studio non abreptis, paratisque ad assumendam auctoris defensionem, non incogniti, non gregarii, sed litterarum sui temporis facilè principem, et eo solo litteraturæ ecclesiasticæ et profanæ meritò sacro cardinalium Collegio adscripti?

Nota profectò tuæ eruditioni erunt, quæ prostant in ecclesiasticis historiis prudentis œconomiæ exempla juxta quæ pro scandalo frenando, malisque imminentibus avertendis, nostri majores censuerunt à rigore juris recedere, etsi illi locus esse debuisset. Nos tibi tantùm nonnulla certè tibi non ignota suggeremus. Tempore felicis recordationis Clementis XI examinanda et proscribenda delata sunt celebris Tillemontii (Ludovici Sebastiani Le Nain) opera; accusatores multa ex eis deprompserunt censurâ digna; pontifex autem silentium imposuit, ratus multa mala ex prohibitione esse derivatura; similique œconomiâ usus est cùm supremæ romanæ Inquisitioni exhibitæ fuerunt ab accusatoribus vitæ Sanctorum excerptæ à Bollando (Joanne) et deinde à Papebrochio (Daniele) aliisque Societatis Jesu Patribus continuatæ, etsi multa et benè multa sagaces accusatores deprompsissent quæ theologicam censuram merebantur. Notum tibi absque dubio erit non multis abhinc annis editum, typisque impressum, quod etsi nomine auctoris careat, omnes, tamen probè sciunt esse Bossuetii epi-

scopi Meldensis, quod ipse dùm viveret composuerat, ita jubente Gallorum rege Ludovico XIV, sed manuscriptum in nonnullis bibliothecis reliquerat. Totum opus versatur in asserendis propositionibus à clero Gallicano firmatis in conventu anni 1682. Difficile profectò est aliud opus reperire, quod æquè adversetur doctrinæ extra Galliam ubique receptæ de summi pontificis ex cathedrâ loquentis infallibilitate, de ejus excellentiâ supra quodcumque œcumenicum concilium, de ejus jure indirecto, si potissimùm religionis et Ecclesiæ commodum exigebat, super juribus temporalibus supremorum principum. Tempore felicis recordationis Clementis XII, nostri immediati prædecessoris, seriò actum est de opere proscribendo, et tandem conclusum fuit ut à proscriptione abstineretur, nedùm ob memoriam auctoris ex tot aliis capitibus de religione benè meriti, sed ob justum novorum dissidiorum timorem.

Notum denique tibi erit nomen Ludovici Antonii Muratorii (adhuc viventis) multorumque librorum communi plausu receptorum editoris. O quàm multa in eis reperiantur censurâ digna! Quot hujusce furfuris nos ipsi eos legentes offendimus! Quot nobis ab æmulis et accusatoribus oblata sunt! et nos usque adhuc abstinuimus, et abstinebimus ab operum condemnatione, nostrorum prædecessorum exemplis edocti, qui pacis et concordiæ amore à proscribendis iis quæ proscriptionem merebantur cessârunt; quando videlicet censuerunt plus mali quàm boni ex proscriptione esse derivandum.

Hæc procedunt in hypothesi in quâ Norisiana opera Baianismum aut Jansenismum redolerent; quid autem dicendum erit, cùm ea Baianismi aut Jansenismi notâ careant, et carere constet post multiplicatum super eis examen in hâc supremâ Inquisitione romanâ, cui summi pontifices pro tempore existentes præsunt, quique mox recensita examina suo calculo comprobârunt, quæ mox subdemus non ex historiis, non ex auctoribus uni vel alteri parti faventibus, sed ex monumentis, quæ ex archivo supremæ Inquisitionis ad nos deferri fecimus, deprehenduntur.

Antequàm Norisius historiam pelagianam, et dissertationem super quintâ synodo typis ederet, rumor insurrexit Baianismi et Jansenismi, et tunc factum est ut opus extra urbem edendum, theologorum et extraneorum revisorum approbatione munitum, ante editionem ad urbem transmissum fuerit. Novi idcircò revisores in urbe fuerunt deputati, et cùm hi nihil mali, aut sanæ doctrinæ adversans in opere invenissent, auctori datum est ut suo jure uteretur, compositumque typis ederet. Opere edito novæ adversùs illum excitatæ sunt controversiæ, eo potissimùm sub obtentu, quòd ei furtivè additæ ferebantur nonnullæ paginæ, quæ non erant in opere manuscripto, quæ idcircò non fuerant revisorum oculis subjectæ. Purgavit se ab hâc calumniâ Norisius; nulla nota ejus operi inusta fuit, communisque plausus nedùm perseveraverit, sed auctus est. Degebat Norisius Florentiæ apud magnum Etruriæ ducem, et ecclesiasticæ historiæ cathedram in Universitate Pisanâ moderabatur, tanti viri fama cùm ad aures Innocentii XII tunc universalem Ecclesiam gubernantis devenisset, ipsumque ad urbem evocâsset, ut officio primi custodis Bibliothecæ Vaticanæ fungeretur, ejusque æmuli benè prævidissent ipsum ad urbem fuisse vocatum, ut inter cardinales mox creandos cooptaretur, pontifici Innocentio XII detulerunt Norisium esse virum doctum, sed malæ doctrinæ, et libellis in vulgus sparsis veteribus repetitis accusationibus Jansenianæ doctrinæ simul insimulaverunt. Hæsit Innocentius, et ne in sacrum cardinalium Collegium admitteret malæ aut dubiæ doctrinæ virum, octo deputavit theologos, qui à partium studio abessent, illisque mandata verè dedit, ut in Norisii opera acriùs animadverterent. Theologi mandatis eâ quâ decet reverentiâ strenuè morem gesserunt; ipsorum sententiæ in Congregatione supremæ Inquisitionis, suffragantibus etiam cardinalibus eidem adscriptis, perpensæ sunt; cùmque nihil anathemate vel aliâ censurâ dignum in operibus fuerit adinventum, pontifex Innocentius theologorum et cardinalium sensus facto comprobavit; consultorum quippe Inquisitionis Collegio Norisium adscripsit, quod utique non fecisset, si de ejus sanâ doctrinâ vel minimam habuisset suspicionem; æmuli etsi hoc novo fulmine percussi, nocendi animum nullatenùs deposuerunt; sed ne supremæ Inquisitionis judicium ab ipso pontifice uti vidimus comprobatum directè impugnare velle viderentur, nonnullos tantùm sibi scrupulos adversùs Norisii doctrinam jactârunt, quos et sparsis in totum vulgus libellis ediderunt, et tunc jussu pontificis Innocentii quinque eruditissimas dissertationes Norisius elucubravit: primam de uno ex Trinitate passo;

secundam, hoc est apologiam monachorum Scythiæ ab anonymi scrupulis vindicatam; tertiam de anonymi scrupulis circa veteres Semipelagianorum sectatores; quartam quæ continet responsionem ad appendicem auctoris scrupulorum; quintam denique, cui titulus: *Janseniani erroris calumnia sublata*. Prodierunt hæc disputationes Romæ anno 1696, iterùmque typis impressæ sunt inter opera omnia cardinalis Norisii editionis Veronensis anno 1732. In iis celeberrimus auctor universis adversariorum petitionibus occurrit, scrupulos injectos exturbat, evellit, eradicat, et cùm jure ac meritò, plaudentibus omnibus, ut victor in cardinalium Collegium fuerit ab Innocentio adscriptus, ab eodem Innocentio inter cardinales quoque supremæ romanæ Inquisitionis præsidentes relatus est; et in eà sicut et in aliis Congregationibus, quibus adscriptus fuit, usque ad obitum strenuam et maximè utilem operam navavit.

Ex his, quæ tibi fusè, venerabilis Frater, exposuimus, colligere poteris Baianismi et Jansenismi notam Norisio impositam novam non esse, eam repetitis solemnibus romanis judiciis fuisse penitùs eliminatam, nec licuisse hispanæ Inquisitioni eam iterùm in controversiam vocare, multòque minùs inter proscriptos libros opera Norisiana recensere, justissimos esse clamores Ordinis Augustiniani, et aliorum ipsi adhærentium; nec nos denique, qui nedùm memores sumus eximiæ benevolentiæ, quâ nos etsi in juvenili ætate constitutos cardinalis Norisius prosequebatur, sed ulteriùs vestigiis pontificum prædecessorum nostrorum inhærere tenemur, patienter esse laturos injuriam in expurgatorio hispano adversùs cardinalem Norisium ex improviso et immeritò jactatam.

Te, venerabilis Frater, ex corde diligimus, nota nobis est tua eximia doctrina, noti labores pro Ecclesiâ Dei exantlati... Te meritò æstimamus, enixèque admonemus, et admonendo etiam rogamus, ut opportuna pares remedia, nec sinas dissidia inter et nos exoriri, et inter Inquisitionem romanam et hispanam.

Tu scis in celeberrimis quæstionibus de prædestinatione et gratiâ, et de modo conciliandi humanam libertatem cum omnipotentiâ Dei multiplices esse in scholis opiniones. Thomistæ traducuntur ut destructores humanæ libertatis, et uti sectatores nedùm Jansenii, sed Calvini; sed cùm ipsis objectis apprimè satisfaciant, nec eorum sententia fuerit unquàm à Sede apostolicâ reprobata, in eâ Thomistæ impunè versantur, nec fas est ulli superiori ecclesiastico in præsenti statu eos à suâ sententiâ removere. Augustiniani traducuntur tanquàm sectatores Baii et Jansenii; reponunt ipsi se humanæ libertatis esse fautores, et oppositiones pro viribus eliminant, cùmque eorum sententia usque adhuc à Sede apostolicâ damnata non sit, nemo est qui non videat à nullo prætendi posse ut à suâ sententiâ discedant. Sectatores Molinæ et Suaresii à suis adversariis proscribuntur perinde ac si essent veri Semipelagiani; romani pontifices de hoc Moliniano systemate usque adhuc judicium non tulerunt, et idcircò in ejus tuitione liberè prosequuntur et prosequi possunt. Uno verbo, episcopi, inquisitores non notas quas doctores inter se digladiantes sibi invicem opponunt, attendere debent, sed an notæ invicem oppositæ sint à Sede apostolicâ approbatæ. Hæc nullum ex propositis modis conciliandi libertatem humanam cum divinâ omnipotentiâ usque adhuc reprobavit; episcopi ergo et inquisitores, cùm se dat occasio, eodem modo se gerant, etiamsi uti privatæ personæ unius potius quàm alterius sententiæ sint sectatores. Nos ipsi, etsi uti privati doctores in theologicis rebus uni faveamus opinioni, uti summi pontifices tamen oppositam non reprobamus, nec sinimus ab aliis reprobari.

Hi sunt animi nostri sensus, quos tibi libenter patefacimus, teque interea plenis ulnis amplectentes tibi apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 31 julii ann. 1748, Pontificatûs nostri anno octavo.

Hoc exemplar ex autographo ad Christianissimum regem misso, quod in Regiâ Bibliothecâ Parisiensi asservatur, verbo ad verbum transcriptum est. Cæterùm, probare non intendimus, imò prorsùs improbamus, quæ in hoc Brevi declarationi cleri Gallicani anni 1682 repugnant, aut repugnare possent.

Nec audiendi essent, sed potiùs irridendi tanquàm inane effugium eructantes qui doctissimum piissimumque pontificem Benedictum XIV hic acceptam habere Norisii historiam Pelagianam, et dissertationem super quintâ synodo, non autem Vindicias Augustinianas, in quibus Baianismum et Jansenismum apertè docet, indoctè reponerent. Præterquàm quòd enim Vindiciæ illæ ab hispanâ Inquisitione

aliàve inter libros prohibitos nunquàm repositæ fuerant, et ideò earum mentionem in suo Brevi facere non debuerit summus pontifex, certè Norisius Vindicias composuerat ante quinque dissertationes, de quibus disserit Benedictus. Anonymus enim scrupulorum auctor tertiam partem accusationis suæ eduxit ex iis quæ fidei catholicæ adversa docuerat Norisius præsertim in illis Vindiciis, ut refertur initio *Janseniani erroris calumniæ sublatæ;* cùm igitur probet summus pontifex *Janseniani erroris calumniam sublatam,* indubiè et Vindicias probat quarum illa dissertatio est apologia. Deinde probat opera Norisii in editione Veronensi anni 1732 contenta; sed inter ea reperiuntur Vindiciæ; ergo.

Quam autem hìc vindicavit et asseruit Benedictus XIV scholæ libertatem antea prædicaverat S. P. Clemens VII in suis litteris ad doctissimum et insignis modestiæ virum Ægidium Viterbiensem ob egregia merita cardinalis infulis à Leone X insignitum, quas epistolas ex Archivio romano Ordinis Eremitarum S. Augustini refert Thomas de Herrera in suo *Alphabeto Augustiniano,* teste P. Alexandro in historiâ 16 seculi. « Multa, inquit summus pontifex, licet vel disputare, vel scribere quæ non alii sentiant, dummodò aliena à veritate, et sanctæ Ecclesiæ universali Traditione pravè non sentiantur, atque è Scripturis sacris sensus potiùs fuerit relatus, quàm ablatus. Nec enim respectus ullus humanus à navando Deo operam debet avocare, quin quod quis studiosè indagavit, piè ac sincerè proferat, dùm probatum non contumaciter asserat, sed Ecclesiæ judicio semper subjiciat. »

Demùm eamdem scholæ libertatem obfirmaverat Clemens XI, ut in commemorato responso eruditè observant doctores Sorbonici.

APPENDICES

AD TRACTATUM DE HOMINE LAPSO ET REPARATO.

Appendix prima (1).

DE GRATIA HABITUALI ET EI ANNEXIS.

Habemus ex dictis in decursu tractatûs, gratiam habitualem esse supernaturale Dei donum animæ permanenter inhærens per modum habitûs. Donum autem illud permanens triplex est, scilicet gratia sanctificans, virtutes infusæ, et dona Spiritûs sancti, de quibus hìc sigillatim tractandum.

§ 1. *De nomine, existentiâ et essentiâ Gratiæ sanctificantis.*

Q. 1 : *Quænam sunt nomina Gratiæ sanctificantis?* — R. Vocatur 1° Gratia sanctificans, quia effectus ejus formalis est sanctum efficere subjectum, cui inhæret, sicut calor inhærens corpori reddit illud formaliter calidum. 2° Gratia justificans; quia sicut calor expellit frigus, ita gratia formaliter expellit peccatum, et inclinat ad omne opus bonum; justum enim dicimus eum, qui habitualiter dispositus est ad legem implendam. 3° Adoptio; quia effectus ejus formalis est facere filios Dei adoptivos, juxta illud Rom. 8 : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba* (*Pater*). Ob eamdem rationem dicitur 1 Joan. 3, v. 9, semen Dei, quatenùs per illam nascuntur filii Dei, et consortes divinæ illius naturæ. 4° *Pignus hæreditatis,* Ephes. 1, v. 14; est enim titulus jus tribuens ad gloriam cœlestem : *Si... filii et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi,* Rom. 8, v. 17.

Q. 2 : *Existitne Gratia sanctificans?* — R. De Fide est existere, Rom. 5, v. 1 : *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* 1 Corinth. 6, v. 11 : *Abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Atqui hæc sanctificatio, seu justificatio non fit nisi per gratiam sanctificantem, quæ ex Tridentino sess. 6, c. 7, est unica causa formalis justitiæ nostræ.

Q. 3 : *Gratia sanctificans estne aliquid intrinsecè inhærens?* — R. Negant Lutherani et Calvinistæ, docentque gratiam justificantem esse extrinsecum Dei favorem condonantis peccata, et imputantis justitiam, vel quâ Deus ipse justus est, secundùm Osiandrum, et nonnullos Lutheranos, vel ipsam Christi justitiam secundùm Lutherum et Calvinum. Magister Sententiarum aliquâ ex parte ad hunc errorem accessit, quatenùs scilicet docuit charitatem esse

(1) Vide supra col. 1348, ad notam.

ipsummet Spiritum sanctum; quanquam sanctus Thomas 2-2, q. 23, a. 2, illum benignè interpretatur de charitate principiativè sumptâ, ita ut Spiritus sanctus dicatur principium dilectionis independenter ab habitu charitatis, quem habitum idem Magister non videtur admisisse propter illud 1 Joan. 4, v. 8 : *Deus charitas est*. Contra Lutheranorum et Calvinistarum errores extat Canon 11, sess. 6, concilii Tridentini, his verbis conceptus : « Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantùm favorem Dei, anathema sit. »

Respondeo itaque : De fide est gratiam sanctificantem esse quid creatum intrinsecè inhærens. Probatur 1° ex Scripturâ; Rom. 5, v. 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Si per Spiritum sanctum, ergo ab ipso distinguitur, sicut effectus à causâ, fructus ab arbore, *fructus... Spiritûs est charitas*, Gal. 5. Sed magis directè confoditur novatorum error Rom. 5, ubi scribit Apostolus : *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per unius.... inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Atqui non sumus constituti formaliter peccatores per solam extrinsecam imputationem peccati primi parentis, sed per maculam interiorem, et per peccatum intrinsecè inhærens, fatentibus adversariis; ergo neque sumus formaliter justi per imputationem justitiæ, sive Dei, sive Christi, sed per veram justitiam peccatum formaliter expellentem, et intrinsecùs inhærentem. Nihil clarius illo textu.

Probatur 2° ex Traditione.

S. Chrysostomus exponens illud Ephes. 1, *Gratificavit nos in dilecto Filio suo*, sic habet : « Hoc est, non solùm liberavit à peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quo modo enim si quis acceptum aliquem scabiosum, et peste ac morbo, senioque ac paupertate infectum, statim formosum fecerit juvenem, omnes homines pulchritudine vincentem, et postea purpurâ induerit, et omni ornatu ornaverit; ita nostram instruxit et ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem, amabilem, cupiunt enim Angeli talem aspicere animam ; ita etiam nos fecit gratissimos, et sibi desiderabiles ; *concupiscet enim*, inquit, *rex pulchritudinem tuam.* » S. Ambrosius lib. de Initiandis c. 7, sic alloquitur baptizatum : « Accepisti vestimenta candida, ut sint judicium, quòd exueris involucrum peccati, indueris innocentiæ casta velamina. » S. Augustinus lib. de Spiritu et Litterâ, c. 3, sic habet : « Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit; sed quâ nos facit dilectores suos; sicut justitia Dei, quâ justi ejus munere efficimur, et Domini salus, quâ nos salvos facit, et fides Domini nostri Jesu Christi, quâ nos fideles facit. » Et Enchiridii c. 52 : « Quemadmodùm in illo (Christo) vera mors facta est; sic in nobis vera remissio peccatorum, et quemadmodùm in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio. »

Probatur 3° ratione duplici. Prima, per justificationem non solùm homo desinit esse malus, seu peccator, sed etiam fit bonus et justus; atqui homo non fit bonus et justus per solam remissionem peccatorum, sicut nec albus per solam expulsionem nigredinis; neque per denominationem extrinsecam, seu imputationem justitiæ alienæ, *justum, et fortem, et bonum omninò virum ob opera laudamus,* inquit Aristoteles lib. 1 Ethicorum, cap. 12. Secunda, si gratia sanctificans est ipsamet justitia Christi per fidem apprehensa et imputata, parvuli non justificantur per baptismum; quia per fidem justitiam Christi non apprehendunt, nec sibi applicant, utpote qui sint incapaces eliciendi ullius actûs. Nec dicent adversarii, justitiam Christi parvulis applicari per divinam electionem, sive promissionem; quia apud ipsos sola fides justificat, et Sacramenta eatenùs prosunt, quatenùs fidem excitant, et sigillant.

Q. 4 : *Gratia sanctificans estne quid permanenter animæ inhærens ?* — R. Certum est inhærere permanenter. Probatur 1° ex Scripturâ, Joan. 14, v. 17 : *Apud vos manebit* (Spiritus sanctus) *et in vobis erit;* v. 16 : *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;* v. 23 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;* 1 Joan. 4, v. 16 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* 1 Cor. 6 : *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, et non estis vestri ?* Atqui mansio et inhabitatio significant aliquid permanens. Deus autem, cùm accedit aut recedit, non mutat locum, utpote qui sit ubique, et omnem locum repleat, contineatque; sed dicitur accedere,

cùm novo modo alicubi operatur; recedere verò, cùm desinit operari, quamvis semper præsentissimus adsit. Sic dicimus redire spiritum hominis, qui deliquium passus fuerat, cùm solitas operationes repetit. Deus ergo venit ad peccatorem à quo recedere non potuit, quando illum excitat, et transeunter in illo operatur sanctam cogitationem et pium voluntatis affectum; manet autem in justo quamdiù per continuum influxum gratiam sanctificantem in illo conservat, et per illam non solùm assimilat sibi in moribus et virtutibus divinis, sed etiam consortem facit naturæ divinæ, ejusdem secum animi, desiderii et affectûs. Justus quoque per charitatem in Deo manet; quia gratia sanctificans seu charitas ipsum avellit à terrenis cupiditatibus, omnes ejus potentias, sensus, appetitus, amores, operationes, cogitationes, intentiones ad Deum trahit, ut nonnisi Deum et divina cogitet, intendat, suspiret, nec nisi in illo quiescat.

Probatur 2° ex decretis summorum pontificum et conciliorum generalium. Innocentius III, cap. *Majores*, tit. de baptismo, refert oppositas theologorum sententias circa baptismum parvulorum; alii contendebant in parvulis originale quidem peccatum remitti, sed *fidem aut charitatem aliasque virtutes non infundi;* alii contra asserebant, *dimitti peccatum, et virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad usum.* Cui posteriori sententiæ videtur adhærere summus pontifex. Sed clariùs concilium Viennense can. de Summâ Trinit. et Fide catholicâ, sic enim statuit: « Quantùm ad effectum baptismi in parvulis, reperiuntur quidam doctores theologi opiniones contrarias habuisse. Quibusdam ex ipsis dicentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; aliis è contra asserentibus, quòd et culpa eisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac gratia informans infundatur quoad habitum. Nos...... opinionem secundam, tanquàm probabiliorem, et dictis sanctorum, ac doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante concilio, duximus diligendam. »

Denique concilium Tridentinum sess. 5, in decreto de peccato originali, sub anathemate absolutè definit, 1° parvulos veraciter baptizari in remissionem peccatorum, *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* 2° In eisdem non solùm tegi, aut non imputari, sed etiam tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet. 3° Quòd *novum...... (induentes hominem) innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Quæ cùm sine gratiâ sanctificante stare nequeant, manifestum est concilium definivisse per baptismum gratiam sanctificantem parvulis infundi quoad habitum; nam omnis actûs sunt incapaces. Confirmatur: Parvuli, qui ad ætatem adultam perveniunt, per gratiam baptismalem, quæ supponitur in ipsis permanere, non aliter sunt justi et sancti, quàm alii adulti, qui per sacramentum pœnitentiæ Deo reconciliantur; ergo gratia sanctificans est in adultis æquè ac in parvulis aliquid permanens per modum habitûs. Et ita refellitur sententia quorumdam theologorum, ut Vasquesii, qui docent hominem justificari per justitiam actualem, seu per actus supernaturales virtutum, præsertim charitatis.

Q. 5: *Utrùm sit de fide gratiam sanctificantem esse quid permanens?* — R. 1° non fuisse ut dogma fidei receptum ante concilium Tridentinum, ut patet ex cit. cap. *Majores*, et concilio Viennensi, ubi non proscribitur opposita sententia. R. 2° Post concilium Tridentinum theologi variè opinantur. Soto lib. 2 de Naturâ et Gratiâ c. 17 et sequentibus, Melchior Canus lib. 7 de Locis theologicis c. 2, et alii, fatentur id non sine ingenti temeritate posse negari; sed contendunt non esse contra fidem. Bellarminus lib. 1 de Gratiâ et libero Arbitrio cap. 3, Suarez, lib. 6 de Gratiâ, c. 3, n. 6, et alii, affirmant veritatem hanc esse definitam de fide à concilio Tridentino, quibus consentit Catechismus romanus, qui sic habet ubi de baptismo: « Est autem gratia, quemadmodùm Tridentina synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propositâ decrevit, non solùm per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas animæ inhærens. » Alii docent responsionem nostram ex verbis concilii elici tanquàm conclusionem; ac proinde oppositam sententiam esse erroneam; sed negant esse expressè definitam, et fide divinâ credendam.

Carthesiani philosophi, qui non admittunt accidentia realiter distincta à substantiis, sive materialibus, sive spiritualibus, tutos se putant à censuris concilii Tridentini; quia agnoscunt divinas impressioneset modificationes in animâ justi permanentes per modum habitûs, qui tamen non sit qualitas, aut alia entitas realiter distincta; non enim credibile est, inquiunt, Tridentinos Patres voluisse exagitare et definire quæstionem philosophicam prorsùs

inutilem in materiâ de quâ agebatur. Nimirùm proscribendum susceperant novatorum errorem, quo justificationem reponebant in externo Dei favore, et statuendum dogma catholicum, nempe justificationem perfici per interiorem spiritûs immutationem et renovationem; atqui illa renovatio perfectiùs et diviniùs perficitur per modificationem et impressionem Spiritûs sancti inhabitantis, quàm per qualitatem realiter distinctam. Sed præterquàm quòd illa modificatio valdè impropriè à Patribus Tridentinis inhærens diceretur, cùm non sit quid distinctum ab animâ; satis est ad nostrum institutum, quòd illa Carthesianorum sententia negans formas accidentales à substantiâ realiter distinctas non semel fuerit rejecta, ut principiis fidei dissentanea; à celeberrimis Academiis Lovaniensi anno 1662, Parisiensi anno 1624, 1671, 1691, 1693 et 1705.

Q. 6 : *Gratia sanctificans estne quid realiter à charitate distinctum?* — R. Affirmat S. Thomas, et ejus schola; quia sicut virtus naturalis hominem in esse naturali perfectum, ita virtus supernaturalis eumdem in esse supernaturali constitutum supponit; atqui charitas est virtus supernaturalis, gratia verò sanctificans constituit hominem in esse divino et supernaturali; ergo charitas præsupponit gratiam sanctificantem, tanquàm novam naturam, secundùm quam homo dicitur regenerari, nasci filius Dei; ac proinde gratia sanctificans realiter distinguitur à charitate. Illud ipsum videtur agnoscere concilium Viennense citatâ Clementinâ de Summâ Trinitate, ubi ait in Baptismo conferri gratiam informantem et virtutes. Concilium quoque Tridentinum sess. 6, cap. 7, distinguit gratiam sanctificantem à virtutibus; docet enim ibidem justificationem fieri per susceptionem gratiæ et donorum. Contra negant Magister Sententiarum, sanctus Bonaventura, Scotus, Durandus et alii, gratiam sanctificantem à charitate realiter distingui; quia in Scripturis omnes effectus gratiæ sanctificantis tribuuntur charitati. Charitas expellit peccatum, Luc. 7 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Hominem reddit Deo gratum, Joan. 14 : *Qui... diligit me, diligetur à Patre meo, et ego diligam eum.* Consortem efficit divinæ naturæ, ac proinde filium Dei adoptivum et hæredem, 1 Joan. 4 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Et Jac. 1, v. 12 : *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Denique charitas est radix omnium bonorum operum, 1 Cor. 13 : *Charitas patiens est, benigna est,* etc.

Facilis est responsio ad argumenta posterioris sententiæ, scilicet gratiæ sanctificantis effectus ideò tribui charitati quia perfecta charitas est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, ita ut ab eâ separari nequeat; eadem quippe solent dici de proximâ dispositione, quæ dicuntur de formâ, quam introducit, v. g., de summo calore æquè dicitur ac de igne, quòd comburat, inflammet, etc. Sed hanc controversiam scholæ dirimendam relinquimus; quia ad salutem fidelium nihil interest scire an gratia sanctificans et charitas realiter distinguantur, modò noverint dona illa simul in justificatione conferri.

Q. 7. *Quomodò definitur gratia sanctificans?* — R. Ex præmissis responsionibus erui debet ejus definitio in hunc modum. Gratia sanctificans est supernaturale Dei donum intrinsecùs inhærens per modum habitûs, quo homo formaliter redditur justus, sanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, et hæres vitæ æternæ.

Dicitur 1° *supernaturale Dei donum;* ut significetur gratiam sanctificantem non esse ipsummet Spiritum sanctum, sed ab ipso emanare tanquàm effectum à causâ. Dicitur 2° *intrinsecè inhærens*, contra Lutheranos et Calvinistas, asserentes gratiam justificantem esse extrinsecum Dei favorem, quo peccata condonat, et imputat justitiam seu merita Christi. Dicitur 3° *per modum habitûs,* quo significatur gratiam sanctificantem esse quid permanens. Dicitur 4° *quo homo formaliter redditur justus;* sic enim concilium Tridentinum de justificatione loquitur sess. 6, c. 7: « Non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. Unde homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ. » Et infra: « Demùm unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit; quâ videlicet à Deo donati renovamur spiritu mentis nostræ; et non modò reputamur, sed verè justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes. » At, inquies, quomodò merum accidens tantæ efficaciæ esse potest, ut omnia peccata quantumlibet enormia statim deleat, et ex impio justum et sanctum efficiat? — Respondeo : Quamvis illud sit omni admiratione dignissimum, pluribus tamen exemplis suadetur esse possibile. Namque modicum fermentum totam massam prorsùs immutat, ignis præeunte calore poros ferri frigidi ingrediens, nativum ejus frigus formali-

ter expellit, ipsumque ferrum candens et igni- tum reddit. Sed, quod ad propositum maximè confert, lumine fidei mentem hæretici, vel etiam athei innumeris erroribus implicatam subeunte, mox ignorantiæ tenebræ fugiunt, et cuncti errores evanescunt. Quidni gratia sanctificans corda, in quibus diffunditur, similiter immutet et renovet, peccata, quibus non minùs contraria est quàm frigori calor, statim expellat, voluntatemque sic ad Deum convertat, et erga divinam ejus legem efficiat, ut homo omne malum summè aversetur, et ad omnia quæ Dei sunt totus propendeat?

Quòd autem gratia sanctificans cor hominis sic immutet, paginæ utriusque Testamenti apertè testantur. Jeremiæ 31, v. 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* Ezech. 11, v. 19: *Dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum : et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent.* Nihil luculentius prophetico illo testimonio pro interiori pœnitentis renovatione, à concilio Tridentino definitâ. Aufertur ab eo cor lapideum, id est durum, intractabile et inexorabile; simulque confertur cor novum, carneum, molle, flexibile, et obsequens ad Dei nutum. Jam opus non est, sicut priùs, prolixâ et molestâ argumentationum congerie ad suadendum mundi contemptum, carnis mortificationem, et alia Evangelii præcepta ; ad primam vel Pastoris vocem, vel Evangelii lectionem statim acquiescit, repugnante licet concupiscentiâ, divina enim illa præcepta in corde gerit inscripta non atramento, sed Spiritu Dei, non characteribus inanimis, sed vitalibus affectibus ; experiturque, quàm verum sit illud Apostoli, 1 ad Timoth. cap. 1 : *Lex justo non est posita;* quia etsi lege teneatur, illâ tamen non premitur, non urgetur, non refrenatur ; sed ei condelectatur secundùm interiorem hominem.

Non inferiora testimonia ex novo Testamento proferuntur in confirmationem doctrinæ Concilii Tridentini, unum aut alterum ex benè multis seligimus, 1 Joan. 3, v. 9 : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit ; quoniam semen ipsius in eo manet et non potest peccare* (nisi degenerem se præbeat) *quoniam ex Deo natus est.* Gratiam sanctificantem vocat Apostolus semen Dei, ut meminerimus ejus infusionem speciem habere divinæ cujusdam generationis, et nos per illam fieri consortes divinæ naturæ, ut docet Apostolorum princeps secundæ epistolæ c. 1, ubi de Christo loquens sic habet : *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Non quidem essentialiter (quod solis tribus personis sanctissimæ Trinitatis convenit), neque hypostaticè (quod humanitati Christi proprium est), sed per gratiam sanctificantem, utpote quæ veram amicitiam inter Deum et creaturam constituat ; amicitia autem perfectissima et maximè spiritualis ac divina postulat intimam Dei præsentiam in homine ; ita ut si per impossibile Deus non esset ubique, præsens tamen fieret animæ gratiâ informatæ ; præsens, inquam, non sicut dominus præsens est in domo, quam inhabitat ; sed sicut anima in corpore, quod vivificat, seclusis tamen imperfectionibus ; non enim Deus adest ut forma informans, aut pars componens, sed ut principium vitæ supernaturalis, animam movens et elevans ad statum, qui transcendit omnem ordinem etiam Angelicum, et quemlibet etiam possibilem. Unde meritò S. Petrus asserit gratiam sanctificantem esse donum pretiosum, et omnium maximum. Atque ex hâc explicatione facilè intelliguntur reliquæ definitionis partes, quibus dicitur gratiam sanctificantem formaliter reddere sanctum, Deo gratum, filium Dei adoptivum, et hæredem vitæ æternæ. Namque 1° sanctitas est immunitas ab omni labe peccati, et plena firmaque adhæsio cultui divino ; atqui gratia ex dictis per se formaliter excludit peccatum, et inclinat hominem ad omnia, quæ Deo sunt placita ; ergo sanctum formaliter reddit eum, cui confertur. 2° Quomodò non gratus esset Deo, qui divinæ ejus voluntati in omnibus est consentiens? *Non enim est justus, nisi qui gaudet justis,* ut dicitur 1 Eth. c. 8. Justus autem est Dominus, et justitiam dilexit ; ergo diligit et gratos habet quotquot novit voluntati suæ conformes ; in hoc quippe justitia adæquatè consistit. Unde S. Hieronymus in cap. 10 Danielis ait : *Omnis sanctus in se habens animæ pulchritudinem à Domino amatur.* Nec dicas, gratiam actualem esse gratiam gratum facientem, ac proinde non esse proprium gratiæ sanctificantis, hominem reddere Deo gratum ; nam gratia actualis gratum efficit secundùm quid duntaxat ; quatenùs nempe est principium boni operis, quod cùm Deo acceptum sit, ratione illius peccator dicitur Deo gratus, quamvis secundùm suam personam displiceat, et sit objectum odii divini. Sed cùm per gratiam sanctificantem homo à labe peccati sit purus, et divinæ voluntati in omnibus consentiens, per illam persona ejus

simpliciter et absolutè efficitur Deo grata, juxta illud Sapient. 7 : *Per nationes in animas sanctas se transfert* (Sapientia); *amicos Dei et Prophetas constituit*. Hinc 3° per gratiam sanctificantem homo fit filius Dei adoptivus, non denominatione extrinsecà et morali tantùm; quemadmodum in civilibus persona extranea ad succedendum in hæreditate assumpta, dicitur in filium adoptata. Namque ex laudato capite 3, 1, Joan., gratia sanctificans est semen Dei, quo homo fit concors naturæ divinæ, eo, quo diximus modo; Christo filio Dei naturali conjungitur tanquàm membrum capiti, et eodem vivens spiritu : *Videte*, inquit dilectus discipulus, primæ Epist. c. 3, v. 1, *qualem charitatem nobis dedit Pater, ut filii Dei nominemur et simus*. Unde

Ultimò sequitur quòd gratia sanctificans hominem constituat hæredem vitæ æternæ. Nam ex Apostolo Rom. 8 : *Si... filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, hoc est, ejusdem gloriæ cum Christo participes. Liceat ergo absolutum à peccatis compellare verbis S. Leonis serm. 1 de Nativit. : « Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis et corporis sis membrum. »

Verùm, pro dolor! quod hæresis Ecclesiæ eripere non potuit, ignorantia neglectum et quodammodò inutile reddit. Quis enim æstimat quod ignorat, aut expetit quod non æstimat? Atqui vulgus fidelium, ne dicam pastorum, justificationem non aliter apprehendit, quàm Lutherani et Calviniani, nempe ut meram peccatorum condonationem; nulla peccatoribus cura aut cogitatio de interiori spiritûs renovatione : unum à Deo precantur, scilicet peccatorum veniam, quia aliud à pastoribus non sunt edocti.

Nec dicant pastores quæ hactenùs explicata sunt, sublimiora esse, quàm ut à plebe percipi possint. Namque in hoc positi sunt, ut evangelizent investigabiles Dei divitias in justificatione impii, quas præparavit in laudem gloriæ gratiæ suæ, assiduis precibus sibi et subditis obtineant spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione hujus mysterii, quod est summa doctrinæ christianæ, et sublimis gloria, quam Ecclesia habet in Christo Jesu. Hinc Apostoli toti sunt in suis Epistolis, ut tam admirabile Dei donum fidelibus commendent, refricent et inculcent. Hujus rei gratiâ gentium Apostolus scribit ad Ephesios cap. 1, se non cessare in orationibus suis memoriam eorum facere, *ut Deus*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, et constituens ad dexteram suam in cælestibus*. Magnifica sunt illa Apostoli verba in laudem gratiæ sanctificantis, et omninò ponderanda. Optat discipulis Spiritum sapientiæ, id est, ampliorem sapientiam, quâ mysterium gratiæ sanctificantis magis quotidiè ac magis ipsis pateflat; illuminatos quoque oculos cordis, ut perfectiùs in dies cognoscant, quæ et quanta sint bona, ad quæ vocati sunt; et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus, id est, quantâ potentiâ usus fuerit Deus, ut à statu peccati ad justitiam traducerentur. Tantâ, inquit, potentiâ usus est Deus in nobis sic spiritualiter suscitandis et immutandis, quantâ usus est in Christo corporaliter à morte resuscitando, et ad dexteram suam evehendo. Similia jam scripserat ad Romanos cap. 6, et repetit in Epistolâ ad Coloss. cap. 3. Non ergo Apostoli credentibus promittebant nudam peccatorum veniam et condonationem, sed veram spiritûs immutationem, quâ in novam vitam translati, expoliato vetere homine, viderentur tanquàm ex mortuis viventes. Expendamus jam quæ novatores contra hanc Apostolicam doctrinam solent opponere.

Objiciunt 1° : 1 Cor. 1, v. 30, Christus dicitur factus nobis *sapientia à Deo et justitia, et sanctificatio*. Et Rom. 5, v. 19 : *Per unius obeditionem, justi constituentur multi*; ergo justificatio peccatoris perficitur per imputationem justitiæ Christi absque interiori peccatoris immutatione. — Distinguo anteced. : Christus factus est nobis justitia efficienter et meritoriè, concedo; formaliter et per solam imputationem, nego ant. Solutio evidens est in ipso textu cap. 5 ad Rom. Ibi enim Apostolus confert Adamum cum Christo, docetque, quòd sicut per primi inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per secundi obedientiam justi constituentur multi. Atqui inobedientia Adami non est causa formalis, sed efficiens peccati originalis posterorum, fatentibus ipsis adversariis, qui cum Catholicis agnoscunt (quamvis sensu hæretico) peccatum originale inesse

cuique proprium. Ergo in mente Apostoli obedientia Christi non est justitia nostra formalis, sed est causa efficiens et meritoria, cur justitia à Deo nobis infundatur, et inhæreat.

Instant: Atqui justitia Christi est causa formalis justificationis nostræ. Ratio enim propter quam Deus diligit justum, est sanè causa formalis justificationis ejus; quemadmodùm causa formalis, propter quam proximum ex charitate diligimus, est bonitas divina in eo relucens. Atqui ratio propter quam Deus diligit justum, est Christi justitia et meritum. Ergo causa formalis justificationis nostræ est justitia et meritum Christi.

Confirmatur: sicut absurdè diceretur Deum parvulos nondùm renatos odisse propter Adamum, cùm peccatum originale in ipsis existens sit motivum et ratio formalis odii divini; ita pariter si in justis admitteretur gratia sanctificans, tanquàm ratio formalis divini amoris, abusivè dicerentur à Deo diligi in Christo, vel propter Christum.

Nego subsumptum. Ad primam ejus confirmationem, respondeo negando majorem; quia aliud non est motivum, quo Deus creaturas diligit, quàm ejus bonitas infinitè suî communicativa; ac proinde gratia sanctificans est effectus seu terminus divini amoris, non verò causa. Homines quidem bonum supponunt in iis quos diligunt; Deus contra amando homines, ex malis bonos efficit. Dilexit nos in Christo ante mundi constitutionem; quia per Christum mediatorem nostrum voluit nos ad se adducere. Quâ bonitate peccatores in tempore per Christi merita prævenit, ut justi fiant, eâdem bonitate justos efficit, et eatenùs novo et longè excellentiori modo illos diligit, quia nova et longè excellentiora dona in ipsis producit et conservat, nempe gratiam sanctificantem cum ejus appendicibus. Ergo grat a sanctificans, licet sit formalis causa justificationis, motivum tamen non est divini amoris, sed effectus et terminus.

Respondeo ad secundam confirmationem negando paritatem; quia latum est discrimen inter odium divinum (si tamen datur propriè in Deo) et amorem divinum; Adamum quoque inter et Christum Dominum. Odium quippe divinum, malum culpæ, quod est ejus objectum, non facit, sed supponit; amor verò divinus bonum circa quod versatur, efficit, non supponit. Deinde Adamus non est caput posterorum, eo singulari modo, quo Christus est caput renatorum; quamvis enim parvuli ex origine per Adami inobedientiam corruptâ, trahant peccati maculam; Adamus tamen jam sanctus et beatus, illam directè non impertit; quemadmodùm Christus, qui factus est nobis sanctificatio et justitia, sanctitatem influit. Unde Deus parvulos nondùm renatos odit, non propter Adamum præcisè, sed propter peccatum originale in ipsis existens. Contra verò renatos diligit in Christo, et propter Christum, qui per gratiam sanctificantem et communicationem sui spiritûs in ipsis vivit et operatur, ut impleatur quod Patrem rogaverat pridiè passionem, Joann. 17, v. 21 et 26, *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti;* hoc est, tam illustri exemplo vitæ sanctioris mundum ad me trahant, et... *dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit et ego in ipsis*, utpote unum totum conficientibus conflatum ex capite et membris.

Objiciunt 2° illud Psalmi 31: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo peccata in justificatione non delentur; sed teguntur duntaxat per Christi justitiam credentibus imputatam. — Resp. 1°, opponendo alios Scripturæ textus luce clariores. Psalm. 50: *Lavabis me, et super nivem dealbabor;* nulla sanè macula in homine sic dealbato. Isaiæ 44: *Delevi ut nubem iniquitates tuas.* Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* 1 Corinth. 6: *Hæc quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Ephes. 5, dicitur Christus seipsum tradidisse, *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Resp. 2°, peccata in justificatione teguntur, quo modo dicimus tegi colorem album, cùm superinducto colore nigro, evanescit albus. Ita hunc Psalmi locum interpretati sunt sancti Patres. S. Augustinus Enarr. in Psalm. 31, scribit: *Ne sic intelligas, quod dixit peccata cooperta, quasi ibi sint et vivant.* Quæst. 108 in Exodum, dicit fieri confessionem peccatorum, *ut per gratiam aboleantur, hoc est, tegantur.* Et lib. 1 contra duas epistolas Pelagii c. 13: *Dicimus baptismum auferre crimina, non radere.* Enimverò quis beatum dixerit hypocritam, qui oculis hominum abscondit cordis malitiam? nam oculis Dei omnia sunt pervia et manifesta. Peccata ergo Deo tegi nequeunt, nisi prorsùs aboleantur.

Psalmus autem tres gradus in justificatione distinguit. 1° Deus peccata remittit, cùm jam

propitius prævenit peccatorem et præteritam offensam condonat. 2° Peccata tegit, cùm justitiam et charitatem superinducit tanquàm formam peccatis oppositam, et eorum expultricem. 3° Peccata non imputat, cùm insuper reatum pœnæ temporalis expungit, ut in baptismo. Unde S. Basilius in hunc Psalmi locum scribit plus esse peccata tegere quàm remittere; et non imputare, quàm tegere. Quanquàm plures interpretes existimant tria illa verba esse prorsùs synonima.

Instant ex Apostolo Gal. 3, v. 27 : *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis* : ergo justitiâ Christi per fidem apprehensâ, circumdamur tanquàm vestimento, quo teguntur corporis maculæ et deformitates. — Nego consequentiam et paritatem. Qui enim vestem assumit, non exuit maculas et deformitates corporis, sed tegit. At ex eodem Apostolo Col. 3, v. 9, qui induit Christum, exuit veterem hominem, adeò ut nihil in eo remaneat peccati et damnationis: *expoliantes vos,* inquit, *veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum. Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Rom. 8, et cap. 6. v. 2 et 4 : *Mortui sumus peccato... ut quo modo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Atqui Christus resurgens corruptionem carnis, et mortalitatem non texit per indumentum gloriæ; sed prorsùs deposuit. Ergo pariter ad mentem Apostoli ita Christum in baptismo induimus, ut omnem peccati maculam exuamus. Porrò Apostolus justificationem pingit sub metaphorâ indumenti, ut ostendat eum, qui exit ex fonte baptismali, vel ex tribunali pœnitentiæ, sicut interiùs vivit Spiritu Christi, ita debere Christum ad vivum exhibere in exteriori conversatione : quemadmodùm speciem regis referret, qui regiâ veste esset indutus.

Objici possunt varii Scripturæ textus pro sententiâ quorumdam Catholicorum, qui formam justificationis in actibus reponunt, Rom. 2, v. 13 : *Factores legis justificabuntur;* Jac. 2 : *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo;* 1 Joan. 3 : *Qui facit justitiam, justus est.* Et quidem juxta omnium hominum mentem, apud quos justum esse, nihil aliud est, quàm benè operari. Ergo formalis justificatio reponenda est potiùs in actibus supernaturalibus virtutum, præsertim charitatis, quàm in gratiâ habituali.

Nego conseq.; namque ex laudatis textibus colligi tantùm potest, quòd homo bonis operibus vel disponitur ad justificationem, vel meretur in justitiâ augeri, vel probat se esse justum, juxta illud Jac. 2, v. 18 : *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

§ 2. *De virtutibus infusis.*

Justificatio dupliciter spectari potest, vel secundùm essentiam, vel secundùm partes integrales. De illâ priori modo sumptâ tractavimus in præcedenti paragrapho, ubi ex mente concilii Tridentini totam ejus essentiam reposuimus in gratiâ habituali sanctificante; hic expendimus partes ejus integrales, nempe virtutes infusas, quæ ad perfectionem ejus integralem pertinent. Enimverò modus operandi sequitur modum essendi; atqui gratia sanctificans constituit hominem in esse divino; ergo operationes divinas gratiam sanctificantem consequi necesse est. Porrò, quemadmodùm natura, puta hominis, ita est principium operationum sibi consentanearum, nempe rationalium, ut eas exercere non possit, nisi per potentias sibi congenitas, intellectum scilicet et voluntatem; sic gratia sanctificans, quæ accedit homini velut nova natura, comites individuas habet virtutes infusas, per quas veluti per supernaturales potentias supernaturaliter operatur. Sunt quidem et ipsæ singularia Dei dona et gratiæ habituales; quia permanenter inhærent, justificationemque integraliter perficiunt; sed insuper sortiuntur nomen virtutis; quia ad benè operandum proximè disponunt. Quid est enim virtus ad mentem sancti Augustini lib. 2 de lib. Arbitrio c. 18, et sancti Thomæ 1-2, quæst. 55, art. 4, nisi *qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur?* Verùm quia virtus infusa non uno modo accipitur, nec in quâlibet acceptione ad justificationem pertinet.

Q. 1 : *Quotuplex est virtutis infusæ acceptio?* — R. Duplex; alia dicitur infusa quoad modum duntaxat: alia infusa quoad entitatem.

Q. 2 : *Quid est virtus infusa quoad modum?* — R. Est virtus à Deo animæ indita, quamvis actuum frequentatione naturaliter acquiri possit, ut dona linguarum et notitia Scripturarum, quæ per infusionem in Apostolis extitêre, licet studio et labore illa utcumque comparare potuissent. Virtutes autem ejusmodi sic divinitùs concessæ, non magis specie ab acquisitis differunt, quàm vita defuncto Lazaro restituta differt à vitâ quam priùs à parentibus hauserat.

Porrò de virtutibus sic infusis hîc non est

sermo. Constat enim apud omnes Theologos, illas in justificatione non infundi; alioquin habitus vitiosi, ex longâ peccandi consuetudine contracti, virtutibusque acquisitis formaliter oppositi, per justificationem prorsùs delerentur, quod vel ipsa experientia falsum evincit. De solis itaque virtutibus quoad entitatem infusis hìc agitur.

Q. 3 : *Quid est virtus infusa quoad entitatem?* — R. Est virtus entitativè supernaturalis, et à solo Deo producibilis, ut charitas.

Q. 4 : *Quare virtus per se infusa est entitativè supernaturalis?* — R. Quia fertur in objectum lumine et motivo supernaturali, tenditque in Deum possidendum ut in se est.

Q. 5 : *Virtus per se infusa differtne essentialiter à virtute acquisitâ, v. g., temperantia infusa à temperantiâ acquisitâ?* — R. Prorsùs differt. Quia secundùm omnes philosophos, actus et habitus essentiam suam desumunt ab objecto formali, seu motivo, quo tendunt in objectum materiale. Hinc justitia, misericordia et gratitudo, licet versentur circa idem objectum materiale, puta pecuniam, sunt tamen diversæ specie virtutes, qui diversæ motivo pecuniam spectant, justitia ut debitam, misericordia ut aptam ad sublevandum proximum, gratitudo ut munus antidorale; atqui virtutes per se infusæ, ut temperantia, tendunt in objectum materiale, motivo longè diverso à motivo virtutum acquisitarum, puta temperantiæ, castitatis; nam temperantia acquisita refrenat voluptatem carnalem, quia dedecet naturam rationalem; infusa verò, quia indigna est Filio Dei, membro Christi, retardatque anhelantem ad divinum consortium. Ergo virtutes infusæ et acquisitæ, quamvis versentur circa idem objectum materiale, essentialiter differunt.

Confirmatur, simulque elucidatur nostra responsio. In homine justo triplicis generis lumen distinguitur, 1° lumen sensuum, quod movet passiones, puta amoris, gaudii, tristitiæ, etc.; 2° lumen rationis, quod præest liberis voluntatis affectibus, scilicet amoris, gaudii, tristitiæ, etc.; 3° supernaturale lumen fidei, quo reguntur similes animi affectus; atqui in omnium sententiâ motus amoris, gaudii, tristitiæ, spectati ut passiones appetitûs sensitivi, essentialiter differunt à similibus motibus appetitûs rationis, propter diversum modum tendendi in objectum materiale utrique appetitui commune; ergo à fortiori iidem motus appetitûs rationalis solo rationis lumine imperati, specie distinguuntur à similibus actibus virtutum infusarum; cùm posteriores illi actus supernaturali lumine, et longè sublimiori motivo eliciantur.

Ergo sicut mores brutorum induit, qui non ratione, sed carnali sensu ducitur; sic Christianus à nobilitate filiorum Dei degenerat, et ad vilitatem pristinæ conversationis relabitur, qui sine supernaturali lumine ducem rationem sequitur. Justus quippe transcendit humanam conditionem, sicut homo pecorinam, ut non suo, sed Spiritu Christi inhabitante regatur, juxta illud Rom. 8 : *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.*

Q. 6 : *Quare virtus per se infusa, est à solo Deo producibilis?* — R. Quia est donum supernaturale et divinum; quemadmodùm enim solus ignis ignitum reddere potest, inquit S. Thomas, ita solus Deus in ordine supernaturali et divino constituere.

Dices : De fide est hominem justum bonis operibus crescere in justitiâ; atqui incrementum illud est nova productio gratiæ sanctificantis et virtutum infusarum; ergo. — Distinguo majorem : Justus potest crescere meritoriè, et ut causa moralis, concedo; crescere ut causa physica, ita ut per actus suos supernaturales physicè producat illud augmentum gratiæ sanctificantis et virtutum infusarum, nego maj.

Instas : Actus naturales sæpiùs repetiti in sententiâ plurium philosophorum physicè generant habitum acquisitum; ergo à pari actus supernaturales physicè producunt habitum supernaturalem. — Nego consequentiam et paritatem. Ratio disparitatis est, quòd habitus acquisiti sint formæ proportionatæ potentiis animæ, et ex illis naturaliter educantur ab agente naturali; habitus verò infusi ordinem cujusque naturæ creatæ excedant, propterea-que dicantur supernaturales, quia anima, ut eorum sit susceptiva, debet divinitùs elevari et corroborari. Justus autem bonis suis meretur, ut Deus *det... secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem,* Ephes. 3, v. 16.

Q. 7 : *Quomodò dividuntur virtutes infusæ?* — R. Dividuntur in Theologicas et Morales.

Q. 8 : *Quid est virtus Theologica?* — R. Est virtus infusa, quæ habet Deum pro objecto materiali primario, et aliquod ejus attributum pro formali. Vocatur autem Theologica, à nomine græco Θεός, latinè Deus, quia versatur circa Deum, et est regula divini cultûs.

Ergo sunt tres virtutes Theologicæ, his verbis ab Apostolo notatæ, 1 Corinth. 13, v. 13 :

Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc; major autem horum est Charitas. Namque totuplex est virtus Theologica, quotuplex est virtus, quæ erga Deum rectè disponit, nosque illi immediatè conjungit; atqui triplex est ejusmodi virtus. Cùm enim in hâc vitâ per fidem ambulemus, et non per speciem, 1° fide credimus Deum, et cætera quæ nobis revelavit, quia verax est, nec falli nec fallere potest; 2° spe confidimus nos Deum tanquàm ultimum nostrum finem et beatitudinem consecuturos, tentationesque superaturos, quia est omnipotens et infinitè misericors; 3° charitate Deum super omnia diligimus, et proximum sicut nosmetipsos propter illum; quia est summè bonus et infinitè amabilis. Ergo tres sunt reverà virtutes Theologicæ.

Q. 9 : *Quid est virtus infusa moralis?* — R. Est virtus supernaturalis, quæ Deum non habet pro objecto, definirique potest, virtus infusa, quæ in mediocritate consistens, versatur circa bonum creatum motivo supernaturali.

Q. 10 : *Quare virtus moralis infusa in mediocritate consistit?* — R. Quia objectum ejus est bonum finitum utpote creatum, ac proinde potest esse excessus in illius prosecutione; v. g., potest quis esse in cultu divino superstitiosus, nimis abstinere à cibo, nimis se dejicere. Virtutes verò Theologicæ, cùm pro objecto habeant bonum infinitum, non pugnant nisi contra defectum, qui sæpissimè contingit; ideòque nobis semper cum Ecclesiâ congeminare incumbit, *da nobis fidei, spei et charitatis augmentum.* Et cum Apostolis Luc. 17 : *Adauge nobis fidem*, quis enim tantam fidem adhibet Deo, aut tam firmam spem in illo reponit, quantam meretur et exigunt harum virtutum motiva? Notum est sancti Bernardi effatum : Modus diligendi Deum, est amare sine modo.

Q. 11 : *Cur virtutes Theologicæ non dicuntur morales, cùm longè perfectiori modo mores dirigant?* — R. Sunt quidem morales; sed proprium nomen sibi vindicant tanquàm nobilissimæ virtutum species, quemadmodùm homo, licet sit et ipse animal; quia tamen habet aliquid præstantius, speciali nomine insignitur.

Q. 12 : *Quotuplex est virtus moralis?* — R. Generatim dividitur in quatuor virtutes cardinales, scilicet prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam.

Q. 13 : *Quare quatuor illæ virtutes dicuntur cardinales?* — R. Quia sunt præcipuæ virtutes inter morales, et tanquàm cardines, quibus cæteræ innituntur. Primò namque virtus in vitium vertitur, nisi dirigatur rectâ ratione, quæ est necessaria morum regula. Atqui prudentia est ipsamet recta ratio; definitur enim ab Aristotele, recta ratio agendorum; ergo omnis virtus prudentiæ innititur.

Dices : Fides est Christiano certa morum regula; ergo mores Christiani non innituntur prudentiæ. — Distinguo anteced. : Est regula generalis per prudentiam infusam applicanda particularibus casibus, concedo; est regula particularis in praxi à prudentiâ independens, nego antec. Itaque, etiamsi fidelis in lege Domini apprimè edoctus, noverit quid Evangelium præcipiat aut prohibeat, egregiè disserat de dilectione Dei et proximi, de contemptu rerum temporalium, de patientiâ et de singulis gradibus humilitatis; nihilominùs nisi sit vir prudens et bonus, tanta scientiæ supellex in illo prorsùs inanis est, et ad praxim inutilis. Quid ita? quia inordinati affectus judicium ejus corrumpunt in casibus particularibus, judicat humilitatem in iis circumstantiis fore ignaviam, ad zelum rectitudinis pertinere, si honorem sibi debitum vindicet, si impios deprimat, adeò ut nunquàm occasio sese offerat (ut retur) ad praxim redigendi, quæ alios sublimiter docet. Hinc luctuosa S. Bernardi querimonia lib. 2 de Consider. cap. 1 : *Nempe sic se habent mortuorum corda; quod scimus, cùm necesse non est, in necessitate nescimus,* nimirùm quando natâ occasione præceptum urget. Ex quibus S. Thomas post Philosophum concludit, scientiam quidem remanere in peccatoribus, idem de fide dicito; prudentiam verò minimè, quia peccatores in praxi judicant prout affecti sunt, hoc est malè. Prudentiæ autem subserviunt, 1° cura et sollicitudo rerum divinarum contra negligentiam; 2° docilitas contra temeritatem et præsumptionem, quæ saniora consilia nec inquirit, nec datis acquiescit; 3° circumspectio, quæ est attenta consideratio circumstantiarum contra animi levitatem et inconsiderationem.

Secundò, cùm justitiæ officium sit omnibus reddere debitum : *Cui tributum, tributum... cui honorem, honorem,* inquit Apostolus Rom. 13, sub illâ militant religio, pietas, observantia, gratitudo, liberalitas, veracitas, affabilitas, eutrapelia; harum quippe virtutum officia alios ita spectant, ut omninò omitti non possint sine illorum offensione, ac proinde quamdam habent rationem debiti.

Tertiò, fortitudo, quæ animam firmat in periculis, labore et quibuslibet adversis, sub se continet patientiam, perseverantiam sive con-

stantiam, magnanimitatem, quæ inclinat ad actus excellentes et heroicos, arduos quidem, sed animo generoso consentaneos. Unde fortitudo definitur à S. Augustino lib. de Moribus Eccl. cap. 15, amor omnia propter Deum facilè perferens.

Quartò, temperantia (quæ moderatur delectationes sensibiles, maximè gustûs et venereorum, utpote quæ vehementiùs contra rationem nitantur) complectitur abstinentiam, sobrietatem, castitatem, pudicitiam, quæ aversatur quodlibet incontinentiæ signum in verbis, tactibus et aliis corporis motibus; verecundiam, quæ est timor et aversio cujuscumque turpitudinis; honestatem, quæ servat morum candorem et venustatem; mansuetudinem et clementiam, quæ cohibent iræ impetum et vindictæ appetitum; humilitatem seu modestiam, quâ quis verissimâ su cognitione sibi vilescens reprimit motus animi in magna tendentis; studiositatem, quæ refrenat inordinatam sciendi libidinem.

Q. 14° : *Omnes recensitæ virtutes infunduntur ne in justificatione?* — R. 1° : Constat apud omnes Catholicos infundi fidem, spem et charitatem. Quin multi theologi, ut Vega lib. 7, cap. 24, in concilio Tridentino, Suarez lib. 3 de Gratiâ, cap. 8, et alii, docent illud esse dogma fidei in concilio Tridentino definitum.

Probatur 1° ex Scripturâ Rom. 5, v. 5 : *Charitas diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Ergo et fides simul, et spes. Fides quidem, quia charitas, seu amor Dei, non potest esse sine prælucente cognitione : *per fidem* autem *ambulamus, et non per speciem,* 2 Cor. 5. Spes quoque, quia sine spe divini auxilii charitas non tendit in amplexus Sponsi summè delecti. Hinc Apostolus 1 Cor. cap. 13, concludit in hæc verba : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* In quibus autem manent? non in infidelibus, ut patet, neque in peccatoribus, qui charitate carent. Ergo in justis.

Probatur 2° ex concilio Tridentino sess. 6, cap. 7, ubi sic habet : « Hanc dispositionem..... justificatio ipsa consequitur ; quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. » Quæ autem sunt illa dona, nisi fides, spes, et charitas ? « Hæc enim, inquit S. Augustinus Enchir. cap. 4, maximè, imò verò sola, religione sequenda sunt : » Unde Tridentini Patres citato capite sic inferunt : « In.....justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem. » Ac tandem canone 11, definiunt : « Si quis dixerit, homines justificari.... solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, anathema sit. »

Probatur 3° ratione, quia ad suavem Dei providentiam pertinet tribuere causis secundis principium intrinsecum, suis operationibus proportionatum ; sic, v. g., naturam pecorinam, quæ est prima radix sensationum, instruxit sensibus, per quos proximè elicit operationes animales seu sensationes ; naturæ rationali dedit intellectum et voluntatem, quæ sunt principia proxima actuum humanorum. Atqui gratia sanctificans est quædam natura supernaturalis, si ita loqui fas est, seu divinus perfectionis gradus, non solùm naturam pecorinam et rationalem, sed quamcumque creabilem excedens, quæ essentialiter ordinatur ad operationes sibi consentaneas; hoc est, supernaturales et divinas ; cùm modus operandi sequatur modum essendi ; ergo debentur illi virtutes infusæ tanquàm potentiæ similiter supernaturales et divinæ. Atque hâc ratione Theologi communiter in primâ parte agnoscunt in Beatis lumen gloriæ per modum habitûs, quo intellectus eorum intrinsecè perficitur ad eliciendam connaturaliori modo visionem Dei intuitivam. Unde confirmatur nostra responsio. Gratia sanctificans est ejusdem naturæ et essentiæ, sive in patriâ, sive in viâ ; per illam Beati æquè ac viatores formaliter constituuntur sancti, amici Dei, et consortes divinæ ejus gratiæ ; actus ad quos naturaliter et primariò tendit in utroque statu, sunt Dei cognitio et amor ; quid enim amicitiæ connaturalius quàm amare, et in cognitione amati deliciari ? Atqui Beati in cognitione et amore Dei non deliciantur, nisi mediantibus habitibus luminis gloriæ et charitatis ; ergo nec justi viatores, nisi mediantibus habitibus fidei, spei et charitatis, juxta illud Apostoli Rom. 1 : *Justus autem ex fide vivit,* radicaliter quidem et habitualiter ex gratiâ sanctificante, actualiter verò ex fide, non mortuâ ; implicat enim animam vivere per aliquid mortuum; sed ex fide vivâ, quæ per dilectionem operatur. Fidei et charitati spes in nobis adjungitur ; quia non ambulamus per speciem ad quam ultimò tendit gratia sanctificans, sed eam expectamus in spe, quæ viva esse nequit, quin admixtum gemitum habeat : teste eodem Apostolo Rom. 8 : *Nos ipsi primitias spi-*

ritùs habentes....intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes.. spe enim salvi facti sumus. Et infra : *Spiritus* (qui datus est nobis) *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ex quibus patet fidem, spem, et charitatem nunquàm separari à gratiâ sanctificante in viatoribus justis : vitamque novam, quam peccatores in Sacramento percipiunt, in actibus harum virtutum maximè consistere.

R. 2 : Cùm concilium Tridentinum et alia præcedentia nihil expressè statuerint circa virtutes morales, controversia est inter Theologos, utrùm reverà in justificatione infundantur. Nihilominùs communior et longè probabilior est affirmans sententia sancti Thomæ 1-2, quæst. 63, art. 3, et quæst. 65, art. 3, et totius ejus scholæ. Illam quoque amplexi sunt Richardus, S. Bonaventura, Vega, lib. 7 in conc. Trident. cap. 24. Catechismus romanus, qui inter effectus baptismi numerat *nobilissimum omnium virtutum comitatum, quæ in animâ simul cum gratiâ infunduntur.* Favet etiam S. Augustinus, qui in Psalmum 83 sic de virtutibus cardinalibus loquitur : *Illæ virtutes nunc in valle plorationis per gratiam Dei donantur nobis.* Idipsum suadet ratio mox allata in confirmationem præcedentis responsionis. Namque gratia sanctificans est principium radicale et remotum omnium bonorum; constituit hominem formaliter justum, quatenùs paratum illum reddit ad implendam totam legem, quæ præcipit de actibus omnium virtutum, ut dicitur 5 Ethic. cap. 1. Ergo gratiæ sanctificanti veluti novæ naturæ, debent respondere habitus omnium virtutum, tanquàm potentiæ supernaturales et principia proxima actuum supernaturalium, qui ipsi competunt; quemadmodùm naturæ rationali respondent potentiæ rationales, intellectus scilicet et voluntas, quæ sunt principia proxima actuum rationalium, ad quos inclinat.

Dices 1° : Qui habet habitum virtutis, promptè et delectabiliter operatur ea quæ sunt virtutis. Atqui experientiâ constat peccatores post perceptum pœnitentiæ Sacramentum, in quo peccata per infusionem gratiæ sanctificantis remissa sunt, easdem pati difficultates, quas ante justificationem, circa materias virtutum, sive theologicarum, sive moralium; ergo nullæ virtutes in justificatione infunduntur, sed acquiri debent studio et labore. — Respondeo 1°, hujusmodi experientiam non esse universalem. Plurimi quippe, etsi post conversionem, tentationibus etiam gravibus pulsentur; mente tamen condelectantur legi Dei, et ad divina piè se affectos sentiunt. Hujusce mutationis unus ex benè multis testis sit Augustinus, qui de se sic scribit lib. 9 Confess. cap. 2 : « Quam suave mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat! Ejiciebas enim eas à me, vera et tu summa suavitas, ejiciebas, et intrabas pro eis, omni voluptate dulcior. » Quare ex quorumdam experientiâ rectiùs concluderetur illos posuisse obicem gratiæ, nec rem Sacramenti percepisse. Respondeo 2°: Concessâ majore, distinguendo min. : Peccatores post conversionem patiuntur easdem difficultates propter impedimenta externa, puta vitia priùs contracta, quæ, quamvis per infusionem gratiæ sanctificantis lethale vulnus accipiant, ut loquitur S. Thomas, nihilominùs per virtutes infusas non tolluntur, quemadmodùm per acquisitas, utpote quæ illis non sunt contraria sicut istis, concedo; easdem patiuntur difficultates ex ipsâmet voluntate malè affectâ erga Deum et objecta virtutum moralium, nego min. ; alioquin non essent conversi; nam vera conversio nequit esse sine odio peccati et amore justitiæ, in quibus consistit rectitudo voluntatis et essentia virtutis. Esto, contra illam rectitudinem pugnent caro et vitia contraria, quæ officium virtutis reddunt difficile; quemadmodùm, inquit S. Thomas, somnolentia, quâ gravatur philosophus, impedit usum habitûs, qui in ipso est, et injucundum efficit.

Instas : Ex venerabili Bedâ, sancti magis humiliantur de virtutibus, quas non habent, quàm de virtutibus, quas habent, gloriantur; ergo non omnes virtutes in justificatione infunduntur. Distinguo anteced. : Quas non habent quoad actum; quia nonnunquàm propter difficultates et exteriora impedimenta venialiter peccant, concedo; quas non habent quoad habitum, nego antec. Quis enim dixerit virum sanctum non habere habitum religionis aut charitatis, ex eo quòd præ infirmitate oratio ejus sit aliquando tepida, aut duriusculum verbum in proximum protulerit?

Dices 2° : Saltem prudentia in justificatione non infunditur, cùm eâ careant pueri, idiotæ et plures mulierculæ. Ergo. Distinguo antec.: prudentia, quæ unicuique ad salutem minimè sit necessaria, concedo : prudentia cuique ad salutem necessaria, nego antecd. Verum quidem est non quemlibet justum pollere eâ excellenti prudentiâ, quâ possit sibi et aliis in omnibus consulere sine sapientium auxilio. Sed quivis puer aut idiota, si verè sit justus, ha-

bet illas prudentiæ partes, sine quibus mores dirigi nequeunt, nempe curam et sollicitudinem rerum divinarum, ne in negotio salutis negligentia subrepat; docilitatem, quâ de se ipso non præsumens, consilium à sapientioribus inquirit et suscipit; circumspectionem, quâ operis aggrediendi circumstantias perpendit, ne quid leviter et inconsideratè moliatur.

Dicat ergo justificatus à peccatis: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ, et quasi sponsam ornatam monilibus suis,* Isa. 16, v. 10. Non abjiciat per peccatum tantam Dei gratiam; sed sicut priùs exhibuerat membra sua servire iniquitati, ita nunc exhibeat illa servire justitiæ in sanctificationem, ut docet Apostolus Rom. 6.

Cùm autem justus per fidem, spem et charitatem Christo sit insertus, ut loquitur concilium Tridentinum, et lumen fidei sit in ipso superadditum lumini rationis, quemadmodùm ipsa ratio in homine superaddita est lumini sensuum; rectus ordo postulat, ut justus justè et supernaturaliter vivat, et ex fidei imperio rationem, sensus et omnes facultates suas dirigat ad finem, quem fides demonstrat, spes appetit, et charitas apprehendit. Unde mirum videri debet, quomodò homini christiano excidere potuerit hæc propositio, primùm damnata ab Alexandro VII, deinde à clero Gallicano: « Homo nullo unquàm vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. » Nam ex S. Augustino supra laudato, « hæc maximè, imò sola, in religione sequenda sunt. »

§ 3. *De donis Spiritûs sancti.*

Q. 1 : *Quid est donum Spiritûs sancti?* — R. Est habitus supernaturalis, quo homo disponitur ad accipiendas extraordinarias Spiritûs sancti motiones ad propriam salutem.

Dicitur 1° *habitus supernaturalis*, 1° quia permanenter inhæret, ut habetur Isaiæ 11 : *Requiescet super eum Spiritus... sapientiæ*, etc. Nam requies permanentiam significat. 2° Ut distinguatur à virtutibus; quamvis enim ratio generica virtutis conveniat donis, cùm ipsa faciant bonum habentem se et opus ejus optimum; nihilominùs non solent dici virtutes simpliciter, sed dona: quia virtus pressiùs sumpta, regitur prudentiâ in actionibus ordinariis et mediocribus; donum verò supra prudentiam inclinat ad actus excellentes, heroicos et divinos per inspirationem et motionem Spiritûs sancti. Unde virtus infusa subest prudentiæ infusæ, donum verò Spiritui sancto, tanquàm proprio motori.

Dicitur 2°, *ad recipiendas extraordinarias Spiritûs sancti motiones*; quia ex S. Thomâ 1-2, q. 68, a. 1 : « Omne quod movetur, necesse est proportionatum esse motori... quantò igitur movens est altior, tantò necesse est quòd mobile perfectiori dispositione ei proportionetur; sicut videmus quòd perfectiùs oportet esse discipulum dispositum ad hoc, quòd altiorem doctrinam capiat à doctore. Manifestum est autem, quòd virtutes humanæ perficiunt hominem, secundùm quod homo natus est moveri per rationem in iis, quæ interiùs vel exteriùs agit; oportet igitur inesse homini altiores perfectiones, secundùm quas sit dispositus ad hoc quòd divinitùs moveatur. Et illæ perfectiones vocantur dona. »

Dicitur 3°, *ad propriam salutem*, ut significetur donum Spiritûs sancti pertinere ad gratiam gratum facientem, et distingui à gratiis gratis datis, quæ, ut observavimus, dantur ad aliorum salutem. Hinc sapientia et scientia, quæ numerantur inter gratias gratis datas, dicuntur sermo sapientiæ et scientiæ, quia sunt ad illos erudiendos in lege divinâ; sapientia verò et scientia sumptæ pro donis Spiritûs sancti, perficiunt habentem se in ordine ad divina; per sapientiam ad illa suaviùs et excellentiùs contemplanda movetur; et per scientiam ad temporalia extraordinario modo contemnenda.

Q. 2 : *Numquid necessaria est Spiritûs sancti motio, ut habitus virtutum infusarum in actum prorumpant?* — R. Procul dubio necessaria est; quia homo habitibus infusis uti non potest sine supernaturali illustratione seu cognitione, et sine piâ voluntatis affectione, quæ sunt motiones Spiritûs sancti, sed longè dispares à motionibus ad usum donorum requisitis. Nam priores motiones sunt ordinariæ, et ad humanum agendi modum attemperatæ; posteriores contra excedunt communem agendi rationem, tenduntque ad actus heroicos. Unde actus illi non ita frequentes sunt in justis ac virtutum actus, v. g., oratio ad quam justus divinitùs moveri necesse est, frequens est et assidua, sublimis verò contemplatio rarior et brevior.

Q. 3 : *Suntne admittenda dona à virtutibus distincta?* — R. Negari non potest, quin homines aliquando extraordinariè à Spiritu sancto

moveantur: harum quippe motionum plura habentur exempla, tum in Scripturis, tum in traditione ecclesiasticâ. Samson instinctu divino columnas cœnaculi concussit, Jud. 16. Salomon judicium tulit, 3 Reg. c. 3. Eleazarus elephanti se supposuit, 2 Mach. 6. Simeon venit in templum, Luc. 2. Sancta Apollonia spontè in rogum exiliit, ex S. Dionysio Alexandrino apud Eusebium lib. 6 Hist. c. 4. Rationem affert sanctus Thomas 1-2, qu. 68, art 1, quia « sicut... vires appetitivæ natæ sunt moveri per imperium rationis : ita omnes vires humanæ natæ sunt moveri per instinctum Dei, sicut à quâdam superiori potentiâ. » Quin et ipse Aristoteles ejusmodi divinas inspirationes agnovit, lib. 7 Moral. c. 18, ejusque testimonium laudat S. Thomas art. 1, his verbis: « Philosophus etiam dicit... quòd his qui moventur per instinctum divinum, non expedit consiliari secundùm rationem humanam; sed quòd sequantur interiorem instinctum : quia moventur à meliori principio quàm sit ratio humana. »

Sed controversia est in Scholâ, num dona sint habitus à virtutibus distincti. Negant Scotus et alii non pauci, contenduntque esse actus eximios virtutum infusarum. S. verò Thomas 1-2, q. 68, et alii communiter, quibus subscribimus, docent dona esse habitus à virtutibus distinctos, 1° quia in Scripturis exprimuntur ut aliquid permanens, Isaiæ c. 11 : *Requiescet super eum Spiritus Domini*. Joan. 14 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Unde S. Gregorius lib. 2 Moral. c. 14 : « In illis donis, sine quibus ad vitam perveniri non potest, Spiritus sanctus in electis omnibus semper manet; sed in aliis non semper manet. » 2° Quia dona altiori et nobiliori modo versantur circa materiam virtutum, quàm ipsæ virtutes. Ergo sicut liberalitas et magnificentia, quæ versantur circa idem objectum, puta pecuniam erogandam, sunt diversi habitus, quia diversimodè largitionem respiciunt, liberalitas ut mediocrem, magnificentia ut splendidam et magnificam, quando decet, similiter dona et virtutes distingui debent; cùm dona disponant ad actus sublimiores, virtutes contra ad actus mediocres.

Q. 4 : *Dona suntne habitus præstantiores virtutibus?* — R. Distinguendum cum S. Thomâ. Si dona conferantur cum virtutibus Theologicis, sunt inferiora; quia per virtutes Theologicas anima Deo conjungitur : per dona verò disponitur duntaxat ad suscipiendam Spiritùs sancti motionem; atqui multò præstantius est conjungi Deo, quàm disponi ad ejus inspirationem, quæ est consectarium quoddam, et velut appendix divinæ illius unionis. Sed si dona conferantur cum aliis virtutibus, sive intellectualibus, sive moralibus, præstantiora sunt; quia disponunt ad motionem extraordinariam Spiritûs sancti, quæ superior est motione rationis, ad quam disponunt virtutes morales. « Manifestum quippe est, inquit S. doctor, quòd ad altiorem motorem oportet majori perfectione mobile esse dispositum. »

Q. 5 : *Quot sunt dona Spiritûs sancti?* — R. Septem numerantur, Isa. 11, his verbis : *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectûs, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Ex his donis quatuor, scilicet sapientia, intelligentia, scientia et prudentia, seu consilium, perficiunt rationem; tria verò voluntatem, nempe pietas, fortitudo et timor.

Q. 6 : *Quomodò probatur septenarius ille donorum numerus?* — R. Probatur 1° ipsâ Prophetæ enumeratione; 2° auctoritate sanctorum Patrum, sancti Ambrosii lib. 5 de Spiritu sancto cap. 2; Hieronymi in caput 11 Isaiæ; Augustini lib. 2 de Doctrinâ Christ. cap. 7; sancti Gregorii lib. 1 Moral. cap. 28; consensu Theologorum et totius Ecclesiæ, quæ illum numerum hactenùs retinuit. Calvinus exsufflat et ridet illam auctoritatem; quia in hebræo pietas et timor pro reverentiâ sumuntur, et eodem nomine exprimuntur. Sed lugenda ejus vanitas et præsumptio, quâ se oculatiorem credit septuaginta Interpretibus et sancto Hieronymo, qui idem nomen in textu hebræo repetitum, duo significare interpretati sunt, nimirùm pietatem et timorem reverentialem; quemadmodùm apud Latinos timor significat et metum, et reverentiam. 3° Probatur ratione, quia dona ex dictis idem cum virtutibus habent objectum materiale, sed disponunt ad actus sublimiores circa illud eliciendos. Ergo tot admittenda sunt dona quot numerantur virtutes : atqui præter virtutes Theologicas, quas præsupponunt dona tanquàm sui radices, septem numerantur virtutes, quatuor intellectuales, quæ disponunt ad actus bonos, scilicet intelligentia, sapientia, scientia et prudentia; tres in voluntate, nimirùm justitia, fortitudo et temperantia. Ergo totidem admittenda sunt dona ejusmodi virtutes perficientia.

Q. 7 : *Quomodò se habet quodlibet donum ad*

Virtutem cui respondet? — R. Satisfiet quæstioni, si conferatur actus cujuslibet doni cum actibus virtutis ipsi agnatæ. Itaque primò, actus virtutis intelligentiæ, quæ vulgò dicitur habitus principiorum, est cognitio primorum principiorum, v. g.: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; totum est majus suâ parte.* In religione autem christianâ prima principia sunt propositiones fidei, ex quibus deduci, et ad quas reduci oportet omnem supernaturalem fidelium cognitionem quantumcumque sublimem; alioquin abjicienda est tanquàm à spiritu erroris immissa, qui aliquando se transfigurat in Angelum lucis. Porrò per prudentiam judicamus Deum hoc aut illud dixisse, per fidei virtutem actu et de facto idipsum judicantes credimus. En actus virtutis fidei. Nonnunquàm autem fidelis, etiam idiota, instinctu Spiritûs sancti eâ firmitate credit, et tantâ luce percipit mysterium revelatum, v. g., Filium Dei esse incarnatum, ut sibi videatur hactenùs non credidisse sicut oportet. En actus doni intelligentiæ.

Secundò, per virtutem sapientiæ ratio gratiâ Dei adjuta, de rebus divinis, tanquàm de altissimis causis, et ex iis de creatis rectè judicat. Per donum verò sapientiæ justus aliquando non rationis ductu, sed Spiritûs sancti instinctu movetur ad sublimiorem cœlestium contemplationem, quam sanctus Augustinus testatur se fuisse expertum, l. 10 Conf. c. 40: « Aliquando, inquit Deum alloquens, intromittis me in affectum multùm inusitatum introrsùs, ad nescio quam dulcedinem; quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit; sed recido, » etc. Quia brevis est et admodùm rara illa beatæ vitæ prælibatio.

Tertiò, virtus scientiæ ad hoc disponit, ut ratio de temporalibus rectè judicet, nimirùm non esse æstimanda aut appetenda, nisi quatenùs deservire possunt ad æternam beatitudinem consequendam. At per donum scientiæ justus ulteriùs judicat illa esse abjicienda (quantùm fieri potest), veluti onera et impedimenta, quæ retardant animam ad Deum anhelantem. Verùm quia vitæ necessitas cogit servire hujusmodi vanitatibus, donum scientiæ tantùm abest ut inflet, quemadmodùm scientia philosophorum, quin justum dejicit, et secundùm sanctum Augustinum, naturaliter parit donum lacrymarum.

Quartò, virtutis prudentiæ proprium est in dubiis consulere secundùm rectam rationem; Spiritus autem sanctus nonnunquàm justis inspirat consilia, quæ communem agendi rationem et humanam prudentiam superant; et ideò à prudentibus seculi temeraria et stulta facilè judicantur. *Animalis homo*, inquit Apostolus 1 Cor. 2, *non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei; stultitia enim est illi.*

Quintò, per justitiæ virtutem justus disponitur ad reddendum cuique debitum: *cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem,* Rom. 13. Per donum autem pietatis fit promptè à Spiritu sancto mobilis ad extraordinariam reverentiam, quà Deo, personis et rebus sacris, pauperibus et omnibus hominibus, quatenùs ad Christum pertinent, longè ultra debitum exhibet quod justitia, religio, et misericordia præscribunt.

Sextò, virtus fortitudinis justum in periculis, juxta dictamen rationis et communes prudentiæ regulas firmat contra inordinatos timoris et audaciæ motus. Per donum verò fortitudinis disponitur ad heroicos actus, instinctu divino eliciendos, ut videre est in laudatis exemplis Samsonis, Rasiæ, 2 Machab. 14, et Apolloniæ.

Septimò, per virtutem temperantiæ justus moderatè utitur rebus delectabilibus. Per donum verò timoris reverentialis erga Deum, omnes delectationes, quantùm potest, abjicit vitæ austerioris studio, ut animam castam et puram conservet Deo suo, qui Exod. 20, *est fortis zelotes,* et Jac. c. 4, *ad invidiam concupiscit.*

Cæterùm, Theologi hìc monent, heroica illa opera, præsertim quæ quarto et sexto dono tribuuntur, non esse ambienda sine speciali Spiritûs sancti instinctu, qui præsumitur in iis, quos Scriptura laudat et Ecclesia commendat; alioquin nec Samson, nec Rasias, nec Apollonia à gravi peccato excusari possent. Quare animarum rectores, sicut non debent agere, nisi secundùm rectæ rationis et prudentiæ regulas, ita nec aliis consulere. Justi equidem sunt semper dispositi ad omnem Spiritûs sancti motum; sed supra rationem non moventur nisi extraordinariè, contra rationem verò nunquàm.

Q. 7: *Dona suntne habitus distincti à duodecim fructibus Spiritûs sancti, de quibus Galat.* 5, *et ab octo beatitudinibus, quæ laudantur, Matth. c.* 5? — Respondet S. Thomas, fructus et beatitudines esse ipsosmet actus virtutum et donorum. Namque fructùs nomine intelligitur bonum labore et studio intentum et comparatum; v. g., ampla messis est fructus agricolæ. Si bonum illud sit ingens, dicitur beatitudo,

sive inchoata, sive perfecta; quia ejus possessio valdè delectat, et operantis desiderium quiescere facit. Si autem bonum sit exiguum aut mediocre, dicitur simpliciter fructus, non verò beatitudo; neque enim mercenarium dixeris beatum, ex eo quòd exiguam mercedem consecutus sit. Atqui bonum quod intenditur ex habitibus laudabilibus, sunt actus boni et laudabiles, v. g., cognitio rerum naturalium est bonum philosophi, et fructus habitûs quem studio comparavit. Ergo actus habituum infusorum sunt delectabiles justorum fructus : *Timor Domini delectabit cor,* Eccli. 1 : *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda,* Psalm. 17. Et S. Augustinus serm. 368, aliàs hom. 37, de actu amoris ex toto corde, ait : « Cùm ad istam felicem perfectionem veneris, omnes concupiscentias hujus mundi tanquàm stercora computabis, et cum Prophetà poteris dicere : *Mihi adhærere Deo bonum est,* » quemadmodùm parvulus ablactatus experientià cibi solidioris et suavioris lac nutricis fastidit. Quin et intimus dolor de peccatis est delectabilis pœnitentiæ fructus, juxta illud lib. de verâ et falsâ pœnitentiâ apud sanctum Augustinum : *Sic pœnitens de peccatis doleat, ut de dolore suo gaudeat.*

Ergo charitas, castitas et aliæ virtutes, quas numerat Apostolus cit. c. 5 Gal., non sumuntur pro habitibus, sed pro actibus, patetque ex ejus contextu; ibi enim opponit opera spiritûs operibus carnis : *Manifesta sunt,* inquit, *opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia,* etc. Tum subjungit de operibus bonis : *Fructus autem spiritûs est charitas, gaudium,* etc. Maluit autem dicere fructus, quàm opus, ut intelligeremus in illis actibus secundùm se spectatis, nullum inesse laborem, aut tristitiam, quemadmodùm carnales falsò arbitrantur; sed meram delectationem et pacem. *Crucem quidem vident, sed non etiam unctionem,* ait S. Bernardus serm. 1 de Dedic. Vident carnis afflictationes, sensuum mortificationes; sed non vident sancti Spiritûs consolationes. Deinde Apostolus actus illos vocat fructus, non justorum, sed Spiritûs sancti; quia licet justi ad illos actus vitaliter et liberè concurrant, Spiritus tamen sanctus illorum est auctor. *Deus est enim qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bonâ voluntate,* Philip. 2. Porrò sicut Apostolus non omnia carnis opera citato cap. numerat, sed quædam notiora duntaxat; sic non omnes fructus Spiritûs, sed nobiliores comprehendit in duodenario illo numero; omnes enim actus cujuslibet habitûs infusi, sive sit virtus, sive sit donum, est fructus spiritûs. Attamen fructus omnes non dicuntur beatitudines, sed soli actus donorum; quia ex dictis nomine beatitudinis intelligitur bonum insigne, in cujus possessione animus quiescit ; vel plenè et perfectè, si beatitudo sit perfecta, ut visio Dei intuitiva, quæ est operatio hominis præstantissima, et ultima ejus perfectio ; vel imperfectè, si beatitudo sit solùm inchoata, quæ in hâc vitâ exurgit ex actibus præstantioribus; operatio quippe præstantior magis perficit, et ampliùs delectat. Atqui ex dictis actus donorum sunt præstantiores actibus virtutum, utpote qui procedant à nobiliori motore : ergo beatitudines sunt propriè actus donorum.

Q. 8° : *Quomodò octo beatitudines conveniunt cuilibet dono?* — R. Alii aliter explicant. Secundùm sanctum Augustinum lib. 1 de Serm. Domini in monte, prima beatitudo tribuitur timori Domini, quo justus ob Dei reverentiam seipsum deprimit, honores, et omnia temporalia contemnit : « Rectè hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles et timentes Deum; nec aliunde omninò incipere oportuit beatitudinem; siquidem perventura est ad summam sapientiam; initium autem sapientiæ est timor Domini, quemadmodùm et è contrario, initium omnis peccati superbia scribitur. Superbi autem appetunt et diligunt regna terrarum. *Beati* autem *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* » cap. 2. Secunda beatitudo tribuitur pietati : « Namque mites sunt, qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum (scilicet propter Dei timorem et reverentiam). Rixentur ergo immites, et dimicent pro terrenis et temporalibus rebus. *Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram,* de quâ pelli non possunt » c. 3; et cap. 9 : « Inde venit (pauper spiritu) ad divinarum Scripturarum cognitionem, ubi oportet esse mitem pietate; ne etiam id quod imperitis videtur absurdum, vituperare audeat... mitibus hæreditas data est, tanquàm testamentum Patris per pietatem quærentibus. » Tertia convenit scientiæ : « In hoc gradu, in quo scientia est, lugetur amissi summi boni, quia inhæretur extremis, » c. 9; et c. 8 : « Scientia congruit lugentibus, qui cognoverunt in Scripturis, quibus malis teneantur. » Quarta congruit dono fortitudinis : « In quarto gradu, inquit sanctus doctor, labor est, ubi vehementer incumbitur, ut sese animus avellat ab eis quibus pestiferâ dulce-

dine innexus est. Hic ergo esuritur et sititur justitiâ, et multùm necessaria est fortitudo; quia non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur. » Quinta est effectus salutaris consilii : « Hoc enim unum remedium est evadendi de istis malis, ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus; et adjuvemus in quo possumus alios, sicut et nos cupimus adjuvari. » Sexta respondet dono intellectûs, quo sublimiùs res divinæ apprehenduntur : « Quemadmodùm enim lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis; ita nec Deus, nisi mundum sit illud, quo videri potest... mundis corde data est facultas videndi Deum, tanquàm purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus. » Septima tribuitur dono sapientiæ : « Pacificis Dei similitudo est tanquàm perfectè sapientibus, formatisque ad imaginem Dei... Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, et subjicientes rationi, id est, menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod in homine præcipuum est et excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia. » In octavâ beatitudine septem dona concurrunt, adeò ut non sit novus perfectionis gradus, sed probatio et declaratio præcedentium : « Septem sunt ergo, ait S. Augustinus cap. 9, quæ perficiunt; nam octava clarificat, et quod perfectum est, demonstrat. » Enimverò omnes, tam pauperes et humiles spiritu, quàm mites et alii, malè audiunt apud iniquos, linguis eorum proscinduntur, persecutionibus exagitantur ; sed beati si in iis tribulationibus gloriantur; quia ipsorum est regnum cœlorum.

Q. 9° : *Omnia dona infunduntur ne in justificatione ?*— R. Affirmans S. Thomæ sententia in scholâ est communior, probaturque, quia in justificatione homo inseritur Christo tanquàm membrum capiti, ut Spiritu ejus vivat et regatur : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, Rom. 8, v. 9. Ergo justus debet disponi ad excipiendas omnes motiones Spiritûs sancti ; disponitur autem ad ordinarias per habitus virtutum, ad extraordinarias verò per dona, ut patet ex dictis; ergo sicut in justificatione infunduntur habitus virtutum, ita et habitus donorum : « In ordine ad finem ultimum supernaturalem, inquit S. Thomas art. 2. qu. 68, ad quem ratio movet secundùm quod aliqualiter et imperfectè informata per virtutes Theologicas, non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus et motio Spiritûs sancti secundùm illud Rom. 8 : Qui *Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt*. Et ideò ad illum finem consequendum necessarium est homini habere donum Spiritûs sancti. »

In his enucleandis, quæ Schola vix attingit, diutiùs immorati sumus, quia operæ pretium est, ut clerici plenè noverint et frequenter doceant, quàm pretiosa et maxima dona conjuncta sint cum peccatorum remissione ; quàm divina adjumenta habeant justificati à peccato, ut relapsum caveant, et in bonis operibus abundent ; denique quid in peccatore prærequiratur, ut ad tot ac tanta dona recipienda dispositus censeatur.

(Habert), in Theologiâ ad usum seminarii Catalaunensis.

Appendix secunda.

De variis Scholæ systematibus circa gratiæ efficaciam et sufficientiam.

Omnes circa gratiæ efficaciam et sufficientiam in scholis catholicis agitatas opiniones, ad duas credimus posse revocari ; unam quæ gratiæ efficaciam et sufficientiam ex ipsâ utriusque gratiæ naturâ repetit; alteram verò, quæ ex voluntatis consensu vel dissensu.

Juxta priorem sententiam, est de naturâ gratiæ efficacis ut cum illâ voluntas bonum agat, simul et possit illud non agere ; de naturâ verò gratiæ sufficientis ut cum illâ voluntas bonum non faciat, et tamen possit illud facere, ita ut gratia efficax in solum cadat actum, non in potentiam, quam perfectam supponit et completam ; et sufficiens è contrario solùm afficiat potentiam, non actum. Gratia efficax, in hoc systemate, dicitur : *Prænotio physica*, vel etiam *Prædeterminatio physica*, eò quòd nimirùm voluntatem, antecedenter ad omnem ejus consensum, ad actum physicè moveat, determinet et applicet. Ita Thomistæ, sic dicti, quòd suam doctrinam esse velint ipsissimam doctrinam S. Thomæ.

Juxta alteram verò sententiam, non ex gratiæ naturâ repetendum est, quòd sit efficax vel merè sufficiens; sed ex eo quòd voluntas ei, prout voluerit, consentiat, vel dissentiat ; non quidem hoc absono sensu, quòd voluntas gratiæ vim aliquam addat ei consentiendo, vel adimat eidem dissentiendo; sed quòd gratia suo non donetur effectu, nisi in quantum vo-

untas ejus obsequitur motioni; nec suo privetur effectu, nisi in quantum voluntas ejusdem motioni refragatur; eo ferè modo quo Sacramenta suum non operantur effectum, nisi pro suscipientium dispositionibus; quamvis illæ dispositiones efficaciæ Sacramentorum nil prorsùs addant vel detrahant.

Itaque Deus ope *scientiæ mediæ*, de quâ in Tract. *de Deo*, ab æterno videt ex innumeris gratiis quas in suæ misericordiæ thesauris reconditas habet, alias esse quibus Petrus certò consentiat, si ipsi dentur; alias quibus certò dissentiat, si eidem conferantur. Porrò, si Deus ab æterno decreverit Petro dare gratiam primi generis, huic gratiæ Petrus certò consentiet; et erit gratia efficax : si secundi generis, illi Petrus certò dissentiet; et erit gratia purè sufficiens. Ita Molina, in lib. cui titulus, *de Concordiâ liberi arbitrii cum gratiæ donis*, etc., in quo suam ita fecit prædictam sententiam, ut dicta sit *Molinismus*.

Cùm autem liber ille plurium animas offendisset, et à multis fuisset de Semipelagianismo postulatus, insigniores Molinæ discipuli, Vasquesius præsertim et Suaresius, ut tantam à magistro criminationem repellerent, ipsâ servatâ substantiâ systematis, illud paulò aliter adornare conati sunt.

Igitur non dixêre cum Molinâ gratiam esse efficacem præcisè quia homo ei consentit; sed quia ipsa sic congruit cum omnibus circumstantiis in quibus homini datur, ut Deus, per *scientiam mediam*, ab æterno prævideril hominem huic gratiæ certò forè consensurum, si ei talibus daretur in circumstantiis. Hinc gratia efficax apud illos dicitur gratia *congrua*, ipsi verò dicuntur *Congruistæ*. Porrò, si ex tali *congruitate* habeat gratia quòd sit efficax, ex ejusdem proinde *congruitatis* defectu habebit, quòd sit duntaxat sufficiens.

Verùm cùm, ipsos juxta *Congruistas*, illa gratiæ cum hominis naturâ, indole, variisque, tum internis, tum externis dispositionibus attemperatio, verbo, *congruistas*, non sit efficax naturâ suâ; minùs videntur juxta rem ipsam, quàm juxta quosdam loquendi modos à Molinâ recedere. Si enim urgeantur, et ab illis quæratur ultima ratio, cur una gratia sit efficax, altera purè sufficiens, non concipitur quid aliud ab ipsis possit ultimatim responderi, quàm quod ab ipso Molinâ responsum est; adeò talem gratiam esse efficacem, quia voluntas ei consentit, talem verò merè sufficientem, quia voluntas illi dissentit.

Hoc igitur præcipuum ac fundamentale discrimen est inter systema Thomistarum, et systema Molinæ vel Congruistarum, quòd, juxta Thomistas, gratia efficax ita naturâ differat à gratiâ tantùm sufficienti, ut repugnet gratiam efficacem pro uno homine esse solùm sufficientem pro altero : juxta Molinam autem et Congruistas, adeò sit ejusdem naturæ hoc utrumque gratiæ genus, ut gratia efficax in uno homine possit esse purè sufficiens in alio; quinimò eadem numero gratia eodem in homine, pro variis circumstantiis, efficax esse possit, aut merè sufficiens.

Sibi verò sic opponuntur hæc duo systemata, ut arbitremur nullum inter illa medium excogitari posse; et ad alterutrum esse revocanda, quæ sub Augustinianorum et Thomassini nominibus celebrantur.

1° Quidem systema Augustinianorum ad alterutrum ex prædictis systematibus videtur reducendum. Nam Augustiniani, sic dicti, quòd Augustinum ducem et magistrum sequi gloriantur, in eo cum Jansenio consentiunt, quòd omnem gratiam reponant in cœlesti delectatione, superiori quidem et victrici, si habeat effectum; inferiori autem, si careat effectu : in hoc autem ab eodem differunt essentialiter 1° quòd dicant cœlestem delectationem non esse semper charitatem; 2° quòd velint sub illâ delectatione, si sit superior, veram et *relativam* esse peccandi potentiam; sub eâdem autem, si sit inferior, nullam esse, ne *relativam* quidem peccandi necessitatem. Atqui hæc doctrina, quantùm ad ipsam gratiæ efficaciam vel sufficientiam, in ipsum recidit systema Thomistarum aut Congruistarum. Hæc enim Augustinianorum delectatio, vel habet à naturâ suâ, quòd consensum voluntatis eliciat, si sit superior, et non eliciat, si sit inferior; vel neutrum habet à naturâ suâ : si prius dicatur, ipsum est systema Thomistarum : si posterius, ipsissimum est systema Molinæ vel Congruistarum. Ergo, etc.

2° Pariter systema Thomassini. Thomassinus enim, *dogm. Theol.* tom. 3, tract. 4, cap. 18, suum systema sic ipse paucis contrahit : *Ineluctabilis vis gratiæ victricis consistit in multitudine, varietate, consonantiâ, et conspiratione plurium auxiliorum interiorum exteriorumque, quorum singula seorsim frustrari possunt, quin et frustrantur quandoque per libertatis humanæ contumacem dissensum. At universa obstinatissimos quosque fatigant tandem, et multitudine, conspiratione, indefessâ oppugnatione suâ ad assensum tandem*

pertrahunt. Atqui, quantumvis existimet Thomassinus se hâc ratione mediam quasi viam aperuisse inter Thomistarum et Congruistarum sententias; ipse reverà in alterutram relabitur. Circa illam enim *multitudinem, varietatem, consonantiam, et conspirationem plurium auxiliorum,* in quibus reponit gratiam efficacem, idem instituetur dilemma, quod modò fuit circa victricem Augustinianorum delectationem institutum.

Fatemur quidem, nec ad Thomistarum, nec ad Congruistarum sententiam revocari posse systema Jansenii. Verùm cùm, ex probatis, illud systema fuerit ab Ecclesiâ proscriptum; non est inter systemata catholica computandum.

Igitur eò reduci videtur tota quæstio præsens, utrùm gratia sit *ab intrinseco* efficax et sufficiens, ut volunt Thomistæ; vel *ab extrinseco* tantùm, ut contendunt Molina et Congruistæ.

Cùm autem, labente seculo XVI occasione citati libri Molinæ, *de Concordiâ*, etc., circa quæstionem illam gravissima in Hispaniis orta fuissent dissidia; Clemens VIII, S. pont., ut ea sedaret, anno 1598, indixit celebres illas Congregationes, quæ ab objecto suo dictæ sunt *de Auxiliis;* sibique, novem et ampliùs annorum spatio, non interruptè successerunt.

In illis multùm quidem disputatum ; sed nihil prorsùs definitum. Ut igitur disputationibus finem imponeret Clementis VIII, post Leonem XI successor, Paulus V, mense Aug. anni 1607, rescriptum dedit, quo utrique parti sic permittit propriam tueri sententiam, ut simul utrique vetet, partem oppositam ullâ notare censurâ, vel probrosis afficere nominibus. Quinimò paulò post prohibuit idem pontifex, ne liber ullus circa hanc materiam typis mandaretur sine speciali licentiâ S. Sedis.

Si autem ipsa S. Sedes litem præsentem in suspenso reliquerit, nec eam dirimere tentabimus; nobisque sat erit, si præcipua partis utriusque momenta duplici paragrapho proferamus.

§ 1. *Argumenta pro Thomistis adversùs Molinam et Congruistas.*

Argumentum I. — *Ex eo quòd novum sit systema Molinæ et Congruistarum.*

In his quæ spectant ad Religionem, quasi pro falsi habenda sunt quæcumque nova sunt et hactenùs inaudita. Atqui fatetur ipse Molina systema suum esse novum et incognitum PP. solùmque confidit illud ab ipsis, si hujus habuissent notitiam, fuisse comprobandum. *Neque verò,* inquit lib. *de Concordiâ*, etc., quæst. 23, art. 4, disput. 1, *dubito quin ab Augustino et cæteris PP. unanimi consensu comprobata fuisset nostra de Prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divinâ gratiâ.*

Respondent Congruistæ 1°, systema *gratiæ congruæ* non magis esse novum, quàm systema *Præmotionis physicæ;* apud veteres non legi quidem nomina *gratiæ congruæ, scientiæ mediæ,* et alia quibus utuntur Congruistæ; sed apud eosdem non magis istas occurrere loquendi rationes, *actus primus, actus secundus, sensus divisus, sensus compositus,* et alias quæ à Thomistis usurpantur; uno verbo, SS. PP. de solo gratiæ dogmate, non de illius operandi modo, fuisse sollicitos.

Respondent 2° systema non hoc ipso rejiciendum esse, quòd sit novum, nisi insuper alicui contradicat fidei principio. Atqui nedùm, inquiunt, *gratiæ congruæ* systema ulli fidei principio contradicat, consentit apprimè cum omnibus quæ circa gratiæ necessitatem, gratuitatem, efficaciam, etc., docet fides catholica.

Argumentum II. — *Ex eo quòd in systemate Congruistarum, non ipse Deus, sed sola hominis voluntas bonum operetur.*

Fide docemur non solam bonum operandi potentiam, sed et ipsum bonum opus à Deo provenire. *Deus est*, inquit Apost. Philip. 2, 13, *qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bonâ voluntate.* Unde S. Aug. lib. *de Gratiâ et libero Arbitrio,* cap. 61 : *Certum est nos velle cùm volumus : sed ille facit ut velimus bonum de quo dictum est... Deus est qui operatur in vobis velle et et operari : certum est nos facere cùm facimus; sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam ut in justificationibus meis ambuletis.* Atqui tamen, si gratia per se non sit efficax et ex naturâ suâ, dabit quidem Deus boni operis possibilitatem, sed non ipsum dabit bonum opus, illudque sola voluntas, gratiæ consentiendo, perficiet. Ergo, etc.

Respondent Congruistæ, id minimè fluere ex suo systemate. Quamvis enim, inquiunt, gratia congrua non à naturâ suâ habeat, ut bonum producat infallibiliter; habet tamen à suâ naturâ, ut voluntatem præveniat, excitet et elevet ad ordinem supernaturalem; in ipsiusque boni operis productionem plus influat quàm ipsa voluntas, secundùm illud Apost. 1 Cor. 15, 10 : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Argumentum III. — *Ex eo quòd in hoc systemate homo seipsum in negotio salutis ab alio discernat.*

Ad omnem hominem spectant hæc Apostoli verba 1 Cor. 5, 7 : *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Atqui, si gratia non sit efficax ex naturâ suâ, seu possit voluntas gratiæ consentiendo vel dissentiendo, illam pro nutu efficacem reddere vel inefficacem : qui per suum consensum eam reddet efficacem, seipsum, in ordine supernaturali, *discernet* ab eo qui per suum dissensum eamdem reddet inefficacem, de illâque *discretione*, tanquàm de suo, poterit gloriari. Ergo, etc.

Respondent Congruistæ, eum qui, gratiæ consentiendo, illam reddit efficacem, non ideò seipsum ab eo *discernere*, qui gratiæ dissentiendo ipsam reddit inefficacem, seu merè sufficientem. Deus enim, pro *bonâ voluntate*, priori dedit gratiam, quâ non modò posset, sed et certò vellet bonum facere; alteri verò gratiam quâcum posset quidem, sed certissimè nollet bonum operari. Solus ergo Deus est, qui priorem hominem à posteriori *discrevit*; et quicumque sic discretus est, non in se ipso, sed in Domino de suâ *discretione* debet gloriari. *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (1 Cor. 1, 31).

Argumentum IV. — *Ex eo quòd gratia congrua non sit gratuita.*

Docent enim Congruistæ Deum non decernere homini dare gratiam *congruam*, nisi postquàm, ope *scientiæ mediæ*, certò viderit ipsum in tempore fore illi gratiæ consensurum. Atqui tali doctrinâ penitùs destruitur gratiæ gratuitas. Ergo, etc.

Respondent Congruistæ, Deum quidem, priusquàm decernat alicui homini dare gratiam *congruam*, ope *scientiæ mediæ* prævidere, ipsum isti gratiæ, si ei detur, certò fore consensurum; verùm, non hâc futuri consensûs prævisione, sed solo voluntatis suæ beneplacito determinari ad talem gratiam tali homini conferendam. Spectant itaque *scientiam mediam*, non ut motivum quo Deus ad suam gratiam, hoc potiùs quàm illo modo, huic potiùs quàm illi homini, dispensandam excitetur; sed ut merum medium quo in suæ gratiæ dispensatione dirigatur. Atqui tali doctrinâ Pelagianismus funditùs concutitur, suaque divinis auxiliis gratuitas asseritur, non tollitur. Ergo.

Argumentum V. — *Ex eo quòd in systemate Congruistarum infallibilis non sit Dei præscientia.*

Tunc enim falli potest Dei præscientia, quando Deus ab æterno certò scire nequit, utrùm homo in tempore tali gratiæ consensurus sit, aut dissensurus. Atqui, si divinorum auxiliorum efficacitas vel sufficientia, non ex illorum intrinsecâ naturâ, sed ex futuro voluntatis consensu vel dissensu depromatur, Deus ab æterno certò scire non potuit, utrùm homo in tempore tali gratiæ consentiret vel dissentiret : cùm liberi consensûs veritas in se non sit ab æterno determinata.

Respondent Congruistæ, ad hoc ut Deus infallibiliter cognoscat determinationes liberas creaturarum, sive absolutè, sive conditionatè futuras, minimè requiri, creaturis à Deo dari auxilia cum ipsarum determinationibus essentialiter connexa, quia, si ipsis fides, futuræ quælibet actiones liberæ, ex seipsis, ab omnique præscindendo gratiæ operandi modo, suam veritatem determinatam habent ab æterno; sicut fusiùs exponitur in tract. *De Deo*, ubi *de Scientiâ Dei*.

Argumentum VI. — *Ex eo quòd in eodem systemate lædatur supremum Dei dominium in creatas voluntates.*

De fide est tale esse Dei dominium supra voluntates creatas, ut nullus sit peccator, quantumvis obduratus, quem Deus non possit convertere, secundùm illud August., Enchirid. cap. 98 : *Quis ita desipiat ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* Atqui, si gratia *ab extrinseco* tantùm, ad mentem Congruistarum sit efficax, supponi poterit peccator sic obduratus, ut Deus illum non possit convertere. Nam peccator ille non potest à Deo converti, cui quantacumque gratia conversionis à Deo conferatur, ei certò resistet et infallibiliter. Atqui, si gratia à solo hominis consensu, habeat quòd sit efficax, et à solo dissensu quòd sit inefficax, seu purè sufficiens; supponi poterit peccator sic obstinatus ut quantâcumque præveniatur gratiâ conversionis, contumaciter renuat ei consentire, quod sanè non eveniret, si daretur ipsi gratia per se efficax et independenter à consensu voluntatis.

Respondent Congruistæ 1°, argumentum illud esse solvendum in omni systemate catholico : cùm sit dogma fidei, à Trident. sess. 6, *de Justif.*, con. 4, confirmatum, *liberum hominis arbitrium à Deo motum et excitatum.... posse dissentire, si velit.*

Respondent 2°, in præsenti quidem statu non posse supponi peccatorem sic obduratum ut cuilibet, quantumvis efficaci, conversionis gratiæ dissentiat : cùm de fide sit talem hominem hactenùs à Deo non fuisse creatum, nec

unquàm ab ipso fore creandum. Sed contendunt talem hominem non esse metaphysicè impossibilem. Si enim absolutè et pro quolibet statu possibili repugnaret talis hominis suppositio, maximè quia in Deo impotentiam argueret. Atqui licet, inquiunt Congruistæ, supponeretur homo, qui per nullam gratiam ejus cum libertate compatibilem converti posset, non idcircò Deus minùs esset omnipotens. Hujus enim hominis conversio non idcò foret impossibilis, quòd Deus absolutè non posset illum convertere; sed quòd eum, ex hypothesi, convertere nollet, ipsius violando libertatem; adeò ut si ejusdem libertati vim aut minimam inferre vellet, illum certò et infallibiliter converteret.

Argumentum ultimum. *Ex eo quòd in systemate Molinæ et Congruistarum facilior sit, quàm par est, humanæ libertatis cum divinâ gratiâ conciliatio.*

Omnes SS. PP. ac præsertim Augustinus, maximam semper difficultatem experti sunt in conciliandâ gratiâ cum humanâ libertate. Atqui, si non ex seipsâ, sed ex solo consensu voluntatis, gratia sit efficax, nulla prorsùs erit difficultas in illâ conciliandâ cum hominis libertate.

Respondent Congruistæ 1°, argumentum adversùs Thomistas retorquendo. SS. PP. maximam quidem difficultatem, sed non absolutam impossibilitatem experti sunt in conciliandâ gratiâ cum libertate. Atqui in systemate Thomistarum, non modò difficile, sed prorsùs est impossibile conciliare gratiam cum libero arbitrio. Ergo. etc.

Respondent 2°, difficultatem conciliandæ gratiæ cum libero arbitrio, non tantùm ex efficacitate gratiæ, sed etiam, ac præsertim ex ejus necessitate profluere : cùm Pelagiani, gratiæ necessitatem adeò respuerent, quòd vellent talem necessitatem compati non posse cum humanâ libertate. Jam autem, inquiunt Congruistæ, non minor est gratiæ necessitas in nostro, quàm in alio quolibet systemate catholico. Ergo, etc.

Respondent 3°, ipsam etiam gratiæ efficacitatem, in suo systemate, non ita facilè conciliari posse cum hominis libertate. Cùm enim in hoc systemate gratiæ efficacitas ex divinâ præscientiâ repetatur; in eo proinde tanta est, ad minus, libertatis cum gratiæ efficaciâ, quàm cum Dei præscientiâ conciliandæ difficultas. Atqui nemo diffitebitur humanæ libertatis cum divinâ præscientiâ concordiam gravissimis obnoxiam esse difficultatibus, tantis nimirùm, ut Tullius, teste Aug. lib. 5 *de Civitate Dei*, cap. 9, ad servandam homini libertatem, Deo ademerit præscientiam; nosque *fecerit sacrilegos, ut faceret liberos.*

§ 2. *Argumenta pro Molinâ et Congruistis adversùs Thomistas.*

Argumentum I. — *Ex verbis Christi Domini ad Corozaitas et Bethsaitas.* Christus Dominus, Matth. 11, 21, sic objurgat Corozaitas et Bethsaitas : *Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pænitentiam egissent.* Atqui si admittatur systema Thomistarum, injusta erit hæc Christi Domini contra Corozaitas et Bethsaitas objurgatio. Corozaitas enim et Bethsaitas non nisi summâ cum injustitiâ, præ Tyriis et Sidoniis, objurgat Christus Dominus, si Tyrii et Sidonii, ex hypothesi quòd vidissent Christi miracula, conversionis gratiam habuissent intrinsecè majorem illâ, quam habuerunt Corozaitæ et Bethsaitæ, quando viderunt ejusdem miracula. Atqui reipsà, in systemate Thomistarum, Tyrii et Sidonii, si vidissent Christi miracula, conversionis gratiam habuissent majorem illâ, etc. Tyriis enim et Sidoniis, si vidissent Christi miracula, data fuisset gratia efficax conversionis, siquidem, ex suppositione, sese realiter convertissent, atque *in cilicio et cinere pænitentiam egissent.*

Corozaitis autem et Bethsaitis, ubi viderunt eadem miracula, non data fuit nisi gratia sufficiens conversionis : siquidem, ex hypothesi, non conversi sunt. Atqui principium est apud Thomistas fundamentale, gratiam efficacem, esse naturâ suâ, et abstractivè ab omni consensu voluntatis, intrinsecè majorem gratiâ merè sufficienti. Ergo, etc.

Respondent Thomistæ, totum illud argumentum adversùs ipsos Congruistas posse retorqueri. Nam, inquiunt, ipsos juxta Congruistas, Tyriis et Sidoniis, si vidissent Christi miracula, Deus gratiam dedisset, quâ certò fuissent et infallibiliter convertendi; dùm, juxta eosdem, Corozaitis et Bethsaitis, ubi viderunt eadem miracula, Deus non dedit nisi gratiam, quâcum certum erat ipsos non esse convertendos. Atqui hoc posito non facilius est Congruistis quàm Thomistis prædictam objurgationem ab injustitiâ vindicare. Ergo. etc.

Reponunt Congruistæ, summam esse hâc in parte discrepantiam inter systema suum et systema Thomistarum. Cùm enim, inquiunt,

in nostro systemate gratia efficax, non penès intrinsecam naturam, differat à sufficienti; possumus supponere gratiam conversionis concessam Corozaitis et Bethsaitis, quamvis merè sufficientem, intrinsecè tamen et independenter ab omni consensu voluntatis, non minorem, imò fuisse majorem gratiâ conversionis efficaci, quæ concessa fuisset Tyriis et Sidoniis, si vidissent Christi miracula. Atqui posito quòd gratia conversionis data Corozaitis et Bethsaitis, Christi miracula videntibus, intrinsecè, ab omnique præscindendo consensu voluntatis, non minor, imò forsan major fuerit gratiâ quâ conversi fuissent Tyrii et Sidonii, si eadem vidissent miracula; priores jam, præ posterioribus, meritò potuerunt à Christo reprehendi. Ergo, etc.

ARGUMENTUM II. — *Ex eo quòd in systemate Thomistarum non detur gratia verè sufficiens.*

Illa gratia non est verè sufficiens, quæ non dat homini veram boni faciendi potentiam. Atqui talis est gratia sufficiens Thomistarum. Si enim homini daret veram bonum operandi potentiam, vel immediatam, vel mediatam. Atqui nec, etc.

1° Quidem gratia sufficiens Thomistarum non dat homini potentiam immediatam bonum agendi. Potestas enim immediata boni faciendi, quam confert gratia sufficiens Thomistarum, juxta ipsos, talis est ut metaphysicè repugnet ipsam immediatè in actum erumpere, adeò ut, si hæc potestas in actum erumperet immediatè, destrueretur ipsa natura gratiæ sufficientis. Atqui potestas immediata cujus actus immediatus essentialiter repugnat, non est vera, sed chimerica et contradictoria potentia. Ergo, etc.

2° Nec magis dat homini potentiam mediatam bonum operandi. In tantum enim ex gratiâ sufficienti Thomistarum, homo veram haberet, saltem mediatam, boni faciendi potentiam, in quantum ope gratiæ sufficientis accersere posset præmotionem physicam quæ, docentibus Thomistis, ad cujuslibet boni productionem essentialiter requiritur. Atqui homo solâ donatus gratiâ sufficienti Thomistarum, nunquàm accersere poterit præmotionem physicam. Si enim illam accerseret, vel per actum positivum, vel per actum negativum, vel denique per *non actum*. Atqui per nullum horum accersiri potest præmotio. Non per actum positivum: cùm, juxta Thomistas, ad quemlibet actum positivum essentialiter ipsa prærequiratur præmotio. Non per actum negativum; nullus enim concipitur actus voluntatis merè negativus; cùm sit consensus vel dissensus. Non denique per *non actum*: siquidem nihili nulla proprietas.

Respondent quidem Thomistæ, Deum homini gratiam sufficientem habenti offerre gratiam efficacem, seu præmotionem, quam infallibiliter obtineret, si non resisteret Deo illam offerenti, hanc autem *non resistentiam* actum esse purè negativum. Verùm respondent Congruistæ, hanc voluntatis *non resistentiam* actum esse verè positivum. Nam, inquiunt, voluntatem humanam Deo gratiam efficacem offerenti non resistere, idem est ac ipsi consentire. Atqui consensus quilibet voluntatis actus est positivus, ad quem producendum, juxta Thomistas, absolutè requiritur præmotio.

ARGUMENTUM III. — *Ex eo quòd in eodem systemate gratia efficax sit necessitans.*

Juxta Thomistas, sic essentiale est hominem agere cum gratiâ efficaci, seu præmotione physicâ, ut, si cum illâ non ageret, hoc ipso præmotionis essentia mutaretur. Atqui gratia, cujus ad essentiam pertinet ut cum illâ voluntas agat, voluntatem profectò necessitat ad agendum. Aliàs dicendum esset hominem posse rerum essentiis refragari. Ergo, etc.

Respondent 1° Thomistæ, essentiale quidem esse ut homo agat cum præmotione; sed non minùs essentiale esse, ut cum illâ possit non agere. Quemadmodùm, quando Petrus liberè sedet, sic essentiale est ipsum sedere, ut non minùs essentiale sit illum posse non sedere: alioquin non sederet liberè.

Respondent Congruistæ, à contradictione non posse excusari, quicumque dixerit cum Thomistis essentiale esse ut voluntas agat sub præmotione physicâ, simul et ut possit sub illâ non agere. Nam, inquiunt, contradictorium est hominem posse subvertere rerum essentias. Atqui hominem posse non agere etiam cùm essentiale est ut agat, idem est ac ipsum posse rerum essentias mutare. Ergo, etc.

Ad exemplum verò Petri liberè sedentis, dicunt illam paritatem ipsis Thomistis adversari. Nam, inquiunt, ubi semel Petrus sese liberè determinavit ad sedendum, post hanc ejus determinationem, essentiale est, non modò ut sedeat, sed etiam ut non possit non sedere: cùm contradictorium sit, eum, qui liberè sedere supponitur, post hanc ipsam suppositionem, adhuc posse non sedere. Si verò

Petrus nihilominùs liberè sedeat, illud ex eo solo fit, quòd sedendi necessitas in ipso non aliam causam habeat, quàm suppositam ejus liberam determinationem. Cùm igitur è contrario necessitas agendi sub præmotione physicâ, ex hâc ipsâ præmotione, non ex liberâ determinatione voluntatis oriatur; sub tali necessitate constituta voluntas, nullo sensu libera dici potest.

Respondent 2° Thomistæ voluntatem, non quidem *in sensu composito* præmotionis, id est, præsente præmotione; sed tamen in ejusdem *sensu diviso*, id est, eàdem absente, posse supponi bonum non agere; quod unum sufficere volunt ad salvandam libertatem.

Reponunt Congruistæ, Concil. Trid. sic decernere contra Lutherum et Calvinum, sess. 6, *de Justif.*, can. 4: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti.... Neque posse dissentire, si velit.... Anathema sit.* Quibus verbis, inquiunt, definitur hominem, etiam sub gratiâ efficaci constitutum, in ipsius proindè *sensu composito*, eidem *dissentire posse, si velit.*

Respondent iterùm iidem Congruistæ, tali argumento probari posse beatos fruentes in cœlis visione Dei intuitivâ, liberos esse ad Deum amandum vel non amandum; hominem è catenis constrictum, liberum esse ad ambulandum. Sancti enim in cœlis existentes, non *in sensu diviso*, sed duntaxat *in sensu composito* visionis intuitivæ, ad Deum amandum necessitantur: homo verò pedibus ligatus, in solo *sensu composito* compedum, necessitatur ad non ambulandum.

Respondent 3° Thomistæ, suam præmotionem in solum actum cadere, non in potentiam, quam completam supponit et expeditam, id est, perfectè liberam ad agendum vel non agendum.

Reponunt Congruistæ, sibi contradictorium videri, præmotionem physicam in actum influere, nec ipsâ tamen affici potentiam. Juxta Thomistas enim, est de naturâ præmotionis ut actum eliciat ex potentiâ. Atqui, si fides Congruistis, præmotio physica vi naturæ suæ non potest actum elicere ex potentiâ, quin ipsam afficiat potentiam, et ita quidem ut illam ad agendum necessitet.

Ex duobus præcedentibus argumentis unum efformant Congruistæ ut probent, systemate Thomistarum prorsùs perimi hominis libertatem; illudque sic proponunt: Si in systemate Thomistarum homo liber esset; vel sub gratiâ sufficienti, vel sub gratiâ efficaci. Atqui in systemate Thomistarum, homo sub neutrâ gratiâ liber esse potest: non sub gratiâ sufficienti, cùm ex argumento 2, gratia sufficiens Thomistarum non det homini veram boni faciendi potentiam; non sub gratiâ efficaci, cùm ex argumento 3, gratia efficax Thomistarum imponat homini veram boni faciendi necessitatem. Ergo, etc.

Nota. Cùm in Scripturis et PP. scriptis dogmata fidei, non scholarum placita consignentur; superfluum duximus afferre Scripturarum et Patrum, Augustini præsertim, testimonia, quibus hinc Thomistæ, et inde Congruistæ suam respectivè sententiam adstruere moliuntur. Quæ enim à Thomistis proferuntur ad probandum gratiam esse *ab intrinseco* efficacem, id unum probant, quod fides docet, gratiæ efficaci certò et infallibiliter consentire voluntatem: quæ verò à Congruistis, ad demonstrandum gratiam *esse ab extrinseco* tantùm efficacem, id unum demonstrant, quod item docet fides catholica, sub motione gratiæ efficacis illæsam manere hominis libertatem.

Cæterùm parvi refert quænam ex duabus expositis sententiis alteri præferatur; modò pro certo habeatur, *præmotionem physicam* Thomistarum toto cœlo distare à delectatione *relativè victrici* Jansenii; quod ut magis ac magis innotescat

Quæres an sit essentiale discrimen inter systema Thomistarum et systema Jansenii?

Responsio. Essentialis est utriusque systematis differentia. Duo enim illa systemata differunt essentialiter, quorum in uno, deditâ operâ, defenduntur propositiones ab Ecclesiâ damnatæ; dùm in alio conceptis verbis respuuntur eædem propositiones; ex eoque, ad summum, eruerentur per consequentias, quas hujus systematis defensores sincerè diffitentur. Atqui in systemate Jansenii, deditâ operâ, etc.., dùm in systemate Thomistarum conceptis verbis, etc. 1° Quidem Jansenius apertè docet propositiones, quas proscripsit Ecclesia. Vidimus enim, in parte historicâ, totum systema *delectationis relativè victricis* ad duas istas propositiones revocari: primam in præsenti statu naturæ lapsæ nullam esse gratiam purè sufficientem; secundam in eodem statu gratiam efficacem esse necessitantem. Atqui, ex dictis in duplici præcedenti articulo, duæ illæ propositiones sunt hæreticæ, et quà tales ab Ecclesiâ proscriptæ. Ergo 1°, etc.

2° Thomistæ duas illas propositiones apertè rejiciunt. Nullum enim reperias Thomistam genuinum, qui pro fidei dogmatibus hæc duo non habet : primum dari gratias merè sufficientes, quæ nempe careant effectu, ad quem producendum veram et *relativam* conferunt potestatem; secundum sub motione gratiæ efficacis completam et *relativam* ad oppositum manere potentiam.

3° Si Thomistis objiciant Congruistæ, ex ipsorum systemate duas prædictas fluere propositiones, reponunt hanc criminationem nullo prorsùs fundamento niti, nihilque non moliuntur, ut ab istis consectariis suum systema vindicent : imò palàm profitentur illud à se statim esse deserendum, si sibi comprobetur ex eo fluere vel unicam è propositionibus, quas in Jansenio damnavit Ecclesia.

INDEX.

Quæstio proœmialis. De nomine, notione, ac divisione gratiæ, 11. — Art. I. De variâ nominis gratiæ acceptione, *Ibid.* — Art. II. De definitione gratiæ, 14. — Art. III. De existentiâ gratiæ, 50. — Art. IV. De divisione gratiæ, 51. — Concl. prima. Legitima est et adæquata divisio gratiæ, in gratiam gratis datam, et gratum facientem, 56. — Concl. secunda. Conveniens est ac legitima gratiæ gratis datæ divisio, secundùm quam novem ipsius species enumerantur ab Apostolo 1 Cor. 12, nempe, fides, sermo sapientiæ, sermo scientiæ, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, et interpretatio sermonum, 58. — Concl. tertia. Gratia gratum faciens perfectior est atque dignior gratiâ gratis datâ, 61.

Pars historica. De variis circa gratiam erroribus, 87. — Dissert. I. De Pelagianis, *Ibid.* — Cap. I. De primis auctoribus et præcipuis defensoribus hæresis Pelagianæ, 88. — Art. I. De Pelagianorum parentibus ac magistris, *Ibid.* — Art. II. De Pelagii discipulis, 89. — Cap. II. De Pelagianæ hæreseos impugnatoribus, 91. — Art. I. De Conciliis in causâ Pelagianorum celebratis, 92. — Art. II. De Constitutionibus SS. Pontificum contra Pelagianos, 107. — Art. III. De dogmaticis SS. Patrum libris adversùs Pelagianos, 110. — Parag. I. De scriptis S. Hieronymi contra Pelagianos, 111. — Parag. II. De Orosii scriptis adversùs Pelagianos, 112. — Parag. III. De Sixto, presbytero romano, *Ibid.* — Parag. IV. De Mario Mercatore, *Ibid.* — Art. IV. De imperatorum edictis adversùs Pelagianos, 114. — Art. V. De subscriptionibus in causâ Pelagianorum exactis, 116. — Cap. III. De erroribus Pelagianorum, 119. — Errores Pelagianorum circa peccatum originale, Errores Pelagianorum circa vires liberi arbitrii, Errores Pelagianorum circa gratiam, — Cap. IV. Utrùm Pelagius veram et internam voluntatis gratiam aliquando tandem agnoverit, 123. — Conc. I. Pelagius tandem aliquando agnovit veram et internam revelationis gratiam, tum ex parte objecti meliùs propositi, tum ex parte potentiæ, seu intellectûs ad credendum divinitùs adjuti, 132. — Concl. II. Pelagius ante condemnationem suæ hæreseos sub Zozimo, veram et internam voluntatis gratiam nusquàm admisit ad bonum opus, sive inchoandum, sive etiam complendum ac perficiendum, 133. — Concl. III. Post decretum Zozimi Julianus hæresim Pelagianam utcumque temperavit, internam voluntatis gratiam admittendo, at triplici infectam vitio, 135. — Solvuntur objectiones, 138. — Cap. V. Utrùm Pelagiani admiserint gratiam habitualem, et virtutes infusas, 143. — Concl. Pelagiani nec gratiam interiùs sanctificantem seu habitualem, nec virtutes supernaturales infusas agnovêre, *Ibid.* — Cap. VI. De quâ gratiæ specie contentio fuerit sanctum Augustinum inter et Pelagianos, 146. — Concl. I. Gratia quam propugnavit S. Augustinus contra Pelagianos, ea non est quæ virtute suâ invictâ, insuperabili et indeclinabili, voluntatem ad bonum necessariò determinat et applicat ad sensum Jansenii, *Ibid.* — Concl. II. Gratia de quâ potissimùm contra Pelagianos agebat S. Augustinus, non est habitualis, sed actualis, 147. — Concl. III. Gratia, de quâ tam gravis ac diuturna exarsit contentio sanctum Augustinum inter et Pelagianos,

non est gratia ex se efficax, sed generatim actualis gratia voluntatis necessaria et gratuita, 148. — Solvuntur objectiones, 152. — Cap. VII. Compendiosa proponitur series chronologica Operum S. Augustini adversùs hæresim Pelagianam, 159. — Dissert. II. De Semipelagianis, 164. — Cap. I. Qui fuerint Semipelagiani, *Ibid.* — Cap. II. De præcipuis Semipelagianorum debellatoribus, 166. — Cap. III. De Semipelagianorum erroribus, 168. — Concl. I. Semipelagiani omnes gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei constantissimè negaverunt, 173. — Concl. II. Semipelagiani nullam admiserunt necessitatem gratiæ interioris ad perseverandum in fide, 178. — Solvuntur objectiones, *Ibid.* — Dissert. III. De monachis Adrumetinis, 192. — Art. I. Compendiosa hujusce dissidii delineatio, *Ibid.* — Art. II. Quis fuerit Adrumetinorum monachorum error, 193. — Concl. Adrumetini monachi Prædestinatianæ hæreseos auctores vel præformatores non fuêre, sed Pelagianâ potiùs labe infecti, *Ibid.* — Dissert. IV. De Prædestinatianis quinti seculi, 195. — Concl. I. Prædestinatiana hæresis exorta non est in Africâ in monasterio Adrumetino, 197. — Concl. II. Prædestinatiana hæresis non emersit in Galliis Cœlestino I summo Pontifice; neque adversùs eam SS. Augustini aut Cœlestini opem imploravêre Prosper et Hilarius, *Ibid.* — Concl. III. Prædestinatiana hæresis non est figmentum, neque mera calumnia quâ Massilienses S. Augustinum ejusque discipulos infamare studuerunt, uti placet Jansenio ejusque apologistis; sed vera et realis hæresis in Galliis quinto seculo à Lucido quodam presbytero, Monimo et aliis nonnullis propugnata, 198. — Solvuntur objectiones, 200. — Dissert. V. De Prædestinatianis noni seculi, 210. — Cap. I. De Gotescalco, *Ibid.* — Art. I. Contracta historiæ Gotescalci delineatio, *Ibid.* — Art. II. An extinctam Prædestinatianorum hæresim renovaverit Gotescalcus, 212. — Concl. Gotescalcus diu sopitam Prædestinatianorum hæresim seculo nono in Galliis regnante Carolo Calvo exsuscitavit, *Ibid.* — Solvuntur objectiones, 215. — Art. III. An errores suos tandem revocaverit Gotescalcus, 218. — Cap. II. De scriptoribus noni seculi in causâ Gotescalci, *Ibid.* — Concl. I. Sex posteriores auctores errore facti nonnihil patrocinati sunt personæ Gotescalci, *Ibid.* — Concl. II. Prædicti sex auctores erroribus Gotescalci nequaquàm favent, 219. — Cap. III. De Ecclesiâ Lugdunensi, 223. — Concl. Ecclesia Lugdunensis nec reipsâ adversatur capitulis Carisiacis, nec Gotescalci, aliorumque Prædestinatianorum erroribus adhæsit, 224. — Analysis libri *De tribus Epistolis*, *Ibid.* — Analysis libri *De tenendâ veritate*, 229. — Solvuntur objectiones. — Cap. IV. De concilio Valentino, 244. — Concl. I. Synodus Valentina favit personæ Gotescalci, non autem ipsius doctrinæ, *Ibid.* — Concl. II. Synodus Valentina non in rei substantiâ, sed in quibusdam duntaxat loquendi modis recessit à doctrinâ Capitulorum Carisiensium, 245. — Cap. V. De aliis synodis in causâ Gotescalci habitis, 249. — Dissert. VI. De Wiclefistis, 250. — Cap. I. De Wiclefo ejusque defensoribus, 251. — Cap. II. De Wiclefi erroribus, 252. — Cap. III. De hæreseos Wiclefi damnatione, 253. — Dissert. VII. De Lutheranis, 254. — Cap. I. De Luthero ejusque discipulis, *Ibid.* — Cap. II. De erroribus Lutheri, 257. — Parag. I. Errores Lutheri circa prædestinationem, *Ibid.* — Parag. II. Errores circa substantiam gratiæ, *Ibid.* — Parag. III. Errores circa modum agendi gratiæ, 258. — Parag. IV. Errores circa liberum arbitrium, 260. — Parag. V. Errores circa justificationem, 262. — Cap. III. De multiplici Lutheranæ hæreseos damnatione, 265. — Dissert. VIII. De Calvino, 268. — Cap. I. De Calvino, *Ibid.* — Cap. II. De Calvini erroribus, 270. — Cap. III. De Calvinistarum dissidiis, 273. — Cap. IV. De colloquiis, synodis, et fidei professionibus in causâ Calvinianâ habitis, 275. — Dissert. IX. De Michaele Baio, 279. — Cap. I. Historica causæ Baianæ synopsis, *Ibid.* — Parag. I. Exordium causæ Baianæ, *Ibid.* — Parag. II. Progressus controversiæ Baianæ, 281. — Parag. III. Exitus Baianæ controversiæ, 287. — Cap. II. De systemate Baiano, 289. — Parag. I. Systema Baianum circa statum naturæ innocentis, 290. — Parag. II. Systema Baianum circa peccatum originale, 292. — Parag. III. Systema Baianum circa peccatum personale, 293. — Parag. IV. Systema Baianum circa libertatem, 297. — Parag. V. Systema Baianum circa charitatem, 298. — Parag. VI. Systema Baianum circa justificationem, 301. — Parag. VII. Systema Baianum circa meritum operum, 303. Cap. III. De Bullis summorum Pontificum in causâ Baii, 306. — Art. I. An Bulla Urbani VIII sit subreptitia, 307. — Conc. Bulla Urbani VIII non est subreptitia, *Ibid.* — Art. II. An Bulla Urbani sit lex sanctæ Sedis, 310. — Concl. Bul-

la Urbani renovans Pianam, est lex sanctæ Sedis, *Ibid.* — Art. III. An Bulla Urbani sit lex Ecclesiæ Gallicanæ, *Ibid.* — Concl. Bulla Urbani VIII quoad doctrinam spectata, lex est Ecclesiæ Gallicanæ, 311. — Art. IV. An Bulla Urbani VIII sit lex Ecclesiæ universalis, 315. — Concl. Bulla Urbani quoad doctrinam spectata, lex est Ecclesiæ universalis, *Ibid.* — Solvuntur objectiones, 321. — Art. V. An Bulla Urbani VIII sit lex dogmatica, 329. — Concl. Bulla Urbani vera est lex dogmatica, verum est dogmaticum judicium, 330. — Art. VI. Quis sit genuinus ac legitimus prædictæ Bullæ sensus, 331. — Concl. Famosum comma in Bullâ Pii V collocari debet post verbum *possent, Ibid.* — Solvuntur objectiones, 334. — Art. VII. Nonnulla proponuntur et expenduntur quæsita ad perfectam dictarum Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII Bullarum intelligentiam planè necessaria, 340.— Dissert. X. De Congregationibus *de Auxiliis,* 359.—Art. I. Occasio Congregationum, *Ibid.* —Parag. I. Controversiæ in Belgio habitæ, *Ibid.* — Parag. II. Controversiæ in Hispaniâ habitæ, 364. — Art. II. Congregationes *de Auxiliis,* 369. — Art. III. Exitus Congregationum, 380. — Dissert. XI. De Jansenio, 389. — Cap. I. Jansenianæ causæ historica, 390. — Art. I. Persona Jansenii, *Ibid.* — Art. II. Liber Jansenii cui titulus, *Augustinus,* 392. — Art. III. De iis quæ præcessêre judicium romanum de quinque Jansenii Propositionibus, 394. — Art. IV. De iis quæ pendente romano examine contigêre, 397. — Art. V. De iis quæ subsecuta sunt Innocentii X judicium, 398. — Cap. I. Discutiuntur critica historiæ puncta, 410. — Art. I. De Innocentii X Bullâ, *Ibid.* — Concl. I. Quinque Propositiones in romano examine discussæ sunt in sensu Jansenii, *Ibid.* — Concl. II. Quinque Propositiones ab Innocent. X in sensu Jansenii damnatæ fuerunt, 413. — Concl. III. Canonicum fuit et æquissimum Innocentii X de quinque Propositionibus in sensu Jansenii judicium, 421. — Concl. IV. Summa est et irrefragabilis Constitutionis Innocentii X auctoritas, 424. — Concl. V. Decreto suo authentico et summæ auctoritatis assecutus est romanus pontifex et proscripsit proprium, naturalem et legitimum libri Jansenii sensum, 425. —Art. II. De quinque Jansenianorum articulis, 440. — Concl. Fictitia est quam venditant Janseniani quinque articulorum approbatio, 441. — Art. III. De pace Clementis IX, 449. — Concl. I. Clemens IX reipsâ existimavit quatuor episcopos purè et simpliciter subscripsisse formulario Alexandri VII, 450. — Concl. II. Clemens IX pro suâ prudentiâ aliud suspicari non potuit, quàm quod reverà pro certo habuit, nimirùm quatuor episcopos purè et simpliciter subscripsisse, 457. — Concl. III. Etsi daretur adversariis (quod tamen falsum esse jam demonstravimus) Clementem IX non ignorâsse factam à quatuor episcopis juris à facto distinctionem, nihil tamen inde colligi posset in gratiam silentii religiosi, 464. — Solvuntur objectiones, 467. — Art. IV. De Brevibus Innoc. XII, 492. — Concl. Ex Brevibus Innocentii XII ad Belgii episcopos scriptis nihil prorsùs colligi potest in gratiam silentii religiosi circa factum Jansenii, *Ibid.* —Art. V. De Clementis XI Bullâ Vineam Domini, etc., 497. — Concl. Bulla *Vineam Domini* decretoriè pronuntiat ac definit expressè, silentium, ut vocant, religiosum, prorsùs insufficiens esse circa dogmaticum Jansenii factum, 499. — Cap. III. De systemate Jansenii, 517. — Art. I. De principiis systematis Jansenii, 518. — Parag. I. Natura delectationis, *Ibid.* — Parag. II. Divisio delectationis, *Ibid.* — Parag. III. Necessitas delectationis, 520. —Parag. IV. Virtus et modus agendi delectationum, 523. — Parag. V. De potentiâ absolutâ et relativâ, 524.—Utrùm Jansenius admiserit potentiam absolutam, 526. — Concl. Jansenius in voluntate inferiori delectatione, v, g., cœlesti instructâ ultrò agnovit absolutam, sensu mox exposito, ad opus bonum potentiam, *Ibid.* — Utrùm Jansenius admiserit potentiam relativam, 531. —Concl. Jansenius in ipsâ voluntate inferiori duntaxat delectatione instructâ nec agnovit, nec in suo systemate agnoscere potuit veram ac relativam, sensu antea exposito, ad opus bonum potentiam, *Ibid.* —Parag. VI. An delectatio superior Janseniani systematis basis sit ac fundamentum, 538. — Concl. Delectatio superior seu relativè victrix, prout hactenùs exposita fuit, Janseniani systematis basis est ac fundamentum, *Ibid.* — Parag. VII. Janseniani systematis contracta delineatio, 539. — Art. II. De consectariis Janseniani systematis, 540. — Parag. I. An delectatio superior, seu relativè victrix Janseniana, basis sit, fundamentum ac principium ex quo quinque Propositiones necessariò fluant, 541. — Concl. Delectatio superior, seu relativè victrix Janseniana, fons est, radix et origo ex quâ quinque Propositiones necessariò dimanant, *Ibid.* — Parag. II. De quinque Propositionibus Jansenii, 548. — Prima Propositio : Aliqua Dei præcepta, etc., *Ibid.*

— Secunda Propositio : Interiori gratiæ, 553. — Tertia Propositio : Ad merendum et demerendum, etc. 559. — Quarta Propositio : Semipelagiani admittebant, etc., 574. — Quinta Propositio : Semipelagianum est dicere, etc., 576. — De discrimine systematis Janseniani à systematibus præmotionis physicæ, et delectationis absolutè victricis, 585. — Conclusio I. Jansenii systema à Thomistico longè latèque distat, *Ibid.* — Concl. II. Jansenii systema plurimùm differt à systemate Augustinianorum qui gratiæ efficaciam in delectatione simpliciter et absolutè vitrici constituunt, 589. — Solvuntur objectiones, 590. — Disputatio XII. De Quesnello, 595. — Art. I. Historica causæ Quesnellianæ Synopsis, 596. — Parag. I. Persona Quesnelli, *Ibid.* — Parag. II. De Quesnelli libro, cui titulus, Le nouveau Testament en Français, avec des réflexions morales, etc., 602. — 1° Quæ fuerit prima libri Observationum moralium origo? *Ibid.* — 2° Quis fuerit præfati Operis progressus, quæve ipsi subinde accesserint additamenta? 603. — 3° Quid sentiendum sit de prætensâ illâ generali, quam... celebriores Quesnellistæ ubique jactantiùs venditant libri Reflexionum moralium per 40 annos approbatione ; ab anno scilicet 1671 ad annum 1711, quo Opus ad R. Pontificem solemniter delatum fuit, 604. — 4° Quid pronuntiandum de jactatâ adeò à Quesnellistis libri Observationum justificatione, sub nomine Illustriss. Bossuetii... editâ, 609. — 5° Quis demùm fuerit dicti libri exitus, sors ac fortuna, 614. — Parag. III. De iis quæ subsecuta sunt Clementis XI damnatorium de Quesnelli libro judicium, 616. — Epocha I. De iis quæ à Constitutione Unig. ad appellationem usque quatuor Episcoporum gesta sunt, Comitia Cleri Gallic. an. 1713, Regiæ pro Constitutionis Unig. promulgatione Litteræ, Comitiorum ad Pontificem, et Pontificis ad Comitia Epistolæ, Constitutio Unig. à 110 et ampliùs Præsulibus acceptata, Præsulum Bullæ refragantium Mandata Romæ confixa, S. Facultas Parisiensis Bullam suscipit, idem præstitêre cæteræ per Regnum et Orbem sparsæ S. Facultates. Moritur anno 1715. Rex Christianissimus. In Comitiis ejusdem anni duo à Novatoribus maximè accepti damnantur libelli : Les Hexaples, etc. et le Témoignage de la vérité. Variæ pro reducendis ad officium refractariis, habitæ collationes, *Ibid.* — Epocha II. De iis quæ ab interjectâ appellatione 1717. ad Concilium usque Ebredunense 1727 contigêre. Quatuor Episcoporum provocatio an. 1717. Memorialia Præsulum Gallicanorum supremo Regni Moderatori oblata, contra Appellantium molitiones, Card. Noallii et quatuor Episcop. provocationes Romæ proscriptæ. Eod. an. 1718 appellationes à 50 Episcopis reprobatæ. Corpus doctrinale Card. Noallii, 622 et seq. — Anno 1720 novo Diplomate Regio confirmata in toto Regno Bullæ auctoritas : interdicta ab eâ quælibet sub quovis prætextu appellatio. Moritur Clemens XI, succedit Innocentius XIII. Is decessoris vestigiis insistens Bullam auctoritate Apostolicâ tuetur. Bulla Unig. Ecclesiæ et Regni lex : ex Gallic. Episcopis, ipsoque etiam Rege Christianissimo. Innocentio XIII sufficitur Benedictus XIII; Romæ convocat Concilium an. 1725; hâc in synodo Constitut. Unig. observantia commendata assertaque debita ipsi obedientia. Bulla Unig. iterùm utrâque potestate Regni et Ecclesiæ lex declarata. Famosi 12. Articuli an. 1727. Romæ vulgati, falsò Parisiis perhibentur Romæ approbati. Scriptum ementitam S. Pontif. approbationem referens, Decreto Regio proscriptum. Duodecim articulorum pravitates et vitia, Cardinal. Epist. et Episc. Mandatis detecta. Concilium Avenionense an. 1725 convocatum : in eo Constitut. Unig. observantia atque obedientia... plurimùm celebrata. Cleri Gallicani Statutis Regiisque Edictis rursùs Bullæ Unig. firmata auctoritas, *Ibid.* — Epocha III. De iis quæ ab indictâ Ebredunensi Synodo, et deinceps ad nostra usque tempora subsecuta sunt. Ebredunensis Concilii convocatio. Lata in personam et nstructionem Senecensis Episcopi sententia. Dictæ sententiæ confirmatio, simul et Decretorum Concilii promulgatio. Acta Concilii Pontificiâ auctoritate firmata, *Ibid.* — Regia accedit auctoritas. Causidicorum Parisiensium adversùs Ebredunense Concilium consultatio. Duodecim Episcoporum in gratiam Senecensis Episcopi ad Regem Epistola ; Gallicanorum Præsulum contra Causidicorum Parisiensium Consultationem judicium; Regium adversùs eamdem consultationem Edictum. A Præsulibus Gallicanis vindicata Ebredunensis Synodi auctoritas. Interjectæ à Card. Noallio appellationis revocatio puraque ac simplex ab eodem Bullæ acceptatio. Mendaces contra sinceram Card. Noallii acceptationem sparsi rumores, statim ac certò disjecti. Mors Eminent. Noallii; cujus in locum sufficitur Vintimensis Archiepiscopus. Solemne an. 1729 super acceptatione Constitut. Unig. S. Facultatis Parisiensis decretum. Dicti Decreti multiplex ac disertissima confirmatio. Regium ac

solemne an. 1730 pro Constitut. Unig. observandâ et executioni demandandâ Edictum. Epistolis et diplomatibus Regiis eadem confirmata declaratio. Moritur Benedictus XIII succedit Clemens XII huicque Benedictus XIV. Miracula Convulsionesve ab Episcopis et Theologis explosa. Acta et Decreta præclaræ Artium Facultatis super acceptatione Constitut. Unig. Præcedentium Decretorum confirmatio, 630 et seq. — Art. II. Bullæ Unig. auctoritas, æquitas, genuinusque character statuitur ac vindicatur, 630. — Parag. I. Bullæ Unig. asseritur æquitas ac canonicitas, 633. — Concl. Æquissima est ac canonica Clementis XI. Constitutio, quæ incipit Unigenit. 634. — Solvuntur Objectiones, 660. — Parag. II. Statuitur ac vindicatur certa et inconcussa Constitutionis Unigenit. auctoritas, 684. — Concl. Constitutio Clementis XI quæ incipit Unigenit. certissimum est universalis Ecclesiæ judicium, cui omnes et singuli Fideles corde et animo adhærere debent, *Ibid.* — Bullæ acceptationis testimonia, quæ petuntur ex publicis ac solemnibus omnium fermè Orbis Catholici Metropolitanorum testificationibus, 695. — De sparsis per Italiam Ecclesiis, 703. — De Ecclesiis Hispaniæ, 707. — De Ecclesiis Lusitaniæ, 709. — De catholicis Belgii Ecclesiis, 710. — De Germaniæ Ecclesiis, *Ibid.* — De Hungariæ et Bohemiæ Ecclesiis. 711. — De Ecclesiis Poloniæ, 712. — De Ecclesiis Dalmatiæ, Illyrici, Albaniæ, etc., *Ibid.* — Solvuntur Objectiones, 719. — Parag. III. Aperitur Bullæ Unig. natura, genuinusque character, 786. — Concl. Bulla Unig. non est mera disciplinæ, politiæ ac cautionis lex; sed verum ac propriè dictum judicium dogmaticum, 787. — Solvuntur Objectiones, 794. — Corollaria, 804. — Art. III. De systemate Quesnelliano, 810. — Principia systematis Quesnelliani, *Ibid.* — De consectariis Quesnelliani systematis, 813. — Discrimina Quesnelliani systematis à cæteris orthodoxis systematibus, ejusdemque cum Jansenianis et Baianis placitis, omnimoda consensio, 814. — Clerici à Belliberone vita, 815. — Tractatus de Gratiâ. — Pars dogmatica, 817. — De homine lapso et reparato. — De primi parentis, sive Adæ, peccato. — De peccato generatim inspecto. — Quid sit peccatum generatim acceptum? 829. — Utrùm ratio formalis, sive natura peccati quatenùs peccati, in positivo, vel in privativo, sit collocanda? 838. — De avitâ maculâ. — De originis delicti existentiâ, 849. — Delictum avitum ex sacris tabulis eruitur, 853. — Primigenii delicti existentia constanti Ecclesiæ traditione et praxi evincitur, 858. — Utrùm peccati originalis dogma rationi repugnet. An ex rationis luce aliquatenùs erui possit peccatum originale? 870. — Utrùm rationis argumenta ab incredulis adversùs peccatum originale vibrata cordato viro demonstrativa videri possint? 873. — De naturâ peccati originalis. — Præcipui circa peccati originalis naturam errores referuntur et exsufflantur, 881. — Præcipuæ theologorum catholicorum de peccati originalis naturâ sententiæ produntur, 883. — De modo quo traducitur peccatum originale. — Quænam sit animæ origo? 902. — Quomodò vitietur anima humana per suam cum corpore unionem? Prima opinio refertur et rejicitur, 918. — Opinio 2° exponitur cum rationibus pro ipsâ militantibus, 919. — Opinio 3° discutitur, 926. — De peccati originalis subjecto. — Utrùm B. Virgo in suo conceptu à peccato originali fuerit immunis, 936. — Utrùm B. Virgo absque originali maculâ concepta fuerit? 938. — Utrùm filii fidelium peccatum originale contrahant, 960. De præcipuis peccati originalis effectibus. — De pœnis peccati originalis in præsenti vitâ, 963. — Utrùm ignorantia invincibilis excuset à peccato? 968. — De effectibus peccati originalis in futurâ vitâ. — Errores circa parvulorum absque Baptismo pereuntium sortem referuntur, et exploduntur, 983. — Opiniones de sorte parvulorum sine baptismo morientium adducuntur, et una eligitur, 986. — De cœlestis Adam, sive Christi, gratiâ. — De gratiæ essentiâ, 1019. — De vulgatis gratiæ distributionibus, 1028. — De gratiæ necessitate. — De necessitate gratiæ in statu naturæ innocentis. — Utrùm Adam cum justitiâ originali, et donis ei affixis creatus fuerit? 1037. — Utrùm justitia originalis et alia dona recensita Adæ innocenti debita fuerint, et ideò naturalia reputanda sint? 1039. — Quid sentiendum de statu qui dicitur naturæ puræ? 1044. — An, et quâ gratiâ indiguerit insons Adam ad benè agendum et perseverandum. — Referuntur novatorum placita circa naturæ innocentis et lapsæ auxiliorum discrimen, 1064. — Recensentur theologorum opiniones de gratiæ sanitatis et liberationis discrimine, 1066. — De gratiæ necessitate in statu naturæ lapsæ, 1067. — An gratia sit necessaria ad veritates supernaturales cognoscendas et credendas? 1071. — An gratia ad bonum opus supernaturale volendum et perficiendum absolutè requiratur? 1073. — An sine fide et charitate aliquod bonum opus elici

possit? — Utrùm sine fide theologicâ bonum opus morale possit elici? 1083. — Utrùm sine charitate bonum opus morale produci queat? 1100. — An sine gratiâ actuali possit homo aliquod opus moraliter bonum perficere? 1111. — Confutantur diversa dictoria et convicia in Vasquesianam, aut Norisianam doctrinam super gratiâ ad omne opus bonum morale necessariâ contorta, 1123. — An gratia sit necessaria ad vitanda omnia omninò peccata? 1167. — An homo sine gratiâ possit ad gratiam se præparare? — An et quæ gratia sit necessaria ad perseverandum in justitiâ? 1171. — Utrùm justificati sine speciali Dei auxilio in acceptâ justitiâ usque in finem perseverare possint? 1173. — Quodnam sit speciale Dei auxilium quo indigent justi ut usque ad finem perseverare possint? 1177. — De gratiâ sufficiente. — De gratiæ sufficientis essentiâ et existentiâ, 1181. — De gratuitâ gratiæ sufficientis effusione, 1201. — Utrùm gratia sufficiens omnibus justis, cùm præceptum hic et nunc urget, impertiatur? 1209. — An fidelibus sontibus infundantur gratiæ sufficientes sive ut nova peccata non committant, sive ut commissorum veniam adipiscantur? 1225. — An gratiæ sufficientes excæcatis et induratis concedantur? 1228. — An Hebræis in antiquo illuxerit gratia sufficiens? 1235. — An infidelibus dentur gratiæ sufficientes ut fidei lumine collustrari possint? 1240. — An in omnes parvulos è cœlo stillent aliqua adjutoria ad salutem sufficientia? 1249. — Liber 3. — De gratiâ efficaci, 1254. — De novatorum circa gratiæ efficaciam dogmatibus, 1255. — Refellitur Jansenii systema circa gratiæ efficacis agendi modum, et ideò libertatem, 1277. — De intrinseco gratiæ victricis Jansenianæ principio, 1303. — De variis circa gratiam efficacem scholæ systematibus, 1309. — Thomistici systematis synopsis, 1312. — Brevis Augustiniani systematis descriptio, 1318. — Refelluntur hodierni pseudophilosophi prætendentes id, quod certò et infallibiliter fit, liberè non fieri, 1325. — Molinisticum systema perstringitur, 1335. — Concisa Congruistarum systematis delineatio, 1342. — Nupera Thomassini opinio expenditur, 1345. — De insignioribus gratiæ Christi beneficiis, 1347. — De primo Dei gratiæ effectu, sive de hominis justificatione, 1348. — De præcipuis justificationis acceptionibus, 1349. — Justificatio in *fieri*, sive conditiones ex Dei institutione justificationi præeuntes, expenduntur. — Fides justificationem impetrans discutitur et retegitur, 1350. — Excutitur novatorum sententia circa fidei justificantis adjuncta, sive expenditur an sola fides justificet, 1364. — Expenditur modus quo fides ad justificationem concurrit, 1374. — De justificatione in *facto esse*, sive de justificationis naturâ, 1376. — De justificationis *essendi modo*, sive de justificationis qualitatibus effectibusve, 1382. — Utrùm demptâ speciali Dei revelatione, quis fide divinâ credere possit et teneatur se esse justum? 1383. — Utrùm justitia ita solis electis competat, ut eâ nunquàm spoliari possint? 1395. — Utrùm omnes justi æquali exornentur sanctitate? 1397. — De 2° gratiæ effectu, sive de merito. — De meriti existentiâ. — An bona justorum opera æternæ vitæ verè meritoria sint? 1399. — Liceatne opera edere æternæ mercedis intuitu? 1405. — De meriti dotibus, sive conditionibus, 1407. — Referuntur conditiones ad meritum de *condigno* necessariæ, 1408. — Corollarium. — Referuntur conditiones meriti imperfecti, sive de *congruo*, propriæ, 1413. — De meriti *objecto*, sive quasnam res attingit meritum? — Utrùm prima gratia sanctificans, ejusve augmentum merito obnoxia sit? 1415. — Utrùm perseverantia usque in finem merito subjaceat? 1417. — Utrùm meritum de *condigno* vitam æternam attingat? 1421. — Utrùm Deus justorum merita supra *condignum* remuneret? 1427. — Breve N. S. P. Benedicti Papæ XIV ad magnum Hispaniæ Inquisitorem, 1433.

APPENDICES ad tractatum de *Homine lapso et reparato*. — Appendix prima. De gratiâ habituali et ei annexis. — De nomine, existentiâ et essentiâ gratiæ santificantis, 1439. — De virtutibus infusis, 1454. — De donis Spiritûs sancti, 1463. — Appendix II. De variis Scholæ systematibus circa gratiæ efficaciam et sufficientiam, 1472. — Argumenta pro Thomistis adversùs Molinam et Congruistas, 1475. — Argumenta pro Molinâ et Congruistis adversùs Thomistas, 1480. — Arg. I. — Ex verbis Christi ad Corozaitas et Bethsaitas, *ibid.* — Argumentum II. — Ex eo quòd in systemate Thomistarum non detur gratia verè sufficiens, 1481. — Argumentum III. — Ex eo quòd in eodem systemate gratia efficax sit necessitans, 1482.

FINIS.

MIGNE, J.P.
Theologiae cursus completus.
BQT 507 .M5. v. 10

